

THEOLOGIA MORALIS

USITATO IN SCHOLIS ORDINE, ac Methodo concinnata,

AB OPPOSITIS ARGUMENTIS VINDICATA, & numerosis CONSCIENTIÆ CASIBUS, in forma propositis, ac resolutis illustrata.

AUTHORE P. F.

APOLLONIO HOLZMANN,
ORDINIS FR. MIN. S. FRANCISCI RECOLLECTORUM, ex Provincia Argentinæ, seu Germaniæ Superioris, Sacræ Theologiæ Lectore Emerito.

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS

TRACTATUS SACRAMENTALES, seu de Sacramentis in Genere, & Specie.



BENEVENTI, MDCCXLIII.

Prostat

VENETIIS,

IN TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.



F A C U L T A S

A. R. P. D. Ministri Provincialis.

UT Tomus II. Theologiæ Moralis, complectens *Tractatus Sacramentales, seu de Sacramentis in genere, & specie*, a Vener. P. Apollonio Holzmann, Provinciæ nostræ Argentinæ, seu Superioris Germaniæ SS. Theologiæ Lectore Emerito, conscriptus, & a Theologis ad id deputatis lectus, ac censsus, prælo dari possit; Ego F. Benjamin Elbel Ord. FF. Min. S. Franc. strictioris Observantiæ Recollect. dictæ Provinciæ Minister Provincialis, hisce, quantum in me est, facultatem facio. In cujus fidem has Officii mei Sigillo munitas dedi in Conventu nostro Lenzfridano ad S. Bernardinum die 3. Decembris 1737.

(L.S.)

F. Benjamin Elbel qui supra.

Approbatio Theologica I.

EX Commissione, & Mandato Superiorum accurate perlegi etiam II. Tomum Theologiæ Moralis. a Venerando, ac Religiosissimo P. F. Apollonio Holzmann in Provincia nostra Argentinensi SS. Theologiæ Lectore Emerito compositum, complectentem *Tractatus Sacramentales, sive de Sacramentis in genere, & specie*. Certe in uno hoc Opere, quasi in alveum quendam contracta, extare deprehendi totius Scientiæ Moralis fluenta, quibus Mare magnum illud Authorum Classicorum, de hac arte scribentium, Orbem Literarium inundat. Invenient in eo docti, quo exerceantur; mediocres, quo perficiantur; debiles, quo erudiantur; omnes, quo reficiantur. Nihil non limatum, non ex purissimis Theologiæ fontibus extractum; nihil non conforme Summorum Pontificum, & Oecumenicorum Conciliorum Decretis, aliisque Constitutionibus Canonicis; nihil rationi dissonum, nihil acre, nihil insipidum, nihil non exquisitum vel ego reperi, vel tu poteris reperire. Prodeat ergo cum plausu nobile, & utilissimum hoc Opus, suaque limpidissima doctrina omnes, quorquot ejus amantes sunt, uberrime fœcundet. Ita dignum censeo, & futurum auguror ex Conventu nostro Mariano-Campolyciano die 22. Maji 1740.

F. Cherubinus Mayr Lector Theologiæ Jubilatus, SS. Canonum Ordinarius, & Provinciæ Diffinitor Actualis.

Approbatio Theologica II.

MAndato Superiorum meorum obtemperaturus, ea, qua par est, attentione perlegi etiam Tomum II. Theologiæ Moralis, *Tractatus Sacramentales, sive de Sacramentis in genere, & specie*, complectentem, a V.P. Apollonio Holzmann, Almæ nostræ Provinciæ Argentinensis, seu Superioris Germaniæ, Ord. S. P. Francisci FF. Min. strictioris Observantiæ Recollectorum, SS. Theol. Lectore Emerito doctissime compositum. In quo iterum Author haud incongrue videtur comparari posse *Homini cuidam, qui* (ut refert Parabola Evangelica *Luc. c. 14. v. 16.*) *fecit Cœnam magnam*; siquidem in hoc Tomo posteriore tot quasi fercula apponit, quot Tractatus Sacramentales ordine suo explanandos suscipit; totque cibis selectissimis mensam instruit, quot Quæstiones proponit, propositas enucleate resolvit, sanæ Theologiæ principiis accurate conformat, rationis validis efficaciter persuadet, authoritatibus Canonicis solide corroborat. Cumque insuper doctrinam suam omnium (aliquid scire, vel addiscere in Scientia Morali volentium) gustui ita accommodet, ut & Viri honorati, seu docti, repetiant, quod sapiat, & pauperes, ac debiles, quo refocillentur, ac incrementum capiant, nemo facile inficiabitur, a prælaudato Authore *Cœnam* undequaque *magnam* factam, & paratam esse. Venite igitur, quicunque sacratioris Scientiæ epulis refici, ac saturari desideratis; gustate, & videte, quam suavis, quam sapida, quam utilis, quam conducibilis, ac eximia in Tomo hoc Sacramentali doctrina contineatur. Sane *esurientes implebit bonis, nec divites dimittet inanes*. Ita censet ex Campidona Ducali die 23. Majii 1740.

F. Conradinus Riederer Ejusdem Ordinis, ac Provinciæ, SS. Theol. Lector Emeritus, & Ecclesiæ Ducalis Campidonensis p. t. Confessarius.

CUM DOCTRINA DE SACRAMENTIS, tam in genere, quam in specie, Canonibus (uti & Capitibus) Conc. Trid. ceu basibus, innitatur, non abs re facturum me æstimo, si illos (uti & ista) impræsentiarum præmisero; maxime quia prævideo, quod permulti, qui Tractatus hosce meos evolvere dignabuntur Tridentinum vel omnino habituri non sint, vel saltem non ad manum, dum eos evolvent.

Proponuntur Canones, & Capita Concilii Tridentini *ex Sess. 7.* de Sacramentis in genere, & Baptismo, ac Confirmatione in specie.

De Sacramentis in genere,

CANON I.

Siquis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo, Domino nostro, instituta: aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit.

CANON II.

Siquis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit,

CANON III.

Siquis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit,

CANON IV.

Siquis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci: licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit,

CANON V.

Siquis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse, anathema sit.

CANON VI.

Siquis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit,

CANON VII.

Siquis dixerit, non dari gratiam per ejusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.

CANON VIII.

Siquis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

CANON IX.

Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit.

CANON X.

Siqus dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

CANON XI.

Siquis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.

CANON XII.

Siquis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut Sacramentum, anathema sit.

CANON XIII.

Siquis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

De Baptismo.

CANON I.

Siquis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.

CANON II.

Siquis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto:* ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

CANON III.

Siquis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est, & Magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

CANON IV.

Siquis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.

CANON V.

Siquis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, necessarium ad salutem, anathema sit.

CANON VI.

Siquis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.

CANON VII.

Siquis dixerit, baptizatos per Baptismum Ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.

CANON VIII.

Siquis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita, ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.

CANON IX.

Siquis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ

post

post Baptismum fiunt, vi promissionis, in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligantur, quasi per ea & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo, anathema sit.

CANON X.

Siquis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

CANON XI.

Siquis dixerit, verum, & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.

CANON XII.

Siquis dixerit, neminem esse baptizandum, ut nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

CANON XIII.

Siquis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

CANON XIV.

Siquis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.

De Confirmatione.

CANON I.

Siquis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

CANON II.

Siquis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

CANON III.

Siquis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

Proponuntur Capita, & Canones Concilii Tridentini *ex Sess.* 13. de Sacramento Eucharistiæ.

Proponuntur, & præmittuntur Capita.

CAPUT I.

PRincipio docet sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum, atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis, Sacramentaliter præsens, sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus: ita enim Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum, post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est; quæ verba a SS. Evangelistis commemorata, & a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam, & apertissimam significationem præseferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis, & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ, tanquam columna, & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Sathanica, detestata est, grato semper, & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

CAPUT II.

Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias Divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alamur, & confortemur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me:* & tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius Corporis, cujus ipse Caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

CAPUT III.

Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat: & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis, & vini specie una cum ipsius anima, & Divinitate existere: sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum, ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.

CAPUT IV.

Quoniam autem Christus, Redemptor noster, Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus, quæ conversio convenienter, & proprie a sancta Catholica Ecclesia *Transsubstantiatio* est appellata.

C A P U T V.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more, in Catholica Ecclesia semper recepto. Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant; neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*: quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. Declarat præterea Sancta Synodus, pie, & religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & Venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur: æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræsentatur; atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universalis Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitari, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.

C A P U T VI.

Consuetudo asservandi in Sacrariis S. Eucharistiam, adeo antiqua est, ut etiam seculum Niceni Concilii agnoverit. Porro deferre ipsam S. Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate, & ratione conjunctum est, multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc, & necessarium morem statuit.

C A P U T VII.

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe, quo magis sanctitas, & divinitas cælestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: *Probet autem seipsum homo*. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus, sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit; modo non desit illis copia Confessoris: quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

C A P U T VIII.

Quoad usum autem recte, & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt: quosdam enim docuerunt, Sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem cælestem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt; tertios vero Sacramentaliter simul, & spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad Divinam hanc mensam accedant. In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure, ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera Misericordiæ Dei nostri, ut omnes, & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant, & concordent, memoresque tantæ majestatis, & tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra Mysteria Corporis, & Sanguinis ejus ea fidei constantia, & firmitate, ea animi devotione, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is vere eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Proponuntur, & subjiciuntur Canones.

C A N O N I.

Siquis negaverit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

C A N O N II.

Siquis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime *Transubstantiationem* appellat, anathema sit.

C A N O N III.

Siquis negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujuscunque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.

C A N O N IV.

Siquis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Christi, anathema sit.

C A N O N V.

Siquis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.

C A N O N VI.

Siquis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum, Unigenitum Dei Filium, non esse cultu Latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

C A N O N VII.

Siquis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit.

CA-

CANON VIII.

Siquis dixerit, Christum, in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter, ac realiter, anathema sit.

CANON IX.

Siquis negaverit, omnes Christi fideles utriusqunque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.

CANON X.

Siquis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit.

CANON XI.

Siquis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur, statuis, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Siquis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Proponuntur Capita, & Canones Concilii Tridentini ex Sess. 22. de Sacrificio Missæ.

Proponuntur, & præmittuntur Capita.

CAPUT I.

QUoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre Misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, In Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissione eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamensi Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit; nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit; & quam non obscure innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias Sacrificiorum, Naturæ, & Legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio, complectitur.

CAPUT II.

Et quoniam in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet Sancta Synodus, Sacrificium illud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit: una enim, eademque est Hostia, idemque nunc Offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerentium ratione diversa. Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam ubertime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

CAPUT III.

Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit, unde nec Sacerdos dicere solet: *Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule*; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CAPUT IV.

Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium, Ecclesia Catholica, ut digne, reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante Seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, & pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat: is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

CAPUT V.

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum Divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero clariore, in Missa pronunciarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas santi Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAPUT VI.

Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicat, partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrantur.

CAPUT VII.

Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

CAPUT VIII.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & a sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & Festis.

CAPUT IX.

Quia vero adversus veterem hanc, in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur, atque disputantur, sacrosancta Synodus, post multos, gravesque, his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ adversantur, damnare, & a sancta Ecclesia eliminare per subjectos hos Canones constituit. Unde

Proponuntur, & subjiciuntur Canones.

CANON I.

Siquis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

CANON II.

Siquis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem:* Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum, anathema sit.

CANON III.

Siquis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionem, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

CANON IV.

Siquis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio, in cruce peracto, per Missæ Sacrificium; aut illi per hoc derogari, anathema sit.

CANON V.

Siquis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.

CANON VI.

Siquis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum, anathema sit.

CANON VII.

Siquis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis, quam officia pietatis, anathema sit.

CANON VIII.

Siquis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

CANON IX.

Siquis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

Proponuntur Capita, & Canones Concilii Tridentini *ex Sess. 14.* de Sacramento Pœnitentiæ.

Proponuntur, & præmittuntur Capita.

CAPUT I.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam, in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia, susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in Misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abjecta, & eliminata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait: *Convertimini; & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dominus etiam dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus, Baptismo initiandis, pœnitentiam commendans, dicebat: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

CAPUT II.

Ceterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissident; constat certe Baptismi Ministrum Judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi* (inquit Apostolus) *de iis, qui foris sunt, judicare?* Secus est de domesticis, quos Christus Dominus, lavacro Baptismi, sui Corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint,

rint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc Tribunal, tanquam reos, sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, posset liberari. Alius est præterea Baptismi, & alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, sine nostris magnis fletibus, & laboribus, Divina id exigente Justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia *laboriosus quidam Baptismus* a SS. Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAPUT III.

Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo &c.* quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio: qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur. Sane vero res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in Viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus, & effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.

CAPUT IV.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine, post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ Misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, ac inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum.* Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* & alios hujusmodi generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ *Attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad Justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit: hoc enim timore utiliter perculsi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. Sed & falso docent, contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam,

CAPUT V.

Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus, post Baptismum lapsis, Jure Divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient: constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur; nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda Confessione, à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ Misericordiæ agnoscenda exponunt: qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ Bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed & impium est, Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. Pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine.* Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur. Ceterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc Divino præcepto mandatum; nec satis consulte huma-

humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno, unanimique consensu secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a Divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque a Patribus, in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur; quod Jure Divino necessarium, & institutum esse intellexerat: sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tanquam pie, & merito retinendum.

CAPUT VI.

Circa Ministrum autem hujus Sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt, putantes, verba illa Domini: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram; erunt soluta & in cælo; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam Confessionem, cuicunque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti, in Ordinatione collatam, tanquam Christi Ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio Sacerdotis, alieni Beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a Judice, sententia pronunciatur: atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi, desit; putet tamen se propter suam bonam fidem vere, & coram Deo esse absolutum: nec enim fides sine Pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose absolventem cognosceret, & non alium, serio agentem, requireret.

CAPUT VII.

Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo fiunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus, in sua cuique Diœcesi, in ædificationem, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita, supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est Divinæ authoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint: extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.

CAPUT VIII.

Demum, quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una, maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt; sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur; perspicua enim, & illustria in sacris Literis exempla reperiuntur, quibus, præter Divinam Traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane & Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidarint. Et Divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, meremur, & satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur. Patri, & per illum acceptantur a Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant ergo præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent: nec propterea existimarunt, Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum; sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, & satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere volunt, ita optimam Pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant.

CAPUT IX.

Docet præterea, tantam esse Divinæ Munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis, sponte a nobis pro

vindi-

vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis, a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Christum Jesum, satisfacere valeamus.

Proponuntur, & subjiciuntur Canones.

CANON I.

Siquis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie dictum Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

CANON II.

Siquis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte *secundam post naufragium tabulam* appellari, anathema sit.

CANON III.

Siquis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:* non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.

CANON IV.

Siquis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis, sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

CANON V.

Siquis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit.

CANON VI.

Siquis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure Divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

CANON VII.

Siquis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure Divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle Divinæ Misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

CANON VIII.

Siquis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & singulos, utriusque sexus, Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.

CANON IX.

Siquis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, aut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.

CANON X.

Siquis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cælo; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt;* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam Confessionem, anathema sit.

CANON XI.

Siquis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema est.

CANON XII.

Siquis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

CANON XIII.

Siquis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis, ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.

CANON XIV.

Siquis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.

CANON XV.

Siquis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quod, virtute Clavium sublata, pœna eterna, & pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema sit.

Pro-

Proponuntur Capita, & Canones Concilii Tridentini ex *ead. Sess.* 14. de Sacramento Extremæ Unctionis.

Proponuntur, & præmittuntur Capita.

CAPUT I.

INstituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum; tanquam vere, & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini Fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; &, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione, per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium Ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum; nam Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua Invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat: formam deinde esse illa verba: *Per istam Unctionem &c.*

CAPUT II.

Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus; &, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res enim gratia est Spiritus Sancti; cujus Unctio delicta, siquæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

CAPUT III.

Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere, & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum; nam & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros; quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam, & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Unctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem; & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; & qui dicunt, ritum, & usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque in alium commutandum esse; & denique qui hanc Extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant: hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium Mater, & Magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacobus præscripsit. Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti injuria esse posset.

Proponuntur, & subjiciuntur Canones.

CANON I.

SIquis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

CANON II.

Siquis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

CANON III.

Siquis dixerit, Extremæ Unctionis ritum, & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum; posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

CANON IV.

Siquis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes, ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis Communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.

Proponuntur Capita, & Canones Concilii Tridentini *ex Sess.* 23. de Sacramento Ordinis.

Proponuntur, & præmittuntur Capita.

CAPUT I.

SAcrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, sacræ Literæ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

CAPUT II.

Cum autem Divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, & diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex Officio deservirent; & ita distributi, ut, qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per Minores ad Majores ascenderent; nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ Literæ apertam mentionem faciunt; & quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; & ab Ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, *Subdiaconi* scilicet, *Acolyti*, *Exorcistæ*, *Lectoris*, & *Ostiarii*, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu; nam Subdiaconatus ad Majores Ordines a Patribus, & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus.

CAPUT III.

Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sa-

cram

cram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, & proprie unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis. Inquit enim Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.*

C A P U T IV.

Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo, & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere; ac, semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod siquis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde, ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipue pertinere, & positos (sicut idem Apostolus ait) a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis non habent. Docet insuper sacrosancta Synodus, in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum Ordinum nec Populi, nec cujusvis secularis Potestatis, & Magistratus consensum, sive vocationem, sive authoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a Populo, aut seculari Potestate, ac Magistratu vocati, & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt; & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ Ministros, sed fures, & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.

Proponuntur, & subjiciuntur Canones.

C A N O N I.

Siquis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed Officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.

C A N O N II.

Siquis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & Majores, & Minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, anathema sit.

C A N O N III.

Siquis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere, & proprie Sacramentum, a Christo Domino Institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a Viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quendam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.

C A N O N IV.

Siquis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipite Spiritum Sanctum*; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

C A N O N V.

Siquis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sacra Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, & perniciosam esse; similiter & alias Ordinis ceremonias, anathema sit.

C A N O N VI.

Siquis dixerit, in Ecclesia non esse Hierarchiam Divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.

C A N O N VII.

Siquis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines, ab ipsis collatos sine Populi, vel Potestatis secularis consensu, aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, & Canonica Potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbis, & Sacramentorum Ministros, anathema sit.

C A N O N VIII.

Siquis dixerit, Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, ac veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

Proponuntur Canones, & Capita Concilii Tridentini *ex Sess.24.* de Sacramento, & Reformatione Matrimonii.

Proponuntur, & præmittuntur Canones de Sacramento Matrimonii.

C A N O N I.

Siquis dixerit, Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum; neque gratiam conferre, anathema sit.

C A N O N II.

Siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.

C A N O N III.

Siquis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema sit.

C A N O N IV.

Siquis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

C A N O N V.

Siquis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.

C A N O N VI.

Siquis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis, non dirimi, anathema sit.

C A N O N VII.

Siquis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrunque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

C A N O N VIII.

Siquis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.

C A N O N IX.

Siquis dixerit, Clericos, in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, vel castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

C A N O N X.

Siquis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit.

C A N O N XI.

Siquis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

C A N O N XII.

Siquis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.

Proponuntur, & subjiciuntur Capita de Reformatione Matrimonii.

C A P U T I.

Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falso affirmant, Matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse; & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui malo ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur: ubi Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscunque Provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua adsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & judicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote, hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Propterea eadem sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine, etiam immemoriali, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio, non obstantibus. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso Jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum, in quo conjugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus conjuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Siquæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut, quamprimum potuerint, curent hoc Decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum Diœcesium parochialibus Ecclesiis; idque in primo anno quam sæpissime fiat: deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipit, a die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.

C A P U T II.

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut

bapti-

baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; & in libro eorum nomina describat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

CAPUT III.

Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.

CAPUT IV.

Præterea sancta Synodus, eisdem, & aliis gravissimis, de causis adducta, impedimentum, quod, propter affinitatem ex fornicatione contractum, inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.

CAPUT V.

Siquis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Si vero, solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

CAPUT VI.

Decernit sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; &, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

CAPUT VII.

Multi sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, &, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt; cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant: Magistratus etiam seculares hortatur, ut eos revere coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

CAPUT VIII.

Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, & in hujus magni Sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas, quandoque domi, etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit, hujusmodi concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex Officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex Officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra Oppidum, vel Diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio seculari, ejiciantur, aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

CAPUT IX.

Ita plerumque temporalium Dominorum, ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excæcant, ut viros, & mulieres, sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis, & pœnis adigant cum iis Matrimonium invitos contrahere, quos ipsi Domini, vel Magistratus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit, Matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant.

CAPUT X.

Ab adventu Domini nostri JESU Christi usque in diem Epiphaniæ, & a Feria IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, curabunt; sancta enim res est Matrimonium, & sancte tractandum.

ELEN

ELENCHUS
TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, CAPITUM, & aliorum Titulorum in hoc Tomo contentorum.

PARS QUINTA.

De Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia in specie.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

DISPUTATIO I.

De Definitione, Divisione, Materia, & Forma Sacramenti.

DISPUTATIO II.

De Ministro, Subjecto, & Effectibus Sacramentorum.

TRACTATUS II.

De Baptismo, & Confirmatione.

DISPUTATIO I.

De Baptismo.

DISPUTATIO II.

De Confirmatione.

TRACTATUS III.

De Sacramento Eucharistiæ.

DISPUTATIO I.

De Institutione, Natura, Materia, & Forma Eucharistiæ.

ART. I.

Art. I.

DISPUTATIO IV.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, sive de Confessario.

APPENDIX.

PARS SEXTA.

De Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio.

TRACTATUS I.

De Extrema Unctione, & Ordine.

DISPUTATIO I.

De Extrema Unctione.

DISPUTATIO II.

De Ordine.

TRACTATUS II.

De Matrimonio.

DISPUTATIO I.

De Via ad Matrimonium, seu de Sponsalibus.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio ipso.

DISPUTATIO III.


De Impedimentis Matrimonii.

sentiæ


DISPUTATIO IV.

De Dispensatione super Impedimentis Matrimonii, & hujus nulliter contracti Revalidatione.

PRAXIS



PARS



PARS QUINTA.

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

& Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, ac Pœnitentia in ſpecie.



Xpeditis Theologiæ noſtræ Moralis Tractatibus Extra-Sacramentalibus, progredimur ad Tractatus Sacramentales, quorum quatuor in præſenti Parte, & duos in Parte proxime ſubſecuta adornabimus, complexuri omne id, quod de Sacramentis in genere, & ſpecie ſub conſiderationem Theologico-Moralem cadere poteſt.

TRACTATUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CUM ſpeciem ſine genere penetrare non poſſimus, hunc Tractatum veluti præliminarem, & ad Sacramenta in ſpecie intelligendam manuductivum, præmittamus, neceſſe eſt. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Definitione, Diviſione, Materia, & Forma Sacramenti.



Acramentum (a *ſacro*, vel *ſacrando* dictum) varie accipitur. 1. Pro juramento militari, quo milites inaugurantur, & quaſi ſacrantur militiæ. 2. Apud Juriſtas pro quolibet jurejorando. 3. In Scriptura, & apud Patres pro myſterio, ſeu re occulta, præſertim ſacra. 4. Pro ſigno talis rei occultæ, & ſacræ. 5. Denique pro ſigno ſenſibili, & practico gratiæ ſanctificantis divinitus inſtituto. Atque in hac poſtrema acceptione præſentis eſt inſtituti: poteſtque conſiderari tam ſub ratione totius phyſici (ſubintellige per analogiam ad totum phyſicum) quam ſub ratione totius metaphyſici. Priore modo conſideratum importet rem, & actionem ſenſibilem, ceu materiam, ac verba, ceu formam, quæ dicitur *forma partis*, eo quod immediate afficit, & determinet partem materialem, ſeu materiam. Poſteriore modo conſideratum præter materiam, & formam partis, quas in obliquo denotat, in recto importat ſignificationem Sacramentalem, ceu *formam totius*, ſic dictam, quod immediate afficiat totum, ex materia, & forma partis conflatum. Naturam Sacramenti, prout ſpectatur ſub ratione totius metaphyſici, explicabimus afferendo definitionem, & diviſionem: naturam vero Sacramenti, prout ſpectatur ſub ratione totius phyſici, explanabimus deſignando, ac declarando materiam, & formam.

CAPUT I.

De Definitione, & Diviſione Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Definitur Sacramentum novæ Legis*. 2. *Solvitur objectio*. 3. *Excluduntur aliqua a ratione Sacramenti*. 4. *Septem ſunt Sacramenta: ex quibus* 5. *aliqua ſunt* iterabilia, *aliqua* initerabilia; *aliqua* mortuorum, *aliqua* vivorum; *aliqua* formata, *aliqua* informia. 6. *Septem Sacramenta ſpecie, & eſſentialiter diſtinguuntur*.

1. DIco primo. Sacramentum novæ Legis (de quo ſolo hic ex profeſſo tractandum) eſt *ſignum ſenſibile, a Chriſto Domino inſtitutum ad gratiam ſanctificantem tum ſignificandam, tum conferendam*.

Explicatur. Dicitur 1. *ſignum*; non naturale, ſed ad placitum Chriſti Domini inſtituentis. Dicitur 2. *ſenſibile*, hoc eſt, ſenſu aliquo externo perceptibile; ſic enim magis eſt accommodatum homini, in cujus ſpiritualem utilitatem præcipue ordinatur. Dicitur 3. *a Chriſto Domino inſtitutum*, adeo, ut Chriſtus qua Deus dicatur Sacramentum inſtituiſſe authoritative, & principaliter (nam qua Deus Sacramento indidit vim gratiæ ſanctificantis collativam) & qua Homo ſubauthoritative, meritorie, ac miniſterialiter, quatenus Humanitas Chriſti, ut unita, & ſuppoſitata Verbo, ab hoc accepit authoritatem merendi Sacramentis vim effectivam gratiæ, & determinandi certa ſigna, quæ ejuſmodi vim habeant. Dicitur 4. *ad gratiam ſanctificantem* &c. ubi indicatur effectus primarius, & generalis omnium Sacramentorum, qui eſt gratia habitualis, & ſanctificans. Dicitur 5. *tum ſignificandam, tum conferendam*, ut innuatur, quod Sacramentum non ſit ſignum mere ſpeculativum, ſed practicum, hoc eſt, cauſativum gratiæ, quam ſignificat.

2. Objicies. Sacramentum Euchariſtiæ non convenit univoce cum aliis Sacramentis; ergo non definitur eadem definitione cum illis; & conſequenter definitio non convenit omni Sacramento. Ant. prob. Sacramentum Euchariſtiæ ſignificat primario gratiam ſubſtantialem, & ſubſiſtentem, videlicet ipſum Corpus, & San-

& Sanguinem Christi; reliquæ vero Sacramenta gratiam accidentalem, & inhærentem, id est, gratiam habitualem; ergo illud cum istis non convenit univoce; quia univocatio Sacramentorum, ceu signorum, desumi debet a virtute, & modo significandi signatum.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. dist. ant. Significat primario gratiam substantialem, ceu signatum, & effectum specificum, con. genericum, neg. ant. & cons. Ad cujus rationem probativam ajo, univocationem Sacramentorum desumendam esse a virtute, & modo significandi signatum genericum, ac commune omnibus Sacramentis, quale est gratia habitualis (si secundum se præcise spectetur: quod addo propter dicenda *n.* 6.) quam Eucharistia, ut Sacramentum est, æque primario significat, ac significant alia Sacramenta; esto illa, quatenus Sacramentum permanens est, primario itidem significet gratiam substantialem, ceu signatum specificum: per quod non tollitur Sacramenti Eucharistici cum aliis Sacramentis univocatio, quippe fundata in prædicatis genericis, non specificis.

3. Colliges, a ratione Sacramenti supra definiti excludi 1. Sacramenta antiquæ Legis; quia gratiam sanctificantem non conferebant, sed mere significabant, & figurabant: imo licet detur, quod aliqua eorum (prout de *Remedio naturæ*, & *Circumcisione* Scotistæ docent omnino probabiliter) gratiam sanctificantem contulerint, adhuc tamen in nostra definitione non comprehenduntur; quia non erant instituta a Christo Domino, quemadmodum Sacramenta novæ Legis. Excluditur 2. Sacrificium Missæ, quia hoc, qua tale, non est institutum ad immediate significandam sanctitatem internam, quæ causatur per gratiam habitualem, sed ad contestandum supremum Dei dominium in vitam, & necem. Excluditur 3. Martyrium; quia non est signum ex institutione Christi significans gratiam, cum nullum habeatur fundamentum talis institutionis. Nec refert, quod subeunti Martyrium infallibiliter conferatur gratia. Potest nanque Deus liberali sua voluntate, & privilegio ita præmiare Martyrem, quamvis ad significandum hunc talem effectum non instituerit Martyrium. Excluduntur 4. multa signa sacra, variaque Sacramentalia inter Christianos usitata; qualia sunt aquæ benedictæ aspersio, prima tonsura, ceremoniæ in Baptismo v. g. adhiberi solitæ, Professio Religiosa, benedictio Abbatis, consecratio altaris, formatio crucis &c. Quamvis enim hæc omnia sint signa rerum sacrarum, non tamen sunt signa gratiæ sanctificantis in sui applicatione, & usu causativa.

4. Dico secundo. Sacramenta novæ Legis sunt septem, nec plura, nec pauciora, videlicet *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, & *Matrimonium*. Ita aperte definit Trid. *Sess. 7. can. 1. de Sacram. in gen.* ibi, *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit.*

5. Ceterum ex his septem Sacramentis aliqua sunt, & dicuntur *iterabilia*, aliqua *initerabilia*; aliqua *mortuorum*, aliqua *vivorum*; aliqua *formata*, aliqua *informia*. Sacramenta *iterabilia* sunt, quæ sæpius ab eodem subjecto possunt suscipi, & ideo non imprimunt in anima suscipientis specialem, ac indelebilem characterem: quorum enumerantur quatuor, videlicet *Eucharistia*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctio*, & *Matrimonium*. Initerabilia sunt, quæ semel valide suscepta, ab eodem subjecto nec valide, nec licite suscipi amplius possunt, & ideo imprimunt in anima suscipientis specialem, ac indelebilem characterem; suntque tria, nempe *Baptismus*, *Confirmatio*, & *Ordo*. Concil. Trid. *cit. Sess. 7. can. 9.* Sacramenta mortuorum dicuntur, quæ per se instituta sunt ad conferendam vitam spiritualem animæ per peccatum originale, vel personale demortuæ; sive ad causandam gratiam primam: & hujusmodi sunt tantum duo, *Baptismus* nempe, & *Pœnitentia*. Sacramenta vivorum dicuntur, quæ per se instituta sunt ad vitam spiritualem animæ jam præhabitam magis perficiendam, & confortandam; sive ad causandam gratiam secundam: & hujus generis sunt quinque, videlicet *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, & *Matrimonium*. Sacramenta formata appellantur, quæ non solum valide, sed etiam licite, & fructuose recepta sunt, id est, cum infusione gratiæ sanctificantis, a qua, ceu a forma, illam appellationem sortiuntur. Et tali modo omnia septem recipi possunt, & petunt. Sacramenta informia, seu *non formata* appellantur, quæ quidem valide, non tamen licite, & fructuose recepta sunt, adeoque sine infusione gratiæ sanctificantis, a cujus carentia suam appellationem derivant. Atque hoc modo recipi omnia possunt, excepto forte Sacramento Pœnitentiæ, de quo solo inter DD. controversia est *tr.* 4. ex professo dirimenda.

6. Quæres, an septem novæ Legis Sacramenta inter se specie, & essentialiter distinguantur?

Antequam ad hanc quæst. respondeatur, notandum, & supponendum ex communi DD. sententia, per singula Sacramenta rite suscepta conferri præter gratiam habitualem auxilia actualia ad finem Sacramenti conducentia: sic per Baptismum conferuntur auxilia conducentia ad puritatem vitæ, quam in eo accepimus, conservandam; per Confirmationem auxilia ad fidem constanter profitendam; per Eucharistiam auxilia ad crescendum in virtutibus; per Pœnitentiam ad relapsus cavendos; per Extremam Unctionem ad tentationes, & afflictiones in agone patienter superandas; per Ordinem ad munia Ecclesiastica rite, digneque obeunda; per Matrimonium ad onera matrimonialia sufferenda, & ad incontinentiam evitandam. Atque ex gratia habituali, & modo dictis auxiliis actualibus (non tam in se, quam in jure, vi cujus cum tempore sunt conferenda, spectatis) conflatur *gratia Sacramentalis*, quæ est effectus primarius adæquatus omnium Sacramentorum, hoc est, effectus tam genericus, qualis est gratia habitualis, si secundum se præcise spectetur, quam specificus, qualis est gratia Sacramentalis, seu gratia habitualis, quatenus sub speciali ratione confertur, & respectum, ac connexionem habet cum prædictis auxiliis; sive (quod in idem recidit) quatenus importat ipsa auxilia, ad speciales Sacramentorum fines ordinata, ita, ut hæc auxilia, modo immediate dicto accepta, sortiantur rationem effectus specifici.

Respondetur ad quæst. affirmative. Ita Sanct-Gallenses *tom. 9. tr. 1. q. 3. dub. 1.* & videtur esse communis. Ratio est: quia illa signa distinguuntur specie, & essentialiter, quæ diversos specie, & essentialiter effectus significant: sed septem Sacramenta significant diversos specie, & essentialiter effectus, quales sunt antefata auxilia; ut patet consideranti; ergo &c. Quare licet gratia habitualis a singulis Sacramentis significata, & causata, in illis specie non distingatur, si præcise spectetur secundum se, ita tamen distinguitur gratia Sacramentalis, qua complete talis, seu gratia habitualis cum memoratis auxiliis, quippe specie, & essentialiter diversis, accepta.

Dices. Auxilia actualia solum sunt effectus secundarius Sacramentorum; ergo ex illorum significatione non bene concluditur distinctio specifica, & essentialis in Sacramentis.

Respondetur, neg. ant. Sicut enim gratia habitualis, secundum se spectata, est effectus primarius genericus Sacramentorum, ita auxilia actualia sunt effectus primarius eorum specificus.

Instabis. Ergo in Sacramento Eucharistiæ dantur duo effectus specifici primarii, nempe Gratia subsistens (ex dictis *n.* 2.) & auxilia actualia ad crescendum in virtutibus.

Respondetur, dist. illatum. In Sacramento Eucharistiæ, diversimode considerato, con. secus, neg. Si Sacramentum Eucharistiæ consideretur, ut est Sacramentum permanens, pro effectu specifico primario respicit gratiam subsistentem; si vero consideretur, ut denotat sui applicationem, & sumptionem, pro effectu specifico primario habet auxilia actualia &c. ubi nihil repugnantiæ, aut absurditatis cernitur.

CAPUT II.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

SUMMARIUM.

7. Omnia Sacramenta novæ Legis perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. 8. Solvitur objectio. 9. Qualiter materia, & forma in Sacramentis debeant existere simul? 10. An simultas moralis materiæ, & forma in omnibus illis Sacramentis, in quibus sufficit, debeat esse æqualis? 11. An, & quomodo Christus Sacramentorum materias, & formas instituerit? 12. Num mutari ab Ecclesia possint? 13. & 14. Quando per earum mutationem Sacramentum irritetur; & quando peccetur graviter?

7. Dico primo. Omnia Sacramenta novæ Legis perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis (saltem æquivalentibus) tanquam forma. Ita definit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii ad Armenos, ubi post recensita septem Sacramenta inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.*

Explicatur conclusio. Dicitur 1. *Sacramenta novæ Legis*: siquidem pro Sacramentis antiquæ Legis nullam legimus institutam fuisse verborum formulam. Nec mirum: quia congruebat Status illius obscuritati obscura Sacramentorum umbraticorum significatio, quam res ingerunt; clara vero, atque expressa, quam suppeditant verba, pro Sacramentis novæ Legis reservabatur.

Dicitur 2. *Perficiuntur*, non constituuntur, ut hic abstrahatur a quæstione, sintne res, & verba in quolibet Sacramento partes intrinsecæ, nec ne? Aliud quippe est dicere, quod Sacramenta rebus, & verbis *perficiantur*, & aliud, quod iis *intrinsece constituantur*; nam juxta Decretum Eugenii proxime relatum etiam persona Ministri, ejusque intentione perficiuntur, neutra tamen intrinsece constituuntur, cum utraque ad genus causæ efficientis pertineat.

Dicitur 3. *Rebus tanquam materia*, ita, ut res, secundum se spectatæ, sint materia remota Sacramenti; &, quatenus applicatæ per actionem Ministri, materia proxima. Materia remota, esto necessario interveniat, & præsupponatur in Sacramento, non est tamen de essentia ejus, seu pars intrinsece constitutiva; quidquid sit de materia proxima, de qua nostram mentem aperiemus, ubi de singulis Sacramentis in particulari tractabimus.

Dicitur *Verbis saltem æquivalentibus*, propter Sacramentum Matrimonii, quod nutu, vel aliis signis perfici potest; prout advertit Concilium Florentinum in supra *cit. Decreto §. septimum Sacramentum*. Ratio est: quia Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu naturali, cujus substantiam Christus non mutavit, sed tantum ad Sacramenti dignitatem inter baptizatos evexit: est autem id commune cuilibet contractui inter homines, ut, spectato præcise Jure naturali, per mutuum consensum contrahentium, quibuscunque externis signis sufficienter manifestatum, perficiatur: ubi proin signa externa æquivalent verbis.

8. Objicies. Sacramentum Pœnitentiæ aliquando perficitur solis verbis; ergo non omne Sacramentum perficitur rebus. Ant. ostenditur in casu, quo præter confessionem, & absolutionem, in meris verbis consistentes, aliquis pura peccata oris confiteretur, eique pro pœnitentia imponeretur oratio vocalis.

Respondetur, neg. ant. Ad cujus rationem probativam, & casum ajo, verba in confessione non fungi suo officio proprio, quod est significare conceptum loquentis, sed esse exhibitionem operis peccaminosi præteriti, quæ absolute aliter per scripturam, vel signa fieri potest. Peccata oris vero supponunt pravam voluntatem operantis, quæ est res, seu actio interna, sine qua peccata non forent. Tandem oratio vocalis, in satisfactionem imposita, hic non consideratur secundum se, & ut vocalis est, sed quatenus est opus molestum, pœnale, satisfactorium. Consequenter &c.

9. Quæres, qualiter materia, & forma in Sacramentis debeant existere simul?

Respondetur, sufficere, si existant simul simultate morali, præterquam in Sacramento Eucharistiæ. Communis. Ratio est: quia ea materiæ, & formæ simultas in Sacramentis sufficit, quæ sufficit in actibus humanis, cum Christus ita instituerit Sacramenta, ut modo humano tractari valeant: sed in actibus humanis sufficit simultas moralis; ergo &c. Nec dicas. In composito physico materia, & forma debent existere simul simultate physica: atqui quodlibet Sacramentum, in quantum includit materiam, & formam, est compositum physicum: prout advertimus in principio hujus disputationis; ergo &c. Contra enim est, majorem esse solummodo veram in composito physico proprie tali, non autem in composito physico improprie, & analogice tali, quale est Sacramentum: prout loco citato insinuavimus per parenthesim.

Dixi in respons. ad quæsit. *præterquam in Sacramento Eucharistiæ*. Nam in hoc Sacramento materia formæ consecrationis physice coexistere debet, quia alioquin non verificarentur particulæ demonstrativæ *hoc, hic* &c.

10. Petes, an simultas moralis materiæ, & formæ in omnibus illis Sacramentis, in quibus secundum dicta *n. præced.* sufficit, debeat esse æqualis?

Respondetur cum communi negative: sed potest esse inæqualis, ac diversa juxta diversam naturam, & indolem Sacramentorum. Unde in Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Extremæ Unctionis, ac Ordinis requiritur simultas moralis immediata materiam inter, & formam, adeo, ut hæ censeantur communi hominum judicio, modoque loquendi facere unum compositum Sacramentale. At in Sacramento Pœnitentiæ, quod perficitur per modum judicii, non requiritur tam immediata simultas; & multo minus in Sacramento Matrimonii, quod obtinet rationem contractus: prout videbimus, quando de utroque Sacramento in specie disseremus.

11. Dico secundo. Christus (1.) determinavit omnes materias, & formas Sacramentorum novæ Legis; non tamen omnes (2.) quoad speciem infimam, sed aliquas quoad speciem subalternam duntaxat, sive quoad genus. DD. communiter.

Probatur prima pars. Christus omnia Sacramenta novæ Legis instituit ex dictis *num.* 1. & juxta Concil. Trid. *cit. Sess. 7. can.* 1. Ergo etiam omnes eorum materias, & formas determinavit; cum Sacramenta instituere, sit determinare materias, & formas, quibus illa perficiuntur.

Probatur etiam secunda pars inductione. Sic enim in Baptismo determinavit ablutionem per aquam naturalem; in Confirmatione unctionem Chrismatis; in Eucharistia species vini de vite, & panis usualis; in Extrema Unctione unctionem per oleum consecratum: Quod est determinasse in his Sacramentis materias quoad speciem infimam. E diverso in Sacramento Pœnitentiæ præcise determinavit dolorem de peccatis, contritioni, & attritioni communem; in Sacramento Ordinis traditionem, vel usum cujuslibet signi ab Ecclesia assumpti ad exprimendam potestatem, quæ per Ordinem confertur; in Sacramento Matrimonii contractum legitimum &c. Atque hoc est in istis Sacramentis determinasse materias quoad speciem subalternam duntaxat, sive quoad genus. Porro etiam formarum Sacramentalium determinatio est inæqualis; nam in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, ac Extrema Unctione a Christo determinatæ sunt quoad speciem infimam; in Ordine autem, & Matrimonio quoad speciem subalternam, sive quoad genus tantum, minus, magisve late patens. Quæ omnia clarius elucescent ex dicendis de materiis, & formis singulorum Sacramentorum in particulari. Ex quibus

12. Colliges primo, non esse in potestate Ecclesiæ, materias, & formas, secundum quod a Christo pro Sacramentis institutæ sunt, immutare proxime, & directe. Patet ex Trid. *Sess.* 21. *capit.* 2. ubi definit, quod Ecclesia possit circa administrationem Sacramentorum aliquid immutare, *salva* tamen eorum *substantia*; ergo cum materiæ, & formæ conficiant substantiam Sacramentorum, illas immutare Ecclesia non poterit.

Dixi tamen? *proxime, & directe*, id est, directe tollendo, seu non retinendo materiæ aptitudinem, & formæ sensum Sacramentalem, a Christo intentum, ac inditum. Nam si ea aptitudo, & sensus retineatur, non supergreditur potestatem Ecclesiæ, etiam Sacramenti alicujus substantiam attingere, ac immutare; quæ tamen immutatio (ut jam memini) fiat remote, & indirecte tantum. Hoc tali modo immútavit materiam Sacramenti Matrimonii, dum ordinavit, ut contractus matrimonialis, sine Parocho, & testibus celebratus, sit invalidus: ubi non fecit, nec facere potuit, ut contractus validus non sit legitima materia Matrimonii (quod esset materiam proxime, & directe immutare) sed solum, ut contractus, absque præfata solemnitate initus, non sit validus, adeoque nec legitima materia Matrimonii.

13. Colliges secundo (& fluit ex dictis *n. præced.*) retinendas esse materias, & formas a Christo præscriptas, adeo, ut Sacramenti confectio sit irrita, si mutentur substantialiter; illicita vero, si mutentur accidentaliter tantum. Ceterum materia tunc censetur mutari substantialiter, quando juxta commune hominum judicium non convenit nomine, & ratione cum materia a Christo præscripta (vel per Ecclesiam determinata) forma vero, quando secundum communem usum non retinet sensum, a Christo per institutionem formæ intentum. Ita DD. universi. Ratio utriusque membri est quia sicut Christus instituit Sacramenta pro hominibus; ita etiam eorum materias, & formas ad usum hominum accommodavit: consequenter &c.

14. Colliges tertio, quod graviter contra Religionem, & peccato sacrilegii peccet, qui materiam, aut formam Sacramentalem substantialiter immutat: quia cum secundum dicta *num. præced.* Sacramentum irritet, gravem ei irreverentiam irrogat. Quod si accidentaliter immutet, etiam peccat (si id faciat advertenter, & extra casum extremæ necessitatis; ut limitat Michel *loc. cit. §. 3. n. 3. & 4.*) non tamen semper mortaliter, sed quandoque venialiter tantum ob exiguitatem mutationis. Mortaliter peccat, si notabiliter, etsi adhuc accidentaliter, immutet; ut si Sacerdos celebrans in consecratione calicis omittat verba formam essentialem immediate sequentia: *novi, & æterni testamenti &c.* si baptizans adhibeat aquam ex nive, vel glacie resolutam &c. Venialiter solum peccat, si non notabiliter immutet; ut si Sacerdos in forma consecrationis omittat particulam *enim*; baptizans pronomen *ego* &c.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes

SUMMARIUM.

15. *Onuphrius recte processit infantem, de salute periclitantem, sub conditione baptizando, adhibita cerevisia, cum præsto non esset aqua: qui tamen infans postea, itidem sub conditione, fuit rebaptizandus.* 16. *Onesimus valide (non tamen licite, per se loquendo) baptizavit infantes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ac intemeratæ Virginis.* 17. *Orestes illicite, & invalide egit, in forma consecratoria proferendo verba* Hoc est Corpus, *& post aliquot Pater, & Ave subjungendo* meum.

CASUS I.

15. *Onuphria, Hospitissa Landspergensis, partui vicinior, ac existimaverat, instituit cum Onuphrio marito suo peregrinationem ad S. Ædem Campolycianam pro impetrando felici successu puerperii. Sed vix dimidium itineris spatium emensa erat, peperit in via prolem masculam, citra sua, non tamen citra prolis vitæ periculum, utpote quæ jam jam videbatur animam agere. Onuphrius, ut prolis saltem spiritum salvaret, cerevisia, quam pro sua, suæque conjugis siti restringuenda secum portabat, illam adhibita legitima forma, eaque conditionata, baptizavit, cum aqua præsto non esset, ne quidem turbida. Quo facto, infans præter opinionem utriusque parentis melius habere cœpit, ut jam absque periculo mortis accersenda, aut acceleranda posset gestari Landspergam ad Parochum Loci, & Ecclesiam Parochialem. Quæritur 1. An Onuphrius recte processerit? 2. Quid agere incumbat Parocho?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus, quod Onuphrius recte processerit; imo peccasset graviter contra Charitatem, & Pietatem, si aliter processisset, id est, si baptizatione prolis ob defectum aquæ naturalis supersedisset: supposito, quod cerevisia fuerit tenuis. Ratio est: quia Onuphrius qua proximus ex Charitate, & qua parens etiam ex Pietate graviter obligabatur suæ proli de salute extreme periclitanti opem ferre saltem dubiam, cum non posset certam: prout decantatum est apud omnes Theologos; ergo ex utraque virtute graviter obligabatur illam baptizare cerevisia, quæ si sit tenuis, ex dicendis infra n. 95. est materia dubia Baptismi, cum non suppeteret aqua naturalis, quæ est materia certa; & per consequens sic baptizando recte, & virtuose processit, graviterque peccasset, si aliter processisset. Confirmatur. Lex Charitatis, & Pietatis certa prævalet præcepto Religionis de reverentia Sacramentis exhibenda, quando de irreverentia dubitatur, & conditio apposita irreverentiam præcavet: atqui ita contigit in Casu; ergo &c.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, quod Parocho incumbat parvulum sub conditione rebaptizare, adhibendo materiam certam. Ita concors DD. sententia. Ratio est: quia hoc ipso, quod prior Baptismus sit dubius, parvulus adhuc periclitatur de sua salute (ut nihil dicam de aliis incommodis, ac præjudiciis inde oriri natis) ergo adhuc juvandus est per collationem Baptismi certo validi. Quod autem utrobique Baptismus sit conferendus sub conditione, seu per conditionatam prolationem formæ, est; quia si forma proferretur absolute, exponeretur, periculo falsitatis, ipsumque adeo Sacramentum periculo nullitatis non sine grandi irreverentia: quod tamen totum præcavetur per formam conditionate prolatam. Nec dicas, non apparere, quomodo conditio adjecta irreverentiam aboleat seu anteveniat. Contra enim est, neg. assumpt. Nam rebaptizans sub conditione non intendit Sacramentum invalide conferre, aut iterare, sed conferre valide, si materia apta sit, & non conferre, si materia apta non sit (ut in Casu Onuphrius) aut vere conficere, si forte non sit vere confectum (ut in Casu Parochus) quali modo utique irreverentia, quæ alioquin Sacramento irrogaretur, antevertitur, & præcavetur.

CASUS II.

16. *Onesimus, pius Sacerdos, & cultui B. Virginis apprime deditus, frequenter baptizat infantes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac intemeratæ Virginis, ut eos sic Deipara singulares Clientes constituat, & vicissim B. Virginem iisdem peculiarem Patronam exoret. Quæritur, utrum Sacramentum sic collatum subsistat, & valeat?*

Respondetur affirmative. Dicastillo *tr. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. n. 159.* Herincx *part. 4. tr. 2. disp. 2. n. 19.* Elbel *de Sacram. in gen. n. 16.* & alii satis communiter, qui, sicut docent, Baptismum sub talibus verbis administratum non valere, si administrans velit, & significet, Deiparam æqualiter concurrere cum SS. Trinitate (sic enim substantialiter immutaret sensum formæ a Christo institutæ, quippe exigentem, ut ablutio fiat authoritate solius Trinitatis, non Quaternitatis) ita docent, idem Sacramentum valere, si administrans solum intendat intercessionis B. Virginis (sic enim forma per adjectionem illorum verborum non immutatur, nisi accidentaliter) atqui Onesimus non intendit æqualem concursum B. Virginis cum SS. Trinitate, sed ejus præcise cultum, & opem singularem: quemadmodum patet intuenti speciem facti; ergo &c.

Dices. Onesimus non habet voluntatem vere baptizandi, antequam ultima verba proferantur; ergo æque hæc, ac priora formam ingrediuntur. Confirmatur. Onesimus omnia verba eodem modo pronunciat; ergo eodem etiam modo authoritatem B. Virginis, atque authoritatem SS. Trinitatis significant: & per consequens &c.

Respon-

Respondetur ad argum. neg. ant. Nam Onesimus habet voluntatem vere baptizandi, antequam ultima verba proferat, hoc ipso, quod ista accidentaliter tantum adjiciat; ut dictum.

Ad confirmat. neg. itidem ant. Siquidem priora verba de SS. Trinitate tam ex intentione proferentis, quam juxta commune Christianorum audientium judicium pronunciantur ut substantialia; posteriora vero de B. Virgine ut accidentalia. Quare nec eodem modo significant, & operantur; sed priora, antequam posteriora proferantur, suum significatum perfecte obtinent, & causant.

Et hactenus de valore actionis ab Onesimo positæ. Liceitatem actionis quod attinet, censeo, per additionem ejusmodi verborum graviter delinqui (nisi simplicitas, & bona intentio factum cohonestet; veluti in Onesimo) partim quia talis additio minus conformis est institutioni Christi, volentis, Sacramentorum formas certis, & determinatis verbis proferri; partim quia repugnat communi usui, & præcepto Ecclesiæ, idque in re magni momenti.

CASUS III.

17. *Oresius Sacerdos, dum partem verborum consecrationis pronunciasset, scilicet:* Hoc est corpus, *antequam proferret:* meum, *distillatio quædam ex capite fluens repente fauces impediit, ut per tantum temporis spatium, quo quinquies Pater, & Ave recitarentur, tussi occupatus, quod supererat de forma, nempe* meum, *proferre non posset; prætulit tamen postea a vexatione tussis liberatus, quin priora verba repeteret. Egitne valide, & licite?*

Respondetur, quod nec licite, nec valide egerit. Ita Thomas Tamburinus *lib.* 1. *de Sacram. c.* 1. §. 1. *num.* 9. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 1. *n.* 44. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 1. *c.* 2. *n.* 93. Ratio est: quia tanta intercapedo temporis inter priora verba, & ly *meum* plane destruxerat sensum substantialem formæ consecratoriæ, cum vocula *meum* non potuerit censeri moraliter juncta prioribus verbis: *Hoc est corpus*, sed reliquerit illa in eo sensu, quem effecissent, si ipsa, nempe vocula *meum*, penitus omissa fuisset: atqui si Oresius voculam *meum* penitus omisisset, nec licite, nec valide egisset; ergo similiter &c. Quare Oresius in Casu, ut licite, & valide ageret, debuisset una cum vocula *meum*, priora quoque verba, adeoque totam formam repetere. Oppositum, ob oppositam rationem, dicendum foret, si Oresius post pronunciata verba: *Hoc est corpus*, semel tantum tussisset, aut in terram spuisset, & ly *meum* illico subjunxisset: prout advertunt Authores *citt.*

DISPUTATIO II.

De Ministro, Subjecto, & Effectibus Sacramentorum.

CAPUT I.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

18. *Assignatur Minister ordinarius Sacramentorum.* 19. *Solvitur objectio.* 20. *Adstruitur aliqua limitatio conclusionis.* 21. *Ad Sacramentum valide conficiendum requiritur aliqua intentio.* 22. *Qualis ea esse debeat?* 23. *Ad Sacramentum licite ministrandum exigitur sub mortali status gratia. idque* 24. *sive ministratio sit confectiva, sive tantum dispensativa Sacramenti.* 25. *& seqq. Deducuntur plura corollaria pro praxi.*

18. Dico primo. Minister ordinarius Sacramentorum (nempe minus principalis, & cum subordinatione ad Christum, seu Ministrum magis principalem) est solus homo viator. Ita omnes Orthodoxi. Probatur. Quia solus ille est Minister ordinarius Sacramentorum, quem Christus, Sacramentorum Institutor, pro tali designavit: sed designavit solum hominem viatorem; ergo &c. Min. ostenditur ex S. Script. Nam 1. *ad Cor.* inquit Apostolus: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. *ad Cor.* 3. *Qui idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.* Item *Matth. ult.* habetur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c. Joan.* 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c.* & *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba utique fuerant ad solos homines viatores directa. Suffragatur etiam ratio congruentiæ: quia conveniebat, ut Sacramenta, pro hominibus instituta, ministrarentur ab hominibus, signaque sensibilia ab iisdem, utpote ad sensibilia alligatis, applicarentur.

Dixi in conclus. *Minister ordinarius*, id est, talis, qui ex concessa sibi facultate potest qualibet data occasione, & opportunitate Sacramentum ministrare, quin nova, & speciali aliqua commissione, aut potestate indigeat. Nam Minister extraordinarius, id est, qui non nisi ex delegata authoritate, & speciali commissione Sacramentum ministret, potest a Deo institui Angelus, sive bonus, sive malus, uti & anima separata: id quod clare tradit Sanctus Augustinus *lib.* 2. *Cont. Epist. Parmen. cap.* 15. ubi ait, posse Deum largiri sanctitatem Baptismi vel per seipsum, vel per Angelum, vel per hominem sanctum, vel per hominem iniquum. Idipsum luculenter habet Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. Ratio est: quia sicut Deus non est alligatus ipsis Sacramentis, ita neque eorum Ministris ordinariis. Nec est repugnantia ex parte Angeli (vel animæ separatæ) cum possit formare intentionem debitam, applicare materiam debitam, in corpore assumpto proferre formam debitam, atque ita, consentiente Deo, verum perficere Sacramentum.

19. Objicies contra conclus. Apostoli, aliique Sacerdotes beati non amisere in patria characterem Sacerdotalem; ergo nec potestatem ordinariam conficiendi Eucharistiam, impendendi absolutionem a peccatis &c. quia character est signum talis potestatis.

Respondetur, dist. cons. Non amisere potestatem ordinariam remotam, con. proximam, neg. cons. Hanc quippe amisere, quando de statu viæ ad statum patriæ translati sunt. Unde pariformiter dist. rationem probativam. Character est signum illiusmodi potestatis ordinariæ vel remotæ, vel proximæ, con. semper proximæ, neg.

20. Colliges. Quamvis secundum hucusque dicta solus homo viator sit ordinarius Minister Sacramentorum, non tamen quilibet homo pollet potestate ministrandi quælibet Sacramenta, sed per se loquendo requiritur Ordo Presbyteralis, & ad aliqua etiam Episcopalis. Ratio est: quia collatio Sacramenti est actio sacra, quæ a Ministro consecrato (qualis hic censetur solus Presbyter, aut Episcopus) perfici petit. Exceptio est in Sacramentis Baptismi, & Matrimonii: in priore quidem, utpote quod ob suam summam necessitatem in defectu Ministri solemnis conferri etiam a laicis potest; in posteriore vero, utpote quod, cum innitatur contractui, & hujus naturam imitetur, ab ipsis contrahentibus perficitur, sibique mutuo ministratur: prout in propriis locis videbimus.

21. Dico secundo. Ut Minister Sacramentum valide conficiat, habeat, necesse est, aliquam intentionem, seu voluntatem illud conficiendi. Patet ex Concilio Florentino allegato *n.* 7. & Tridentino, quod *Sess.* 7. *can.* 11. *de Sacrm. in gen.* ita determinat: *Siquis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Ratio insuper est: quia conficiens, & ministrans Sacramenta agit ut Minister Christi; non potest autem aliquis agere ut Minister alterius, nisi saltem aliquo modo intendat facere, quod alter voluit, & vult suo nomine fieri; ergo &c. Accedit, quod alioquin actiones Sacramentales non essent actiones morales; ergo &c. Sed

22. Quæres, qualis esse debeat ea intentio Ministri?

Respondetur primo, quod debeat esse directa, & non sufficiat indirecta, seu interpretativa, quæ tunc datur, quando quis vult rem non in se, sed in sua causa, v. g. siquis prævidens, quod in ebrietate sit baptizaturus, ideo se inebriet, atque in eo statu baptizat. Ratio est: quia

confectio Sacramenti est actio objective saltem honesta; ergo debet directe esse volita, & intenta: id quod probatum, & declaratum habes *part.* 1. *n.* 607.

Dices. S. Augustinus *tr.* 5. *in Joan. sub finem* asserit, Baptismum, ab ebrio collatum, valere; ergo &c.

Respondetur cum Scoto *in* 4. *dist.* 6. *q.* 5. quod S. Augustinus per ebrium ibidem non intelligat actu talem, sed consuetudine, & qui ebrietati assuetus sit; velitque, malam ejusmodi consuetudinem non officere valori Baptismatis. Unde Platelius hic *n.* 85. testatur, in correctis exemplaribus legi ebriosum, non ebrium.

Respondetur ad quæsit. secundo. Non requiritur in Ministro ad conficiendum valide Sacramentum intentio formalis; habitualis non sufficit; sed requiritur in defectu formalis, & sufficit virtualis. Ratio est: quia primam semper habere est moraliter impossibile; secunda non potest determinare principium effectivum actionis Sacramentalis; potest vero tertia; veluti earum *part.* 2. *n.* 269. descriptas naturas perpendenti pervium erit; ergo &c.

Dices. Ad valide applicandom Missæ Sacrificiom sufficit in Sacerdote intentio habitualis; ergo etiam ad valide conficiendum Sacramentum.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia intentio, qua Sacerdos applicat Sacrificium Missæ, non tenet se ex parte alicujus principii effectivi, seu quo fructus Missæ efficiantur, sed solom ex parte principii applicativi, seu quo iidem fructus applicantur, & donantur: in donante autem ad effectum donationis sufficit intentio, seu voluntas habitualis; præsertim hic, ubi Deus tunc, quando intentio formalis elicitur, constituitur executor, Missamque acceptat in eum finem, in quem offertur. Ast intentio, qua Minister, dum Sacramentum conficit, instructus esse debet, tenet se ex parte principii effectivi, & istud ad ponendam actionem Sacramentalem determinat: quod, ut diximus, præstare intentio habitualis non potest.

Respondetur ad quæsit. tertio, Requiritur in Ministro ad conficiendum valide Sacramentum intentio absoluta, & non sufficit conditionata de futuro contingenti: excepto Sacramento Matrimonii. Ita DD. communiter. Ratio est: quia in primis Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Ordinis includunt formas consignificantes actionem aliquam physicam præsentem, puta ablutionem, signationem, transubstantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, inunctionem, ac traditionem instrumenti, vel impositionem manuum: quæ formæ falsificarentur, si eisdem adderetur conditio de futuro contingenti; ut patet. Deinde Christus pro Sacramento Pœnitentiæ non instituit processum judiciarium in communi (quo casu equidem absolutio conditionata sufficeret, sicut secundum dicenda sufficit ad Matrimonium consensus conditionatus) sed instituit, ac præscripsit determinatam formam judicii, & absolutionem per sententiam de præsenti, consequenter liberam a conditione suspensiva, seu de futuro contingenti: id quod nobis constat ex communi sensu, & praxi Ecclesiæ.

Dixi 1. *de futuro contingenti*. Nam si adjiciatur conditio de præterito, vel præsenti verificato, aut de futuro necessario, non obstet valori Sacramenti; eo quod intentio sic conditionalis æquivaleat absolutæ, statimque in absolutam transeat: prout relinquitur ex dictis *part.* 2. *n.* 415. Quamvis ejusmodi conditiones non apponantur licite, nisi id rationabilis causa exposcat: veluti dicetur de Sacramentis in specie.

Dixi 2. *excepto Sacramento Matrimonii*. Ratio exceptionis est: quoniam essentia Matrimonii consistit in contractu civili valido, quem Christus intrinsece non immutavit, quando eum ad Sacramenti dignitatem elevavit: cum igitur contractus civiles sub conditione de futuro contingenti valide celebrentur, idem tenendum erit de Matrimonio, ita tamen, ut rationem Sacramenti non sortiatur, nisi conditione purificata.

Respondetur ad quæsit. quarto. Intentio Ministri, ut hic valide Sacramentum conficiat, debet terminari ad materiam, & subjectum determinatum, non quidem (excepto regulariter Matrimonio) quatenus est talis materia, vel subjectum in individuo, sed quatenus est ministranti Sacramentum hic, & nunc præsens. Babenstuber *tractat.* 8. *part.* 1. *disputat.* 2. *articul.* 3. *n.* 16. & alii apud ipsum. Ratio est: quia formæ Sacramentales alioquin falsificarentur, utpote quæ materiam, & subjectum determinatum pro sui verificatione exposcunt propter particulas demonstrativas: *ego te*, *hoc est &c.* Ex quo fit, ut Confessarius valide v. g. absolvat Petrum, putans esse Paulum; aut marem putans esse feminam: quia censetur (supponitur enim velle agere prudenter, & licite) habere intentionem conferendi Sacramentum in illa materia, & illi personæ, quæ debite præsens est; sive dein sit Petrus, sive Paulus; sive mas, sive femina. Fit præterea, ut invalide agat Sacerdos, si ex pluribus hostiis velit unam indeterminate consecrare; vel plures aqua aspergendo unum, aut alterum ex iis indeterminate baptizare: quia in priore casu intentio consecrantis non fertur in determinatam materiam; & in posteriore casu intentio baptizantis non tendit in determinatam personam.

Dixi: *excepto regulariter Matrimonio*. Ratio hujus exceptionis est: quia Matrimonium continet individuam vitæ societatem, seu consuetudinem, adeoque plurimum interest nosse, cum quo, vel qua contrahatur: eapropter contrahentes ordinarie alligant (idque prudenter, & licite) intentionem suam ad tale determinatum individuum, v. g. Cajus ad Annam, Titius ad Susannam &c. Author præallegatus *n.* 19.

23. Dico tertio. Ut Minister, sive is ad Sacramenta ministranda ratione certi officii, & specialis consecrationis deputatus sit, sive non, Sacramentum aliquod licite, ac sine gravi peccato sacrilegii ministret, debet esse per se loquendo, in statu gratiæ. Si Minister ad ministranda Sacramenta sit antefato modo deputatus, conclusio admittitur a DD. communissime: si vero non ita sit deputatus, conclusio adhuc videtur verior, & traditur a Palao *disp. un. de Sacram. in communi*, *pun.* 5. *n.* 11. & aliis multis, quos refert, & sequitur La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 91. Quibuscum

Probatur conclusio universaliter hac ratione. Minister Sacramenti, sive ad hoc ministrandum sit specialiter consecratus, aut deputatus, sive non, dum ministrat Sacramentum, agit necessario in persona, & nomine Christi, utpote cui tanquam Ministro magis principali subordinatur; ergo in sanctitate, & munditia Christo se conformare obligatur; imo & ipsi Sacramento, quod situm est in actione maxime sancta; cui obligationi graviter contravenit, adeoque reatum gravis sacrilegi sibimet consciscit; quando cum immonditia peccati mortalis Sacramentum ministrat. Quare irreverentia gravis, in qua hic peccatum sacrilegii consistit, non provenit unice, aut principaliter a consecratione, aut deputatione Ministri ad Sacramentum ministrandum (prout autumant Adversarii) sed ex eo præsertim, quod ministrando Sacramentum indigne assumatur persona Christi, ejusque merita, Sacramentis specialiter communicata, dispensentur ab inimico: id quod etiam fit a Ministro non consecrato, aut deputato. Hoc bene perpenso facile solvitur, quod objici ab Adversaris potest.

Dixi in conclus. *per se loquendo*. Nam si occurrat repentina necessitas infantem v. g. baptizandi, alias decessurum sine Baptismo; absolvendi moribundum &c. ille baptizati, & iste absolvi licite poterit, ac debebit etiam a Ministro extra statum gratiæ posito: Jus quippe Divinum, & præceptum Charitatis in simili casu magis stringit, ac prævalet contra præceptum de Sacramentis licite ministrandis. Videatur La Croix *loc. cit. n.* 92.

24. Porro ad pleniorem conclusionis intelligentiam, & plurium conscientæ casuum resolutionem, observandum est, ad hoc, ut Minister Sacramenti, etiam extra casum necessitatis, graviter peccet, oportere, ut actio, quam ponit, sit factiva Sacramenti, vel saltem jam confecti distributiva; ita, ut si ejusmodi actio desit, peccatum grave in exercitio ministerii sacri non committatur. Hoc observato,

25. Colliges primo, baptizantem in statu disgratiæ peccare mortaliter, sive sit Sacerdos, sive Laicus: item sive Sacerdos Baptismum conferat solemniter, sive insolemniter. La Croix *loc. cit. n.* 93. & alii. Ratio est: quia in persona, & nomine Christi indigne conficit Sacramentum.

26. Colliges secundo, Sacerdotem, si in statu disgratiæ Missam celebret, evadere reum triplicis, imo probabi-

babilius quadruplicis peccati mortalis. La Croix *loc. & n. cit.* Ostenditur, & declaratur. Nam 1. mortaliter peccat, quatenus in eo statu Sacramentum conficit; prout liquet ex dictis. 2. Quatenus illud ministrat, nempe sibi, juxta probabiliorem sententiam, mox infra n. 29. adstruendam. 3. Quatenus sibi indigno ministrat; quia Sacramentum indigno ministrare, mortale est per se loquendo, secundum omnes. 4. Quatenus suscipit: veluti patebit ex dicendis infra *n.* 37. Satis tamen se explicat in confessione, si dicat, *celebravi Missam in statum disgratiæ*.

27. Colliges tertio, Sacerdotem, in statu disgratiæ audientem confessiones, peccare mortaliter; cum absolvendo conficiat Sacramentum: imo committere tot numero mortalia, quot in tali statu absolvit pœnitentes, etiamsi id faciat actu continuo successivo: veluti probatum ivimus *part. 1. n. 747.*

28. Colliges quarto, contrahentes Matrimonium in ratione Sacramenti peccare mortaliter non modo ut suscipientes Sacramentum, secundum dicenda *n.* 37. sed etiam ut ministrantes illud; quia indigne assumunt personam Christi, ejusque merita ut inimici dispensant. Palao ubi supra, & alii omnes, qui stant pro conclus. nostra. Idque verum est, quamvis contrahant per procuratorem; quia adhuc ipsi principaliter contrahunt, & Sacramentum ministrant, ac suscipiunt.

29. Colliges quinto, dispensare Eucharistiam in statu disgratiæ esse peccatum mortale. Ita verior sententia, quam tenent Silvester, Suarez, Valentia, Coninch, Sayrus, Bonacina, Filliucius, Reginaldus, Platelius, Herincx hic *disp.* 3. *n.* 53. & alii plures. Ratio est: quia dispensans Eucharistiam repræsentat personam Christi, ac ipsa dispensatio est proxime ordinata ad sanctificationem suscipienti conferendam, & quidem ex opere operato; ergo dispensat merita Christi, ejusque gratiam, & sanctitatem; consequenter ex hoc titulo obligatur graviter (sive sit Sacerdos, sive Diaconus) ministerium suum digne adimplere, memor dicti Apostolici *1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; sed jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Dices primo. Qui dispensat Eucharistiam, non conficit Sacramentum, sed confectum supponit; ergo non censetur Sacramenti Minister, in quo desideretur puritas ministrantium.

Respondetur, neg. cons. Nam Sacramentum Eucharistiæ, cum sit permanens, dupliciter administratur, nempe conficiendo, & dispensando; ergo non solum conficiens, sed etiam dispensans ejus Minister est, & puritate ministrantium effulgere debet. Comprobat idipsum communis loquendi modus; recte enim loquitur Sacerdos, si dicat, se Petro v. g. *ministrasse* Sacramentum Eucharistiæ, e ciborio depromptæ.

Dices secundo. Sacerdos, qui, in statu disgratiæ constitutus, S. Hostiam tangit, & ab uno altari ad aliud transportat, non delinquit mortaliter; ergo nec qui contrectat, & communicanti porrigit.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis contractus, aut transportatio S. Hostiæ non est dispensatio Corporis Christi, ejusque meritorum, & gratiæ; bene autem contactus, quo S. Hostia etiam communicanti porrigitur.

Dices tertio. Ergo si Sacerdos, in statu disgratiæ constitutus, quinque v. g. hominibus S. Eucharistiam dispenset, quinque mortalia committit, esto id faciat actu continuo successivo; sicut de sacramentaliter absolvente supra *n.* 27. decisum.

Respondetur, con. illatum, & parit. assumptam. Disparitas, quam nonnulli ex appositæ sententiæ Patronis dare nituntur, non est solida; veluti patebit pensanti dicta *part. 1. n. 747. in respons. ad 2. argum.*

30. Colliges sexto, Episcopum, si in statu disgratiæ consecret chrisma, & oleum infirmorum, non peccare mortaliter. Palao ubi supra *n.* 4. Herincx *loc. cit. n.* 54. La Croix *n.* 96. & alii contra Lugonem, & alios. Ratio est: quia consecrare chrisma, aut oleum pro infirmis non est conficere, aut dispensare Sacramentum; ergo in consecrante non requiritur sub gravi saltem obligatione status gratiæ, sicut in conficiente, aut dispensante Sacramentum. Similiter a mortali excusatur Episcopus, si in malo statu conferat primam Tonsuram: quia hæc juxta communem non est Sacramentum. Aliud dicendum, si in eo statu conferat Ordines. Ratio est opposita, siquidem juxta communem omnes Ordines, etiam Minores, rationem Sacramenti obtinent. Tandem, & a potiori, non peccat mortaliter Episcopus, si in malo statu consecret templum, altaria, calices, benedicat populo &c. siquidem hæc talia agendo nec conficit, nec distribuit Sacramentum &c. Authores *cit.*

Dices. Consecratio chrismatis, & olei pro infirmis ex Divina institutione proxime refertur ad Sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis; ergo consecrans peccat mortaliter, si in statu disgratiæ illa consecret.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Esto enim prædicta consecratio proxime & immediate ordinetur ad Sacramenta conficienda; non tamen est confectiva Sacramentorum, ut patet; nec dispensativa, quoniam non ordinatur proxime, & immediate ad sanctificationem suscipienti conferendam ex opere operato, sicut porrectio Hostiæ ex dictis *n. præced.* Unde consecrans chrisma, vel oleum infirmorum nulla ratione dici potest ministrare Sacramentum: consequenter &c.

Instabis. Episcopus ad consecrandum chrisma, oleum infirmorum, templa, altaria &c. specialiter est consecratus, ac deputatus; ergo si illa munia obeat in statu disgratiæ, mortaliter peccat.

Respondetur, neg. cons. Alias quippe etiam homo confirmatus peccaret mortaliter, si in statu disgratiæ publice, & coram tyranno profiteretur fidem, cum per Confirmationem detur illi potestas, & specialis gratia ad sic profitendum: quam tamen sequelam ipsi etiam Adversarii negant. Unde sola consecratio, aut deputatio ad ponendam aliquam actionem non infert continuo gravem obligationem ejusmodi actionis exercendæ in statu gratiæ; sed attendi vel maxime debet ipsius quoque actionis natura, & qualitas: prout liquet ex hucusque dictis.

31. Colliges septimo, Diaconum, & Subdiaconum, solemniter sua Officia in statu disgratiæ exercentes, probabilius non peccare mortaliter. Soto *in 4. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 1. Valentia *tom.* 4. *disp.* 9. *q.* 1. *pun.* 4. *ad* 4. Herincx ubi supra *n.* 55. & alii contra alios. Ratio est: quia prædicta officia non exercentur nomine Christi, nec eorum functio est moraliter actio Christi, nec dispensatio gratiæ sanctificantis, & meritorum Christi; ergo non apparet, quod sub reatu gravis culpæ contrahendæ tantam exigant reverentiam, quantam ministratio confectiva, aut distributiva Sacramentorum.

Dices. Videtur nostræ responsioni obstare textus *c. fin. de Tempor. ordinat.* ubi de Sacerdotibus, & aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii bonum conscientiæ rectæ perdiderunt, pronunciatur, quod, si eorum crimina in judicio probata, vel alias notoria non sint, moneri debeant, & sub interminatione Divini judicii obtestari, ut in testimonium suæ damnationis *in susceptis etiam Ordinibus non ministrent*; ergo &c.

Respondetur primo, allegatum textum, si accipiatur sine expositione, probare nimium: probat quippe (cum sonet simpliciter, & absque distinctionem loquatur de Clericis, & Ordinibus) etiam Minoristas peccaturos mortaliter, quando in statu disgratiæ sua munia obeunt: quod tamen ab ipsis quoque Adversariis tanquam nimis rigidum reprobatur.

Respondetur secundo, textum *cap.* exaudiendum esse cum diverso respectu, ut videlicet sub interminatione Divini judicii Sacerdotes sint obtestandi, ne in testimonium suæ damnationis in Ordine Presbyteratus per confectionem S. Eucharistiæ ministrent: ceteri vero inferiores Clerici monendi sint (non compellendi, quemadmodum habet Glossa *ibid. in verb. monendi*) ut abstineant ab exercitio suorum Ordinum; quoniam & isti irreverentiam aliquam committunt, exercentes Ordinem, tanquam Ministri Ecclesiæ sine ea munditia cordis, quam Ecclesia desiderat; quæ tamen irreverentia non probatur esse gravis, sed levis duntaxat.

CAPUT II.

Expediuntur, quæ concernunt Subjectum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

32. Solus homo viator est subjectum Sacramentorum: non tamen 33. quilibet cujuslibet Sacramenti capax est. 34. Ut adultus Sacramentum valide recipiat, debet habere positivam aliquam intentionem recipiendi. 35. Solvitur objectio, 36. Sufficit, saltem regulariter, si memorata intentio sit habitualis. 37. & seqq. Ad licite, & fructuose recipienda Sacramenta vivorum, non item mortuorum, requiritur in recipiente status gratiæ, mediante confessione, vel contritione recuperandus. 40. Quid agendum accessuro ad Sacramenta mortuorum recipienda?

32. Dico primo. Solus homo viator est subjectum Sacramentorum. Ratio liquet: quia Christus Sacramenta instituit ad gratiam, vel primo conferendam, vel augendam; cum ergo solus homo viator sit capax gratiæ conferendæ, vel augendæ, ipse solus erit subjectum capax Sacramentorum.

33. Colliges. Quamvis ex immediate dictis solus homo viator sit subjectum Sacramentorum, non tamen quilibet est capax cujuslibet Sacramenti. Nam in primis feminæ sunt incapaces Ordinis; prout videbimus *part. seq. tr. 1. disp. 2.* Deinde parvuli, seu infantes sunt incapaces Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii: quoniam Pœnitentia, & Extrema Unctio necessario præsupponunt peccatum personale, Matrimonium vero constituitur ex mutuo contrahentium consensu. Atqui in parvulis nec præcessit peccatum personale: neque dabilis est mutuus consensus; ergo &c.

34. Dico secundo. Ad Sacramentum valide recipiendum (saltem si hoc consistat in usu) requiritur in adultis positiva intentio illud recipiendi. S. Thomas *in 3. part. quæst. 68. art. 7. in C.* S. Bonaventura *in 4. dist. 4. art. 2. quæst. 1. ibid. dist. 4. quæst. 4.* & Theologi communiter. Ratio a priori est institutio Christi, quæ constat cum ex perpetua praxi Ecclesiæ, & nominatim ex Rituali Romano Pauli V. *de Baptismo adultor.* ubi prohibetur baptizari, qui, cum aliquando habuerit usum rationis, nullam, antequam inciderat in amentiam, ostendit voluntatem suscipiendi Baptismum: tum ex Concil. Arausicano I. quod *can. 12.* jubet Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ administrari subito obmutescenti, *si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habuerit*. Quod autem hic declaratum est de Baptismo, & Pœnitentia, id a fortiori extendendum est ad alia quoque Sacramenta, quæ non sunt tam necessaria ad salutem, ac Baptismus, & Pœnitentia. Accedit ratio congruentiæ, conclusionis probativa: quia per Sacramenta initiantur, & consecrantur homines obsequio Dei, ac observantiæ Legis; ergo convenit, ut illa suscipiant voluntarie, & cum intentione suscipiendi; cum plane non congruat, ut nolentes, vel saltem non volentes adsciscantur, eisque obtrudatur amicitia Divina, quæ per gratiam Sacramentalem initur, vel augetur.

Dixi in conclus. 1. *saltem si hoc consistat in usu:* ut exciperem respective Eucharistiam, quæ essentialiter consistit in esse permanenti, & existit ante omnem usum; atque ideo nullam in subjecto receptivo dispositionem essentialiter exigit: consequenter ejus essentia tota reperiri potest in homine etiam adulto, omni intentione recipiendi destituto, ab eoque valide recipi, saltem materialiter. Videantur Gobat *in Theol. Experiment. tr. 1. n. 247.* & Sporer *in Theol. Sacrament. part. 1. cap. 2. n. 144.*

Dixi 2. *in adultis:* quia parvuli, seu infantes (quibus æquiparantur perpetuo amentes) ad valide suscipienda Sacramenta, quorum ceteroquin (saltem absolute loquendo) sunt capaces, non inhabilitantur ex defectu intentionis; uti de Baptismo parvulorum definitum est in Conc. Trid. *sess. 7. can. 13.* de Confirmatione, & Eucharistia constat ex praxi primitivæ Ecclesiæ, in qua conferebantur etiam infantibus baptizatis; de Ordine autem dicemus *part. seq. tr. 1. disp. 2.*

Dixi 3. *positiva intentio*, ut indigitarem, non sufficere meram carentiam intentionis contrariæ; quemadmodum docuisse perhibetur Cajetanus. Sed contra hoc, & contra conclusionem

35. Objicies. Pontifex *in c. 3. de Baptismo* pronunciat, Sacramentum Baptismi valere, si obicem contrariæ voluntatis non invenerit obsistentem; ergo ad validam susceptionem Baptismi non requiritur positiva intentio illum suscipiendi, sed sufficit carentia intentionis contrariæ. Porro *in eod. cap.* validus declaratur Baptismus, invito, & coacto, imo etiam ficte suscipienti collatus; ergo non tantum carentia intentionis contrariæ, sed etiam positivus suscipientis dissensus nullum validæ Baptismi susceptioni obicem ponit.

Respondetur, Pontificem in *cit. cap.* quam exactissime distinguere inter suscipientem coactum, seu simpliciter invitum, & inter suscipientem gravi metu adactum, adeoque secundum quid duntaxat invitum; ac velle, Baptismum priori collatum non valere, valere autem collatum posteriori: quia prior nulla ratione consentit in susceptionem Baptismi, cum coactio consensum voluntarium simpliciter tollat (ex dictis *part. 1. n. 590.* posterior autem consentit, cum metus etiam gravis non impediat consensum simpliciter voluntarium, esto eundem reddat involuntarium secundum quid (ex dictis *part. 1. n. 596.*) consequenter &c. Porro ex pronunciato ejusdem Pontificis, valide Baptismum suscipit, non qui mentitur, ac fingit voluntatem suscipiendi, quam reipsa non habet, sed qui caret dispositione ad fructuose suscipiendum Baptismum necessaria, de qua *in conclus. seq.* Hic vero

36. Quæres, qualis esse debeat intentio in suscipiente Sacramentum?

Respondetur. Non necessario debet esse formalis, aut virtualis, sed sufficit regulariter habitualis. Sumitur ex Rituali Romano de Baptismo, cujus tenorem retulimus *n. 34.* & communissimo Doctorum sensu. Nec obstat, quod in ministrante Sacramenta non sufficiat intentio habitualis. Disparitas quippe est, quod ministrans Sacramentum debeat influere in actiones Sacramentales, dum ponuntur, ut ponantur nomine Christi: id autem fieri non potest per intentionem habitualem, utpote quæ nec in se, nec in aliquo sui tunc amplius existit, quando ponuntur actiones Sacramentales. At suscipiens Sacramenta non influit in actiones Sacramentales, sed modo mere passivo se habet: consequenter &c.

Dixi in respons. *regulariter*. Excipiendum nanque respective est Sacramentum Matrimonii: esto enim etiam ad hoc valide suscipiendum sufficiat intentio habitualis, quando conficitur, & suscipitur inter absentes, puta per Procuratorem, aut literas: non tamen sufficit, quando conficitur, & suscipitur inter præsentes: prout suo loco patebit.

37. Dico tertio. Ad licite, & fructuose suscipienda Sacramenta vivorum requiritur in suscipiente status gratiæ: non item in suscipiente Sacramenta mortuorum. Ratio primi est: quia Sacramenta vivorum per se conferunt secundam gratiam, seu augmentum gratiæ; ergo primam gratiam in suscipiente præsupponunt: & consequenter statum gratiæ, Ratio secundi est opposita: quia Sacramenta mortuorum ex sua institutione habent, ut conferant primam gratiam; ergo eam non præexigunt, aut præsupponunt in suscipiente: & per consequens nec statum gratiæ.

38. Quæres primo, quid accessuro ad recipienda Sacramenta vivorum sit agendum, ut se reponat in statum gratiæ, antequam illa recipiat?

Respondetur, quod teneatur vel confiteri, vel saltem elicere perfectam contritionem. Ratio est: quia status gratiæ ab homine baptizato, peccati mortalis reo, recuperari aliter non potest, quam per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto susceptum, id est, vel per realem Sacramenti Pœnitentiæ applicationem, vel per intentionalem, in actu perfectæ contritionis involutam; cum hoc Sacramentum solum sit, & dicatur *secunda post naufragium tabula*; ergo &c. Sed

39. Petes, an tali peccatori liberum sit vel confiteri, vel conteri, antequam ad Sacramenta vivorum recipienda accedat?

Respondetur, esse liberum, excepto Sacramento Eucharistiæ. Ratio est: quia circa receptionem aliorum

Sacra-

Sacramentorum nullum extat præceptum sive Divinum, sive humanum, quod determinate exigat confessionem, seu Sacramentum Pœnitentiæ reipsa susceptum: extat vero utrunque circa receptionem Sacramenti Eucharistici; Divinum quidem 1. *Cor.* 11. ubi Apostolus inquit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* humanum vero in Concil. Trid. quod *sess.* 13. *cap.* 7. expresse præcipit, ut nullus, peccato lethali contaminatus, ad S. Synaxin accedere præsumat sine Sacramentali confessione præmissa, licet sibi contritus videatur.

40. Quæres secundo, quid agere debeat, qui, peccato mortali personali gravatus, accedit ad recipienda Sacramenta mortuorum (Baptismum nempe, & Pœnitentiam) ut per ea statum gratiæ consequatur, vel recuperet?

Respondetur, quod debeat elicere saltem veram attritionem, qua retractetur peccatum. Ratio est: siquidem juxta modernam Dei providentiam illiusmodi peccatum non remittitur absque retractatione; docet enim ut peccator, qui peccando se voluntarie a Deo avertit, non recipiatur in gratiam, nisi per retractationem peccati commissi se ad Deum convertat. Porro vera attritio necessario præsupponit actum Fidei, & Spei Theologicæ, prout ostensum manet *part.* 2. *n.* 87.

CAPUT III.

Expediuntur, quæ concernunt Effectus Sacramentorum.

Cum istud Caput plures, & varias complectatur quæstiones, dispescendum est in articulos, quo clarius in decidendis quæstionibus procedatur. Sit igitur

ARTICULUS I.

Quot sint Effectus Sacramentorum?

SUMMARIUM.

41. *Effectus Sacramentorum statui possunt tres, vel duo.* 42. *& seq. Describitur gratia tam habitualis, quam actualis; & assignatur utriusque differentia a gratia gratis data.* 44. *Quid sit Character Sacramentalis?*

41. Dico. Effectus Sacramentorum statui possunt juxta diversam considerationem tres, vel tantum duo.

Explicatur. Nam gratia habitualis, quæ per singula Sacramenta causatur, si spectetur secundum se, est unus effectus Sacramentorum, isque genericus, & primarius: auxilia actualia (vel jus ad illa) quæ pariter per singula Sacramenta causantur, sunt effectus specificus, itidem primarius: character denique, qui per sola Sacramenta initerabilia causatur, & animæ suscipientis imprimitur, est effectus secundarius, & particularis dictorum Sacramentorum; ergo juxta talem considerationem recte statuuntur tres affectus Sacramentorum. Quod si gratia habitualis spectetur una cum prædictis auxiliis actualibus (vel jure ad ea accipienda) constat unum effectum adæquatum omnium Sacramentorum, qui est, & dicitur *gratia Sacramentalis*; ergo juxta hanc considerationem, & acceptionem recte statuuntur duo effectus Sacramentorum, videlicet gratia Sacramentalis, & character. Revide, quæ habentur superius *a.* 6.

42. Ceterum gratia habitualis, seu sanctificans est *habitus supernaturalis per se infusus animæ, quo homo formaliter justus, Deo gratus, meritique de condigno capax efficitur.* Dividitur in *primam*, & *secundam*. Gratia prima est ipsa causa formalis primæ justificationis, qua *homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus Dei.* Gratia secunda est *acceptæ justificationis incrementum, quo justificati in ipsa justitia per Christi gratiam accepta crescunt, atque magis justificantur*, juxta illud *Apocal. ult. Qui justus est, justificetur adhuc.*

43. Gratia actualis est *motio, vel influxus Dei specialis, & gratuitus, transeunter movens, & adjuvans hominem ad actus supernaturales congrue, vel condigne meritorios exercendos.* Estque duplex, videlicet *præveniens*, & *adjuvans*. Prior antecedit actum hominis supernaturalem, prioritate naturæ saltem, quam proinde abjicere potest; neque tamen sine illa se ad justitiam libera voluntate movere potest: veluti perhibet Trid. *Sess.* 6. *cap* 5. Posterior homini actualiter operanti cooperatur: ejusque admonemur a Domino *Apoc.* 3. dicente: *Ego sto ad ostium, & pulso: siquis aperuerit mihi, intrabo ad eum.*

Tam gratia habitualis, quam actualis sunt, & dicuntur *gratiæ gratum facientes*; quia principaliter ad salutem propriam recipientis conceduntur: cum e diverso *gratiæ gratis datæ*, ut gratia miraculorum, gratia prophetiæ &c. principaliter ordinentur ad salutem aliorum.

44. Character denique est *qualitas spiritualis supernaturalis, & immobilis in perceptione Sacramenti initerabilis impressa homini, per quam in Ecclesia Christi certum gradum, quo ab aliis discernitur, obtinet, potestatemque spiritualem ad Divina suscipienda, & peragenda accipit.* De Charactere adhuc aliqua specialia dicemus infra *artic.* 3. De gratia habituali vero, & actuali, sive de gratia Sacramentali, prout ex iis, per Sacramenta causatis, coalescit, *art.* 2. jam jam ponendo, agendum est.

ARTICULUS II.

Deciduntur quæstiones concernentes Gratiam Sacramentalem.

SUMMARIUM.

45. *Gratia Sacramentalis statim confertur, quando Sacramentum in ratione signi essentialiter completur &c.* 46. *Solvitur objectio.* 47. *& 48. Causatur præterea ex opere operato.* 49. *Solvitur objectio.* 50. *Causatur item infallibiliter: sed* 51. *&* 52. *instrumentaliter moraliter tantum.* 53. *& seqq. Diluuntur argumenta opposita.* 56. *Sacramenta ejusdem speciei in subjectis æqualiter dispositis æqualem; in inæqualiter dispositis inæqualem gratiam producunt.* 57. *& seqq. Satisfit objectionibus.* 62. *& seqq. Deducuntur corollaria.* 65. *Sacramenta mortuorum per accidens quandoque secundam; & vivorum quandoque primam gratiam conferunt.*

Quæstiones, circa Gratiam Sacramentalem decidendæ, sunt sequentes. Prima est, quo tempore per Sacramenta causetur? Secunda, an ex opere operato? Tertia, an physice, vel moraliter? Quarta, an conferatur æqualis subjectis æqualiter, & inæqualis inæqualiter dispositis? Quinta, an per Sacramenta mortuorum quandoque conferatur gratia secunda, & per Sacramenta vivorum gratia prima? Ut ordinarie his quæstionibus satisfiat,

45. Dico primo. Gratia Sacramentalis statim confertur, quando Sacramentum in ratione signi essentialiter completur; nisi suscipiens ponat obicem.

Probatur: quia Sacramenta causant gratiam significando; ergo ut primum eam complete significant, etiam causant. Sed complete significant, quando in ratione signi essentialiter complentur; ergo &c.

Dixi: *nisi suscipiens ponat obicem*, non quidem valori Sacramenti, sed affectui primario ejusdem, qualis est gratia Sacramentalis; ut si suscipiens Sacramentum non sit dispositus, vel etiam positive indispositus ad prædictum ejus effectum, esto afferat necessariam dispositionem ad illius valorem: tali quippe casu Sacramentum frustratur suo effectu, diciturque *informe*, quamvis non frustretur valore; ut patet. An autem Sacramentum ita susceptum postea remoto obice reviviscat, dicemus, infra *numer.* 85. Hic vero contra conclusionem.

46. Objicies. Gratiæ actuales singulorum Sacramentorum propriæ, constituentes effectum specificum primarium Sacramentorum, non semper conferuntur statim, atque Sacramenta in ratione signi essentialiter complentur, sed quandoque primum tunc, quando suscipientes illis specialiter indigent; quemadmodum tenet communis DD. ergo nec gratia Sacramentalis statim conferetur, utpote quæ ex memoratis gratiis actualibus, & gratia habituali constatur.

Respondetur, dist. ant. Gratiæ actuales, in se spectatæ, non semper conferuntur statim, con. spectatæ in jure, vi cujus cum tempore suo conferendæ, neg. ant.

ant. & conf. Ad rationem probativam ajo, gratiam Sacramentalem conflari ex gratia habituali, & gratiis actualibus posteriori præcipue modo spectatis, vel (quod in idem recidit) ex gratia habituali. & jure ad gratias actuales accipiendas. Revide *n.6. &c. n.41.*

47. Dico secundo. Gratia Sacramentalis causatur per Sacramenta ex opere operato.

48. Antequam conclusio probetur, sciendum est, gratiam conferri per Sacramenta ex *opere operato* aliud non esse, quam eam conferri ex vi ipsius actionis Sacramentalis positæ, & a Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis. Sic etsi nullum meritum reperiatur in infante baptizato, & Sacerdos baptizans forte existat in statu disgratiæ, ut adeo magis demereatur, quam mereatur baptizando; nihilominus posita ablutione cum invocatione SS. Trinitatis, confertur infanti gratia. E diverso conferri gratiam *ex opere operantis* est eam conferre præcise ex merito agentis, vel suscipientis, & cum commensuratione ad tale meritum. Nunc

Probatur conclusio, tum ex Conc. Trid. quod *Sess. 7. de Sacram. in gen. can.8.* ita determinat: *Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam---- anathema sit.* Tum ex ratione: quia gratiam conferri per Sacramenta est eam conferri ex vi ipsius actionis Sacramentalis positæ, & a Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis, vel suscipientis; ut liquet in exemplo infantis baptizati proxime allato: sed hoc est conferri ex opere operato, velut immediate dictum; ergo &c.

49. Objicies. Si per Sacramenta causetur gratia ex opere operato, sequitur, ad eam causandam non esse necessarium opus operantis: sed hoc est falsum; cum utique (ut ab aliis requisitis abstraham) sit necessaria intentio tam ministrantis Sacramenta, quam suscipientis, ex dictis; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Quamvis enim causalitas ex opere operato excludat opus operantis ut rationem meritorie causandi gratiam per Sacramenta conferendam, non tamen illud excludit ut necessariam dispositionem in ministrante Sacramenta, vel etiam in suscipiente, si hic adultus, & rationis compos sit, sine qua nullum Sacramentum producere effectum gratiæ valet.

Dices. Quod confertur ex meritis, non confertur ex opere operato: sed gratia Sacramentalis confertur ex meritis, nempe Christi, prout ipsimet fatentur; ergo &c.

Respondetur, majorem solummodo veram esse cum restrictione ad merita ministrantis, & suscipientis Sacramenta. Itaque Ecclesia, dum dicit, gratiam ex opere operato conferri per Sacramenta, non excludit infinitum meritorum Christi thesaurum (nam ab hoc dimanare & eorum institutionem, & virtutem sanctificandi, ubivis inculcat) sed solum excludit respectum ad meritum ministrantis, & suscipientis Sacramentum, & vult, ab eo gratiam Sacramentalem esse independentem eatenus, quatenus hoc ipso, quod opus Sacramentale juxta Christi institutionem sit peractum, illa confertur, modo ex parte suscipientis nullum inveniat obicem.

50. Colliges, gratiam, quæ per Sacramenta confertur ex opere operato, conferri infallibiliter, quando ex parte subjecti recipientis nullus opponitur obex. Ratio est: quia Sacramenta in causando gratiam ex operato imitantur modum causandi, quem exercent causæ naturales; prout dicemus infra *n.85.* sed causæ naturales causant suos effectus infallibiliter, si in passo, seu subjecto nullus existat obex; ergo &c. Porro obex relate ad Sacramenta mortuorum (Baptismi nempe, ac Pœnitentiæ) est peccatum mortale non retractatum saltem per attritionem; relate vero ad Sacramenta vivorum (qualia sunt cetera quinque) omne peccatum mortale necdum remissum. Colligitur ex dictis *n.38. & seqq.*

51. Dico tertio. Gratia Sacramentalis causatur per Sacramenta tanquam per causas instrumentales morales, non physicas. Ita S. Bonaventura *in 4. dist. 1. art. 1. q.4.* Scotus *in 4. dist. 1. q.5.* & Scotistæ communiter, quibus adstipulantur Vasquez, Coninch, Palao, Laymann, Hannoldus, Augustinus Michel &c. contra plerosque Thomistas.

52. Antequam vero probetur conclusio, supponendum tanquam certum apud omnes Orthodoxos, gratiam Sacramentalem causari per Sacramenta tanquam per causas instrumentales, prout in conclusione indicavimus. Sic quippe definit Conc. Trid. *Sess.6. cap.7.* ubi omnes causas primæ justificationis enumerans inquit: *Hujus justificationis causa sunt; finalis quidem, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna; efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat--- meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus -- instrumentalis item, Sacramentum Baptismi -- demum unica formalis causa est justitia Dei &c.* Hoc supposito tanquam certo, conclusio, in quantum suos habet Adversarios.

Probatur primo in hunc modum. Omnia Sacramenta (sola Eucharistia excepta) tunc producunt gratiam, quando physice non amplius sunt; sed quod physice non amplius est, physice etiam operari non potest: cum operari supponat esse; ergo &c. Maj. ostenditur. Quia Sacramenta in usu consistentia (qualia sunt omnia præter Eucharistiam) tunc producunt gratiam, quando secundum essentialem materiam, & formam sunt completa: sed tunc physice non amplius sunt; ergo &c. Min. probatur: siquidem res successiva secundum quamlibet sui partem simul, ac est, esse desinit, prout docetur in Philosophia: sed omnia Sacramenta (præter Eucharistiam) consistunt in re successiva, & fluxa, nempe in actione aliqua transeunte; ergo quando sunt completa, secundum nullam sui partem amplius existunt.

Probatur secundo. Sacramenta causant gratiam, quatenus formaliter Sacramenta sunt, hoc est, quatenus sunt signa ad placitum ex institutione Christi (hinc enim dicuntur signa efficacia) atqui quatenus ejusmodi signa sunt, non sunt quid physicum, sed morale; ergo nec physice causant gratiam, sed moraliter tantum: quoniam modus operandi sequitur modum essendi.

Probatur tertio. Ipsa Passio, & merita Christi (quibus utique major tribuenda est efficacia respectu gratiæ causandæ, quam Sacramentis) non causant, saltem de facto, gratiam, nisi moraliter; ergo nec Sacramenta eam aliter causant. Conf. tenet velut a fortiori. Ant. prob. Tum ex Trid. supra, ubi Christus Dominus dicitur causa meritoria, adeoque moralis, nostræ justificationis: tum quia Passio, & merita Christi de facto physice non amplius existunt. Nec refert, quod physice existat eorum subjectum, nempe humanitas Christi, Non, inquam, refert; nam in primis etiam de ipsa humanitate Christi incertum est, sitne causa instrumentalis physica respectu gratiæ, vel moralis? imo hoc ultimum videtur clare indicari in Trid. ubi appellatur causa meritoria. Deinde nulla qualitas, vel forma substantialis desinens physice existere, potest physice agere ob permanentiam sui subjecti, alias calor heri a sole hic productus, sed jam corruptus, ratione aeris permanentis me modo calefaceret: quod pugnat contra experientiam, & veritatem, prout recte arguit P. Cherubinus Mayr *in Prolog. sui Ordinis Hierarchici n.68. pag. 58.*

53. Objicies primo, Textus S. Scripturæ varii habent, quod Sacramenta, præsertim Baptismus, mundent animam, sicut aqua naturalis corpus; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, S. Script. per ejusmodi textus, & locutiones metaphoricas aliud haud velle, quam quod Baptismus v. g. æque infallibiliter per collationem gratiæ spiritualiter mundet animam, ac aqua naturalis per ablutionem corporaliter mundat corpus; quod verissimum est, quamvis Baptismo, & aliis Sacramentis sola causalitas moralis tribuatur. Opponi Adversariis potest illud quod *Eccles. 3.* habetur: *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis:* ubi denotatur causalitas eleemosynæ relate ad vitanda, aut delenda peccata, quæ tamen mere moralis est, non vero physica, ut causalitas aquæ extinguentis ignem.

54. Objicies secundo. S. Augustinus *tr 8. in Joan.* aliique SS. PP. vim Sacramentorum mirantur; ergo censent esse physicam, non moralem tantum. Porro idem S. Augustinus, & Tertullianus dicunt, Sacramenta operari *per virtutem intrinsecam rare subtiliorem, & combibitam,* ergo &c.

Respon-

Respondetur, & quidem ad primum, neg. conf. Ad ant. ajo, quod SS. Patres merito mirentur vim Sacramentorum, utpote quæ cum sint res sensibiles, gratiam spiritualem, ac supernaturalem infallibiliter operantur; & licet id præstent moraliter solum, ex hoc ipso tamen tamen capite vis eorum mirabilis est, cum utique miratu dignum sit, quod Deus rebus adeo vilibus, & infirmis suam potentiam, & Christi merita lege infallibili addixerit, ut eorundem intuitu conferat præstantissimum beneficium gratiæ. Ad alterum dico, quod virtus operandi, quam habent Sacramenta, appelletur *intrinseca, & combibita*, quia causant gratiam sine respectu ad meritum ministri, & suscipientis; *rore subtilior* vero, quia causant effectum omnino spiritualem.

55. Objicies tertio. Ex nostra sententia sequitur, Sacramenta in modo causandi non differre a signis magicis; quia sicut Deus positis Sacramentis producit effectus Sacramentales, ita dæmon positis signis magicis producit effectus magicos: sequela autem est prorsus absurda; ergo &c.

Respondetur, dist. seq. maj. In modo causandi generaliter spectato, quatenus tam Sacramenta, quam signa magica moraliter tantum causant, transeat. secus, neg. seq. Non est absurdum, quod signa magica (a diabolo, Dei ubique simia, instituta) in generali modo causandi moraliter conveniant cum Sacramentis; & sufficit, quod aliæ inter utraque dentur differentiæ, ut plures dantur: nam institutio signorum magicorum est impia, & deberet tam a dæmone instituente, quam ab homine acceptante rescindi. Eorum item significatio fallibilis est, & impedibilis; sæpe enim dæmon fallit, & fallitur, nec raro per spiritualia remedia impeditur. Denique signa magica non significant, nec efficiunt quidquam, quod reipsa totas naturæ vires excedat. Quæ omnia in Sacramentis contra accidunt: prout ex hucusque dictis palam est.

56. Dico quarto. Per Sacramenta ejusdem speciei (1) in subjectis æqualiter dispositis producitur gratia æqualis; inæqualis vero (2) in subjectis inæqualiter dispositis. Communis.

Probatur utraque pars primo ex Trident. quod *Sess. 6. cap. 7.* loquens de Justificatione adultorum docet, a baptizatis *recipi justitiam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*; ergo si accedentes ad suscipiendum Baptismum afferant dispositionem æqualem, recipient æqualem gratiam; inæqualem vero, si afferant dispositionem inæqualem. Quod autem hic determinatum est de Baptismo, de aliis quoque Sacramentis intelligendum venit ob paritatem rationis.

Neque dicas, in positivis non valere argumentum a rationis paritate depromptum, nisi in ordine ad vitandum aliquod absurdum: atqui impræsentiarum nihil absurdi sequitur, tametsi id, quod a Trid. tribuitur Baptismo, denegetur ceteris Sacramentis; ergo &c.

Contra enim est, neg. min. Sequitur enim, cetera Sacramenta esse in statu violento, quatenus non sinerentur agere modo proprio causis naturalibus, seu necessariis, ad quarum tamen modum instituta sunt, non minus, ac Baptismus. Unde

Probatur conclusio secundo hac ratione. Deus instituit Sacramenta, ut modo determinato, & adinstar causarum naturalium, causent effectum gratiæ: prout decantatum est apud Theologos; ergo sicut causæ naturales in subjectis æqualiter dispositis producunt effectum æqualem, & in inæqualiter dispositis inæqualem; ita etiam Sacramenta.

Dixi in conclus. *Per Sacramenta ejusdem speciei.* Nam Sacramenta diversæ speciei subjectis etiam æqualiter dispositis ex se nata sunt conferre gratiam inæqualem. Ratio est: quia natura Sacramentorum consistit in virtute practice significativa, & collativa gratiæ; ergo hoc ipso, quod inter se specie sint diversa, & perfectione inæqualia (prout esse dogmatizat Trid. *Sess. 7. de Sacram. in gen. can. 3.*) obtinent inæqualem virtutem, & efficaciam ad conferendam gratiam majorem, vel minorem &c.

57. Objicies jam contra secundam partem conclus. primo. Sacramenta non conferunt inæqualem gratiam propter inæqualem dispositionem ministri; ergo neque propter inæqualem dispositionem subjecti. Conf. prob. Quia magis dependent a ministro, quam a subjecto.

Respondetur, neg. conf. Et rationem probativam dist. Magis dependent a ministro in suo fieri: seu in essendo, con. in operando, neg. Sic enim dependent a subjecto, ejusque dispositione; fere sicut ignis B. in fieri dependet ab igne A, in operando autem, & modo operandi a subjecto magis, minusve approximato, atque disposito.

58. Objicies secundo. Sacramenta operantur, quantum possunt, cum operentur adinstar causarum naturalium, ac necessariarum; ergo semper causant effectum æqualiter intensum: consequenter &c.

Respondetur primo retorq. argum. Ignis operatur, quantum potest, cum sit causa naturalis; ergo semper producit effectum æqualiter intensum; ergo si æqualiter sit approximatus duobus lignis, quorum unum siccum, & alterum humidum, non producet plures gradus caloris in uno, ac in altero ligno: id quod nemo dixerit.

Respondetur secundo directe, dist. ant. Sacramenta operantur, quantum possunt, cum habitudine tamen ad dispositionem subjecti, con. sine tali habitudine, neg. ant. & cons.

Dices. Sacramenta tantum causant, quantum significant: sed Sacramenta ejosdem speciei semper significant æqualem gratiam; ergo etiam æqualem semper causant, & conferunt.

Respondetur, neg. min. Hoc ipso enim, quod Sacramenta significent ut causæ morales gratiæ, significant gratiam conferendam juxta dispositionem suscipientis majorem, vel minorem; cui proinde dispositioni sicut in causando, ita & in significando memoratum effectum, se attemperant.

59. Objicies tertio. Sacramenta omnem suum valorem habent ex meritis Christi; ergo eorum valor (& consequenter etiam efficaciam in ordine ad causandam gratiam) semper est æqualis, quemadmodum æqualis est valor meritorum Christi, quippe infinitus.

Respondetur, valorem meritorum Christi esse quidem infinitum (intrinsece, vel extrinsece, juxta diversas Scholasticorum sententias) in actu primo, non autem in actu secundo; hinc in actu secundo per Sacramenta non applicantur æqualiter, sed inæqualiter, secundum inæqualem dispositionem subjecti, cui applicantur: consequenter &c.

60. Objicies quarto. Qui ante Baptismum plura commisit peccata, per ejus susceptionem non acquirit minorem gratiam, quam qui commisit pauciora: sed isti videntur inæqualiter dispositi; ergo inæqualiter dispositis Sacramentum confert æqualem gratiam.

Respondetur, con. maj. si cetera sint paria, & dist. min. Sunt inæqualiter dispositi positive, considerando nempe devotionem in receptione, neg. min. hæc enim in utroque supponitur hic esse æqualis. Sunt inæqualiter dispositi negative, considerando præviom statum peccatorum, con. min. & sub pari distinctione con. ac neg. cons. Quævis gratia sanctificans, etiam in minimo gradu, delet omnia peccata mortalia; & sic quoad hunc effectum æqualiter operatur Baptismus: quoniam obstantia plurium, vel pauciorum peccatorum, quam intelligimus nomine dispositionis negativæ, est par, sic nihil facit ad rem: facit autem ad rem dispositio dispar positiva, utpote quæ subjectum diversimode applicat, & aptat ad recipiendam per Sacramenta gratiam.

61. Objicies quinto. Si conferretur major gratia ob meliorem dispositionem subjecti, excessus ille non daretur ex opere operato, sed ex opere operantis, seu ipsius suscipientis: atqui Sacramenta causant effectum gratiæ ex opere operato; ergo &c. Prob. maj. Quia melior illa dispositio plerumque consistit in actibus suscipientis Sacramentum.

Respondetur, neg. maj. Nam solum Sacramentum est moralis causa ex opere operato illius excessus; melior autem dispositio subjecti solum se habet ut prævia conditio, sine qua Sacramentum non causaret ex opere operato memoratum gratiæ excessum: quemadmodum si lapis, & vitrum æqualiter distent a sole, vitrum, utpote magis dispositum, magis illuminatur,

quin

quin tamen major dispositio sit causa illius illuminationis, quippe quæ tota efficitur ab activa virtute solis, dispositione vitri se habente per modum conditionis duntaxat.

Ut hæc responsio penitius capiatur, nosse oportet dispositionem recipientis Sacramentum sub duplici schemate considerari posse. 1. Considerari potest, ut virtus meritoria, per quam intendatur majus præmium; & sub hac consideratione, quando procedit ab homine justo, correspondet eidem ex opere operantis loco præmii singulare suum augmentum gratiæ. 2. Considerari potest, prout est major reverentia exhibita Sacramento, redundans in Authorem Sacramentorum Christum; & sic non consideratur secundum virtutem suam meritoriam, sed præcise ut dispositio, & conditio, ad quam positam Sacramentum causare possit effectum suum ex opere operato: sub qua posita consideratione nullus illi correspondet effectus gratiæ ex opere operantis, sed ex opere operato, ita tamen, ut iste totus attribui debeat Sacramento *tanquam causa*.

62. Colliges primo, ordinarie peccatorem recipiendo Sacramentum mortuorum non obtinere tantam gratiam, quantam obtinet justus recipiendo Sacramentum vivorum. Ratio est: quia inimicus Dei raro in se procurat tantam dispositionem, quantam amicus.

63. Colliges secundo, de Lege ordinaria æqualem conferri gratiam parvulis in Baptismo. Ratio est: quia omnium æqualis (vel potius nulla, saltem personalis) dispositio est.

64. Colliges tertio, quod adultus, etiam cum affectu ad peccatum veniale, suscipiens Baptismum, majorem accipiat gratiam, quam parvulus; modo ceteroquin afferat debitam dispositionem. Ratio est: quia ex una parte veniale peccatum, sicut non impedit infusionem gratiæ, ita neque impedit absolute loquendo intensionem *ejus*; ex altera vero parte adultus per dispositionem personalem, qua parvulus caret, se reddit magis qualificatum ad effectum gratiæ recipiendum.

65. Dico quinto, Sacramenta mortuorum nonnunquam per accidens secundam, & Sacramenta vivorum subinde primam gratiam conferunt. Ita fat communis Theologorum.

Probatur conclusio. Nam omnia Sacramenta novæ Legis ex institutione Christi conferunt gratiam non ponentibus obicem; ut habet Trid. *Sess. 7. de Sacram. in gen. can. 6.* sed accedens ad Baptismum, vel Pœnitentiam cum perfecta contritione non ponit obicem gratiæ; ergo ipsi conferunt gratiam: non primam; quia jam supponitur justificatus mediante contritione; ergo secundam. Similiter qui cum ignorantia inculpabili alicujus peccati mortalis, de quo reipsa solum est attritus, aut non valide absolutus, accedit ad Eucharistiam, vel suscipit aliud ex Sacramentis vivorum, bona fide existimans, se esse contritum, aut valide absolutum, adeoque existere in statu gratiæ: non ponit obicem gratiæ; ergo obtinet gratiam: non secundam; cum reipsa nondum existat in statu gratiæ; ergo primam.

66. Objicies. Sacramenta omnem gratiam, quam conferunt, ex institutione Christi conferunt, ergo nullam conferunt per accidens, sed omnem per se.

Respondetur. Quando contendimus, quod Sacramenta mortuorum quandoque per accidens conferant gratiam secundam, & Sacramenta vivorum primam, ly *per accidens* non est accipiendum, quasi gratiam conferrent præter, aut contra voluntatem, ac institutionem Christi, sed quatenus per accidens eo in statu versatur suscipiens, ut capax non existat gratiæ primæ, vel secundæ, qualem memorata Sacramenta respective conferre nata sunt ea institutione, & intentione primaria Christi. Unde accipiendo ly *per accidens* in hoc posteriore sensu, neg. cons.

Dices. Non debet in Sacramentis asseri effectus aliquis supernaturalis ex opere operato, nisi is sufficienter probari possit ex S. Scriptura, vel ex Conciliis, aut traditione Ecclesiæ, vel ex SS. Patribus: atqui ex nullo tali capite probari potest collatio gratiæ, quæ respectu Sacramentorum fiat per accidens, etiam ly *per accidens* sumendo in posteriore sensu; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Nisi is probari possit sufficienter, hoc est, certo, aut evidenter, neg. saltem valde probabiliter, aut probabilius, con. maj. Dist. etiam min. Atqui ex nullo tali capite sufficienter probari potest, evidenter, aut omnino certo, con. valde probabiliter, aut probabilius, neg. min. & cons. Sententiam quippe nostram sufficienter (posteriore modo) probavimus ex Trid. supra; cui etiam consonant testimonia SS. PP. videnda apud Authores passim.

ARTICULUS III.

Deciduntur quæstiones concernentes Characterem Sacramentalem.

SUMMARIUM.

67. *Character Sacramentalis imprimitur per Sacramenta initerabilia; perque ea causatur ex opere operato moraliter.* 68. *Est entitas realis, & absoluta de genere qualitatis.* 69. *& seqq. Enervantur argumenta opposita.* 72. *Subjectatur immediate in voluntate.* 73. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 77. *Est indelebilis tam in præsenti, quam in futura vita, juxta modernam Dei ordinationem,* 78. *& sequentibus. Solvuntur objectiones.*

67. QUod Character Sacramentalis in suscipiente imprimatur per Sacramenta initerabilia, eaque sola, nempe per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, insinuavimus supra *n. 5.* imo definitum est a Conc. Trid. *Sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* ibi: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Et hunc characterem per memorata Sacramenta causari ex opere operato, sed moraliter duntaxat, non physice, colligitur ex dictis art. præced. *n. 47. & n. 51.* Definitionem porro characteris dedimus *art. 1. hujus cap. n. 44.* Unde impræsentiarum tres duntaxat quæstiones decidendæ supersunt. Prima est, in quo consistat essentia Characteris Sacramentalis? Secunda, in quo is subjectetur? Tertia qualiter sit indelebilis?

68. Dico igitur primo. Character Sacramentalis (1) est entitas realis; eaque (2) absoluta de genere qualitatis. Primam partem tradunt DD. communiter. Alteram ut probabiliorem tenent Scotus *in 4. dist. 6. q. 10.* Mastrius *ibid. disp. 1. q. 5. n. 195.* Herincx, Bosco Panger &c.

Probatur prima pars. Juxta SS. Patres, & Concilia Character Sacramentalis est *signum spirituale*, & *indelebile, animæ impressum*; ergo est entitas realis; nam prædicatum *imprimi* non recte enunciatur de ente rationis, aut denominatione extrinseca; quoniam inepte diceret, qui diceret, visionem imprimi objecto, quod extrinsece denominat visum.

Confirmatur. SS. Patres, & Concilia per characteris Sacramentalis impressionem intelligunt quandam actionem physice productivam, in quantum hæc immediate egreditur a Deo; ergo character Sacramentalis, seu effectus per illam productus, & impressus, erit vera entitas physica, & realis.

Probatur etiam secunda pars, fere sicut prima. Nam prædicata, quæ a SS. Patribus, & Conciliis characteri Sacramentali tribuuntur, puta quod imprimatur animæ, eam signet, exornet &c. nulli alteri entitati adaptari possunt, saltem tam proprie, ac entitati absolutæ de genere qualitatis, ut patet consideranti; ergo &c.

Confirmatur. Si character Sacramentalis constituatur in entitate absoluta, magis commendatur ipsius dignitas, & efficacia; cum entitas absoluta suapte natura sit perfectior, ac respectiva: atqui non potest constitui in entitate absoluta, quæ sit substantia; cum talis entitas non imprimatur animæ; ergo debet constitui in entitate absoluta, quæ sit accidens, seu qualitas.

69. Objicies primo contra primam partem conclus. Ex eo, quod quis inter homines deputetur ad aliquod ministerium, non recipit entitatem aliquam realem, ergo neque ex eo, quod quis per Baptismum efficiatur capax recipiendi alia Sacramenta, per Confirmationem fortis ad confitendam publice fidem, per Ordinem potens conficere corpus, & sanguinem Christi, absolvere a peccatis &c.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia

quia dum quis inter homines deputatur ad aliquod ministerium, tota in eo idoneitas, & potentia realis, utpote naturalis ad functiones peragendas præsupponitur: at vero dum quis adsciscitur in Ministrum Christi per Baptismum, Confirmationem &c. idoneitas realis, quippe supernaturalis, in illo non præsupponitur, sed efficitur per actionem physicam immediate egredientem a Deo. Simile quid dicitur *in tract. de Gratia*, ubi assignatur disparitas, cur amicitia inter homines nullam ponat entitatem realem in alterutro amicorum; ponat autem amicitia Dei in homine.

70. Objicies secundo contra secundam partem conclus. Character ex dictis est signum; sed signum est relatio significantis ad significatum, non vero entitas absoluta; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Character est signum formaliter, neg. fundamentaliter, & denominative, con. maj. Sed signum, formaliter tale, est relatio, con. fundamentaliter, & denominative tale, neg. min. & cons. Sicut hedera, licet sit signum vini vendibilis, nihilominus entitas absoluta est, ita & Character Sacramentalis &c.

71. Objicies tertio. Character non potest pertinere ad aliquam speciem qualitatis; ergo non est entitas absoluta de genere qualitatis.

Respondetur, neg. ant. Si enim consideretur *in esse physico*, prout scilicet hominem exornat, & disponit in ordine ad seipsum, sicut sanitas, ac pulchritudo, pertinet ad primam speciem qualitatis, nempe *habitum*; cum ut sic sit qualitas, non sensibilis sensu externo, nec innata subjecto, & ab hoc difficulter, imo juxta Legem Dei ordinariam omnino non mobilis: veluti dicemus inferius *numer.* 77. Si vero consideretur *in esse morale*, reducitur ad secundam speciem qualitatis, nempe *potentiam*; cum ut sic sit potestas moralis, qua homo ex Divina ordinatione constituitur habilis, & idoneus ad exercenda munia superius relata: fere sicut causa moralis ab Aristotele reducitur ad causam efficientem.

Dices. Habitus potest intendi, & remitti: sed character Sacramentalis non potest intendi, & remitti; ergo non est habitus. Porro character Sacramentalis est signum potestatis moralis; ergo non est potestas moralis. Consequenter &c.

Respondetur, & quidem ad primum, dist. maj. Habitus, qui paulatim acquiritur, vel deperditur, con. omnis omnino habitus, neg. maj. Gratia sanctificans in Christo non erat intensibilis, cum fuerit summa, & tamen erat habitus; consequenter non videtur esse de ratione habitus ut sic posse intendi, vel remitti. Ita respondent multi. Sed quia hæc responsio non videtur consona Philosophiæ, in qua traditur, intensibilitatem, & remissibilitatem esse passionem qualitatis ut sic, & consequenter etiam habitus, melius dicitur, characterem (idem cogita de gratia Christi) esse quidem de se, & ab intrinseco capacem intensionis, ac remissionis, non tamen esse ita capacem ab extrinseco, & spectata Dei ordinatione moderna, quæ voluit characteres esse in omnibus, & singulis quoad latitudinem gradualem æquales. Ita Mastrius ubi supra *num.* 213. Ad secundum dist. cons. Sub eadem ratione, sub qua est signum, con. sub alia ratione, neg. cons. Character est signum (subintellige fundamentaliter, & denominative, secundum dicta *n. præced.*) si spectetur physice, & in ratione qualitatis; sic quippe est fundamentum, in quo fundatur ratio, & relatio signi ad signatum, videlicet potestatem per Sacramenta traditam. Est vero ipsa potestas, si spectetur moraliter, seu quatenus est signum practicum, & efficax, habens specialem energiam movendi tum ipsum Deum ad conferenda auxilia, & gratias pro exercendis fructuose actionibus illis, ad quas homo per hoc, vel illud Sacramentum destinatur: tum Angelum Custodem, ut intuitu characteris, in suo cliente relucentis, singularem ipsius curam gerat, eundem solicidius regat, illuminet, ac protegat: *nisi enim characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* inquit S. Basilius *orat. 13. de Baptis.*

72. Dico secundo. Character Sacramentalis non subjectatur immediate, & proxime in anima, neque in intellectu, sed in voluntate hominis characterizati. Ita Scotus *in 4. dist. 6. q. 11.* Mastr. *ibid. disp. 5. art. 4.* Panger *l. 4. disp. 1. q. 9. a n. 122.* & Scotistæ communiter.

Probatur. Nam in primis character cum sit moraliter operativus ex dictis *num. præced.* immediate poni debet in subjecto immediate, & proxime operativo, quale non est anima. Deinde idem character est signum, & fundamentum obligationis, qua baptizatus attinetur ad servandam Christi Legem; confirmatus ad profitendam Christi fidem; ordinatus ad conficienda, & conferenda Christi Sacramenta; ergo immediate inhæreat, necesse est, vel saltem congruum, subjecto illiusmodi obligationis immediate capaci, quale est voluntas, non intellectus.

73. Objicies primo cum volentibus, characterem subjectari immediate in substantia animæ. Secundum Concilia Florentinum *in Decreto fidei*, & Tridentinum *Sess. 7. de Sacram. in gen. can. 9.* character imprimitur in anima; ergo immediate subjectatur in substantia animæ.

Respondetur, neg. cons. Nam Concilia volunt, characterem in anima imprimi mediate, mediante scilicet potentia; vel animam accipiunt in sensu reali, & quatenus realiter identificatur cum suis potentiis. Ratio hujus expensionis redditur: siquidem Concilia etiam dicunt, in Baptismo virtutes Theologicas infundi animæ; quod tamen solummodo verum est de infusione mediata, cum fides immediate infundatur intellectui, & charitas voluntati.

74. Objicies secundo cum iisdem. Potentiæ naturales, puta intellectus, & voluntas, immediate afficiunt animam; ergo etiam supernaturales, quibus annumeratur character: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: tum quia potentiæ naturales non præsupponunt aliam potentiam, sed dimanant ab ipsa anima, tanquam propriæ ipsius virtutes: tum etiam quia potentiæ naturales non elevant suum subjectum ad operandum, proindeque non debent præsupponere ipsum esse proxime activum. Utrunque contra accidit in potentia supernaturali.

75. Objicies tertio cum volentibus, characterem subjectari immediate in intellectu. Character est lumen quoddam spirituale: sed lumen pertinet ad intellectum, qui est potentia cognoscitiva, & non ad voluntatem, quæ est potentia cæca; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Est lumen improprie, metaphorice, & objective, con. proprie, & formaliter, neg. maj. &, distinctione applicata minori, cons. Dicitur autem lumen in priore sensu, quatenus indicat, hominem characterizatum esse Christi domesticum, militem, vel ministrum.

76. Objicies quarto cum iisdem. Character ordinatur ad profitendam, & protestandam fidem; ergo debet immediate subjectari in intellectu, sicut fides.

Respondetur, neg. cons. Imo potius oppositum inferri debet, seu quod Character immediate subjectetur in voluntate, utpote a qua oritur volitio credendi, & profitendi fidem. Unde protestatio fidei externa, sicut & ipse assensus internus, est actus imperatus a voluntate, a qua suum esse humanum, & meritorium habet. Accedit, quod operationes Sacramentales, ad quas character inclinat, non sint in se actus Fidei (licet fidem in operante præsupponat) sed Religionis, quæ est virtus immediate subjectata in voluntate, prout fluit ex dictis *part. 2. n. 261.*

77. Dico tertio. Character Sacramentalis juxta modernam Dei ordinationem est indelebilis tam (1.) in præsenti, quam (2) in futura vita. Utraque pars est communissima DD. imo prima de fide, prout confestim patebit. Unde

Probatur prima pars: quia Concilia Florentium, & Tridentinum, superius relata, definiunt, characterem esse indelebilem (quod intelligendum saltem pro statu, & vita præsenti) indeque inferunt, tria Sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari non posse; quod tamen posset, imo deberet fieri, si character delebilis, actuque deletus esset; cum tali casu alius imprimendus foret iterando Sacramentum. Deinde character non habet contrarium physicum, cum sit qualitas spiritualis, nec morale, seu moraliter, & demeritorie sui destructivum (quale respectu gratiæ sanctificantis est peccatum mortale) cum alias accedenti cum peccato mortali non imprimeretur contra communem sensum. Ergo &c.

Proba-

Probatur etiam secunda pars. Tum quia character Sacramentalis nec in futura vita contrarium habet: quia Ecclesia a mortuis suscitatos non solet de novo baptizare, confirmare, aut ordinare, & tamen permittit eos Sacramenta suscipere, ac ministrare, ut antea; quemadmodum patet ex Historiis; ergo signum evidens est, characterem Sacramentalem semel impressum remanere etiam in vita futura.

Dixi in conclus. *juxta modernam Dei ordinationem*, ut indigitatem, quod deletio, sive corruptio characteris absolutam, & extraordinariam Dei potentiam non transcendat: cum enim sit quid creatum a Deo dependens in fieri, & conservari, posse per subtractionem concursus Divini corrumpi, & in nihilum redigi, prout diserte tradit Scotus *in 4. dist. 6. q. 9.*

78. Objicies nunc primo contra primam partem conclus. Gratia sanctificans est perfectior charactere, & tamen potest in præsenti vita amitti, ac corrumpi; ergo etiam character.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas jam insinuata est: quia nempe gratia sanctificans ex Divina ordinatione habet contrarium, scilicet peccatum mortale; non item character.

79. Objicies secundo contra secundam partem conclus. Cessante fine, ob quem character Sacramentalis imprimitur, cessat & ipse character: sed in altera vita ejusmodi finis cessat; ergo &c.

Respondetur, finem, ob quem character imprimitur, esse duplicem. Unus est receptio, & administratio Sacramentorum: alter est distinctio fidelium ab infidelibus, Clericorum a non Clericis &c. Prior finis in altera vita cessat; non autem posterior, cum omnino conveniat, ut antefata distinctio post mortem perseveret, in bonis quidem ad gloriam, in malis autem ad pœnam, & confusionem sempiternam: consequenter &c.

80. Objicies tertio itidem contra secundam partem. Damnati sunt indigni omni dono supernaturali: sed character Sacramentalis est donum supernaturale; ergo eo damnati sunt indigni; ergo saltem in damnatis non remanebit.

Respondetur, dist. maj. Quod conducere valeat ad illorum salutem, ac solatium, con. ad pœnam, & confusionem, neg. maj. Per quod patet distinctio ad minorem, & utranque conf. reddenda.

C A P U T IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

81. *Polychronius invalide baptizat, dum baptizat cum intentione faciendi solum actum externum &c.* 82. *Licet Polycarpus Sacerdos ante celebrationem Missæ non habeat aliam voluntatem, quam more aliorum Sacerdotum sacris se vestibus induendi, locum designatum adeundi, & cetera consueta faciendi; nihilominus habet sufficientem intentionem ad valide celebrandum.* 83. *Pompeja, in Lutheranismo nata, quæ a suo Pastore baptizata fuit cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Lutherana, non Romana, non est rebaptizanda &c.* 84. *Pompejus, extra casum necessitatis, vel utilitatis, non confitetur licite suo Parocho, quem in statu disgratiæ constitutum novit.* 85. *Pantaleon probabiliter quidem resolvit, prærogativam reviviscentiæ soli competere Baptismo; probabilius tamen est, eandem aliis quoque Sacramentis competere.* 86. *Paphnutius desiderat resolutionem aliquot dubiorum de Sacramentalibus.*

C A S U S I.

81. *Polychronius, Juvenis natione Germanus, literis humanioribus in patria imbutus, proficiscitur in Italiam ut inibi se veriores quoque disciplinas capessat. Hunc in finem eligit Universitatem Paduanam, in qua primo Philosophiæ, postmodum & Theologiæ sedulam navat operam; absolutaque gemina hac facultate in patriam remeat, ut SS. Ordinibus initietur. Quo facto, constituitur Capellanus valetudinarii cujusdam Parochi; cujus proinde vices in functionibus Parochialibus non raro agere debet: dumque ibidem jubetur primum infantem baptizare, format intentionem faciendi solum actum externum, id est, serio proferendi verba, & adhibendi materiam Sacramenti Baptismatis, absque intentione faciendi illum ut Sacramentalem, seu ut est ceremonia sacra a Christo instituta; eo quod a suo Professore excepisset, priorem intentionem, non vero posteriorem ad valorem Sacramenti necessariam esse. Quæritur, an Polychronius Sacramenti Baptismi valide administret?*

Respondetur negative, si etiam careat intentione implicita, & generali ponendi actum externum ut Sacramentalem, qua nimirum velit facere, quod Christus instituit, & Ecclesia facit. Ita Scotus *in 4. dist. 6. q. 5.* aliique Theologi communissime. Promitur responsio 1. ex Concil. Florent. quod *in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum* sic habet: *Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Item ex Trid. quod *Sess. 7. de Sacram. in gen. can. 11.* sic ait: *Siquis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit*: atqui quod facit Ecclesia, non solum est apponere materiam, & verba exterius proferre (hoc enim extra Ecclesiam a pagano fieri potest) sed iis ceremoniam sacram, & actum Sacramentalem qua talem ponere? ergo ex Tridentino requiritur ad valorem Sacramenti, ut Minister habeat intentionem ponendi actum Sacramentalem qua talem, sive faciendi, & conferendi Sacramentum formaliter. Promitur responsio 2. ex Scoto *cit.* qui sic ratiocinatur. Actio ad plura indifferens debet determinari ad unum saltem ex intentione agentis: sed actio Sacramenti indifferens est ad plura significanda, vel efficienda; ut ablutio exterior potest ordinari ad solam munditiem externam, vel ad sanitatem corporis, vel ad ludum, vel ad Sacramentum Baptismi; ergo ut reipsa potius sit actio Sacramentalis, & pars Sacramenti, quam externa mundatio, actio profana, aut ludus, debet ex intentione agentis, implicita saltem, & generali, determinate ordinari ad efficiendum Sacramentum: consequenter &c. Accedit contra sententiam contrariam, quod ab Alexandro VIII. damnata sit hæc propositio *ord. 28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero apud se resolvit*: non intendo facere, quod facit Ecclesia.

Dixi in respons. *si etiam careat intentione implicita &c.* Ubi observandum, duplicem posse dari intentionem conficiendi, vel ministrandi Sacramentum, nempe unam *explicitam*, & *particularem*, alteram *implicitam*, & *generalem*. Prior est, qua quis expresse, & quasi in actu signato intendit conficere, vel ministrare Sacramentum. Posterior est, qua quis applicando materiam, & proferendo formam Sacramentalem intendit facere, quod Christus instituit, & Ecclesia facit. Non solum prior, sed etiam posterior intentio sufficit ad valorem Sacramenti; prout liquet ex Conciliis proxime relatis. Unde si Polychronius ponatur alterutram habuisse, dicendus est validum confecisse, & ministrasse Sacramentum; secus, si neutram. Sed contra hoc, & responsionem ad Casum redditam

Dices primo. Athanasius adhuc puer alios pueros per jocum baptizavit, & Baptismum tanquam validum approbavit Alexander Patriarcha Alexandrinus, illumque iterare noluit. Item Genesius mimus in theatro coram Diocletiano ab alio mimo fuit baptizatus, & tamen Baptismus valuit. Ergo ad valorem Baptismi non requiritur intentio conficiendi Sacramentum, sed sufficit intentio faciendi solum actum externum.

Respondetur, concesso antecedente quoad utrunque casum, dist. conf. Ad valorem Baptismi non requiritur intentio conficiendi Sacramentum expressa, & particularis, con. saltem implicita, & generalis, neg. conf. Licet Athanasius ludendo alios pueros baptizaris; quia tamen intendit facere quod fieri viderat ab Alexandro baptizante infantes in Ecclesia, habuit intentionem implicitam, & generalem conficiendi Sacramentum Baptismi. Idem dicendum de mimo, qui S. Genesium baptizavit: ille enim tunc habuit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Christianorum.

quamvis

quamvis hoc ulterius ordinaret ad jocum, & derisum Christianæ Religionis; proindeque vere baptizavit, esto una peccaverit: sicut Sacerdos, qui baptizat propter lucrum, vel consecrat ad maleficium peragendum, esto peccet, vere tamen baptizat, & consecrat; quia licet tunc ad finem malum actiones illas Sacramentales ordinet, revera tamen intendit facere, quod facit Ecclesia Catholica, proindeque habet intentionem implicitam, & generalem conficiendi Sacramentum, quæ ad ejus valorem sufficit; ut dictum. Aliter respondet Augustinus Michel *tom.3. tractat.1. punct. 2. section.1. numer.10.* quod nempe Genesius, quamvis ab initio jocaretur, postea tamen interrogatus ab accersito Presbytero, quid peteret, subito interne collustratus, & conversus gratiam Christi ex animo se petere contestatus sit, quam proinde per Baptismum eidem conferre serio intenderit Presbyter.

Dices secundo. S. Augustinus *lib. 7. de Baptis. cap. 53.* ait, *nihil referre ad integritatem Sacramenti, quod veraciter, vel fallaciter ipsum tradant Ministri*; ergo in Ministris nulla requiritur intentio faciendi Sacramentum.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. dico, quod S. Augustinus loquatur de fallacia quantum ad fidem contra Donatistas, solumque intendat, Ministrum existentem in Ecclesia Catholica, vel in quacunque alia, quæ vera Ecclesia existimatur, valide ministrare Sacramentum, quamvis erranter ipse existimet, in tali Ecclesia nullum esse verum Sacramentum. Unde statim subdit: *Non dubito, etiam illos habere Baptisma, qui, quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia.*

Dices tertio. Christus noluit, ut valor Sacramentorum penderet a probitate Ministri; ergo noluit quoque, ut penderet ab intentione Ministri, præsertim tali, qua is intendat facere ceremoniam sacram, sive Sacramentum; ne ex utraque causa incerti, & anxii essemus de valore Sacramenti.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas est: siquidem habere intentionem faciendi Sacramentum res est facillima, & rarissime invenitur adeo perversus Minister, qui eam malitiose omittat, aut invertat. Hinc quivis moraliter certus esse potest de ea a Ministro habita, nisi contrarium deprehenderit ex signo aliquo exteriori. At minus facile est esse probum, & frequenter contingit, Ministrum existere in peccato mortali; quapropter si valor Sacramentorum esset alligatus probitati, & justitiæ Ministri, nimis essemus incerti de valore eorum: consequenter &c.

Dices quarto. Episcopus collaturus Ordines protestari solet, se nolle ordinare quempiam excommunicatum vel irregularem, & tamen, si talis quis adsit, valide ordinatur; cum cognito defectu non sit reordinandus; ergo ad valorem Ordinationis sufficit, quod Ordinans serio intendat solum ritum externum Ordinationis; ergo a pari &c.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, quod illa Episcopi protestatio soleat quidem fieri, sed sub hac conditione, si excommunicatus, vel irregularis inter Ordinandos fuerit deprehensus, seu cognitus; postea vero simili protestationi derogetur per intentionem absolutam Episcopi, qua intendit ordinare omnes, hic, & nunc ad se accedentes, quos impedimento Canonico irretitos non cognoverat.

C A S U S II.

82. *Polycarpus Parochus curis, negotiis, & colloquiis variis non raro ita distrahitur, ut ante celebrationem Missa non aliam habeat voluntatem, quam more aliorum Sacerdotum sacris se vestibus induendi, locum designatum adeundi, & cetera consueta faciendi. Quam incuriam, & mentis occupationem cum aliquando aperiret Confessario suo, gravis ei injectus est scrupulus de Sacramento Eucharistia invalide confecto. Quæritur proinde, ad eximendum sibi hunc scrupulum, ex docto quodam Theologo, an cum prædicta intentione altefatum Sacramentum valide confecerit? Quid Consiliarius Polycarpo dicet?*

Respondetur, Consiliarius dicet Polycarpo, quod cum prædicta intentione Sacramentum Eucharistiæ valide confecerit, nec desuper anxius esse debeat. Ita Reginaldus *in Praxi tom. 2. lib. 26. c. 3. numer. 38.* Diana *part. 2. tr. 17. resol. 32.* Burghaber *cent. 2. cas. 62.* & alii communiter, quamvis in modo probandi responsionem non omnes conveniant. Ratio probativa responsionis hæc esto: quia induere se vestibus Sacerdotalibus, & sic introire ad altare, aliaque peragere, est medium ex institutione Ecclesiæ requisitum ad celebrationem Missæ; ergo cum Polycarpus more aliorum Sacerdotum se induerit vestibus Sacerdotalibus, ad altare introierit, aliaque peregerit, censendus est vere voluisse celebrare Missam. Confirmatur. Profitens in aliqua Religione more aliorum ad omnia, etiam non cogitata, aut expressa, se adstringit, quæ in illa observari debent; ergo etiam Sacerdos more aliorum indutus vestibus Sacerdotalibus, & introiens ad altare, conficit Sacramentum Eucharistiæ, haud minus, ac alii Sacerdotes, licet de eo conficiendo non cogitaverit, aut cogitet: & per consequens &c.

Dices primo. Voluntas illa, sive intentio Polycarpi non fuit formalis, seu (ut alii loquuntur) actualis, nec virtualis, cum non præsupposuerit formalem; ergo non habuit intentionem sufficientem ad valide conficiendum Sacramentum, cum ad hoc alterutra ex prædictis intentionibus sit necessaria.

Respondetur, dist. primum membrum antecedentis. Non fuit formalis, seu actualis, explicita con. implicita, neg. Prior est, qua quis intendit facere rem cognitam sub proprio conceptu rei gerendæ; ut si Sacerdos celebrans, aut celebrare volens mente, vel etiam ore dicat: *volo celebrare, & conficere Corpus, & Sanguinem Christi*. Posterior est, qua quis intendit rem facere sub conceptu generali; ut si Sacerdos consecrans intendat facere id, quod Christus instituit, Ecclesia facit, aut fieri præcipit &c. Priorem intentionem non habuit in Casu Polycarpus; habuit tamen posteriorem, quæ & ipsa sufficit ad validam confectionem Sacramenti, prout constat ex dictis *n. præced.* Videri etiam potest Sporerus *in Theol. Sacram. part. 1. c. 2. num. 104.*

Dices secundo. Intentio faciendi solum exteriorem actum in conficiendis Sacramentis non sufficit, ex dictis *num. præced.* atqui intentio Polycarpi non videtur fuisse alia; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam intentio, de qua in majore, fertur in actum externum, nude spectatum, & ut separabilem a Sacramento: at vero intentio Polycarpi tendebat in actum externum, ut de facto connexus est ab Ecclesia cum ratione Sacramenti, hoc ipso, quod voluerit induere sacras vestes &c. non quomodocunque, sed more aliorum Sacerdotum, qui ex institutione Ecclesiæ easdem induunt ad efficiendum Sacramentum.

C A S U S III.

83. *Pompeja, in Lutheranismo nata, a suo Pastore baptizata fuit cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Lutherana, non Romana; quemadmodum, adultior facta, ab ipsomet Baptizante intellexit. Annum agens trigesimum intendit, ejurato Lutheranismo, se recipere in gremium Ecclesiæ Catholicæ seu veræ Matris; sed angitur de valore Baptismi. Quæritur, an is sub conditione reiterandus sit ob dubietatem de sufficientia intentionis a Pastore habitæ?*

Respondetur, non esse reiterandum, nisi accedant aliæ conjecturæ, saltem probabiles, quæ reiterationem exposcant. Ita S. Thomas *3. part. q. 64. art. 9.* Gobat *in Theol. Exprim. tr. 1. sect. 5. num. 193.* aliique passim. Ratio est: quia Pastores Lutherani (idem cogita de aliis Ministris acatholicis) regulariter & ipsi volunt conferre Baptismum eo modo, quo conferri debet ex institutione Christi; consequenter intendunt, saltem confuse, & implicite, id, quod intendunt Ministri Catholici, videlicet conferre Baptismum, sicut hi eundem conferre solent; ergo censentur habere intentionem ad valide administrandum Baptismatis Sacramentum requisitam, & sufficientem.

Nec refert, si facere velint, quod Lutherana, & facere nolint, quod Romana Ecclesia facit. Non, inquam,

quam refert: quia id solum provenit ex errore intellectus, quo ducuntur, & credunt, Lutheranam, non vero Romanam esse veram Christi Ecclesiam; unde in ipsis simul stant hæc duo: *nolle facere, quod facit Ecclesia Romana; & velle facere, quod facit vera Christi Ecclesia*, quam putant esse Lutheranam: nam voluntas non faciendi quod facit Ecclesia Romana, censetur, virtualiter saltem, conditionata, hoc modo resolubilis: *si possumus facere, quod Christus instituit, absque eo, quod Ecclesia Romana facit*: quæ conditio cum subsistere non possit, fit, ut voluntas non faciendi, quod facit Ecclesia Romana, sit appretiative minor, atque inefficax; appretiative major vero, atque efficax altera voluntas, nempe faciendi, quod vera Christi Ecclesia facit. Unde

Confirmatur responsio ad Casum in hunc modum. Dum adest intentio simpliciter efficax faciendi Sacramentum, fit Sacramentum: sed in Casu aderat intentio simpliciter efficax faciendi Sacramentum; ergo &c. Min. ostenditur; imo ostensa manet ex dictis: quia Pastor, Pompejam baptizans, habuit absolutam voluntatem faciendi, quod vera Christi Ecclesia facit; quamvis erronee putaverit, suam, & non aliam esse veram Christi Ecclesiam: hic quippe error non præjudicat, neque enervat intentionem faciendi, quod vera Christi Ecclesia facit; adeoque Sacramenti valorem non impedit: sicut non impediret in Ministro Catholico, erronee existimante, Baptismum non esse Sacramentum, volente tamen eum conferre, sicut a Christo institutus est, & juxta mentem veræ Ecclesiæ conferri solet.

Dixi in respons. *nisi accedant alia conjectura &c.* His quippe accedentibus, Baptismus, saltem sub conditione repetendus foret; secundum omnes; vel etiam absolute, si conjecturæ essent violentæ, & tantæ, ut constituerent certitudinem moralem: sicut & si constaret; Pastorem baptizantem animo, tam perverso fuisse, ut cogitaret: *etiamsi Romana Ecclesia vera esset, nihilominus ad mentem ipsius non baptizabo*: talis quippe nihil efficeret; cum intentio, sic formata, esset appretiative major, & alteram, videlicet faciendi, quod vera Ecclesia facit (si ponatur, vel potius fingatur adjuncta) ceu appretiative minorem, expugnaret, enervaret, & inefficacem redderet. Videantur Augustinus Michel *fol.*32. *a numer.*1. Babenstuber *art.*3. *a numer.*20. aut alii.

CASUS IV.

84. *Pompejus, Pancratii Sacerdotis, ac Parochi famulus certo compertum habet, suum Dominum alere domi concubinam; excipere nihilominus confessiones, administrare Sacramentum Eucharistiæ, aliaque Munia Parochialia passim obire, quin ullum unquam prodat indicium de proposito dimittendi concubinam, mutandique vitam in melius. Dubitat jam, an eidem confiteri, & Sacramentum Eucharistiæ ab eo recipere tuta conscientia possit?*

Respondetur, non posse extra casum necessitatis, vel utilitatis aliter non percipiendæ. Navarrus *in Manual. c.*14. *n.*28. Gobat *loc. cit. a n.*263. & alii communiter. Ratio est: quia licet Pompejus ponatur habere jus per se loquendo ad petenda, & recipienda a Pancratio Sacramenta; eo tamen citra justam causam necessitatis, vel utilitatis, qua alioquin carere debet, ut prohibetur ex Charitate proximi, seu Pancratii in Casu, ne ipsi præbeat occasionem ruinæ spiritualis, sicque committat peccatum scandali: ad quod proinde evitandum Pompejus præcepto Charitatis adstringitur, ut antefata Sacramenta recepturus, ea petat, & recipiat (si commode possit) ab alio Sacerdote, de cujus indignitate ipsi non constat.

Dices. Pancratius jam est paratus Sacramenta in mortali ministrare; ergo Pompejus non præberet ei ansam ruinæ spiritualis.

Respondetur, neg. conf. Quia Pancratius vel ponitur paratus actualiter, vel habitualiter tantum? Si secundum; Pompejus præberet ipsi ansam peccandi peccato actuali in-& externo: si primum; adhuc ejus peccato cooperaretur saltem quoad malitiam in actu externo repertam: quod utrunque (nisi accedat justa causa necessitatis, vel utilitatis aliàs non percipiendæ) Charitas proximi interdicit. Sed de his revide dicta *in part.* 2. *tr.* 1. *disp.* 3. *art.* 3. §. 4.

CASUS V.

85. *Pantaleon, ex Seraphico Ordine, nostraque Provincia, SS. Theologiæ Studiosus, cum ad Examen Forense Ecclesiasticum, ante susceptionem Subdiaconatus subeundum, missus, interrogaretur, num Sacramenta, cum obice peccati mortalis recepta, eo postea remoto, reviviscant? reposuit, nullum reviviscere, excepto Baptismo, rationem reddens ex Sperero* loc. cit. *n.* 33. *quod, cum Sacramenta sint signa ad placitum voluntatis Divinæ, nullus eorum effectus supernaturalis asseri debeat absque fundamento in Scriptura, traditione Patrum, aut Ecclesiæ definitione; quale tamen fundamentum de solius Baptismi reviviscentia extet. Cumque impugnaretur, datam rationem, eique innixam responsionem tam dextre, & strenue propugnavit, ut à toto Reverendissimo Consessu laudem non exiguam, imo applausum ferret. Occasione hujus Casus, & facti ventilandum venit, an præter Baptismum alia quoque Sacramenta reviviscant? id est, an valide quidem, sed propter obicem peccati mortalis prævie non remotum infructuose, seu absque effectu sanctificantis gratiæ, recepta, nihilominus postea obice remoto adhuc ejusmodi gratiæ effectum ex opere operato causent?* Ut Casus, seu quæstio ordinate resolvatur,

Respondetur primo. Baptismus prædicta ratione susceptus, remoto obice revivíscit. Est sententia S. Augustini *lib.* 1. *de Baptis. cap.* 12. & aliorum SS. Patrum; item Scoti infra citandi (quem proinde nonnulli perperam citant in contrarium, & injuriose censurant) aliorumque DD. quasi omnium. Ratio est: quia dum quis ficte, id est, valide quidem, non tamen fructuose, seu cum fructu gratiæ sanctificantis baptizatur, & postea cum attritione confitetur, sine dubio a macula originali mundatur: atqui hoc fit per Baptismum, utpote in remissionem maculæ originalis institutum; non vero per Sacramentum Pœnitentiæ, quippe unice institutum ad delenda peccata actualia post Baptismi susceptionem commissa; ergo Baptismus, remoto obice, seu impedimento gratiæ, revivíscit, & confert ex opere operato gratiam sanctificantem; cum sine tali gratia nemo a peccato mortali (sive originali, sive actuali) mundetur, ac justificetur. 1. Confirmatur. Prima justificatio debet fieri per Baptismum in re, vel in voto, susceptum; prout colligitur ex illo *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* & ex Trid. *Sess.* 6. *de Justificat. cap.* 4. atqui in casu posito non potest fieri per Baptismum novum reipsa susceptum; cum hic sit Sacramentum initerabile; nec per ejus votum; cum enim alius, seu novus Baptismus adhiberi non possit, nec concipi ejus votum potest; ergo debet fieri per Baptismum antea valide susceptum, & remoto obice reviviscentem.

Respondetur secundo. Etiam reviviscunt alia Sacramenta, characterem imprimentia, Confirmatio scilicet, ac Ordo. Sumitur ex Scoto *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *contra opinionem istam in fin.* ubi sic habet: *In quibuscunque Sacramentis imprimitur dispositio ad effectum principalem, si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis, cessante obice sufficit dispositio ad illum effectum principalem; apparet in Sacramentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia.* Adstipulantur alii DD. satis communiter. Rationem dant: siquidem & hæc Sacramenta simpliciter initerabilia sunt, & habent effectum sibi proprium (videlicet Confirmatio gratiam in fide Christi roborantem; & Ordo gratiam conformantem cum Christo operante &c.) qui effectus ab aliis Sacramentis conferri nequeunt; ergo necessarium, vel saltem congruum est, ut & hæc Sacramenta, valide, sed cum obice suscepta, eo remoto reviviscant, ac suum gratiæ effectum producant. Alia ratio probativa, forte efficacior, etiam hic, & quasi a fortiori, valitura, mox adstruetur pro ostensione tertiæ responsionis jam jam statuendæ. Itaque

Respondetur tertio. Probabilius videtur, omnia Sacramenta, sive imprimant, sive non imprimant characterem, si valide, attamen cum obice, & impedimento gratiæ suscepta sint, reviviscere, & gratiam causare,

causate, obice remoto; modo adhuc existant vel in se, vel in aliquo sui, vel saltem in acceptatione Divina, & moraliter. Ita cum aliis a se relatis P. Babenstuber *tr. 8. part. 1. disp. 3. art. 3. num. 3. & 5.* Ratio est: quia Concilia, & SS. Patres Sacramenta in modo causandi assimilant causis naturalibus: sed causæ naturales, quando a productione sui effectus fuerunt per accidens impeditæ, amoto impedimento eundem adhuc producunt; ut patet in corpore gravi, in quo motus deorsum, si ob impedimentum non illico resultaverit, postea resultat ad remotionem impedimenti; ergo &c. Confirmatur. Sacramenta valide suscepta conferunt gratiam subjecto ejusdem recipiendæ capaci: sed subjectum, remoto obice, est capax gratiæ recipiendæ; ergo &c.

Dixi in respons. *modo adhuc existant sive in se, sive in aliquo sui, sive saltem in Divina acceptatione. In se* existit Sacramentum Eucharistiæ, quandiu ejus species non sunt consumptæ. *In aliquo sui* existunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis, ac Ordinis, quatenus valide suscepta imprimunt characterem indelebilem, & characterizatum collocant in statu immutabili. *In Divina acceptatione, & moraliter* existunt Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii. Primum quidem (dato, quod possit esse validum, & informe, de quo in loco proprio) quatenus moraliter perseverat in habituali subjectione, dum pœnitens post sua peccata, semel validæ absolutioni subjecta, deinceps deobligatur ab iterata eorum confessione; ideoque, remoto obice, vi præcedentis absolutionis consequi censetur absolutionem directam peccatorum antea subjectorum. Secundum, quatenus durante eodem morbo, mortisque periculo, non est iterabile, & vi significationis suæ relinquit ægrotum moraliter determinatum ad percipiendum Sacramenti effectum post remotionem obicis. Tertium, quatenus &. ipsum, ratione vinculi indissolubilis, durante utriusque conjugis vita, ex natura sua irreiterabile est.

Quod si Sacramentum nollo ex prædictis modis amplius existat, quando obex removetur, reviviscere haud potest. Unde communissima est DD. sententia, Sacramentum Eucharistiæ, si obex primum auferatur speciebus jam consumptis, non reviviscere; eo quod tunc non amplius existat sive in se, sive in aliquo sui, ut patet; sed nec in Divina acceptatione: cum dicat Apostolus, judicium sibi manducare, & bibere eos, qui Eucharistiam sumunt indigne: quod ex parte verum non esset, si indigne sumpta remaneret in Divina acceptatione in ordine ad vitam gratiæ, remota fictione conferendam. Confirmatur: quia alioquin Sacerdos, qui per totum tempus, a susceptione Sacerdotii transactum, quotidie in statu disgratiæ, & cum scientia peccati mortalis celebrasset, reciperet in fine vitæ totum augmentum gratiæ, quod omnibus, & singulis Communionibus, nullo posito obice, respondere debuisset, si tunc, cum attritione saltem, Sacramentum Pœnitentiæ susciperet: sequela autem est incredibilis; ergo &c.

Dices jam contra hucusque dicta primo. Opera de se moraliter bona, in statu tamen disgratiæ exercita, non reviviscunt; ergo nec Sacramenta in tali statu suscepta.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia opus de se moraliter bonum, in statu tamen disgratiæ exercitum, censetur omnino mortuum, quippe omni vitæ principio destitutum. E diverso Sacramentum, in statu disgratiæ susceptum, non computatur inter opera mortua; eo quod principaliter sit opus Christi; in quo proinde tanquam in principio vitæ fundatur, & conservatur, quandiu aliquo ex modis supra dictis remanet, in finem conferendi adhuc gratiam, obice remoto.

Dices secundo. Contractus ab initio nullus tractu temporis non reconvalescit; ut habet notissimum paradigma Juris; ergo nec Sacramenta reconvalescunt, seu reviviscunt.

Respondetur, dist. cons. Si antea non fuerint valida, sicut contractus, con. si antea fuerint valida, neg. cons. Paritas solum tenet, si Sacramenta fuerint invalida, utpote recepta cum tali obice, qui eorum valorem impedivit; ut si recipiens, vel administrans caruit debita intentione: tunc enim cum fuerint non entia, non fuerunt capacia operandi suum effectum sive in ipsa susceptione, sive postea. Non autem tenet eadem paritas in proposito, ubi sermo est de Sacramentis susceptis cum obice, non eorum valorem, sed solum gratiæ effectum impediente.

Dices tertio. In tantum Sacramenta causant gratiam, in quantum habent annexam promissionem illam causandi: sed gratia tantum est promissa pro reali perceptione Sacramentorum; ergo illam non causant, nisi dum realiter percipiuntur.

Respondetur, dist. min. Gratia tantum est promissa pro reali perceptione Sacramentorum, id est, propter realem perceptionem eorum, ita, ut nemo recipiat gratiam Sacramentalem, nisi qui Sacramentum reipsa percipit, vel percepit, con. pro reali perceptione, id est, præcise pro instanti realis, seu actualis perceptionis, ita, ut nemo recipiat gratiam Sacramentalem, nisi tunc, seu in eo instanti, in quo reipsa Sacramentum percipit, neg. min. Et dist. similiter cons. Ergo illam non causant, nisi dum realiter percipiuntur, id est, nisi propter realem sui perceptionem, con. præcise in instanti realis perceptionis, neg. cons.

Instabis. Sacramenta præcise significant gratiam pro instanti realis perceptionis; ergo tunc solum illam causant, & non postea.

Respondetur, neg. ant. & cons. vel dist. Si subjectum Sacramenti pro illo instanti jam sit capax recipiendæ gratiæ, con. si primum reddatur capax postea, neg.

Dices quarto cum Sporero, & Pantaleone supra. Non debet in Sacramentis asseri effectus aliquis supernaturalis ex opere operato, nisi is sufficienter probetur ex S. Scriptura, vel Conciliis, vel SS. Patribus; atqui nullius Sacramenti, præterquam Baptismi, reviviscentia sic probari potest; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. (distinctione ad simile argum. jam supra *num. 56.* adhibita) Nisi is probetur sufficienter, hoc est, certo, aut evidenter, neg. saltem valde probabiliter, aut probabilius, con. maj. Dist. etiam min. Sed nullius Sacramenti &c. reviviscentia ex tali aliquo capite probari potest sufficienter, id est, evidenter, aut omnino certo, con. valde probabiliter, aut probabilius, neg. min. & cons. Reviviscentiam omnium omnino Sacramentorum sufficienter (posteriore modo) probavimus ex Conciliis, & Patribus, Sacramenta in modo causandi comparantibus cum causis naturalibus; ut patuit supra *in respons.* 3. Unde illa ratio probativa, ibidem adducta, non innititur mero lumini naturali (cum ut sic non foret sufficiens ad probandum ejusmodi effectum supernaturalem) sed fundatur in assertis Conciliorum, & Patrum: consequenter &c.

Dices quinto. Non apparet, quomodo aliqua Sacramenta remaneant in Divina acceptatione; ut diximus: vel etiam dato, quod remaneant, adhuc non videtur perceptibile, quomodo ut sic physicum effectum gratiæ causent. Porro Scotus *loc. supra cit.* expresse negat, Sacramentum Pœnitentiæ reviviscere. Ergo saltem non omnia Sacramenta reviviscunt.

Respondetur, neg. primum membrum; cum enim illa quoque Sacramenta, non obstante obice, quocum recepta sunt, existant actiones quædam sacræ, & sanctæ ratione sanctitatis ab ipso principali Ministro, & Offerente, scilicet Christo derivatæ, & participatæ, merito putandum, ea manere in acceptione Divina: fere sicut opera meritoria per peccatum mortificata remanent in Divina acceptatione. Confer, quæ diximus in respons. ad primum argum. itaque discerne inter opera mortua, & mortificata. Secundum argumenti membrum dist. Non videtur perceptibile, quomodo illa Sacramenta tunc causent &c. physice, con. moraliter, neg. Hoc argumenti membro ii duntaxat premuntur, qui Sacramentis attribuunt vim physice causativam gratiæ; non item nos, qui vim moraliter causativam. Ad tertium argumenti membrum ajo, quod Doctor ibi loquatur ex suppositione sententiæ negantis, Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum, & informe; quam sententiam idem Doctor tanquam probabiliorem tuetur alibi, & nos tenebimus *tr. 4. hujus Partis*. Hac enim supposita utique Sacramentum Pœnitentiæ, cum non solum informe, sed & invalidum esse ponatur, reviviscere nequit. Secus dicendum,

dum, (& nos diximus supra per parenthesin) in suppositione contrariæ sententiæ, cui supra probabilitas denegari non debet.

Petes, quomodo sit amovendus obex, ut Sacramenta reviviscere possint?

Antequam huic petito satisfiat, præsciendum est, duplicem esse obicem, nempe *positivum*, & *negativum*. Positivus (quem etiam *formalem* vocant) est, quando quis in ipsa susceptione Sacramenti mortaliter peccat, peccato scilicet sacrilegii, v. g. quia sciens, & volens accedit ad Sacramentum cum affectu ad peccatum mortale; vel quia scit, se non esse legitime ad dignam Sacramenti receptionem dispositum. Et hic talis obex appellatur *fictio sacrilega*. Negativus (quem etiam *materialem* vocant) est, quando quis indispositus quidem accedit ad Sacramentum, sed tamen hoc invincibiliter ignorat, adeoque non peccat, v. g. nescit quis accedentem ad Baptismum debere esse attritum. Et hic obex non est aliud, quam *inculpabilis carentia attritionis*. Porro bene observandum, an post ficte susceptum Baptismum nullum aliud peccatum mortale sit admissum? præsertim si obex negativus tantum fuit. Nunc

Respondetur primo. Si fictio, sive obex fuit positivus, & sacrilegus; vel licet fuerit tantum negativus; si tamen post susceptionem Sacramenti peccatum mortale commissum fuit, tunc obex non tollitur, nec Sacramentum reviviscit, nisi per subsequentem actum vel contritionis, vel attritionis cum Sacramento Pœnitentiæ valido, & formato. Ita Scotus *loc. & q. cit.* aliique communiter. Ratio est: quia nullum peccatum, clavibus Ecclesiæ necessario subjiciendum, per se loquendo, & de lege ordinaria, aliter tollitur, quam alterutro ex modis prædictis: sed in casu posito adest peccatum, clavibus Ecclesiæ necessario subjiciendum, ut patet consideranti; ergo &c. Nec dicas, fictionem sacrilegam, si ponatur commissa in susceptione Baptismi, non pertinere ad peccata post Baptismum commissa, adeoque nec clavibus Ecclesiæ esse subjiciendam; Contra enim est, neg. assumptum; nam & similis fictio moraliter censetur commissa post Baptismum, prius enim natura est esse Baptismum, quam ficte suscipi Baptismum; ergo pertinet ad claves: consequenter vel per contritionem, includentem votum Sacramenti Pœnitentiæ, vel per attritionem cum reali susceptione ejusdem Sacramenti conjunctam, tolli debet.

Respondetur secundo. Si obex fuit tantum negativus, nec postea aliquod peccatum mortale admissum est, obex removetur, & Sacramentum reviviscit per veram, & generalem attritionem, Suarez *disp.* 18. *sect.* 5. *conclus.* 1. Coninch q. 62. *artic.* 1. *dub.* 6. *n.* 92. & alii itidem communiter. Ratio est; quia absentia attritionis unicus obex erat, quæ cum formaliter auferatur per positionem attritionis, clarum est, quod hoc ipso obex removeatur: consequenter &c.

CASUS VI.

86. *Paphnutius, Theologiæ Moralis Studiosus perquam sedulus, & accuratus, fatetur, se ex evolutione hujus Tractatus competentem hausisse notitiam de Sacramentis in genere; sed una conqueritur, nullam in eo factam esse mentionem de Sacramentalibus, quæ tamen & ipsa huc pertineant, seu reduci possint, ac debeant. Quærit proin 1. Quid sint Sacramentalia? 2. An Ecclesia habeat potestatem illa instituendi? 3. An ad eorum observantiam obligare etiam sub mortali valeat? 4. An Sacramentalibus insit vis de[illegible] peccata venialia ex opere operato? Quomodo hæ quæstiunculæ, ut Paphnutio conquerenti, & quærenti fiat satis, resolvendæ sunt?*

Respondetur; propositas quæstiunculas sic resolvendas esse.

Ad primum dicendum, quod Sacramentalia, stricte sumpta, sint *ceremoniæ sacræ, & religiosæ, institutæ ad ornatum, seu debitum cultum Sacramentorum, ac Sacrificii*. Quod tamen nomen etiam accommodatur variis ceremoniis, quibus Ecclesia utitur extra Sacramentorum administrationem, & Sacrificii celebrationem; cujusmodi sunt benedictiones aquæ, vasorum, vestium, candelarum, cineris &c.

Ad secundam quæst. dicendum, quod Ecclesiæ omnino competat potestas instituendi Sacramentalia. Sumitur ex Trid. *Sess.* 21. *cap.* 2. & Apostolo ibidem relato, qui, cum plura ordinasset circa usum Eucharistiæ, inquit: *cetera, cum venero, disponam*. 1. *Cor.* 11. 34. Atque ex perpetuo Ecclesiæ usu, quo docemur, multa ab Apostolis, eorumque Successoribus circa Sacramentorum ritus disposita esse. Confirmatur. Pontifex habet a Christo potestatem gubernandi Ecclesiam modo convenienti; ergo etiam censendus est habere potestatem instituendi ceremonias ad digniorem, & convenientiorem Sacramentorum administrationem, Missarumque celebrationem, & alias ad excitandam fidelium devotionem non leviter conducentes.

Ad tertiam quæst. dicendum, quod Ecclesiæ competat potestas obligandi sub mortali ad certos ritus, & ceremonias, in Sacramentorum administratione, & Missarum celebratione &c. observandas. Sumitur itidem ex Trid. *Sess.* 7. *de Sacram. in gen. can.* 13. & communi sententia statuente, posse Ecclesiam Leges sancire sub mortali obligantes; cur ergo idipsum non possit circa Sacramentalia?

Ad quartam quæst. dicendum, quod Sacramentalibus non insit vis delendi peccata venialia (1) ex opere operato; bene vero (2) ex opere operantis. Ita P. Herinex *part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 3. *q.* 7. *a num.* 86. & alii communiter. Ratio primi membri est: quia nullum subest fundamentum, quo illiusmodi vis Sacramentalibus inesse probetur; nec apparet, quod Ecclesia aliqua Sacramentalia eo fine instituerit; imo nec potuit sic instituere. Si enim dicatur, ex benedictione aquæ lustralis vim illam erui posse; eo quod in illa petatur, ut aqua sit in sanctificationem. Contra est: si inde erueretur vis ex opere operato remittendi venialia, erui quoque posset vis sic remittendi mortalia, cum sanctificatio horum remissionem vel maxime includat, seu supponat: sequela autem est procul a veritate; ergo &c. Ratio secundi membri est: quia juxta omnes, catholice credentes, Sacramentalia habent aliquam vim remittendi venialia; eam autem non habent ex opere operato (ut ostensum) ergo ex opere operantis, quatenus in fidelibus excitant pium aliquem motum voluntatis, quo venialia remittuntur.

Dices. Sacramentalia novæ Legis differunt a Sacramentalibus antiquæ Legis, quod illa conferant remissionem peccatorum venialium ex opere operato, ista vero eam contulerint ex opere operantis tantum; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Sed per hoc differunt, quod Sacramentalia antiquæ Legis fuerint præcise ordinata ad externam sanctificationem, & emundationem carnis; Sacramentalia autem novæ Legis ordinentur ad internam sanctificationem animæ, licet ad eam non concurrant ex opere operato, sed operantis tantum.

Et hæc sufficiant de Sacramentalibus in genere. De iis in specie aliquid dictum est *part.* 2. *num.* 394. & plura immiscebuntur per decursum in locis propriis.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.



Xplanatis iis, quæ de Sacramentis in genere dicenda erant, progredimur ad Sacramenta in specie, singula secundum ordinem, quo in Catechismo recensentur, expositurí.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis.

BAptismus, late, & quasi metaphorice sumptus, dividitur in Baptismum *Fluminis*, *Flaminis*, & *Sanguinis*. De Baptismu Flaminis, & Sanguinis acturi sumus infra *cap.* 4. Baptismus Fluminis subdividitur in Baptismum *Christi*, & Baptismum *Joannis*; inter quos sunt sequentes præcipue differentiæ. 1. Baptismus Christi sortitur dignitatem Sacramenti, cum sit institutus sub certa verborum formula, ad conferendam ex opere operatu gratiam sanctificantem: at vero Baptismus Joannis non fuerat institutus sub certa verborum formula, ut haberet rationem Sacramenti, & conferret gratiam ex opere operato; sed conferebat eam ex opere operantis tantum, quatenus illum suscipientes per actum Humilitatis excitabantur ad contritionem; ob quod *Marci* 1. non dicitr *simpliciter Baptismus* institutus in remissionem peccatorum, sed *Baptismus Pœnitentiæ* in remissionem peccatorum. 2. Baptismus Christi est necessarius necessitate medii omnibus viatoribus peccato originali infectis (& adultis etiam necessitate præcepti) prout docet communis: quem proinde solo Joannis Baptismo baptizati adhuc recipere debebant; prout habetur *Actor*. 2. Baptismus Joannis autem erat tantum sub consilio, & solis proderat adultis ad tempus, quo a Joanne fuit prædicatus. 3. Baptismus Christi imprimit characterem indelebilem in anima; qualem non imprimebat Baptismus Joannis. Sed hæc differentia pullulat ex prima. De Baptismo Joannis nihil amplius dicendum occurrit, quod ad nostrum faceret institutum; multa vero de Baptismo Christi, qui est Sacramentum novæ Legis, & quidem, si naturæ, & necessitatis ordo spectetur, inter alia ejusdem Legis Sacramenta primum, utpote principium, & janua eorum. Circa quem proinde sit

CAPUT I.

De Natura, Institutione, Materia, & Forma Baptismi.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Naturam, & Institutionem Baptismi.

SUMMARIUM.

87. *Definitur Baptismus*. 88. *Solvitur objectio*. 89. *Christus baptismum instituit ante suam Passionem*. 90. & 91. *Solvitur objectio, & determinatur tempus institutionis*.

87. DIco primo. Baptismus est *Sacramentum novæ Legis ad regenerationem spiritualem hominum institutum*. Ita cum communi P. Abreu *in Speculo Parochorum lib.* 9. *cap.* 2. *sect.* 1.

Explicatur breviter. Nam *ly Sacramentum novæ Legis* tenet locum generis; cum in eo Baptismus conveniat cum aliis ejusdem Legis Sacramentis. Reliquæ vero particulæ circumscribunt differentiam Baptismi a ceteris Sacramentis, præsertim quatenus exprimunt diversum Baptismi effectum, nempe regenerationem spiritualem, seu quod ejus virtute homines, originali macula contaminati, primam spiritualem vitam consequantur. Sed contra hoc, & ipsam definitionem

88. Objicies. Homo etiam per Pœnitentiam dicitur spiritualiter regenerari, præsertim quando antea etiam a fide Christi descivit, juxta illud Apostoli *ad Galat.* 4. ibi: *Filioli mei, quos iterum parturio*; ergo regeneratio spiritualis non est effectus proprius Baptismi: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. si regeneratio accipiatur proprie, seu pro omnium prima, prout ex dictis accipitur in definitione Baptismi. Unde regeneratio, qua regeneramur per Pœnitentiam, non est regeneratio proprie dicta, sed potius quædam resuscitatio animæ ad vitam spiritualem, quam ante per regenerationem acceperat. Ita Vinitor *ad Sacram. tit.* 2. *q.* 3. *n.* 1. & Babenstuber *de Baptis. art.* 1. *n.* 5.

89. Dico secundo. Christus Baptismum instituit ante Passionem. Ita communior, & omnino verior DD. sententia cum Doctore Angelico 3. *part. q.* 66. *art.* 2. & Subtili *in* 4. *dist.* 3. *q.* 4.

Probatur primo. Nam *Joan. cap.* 3. dicitur: *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*; nempe per Discipulos, prout explicat idem Evangelista *cap.* immediate *seq.* dum ait: *quanquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus*; ergo Baptismus tunc, adeoque ante Passionem Salvatoris, jam erat institutus; cum usus, & administratio Sacramenti utique supponat ejus institutionem.

Respondebis forte, Discipulos baptizasse Baptismo Joannis, non Christi.

Sed contra est: tum quia si Discipuli Christi baptizassent Baptismo Joannis, incongrue diceretur per eos baptizasse Christus; sed potius Joannes per eosdem baptizasse dicendus foret: prout notat Gonet *in suo Manuali Thomistico de Baptis. cap.* 1. Sc patet consideranti. Tum quia, & præsertim, Discipulis Christi baptizantibus absque causa, & ratione indignati fuissent Discipoli Joannis, quod tamen fecerunt, dum visa multiplici baptizatione, ab illis peracta, accurrerunt querulí ad Joannem, dicentes: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cujus tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*: si enim Discipuli Christi, approbante Christo, fuissent usi Baptismo Joannis, debuissent hujus Discipuli sibi, suoque Magistro potius gratulari, quam stomachari; eo quod hac ratione Baptismus Joannis multum dilatatus, & glorificatus fuisset. Quo etiam collimant verba S. Joannis Baptistæ *c.* 1. *Joan.* dicentis, se *baptizare in aqua*; Christum vero esse, *qui baptizat in Spiritu Sancto*.

Probatur conclus. secundo. Baptismus est janua ad omnia alia Sacramenta novi Testamenti, & sine illo, juxta Legem a Christo statutam, nequeunt aliorum Sacramentorum effectus participari; ergo censetur fuisse institutus ante omnia alia Sacramenta novi Testamenti; ergo etiam ante Eucharistiam, & Ordinem. Atqui hæc duo Sacramenta fuerunt instituta, pridie quam Christus pateretur, nimirum in ultima Cœna, & Apostolis tunc collata, juxta Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. ergo &c.

Respondebis forte, quod Christus tunc speciali dispensatione inverterit ordinem Sacramentorum, conferendo Apostolis alia Sacramenta ante Baptismum.

Sed contra est, quod nullum prorsus habeatur fundamentum asserendi, Christum ita fecisse, quamvis absolute loquendo potuisset ita facere. Porro in contrarium facit, quod Christus (juxta Nicephorum, Maldonatum, Vasquezium, & alios) propriis manibus baptizaverit B. Virginem, & (juxta Nazianzenum *Orat.* 39. atque Euthymium *in cit. c.* 3. *Jan.*) S. Petrum, a quo reliqui dein Apostoli, & ab his accurrentes populi baptizabantur. Quod itidem Christus ipse Joannem Baptistam, non longe post receptum ab hoc Baptismum in Jordane, baptizarit Baptismo suo, testatur non solum Nazianzenus *loc. cit.* sed insuper indicant verba ipsiusmet Salvatoris, Joanni dicenti, *ego a te debeo baptizari*, reposita, quæ erant, *sine modo*: his quippe videtur Salvator denotasse, quod ipse paulo post suo Sacratiori Baptismo esset baptizaturus Joannem. Nec modo dictis obstat textus supra adductus (*quanquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus*) intelligendus quippe est de frequenti administratione Baptismi, non vero de rara, & aliquoties facta.

90. Objicies tamen adhuc contra conclusionem se-

quentia. 1. *Joan.* 7. dicitur ab Evangelista: *nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, hoc est, quia Jesus nondum erat mortuus, nec gloriose resurrexerat: atqui si Baptismus, quo confertur Spiritus sanctus, jam institutus, atque administratus fuisset antea, utique Spiritus sanctus datus fuisset ante gloriosam Resurrectionem Christi; ergo &c. 2. Baptismus suam virtutem causandi accepit a Passione Christi; quoniam fluxit e latere Christi, juxta D. Augustinum *tr.* 15. *in Joan.* ergo Passionem Christi non antecessit. 3. Forma Baptismi primum fuit data Apostolis post Resurrectionem Christi, nempe *Matth. ultim.* hisce verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ergo Baptismus ante non fuit institutus.

Respondetur ad singula. Ad primum ajo, illum textum esse intelligendum de abundantiori, & visibili effusione Spiritus Sancti, quæ contigit in die Pentecostes; non vero de privata, & invisibili, quæ fit per collationem gratiæ sanctificantis: alioquin dicendum foret, nec Mariæ Magdalenæ ante Resurrectionem Christi fuisse remissa peccata, nec Apostolis per Sacramentum Eucharistiæ collatam gratiam in ultima Cœna; quæ tamen sequelæ ambæ sunt absurdæ. Ad secundum ajo, inde probari nimium, quod nempe etiam Sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis Presbyteralis non fuerint instituta ante Passionem Christi, contra omnes. Dico igitur, quod Baptismus habuerit virtutem causandi ex Passione Christi, vel ut prævisa, & acceptata in decreto Dei: vel quatenus inchoata, & consummanda in ligno Crucis; cum omnia merita Christi, a primo instanti conceptionis exercita, fuerint inchoatio quædam Passionis ejus in Cruce consummandæ. Ad tertium ajo, quod Apostoli, cum ex dictis ante Resurrectionem, & Passionem Christi baptizaverint, utique habuerint, & usi sint legitima forma baptizandi. Unde ex illo *Matth. ultim.* plus non evincitur, quam quod forma Baptismi, ante Apostolis privatim suggesta, postmodum fuerit publicata, impositumque præceptum baptizandi omnes gentes &c.

91. Quæres, quonam determinato tempore, puta quo die, vel hora, aut qua occasione Baptismus sit institutus ante Passionem Christi?

Respondetur, id non constare certo, apparere tamen ut verisimile, quod Christus illum instituerit brevi post susceptum Joannis Baptismum, nempe post reditum ex deserto, post vocationem, & aliquantam Apostolorum instructionem, cœptamque a se publicam novæ Legis prædicationem. Ita S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 3. *q.* 1. Scotus ubi supra. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 17. *q.* 1. *num.* 10. & Scotistæ passim, quibus accedunt Suarez, Conineh, Præpositus, & alii apud Henricx *de Baptis. disp.* 5. *q.* 1. *n.* 8. Sumitur *ex Joan.* 3. & 4. ubi leguntur Apostoli baptizasse ante Joannis Baptistæ incarcerationem; quæ contigit brevi post cœptam a Christo Legis Evangelicæ prædicationem, secundum id, quod habetur *Matth.* 4. & *Marci.* 1. ubi dicitur, quod Christus exinde cœperit prædicare Pœnitentiam &c.

Dices, Juxta plures SS. Patres Christus, cum a Joanne baptizaretur, sanctificavit aquas Jordanis, eisque sui sacri corporis contactu tribuit vim sanctificandi; sicque instituit materiam Baptismi Evangelici. Etiam instituit ibi formam ejusdem Baptismi, sive invocationem SS. Trinitatis, per apparitionem trium Personarum, Patris in voce, Filii in humanitate, & Spiritus S. in specie columbæ. Ergo tunc Sacramentum Baptismi instituit.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. dico, quod Christus ibi materiam, & formam Baptismi præsignaverit tantum, non autem actu instituerit, adeoque nec ipsum Baptismum. Et hoc unice volunt SS. Patres. Quod ostendi sic potest. Christus, dum instituit materias, & formas Sacramentorum, ipsaque adeo Sacramenta, egit ut Legislator; veluti concedunt SS. Patres, & DD. passim: atqui Christus, quando in Jordane baptizatus est, non egit ut Legislator, sed sustinuit personam pœnitentis; veluti eruitur ex Responsorio in Festivitate Epiphaniæ recitari, vel decantari solito: *Hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos*, id est, ut impleret munus pœnitentis, & satisfacientis pro nobis, quatenus causam naturæ humanæ in se suscipiens, ejusdemque vices agens, Baptismum Pœnitentiæ petere, & recipere dignatus est; ergo &c.

Instabis. Aliud est præcipere Baptismum, & aliud ipsum instituere. Primum non potest non esse actus Legislatoris; bene vero secundum. Deinde Christus in sua Passione sustinuit personam pœnitentis, seu peccatoris; & tamen egit simul ut Legislator, antiquam Legem abrogans, dum dixit: *consummatum est*, ut conderet novam. Ergo responsio a nobis data parum, aut nihil valet.

Respondetur, neg. cons. Et ad primum antecedentis membrum ajo, quod utique illi duo actus, absolute loquendo, separabiles sint, unusque exerceri sine altero possit; in institutione tamen Baptismi, & aliorum Sacramentorum uterque concurrerit; cum Christus Sacramenta voluerit esse signa stabilia, universam Ecclesiam concernentia &c. Ad alterum antecedentis membrum nego, quod Christus in Cruce sustinuerit personam Legislatoris; nam quando morituriens dixit: *consummatum est*, non abrogavit Legem veterem, nec novam condidit; sed solum innuit, consummata esse, quæ ad opus Redemptionis implendum pertinuerant. Et dato, textum esse exaudiendum de consummatione Legis antiquæ, adhuc tamen nihil evincit contra nos; siquidem explicari commode potest de consummatione Legis antiquæ in causa: prout advertimus *part.* 1. *num.* 246. Ex quo proin haud sequitur, quod Christus ibi in actu exercito sustinuerit personam Legislatoris; sed potius, quod extiterit causa meritoria, ut postmodum, *Lege timoris* abrogata, succederet *Lex amoris, & gratia:* sicut &, dum in Jordane a Joanne Baptismum Pœnitentiæ suscipere dignatus est, eo Humilitatis actu promeruit, & impetravit Baptismo e se instituendo vim, & virtutem sanctificandi.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam Baptismi.

§. I.

Quænam sit materia Baptismi remota, & quænam proxima?

SUMMARIUM.

92. *Materia Baptismi alia est* remota, *alia* proxima. 93. *Adstruitur remota.* 94. *Solvitur objectio.* 95. *& seqq. Deducuntur corollaria.* 98. *Adstruitur etiam materia proxima.* 99. *Fit corollarium.*

92. PRænotandum, & supponendum ex dictis *n.* 7. quod, sicut alia Sacramenta, ita & Sacramentum Baptismi duplicem habeat materiam, videlicet *remotam*, & *proximam*. Prior est ipsa res sensibilis, quæ applicatur, dum Baptismus administratur. Posterior est applicatio illius rei sensibilis. Nunc

93. Dico primo. Materia remota Baptismi est omnis, & sola aqua elementaris, seu naturalis, proxime apta ad abluendum.

Probatur ex Trid. quod *Sess.* 7. *de Baptis. can.* 2. sic loquitur: *Siquis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto: ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Idem docet Apostolus *ad Eph.* 5. ubi inquit, quod Christus tradiderit seipsum pro Ecclesia, *ut eam sanctificaret, mundans eam in lavacro, in verbo vitæ.*

Ratio a priori si petatur, alia afferri non potest, quam voluntas Christi sic instituentis. Si desideretur ratio a posteriori, & congruentiæ, eam suppeditat Scotus *in* 4. *dist.* 3. *q.* 3. ubi sic habet: *Quare autem sic sit institutum, sunt apertæ congruentiæ; quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria, & communis: & hæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptismus, qui est ad reprimendum æstum concupiscentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illustrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam salutis &c.*

94. Objicies *Matth.* 3. dixit Joannes de Christo: *Ipse vos baptizat in Spiritu Sancto, & igne*; ergo materia remo-

remota Baptismi a Christo instituti non est aqua, sed ignis; prout olim sentiebant Seleuciani.

Respondetur cum Valentia P. Babenstuber *de Baptis. art. 2. n. 2.* per ignem a Joanne ibi intelligi severitatem, & rigorem extremi judicii, ut sensus sit: *Ille vos baptizabit*, id est, purgabit, nunc quidem, seu in hac vita, *Spiritu sancto* in Baptismate, postea vero *igne*, seu rigido judicio in altera vita.

Responderi potest præterea cum aliis, ea, quæ in præcitato textu afferuntur, non dici ad designandam aliam materiam, sed solum ad denotandum discrimen efficaciæ inter Baptismum Christi, & Joannis; siquidem Baptismus Joannis fuit collatus in aqua sola, solumque corpus, non animam hominis attingente per gratiam ex opere operato causatam: at vero Baptismus Christi non confertur in aqua sola, seu solum corpus attingente, sed ad animam quoque penetrante, eamque Spiritus Sancti gratia, ex opere operato causata, perfundente, qua illa tanquam Divino igne & purgetur a peccatis, & in amore Dei inflammetur. In quo proinde sensu conceditur ant. & neg. cons.

95. Colliges primo, ea certitudine liquorem aliquem esse materiam validam Baptismi, qua retinet nomen, & rationem aquæ naturalis, ac usualis. Unde certo valet aqua fontana, marina, fluviatilis, pluvialis; item ex rore, pruina, nive, glacie, grandine eliquata, etsi sapore, calore, mixtione salis, sulphuris, & aliorum mineralium accidentaliter differant. Idem sentiendum de aqua, quæ fluxit ex latere Christi, & fuit (juxta Scotum supra) miraculose producta, adeoque quoad modum producendi (non quoad substantiam productam) diversa ab aqua elementari, & naturali. Ratio est: quia omnes istæ, & aliæ hujusmodi aquæ habent rationem substantialem, veramque denominationem aquæ naturalis. E diverso materia Baptismi certo invalida sunt vinum, lac, mel, oleum, phlegma, urina, lacrymæ, salivæ, sudores, liquores ex incisione vitis, vel ex cucumeribus stillantes, aliæque similes: item lixivium forte, jusculum, quod est spissum, & carnibus, vel alia materia valde decoctum; aqua multo vino immista &c. Ratio est: quia omnia ista vel nunquam fuere aqua naturalis, vel naturam, & denominationem illius per nimiam sui alterationem amisere. Idem dicendum de nive, gelu, glacie, non liquefactis: quia ut sic non sunt proxime apta ad abluendum. Materia demum dubia est aqua ex sale resoluta, ex floribus, arboribus, aut herbis vi ignis per distillationem expressa, ut aqua rosacea, aut similis: item aqua artificiose extracta e vino, cui antea erat admixta; quia incertum est, an non sint extractæ puriores partes vini: jusculum non admodum spissum; aqua luto non admodum denso confusa; lixivium leve, id est, aqua non multis cineribus imbibita; cerevisia tenuis &c. Ratio est: quia de his, & similibus dubitatur, an substantiam, & denominationem aquæ naturalis in rei veritate participent.

96. Colliges secundo, mortaliter peccare eum, qui baptizat in aqua impura, & turbida, si præsto sit, aut haberi possit pura. Ratio est: quia licet aqua impura sit materia certo valida Baptismi (supponimus enim, non esse ita mixtam, ut aquæ elementaris naturam exuerit) illius tamen usus, & applicatio menti Ecclesiæ, & reverentiæ Sacramenti graviter adversatur. Bonacina *de Baptis. disp. 2. q. 2. pun. 3.* Palao *disp. unic. pun. 3. n. 5.* Babenstuber *loc. cit. n. 13.* & alii passim. Similiter peccati lethalis reum se constituit, qui in Baptismo solemni adhibet aquam communem, seu non benedictam, si possit habere benedictam ex sacro fonte. Authores *citt.* Ratio est: tum quia contravenit Statuto *Clement. unic. de Baptis.* præcipientis in Baptismo solemni adhiberi aquam benedictam sacri fontis: tum quia in puncto gravi, quippe administrationem Sacramenti concernente, discedit a consuetudine universalis Ecclesiæ ubique obligatoria.

Dixi tamen: in Baptismo *solemni*; nam in *privato*, & *insolemni*, libere omittitur aqua benedicta, & adhibetur communis, seu non benedicta. Gobat *in Theol. Experim. tr. 2. n. 41.* cum communi. Ratio est opposita: siquidem tunc nec agitur contra Statutum *Clement. cit.* utpote expresse loquentis de Baptismo solemni tantum: nec contra morem Ecclesiæ.

97. Colliges tertio, semper esse peccatum mortale adhibere in Baptismo aquam non certo naturalem, si certo naturalis adsit, aut haberi valeat, DD. communiter. Ratio est: quia id graviter adversatur cum reverentia Sacramenti, utpote quod absque necessitate periculo frustrationis exponitur; tum Legi naturali Charitatis erga proximum, quippe qui irrationabiliter in supremum æternæ damnationis discrimen conjicitur. Quod si aqua certo naturalis haberi nequeat, dubia adhiberi debet: quilibet enim Lege Charitatis tenetur proximo, maxime in tanto animæ periculo versanti, opem ferre saltem dubiam, quando non potest certam. Ad consulendum tamen reverentiæ Sacramenti Baptismus tunc conferendus est sub hac conditione (saltem mente concepta) *si materia hæc idonea fit, ego te baptizo in nomine Patris &c.* & taliter baptizatus, si supervixerit, rebaptizandus est in aqua certo naturali (quando talis ad manum est, aut haberi potest) sub ista conditione: *si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

98. Dico secundo. Materia proxima Baptismi est ablutio. Ita insinuat Apostolus *ad Ephes. 5.* hisce verbis: *mundans lavacro aquæ &c.* ut supra *num. 93.* & tradit Scotus *in 4. dist. 3. q. 3.*

Probatur præterea hac ratione: siquidem illa est materia proxima Sacramenti alicujus, quæ per formam proxime determinatur; prout relinquitur ex alibi dictis: atqui ablutio per formam Baptismi proxime determinatur, puta ad significationem practicam gratiæ, & lotionem spiritualem animæ; ergo ablutio est materia proxima Baptismi. Min. patet consideranti formam Baptismi: *Ego te baptizo &c.* quæ plane non ipsam aquam secundum se, sed ablutionem, seu actionem ablutivam, quæ fit per aquam, immediate significat, adeoque proxime determinat &c.

99. Colliges, nomine ablutionis venire talem aquæ applicationem, qualis juxta moralem hominum æstimationem censetur necessaria, ut corpus dicatur vere lotum, sive ablutum. Unde ad valorem Baptismi non sufficit una duntaxat, vel altera aquæ gutta: quia juxta usitatum, & communem loquendi modum aspersio unius, vel alterius solummodo guttæ non censetur vera hominis ablutio, sed potius irroratio tantum. Eapropter qui extra casum necessitatis tam modica aqua baptizaret, grave peccatum sacrilegii patraret: quia Sacramentum saltem dubium redderet. Quod si tamen in necessitate alicui plus aquæ non suppeteret, posset etiam unica gutta, imo teneretur baptizare infantem sub conditione; quia opposita sententia saltem tenuiter probabilis est, & idcirco in casu necessitatis citra noxam practicabilis. Taliter autem baptizatus infans, si periculo liberatus rebaptizari posset, adhibita majori quantitate aquæ, rebaptizandus foret sub conditione, *si Baptismus ante collatus non valuerit.* Sanct Gallenses *de Baptis. q. 1. dub. 2. conclus. 4.* Herincx *part. 4. tr. 2. disp. 5. q. 3. n. 20.* & alii passim.

§. II.

Proponuntur, & resolvuntur nonnulla quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

100. *Quomodo ablutio fieri debeat?* 101. *An requiratur trina?* 102. *Probabilius non valet Baptismus, si quis stillicidio decidenti supponat puerum, & pronunciet formam.* 103. *Item si ablutio solas attingat vestes baptizandi.* 104. & 105. *In qua parte corporis ablutio valide, & in qua licite fiat?*

100. QUæres primo, an ablutio in conferendo Baptismum debeat fieri per immersionem, vel infusionem, vel aspersionem?

Respondetur, omnibus tribus modis posse fieri valide, & (per se loquendo) etiam licite. P. Elbel *de Baptis. n. 24.* & alii communiter. Ratio est: quia, quocunque ex dictis tribus modis baptizandus abluatur, vere abluitur.

Dixi autem: *per se loquendo.* Nam ut ablutio etiam fiat licite, v. g. per immersionem, non debet obstare contraria consuetudo, & praxis illius Diœceseos, vel Ecclesiæ, in qua Baptismus administratur, id est, non debet ibi esse præscriptus mos baptizandi, v. gr.

per affusionem; hoc quippe casu Baptismus illicite administraretur per immersionem; quamvis existimem cum P. Gobat ubi supra *n.* 63. & aliis, transgressionem ejusmodi ritus non esse nisi venialiter peccaminosam (secluso scandalo, & contemptu, ac speciali præcepto illius Diœcesis graviter obligante) eo quod non sit mutatio notabilis, aut aliena ab uso Romanæ Ecclesiæ.

101. Quæres secundo, an debeat fieri trina ablutio, vel sufficiat una?

Respondetur, esse in arbitrio Ecclesiæ positum, velitne trinam, vel unam duntaxat ablutionem adhibere: prout indicat S. Gregorius *lib.* 1. *epist.* 41. *ad S. Leandrum*, hisce verbis: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitatis, & in una potest Divinitatis singularitas designari*. Nec obstat, quod Pelagius Papa *dist.* 4. *de Consecrat. can.* 80. dicat: *Præceptum Evangelicum, ipso Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo dicente, & tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere*. Hoc, inquam, non obstat; siquidem non est accipiendum, quasi altefatus Pontifex definiat, necessariam esse ad valorem Baptismi trinam mersionem, sicut necessaria est invocatio SS. Trinitatis, sed huic illam conjungit; eo quod tunc fuerit in usu, imo & sub præcepto; quale tamen præceptum de facto per contrariam consuetudinem est abrogatum. Ceterum etiam hic sub peccato saltem veniali cujuscunque Diœcesis, aut Ecclesiæ consuetudo servanda est. Videatur Laymann *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 4.

102. Quæres tertio, an siquis aquæ e fonte promananti, aut stillicidio decidenti supponeret puerum, & pronunciaret formam Baptismi, efficeret verum Baptismum?

Respondetur negative. Ita mihi probabilior sententia, quam cum aliis a se relatis tenet Augustinus Michel *de Baptis. fol.* 76. *n.* 8. Ratio est: quia, ut valeat Baptismus, ipse pronuncians formam debet baptizandum vere abluere; quod non fieret in casu posito, utpote in quo potius fons abluit suppositum puerum; ut proinde actio, qua puer fonti supponitur, juxta communem loquendi modum non videatur esse, aut dici posse vera ablutio: consequenter &c. Opposita tamen sententia est etiam probabilis; siquidem præmemorata actio probabiliter sortitur rationem veræ ablutionis.

103. Quæres quarto, an valeat Baptismus, si absque penetratione aquæ ad cutem, solæ vestes baptizandi, quibus is indutus est, perfundantur?

Respondetur cum communi DD. negative. Ratio est: quia tali casu non ipse baptizandus, aut corpus ejusdem, sed solæ baptizandi vestes proprie ablui censentur; qualis ablutio non sufficit ad Baptismum valide conferendum.

Dices. *Actor.* 2. & 4. uno die ter mille, & alio quinquies mille homines per aspersionem aquæ baptizati leguntur: atqui non est credibile, quod aqua ad cujuslibet cutem usque penetraverit, sed potius quod multorum solas attigerit vestes; ergo &c.

Respondetur cum Marco Serra hic *q.* 66. *art.* 7. neg. min. Non enim putandum est, rem ita temere actam, ut unus duntaxat, vel alter baptizandos aspergeret; sed plures fuisse designatos Ministros, qui transeundo singulos ita aspergerent, ut aqua eorum capita sufficienter attingeret.

104. Quæres quinto, in qua parte corporis debeat fieri ablutio, ut valide conferatur Baptismus?

Respondetur primo, ad valorem Baptismi sufficere, si caput baptizandi abluatur. Ita DD. communiter. Ratio est: quia caput est præcipua pars hominis, in qua vigens omnes sensus tam inquam externi, per peccatum originale corrupti: cum proinde Baptismus principaliter institutus sit, & conferatur ad delendum peccatum originale, satis erit, si in ejus collatione caput abluatur.

Respondetur secundo, validum quoque esse Baptismum, si aliqua alia pars ex principalioribus in corpore baptizandi abluatur, v. gr. pectus, scapuli, humeri &c. Filliuccius *tr.* 2. *c.* 2. *n.* 33. cum communi. Ratio est: quia corpus hominis, aliqua istarum partium abluta, secundum communem usum, & modum loquendi simpliciter ablutum censetur.

Respondetur tertio, ad valorem Baptismi probabilius non sufficere, si abluatur aliqua alia pars minus principalis, v. g. manus, pes, digitus &c. multo minus, si soli capilli, aut pellis secundina immediate ab aqua physice tangantur. Ita cum aliis Filliuccius *loc. citat.* Ratio est: quia ad valorem Baptismi requiritur ablutio simpliciter dicta, seu per quam homo dicatur simpliciter ablutus; prout denotatur per verba formæ: *baptizo te*: atqui ablutio facta tantum in manu, pede, digito, capillis, pelle secundina, non est talis, nec per eam homo dicitur simpliciter ablutus, sed secundum quid duntaxat; ergo &c. Et vero capilli non sunt per se, & proprie pars corporis, sed hujus quoddam excrementum, & ornamentum. Similiter neque pellis secundina videtur esse proprie pars infantis, sed potius se habet quodammodo per modum vestis, Consequenter &c.

Dices contra tertiam respons. In qualibet minima parte corporis est tota anima; ergo hæc, seu anima purgari potest ab originali macula per ablutionem in quacunque corporis parte, etsi minus principali, factam.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Nam anima solum purgatur ab originali macula per talem corporis ablutionem, per qualem homo denominatur simpliciter ablutus; id quod non fit per ablutionem qualiscunque partis, sed solum per ablutionem alicujus partis ex principalibus.

Instabis. Homo denominatur simpliciter vulneratus, quando in sola manu, v. g. vel digito vulnus accipit; ergo etiam denominabitur simpliciter ablutus per ablutionem in simili parte, licet minus principali, factam.

Respondetur, neg. ant. (proprie loquendo, & in rigore denominationis præcipue derivatæ ab esse physico) sed tunc solum denominatur simpliciter vulneratus, quando læsio partis alicujus principalis in totum corpus redundat; aut quando ob multitudinem vulnerum perceptorum totum quasi corpus vulneratum censetur; prout contigit in corpore Christi patientis, in quo a planta pedis usque ad verticem capitis non erat sanitas.

105. Quæres sexto, in qua parte corporis debeat fieri ablutio, ut Baptismus licite conferatur?

Respondetur primo, ablutionem baptismalem ordinarie fieri debere in capite baptizandi, ob fundamentum *n. præced.* allatum; adeo, ut juxta communem DD. mortaliter delinqueret, qui extra casum necessitatis aliam partem, licet de principalioribus unam, v. g. pectus, ablueret; eo quod in re gravi ageret contra communem Ecclesiæ morem, & praxim.

Respondetur secundo, Si absque periculo mortis, aut alterius gravis nocumenti corporalis caput ablui non possit, licita erit, & sufficiet ablutio pectoris, aut alterius partis ex principalioribus. Neque Baptismus in simili parte collatus, repetendus est, tametsi commode, & citra nocumentum repeti posset. Ratio hujus est: quia juxta communem DD. (quidquid nonnulli absque probabili ratione reclament) Baptismus, sic administratus, certo valet; cum homo, in tali parte ablutus, dicatur simpliciter ablutus; sicut in ea læsus, dicitur simpliciter læsus. Suarez, Tannerus, Aversa, & alii, quos refert, ac sequitur P. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 267.

Respondetur tertio. Quando nulla pars ex principalioribus ablui potest vel absolute, vel sine gravi nocumento; ut si infans solam manum, pedem, aut digitum extra uterum maternum exerat; vel si extra quidem protendat partem aliquam principalem, sed adhuc pelle secundina circundatam; potest, & debet hujusmodi pars ablui in casu, quo infans creditur alioquin sine Baptismo decessurus. Ratio est eadem, quæ supra de aspersione modicissimæ aquæ: siquidem & hic aliquo modo dubium est, an non forte valeat Baptismus, taliter, seu per ablutionem ejusmodi partis minus principalis administratus; ergo cum certo validus conferri nequeat, & infans periclitetur vita, conferendus est (sub conditione tamen) dubius; ac postmodum, si infans in lucem vivus emergat, aut partem aliquam principalem exerat, sub conditione invaliditatis repetendus, conformiter dictis *num.* proxime *cit.*

ARTICULUS III.

Expediuntur, quæ concernunt formam Baptismi.

§. I.

Quænam sit forma Baptismi?

SUMMARIUM.

106. *Adstruitur forma, quam in baptizando adhibent Græci.* 107. *Quare dicant*: baptizatur? 108. *Adstruitur etiam forma Latinorum.* 109. *Quænam verba pertineant ad ejus essentiam?*

TAmetsi forma Baptismi substantialiter eadem sit, ac esse debeat in Ecclesia Græca, & Latina; aliis tamen verbis, accidentaliter diversis, profertur in una, aliis in altera. Quod ut pateat,

106. Dico primo. Forma baptizandi in Ecclesia Græcorum est: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et licet complures ex Latinis loco verbi *baptizatur* adhibeant, seu ponant verbum *baptizetur*, melius tamen ponitur illud, utpote quod habetur in Græco; prout testantur, & ostendunt Filliuccius *tr. 2. c. 3. n. 42.* Contenson *tom. 7. dissert. 3. c. 1. pag.* 251. & alii. Nunc

Probatur conclusio tum ex Concil. Florentino in Decreto Eugenii: tum ex antiquissimo usu Græcorum, cui Ecclesia Romana nullibi legitur contradixisse, aut præmemoratam formam, tanquam illicitam, vel omnino invalidam, reprobasse.

107. Quæres, quam ob causam Græci in forma baptizandi adhibeant verbum passivum *baptizatur*?

Respondetur. Ne Minister Baptismi videatur sibi arrogare efficaciam hujus Sacramenti; & ut ostendant, se esse remotissimos ab illo schismate, cujus meminit Apostolus 1. *Cor. 3. Ego sum Pauli: ego autem Apollo &c.*

108. Dico secundo. Forma baptizandi in Ecclesia Latinorum est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Probatur tum ex Conc. Trid. *Sess. 7. de Baptis. can.* 4. ubi clare traditur: tum ex praxi, & usu Ecclesiæ Latinæ, quæ illam constanter adhibet, tanquam per verba Christi: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c. Matth. ult.* insinuatam.

109. Quæres, an omnia verba hujus formæ sint ad valorem Baptismi necessaria?

Respondetur negative: sed hæc tantum, vel ipsis æquivalentia: *Baptizo te in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*: cetera proin, cum, iis omissis, sensus formæ substantialiter invariatus maneat (ut patet consideranti) ad valorem Baptismi non requiruntur; quamvis sine peccato, saltem veniali, non possint omitti. Hoc tamen, ita absolute pronunciatum, videtur intelligendum, quando Baptismus administratur in lingua Latina: si enim administretur in lingua Germanica, pronomen *Ego*, Ich, videtur necessario addendum necessitate Baptismi, adeo, ut Baptismus non subsistat, hoc modo administratus: Causf dich &c. cum hæ voces, omisso pronomine, nullum, aut non legitimum sensum efficiant; prout advertit Gobat *loc. cit. n.* 69.

§. II.

Proponuntur, & resolvuntur nonnullæ quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

An valida sit forma Baptismi, si pro ly in nomine *dicatur* 110. in virtute? *Vel* 111. in nominibus Patris, Filii &c. *Vel* 112. in nomine SS. Trinitatis? *Vel* 113. in nomine Christi? *Vel* 114. in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati?

110. QUæres primo, an valida sit forma Baptismi, quando pro *ly in nomine* substituitur, & dicitur: *in virtute, in potestate &c.*

Respondetur, ejusmodi formam esse incertam, & dubii valoris. Ratio est: quia incertum, & dubium est, an vocabula posteriora quoad vim significandi æquipolleant, & converti possint cum *ly in nomine*; eo quod illa videantur esse nomini latius patentes, & ad plura significanda extensibiles, quam *ly in nomine*. P. Babenstuber *loc. cit. art. 3. n.* 10, & alii apud ipsum.

111. Quæres secundo, an valeat Baptismus cum hac forma collatus: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti?*

Respondetur negative. Herincx *loc. cit. n.* 43. & alii communiter. Ratio est 1. quia (ut supra insinuatum) *Matth. ult.* dicitur: *baptizantes eos in nomine Patris &c.* 2. Quia D. Hieronymus *in cap. 4. ad Ephes.* ait: *Non baptizamur in nominibus Patris, & Filii &c. sed in uno nomine, quo intelligitur Deus.* 3. Quia ad collationem validam Baptismi non minus requiritur professio Dei ut Unius in essentia, quam ut Trini in Personis; ergo si forma Baptismi necessario necessitate Sacramenti involvat expressionem trium Personarum (prout involvit secundum dicenda *n. seq.* & communissima DD.), etiam sic involvet expressionem essentiæ, seu naturæ, per *ly in nomine* denotatam.

Dices. Valide baptizaret, qui in forma Baptismi diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti*; ergo etiam valide baptizaret, qui diceret: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: siquidem *ly in nomine* singulariter prolatum, ter tamen repetitum, & *ly in nomine* pluraliter enunciatum, videntur facere eundem sensum.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conseq. una cum ratione probativa ejusdem: siquidem idem nomen in singulari potest sæpius repeti, & tamen singulariter significare, ut patet, si dicam: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus*: ubi denotatur Deitatis unitas, non pluralitas. Unde quamvis *ly in nominibus* haud involvat unius naturæ in tribus Divinis Personis expressionem, eam tamen involvere videtur *ly in nomine*, licet ter repetitum; adeoque non faciunt eundem sensum &c.

Dixi: *transmisso antecedente*; nam multi id negant, nec improbabiliter. Rationem assignant, quod, etsi in forma taliter prolata non significetur positive diversitas, aut pluralitas naturæ Divinæ; haud tamen videatur satis exprimi ejusdem naturæ unitas: qualis tamen expressio ad valorem Baptismi est necessaria, secundum DD. communiter. Unde cautela hic adhibenda est, & obstetrices monendæ, ac instruendæ, ne dum idiomate germanico in casu necessitatis Baptismum administrant, memoratum vocabulum *ly in nomine* ter repetant; cum alias ejusmodi hominibus admodum familiare sit, in invocatione SS. Trinitatis (ut dum se cruce signant) cuilibet Personæ addere *ly in nomine Dei &c.* Et si constaret, Baptismum hoc modo collatum esse, sub conditione repetendus foret ob probabilem sententiam DD. formæ præfatæ valorem denegantium.

112. Quæris tertio, an valeat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis?*

Respondetur negative. Ita cum communi Sanct-Gallenses *de Baptis. q. 1. dub.* 3. Sumitur tum ex Conciliis, Lateranensi, Florentino, & Trident. *Sess. 7. de Baptis. can. 4.* ubi semper specifatim exprimuntur in forma Baptismi tres Divinæ Personæ: atqui talis expressio non fit, si dicatur præcise *in nomine SS. Trinitatis*, ut patet; ergo &c. Tum ex ipsa institutione Baptismi facta *Matth. ult.* ubi Christus dixit: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & sic determinavit formam Baptismi necessariam necessitate Sacramenti. Ratio congruentiæ est: quia cum Baptismus sit Sacramentum fidei, ac janua Ecclesiæ, debet in ejus receptione fieri externa professio præcipui Mysterii, quod Ecclesia credit, nempe unius Dei, & trium Personarum. Ideo D. Basilius *lib. de Spiritu S. cap.* 12. ait: *Sicuti credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

113. Quæres quarto, an valeat Baptismus collatus cum ista forma: *Ego te baptizo in nomine Christi?*

Respondetur itidem negative, saltem de facto. Ita denuo cum communi Sanct-Gallenses *loc. cit.* Sumitur 1. *ex can. 77. de Consecrat. dist.* 4. ubi Baptismus, in nomine Domini administratus, pronunciatur invalidus. 2. *Ex can. 81. ead. dist.* in quo asseritur, non perfici Sacramentum Baptismi, si in ejus forma vel una Persona

emittatur. 3. Ex D. Ambrosio, qui *lib. variar. QQ. q. 17.* ita habet: *Siquis baptizando dicit: Ego te baptizo in Christo Jesu, & non dicat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sicut Dominus instituit; non est verus Baptismus.*

Dices primo. *In Actu Apostol.* passim legitur Baptismus collatus in nomine Christi; ergo tunc valuit; ergo adhuc valet; cum Sacramenta sint ritus firmi, & permanentes, adeoque eorum materia, & forma, a Christo determinatæ, variationem non recipiant,

Respondetur, explic, & dist. ant. Omissa expressione Patris, Filii, & Spiritus S. neg. addita tali expressione in hunc modum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Jesu Christi Filii ejus, & Spiritus S.* con. ant. & neg. utranque cons. Audiatur S. Cyprianus *epist. 73.* ubi illa Petri verba *Actor. cap. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine &c.* sic explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quod Pater omitteretur, sed quod Christus quoque Filius adjungitur.* Et hoc ideo tunc factum est, ut nomen Jesu Christi notius, atque illustrius redderetur. Responderi prætetea ad argument. potest, con. ant. & primam cons. neg. vero alteram: id quod mox patebit ex limitatione responsionis ad quæsitum, Interim

Dices secundo. Nicolaus Papa *in can. 22. de Consecrat. dist. 4.* ad Quæsita quædam Bulgarorum ita perhibetur respondisse: *Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, rebaptizari non debent; ergo &c.*

Respondetur cum Sanct-Gallensibus *citt.* & aliis, neg. cons. Ad ant. ajo, Nicolaum qua Pontificem, & ex cathedra loquentem, ibi tantum definivisse, quod Baptismus, a Judæo collatus, possit esse validus; ideoque per se loquendo non repetendus (de hoc quippe solo a Bulgaris interrogatus fuerit) reliqua autem inseruisse tantum occasionaliter, & ut Doctorem privatum ex reverentia erga S. Ambrosium, quem sensisse credit, Baptismum, in nomine Christi administratum, valere: in quo tamen deceptus fuit.

Dixi autem in respons. ad quæsit. *saltem de facto*. Nam Scotus *in 4. dist. 3. q. 2.* & multi alii, præsertim antiquiores, tenent (idque omnino probabiliter) Apostolos in principio Ecclesiæ revera *in nomine Jesu Christi* baptizasse, non exprimendo invocationem SS. Trinitatis *per nomina Patris, & Filii &c.* sed ex speciali dispensatione Divina, ut nomen Jesu, eo tempore alias valde exosum, & plurimis ignotum, magis innotesceret, & gratum redderetur, si ad invocationem illius in Baptismo daretur gratia Spiritus sancti. Quæ tamen dispensatio duravit solum ad tempus, ad quod allegata ratio se extendebat; cessante autem ea ratione, etiam cessavit dispensatio, & Christus postmodum adhiberi voluit formam ordinariam a se institutam, & modo usitatam; quæ nunquam fuit sublata, sed semper, & stabiliter viguit cum permissione tantum alterius. Juvat transcribere verba, quæ Doctor Subtilis habet *loc. cit. §. de quinto*, ibi: *De nomine Christi patet, quod aliquando licitum fuit baptizare. Sed si modo sic traderetur, videtur, quod sic baptizans peccaret mortaliter, imo omnino non baptizaret. Primum probatur: quia legem Superioris nullus inferior potest revocare nec simpliciter, nec ad tempus: lex de baptizando in ista forma communi*, in nomine Patris, & Filii &c. *promulgata fuit a Christo* Matth. ult. *ergo eam pro tempore, pro quo Christus non revocavit, nullus alius potest revocare: sed licet dispensaverit in illa lege pro tempore primitivæ Ecclesiæ: quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi; tamen illa ratione cessante, non dispensavit; ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori potest aliqualiter a lege ista absolvi. Consimiliter probatur secundum; quia forma tradita communiter semper manet forma, nisi per formæ Institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua dispensatio: sed forma non fuit dispensative tradita, nisi pro tempore, pro qua fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi divulgaretur; ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione.* Ita in terminis alterfatus Doctor.

114. Quæres quinto, quid de hac forma sentiendum: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati?*

Respondetur, probabilius & ipsam esse invalidam. Ratio est: quia cum Baptismus sit Sacramentum commune omnibus hominibus, merito creditur non aliter institutus, quam ut administretur cum invocatione SS. Trinitatis sub nominibus cuilibet hominum notis, qualia sunt *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*; non autem *Genitor, Genitus, & Spiratus*, quippe quæ a solis fere Theologis intelliguntur; ergo &c. Deinde quamvis nomina *Genitor, Genitus, & Spiratus* reipsa, & a parte rei idem significent, quod nomina *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, Divinas nempe Personas, non tamen has significant eodem modo, puta sub ratione Personarum, quod tamen ad validam Baptismi formam requiritur, juxta Doctorem Subtilem *in 4. dist. 3. q. 2.* sed per modum originis, & in quantum una est principium, altera principiatum &c. Videri etiam potest P. Babenstuber *loc. cit. art. 3. n. 10.*

CAPUT II.

De Ministro, Subjecto, & Effectibus Baptismi.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum Baptismi.

§. I.

Quis sit, vel esse possit Minister Baptismi?

SUMMARIUM.

115. *Præmittitur aliquid pro intelligentia conclusionum.* 116. *Quivis homo viator potest valide baptizare.* 117. *Solvitur objectio.* 118. *& seqq. Ut etiam licite baptizet, requiritur necessitas, & observatio ordinis inter ministros.* 122. *Minister Baptismi ex officio, & licite conferendi, est solus Sacerdos, habens jurisdictionem.* 123. *& seq. Diluuntur argumenta contraria.* 125. *& 126. Parochus pro libitu munus baptizandi potest committere alteri Sacerdoti; ex gravi causa etiam Diacono; nullatenus autem Clerico inferiori.*

115. PRænotandum, & supponendum, quod Baptismus conferri possit vel *solemniter*, id est, cum ceremoniis ab Ecclesia præscriptis; vel *insolemniter* absque præfatis ceremoniis: item vel *valide tantum*; vel *valide, & licito simul*: itemque vel *ex officio*, vel *ex necessitate*. Nunc

116. Dico primo. Quivis homo viator, rationis compos, sive sit Clericus, sive Laicus, sive mas, sive femina, sive baptizatus, sive non baptizatus, potest tam extra, quam in necessitate valide baptizare: modo utatur debita materia, forma, & intentione.

Probatur primo. Nam ita definitur in *c. 1. de Summa Trinit.* & in Conc. Florent. quod in *Decreto ad Armenos* sic determinat: *Minister hujus Sacramenti* (nempe Baptismi) *est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier; imo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Nec refert, quod Concilium loquatur de casu necessitatis. Intelligendum quippe venit de collatione Baptismi non modo valida, sed & licita: atque hoc ipso implicite, & consecutive insinuat, Baptismum extra casum necessitatis a quovis ministrari non quidem licite, sed valide; cum casus necessitatis essentialia Baptismi non immutet: consequenter quando validus est Baptismus in casu necessitatis, etiam validus est extra illum, esto non sit licitus. Id quod patet ex facto Athanasii pueri extra casum necessitatis valide baptizantis, secundum dicta *num. 81. in respons. ad 1. argum.*

Probatur secundo. Quia Sacramentum Baptismi omnibus hominibus, parvulis, & adultis, ad salutem summe necessarium est; ergo ne misericors Deus in necessariis ad salutem deesset, merito censetur (imo constat ex praxi Ecclesiæ) hoc Sacramentum ita obvium instituisse, ut a quolibet homine, rationis compote, ministrari possit, in casu necessitatis valide, & licite simul (ut dicamus *conclus. seq.*) extra talem casum vero valide saltem.

Con-

Confirmatur. Ob dictam Baptismi necessitatem sufficit ex institutione Christi quæcunque aqua naturalis tanquam materia valida; ergo etiam quivis homo, rationis compos, tanquam minister validus.

117. Objicies. In *can.50. dist.4. de Consecrat.* baptizati a paganis, jubentur rebaptizari; ergo signum est, quod pagani non baptizent valide.

Respondetur, neg. cons. si ritu Christiano, seu in forma Ecclesiæ baptizent. Ad ant. ajo, quod Pontifex supponat, Baptismum a paganis ibi non fuisse ministratum in forma Ecclesiæ, prout innuit Glossa in *cit.can.* consequenter &c.

118. Dico secundo. In casu necessitatis non solum valide, sed etiam licite baptizat quivis homo viator, rationis compos, si cum debita intentione applicet debitam materiam, & formam; nec transgrediatur ordinem inter ministros in illo casu observandum.

Probatur: imo fluit ex probationibus *pro conclusione præced.* adductis, etiam hic, si rite pensentur, valituris. Sed pro ampliore conclusionis intelligentia

119. Quæres primo, qualis debeat esse necessitas, ut quilibet homo viator, rationis compos, licite baptizet?

Respondetur, requiri necessitatem se tenentem tam ex parte baptizantis, quam ex parte baptizandi. Ex parte baptizantis quidem, ut (secundum dicenda *num. seq.*) non adsit alius dignior, qui baptizet: ex parte baptizandi autem, ut alioquin exponatur periculo decedendi sine Baptismo. Quod periculum judicio Medicorum, obstetricum, aliarumve personarum intelligentium taxari poterit, ac debebit.

120. Quæres secundo, qualis in casu necessitatis sit servandus ordo inter ministros, ut Baptismus licite conferatur?

Respondetur, hunc ordinem esse servandum, ut præsente Parocho, non baptizet Sacerdos non Parochus: præsente Sacerdote, non Diaconus: præsente Diacono, non Subdiaconus, aliusve Clericus inferior: præsente Clerico, non laicus: præsente fideli, non infidelis: præsente viro, non femina: modo cetera sint paria. Ita præscribitur in Rituali Romano *tit. de Baptism. §. de Ministro Baptis.* Et ratio est: quia prædictæ personæ sunt tantum ministri necessitatis, quæ non habet locum respectu Sacerdotis non Parochi, quando adest Parochus; nec respectu Diaconi, quando adest Sacerdos; nec respectu Subdiaconi, quando adest Diaconus; & sic de aliis.

Dixi autem: *modo cetera sint paria*. Unde si baptizandus sit infans, nondum integre ex utero materno egressus, femina, v. g. obstetrix, baptizare debet, non mas, sive hic sit laicus, sive Clericus, Parochus, vel alius Sacerdos, Diaconus &c. Similiter in baptizando præferenda est femina viro, quando illa melius callet formam, modumque baptizandi, quam iste. Ratio est: quia in his, & similibus casibus suppetit justa causa, v. g. verecundiæ, utilitatis &c. prædictum ordinem invertendi. P. Elbel *de Baptis. n.45.* & alii passim.

121. Petes, quantum sit peccatum, præmemoratum ordinem sine rationabili causa invertere?

Respondetur primo, esse mortale (1.) si præsente Parocho, præferatur Sacerdos non Parochus, aut (2.) præsente Sacerdote, præferatur alius; aut præsente fideli, infidelis. Ratio primi colligi poterit ex dicendis *n. seq.* Ratio secundi est: quia sic irrogaretur gravis injuria tum ipsi Sacramento, quod ob reverentiam sibi debitam exigit administrari a solo Sacerdote, quando id fieri potest: tum Ordini Sacerdotali, vi cujus habetur jus, & potestas ordinaria baptizandi, quamvis hæc sit adhuc incompleta, donec accedat jurisdictio; prout itidem patebit ex dicendis *num. seq.* Ratio tertii est: tum quia id fieri vix potest absque gravi scandalo: tum quia & tali casu gravis irreverentia, ac injuria Sacramento infertur. Navarrus *in Manual. c.22. n.7.* Sanct-Gallenses *loc. cit. q.2. dub.1.* Babenstuber ubi supra *art.5. num. 3.*

Respondetur secundo, etiam esse mortale, si Diacono præferatur Clericus inferior, aut laicus. Ita Sanct-Gallenses ubi supra. Herincx *de Baptis. num.11.* & alii communius contra Laymanum, & alios. Ratio est: quia Diaconus vi Ordinationis specialiter deputatur ad baptizandum (ex commissione nimirum Parochi) & obtinet speciale jus ad peragendum tale ministerium, juxta Glossam *in can.13. dist.93.* communiter receptam, ibi: *Ubi necessitas exigit, & Presbyter est absens, potest Diaconus jure suo* (licet non ut Minister ordinarius, & ex officio) *baptizare*; ergo dum alius inferior præfertur Diacono, huic infertur specialis injuria, eaque gravis; cum contingat usurpatio juris alieni momentosi, & in puncto gravi.

Respondetur tertio, invertere prædictum Ordinem inter reliquos ministros necessitatis, puta si Subdiacono præferatur Clericus inferior, Clerico laicus, viro femina, non esse, nisi veniale. Authores *cit.* aliique communiter. Ratio est opposita: siquidem, cum nullus istorum ministrorum, sive vi Ordinationis, sive aliunde, specialiter deputatus sit ad baptizandum, aut jus aliquod speciale obtineat ad peragendum tale ministerium, nec Sacramento, nec cuiquam ex ministris infertur injuria, saltem proprie dicta, & gravis, etiamsi prædictus ordo invertatur; & per consequens non apparet, unde contrahatur culpa mortalis: esto contrahatur venialis, quatenus contingit levis aliqua deordinatio contra Præscriptum Ritualis Romani supra allegati.

122. Dico tertio. Extra casum necessitatis, & ex officio, ac solemniter solus Sacerdos, habens jurisdictionem, licet baptizat.

Probatur tum ex Concil. Florentino, quod in *Decreto ad Armenos* dicit: *Minister hujus Sacramenti* (Baptismi scilicet) *ordinarius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Tum ex ratione congruentiæ: cum enim omnis, & solus Sacerdos habeat potestatem in corpus Christi verum, mediante collatione Sacerdotii acquisitam, congruum est, ut etiam omnis, & solus Sacerdos habeat potestatem in corpus Christi mysticum, id est, potestatem congregandi, ac recipiendi homines in Ecclesia fidelium, mediante collatione Baptismi.

Dixi in conclus. *habens jurisdictionem*. Nam ut potestas baptizandi, quæ Presbytero in S. Ordinatione confertur, proxime expedita, ac licite exercibilis fiat, requiritur concessio Ecclesiæ, qua assignentur certi subditi, circa quos exerceatur. Licet enim, spectato præcise Jure Divino, quilibet Sacerdos posset licite baptizare ex officio, & solemniter; Ecclesia tamen justis de causis statuit, ut tale officium illi dumtaxat Presbyteri licite exerceant, qui certos subditos, sibi assignatos habent, circa quos exerceant. Id quod constat ex *can.10. caus.16. q.1.* Unde Episcopus, vel Parochus committeret peccatum mortale ex genere suo, si subditum alterius Diœceseos, aut Parochiæ sine licentia proprii Episcopi, vel Parochi baptizaret: licet enim baptizando ageret valide (secus, ac sacramentaliter absolvendo) ageret tamen illicite contra gravem prohibitionem Ecclesiæ. Excusari tamen a peccato saltem mortali posset, si id attentaret semel tantum, vel bis, Episcopo, aut Parocho proprio sciente, & non contradicente, nec hujusmodi collationem multum curante; vel in eam præsumptive saltem consentiente. Babenstuber *loc. cit. n.10.* & alii apud ipsum. Nunc contra conclus.

123. Objicies primo. Diacono in sacra Ordinatione injungitur, ut ministret ad altare, baptizet, prædicet &c. ergo & ipse est minister Baptismi ex officio: consequenter non solus Sacerdos.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, sensum verborum, quæ in S. Ordinatione ad Diaconum proferuntur, non esse absolutum, quasi omnia, quæ ibi injunguntur, peragere ex proprio officio possit, ac debeat; sed accommodum, ita, ut ex officio ministret ad altares; baptizet vero, aut prædicet ex commissione, aut licentia Episcopi, vel Parochi. Ex quo proin plus non sequitur, quam Diaconum posse solemniter baptizare tanquam ministrum delegatum, & extraordinarium.

124. Objicies secundo. Ante susceptionem Baptismi homo non est subjectus Ecclesiæ; prout testatur Trid. *Sess.14. cap.2.* ergo baptizandus non est subjectus certæ Diœcesi, vel Parochiæ, cujus Episcopus, vel Parochus præ reliquis in illum jus, seu potestatem jurisdictionis habeat: consequenter &c.

Respondetur, dist. conf. Non est subjectus certæ Diœcesi &c. directe, & ratione sui præcise, con. indirecte, & ratione alterius, puta ratione loci, in quo degit, & ratione parentum, sub jurisdictione hujus Episcopi, vel Parochi, & non alterius constitutorum, neg. hanc, & alteram conf.

125. Quæres primo, an Parochus, vel alius habens jurisdictionem ordinariam, alteri Sacerdoti, vel Diacono committere pro libitu possit munus baptizandi?

Respondetur; quod sic committere possit Sacerdoti, nulla censura ligato; non item Diacono: huic enim ut committi possit, requiritur extrema, vel saltem gravis necessitas per textum in *can.13. dist.93.* ibi: *absque Episcopo, vel Presbytero baptizare (Diaconi) non audeant, nisi prædictis Ordinibus fortassis longius constitutis, necessitas extrema* (vel gravis; ut addunt DD.) *compellat*. Pro gravi autem necessitate hic assignant DD. Palao, Layman, La Croix *lib. 6. part. 1. n. 76.* baptizandorum multitudinem, gravem infirmitatem Parochi, excommunicationem ejusdem &c. Ceterum quando ob ejusmodi prægnantem causam Diacono committitur Baptismus, debebit illum ministrare solemniter, si possit: sic enim Ecclesia, dum permittit, ut Diacono in simili casu possit committi munus baptizandi, vult Baptismum ministrari. Suarez, Valentia, Coninch, quos refert, & sequitur Augustinus Michel *de Baptis. fol. 81. n. 5.*

126. Quæres secundo, an, absolute loquendo, etiam Clericus, Diacono inferior, v. gr. Subdiaconus, constitui possit minister Baptismi solemniter administrandi?

Respondetur, posse (1.) ex commissione S. Pontificis; non autem (2.) ex commissione Episcopi, vel Parochi. P. Marinus Panger *lib. 4. de Baptis. n. 199.* & alii passim. Ratio primi est: quia solemnitas Baptismi est Juris Ecclesiastici, quod plene subjacet dispensationi, ac dispositioni S. Pontificis; neque aliunde quidquam obstare videtur, quo minus ministerium Baptismi solemnis ex plenitudine potestatis Pontificiæ committi valeat Subdiacono. Ratio secundi sumitur a contrario: quia Jus Ecclesiasticum non cadit sub potestatem dispensativam Episcopi, vel Parochi; ergo cum Subdiaconus, vel alius Clericus Diacono inferior, non recipiat in S. Ordinatione potestatem solemniter baptizandi, ex commissione Episcopi, vel Parochi, illi hæc provincia demandari ab illis non poterit.

§. II.

Proponuntur, ac resolvuntur nonnullæ aliæ quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM:

127. *Nullus potest seipsum baptizare.* 128. & 129. *An unus simul plures, & plures unum baptizare valeant?* 130. *Utrum peccent, qui simul baptizant unum?* 131. *Ubinam sit baptizandum?* 132. & *seqq. Recensentur Parocho, & Parentibus hic observanda.*

127. Quæres primo, an aliquis, v. g. catechumenus in fide satis instructus, valide baptizare seipsum possit?

Respondetur negative. Ita cum communi P. Elbel ubi supra *n. 32.* & aperte habetur decisum in *cap. 4. de Baptis.* ubi etiam adducitur ratio probativa, quod *inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio*, id est, personalis distinctio; nam sicut nemo carnaliter, ita nec spiritualiter seipsum generare, seu regenerare potest; qualis regeneratio fit per Baptismum, conformiter ad illud *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. &c.*

128. Quæres secundo, an unus possit simul plures baptizare?

Respondetur, Potest (1.) valide; non autem (2.) licite extra casum necessitatis. Ita Scotus *in 4. dist. 6. q. 2.* Pinger *loc. cit. n. 210.* & alii communiter. Ratio primi est: quia potest Sacerdos simul plures valide absolvere, dicendo: *ego vos absolvo*; ergo etiam simul plures baptizare, dicendo: *ego vos baptizo*. Cons. tenet a paritate. Ant. ostenditur: si enim illa absolutio non esset valida, non posset esse licita in casu necessitatis, v. g. tempore pestis, aut naufragii; ut per se patet: sequela autem adversatur communi DD. sensui, ipsique etiam praxi; ergo &c. Ratio secundi est: quia inverteretur modus, & consuetudo Ecclesiæ in baptizando usitata; quod licite, & citra peccatum, idque grave, fieri non potest.

Dices. Vel in tali casu essent plura Baptismata, vel unum? neutrum videtur posse affirmari; ergo &c.

Respondetur, hoc argumentum pati instantiam in casu absolventis plures simul. Deinde neg. min. & ajo, esse plura Baptismata. Ratio est: quia sunt plures baptizati; & per consequens plures baptizationes passivæ: item plures baptizationes activæ, pluresque formæ, nempe virtualiter, & æquivalenter; cum similis absolutio, & formæ prolatio æquipolleat pluribus ablutionibus physice diversis, & pluribus formis, v. g. istis: *baptizo te Petre, baptizo te Paule &c.* quod sufficit ad plurificationem Baptismatum, ex mente Doctoris Subtilis *cit.* & aliorum communiter.

129. Quæres tertio, an plures simul possint valide baptizare unum?

Respondetur primo. Si plures ita simul baptizent, ut unus eorum abluat, & alter formam pronunciet, invalide baptizant. Scotus ubi supra, & alii communiter. Ratio est: quia sic falsificatur forma Baptismi; cum eam proferens non possit cum veritate dicere: *ego baptizo*; hoc ipso, quod alius abluat; præsertim quia ablutio baptismalis obtinet rationem actionis personalis, & intransitivæ in alium, id est, actionis, quæ nequit transire in alium, ut ab eo efficiatur.

Dices. In Sacramento Pœnitentiæ pœnitens exhibet materiam, & Sacerdos inducit formam; ergo etiam in Sacramento Baptismi unus ministrorum poterit applicare materiam, & alter proferre formam.

Respondetur, neg. cons. Ratio disparitatis sumitur ex dissimili natura, & indole horum Sacramentorum: siquidem Sacramentum Pœnitentiæ a Christo institutum est per modum judicii, in quo unus accusat, & sic materiam affert; alter vero absolvit, & sic formam profert: at Sacramentum Baptismi non est institutum per modum judicii, sed unice, ac simpliciter per modum regenerationis spiritualis &c.

Ex dictis fluit, similiter nullum esse Baptismum, si ministri alio quovis modo ministerium externum inter se dividant: ut si unus proferat priora verba formæ, alius posteriora: si unus mediam partem aquæ necessariæ ad ablutionem, alter aliam infundat; quia forma significat, eum, a quo profertur, totam ablutionem ad Baptismum necessariam efficere. Nec obstat, quod contrahentes Matrimonium, inter se dividant ministerium. Nam hoc exigit ratio contractus, in quo fundatur ratio Sacramenti superaddita; utpote qui essentialiter consistit in consensu duorum &c. Simile non est in Sacramento Baptismatis: ut patet ex proxime dictis.

Respondetur secundo. Si plures ita simul baptizent, ut quilibet integre abluat, & proferat, atque absolvat formam cum aliis, habeatque intentionem baptizandi independenter ab aliis, valide baptizant. Ita denuo Scotus *cit.* & alii communiter. Ratio est: quia quilibet ita baptizantium habet necessariam, & sufficientem intentionem baptizandi; applicat debitam materiam, ac formam, ut patet consideranti; ergo quilibet valide baptizat. Confirmatur a paritate. Si plures Sacerdotes simul proferant formam consecrationis supra eandem materiam, illamque absolvant in uno, eodemque instanti, quilibet valide consecrat; ut patet in actu S. Ordinationis, ubi Neo-Mystæ simul cum Episcopo consecrant; ergo similiter, si plures eundem hominem aqua perfundant, & super ipsum formam pronuncient, quilibet valide baptizat, modo verba formæ absolvat in eodem instanti, in quo alii; prout impræsentiarum fieri supponimus. Quod si contrarium accidat, & unus alios præveniat, formamque citius absolvat, ipse solus consecrat, vel baptizat; eo quod tunc forma, & ab aliis prolata, cadat supra hostiam jam consecratam, & iteratam consecrationis incapacem; vel supra subjectum, jam charactere Baptismali insignitum, & idcirco Baptismi iterato recipiendi incapax.

Dices primo. Si plures eundem hominem simul baptizare possent, conficerent plures numero Baptismos; sequela autem est patenter falsa; ergo &c. Prob. seq. Quando adhibentur plures materiæ, & formæ Sacramentales, plura conficiuntur Sacramenta: atqui id fieret in casu, ut patet; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Ad prob. dist. maj. Quando adhibentur plures materiæ, & formæ, plures physice tantum, neg. plures etiam moraliter, con. maj. Dist. pariter min. Id fieret in casu, hoc est, adhiberentur plures materiæ, & formæ plures physice tantum, con. plures etiam moraliter, neg. min. & cons. Formæ illæ,

earum-

earumque pronunciationes, uti & ablutiones a singulis simul factæ, per virtutem agentis principalis, nempe Christi, propter unitatem subjecti baptizabilis ordinantur ad significandum, & causandum unum, eundemque characterem, ac gratiam; ob qualem proinde significationis unitatem moraliter coalescunt, censenturque una forma, & una materia: consequenter &c.

Dices secundo. Si plures simul eundem hominem abluendo agerent valide, deberet quilibet in singulari uti hac forma: *ego te baptizo:* sed hæc forma non sufficit; ergo &c. Majorem concedunt omnes Patroni nostræ sententiæ. Min. ostenditur: alias nanque sufficeret etiam ista forma ab omnibus simul, & in plurali prolata: *nos te baptizamus;* cum sic prolata æquipolleat pluribus in singulari pronunciatis, nempe istis: *ego te baptizo*, & *ego te baptizo &c.*

Respondetur, neg. min. Ad probat. nego seq. & rationem probativam; siquidem hæc forma: *nos te baptizamus*, in plurali, & a pluribus simul prolata, habet modum significandi conjunctim, & ministerium baptizandi inter ministros dividit, adeo, ut quilibet censeatur agere dependenter ab altero: at vero ista forma: *ego te baptizo*, in singulari a quolibet prolata, habet modum significandi divisim, nec ministerium inter baptizantes dividit, sed potius denotat, quod quilibet baptizet sine dependentia ab alio: consequenter &c.

130. Petes, an peccent, qui simul baptizant unum?

Respondetur affirmative. Et quidem si baptizent modo in prima respons. ad quæsit. expresso, de se patet; cum baptizent invalide, quod absque sacrilegio fieri nequit. Si vero baptizent modo in secunda respons. expresso, baptizant quidem invalide, quando formam simul finiunt; quia tamen vix moraliter possibile est, ut unus alterum in prolatione, & absolutione formæ non præveniat, quo casu ipse solus baptizaret, & alterius actio tota irrita foret; hinc tali quoque casu non evitatur peccatum sacrilegii ob proximum periculum Sacramenti irritandi.

Dices. Possunt plures licite consecrare simul eandem hostiam non obstante præfato periculo frustrandi formam, & Sacramentum Eucharistiæ; ut patet in Neo-Mystis consecrantibus cum Episcopo ordinante; ergo etiam possunt plures licite baptizare eundem hominem, non obstante periculo frustrandi formam, & Sacramentum Baptismi.

Respondetur, concesso antecedente in casu de Neo-Mystis (nam extra illum pariter illicitum est) neg. conf. & parit. Ratio disparitatis est: quia in casu antecedentis tunc nihil fit contra usum, & praxim Ecclesiæ; sicut in casu consequentis. Cur autem Ecclesia permittat unum, & non alterum, est, quod in Sacramento Eucharistiæ periculum frustrationis cohonestetur ex mystica significatione ejusdem, quatenus nempe institutum est per modum convivii, cui plures adhiberi solent; non ita in Sacramento Baptismi, utpote quod non obtinet rationem convivii.

131. Quæres quarto, ubinam administrandus sit Baptismus?

Respondetur, administrandum esse in Ecclesia Parochiali, non in privatis domibus, regulariter loquendo. Responsio expresse habetur *in Clementinis, cap. unic. de Baptis.* cujus tenor est: *Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint; aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam, absque periculo, propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant.* Juvat porro transcribere verba Augustini Michel *de Baptis. fol. 83. n. 15.* quæ sunt: *Invaluit tamen in Germania mos, ut etiam causa frigoris hyemalis in domibus Parochorum, aut adituorum baptizentur proles; cui forsan antiquitas temporis, ac conniventiam Episcoporum jam vim consuetudinis tribuit. Sed utinam non immodice extenderetur hæc consuetudo, prout fit, quando prætextu cujusque, neutiquam immodici frigoris, ab Autumno usque ad tempus vernum infantes in domibus baptizantur, aut a Parochis cujuscunque Officialis, aut insignioris civis domum accurritur, ut ibi ministretur Baptismus: quod equidem a gravi peccato non excusaverim.* Ita ille; ita & ego.

132. Quæres quinto, quænam præterea incumbant Parocho circa ministrationem Baptismi?

Respondetur primo. Parocho incumbit curare, ut obstetrices bene instructæ in puncto ministrandi Baptismum constituantur, vel provideantur. Hoc ut rite præstet, prævie illas examinare debet, & interrogare, quæ sit materia apta Baptismi, quæ forma, & quæ utriusque conjunctio necessaria? item an infans sit baptizandus apparente manu, vel pede, vel cum dubitatur, an sit vivus? Hæc, aliaque talia si ignorare deprehendantur, docendæ sunt, & donec didicerint, a baptizando arcendæ. Eodem modo prohibendæ sunt fungi suo officio, quando sciuntur imperitæ in sua arte, quoad perfecte didicerint; quia ob earum imperitiam sæpe infantes periclitantur, & moriuntur sine Baptismo. Atque hæc Parochi obligatio gravis est; cum in re gravi concernat curam animarum ei concreditarum. Ita P. Abreu *in Specul. Parochor. lib. 9. sect. 7. n. 106.*

Respondetur secundo. Quando offertur infans baptizandus, interrogare Parochus debet, an fuerit domi baptizatus? Si affirmetur, solicite percontetur ab eo, vel ab ea, quæ baptizavit, qua materia, qua forma, & qua intentione baptizaverit? Nec illico credendum, & acquiescendum est: siquidem non raro deprehendi error substantialis solet, tametsi ad primam interrogationem (præsertim quando sunt rustici, idiotæ, aut fœminæ) respondeant, se rite baptizasse. Unde iterato, distincte, & reflexe interrogandi sunt; non vero, licet forte in respondendo titubent, aut hallucinentur, increpandi, ne forte exasperati, aut perturbati falsum dicant; sed veritas benigne ab eis elicienda: quo facto reprehendi poterunt, vel etiam debebunt, si opus fuerit. Author *cit. n. 108.*

Respondetur tertio. Quando infans in casu necessitatis baptizandus est domi sive a Parocho, sive ab alio, non debent adhiberi omnes solemnitates, quæ adhibentur ex præscripto extra casum necessitatis in Ecclesia; sed satis est, si adhibeantur materia apta, forma necessaria, & debita intentio. Postea, si puer supervivat, deferendus est in Ecclesiam, & omnes solemnitates, etiam quoad exorcismos, & catechismum, supplendæ: veluti (teste Authore *cit. num.* 107.) præscribit Rituale Romanum &c.

Respondetur quarto. Juxta SS. Canonum, & præsertim Concilii Trident. præscriptum tenetur Parochus præparatum habere librum, in quo annotet nomina, & cognomina baptizatorum, eorumque parentes, & patrinos; diem præterea nativitatis, & collati Baptismatis. Cumque ratione Professionis Religiosæ, Ordinum, Matrimonii, imo ipsorum natalium, multum intersit, prædicta annotasse, a gravi peccato immunis non erit Parochus, si notabilem ea in re negligentiam commiserit. Augustinus Michel *loc. cit.*

133. Quæres sexto, an liceat parentibus Catholicis suas proles baptizandas mittere ad ministros acatholicos, quando a magistratu acatholico ad id faciendum sub gravi pœna adiguntur?

Respondetur negative. Ita Lessius *in Auct. verb. Baptis. cas. 2.* Pignatellus *tom. 7. consult. 55. n. 2.* Michel *fol. 82. num.* 10. & alii. Ratio est: quia agerent contra præceptum Fidei, ejusque professionem externam; ergo mortaliter peccarent. Conf. patet. Ant. ostenditur. Baptizatio, quam parentes Catholici ex mandato pœnali magistratus acatholici a ministro acatholico petere deberent, per eam ipsam constitutionem pœnalem determinatur ad contemnendam Religionem veram, & protestandam, ac honorandam falsam; ergo peccaretur contra præceptum Fidei, ejusque professionem externam: cumque hoc sit intrinsece malum, nullo metu, etiam ipsius mortis, cohonestari potest. Revide, quæ diximus *part. 2. n. 55.*

134. Petes, quid ergo agendum ejusmodi parentibus?

Respondetur, quod mater, si commode possit, teneatur se conferre ad locum Catholicum, ut ibi prolem enitatur, & Catholice baptizari curet. Quod si hoc fieri commode non possit, tenebuntur parentes facere, ut proles privatim ritu Catholico baptizetur: nisi certo prævideant, illam, etsi contestaturi sint de Baptismo jam collato, adhuc per acatholicos violenter abripiendam,

piendam, & per Prædicantem iterato baptizandam fore; hoc quippe casu melius facient non baptizando, quam baptiaando, cum videatur esse minus malnm, quod infans baptizetut ab hæretico, quam quod ab eodem rebaptizetur. Lugo *de Fid. disput.* 14. *sect.* 5. *num.*164. La Croix *lib.*6. *part.*1. *num.*280. Michel *ubi supra n.*12.

135. At nunquid parentes licite possunt prolem alterutro modo prius catholice baptizatam offerre Prædicanti, ut ab eo inscribatur libro baptizatorum?

Respondet affirmative P. La Croix *loc. cit. n.* 279. Rationem dat: siquidem parentes idcirco non censentur agnoscere in Prædicante potestatem aliquam spiritualem, sed præcise adhibere cautelam pto habenda suo tempore attestatione suscepti Baptismi.

Sed oppositum tenendum esse censen cum Augustino Michel *loc. & num. cit.* Ratio est: siquidem talis inscriptio fit a Prædicante, ut Ministro ordinario, ad id munus specialiter a falsa secta deputato; insuper fit in Albo, in quo annotantur baptizati, ut aggregati tali falsæ religioni; ergo requisitio talis inscriptionis sapit aliquam professionem ejusmodi falsæ sectæ. Ex quo patet responsio ad rationem P. La Croix; nam licet parentes eo in casu non agnoscant in Prædicante potestatem spiritualem mentaliter, aut explicite; convincuntur tamen agnoscere ipso opere, ac implicite: quod pariter sub gravi culpa prohibitum est.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Subjectum Baptismi.

§. I.

Quale sit Subjectum Baptismi?

SUMMARIUM.

136. *Subjectum Baptismi est omnis, & solus homo viator, nondum baptizatus.* 137. *Etiam infans, partui vicinus.* 138. *Ubi aliqua observanda inculcantur.* 139. *An, & quando monstra sint subjecta capacia Baptismi?* 140. *An ex hominibus adultu baptizari quoque possint, ac debeant amentes? Item* 141. *proles infidelium, invitis parentibus?*

136. Dico. Subjectum Baptismi est omnis, & solus homo viator, nondum baptizatus. Ita omnes Catholici.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem; nam *Matth. ult.* dicitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* & *Marci ult. Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ratione vero; quia omnis, & solus ille est subjectum Baptismi, pro quo hic noscitur institutus, tanquam necessarius ad salutem: sed pro omni, & solo homine viatore, nondum baptizato, ita noscitur institutus, veluti colligitur ex textibus immediate adductis; ergo &c.

Dixi: *homo viator.* Unde si homo inter baptizandum, nondum finita forma, moriatur, Baptismus est nullus; eo quod baptizandus tunc, cum forma completur, & verificari deberet, non amplius sit viator.

Dixi præterea: *nondum baptizatus.* Unde invalidus est Baptismus iteratus, seu homini jam baptizato collatus: prout infra *n.*142. declarabitur. Nunc aliquot quæstiones, omnino momentosæ, & practicæ, resolvendæ sunt. Igitur

137. Quæres primo, an infans, partui vicinus, nondum tamen extra uterum maternum effusus, sit subjectum capax Baptismi?

Respondetur affirmative. Idque tenet, sive deln aliquam partem corporis ex utero materno exerat; sive adhuc totus, vivus tamen, in eodem includatur: dummodo per fistulam, vel aliud instrumentum fundi aqua in uterum possit, eaque fœtus sufficienter ablui. Layman *lib.*5. *tr.*2. *cap.*3. *n.*2. Babenstuber *tr.*8. *part.*2. *disp.*1. *art.*2. *num.*23. *in fin.* Elbel *n.*51. & alii communius. Ratio est: quia talis infans est homo viator, nondum baptizatus; ergo ex se est subjectum capax Baptismi: consequenter hic illi in casu partus vicini, at desperati, sub conditione impendi potest, ac debet: quamvis si præter expectationem infans in lucem vivus emerserit, itidem sub conditione rebaptizandus sit; eo quod contraria sententia, maxime quando infans adhuc totus utero clausus existit, sua probabilitate non careat.

Dices primo, Missale Romanum prohibet, fœtum in utero matris adhuc inclusum baptizari; ergo &c.

Respondetur cum P. Schelmazgrueber *lib.* 3. *tom.* 2. *tit.*42. *n.*22. Missale esse intelligendum de fœtu editioni nondum vicino; non autem de eo, qui editioni jam vicinus est, ac egredi nititur, de quali nostra procedit, & loquitur responsio. Unde neg. cons.

Instabis. Non apparet, qua ratione aqua ad fœtum, etsi editioni jam vicinum, adhuc tamen utero materno clausum, totque involucris, & secundinis circumdatum, pertingere, & illum immediate contingere, atque abluere ablutione vera, & successiva valeat; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam Comitolus (prout refert *cit.* P. Schmalzgrueber) testatur, sed ab expertissima obstetrice didicisse, quod Infans, partui vicinus, uteri materni ostia aperire soleat, ut manu tangi, & aqua infusa ad eum deferri valeat. Quare haud apparet, cur non possit, & in necessitate debeat baptizari; cum in tali articulo adhibendum sit omne medium, spirituali infantis vitæ, ac saluti forte profuturum.

Dices secundo. *Qui natus adhuc secundum Adam non est, regenerari secundum Christum non potest*, juxta *can.*113. *de Consecrat. dist.* 4. sed infans, adhuc utero materno clausus, nondum est natus secundum Adam; ergo &c.

Respondet P. Schmalzgrueber, quod textus allatus canonicam authoritatem non habeat, cum non sit alicujus Concilii, vel Rescripti Apostolici. Sed quidquid sit de hoc, neg. min. argumenti; nam licet infans nondum sit in lucem editus, recte tamen natus secundum Adam dicitur, quatenus in, & cum eo, seu morali Capite, jam contraxit peccatum originale.

Instabis. Non potest spiritualiter renasci, qui non est natus corporaliter: sed infans in casu nondum est natus corporaliter; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Alioquin nec infans, qui vivus ex utero sectæ matris eximitur, posset spiritualiter renasci, seu baptizari: sequela autem est contra omnes: consequenter &c. Unde licet infans spiritualiter renasci, seu baptizari regulariter non soleat, nec debeat, antequam nascatur corporaliter; in casu tamen necessitatis, & instante morali æternæ perditionis discrimine baptizari potest, & debet; modo illius corpusculum probabiliter aqua attingi, & ablui valeat, tunc quippe salvari tota Baptismi substantia potest.

Urgebis. Renasci idem est, ac iterum nasci; ergo ut quis renascatur, debuit jam prius fuisse natus.

Respondetur, dist. cons. Debuit jam prius fuisse natus vel corporaliter, vel saltem moraliter, id est, in Adamo, secundum proxime dicta, transeat. necessario corporaliter, subdist. si alias aqua ad corpus deferri, & hoc abluere non possit, con. si possit, neg. cons. pro casu necessitatis. Authores oppositæ sententiæ supponunt, vel certe supponere debens, quod aqua nullo artificio ad infantile corpus pertingere, idque abluere possit; cujus tamen contrarium saltem probabile est, ex dictis.

138. Ubi pro praxi tria veniunt advertenda. Primum est, quod matrem, adhuc viventem, tametsi judicio Medici proxime morituram, non liceat secare, ejusque uterum aperire, ut infans, alias sine Baptismo decessurus, valeat baptizari: quia talis sectio, cum sit per se, & directe (in istis saltem circumstantiis) occisiva innocentis (qualis mater esse supponitur; si enim nocens esset, & mortem promerita, contrarium tenendum foret interveniente authoritate Judicis) est intrinsece mala, & nullo modo cohonestabilis; ut proinde hic subsneret illud Apost. *ad Rom.* 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Layman, & Babenstuber ubi supra.

Secundum est, quod si mater gravida, & partui vicina moriatur, os mortuæ illico aperiri, vel apertum teneri debeat (ne alioquin infans, forte vivus, in usoro mortuæ latitans, suffocetur) imo matris utero secari, ut infans inde eximi, ac baptizari queat. La Croix *loc. cit.* 293. & alii passim.

Tertium est, quod ordinarie non deceat, mulieribus par-

bus parturientibus adesse Parochos, vel Sacerdotes in ordine ad baptizandam prolem, idque propter pudorem; sed roganda sit obstetrix, ut ipsa baptizet. Quod si tamen nec obstetrix, nec alia mulier perita, præsto sit, aut haberi possit, & periculum in mora sit, tenebitur Parochus, vel alius Sacerdos pro salute infantis pudorem viriliter exuere, & officium suum facere. Chapeaville *de necess. & modo administr. Sacram. temp. pestis, cap.2. q.10.*

139. Quæres nunc secundo, an monstra sint subjecta capacia Baptismi?

Respondetur, esse, si (1.) referant; haud vero (2.) si non referant hominem. Laymau *lib.5. tr.2. cap. 6. n.13.* & alii passim. Ratio est: quia monstra primi generis censentur informata anima rationali, & esse reipsa homines; non item monstra secundi generis. Quod si neque ex forma, seu specie externa, neque ex operationibus ejusmodi monstrorum certo deprehendi possit, sed dubitetur, num anima rationali constent, & homines sint, Baptismus est differendus, donec res penitius exploretur, dummodo non immineat periculum mortis; hoc namque casu Baptismus statim impendendus esset sub ista conditione: *si tu es homo, ego te baptizo, &c.*

Ex quibus sequitur primo, monstrum, in quo præcipuæ partes vitæ, puta caput, & pectus, formam humanam præseferunt, baptizandum esse (idque absolute) non item monstrum, cujus principalia membra formam bestialem exhibent. Babenstuber *loc.cit.art.6.n.11.* & alii communiter. Ratio est: quia in priore casu prudenter judicatur, tale monstrum vivere vita rationali, & esse hominem; secus, in posteriore. Quod si solum caput ferinum sit, pectus vero humanum, incertum est, an ejusmodi monstrum informetur anima rationali: siquidem disceptatur inter DD. an pectus, vel cor, quod latet sub pectore, se solo præbeat sufficiens fundamentum judicandi, ejusmodi monstrum vivere vita rationali? Unde Minister tunc gerere se debet, sicut quando alias dubitatur, an monstrum sit homo, nec ne? Ita Author *cit.*

Sequitur secundo, monstrum procreatum ex femina homine, & mare bruto, non esse baptizandum; bene vero, (sub conditione tamen) monstrum ex mare homine, & femina bruto ortum. La Croix *loc.cit.n.296.* & alii apud ipsum. Ratio est: quia prius monstrum certo non est homo; cum juxta omnes ad conceptionem, ac generationem hominis necessario (præscindendo a speciali Dei concursu) concurrere debeat semen hominis maris: at posterius monstrum est probabiter homo; siquidem juxta permultos semen mulieris ad conceptionem hominis non est necessarium. Videatur Author *cit.*

Sequitur tertio, monstrum, quod constat duplici capite humano, ita, ut ex operationum diversitate satis colligatur, esse duos homines, quia e.g. uno capite dormiente, alterum vigilat, baptizandum esse sub distinctis verborum formis, & ablutionibus. Vivaldus *de Baptis. c.ult. n.24.* Bonacina *disp.2. q.2. pun.6. a n.2.* Michel ubi supra *fol.85. num.3. ad fin.* Ratio est: quia juxta receptum Ecclesiæ morem ad multiplicationem subjectorum, Baptismi capacium, regulariter multiplicanda est hujus Sacramenti administratio sub multiplici forma, & ablutione. Igitur cum in casu posito caput, in quo alias Baptismus conferri debet, duplex sit, utrunque sub distincta forma abluendum est, regulariter, & quando non periculum in mora; nam si periculum in mora sit, ita, ut discrimen subeundæ mortis distinctam ablutionem sub duplici pronunciatione formæ non admittat, potest, ac debet Baptismus conferri una affusione aquæ (utrunque tamen caput attingente) & una prolatione formæ, quæ sit virtualiter duplex, dicendo: *Ego vos baptizo &c.*

140. Quæres tertio, an ex hominibus adultis baptizari quoque possint, ac debeant amentes?

Respondetur primo. Si sint amentes a nativitate, & perpetui, seu tales, qui usum rationis nunquam habuere, nec adepturi existimantur, statim baptizandi sunt, quamvis ad receptionem Baptismi se disponere nequeant. Ratio est: quia taliter amentes æquiparantur parvulis, usum rationis necdum consecutis; ergo, sicut isti sunt baptizandi, esto se ad Baptismum disponere nequeant, ita & illi.

Respondetur secundo. Si non sint amentes a nativitate, sed aliquando sui compotes extiterint, aut lucida intervalla habuerint, dispiciendum est, an tempore usus rationis, aut lucidi intervalli ostenderint voluntatem suscipiendi Baptismum, nec-ne? Si prius; baptizandi sunt (modo non constet de peccato mortali personali ab ipsius perpetrato &c.) si posterius; non sunt baptizandi. Ratio a contrario petitur: quia hujus generis amentes non æquiparantur infantibus; consequenter in illis prærequiritur positiva intentio etiam ad validam susceptionem Baptismi: atqui si tempore usus rationis, aut lucidi intervalli ostenderint voluntatem suscipiendi Baptismum, eamque non retractaverint, censentur habere intentionem positivam, ad suscipiendum Baptismum requisitam, cum ea tempore amentiæ adhuc habitualiter perseveret; & non censeatur habere talem intentionem, si antea voluntatem suscipiendi Baptismum nunquam ostenderint, vel eam retractaverint; ergo &c. Quod si dubium sit, an tempore usus rationis, aut lucidi intervalli Baptismum petierint, baptizandi sunt sub conditione in hunc modum: *si petivisti Baptismum, ego te baptizo &c.* nisi Baptismus in tempus, & occasionem commodiorem differri possit; ut puta, si periculum mortis nullum immineat, & sperentur adhuc superventura lucida intervalla: hoc quippe casu expectandum, & administratio Baptismi differenda foret.

Dixi supra per parentesim: *modo non constet de peccato mortali personali ab ipsis perpetrato &c.* Si enim tali quoque peccato gravati noscerentur (peccatum autem originale non est objectum Pœnitentiæ) baptizandi non essent, nisi præter voluntatem suscipiendi Baptismum, etiam scirentur, aut præsumi possent elicuisse contritionem, saltem imperfectam, seu attritionem, eo quod hæc, ex dictis *n.40.* in adultis, peccato mortali personali inquinatis, ad licitam, & fructuosam Baptismi susceptionem necessaria sit. Bonacina *de Baptis. disp.2. q.2. pun.6. num.21.* Babenstuber ubi supra *art.6.n.15.* & alii passim.

141. Quæres quarto, an baptizari possint proles infidelium, invitis parentibus?

Respondetur primo. Proles infidelium, sive baptizatorum, sive non baptizatorum, adhuc parvolæ, & usum rationis necdum adeptæ, possunt valide baptizari, utut reclament parentes. Ita DD. communiter. Ratio est: quia ad validam ejusmodi prolium baptizationem nihil requiritur aliud, quam materia, forma, & intentio Ministri, ex dictis *n.34.* Quod si usum rationis jam sint adeptæ, valide baptizantur (1.) quando petunt Baptismum; secus (2.) quando non petunt. Ratio primi est: quia homo rationis usu præditus in negotio æternæ salutis debet esse sui juris; ergo consensus prolium in Baptismum est legitimus, & efficax, nec dependet a consensu parentum: consequenter &c. Ratio secundi est: quia in adultis, id est, rationis usu pollentibus, necessaria est ad valorem Baptismi positiva voluntas, seu intentio hunc suscipiendi, ex dictis *num.34. cit.*

Respondetur secundo. Proles infidelium baptizatorum, sive adhuc parvulæ sint, & usum rationis necdum consecutæ, sive jam adultæ, & usu rationis præditæ (modo hæ baptizari petant) etiam licite baptizari possunt, invitis parentibus. Est itidem communis DD. Ratio est: quia homo baptizatus ita est subditus Ecclesiæ, ut ab ejus jurisdictione nunquam se subtrahere possit, propter characterem animæ illius in Baptismo indelebiliter impressum; ergo potest Ecclesia ipsum cogere & ad servandam fidem in Baptismo datam, & ad servanda præcepta Divina, ac Ecclesiastica, inter quæ est præceptum de procurando prolibus Baptismo: unde si parentes hoc præceptum negligant, poterit Ecclesia, ipsis invitis, eorum parentes baptizare, &, si opus fuerit, baptizatos a paterna cura subtrahere, ut in rebus fidei instruantur &c.

Respondetur tertio. Etiam proles infidelium non baptizatorum possunt, invitis parentibus, licite baptizari. 1. Si usum rationis jam habeant, & Baptismum petant. Ratio est: quia (ut ex proxime dictis constat) homo, rationis usus præditus, in iis, quæ ad animæ salutem pertinent, sui juris existit: imo Lege Divina, cujus observantiam nequeunt impedire parentes, ad recipiendum Baptismum obstringitur. 2. Si versentur in præsen-

præsenti articulo mortis, licet usum rationis nondum assecutæ sint. Ratio est: quia tunc cessat periculum (saltem proximum) perversionis, & moraliter non amplius censentur (saltem quoad punctum recipiendi Baptismatis) constitutæ sub potestate parentum, utpote quam paulo post judicantur egressuræ. 3. Quando unus parentum consentit. Ratio est: quia cum in educatione prolium, & cura salutis utrique parenti a natura concessum sit æquale jus, consensus unius in receptionem Baptismi, cum cedat in favorem Religionis, & salutem prolium, atque hoc ipso rationabilis sit, prævalere debet adversus damnosum, & irrationabilem dissensum alterius. 4. Si proles sint perpetuo amentes. Ratio est: quia hæ ex una parte versantur in extremo salutis periculo, certo interituræ, nisi Baptismate juventur; ex altera vero parte nullum subeunt periculum perversionis, licet parentibus relinquantur. 5. Si (per fas, vel nefas) parentum potestati, ac curæ eo usque subductæ sint, ut nulla moraliter spes supersit ad eos redeundi. Ratio est: quia & tali casu periculum perversionis cessat. 6. Si sint Principi Christiano despotice subjectæ; cujusmodi sunt servi proprie dicti, seu mancipia. Ratio est: quia Princeps, aut alius Dominus fidelis potest ob alium finem ejusmodi proles, cum existant in pleno ejus dominio, abstrahere a potestate parentum, puta ut vendat, aut donet alteri; unde prævidet sub curam parentum non redituras; ergo etiam potest illas abstrahere eo optimo fine, ut baptizentur, & in Christiana fide educentur. Atque in his casibus DD. conveniunt. 7. Tandem, si sint Principi Christiano subjectæ civiliter. Ita Scotus *in 4. dist. 4. q. 9.* Mastrius, Bosco, Herinex, & alii Scotistæ communiter, quibus præter alios subscribit P. Pichler *libr. 5. Decret. tit. 6. n. 14.* contra Thomistas, & plerosque RR. Ostenditur ex Scoto, qui *loc. cit.* sic habet: *Dico ergo breviter, quod si Princeps faceret cum cautela bona, scilicet ne parentes prius cognoscentes hoc futurum, occiderent pueros suos, & quod baptizatos faceret religiose educari, bene faceret.* Ratio quoque suffragatur: quia *Matth.* 28. universaliter præcipit Christus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos:* vi cujus præcepti quilibet tenetur suscipere Baptismum, & alios ab ejus susceptione non impedire; ergo parentes in casu absque omni jure se opponunt, & impediunt baptizationem suarum prolium. Sed

Dices primo. Ejusmodi proles deberent parentibus auferri; cum alias non possent religiose educari, ut requirit Scotus supra: atqui si auferantur, fit injuria parentibus, quippe patriam in eas potestatem habentibus; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Siquidem patria potestas non tribuit parentibus jus contrarium præcepto Divino, Baptismi susceptionem, indeque debitam conversationem religiosam omnibus injungenti.

Dices secundo, Ut Baptismus in casu licite conferretur, faceret authoritas Principis, cui parentes, ipsæque etiam proles supponuntur civiliter subjectæ: sed authoritas Principis nihil facit ad licentiam Baptismi conferendi; ergo &c. Min. prob. Nam ea authoritas, cum sit mere politica, & civilis, non porrigit se ad spiritualia.

Respondetur, omissa majore, neg. min. Ad prob. ajo, quod ea authoritas etiam se porrigat ad spiritualia, non quidem directe ob rationem datam; sed indirecte, quatenus ad conservandam in bono statu Rempublicam civilem vel maxime conducit observatio Divinorum præceptorum, de quorum classe est præceptum Baptismi suscipiendi, & administrandi.

Dices tertio. Ecclesia nostram sententiam nunquam ad praxim deduxit; ergo signum est, quod ejus sequela non sit licita.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. cons. sed solum quod non sit expediens ob periculum æqualium, aut majorum malorum, quæ ex tali praxi provenire nata sunt. Unde & Ecclesia praxim ejusmodi prohibere posset, si vellet. Quod autem actu prohibuerit, non probatur efficaciter. Herincx n. 34.

§. II.

An, & quomodo sit rebaptizandus, de quo dubitatur, an sit valide baptizatus?

S·U M M A R I U M.

142. *Non est rebaptizandus infans, de quo morali certitudine constat, quod jam sit baptizatus: secus* 143. *si rationabiliter dubitetur.* 144. *Nec est rebaptizandus, quem vel unicus testis fidelis testatur jam baptizatum.* 145. *& seqq. An infantes ab obstetricibus, vel hæreticis baptizati, aut expositi, sint rebaptizandi?*

142. HÆc quæstio, cum sit omnino practica, speciali §. ventilari, ac decidi meretur. Antequam vero id fiat, supponendum est ex communi omnium DD. Catholicorum sensu, quod gravissimum sacrilegii crimen perpetretur, si aliquis rebaptizetur (etiam sub conditione tantum) de quo morali certitudine constat, quod jam sit valide baptizatus. Ita determinatur *in can.* 110. *dist.* 4. *de Consecrat.* ubi ejusmodi rebaptizatio appellatur *inexpiabile facinus.* Ratio insuper est: siquidem gravis irreverentia irrogatur Sacramento, dum ejus collatio cum nullitate actus scienter attentatur; prout fieret in casu proposito, utpote in quo secundus Baptismus certo esset nullus, eo quod homo jam valide baptizatus, adeoque charactere indelebili jam insignitus, sit subjectum Jure Divino incapax alterius Baptismi. Porro tam scienter sic rebaptizans, quam scienter rebaptizatus, duplicem pœnam incurrunt; unam directam in Jure Civili, *L. 2. Cod. ne sanctum Baptisma iteretur*, ubi damnantur pœna capitis; alteram decretam in Jure Canonico *cap. 2. de Apostatis*, ubi declarantur ipso facto irregulares: quamvis hæc irregularitas solum contrahatur a rebaptizantibus, & rebaptizatis absolute, ex dictis *part. 3. n. 343.* Nunc

143. Dico. Quando est rationabile dubium, sive negativum, sive positivum, sive facti (puta an Baptismus fuerit collatus?) sive Juris (an nempe fuerit collatus valide?) iterari debet sub conditione in hunc modum: *si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Habetur clare *in c. 2. de Baptis.* Ratio petitur ex summa necessitate hujus Sacramenti; ne videlicet homo, de cujus Baptismo dubitatur, ob ejusdem carentiam, aut invaliditatem æternæ damnationis periculo exponatur. Nec timendum est, ne forte Sacramento ex hac iteratione irreverentia fiat. Tum quia necessitas dubie baptizati omnem irreverentiam excusat, & cohonestat. Tum quia juxta Canonistarum axioma in *capit. 3. de Presbytero non baptizato, non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.* Nec (ut dicitur in *canon. 111. de Consecrat. dist. 4.*) *temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*; ipsaque conditio, formæ præposita (sive ore expressa, sive mente retenta) excludit omne sacrilegæ reiterationis periculum: si enim homo ille jam sit valide baptizatus, minister non habet intentionem conferendi iterato Baptismum: consequenter &c.

144. Colliges primo, non esse rebaptizandum, quem vel unicus testis, nulla probabili suspicione mendacii laborans, affirmat esse baptizatum: dummodo non adsint indicia, vel conjecturæ in contrarium; vel alius testis non minoris fidei neget esse baptizatum. Ita Gonet *disp. 1. de Baptis. art. 4. n.* 115. aliique passim; & colligitur ex *can.* 108. *de Consecrat. dist. 4.* ibi: *Parvulos, qui parentibus subtracti sunt, &, an baptizati sint, an non? ignoratur; ut hos baptizare debeas secundum Patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit.* Ergo a contrario, si fuerit, qui testificetur (quod nempe sint jam baptizati) amplius baptizari, seu rebaptizari non debent. Accedit ratio; nam ejusmodi testis testimonium (cum hic non agatur de prejudicio tertii) moralem certitudinem gignit.

Nec obstat, quod in *can.* 109. *de Consecrat. dist. 4.* dicatur: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos sine dubitatione esse testentur --- absque ullo scrupulo eos esse baptizandos.*

Non, inquam, obstat hic *can.* quippe intelligendus relate ad diversa Baptismata, & diversos baptizatos;

non

non vero relate ad idem Baptisma, eundemque baptizatum, quasi pro Baptismate uni collato plures testes requirantur, ut iterari non debeat, nec possit. Babenstuber *loc. cit. art. 6. n. 33.*

145. Colliges secundo, infantes, ab obstetricibus baptizatos, non esse indiscriminatim rebaptizandos etiam sub conditione tantum. Ratio est: quia sæpius post diligens examen (a Parocho sub gravi obligatione instituendum) deprehenditur, quod obstetrices fuerint satis peritæ, in actu baptizandi omnino sibi præsentes, omnia requisita dextre applicaverint &c. ut proinde dubitari rationabiliter non possit de valore collati Baptismatis; consequenter &c. Confirmatur, S. Athanasius adhuc puer suos coætaneos baptizaverat, quorum Baptismus, facto rite examinato, judicatus fuit validus, & ne quidem sub conditione repetendus; ergo idem, & a fortiori, sentiendum de Baptismo collato ab obstetricibus, præsertim juratis, quæ, nisi calleant modum, normamque baptizandi, ad exercendum ejusmodi munus non admittuntur. Herincx *d. Baptis. disp. 6. n. 45.* Gobat *in Theol. Experim. tr. 2. n.* 183. Sanct-Gallenses *tom. 9. tr. 2. q. 1. dub. 4. conclus. 2. n. 1.* La Croix *lib. 6. part. 1. n.* 321. Elbel *n. 41.* & alii apud ipsos.

Dices. In multarum Diœcesium Ritualibus absque limitatione constituitur, ut infantes ab obstetricibus, vel aliis personis laicis baptizati, sub conditione rebaptizentur; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. ant. Et hoc ideo: quia Episcopi supponunt (quod facti est, & examinari debet) ordinarie subesse dubium de valore Baptismi a prædictis personis administrati, conc. aliter, neg. ant. & cons. Non est præsumendum, quod Episcopi velint, ut Baptismus repetatur in iis quoque circumstantiis, in quibus nullum est dubium prudens de valore jam collati: hoc quippe vetitum est ipso Jure Divino, contra quod nulla consuetudo, aut constitutio humana prævalere potest: prout cum aliis Authoribus *cit.* recte advertit P. Elbel *n. 42.*

Ex quo patet, cur in corollario additum sit *indiscriminatim.* Non enim negamus, Baptismum, ab obstetricibus administratum, communiter sub conditione repetendum esse (quod solum volunt Ritualia) quia, re examinata, communiter remanet prudens dubium de valore Baptismi: sed tantum in casu, quo tale dubium non remanet. Unde ego, si Parochus essem, & deprehenderem v. g. obstetricem aliquam tam bene instructam, & exercitatam, de qua non esset probabilis ratio dubitandi, quod erraverit in aliquo substantiali, & tam probam, ac timoratam, ut non negaret defectum, siquis forte ex perturbatione irrepsisset, Baptismum, ab illa administratum, reiterare non auderem: neque crederem (ob proxime dicta) me ad id audendum obstringi, aut licentiari per Rituale Diœcesanum, licet in isto terminis indefinite prolatis, & nec hunc, nec alium casum similem excipientibus, ordinatum esset, ut omnes infantes, ab obstetricibus privatim, & in casu necessitatis baptizati, rebaptizentur. Videri potest Abreu *in Specul. Paroch. lib. 9. sect. 7. n.* 124.

146. Colliges tertio, baptizatos a Ministris hæreticis, ordinarie, & per se loquendo non esse rebaptizandos. Ratio est: tum quia Concil. Trident. *Sess. 7. de Baptis. can. 4.* expresse definit, Baptismum, ab hæreticis collatum, valere: tum quia in iis, quæ Baptismi valorem concernunt, hæretici solent esse accurati, saltem in Germania, ubi Catholicis permixti vivunt. Dixi tamen: *ordinarie, & per se loquendo.* Nam in eventu, ubi subest prudens aliqua suspicio, quod in aliquo essentiali, sive ex malitia, sive ex ignorantia, defecerint, ac proinde Baptismum invalide administraverint, is omnino sub conditione repetendus est. Videantur Herincx ubi supra *n. 44.* & Babenstuber *n. 29.*

147. Colliges quarto, infantes expositos sub conditione rebaptizandos esse, tametsi schedulam, Baptismi collati significativam, sibi appensam habeant: nisi hæc sit noto sigillo, aut subscriptione signata, adeoque indicet, a quo sit scripta. Burghaber *cent. 1. cas. 94.* Gobat ubi supra *n.* 397. La Croix *n.* 318. Herincx *num. 64.* Ratio est: quia, ne infans quispiam debeat, ac possit baptizari, requiritur testimonium moraliter certum, quod jam sit baptizatus, *arg. can.* 109. *de Consecrat. dist. 4.* atqui similis schedula, si non sit noto sigillo, aut subscriptione signata, ut indicetur, a quo scripta sit, aut perhibet testimonium moraliter certum, quod infans jam sit baptizatus, veluti patet consideranti; ergo &c. Accedit, quod Baptismus infanti exposito sæpenumero conferatur ab ipsa matre, in modo baptizandi non exercitata, vel penitus imperita, & magis solicita, ut celetur partus, quam, ut valeat Baptismus infantis &c.

Excepi tamen: *nisi schedula sit noto sigillo, aut subscriptione signata,* sicque perhibeatur testimonium de Baptismo collato per Presbyterum, cum designatione loci, temporis, & nominis impositi. Hoc quippe casu Baptismus non est repetendus. Ratio est: quia tunc habetur moralis certitudo de Baptismo jam collato, & plena rei notitia peti potest ex registro baptizatorum. *loc. & n. cit.* Pettschacher *de Baptis. pag.* 315. Babenstuber ubi supra *n. 32.*

ARTICULUS III.

Expediuntur, quæ concernunt Effectus Baptismi.

SUMMARIUM.

148. *& seqq. Baptismus tam in adultis, quam in parvulis, causat duplicem effectum positivum; imo & duplicem negativum, præsertim in adultis. Habet insuper 152. aliquos effectus mediatos, & consequentes.*

148. PRænotandum Sacramenta mortuorum, de quorum classe est Baptismus, operari aliquos effectus positivos, & alios negativos. Et idem est de Sacramentis vivorum in illis casibus, in quibus conferunt gratiam primam. Nunc

149. Dico primo. Baptismus confert duplicem effectum positivum, nempe 1. gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis, & donis Spiritus Sancti; ac 2. characterem.

Probatur de primo effectu: quia Baptismus fuit institutus ad justificationem hominis peccatoris, peccato originali, vel etiam personalibus gravati: sed justificatio non fit sine gratia sanctificante, & virtutibus, ac donis sibi annexis; ut definitur in Trid. *Sess. 6. cap. 7.* ergo &c. Porro eadem gratia sanctificans, ut sit Sacramentalis, & Sacramento Baptismi propria, spectari debet ut conjuncta cum jure ad gratias actuales suo tempore conferendas, quibus homo baptizatus adjuvetur, ut pie, christianeque vivere possit, quemadmodum decet filium Dei adoptivum, Christique fratrem, & regni cælestis hæredem.

Probatur etiam de altero effectu; imo patet ex dictis *num. 4.* & alibi, secundum quæ Baptismus est Sacramentum initerabile; ergo signum est, quod causet, & imprimat characterem, vi cujus, utpote indelebilis, sit initerabile.

150. Colliges, conclusionem procedere non solum de adultis, sed etiam de parvulis, adeo, ut & hi præter characterem in Baptismo accipiant gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis, ac donis Spiritus Sancti; quia & ipsi vere justificantur per Baptismum. Unde Trid. *Sess. 7. de Baptis. can.* 13. definivit, infantes post Baptismum computandos esse inter fideles; quia ipsis fides cum aliis virtutibus infunditur. Unum tamen discrimen, jam alibi insinuatum, revocari in memoriam debet, quod nempe in adulto, non item in parvulo effectus gratiæ impediri possit per fictionem suscipientis, quando nimirum non est sufficienter dispositus per supernaturalem peccatorum detestationem, ac propositum novæ vitæ; quæ indispositio, esto non impediat valorem Sacramenti, si vera adsit voluntas illud recipiendi, impedit tamen gratiæ infusionem, (non vero impressionem characteris) & justificationem; cum Deus neminem adultum ad justitiam admittat, nisi ad eam recipiendam debite se disponat (qualis tamen dispositio non requiritur ad receptionem characteris) consequenter &c. Sublata tamen fictione Baptismus revivisct, & suum effectum, antea non productum, operatur: prout itidem constat ex alibi dictis.

151. Dico secundo. Baptismi effectus negativus est pariter duplex, nempe 1. remissio omnium peccatorum, non solum originalis, sed etiam personalium (si adsint) tam mortalium, quam venialium; & 2. remissio pœnæ talibus peccatis debitæ.

Proba-

Probatur de primo effectu: siquidem Trident. *Sess.* 5. *de peccato originali*, *can.* 5. determinat homines per Baptismum effici *innocentes*, *immaculatos*, *puros*, *innoxios*, *ita*, *ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur*: atqui si non omnia omnino peccata remitterentur per Baptismum, aliquid baptizatos remoraretur ab ingressu cæli, utpote in quod nemo, vel levissima peccati macula inquinatus, ingredi potest; ergo &c.

Probatur etiam de altero effectu ex Conciliis Florentino, & Tridentino. Primum quippe *in Decret. Eugen.* ait, per Baptismum remitti omnem pœnam, quæ pro culpa debetur; ideoque monet, non esse imponenda onera satisfactoria iis, qui baptizantur, ob peccata ante Baptismum patrata. Secundum vero *Sess.* 6. *de Justificat. cap.* 14. inquit, pœnam temporalem non totam semper tolli per Sacramentum Pœnitentiæ, ut tollitur per Baptismum; ergo &c.

152. Quæres, an Baptismo non possint appropriari quidam alii effectus præter jam recensitos, & expositos?

Respondetur, posse; sed veluti mediatos, & consequentes; eosque præcipue duos, quorum unus est apertio regni cælestis; & alter, quod baptizatus evadat membrum Ecclesiæ, hujusque jurisdictioni, & potestati subdatur. Ratio quoad priorem effectum est: quia Baptismus speciali quadam ratione removet impedimenta culpæ, & pœnæ, ingressum cæli nobis præcludentia. Ratio quoad posteriorem effectum est: quia per susceptionem Baptismi ingredimur Ecclesiam, ejusque Capiti, seu Pontifici subjicimur. Quo fit, ut Ecclesia nos punire, & coercere possit: quod non potest ante susceptionem Baptismi, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?*

CAPUT III.

De Ritibus Baptismi.

PLures sunt Ritus (sive Ceremoniæ) qui in administratione Baptismi solemnis adhiberi possunt, ac debent; ut patebit. Principem inter eos locum sibi vendicat designatio Patrini; de quo proin calamo non nihil proliziore, ac de ceteris, agemus; idque in peculiari articulo per totum: quamvis celebriora quædam puncta difficultatum, circa illam occurrentium, ad *tr. de Matrim.* (ubi de impedimento Cognationis spiritualis sermo instituetur). commodius rejecturi simus.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Designationem Patrini.

SUMMARIUM.

153. *Quid sit Patrinus?* 154. *In Baptismo solemni adhibendus est; idque* 155. *necessario necessitate præcepti, non Sacramenti: sed* 156. *unus tantum, vel una; aut ad summum unus, & una: adeoque* 157. *debent esse diversi sexus.* 158. *Obligationes Patrini.* 159. & 160. *Quinam possint, vel non possint munus Patrini obire.* 161. *Catholicus, si requiratur, & justa causa subsit; licite potest agere Patrinum prolis acatholicæ &c.* 162. *Munus agendi Patrinum etiam fratri, vel sorori potest deferri.* 163. *Religiosus, ad Episcopum evectus, licite Patrinum agit etiam de Jure communi.*

153. PRænotandum, quod Patrinus sit quasi spiritualis Pater, seu Nutritius, ac Pædagogus hominis baptizati, utpote quem, dum eum e sacro fonte levavit, suam in curam suscepit, tanquam filium spiritualem, in rebus fidei, & doctrinæ Christianæ, si necesse fuerit, instruendum.

154. Dico nunc primo. In Baptismo solemni adhibendus est Patrinus, seu persona aliqua, quæ baptizatum e sacro fonte levet, Communis.

Probatur tum ex antiquissimo Ecclesiæ usu, de quo testatur S. Dionysius c. 2. *de Eccles. Hierarch.* tum ex ratione congruentiæ: quia sicut puer carnaliter natus indiget nutrice, cujus lacte nutriatur, & pædagogo, cujus industria dirigatur; ita in regeneratione spirituali, quæ fit per Baptismum, debet aliquis puerum e sacro fonte levare, ut ei lac spirituale doctrinæ instillet.

Dixi: *in Baptismo solemni*. Nam in Baptismo privato, seu non solemni nullus est necessarius Patrinus: prout ostendit praxis.

155. Colliges, adhibitionem Patrini in Baptismo solemni esse necessariam necessitate præcepti, non necessitate Sacramenti. Ratio est: quia sicut in generatione carnali non requiritur ex necessitate generationis nisi pater, & mater, esto ad facilem partum, & convenientem prolis educationem, requirantur obstetrix, nutrix, & pædagogus: ita in generatione spirituali, quæ fit per Baptismum Patrinus non est necessarius necessitate Sacramenti (quam Scotus *in* 4. *distinct.* 3. *quæst.* 2. vocat *necessitatem simpliciter*) sed solum necessitate præcepti, ab Ecclesia lati in favorem, & utilitatem spiritualem prolis baptizatæ; ut dictum: graviter tamen stringentis; quippe punctum grave concernentis.

156. Dico secundo. Unus tantum, vel una; aut ad summum duo, unus, & una, adhiberi possunt Patrini. DD. communiter.

Probatur: quia sic decisum habetur in Trident. *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reformat. Matrimon.* ex motivo, ne cognatio spiritualis, quam (secundum dicenda *de Matrimon.*) Patrini contrahunt, nimium extendatur, & idcirco parum curetur, ac observetur, cum tamen sit impedimentum dirimens Matrimonii. Unde graviter delinquit Parochus, qui plures, quam duas personas, id est, unum, & unam, ad levandam e sacro fonte prolem scienter admittit: quia Trident. *loc. citat.* id graviter prohibet per verba: *ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant*; & contra facientem subjicit pœnæ arbitrio Ordinarii determinandæ.

157. Colliges, quando duo eundem infantem levant, eos debere esse diversi sexus, masculum nempe, & feminam. Patet ex præcitatis Tridentini verbis. Ratio congruentiæ est: quia, ut supra tactum, generatio spiritualis quodamodo imitatur carnalem, ad quam concurrunt unus, & una, pater scilicet, ac mater: consequenter &c.

158. Dico tertio. Patrinus (vel Patrina) ex officio suo præcipue obligatur sub mortali, quando necessitas exigit, baptizatum erudire in rebus fidei, & morum. Ita denuo Authores communiter.

Probatur. Quia unusquisque tenetur exequi susceptum officium, & quidem sub mortali, si rem gravem concernat, quæ sine officii executione in effectum deduci nequit: sed Patrinus, dum prolem e sacro fonte levavit, respectu ipsius suscepit officium Pædagogi, seu Instructoris in rebus fidei, & morum, quod utique concernit rem gravem; ergo &c.

Dixi: *præcipue obligatur* &c. Nam præter illam obligationem primariam, contrahit adhuc alias duas quasi secundarias. Una earum est, ut in collatione Baptismi loco baptizandi respondeat, si is respondere per seipsum nequeat. Altera est, ut suo tempore testimonium perhibeat de suscepto Baptismo &c.

Dixi autem præterea in conclus. *quando necessitas exigit*. Nam obligatio Patrini etiam primaria cessat, quando cessat necessitas; ut puta quando baptizatus jam ante susceptionem Baptismi sufficienter instructus fuit; aut postea instruitur a parentibus, Parocho, Ludimagistro &c.

159. Dico quarto. Quilibet homo, si sit (1.) baptizatus, & (2.) rationis compos, munus Patrini valide obire potest. Communis.

Probatur, & declaratur utraque pars conclus. Nam tali nihil deest eorum, quæ ad validam dicti muneris functionem desiderantur: prout consideranti patet. Debet autem 1. esse *baptizatus*: sicut enim non baptizatus incapax est Legis Ecclesiasticæ, ita incapax est, & inhabilis ad fungendum munere Patrini, utpote quod est ceremonia instituta, & præscripta ab Ecclesia. 2. Debet esse *rationis compos*: ut enim quis effici Patrinus possit, requiritur in eo legitima intentio ejusmodi munus suscipiendi, qualem elicere nemo potest, nisi rationis compos.

160. Dico quinto. Munus Patrini licite obire non possunt sequentes.

1. Hæ-

1. Hæretici, & a fide apostatæ. Ratio est: quia, ut quis licite assumi in Patrinum valeat, debet esse idoneus ad instruendum baptizatum in fide catholica, sponsionemque pro eo faciendam: sed hæretici, & apostatæ a fide non sunt ad id idonei, cum fidei catholicæ adversentur, ac proinde nec baptizatum in fide catholica instructuri, nec de ea pro ipso sponsuri sint; ergo &c. Assertum tamen nostrum videtur accipiendum *ordinarie* tantum, & *regulariter loquendo*. Nam si gravis causa, judicio prudentum expendenda, postulet, ut hæreticus, vel apostata in Patrinum assumatur, id licite fieri posse censet P. Laymann *lib.5. tractat.2. cap.9. n.7.* quem vide.

2. Publice excommunicati, & moribus infames. Ratio est: quia cum publice excommunicatis non licet communicare, & moribus infames potius ad destructionem, quam ædificationem conducunt; ergo nec illi, nec isti licite pro Patrinis designantur.

3. Ignorantes rudimenta fidei; ut Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum &c. Ratio est: quia ut quis licite fungi possit officio Patrini, debet esse idoneus ad baptizatum in rebus fidei, & doctrina christiana instruendum, prout relinquitur ex dictis: sed ad id præstandum idoneus non est, qui rudimenta fidei ignorat: ergo &c.

4. Parentes respectu propriæ prolis. Ratio est: quia hoc interdicitur in *can. 1. caus. 30. q. 1.*

5. Secundum Jus commune, Abbates, aliique monasticæ vitæ sanctitatem professi. Ratio est: siquidem & hoc vetatur in *can. 101. ac seq. de Consecrat. dist. 4.*

Dixi tamen: *secundum Jus commune*. Nam si alicubi consuetudo invaluerit, ut Abbates, aliique Religiosi Patrinos agant, non peccant (nisi speciali Regulæ præcepto ab eo munere arceantur, ut Fratres Minores) quando infantes levant: quia tunc tolerata consuetudo Juri communi derogasse censetur. Superest nunc, ut adhuc aliquot Quæstiones expediantur. Unde

161. Quæres primo, an catholicus, si requiratur, licite possit agere Patrinum prolis catholicæ, per Prædicantem v. g. baptizandæ?

Respondetur, id ex causa rationabili licite fieri posse in loco, ubi tolerantur Hæretici, & Catholicis permixti vivunt: modo absit scandalum. Laymann *lib. 5. tractat. 2. capit. 9. numer. 6.* Gobat *in Theol. Experim. tr. 2. n. 565.* La Croix *lib. 6. part. 1. num. 370.* & alii Ratio est: quia Catholicus prolem parentum hæreticorum levando solum profitetur, se eam suscipere in suam curam: atqui hoc nihil illicitum involvit, absente scandalo; cum Catholicus idcirco nec active, nec passive cooperetur ad indebitum modum, quo a Prædicante administratur Baptismus; nec promittat baptizatum in heterodoxa fide instruere; ergo &c.

Dixi autem: *modo absit scandalum*. Si enim interveniret scandalum, & periculum, ne parentes hæretici ea intentione adhiberent Patrinum Catholicum, ut ostenderent eum suæ sectæ favere, deberet Catholicus Officium Patrini detrectare; vel saltem prævie protestari scandali declinandi causa, quod prolem levare intendat ut Patrinus Catholicus, eamque, quando opus fuerit, in vera fide instruere.

Dices. Non licet Catholico in sacris communicare cum hæreticis: atqui hoc fieret, si in Baptismo munus Patrini obiret; ergo &c.

Confirmatur. Hæretici multas interrogationes orthodoxæ fidei dissentaneas Patrinis proponere solent, ad quas respondere Catholicis non est permissum: imo Lege naturali prohibitum, ceu intrinsece malum; ergo &c.

Respondetur ad argumentum, majorem esse veram de communicatione in sacris, quæ fit per exercitium hæreticum, vi cujus communicans censetur facere contra externam orthodoxæ fidei professionem: qualem communicationem non continet susceptio baptizati: consequenter &c.

Ad confirmat. neg. ant. cum P. La Croix *cit.* qui ait, ejusmodi interrogationes ordinarie non fieri in Germania. Quod si tamen fieret alicubi, ad eas respondere non posset Catholicus, & si ad respondendum adigeretur, deberet munus Patrini subterfugere, ac declinare.

Instabis. Catholicus agendo Patrinum apud hæreticos censetur approbare ritum baptizandi ipsis consuetum; ergo censetur cum iisdem communicare in exercitio hæretico, & facere contra externam professionem fidei catholicæ.

Respondetur, neg. ant. Siquidem per susceptionem baptizati solum profitetur, quod eum in suam curam suscipiat, prout officium Patrini juxta veræ Ecclesiæ ordinationem exigit; non item quod reprobet ritum baptizandi catholicum, & approbet acatholicum. Unde neg. etiam cons.

162. Quæres secundo, an Patrinum agere possit frater, vel soror?

Respondetur affirmative. Ita DD. communiter. Ratio est: quia id nullibi prohibetur. Unde si frater v. g. fiat Patrinus sororis, contrahent inter se cognationem spiritualem. Quod ob eandem rationem extende ad Sacramentum Confirmationis.

163. Quæres tertio, an Religiosus, ad Episcopatum evectus, sustinere munus Patrini licite possit etiam per Jus commune?

Respondetur affirmative. Ita denuo Authores communiter. Ratio est quia Canones prohibitivi supra *n.* 160. relati, loquuntur de Monachis, & Religiosis, qui jugo regularis observantiæ per omnia subduntur; quod non verificatur de evectis ad Episcopatum: hi enim, licet juxta probabiliorem sententiam, a nobis *part. 4. n. 227.* traditam, non absolvantur a votis substantialibus, ita ut Religiosi esse desinant; absolvuntur tamen ab aliis obligationibus, quas inter merito computanda venit obligatio non agendi Patrinum, prout eruitur ex ratione congruentiæ, ob quam Jus commune Monachis, & Religiosis munus Patrini interdicit. Accedit quod prohibitio, in Canonibus allegatis contenta, sit odiosa; adeoque non extendenda ad Religiosos Episcopos.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt reliquos Baptismi Ritus.

SUMMARIUM.

164. Ritus, ab Ecclesia universali pro administratione Baptismi solemnis præscriptos, omittere est ex suo genere peccatum mortale. 165. Sunt in triplici differentia. 166. Si fuerint omissi, regulariter suppleri debent; secus 167. si fuerint adhibiti in Baptismo invalido, & postea repetendo.

164. Dico primo. Ritus, ab Ecclesia universali pro administratione Baptismi solemnis præscriptos, omittere est ex genere suo peccatum mortale, & quidem contra Religionem, cum pertineant ad cultum externum Dei; ut adeo huc pertineat, & subintret dictum Apostoli 1. *Cor. 14. Omnia honeste, & secundum ordinem fiant*. Ita cum Valentia, Laymanno, & aliis Augustinus Michel *de Bapt. fol. 95. n. 2.* Nec est, qui ex Catholicis contradicat. Unde sola explicatione terminorum opus est.

Dicitur 1. *ab Ecclesia universali &c.* Nam si ritus quispiam sit solum præscriptus ab Ecclesia particulari, in qua Baptismus confertur, illius omissio non illico involvet culpam mortalem: prout cum Chapeaville, Tannero, & Gobat notat La Croix *lib.6. part.1. n.339.*

Dicitur 2. *pro administratione Baptismi solemnis &c.* Nam in administratione Baptismi insolemnis, seu privati, illiusmodi ritus secure, & citra culpam, etiam venialem, omittuntur: siquidem pro sola administratione Baptismi solemnis præscripti sunt. Revide dicta *n. 154.*

Dicitur 3. *ex genere suo &c.* ut denotetur, quod equidem sit mortale omittere vel omnes ritus, vel etiam unum notabilem, v. g. unctionem chrismatis, ab Ecclesia universali tam studiose, & serio præscriptum; veniale tamen esse possit omittere ritum aliquem minus notabilem. La Croix *loc. & numer. cit.* aliique communiter.

165. Dico secundo. Ritus, pro administratione Baptismi solemnis præscripti, sunt in triplici differentia.

Explicatur conclusio. Nam alii sunt, & dicuntur *antecedentes*; alii *concomitantes*; alii *consequentes*. Ritus *primi generis* sunt benedictio, & sanctificatio fontis, seu aquæ Baptismali: benedictio sacri olei: ab-

renunciatio Sathanæ, & professio fidei (quam baptizandi facere debent vel per seipsos, si sint adulti; vel per alios, puta per Patrinum, & Matrinam, si sint parvuli) impressio signi S. Crucis in fronte, & pectore baptizandi: exorcismus cum insufflatione: salis in hos impositio: per salivam cineremixtam linitio: manuum cum Sacerdotali benedictione impositio: per sacrum oleum in pectore, & scapulis unctio, Ritus *secundi generis* sunt adhibitio aquæ in Vigilia Paschæ, aut Pentecostes benedictæ: assistentia Patrini, vel Patrinorum (de qua *art. præced.* actum) & locus, in quo (conformiter dictis *n.* 131.) Baptismus est conferendus. Ritus *tertii generis* sunt unctio chrismatis, quæ fieri debet in vertice baptizati: porrectio vestis candidæ (qua baptizatus, etiam adultus, est induendus) ac cerei ardentis. Si curiosus es, & nosse desideras, quid singuli hi ritus denotent, adi Augustinum Michel *loc. supra cit.*

166. Dico tertio. Prædicti ritus, ob urgentem, aut gravem causam (v. g. si infans ob præsens mortis periculum domi fuerit baptizatus) intermissi, postmodum suppleri debent, per se, & regulariter loquendo. Ita DD. communiter. Ratio est: quia sic præscribitur in Rituali Romano, & communi praxi firmatur.

Dixi; *per se &c.* Nam per accidens, v. g. scandali declinandi causa, illorum suppletio omittenda est; ut in casu, quo hæreticus, antea a suo Prædicante baptizatus, ad fidem catholicam transit: hoc quippe casu recte omittitur suppletio rituum præmemoratorum; ne videlicet populo præbeatur ansa suspicandi, nos Baptismum ab hæretico cum substantialibus collatum habere pro invalido. Laymann *lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 8. *num.* 10. Michel *loc. cit. n.* 8. & alii passim. Verum

267. Quæres, an ritus Baptismi sint etiam repetendi, ac supplendi, quando is solemniter quidem, sed invalide fuit administratus?

Respondetur, ritus Baptismi, licet hic, præfato modo collatus, necessario iterari debeat, non esse necessario repetendos (nisi repetitionem eorum imperet consuetudo) esto citra noxam repeti possint. Ita Suarez, Henriquez, Bonacina, Aversa, & alii, mihi probabilius. Ratio est: quia ritus illi valent, etiam separati a valore Baptismi, & a Deo, ac Ecclesia ut validi acceptantur; in qua acceptatione censentur perseverare, donec Baptismus sit reiteratus; ergo non apparet, cur repeti debeant. Confirmatur a simili. Benedictiones Matrimonii, antea nulliter contracti, non necessario repetendæ sunt, quando revalidatur Matrimonium; ergo neque &c.

CAPUT IV.

De Suppletoriis Baptismi,

Baptismus, late, & quasi metaphorice sumptus, triceps est, nempe *Baptismus Fluminis*, *Baptismus Flaminis*, & *Baptismus Sanguinis*: quemadmodum initio hujus disputationis insinuavimus. Baptismus Fluminis (prout a Christo institutus) est Sacramentum, quod in aqua sub certa verborum forma administratur de quo hucusque disseruimus. Baptismus Flaminis est perfecta ad Deum conversio per contritionem perfectam aut dilectionem Dei super omnia, prout includentem votum Baptismi Fluminis saltem implicitum. Dicitur autem *Flaminis*, quatenus perfecta illa ad Deum conversio fit impulsu Spiritus Sancti, qui *Flamen* appellatur. Baptismus Sanguinis est Martyrium, prout ante susceptionem Baptismi Fluminis pro Christo exantlatum. Hæc duo Baptisma posteriora non sunt formaliter Sacramenta; vicem tamen prioris, seu Baptismi Sacramentalis in aliquibus supplent: veluti patebit ex dicendis. Nunc sit

ARTICULUS I.

An, & qualiter Baptismus Fluminis, a Christo institutus, possit suppleri per Baptismum Flaminis?

SUMMARIUM.

168. *Baptismus Flaminis non est dabilis, nisi in hominibus usu rationis pollentibus.* 169. *& seqq. Ex opere operantis supplet defectum Baptismi Fluminis quoad peccatorum remissionem, gratiæ infusionem, & pœnæ æternæ condonationem; non vero semper quoad relaxationem totius pœnæ temporalis.*

168. Prænotandum, & supponendum tanquam indubitabile, quod Baptismus Flaminis in solis adultis, seu usu rationis pollentibus possit habere locum: id quod perspicuum est illius descriptionem, immediate præmissam, aspicienti. Hoc supposito,

169. Dico primo. Baptismus Flaminis supplet ex opere operantis defectum Baptismi Fluminis, seu Sacramentalis, quoad peccatorum, tam originalis, quam personalium, remissionem; quoad gratiæ sanctificantis infusionem; & quoad pœnæ æternæ condonationem. Ita DD. communiter.

Probatur primo. Baptismus Flaminis est perfecta contritio, vel dilectio Dei, includens votum, seu propositum suscipiendi Baptismum Fluminis: sed perfecta contritio, vel dilectio Dei ex opere operantis delet peccata, operatur infusionem gratiæ, & impetrat condonationem pœnæ æternæ, sicut Baptismus Fluminis, seu Sacramentalis ex opere operato; prout definit Trid. *Sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 4. ergo &c.

Probatur secundo ex eodem Trid. quod *Sess.* 6. *de Justificat. cap.* 4. ita habet: *Translatio ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Jesum Christum &c. post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*; ergo juxta Tridentinum, ejusque suppositionem justificatio, quæ ex peccatorum remissione, & gratiæ sanctificantis infusione integratur, pœnæque æternæ condonationem connexam habet, fieri quoque potest per Baptismum Flaminis &c. Hinc D. Bernardus *Epist.* 77. expendens illa Salvatoris verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, graviter advertit, Christum ideo non addidisse: *qui baptizatus non fuerit, condemnabitur*, ut significaret, posse quempiam salvum fieri Baptismo re suscepto &c.

170. Objicies. *Joan.* 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest intraire in Regnum Dei*; ergo solus Baptismus Fluminis, seu aquæ sufficit ad justificationem, & consecutionem Regni cælestis: consequenter &c.

Respondetur, dist. cons. Solus Baptismus Fluminis vel in re, vel in voto susceptus, qualiter importat Baptismum Flaminis, con. tantum in re susceptus, neg. cons. Quod præcitata Salvatoris verba sensum ejusmodi disjunctivum faciant, sumitur tum *ex Actor.* 10. ubi Centurio legitur Spiritu Sancto repletus ante Baptismum re susceptum; tum ex Trid. *cit. Sess.* 6. *cap.* 4.

Dices. Vel contritio, in qua constituimus Baptismum Flaminis, justificat hominem non baptizatum dependenter a voto Baptismi Fluminis, seu Sacramentalis, quod includit; vel independenter a tali voto, & secundum se spectata? neutrum dici potest; ergo &c. Min. probatur, & declaratur. Non enim potest dici primum: quia contritio non habet minorem vim justificandi post institutionem Baptismi, quam ante; nec majorem post susceptionem Baptismi, quam ante: atqui ante institutionem Baptismi justificabat independenter ab illo voto; sicut & indepenter ab eo justificat post susceptionem Baptismi. Neque potest dici secundum: alioquin Baptismus (nempe Fluminis) ne quidem in voto foret necessarius necessitate medii ad justificationem, & salutem: quod nemo dixerit.

Respondetur, nego min. Ad prob. ajo, quod homo non baptizatus justificetur per contritionem dependenter a voto suscipiendi Baptismum Fluminis. Nec inde sequitur, quod contritio habeat minorem vim justificandi post institutionem Baptismi, ac habuerit ante: tum quia etiam ante institutionem Baptismi non habebat vim justificandi, nisi dependenter a voto suscipiendi Sacramentum, quale tunc institutum erat pro deletione peccati originalis: tum quia sicut modo debet, ita semper debuit se extendere ad facienda omnia præcepta, & adhibenda omnia media ad salutem necessaria. Nec etiam sequitur, quod contritio habeat majorem vim justificandi post susceptionem Baptismi, ac ante; nam quod post susceptionem Baptismi justificet independenter a voto Baptismi, non provenit ab intrinseco,

seco, seu ex natura ipsius contritionis, sed ab extrinseca, quatenus nempe obligatio recipiendi Baptismum relate ad hominem baptizatum jam est impleta, & sublata.

171. Dico secundo, Baptismus Flaminis defectum Baptismi Fluminis non semper supplet quoad relaxationem totius pœnæ temporalis. Est iridem communis DD.

Probatur. Nam contritio, in qua, prout involvente votum Baptismi Fluminis, consistit Baptismus Flaminis, sæpe non attingit illum perfectionis gradum, qui requiritur, ut tota pœna temporalis, in quam æterna vi justificationis commutata erat, relaxetur; ergo non semper delet totam pœnam temporalem: & per consequens &c.

Confirmatur, & declaratur. Relaxatio pœnæ temporalis, prout fit per contritionem, & ex opere operantis, est quædam satisfactio: atqui non per omnem contritionem præstatur satisfactio pro tota pœna temporali; cum sæpe gradus contritionis non adæquent gradus in pœna temporali repertos; ergo &c. Unde D. Thomas hic *q. 68. art. 2. ad2.* ait: *Siquis catechumenus sit habens desiderium Baptismi, talis decedens non statim pervenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis; ipse tamen salvus erit sic quasi per ignem; ut dicitur 1. Cor. 3.*

ARTICULUS II.

An, & qualiter Baptismus Fluminis possit suppleri per Baptismum Sanguinis?

SUMMARIUM.

172. & seq. Baptismus Sanguinis tam in parvulis, quam adultis supplet defectum Baptismi Fluminis quoad remissionem peccati originalis (vel etiam personalium relate ad adultos) infusionem gratiæ, & condonationem pœnæ æternæ. 174. & seqq. Solvuntur objectiones. 177. Infans, utero matris clausus, fit martyr, quando mater gravida pro Christo occiditur. 178. Baptismus Sanguinis etiam supplet defectum Baptismi Fluminis quoad remissionem omnis pœnæ temporalis. Porro 179. hos effectus præstat ex opere operato.

172. PRænotandum, hanc quæstionem moveri de Baptismo Sanguinis non solum relate ad homines adultos, seu usu rationis præditos, sed etiam relate ad parvulos, adhuc rationis usu destitutos: siquidem non solum illi, sed & isti martyrium, in quo Baptismus Sanguinis est situs, perpeti propter Christum possunt; veluti perspicuum fiet ex dicendis. Nunc

173. Dico primo. Baptismus Sanguinis, seu Martyrium justificat non solum (1) adultos, sed etiam (2) parvulos; adeoque supplet defectum Baptismi Fluminis quoad remissionem peccatorum, originalis; ac personalium; quoad gratiæ sanctificantis infusionem; & quoad pœnæ æternæ condonationem. Ita Scotus *in 4. dist. 4. q. 6.* & alii Theologi communiter.

Probatur tota conclusio simul. Nam *Matth. 10.* dicitur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor ego eum coram Patre meo.* Item *Lucæ 17. & Marci 8. Qui perdiderit animam suam propter me, & Evangelium meum salvam faciet eam.* Unde S. Augustinus *Epist. 108. ait: Iis, qui nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt; ipsa passio pro Baptismo deputata est.* Porro (ut conclusio specialiter ostendatur quoad Martyrium parvulorum) Ecclesia SS. Innocentes colit tanquam Martyres, dum in Hymno eorum canit: *Salvete Flores Martyrum*; & in Oratione: *Deus, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Id quod approbat, & confirmat S. Augustinus *lib. 3. de liber. arbit. c. 23.* hisce verbis: *Non frustra Infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.*

174. Objicies contra secundam partem conclusionis primo. Nullus potest evadere Martyr, martyriique effectum consequi, qui non fuerit confessus Christum, prout per sensum a contrario deducitur ex illo *Matth. 10.* supra. *Qui me confessus fuerit &c.* atqui infantes non possunt confiteri Christum; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Possunt quippe & ipsi confiteri Christum non quidem lingua, sed sanguine, nec loquendo, sed pro Ipso mortem oppetendo, prout verba Orationis, in eorum Festo recitari, vel decantari solitæ, proxime adductæ, sonant, vel innuunt.

175. Objicies secundo. Martyrium est actus virtutis, nempe Fortitudinis: sed in infantibus, usu rationis carentibus, non est dabilis actus virtutis; ergo &c.

Confirmatur. Ad verum Martyrium requiritur voluntaria acceptatio, qualis reperiri non potest in infantibus; ergo &c.

Respondetur ad object. Martyrium posse dupliciter considerari. 1. Ut dicit mortem ex motivo Fortitudinis, vel alterius virtutis pro Christo acceptatam, & oppetitam. 2. Ut est realis imitatio Passionis Christi. Priore modo consideratum est opus virtutis subjective, neque dari in infantibus potest. Posteriore modo consideratum est opus virtutis objective tantum, qualiter etiam in infantibus locum habere, eosque, supplendo defectum Baptismi Sacramentalis, justificare potest.

Ad confirmat. ajo, quod in adultis quidem (si nempe usu rationis polleant) ad verum Martyrium requiratur voluntaria acceptatio, non vero in infantibus; in his quippe sicut Baptismus Fluminis, seu Sacramentalis suum operari effectum prodest, quin in iisdem prærequirat liberam quandam dispositionem; ita & Baptismus Sanguinis, seu Martyrium.

176. Objicies tertio. Per illa *Joan. 3.* verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* traditur generalis regula de necessitate Baptismi Fluminis vel in re, vel saltem in voto suscipiendi, ut homo justificetur; ergo non sufficit Baptismum Sanguinis ad justificandos parvulos, qui Baptismum Fluminis nec susceperunt in re (ut supponitur) nec in voto, utpote cujus eliciendi incapaces existunt.

Respondetur, ab illa regula in ipsamet S. Scriptura dari exceptionem; ut notavit S. Augustinus *lib. 3. de Civit. Dei c. 8.* ubi loquens de Martyribus, inquit: *Qui dixit: nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. alia sententia istos facit exemptos, ubi non minus generaliter dixit: qui me confessus fuerit coram hominibus &c. & alio loco: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Hic autem textus uterque etiam in infantibus verificari potest; quemadmodum ex dictis liquet. Quare præcitata regula (idem esto judicium de verbis Tridentini *Sess. 6. capit. 4.*) intelligenda venit cum exceptione, & extra interventum Baptismi Sanguinis, seu Martyrii, prout cum communi notat P. Marinus Panger *in 4. Sent. disp. 1. n. 261.*

177. Quæres, an infans, adhuc in utero matris inclusus, fiat Martyr, martyriique effectum consequatur, quando mater gravida pro Christo occiditur, & Martyr evadit?

Respondetur affirmative. Ita cum communi Scotus *in 4. dist. 4. q. 3.* ubi in terminis sic habet: *Quod siquis persequitur matrem gravidam, eadem de causa persequitur parvulum in utero ejus; ergo si mater occiditur pro Justitia, similiter & parvulus: si autem parvulus occideretur extra uterum, haberet Baptismum Sanguinis, si pro Justitia, vel Fide occideretur etiam non baptizatus; ergo eodem modo rationabile est, quod Deus non condemnet eum, pro simili causa in utero matris passum.*

178. Dico secundo. Baptismus Sanguinis, seu Martyrium etiam supplet defectum Baptismi Fluminis quoad remissionem omnis pœnæ temporalis. DD. communiter.

Probatur *ex cap. 6. X. de Celebrat. Missar.* ubi Innoc. III. ait: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre:* sed si non omnis pœna Martyri virtute Martyrii, remitteretur, posset quis pro Martyre orare, quin ei injuriam faceret; imo orando pro eodem exerceret opus Misericordiæ, quatenus ob pœnarum reliquias adhuc in purgatorio detentum, inde redimeret; ergo &c. Deinde SS. PP. (inter quos nominatim S. Augustinus *lib. 1. de Baptis. c. 21.*(comparant, imo anteponunt Martyrium Baptismo; ergo sicut Baptismus (nempe Fluminis) confert remissionem non solum omnis culpæ, sed etiam omnis pœnæ tam æternæ, quam temporalis; ita idipsum præstare dicendus est Baptismus Sanguinis, seu Martyrium.

179. Quæres, an Baptismus Sanguinis, seu Martyrium suos effectus, in utraque conclusione specificatos, operetur ex opere operato, vel operantis tantum?

Respondetur, quod illos operetur ex opere operato. Ita

to. Ita DD. tripsa communiter. Ratio est; quia Baptismus Sanguinis, seu Martyriom operatur præmemoratos effectus æqoaliter in omnibus Martyribus, licet inæqualiter dispositis; ergo eos operatur sine commensoratione ad merita Martyrum; ergo ex opere operato, & non operantis tantum. Confirmatur. Per varia S. Scripturæ testimonia Martyrio tribuitur specialis aliquis modus operandi, qui non tribuitur alicui alteri operi vituoso, etiamsi hoc eadem intentione, & fervore factum esset; ut dum dicitur: *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam: in vitam æternam custodit eam &c.* Atqui si Martyrium infusionem gratiæ, & remissionem culpæ, ac pœnæ tam æternæ, quam temporalis solum operaretur cum commensuratione ad merita Martyrum, adeoque ex opere operantis tantum, nullum haberet specialem modum operandi; cum hic operandi modus etiam aliis operibus virtuosis competat; ergo ipsum prædictos effectus operatur absque commensuratione ad merita Martyrum, atque ex opere operato, & non operantis tantum; quæ operandi virtus fundatur in speciali privilegio Christi, quod Is ob imitationem Passionis suæ, in Martyrio singulariter relucentem, concessit, & ipsemet promulgavit per textus proxime relatos. Per quod patet discrimen in modo causandi, quem exercent Sacramenta, & in modo caosandi, qui competit Martyrio. Licet enim utraque causent gratiam v. g. ex opere operato; illa tamen id præstant tanquam signa ad talem effectum causandum a Christo instituta; istud vero ex speciali promissione, & privilegio Christi.

ARTICULUS III.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones pro pleniori intelligentia dictorum in duobus Articulis præcedentibus.

SUMMARIUM.

180. *Baptismus Flaminis, & Sanguinis non supplent defectum Baptismi Fluminis quoad impressionem characteris.* 181. *Conditiones ad Baptismum Sanguinis, seu Martyrium requisitæ.* 182. *Quo tempore Martyrium conferat gratiam?* 183. *An etiam ante adventum Christi justificarit?*

180. QUæres primo, an Baptismus Flaminis, & Sanguinis etiam soppleant defectum Baptismi Fluminis quoad impressionem characteris?

Respondetur cum communi DD. negative. Ratio est: quia alioqoin per Baptismum Flaminis, aut Sanguinis justificatus non teneretur, imo nec posset suscipere Baptismum Flominis; cum iste suscipi non possit ab illo, qoi characterem Baptismalem jam habet: atqui justificatus per Baptismum Flaminis, uti & justificatus per Baptismum Sanguinis (si nempe per miraculum a morte præservetur, aut eam perpessus ad vitam revocetur) tenetur adhuc suscipere Baptismum Fluminis, quando soscipiendi adest possibilitas; ergo &c. Min. ostenditor, ac declaratur. Nam in primis catechumenus, per Baptismum Flaminis justificatus, tenetur Baptismum Fluminis, & Sacramentalem suscipere, ut characterem recipiat, Ecclesiam ingrediatur, ejusque membrum, ac reliquorum Sacramentorum capax evadat. Deinde Martyr, justificatus per Baptismum Sanguinis, esto obtinuerit characterem quemdam sacrum, & honorabilem (nempe *laureolam Martyrii*) in membris, in quibus pro Christo vulnera accepit, quasi impressum, non tamen obtinuit illud spirituale signaculum, quod in anima imprimit Baptismus Sacramentalis, & quo signatus fit membrum Ecclesiæ, atque habilis ad reliqua Sacramenta recipienda: per consequens &c.

181. Quæres secundo, quænam conditiones ad Baptismum Sanguinis, seu verum Martyrium requirantur?

Respondetur primo, ad verum Martyrium, prout hoc est commune parvulis, & adultis, duo tantum requiri; nempe mortem, id est tormenta ex se illativa mortis (licet hæc Deo per miraculum impediente non sequatur) & causam mortis motivam, ut videlicet mors inferatur ex odio Christi; vel Fidei Catholicæ, aut veritatis alicujus eadem credendæ; vel propter opus virtutis cujuspiam supernaturalis. Promitur hoc totum ex illo Marci 8. ubi Christus ait; *Qui perdiderit animam suam propter me, & Evangelium meum, inveniet eam.* Accedit ratio: quia Martyrium est testimonium externum, quod Christo, ejusdemque doctrinæ perhibet Martyr, dum oppetit mortem, ex memoratarum causarum aliqua sibi illatam: consequenter &c.

Respondetur secundo, Ad verum Martyrium, prout hoc exantlatur ab adultis, usu rationis pollentibus, adhuc plura requiruntur.

Requiritur enim 1. ut mortem voluntarie, & sine repugnantia acceptent. Ratio est: quia adulti non consequuntur gratiam, & remissionem peccatorum absque libero suo consensu; veluti patet in suscipientibus Sacramentum. Quoniam autem subeuntes Martyrium æque, ac suscipientes Sacramentum, solum se habent passive, sufficit consensus, seu intentio habitualis, juxta communem.

Requiritur 2. ut mortem perpetiantur ex motivo supernaturali. Ratio est: quia perpessio mortis, secluso motivo supernaturali, non est meritoria, nec aliquid confert ad salutem animæ.

Requiritur 3. ut, si factu possibile sit, prius suscipiant Baptismum; vel, si factu possibile non sit, concipiant votum, seu propositum suscipiendi. Ratio est: quia instans Martyrium non liberat ab obligatione, quæ datur in articulo mortis: atqui datur vel maxime in articulo mortis obligatio suscipiendi Baptismum, si necdum susceptus sit; ergo &c. Suo id exemplo demonstravit S. Romanus, quando jam jam pro Christo occidendus, solicitavit S. Laurentium hisce verbis: *festina me baptizare.*

Requiritur 4. ut si sint reipsa baptizati, & peccato mortali, post susceptionem Baptismi perpetrato, graventur, confiteantur, si præsto sit, aut haberi possit Confessarius. Constat plurimis Martyrum exemplis; & ratio est eadem, quæ supra: quia & præceptum Confessionis mortali gravatos vel maxime stringit in articulo mortis; nec ab illo eximit imminens Martyrium. Quod si baptizati non sint, vel habere Confessarium non possint, sufficiet (præter actus Fidei, & Spei, semper, adeoque etiam in casibus præcedentibus necessarios) dolor supernaturalis de peccatis; quamvis ejusmodi dolor non necessario debeat esse contritio perfecta etiam in oneratis mortalibus; prout cum Suarezio, Gobat, Mastrio, Herincx, Brancato, Clericato, & aliis tradit P. Elbel *de Baptis. num. 6.* Ratio est: quia contritio imperfecta, seu attritio, modo sit supernaturalis, sufficit ad justificationem peccatoris cum Baptismo Fluminis; ergo etiam cum Baptismo Sanguinis; cum iste illi comparetur, imo anteponatur a SS. PP. quoad vim causandi gratiam, aliosque effectus. Confirmatur. Ecclesia Sanctos, pro Christo interfectos, colit omnes ut Martyres; cum tamen vix dubitari valeat, quin plures eorum, sola attritione compuncti, mortem subierint; ergo &c. Sed contra hoc

Dices primo. Apost. 1. Cor. 13. ait: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; ergo ut Martyrium prosit, requiritur charitas, aut ex hac procedens contritio perfecta, saltem in peccatore mortalibus onerato, & confiteri impotente.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, ly *non habuero* haud esse intelligendum negative, sed contrarie, ut sensus sit: si proximum odio habeam, aut dissensiones vel schismata foveam, nihil mihi prodest, quidquid pro Christo patiar. Et hæc præcitati textus expositio maxime conformis est scopo Apostoli, Corinthios ob contentiones, & schismata reprehendentis.

Dices secundo. Christus *Joan. 15.* dicit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; ergo &c.

Respondetur, neg. iterum cons. Sensus antecedentis est, qood non possit dari major dilectio ex objecto, sive quod nemo possit evidentiori indicio declarare suam erga alterum charitatem, quam moriendo pro ipso: non autem, quod Martyrium necessario, & semper (esto plerumque fiat) imperetur a charitate actuali; posset enim suscipi, & exantlari ex motivo alterius virtutis, v. g. Castitatis, Justitiæ &c.

Dices tertio. S. Augustinus *lib.3. contra Donatistas c.16. & lib.4. c.17.* loquit, Martyrium sine charitate non esse verum Martyrium, nec prodesse posse; & ideo Hæreticos, & Schismaticos, pro Christo morientes, non fieri vere Martyres; ergo &c.

Respondetur, itidem neg. cons. Ad ant. *rjo*, S. Augustinum non loqui de charitate sumpta pro actu, quo Deus super omnia diligitur; sed de charitate, qua fidelis unitur cum vera Christi Ecclesia; solumque velle, quod Martyrium non possit prodesse iis, qui separant se a vera Christi Ecclesia, ejusque unitatem scindunt, prout faciunt Hæretici, & Schismatici.

182. Quæres jam tertio, quo tempore Martyrium conferat gratiam?

Respondetur cum P. Panger ubi supra *num.255.* & alii passim, quod Martyrium conferat gratiam ante mortem actualem Martyris, tunc scilicet, quando Martyr ex illata violentia naturaliter mori debet, & non nisi miraculose in vita conservari potest. Quod si mortem divinitus impediri contingat, non idcirco gratia, & laureola Martyrii privatur Martyr, ut constat de B. Joanne Evangelista, qui in ferventis olei dolium missus illæsus exivit, & post multos primum annos vivere desiit; quique nihilominus ab Ecclesia ut Martyr colitur. In hoc ego, aliisque id genus casibus miraculosis Deus Martyres, post exantlata tormenta, mortis de se illativa, superstites, in gratia confirmavit, itaque confortavit, ut non amplius, saltem mortaliter, peccarent, nec laureolam Martyrii perderent: excellentia quippe Martyrii postular confirmationem Martyris in gratia.

Dices. Quando Martyr adhuc spirat, Martyrium nondum est consummatum; ergo non confert gratiam ante actualem mortem Martyris.

Respondetur, dist. ant. Nondum est consummatum physice, con. moraliter, & in acceptatione Divina, neg. ant. & cons. Moraliter, & coram Deo Martyrium censetur consummatum, quando Martyr lethalia accepit vulnera, aut sustinuit tormenta, vi quorum (seclusa quacunque alia causa) deberet mori spectato naturæ ordine.

183. Quæres quarto, an Martyrium etiam ante adventum, & mortem Christi habuerit vim justificandi, quemadmodum nunc habet?

Respondetur affirmative. P. Herincx *de Baptis. q.2. num.23.* P. Panger *n.256.* & alii communiter. Ratio est: quia Machabæi, qui passi sunt ante adventum Christi, evasere veri Martyres, & ut tales ab Ecclesia coluntur: idem est de SS. Innocentibus, & S. Joanne Baptista, ante mortem Christi occisis; ergo &c. Cælum tamen ingredi non poterant ante mortem Christi; siquidem janua cæli necdum erat reserata, prout advertit Herincx *cit.*

Dices. Martyrium est perfecta, & realis configuratio cum morte Christi; ergo non dabatur, & consequenter non justificabat ante mortem Christi.

Respondetur, explic. & dist. ant. Est configuratio cum morte Christi, vel actu exhibita, vel saltem prævisa ut futura, con. tantum actu exhibita, neg. ant. & sub data distinctione cons.

C A P U T V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes

S U M M A R I U M.

184. *Quirinus Parochus non peccat, dum ob extraordinarium hiemis rigorem baptizat infantes aqua prius calefacta.* 185. *Quaresimus invalide baptizat puerulum in flumen projiciendo, etsi simul debitam formam pronunciet.* 186. *Quintilianus nullum commisit errorem substantialem in administratione Baptismi obliviscendo facere intentionem baptizandi, & utendo hac forma;* Ego te baptizo in Nomine Patris, in Nomine Filii, & in Nomine Spiritus S. 187. *Infans, ex femore viri excisus, veram tamen hominis formam referens, potuit, ac debuit baptizari.* 188. *Quinesius Episcopus potuit sustinere simul munus baptizantis, & per substitutum e sacro fonte levantis, seu Patrini.* 189. *Quinctius, & Quinctianus, Teologia Moralis Studiosi, varias, cum pie curiosas, tum utiles, proponunt quæstiones de Baptismo Sanguinis, seu Martyrio, easque sibi resolvi petunt: quorum petito etiam annuitur.*

C A S U S I.

184. *Quirinus, Parochus oppido Zelosus, & in exhibitione operum Misericordia cum corporalium, tum spiritualium erga suos præsertim parochianos, supererogatorie liberalis, non raro ob extraordinarium hiemis rigorem baptizare solet aqua, ex sacro quidem fonte hausta, sed prius ad fornacem calefacta, aut tepefacta, ne tenellis infantium corpusculis noceat. Quæritur, an Quirinus peccet?*

Respondetur negative. Vinitor *de Sacram. tit.2.c. 2. quæst.2. num.11.* Illsung *tr.6. disp.2. artic.3. num.12.* Michel *de Baptis. fol. 74. num.4.* Babenstuber *loc. cit. art.2. n.5.* Ratio est: quia nec Christus, qui aquam naturalem, nec Ecclesia, quæ benedictam præscripsit pro Baptismi conferendi materia, ejus calefactionem, aut tepefactionem prohibuit, cum nullum hujus prohibitionis vestigium extet, nec ulla fit irreverentia Sacramento, vel certe eandem cohonestat, & tollit rationabilis causa: imo (teste Illsung) quædam Ritualia Diœcesana expresse monent, quod expediat, si Minister Baptismi, cum frigus est acrius, aquæ Baptismali aliam calidam in pelvi misceat, atque inde infantes baptizet; ergo &c. Confirmatur. Sacramentum, quod ad vitæ spiritualis, peccato Adami amissæ, restaurationem institutum est, non debet obesse vitæ corporali hominis, prout habet communis DD. sensus. Baptismus autem est hujusmodi Sacramentum; ergo &c.

C A S U S II.

185. *Quaresimus filiolum recens natum portat ad Parochiam, a suis adibus una circiter hora distantem; sed in via juxta una circiter hora distantem; sed in via juxta flumen advertit cum ipse, tum alii ejus comites, infantem incipere mori, jam jamque animam agere. Cum ergo actum de illo aperte videat, nec aqua tam cito ad manum sit, ut anima saltem salvetur, projicit puerulum in flumen, simulque pronunciat legitima verba forma Baptismalis:* Ego te baptizo &c. *Quæritur, an Baptismus sic administratus valeat?*

Respondetur negative. Ita Scotus *in 4. dist. 4. quæst. 3.* Paludanus, Silvester, Henriquez, quos referunt, & sequuntur Sanct Gallenses *de Baptis. quæst. 1. dub. 2. in fin.* Item Panger *loc. cit. a n.180.* Elbel *num. 13.* & alii, præsertim Scotistæ, quam plurimi, mihi probabilius. Ratio fundamentalis est: siquidem infantis in flumen projectio non obtinet rationem ablutionis usualis, quæ est materia proxima Baptismi; ergo non sufficit ad valorem Baptismi. Ant. ostenditur. Nemo dixerit, quod projectio pecoris, v. g. ovis, in puteum, stagnum, aut flumen, ex quo incolume emergere nequeat, sortiatur rationem ablutionis usualis, cum potius habeat rationem occisionis; ergo idem ferendum est judicium de projectione infantis &c. Confirmatur. Non est credibile, quod Christus pro materia Baptismi valida instituerit, & agnosci velit actionem per se, & suapte natura occisivam baptizandi: sed talis actio est projectio infantis in flumen; ergo &c. Nec refert, quod projiciens non intendat occidere. Nam carentia ejusmodi intentionis non immutat, nec immutare potest naturam actionis, seu projectionis de se occisivæ. Imo projiciens convincitur implicite, & in actu exercito intendere mortem corporalem baptizandi hoc ipso, quod eum projiciat in flumen, unde vivus emergere haud valeat.

Dices primo. Sacramentum Baptismi non est a Christo institutum, & ordinatum ad vitam corporis, sed animæ; ergo sufficienter obtinetur finis, in institutione Baptismi intentus, modo procuretur vita animæ, esto destruatur vita corporis.

Respondetur, dist. ant. Non est ordinatum ad vitam corporis procurandam, vel positive conservandam con. negative conservandam, ita ut ejusdem non sit per se destructivum, neg. ant. & cons.

Dices secundo. Qui sordida pecora in flumen agit, vere illa lavat juxta usitatum loquendi modum; ergo etiam, qui in flumen projicit hominem, originali labe inquinatum, censetur eundem vere lavare, seu abluere: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Si flumen sit tale, ac ita situatum, ut inde pecora enatare, vel emergere salva queant, con. secus, neg. ant. Dist. etiam conf. Si homo, qui projicitur ponatur esse adultus, & enatandi peritus, con. si ponatur esse infans, vel adultus quidem, sed enatandi imperitus, adeoque emergere non potens, neg. conf. In tali quippe casu projectio rationem non occisionis habet, non ablutionis usualis; ut relinquitur ex dictis.

Dices tertio. Si infans, aquæ immersus, post prolatam verborum formam fortuito e Ministri manibus laberetur, & submergeretur, nemo diceret, illam immersionem non esse veram ablutionem, sufficientem ad valorem Baptismi; ergo ad valorem Baptismi non requiritur talis ablutio, qua peracta supervivat ablutus.

Respondetur, concesso antecedente, dist. conf. In casu, quo mors abluti sequitur per accidens, con. in casu antecedentis mors infantis mere sequitur per accidens, videlicet ex incuria, vel debilitate Ministri; non autem per se, & ex natura ipsius immersionis, quemadmodum in nostro casu.

Dices quarto. Siquis ex intentione baptizandi ablueret infantem aqua veneno infecta, valide baptizaret, esto hujusmodi ablutio mortifera foret; ergo idem dicendum in proposito.

Respondetur, neg. ant. Siquidem nec ablutio, per aquam venenatam facta, dici usualis potest. Ob eandemmet rationem pariter nego, valere Sacramentum Extremæ Unctionis, in oleo venenato administratum.

Instabis. Valide quis consecraret panem venenatum; ergo etiam valide quis baptizaret, vel inungeret in aqua, aut oleo venenato. Conf. videtur tenere ob identitatem rationis. Ant. vero prob. Corpus, & Sanguis Christi perseverant sub speciebus panis, & vini, post peractam consecrationem veneno infectis; ergo etiam primo sub illis poni possunt: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. ob rationem jam iterato inculcatam. Ad prob. con. ant. & neg. conf. Nam plus requiritur ad confectionem, quam conservationem Sacramenti Eucharistici. Hinc tametsi Christus maneat sub indivisibilibus specierum, etiam separatis, & seorsim sumptis, non tamen sub illis, taliter acceptis, poni potest.

Urgebis. Vinum acescens valide consecratur; quia Christus manet sub speciebus acescentibus vini; ergo etiam panis venenatus valide consecrari potest: quia sub speciebus ejusdem, postmodum veneno infectis, Christus similiter manet.

Respondetur, neg. causalem antecedentis; sed ideo valide consecratur: quia (uti supponi debet) adhuc retinet substantialem rationem vini usualis. Secus est de pane, vel etiam vino venenato, utpote quæ ratione admixti veneni usualia esse desierunt.

Petes, an si infans modo per casum afferto in flumen projectus, atque ita ablutus, sive per miraculum, sive absque interventu miraculi, emergeret, aut extraheretur vivus, deberet rebaptizari, & qualiter?

Respondetur, quod deberet rebaptizari, non absolute, sed conditionate. Ratio est: quia dubie baptizatus, sub conditione, non absolute rebaptizari debet; atqui ille infans censetur dubie baptizatus; cum nostra sententia, quo videtur probabilior, neget valide esse baptizatum, & opposita, quæ probabilitate non caret, id affirmet; ergo &c.

Dices. Si opposita sententia sit probabilis, Quaresimus in Casu non peccavit infantem in flumen projiciendo, & sic baptizando; imo ad id faciendum obligatus fuit.

Respondetur, neg. assumptum per se loquendo, & nisi propter ignorantiam, ac bonam fidem a peccato formali fuerit excusatus. Siquidem opposita sententia, cui suam probabilitatem concedimus, solum affirmat, ejusmodi projectionem infantis esse materiam validam Baptismi; negat autem, esse materiam licitam. Videri possunt Coninch, Palao, Laymann, Salmanticenses, Dicastillo, Aversa, Gormaz, Mezger, Michel ubi supra *fol. 76. n. 9.* Babenstuber *art. 2. n. 20.* & alii passim. Et licet nonnulli Authores contendant, illam projectionem in tanto necessitatis casu probabiliter etiam esse materiam licitam Baptismi, ii tamen audiendi non sunt. Ratio convincens est: quia antefata projectio per se, & directe tendit ad occisionem innocentis, omni Jure, & casu gravissime prohibitam. Quare non licet sic baptizare, tametsi puer aliunde jam jam esset certo moriturus, & aliter baptizari non posset: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona; & quilibet tenetur magis vitare peccatum in seipso, quam quærere salutem proximi, inquit Scotus *in 4. dist. 5. q. 3.* Præter Authores superius relatos videri quoque possunt P. Gobat *in Theol. Experim. tr. 2. n. 262.* & P. Elbel *de Baptis. n. 13. & seq.*

CASUS III.

186. *Quintilianus, in certo quodam Oppido Parochus, licet ceteroquin functiones suas parochiales rite obire soleat, semel tamen in administratione Baptismi videtur sibi geminum commisisse errorem substantialem, dum propter alia, quibus tunc distinebatur, negotia & suo oblitus intentionis formandæ in ordine ad baptizandam prolem, & pronunciavit hanc formam:* Ego te baptizo in Nomine Patris, in Nomine Filii, & in Nomine Spiritus Sancti: *prout post factum ab æditio, latini idiomatis nonnihil perito, audire debuit. Quæritur jam, an Quintilianus revera commiserit errorem substantialem 1. non formando intentionem? vel saltem 2. proferendo præallegatam formam? & 3. an Baptismus, si administratus, repeti debeat?*

Respondetur primo ad primum Quæsitum, quod Quintilianus non commiserit errorem substantialem (imo nec accidentalem) dum formare intentionem baptizandi oblitus fuit. Ita DD. communiter. Ratio est: quia licet ad substantiam, & valorem Baptismi requiratur in Ministro intentio legitima, nempe vel formalis, vel virtualis; ea tamen non defuit Quintiliano; siquidem hoc ipso, quod se induerit superpelliceo, & stola, egressus sit ad Baptisterium, aliaque fecerit, quæ ex ordinatione Ecclesiæ ad baptizandum prærequiruntur, censetur habuisse sufficientem voluntatem, seu intentionem, nempe formalem, seu actualem implicitam, baptizandi: prout relinquitur ex dictis *num. 82*, quæ proin revidenda sunt. Confirmatur. Si rogatus ab aliquo, ut ejus confessionem excipiam, intro confessionale, & audio confitentem, censeor habere sufficientem intentionem ipsum absolvendi, tametsi de absolutione danda nec antea cogitaverim, nec modo cogitem signate, & explicite; ergo idem sentiendum in Casu &c.

Respondetur secundo ad secundum Quæsitum, quod Quintilianus neque commiserit errorem substantialem, dum formam supra in Casu memoratam substituit, & protulit loco ordinariæ. Ita Palao, Laymann, Salmanticenses, Babenstuber ubi supra *art. 3. n. 8.* & alii, quorum sententiam etiam nos agnovimus ut probabiliorem *n. 111. in respons. ad arg.* Ratio in primum *cit. n.* jam est reddita: quia nempe idem vocabulum potest sæpius repeti, & tamen singulariter significare, ut patet, si dicam: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus:* ubi denotatur Deitatis unitas, non pluralitas; ergo licet *ly Nomine* ter pronuncietur, adhuc tamen potest, & censetur exprimi unitas, non diversitas, aut pluralitas Naturæ Divinæ; aliud autem, quod præmemoratam formam substantialiter vitiet, aut irritet, nihil est assignabile.

Respondetur tertio ad tertium Quæsitum, Baptismum nihilominus sub conditione repetendum esse. P. Elbel *de Baptis. n. 33.* & alii passim, quibus etiam nos subscripsimus supra *n. cit.* Ratio est: quia sententia, quæ negat, formam in Casu relatam valere, probabilis est; prout *n. cit.* ostensum; ergo Baptismus, a Quintiliano collatus, non valet certo, sed probabiliter tantum, & dubie: consequenter sub conditione reiterandus est.

CASUS IV.

187. *Quadratianus, maritus immisericors juxta, ac petulans, conjugem suam, in puerperio præ doloribus ingemiscentem, ac lamentantem, amare risit.*

Quod

Quod puerpera ægerrime ferens, imprecata eſt marito, ut iiſdem, quibus ipſa, vel adhuc acrioribus doloribus cruciaretur in pœnam tanta immiſericordiæ, & petulantiæ. Nec abfuit Divina Nemeſis: ſiquidem Quadratianus in femore dextro intumeſcere, & acutiſſimos ſentire dolores, ad nonum uſque menſem protractos: donec tandem poſt inciſionem femoris, & exciſionem infantis, tumor ſubſedit, & dolorum vehementia ceſſavit. Ita factum fuiſſe in Belgio *an.*1330 anthentice teſtatur Ludovicus Bertrandus Loth Ord. S. Dominici *in Reſol. Thol. tr.*15. *art.* 1. relatus a P. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 295. *Quæritur jam, an infans ille, ita prodigioſe natus, vel (ut rectius loquar) exciſus, veram tamen hominis formam referens, potuerit, ac debuerit baptizari?*

RESpondetur affirmative. La Croix *loc. & num. citt.* Ratio eſt: quia juxta communem DD. ſubjectum Baptiſmi eſt omnis homo viator, nondum baptizatus: ſed infans ille erat homo viator, nondum baptizatus; ergo erat ſubjectum Baptiſmi; ergo poterat, & debebat baptizari. Unde concluſio, quam ponit P. Babenſtuber *de Baptiſ. art.* 6. *n.* 8. & ita ſonat: *Subjectum Baptiſmi eſt omnis, & ſolus homo vivus, viator,* NB. *ab Adamo deſcendens, nondum baptizatus*: non placet, niſi aliter modificetur, ſeu reſtriogatur ad id, quod ordioarium eſt. Confirmatur noſtra reſponſio. Licet infans ille juxta communem non contraxerit maculam originalem, cum non deſcenderit ab Adamo per ordinariam, & ſemioalem generationem, potuit nihilominus, & debuit inſigniri charactere Baptiſmali, ut ſic evaderet membrum Eccleſiæ; ergo potuit, & debuit baptizari.

Dices. In tingendo ejuſmodi infantem non verificatur forma Baptiſmi: *Ego te Baptizo &c.* utpote faciens hunc ſenſum: *Ego te mundo a peccato originali*; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. & ad cauſalem ajo, quod forma Baptiſmi ſignificet quidem mundationem a peccato originali, ſed non neceſſario actualem determinare; alias fuiſſet falſificata in Baptiſmo B. Virginis, abſque labe originali conceptæ; ut patet: quod vel cogitare tantum, abſurdum eſt. Verum de hoc luculentius infra *tr.* 4. *diſp.* 1. *cap.* 2. *art.* 3.

CASUS V.

188. *Quineſius Epiſcopus rogatus, ut baptizare prolem cujuſdam magni Comitis, comparet in iſtius arce. Sed dum ſacra huic functioni obeundæ jam jam ſe accingere parat, nullus ex deſignatis Patrinus præſto eſt, aut accerſiri poteſt. Hunc proinde defectum ut ſuppleat, ipſius cum conſenſu Illuſtriſſimi D. Parentis officium Patrini acceptat, loco ſui quaſi procuratorem ſubſtituens ex adſtantibus Quineſianum, Capellanum ſuum, ſolemni Baptiſmo alia interfuturum. Quæritur, utrum Quineſius ſimul munus baptizantis, ac Patrini ſuſtinere poſſit, ſaltem per procuratorem?*

RESpondetur, quod probabiliter poſſit. Burghaber *cent.* 2. *caſ.* 64. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 2. *n.* 585. La Croix ubi ſupra *n.* 353. Ratio eſt: quia id neque repugnat Jure naturali, neque poſitivo, ſeu Canonico, cum tamen ex hoc Jure incapaces, ſeu inhabiles ad fungendum munere Patrini diligenter enumerentur apud Theologos paſſim. Confirmatur. Quamvis ex conſuetudine paſſim recepta præter baptizantem deſignari ſoleat Patrinus individualiter, ſive perſonaliter ab illo diverſus, ea tamen conſuetudo non ſic eſt introducta, & recepta, quin aliud ſubinde ex rationabili cauſa fieri poſſit: cum ergo in Caſu noſtro alius Patrinus non compareat, nec conveniat, Epiſcopum diutius expectare aut Baptiſmum differre, poteſt ipſe unus utrunque munus, baptizantis nempe, ac patrini, obire: modo poſterius obeat per ſubſtitutum.

Dices. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.* 3. ait, certiſſimam, & indubitatam eſſe doctrinam D. Thomæ *part.* 3. *quæſt.* 67. *artic.* 3. *&* 8. & perpetua traditione, & uſu Eccleſiæ deſumptam, quod in Baptiſmo præter baptizantem debeat eſſe aliquis, qui baptizatum ex ſacro fonte ſuſcipiat: ubi to *præter* denotat diſtinctionem perſonarum.

Confirmatur. Baptizans interrogat aliqua, ad quæ reſpondere incumbit Patrino, quando baptizandus ipſe reſpondere non poteſt: hoc autem requirit itidem perſonarum diſtinctionem; cum interrogatio, & reſponſio conveniant quidem caſu, at non ſubjecto; ergo &c.

Reſpondetur ad argumentum, quod Valentia aliud non velit, quam ex uſu Eccleſiæ, & doctrina S. Thomæ in Baptiſmo debere eſſe, & qui baptizet, & qui baptizatum ex ſacro fonte levet; non autem hos debere eſſe duos diſtinctos homines; neque talis diſtinctio evincitur ex particula *præter*; cum unus homo duo officia obire poſſit, & ſæpe, in aliis, quoque, ſoleat, inquit P. Burghaber *cit.*

Ad confirmationem ajo, inde ad ſummum probari, quod idem non poſſit eſſe ſimul baptizans, & baptizatum levans per ſeipſum; non vero, quod non poſſit eſſe baptizans ſimul, & levans per alium, loco ſui ſubſtitutum, prout in Caſu.

CASUS VI.

189. *Quinctius, & Quinctianus, ambo Theologiæ Moralis Studioſi perquam ſeduli, poſtquam varios de Baptiſmo Sacramentali diſcurſus miſcuerant, ad ejus ſuppletoria dilabuntur; & ubi facile convenerant, ea eſſe Baptiſmum Flaminis, & Sanguinis, nonnulla adhuc dubia & auditu jucunda, & ſcitu utilia ſubjungunt, ac movent de Baptiſmo Sanguinis, ſeu Martyrio: ut an Martyribus accenſendi ſint? 1. Bonus Latro, cum Chriſto crucifixus? 2. Qui mortem oppetunt ex obſequio peſtiferis præſtito? 3. Milites pro fide pugnantes, & in bello occumbentes? 4. Catholicus, qui inter dormiendum occiditur ex odio fidei? 5. Siquis, inſtante Tyranno eligat potius ſubire mortem, quam negare immortalitem animæ humanæ? 6. Demum, ſiquis ſolum repugnet ſecundum partem hominis inferiorem, quatenus aliquo modo reformidat vim, & acerbitatem tormentorum? Quænam ad ſingula hæc dubia reſolutiones danda ſunt?*

RESpondetur, ſequentes eſſe dandas reſolutiones. Et quidem ad 1. dubium reſolutio eſt negativa. Ratio eſt: quia Latro non fuit mulctatus ſupplicio crucis in odium Chriſti, vel Fidei, vel propter virtutis alicujus defenſionem, ſed ob vitæ anteactæ ſcelera. Babenſtuber *de Baptiſ. art.* 4. *n.* 4. & alii paſſim.

Ad 2. dubium reſolutio itidem eſt negativa. Ratio eſt: quia illis talibus non infertur a quoquam mors in odium Chriſti, Fidei, aut alicujus virtutis. Deinde ſi eſſent veri Martyres, Eccleſia non deberet pro ipſis orare: quod tamen factitat. Sunt igitur ſolum improprie, & analogice Martyres; ad eum fere modum, quo Religioſi, aliique Chriſtiani, auſteram vitam ducentes, carnemque ſuam cum concupiſcentiis crucifigentes, a SS. Patribus Martyres appellantur. Vide, ſi placet, S. Auguſtinum *ſerm.* 150. & S. Gregorium M. *hom.* 3. *in Evang.*

Etiam ad 3. dubium reſolutio eſt negativa. Ratio eſt: quia, præterquam quod inviti potius, quam volentes, & lubentes mortem oppetant, in patiendo non imitantur Chriſtum, qui, *cum pateretur, non comminabatur*. 1. *Petri* 2. *& tanquam ovis coram tondente ſe obmutuit. Iſaia cap.* 53. Porro Eccleſia pro talibus quoque orat, & Miſſæ Sacrificium offert; ergo cenſet, non eſſe Martyres. Ita cum communi Leſſius *de Juſt. lib.* 3. *cap.* 1. *dubit.* 3. *n.* 36. Ubi tamen addit, ejuſmodi milites fore Martyres, ſi jam victi, ex odio Religionis occidantur, mortemque ob eam cauſam acceptent.

Ad 4. dubium adhibenda eſt diſtinctio. Vel enim Catholicus ille (de quo unice quæſtio moveri poteſt, cum hæreticus Martyr fieri non valeat, quippe deſtitutus vera fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo) cogitavit antea de morte ex odio fidei ſubeunda, & eam ex hac cauſa perpeti prælegit potius, quam negare fidem; vel nihil ſimile cogitavit, ac ſtatuit? Si primum; verus Martyr evadit: ſecus; ſi ſecundum. Leſſius ubi ſupra *n.* 24. Bonacina, Laymann, & alii paſſim. Ratio eſt: quia in primo caſu conſenſit in mortem pro Fide obeundam, & aliunde (ut ſupponitur) nulla alia deeſt conditio ex requiſitis ad Martyrium; in ſecundo autem non conſenſit; ergo &c.

Ad 5. dubium rurſus eſt adhibenda diſtinctio. Si

enim potius eligat subire mortem, quam negare, animam homini esse immortalem, quia sic docuit Plato, non fit Martyr; fit autem, si moriatur pro eadem veritate, quatenus eam docet Catholica Fides. DD. communiter. Ratio est; quia in priore casu non moveretur; in posteriore autem moveretur motivo supernaturali ad obeundam pro Christo mortem,

Ad 6. dubium resolutio est affirmativa. Ita noster Eminentiss. Brancatus Card. de Lauræa *disp.20. n.266.* aliique communiter. Ratio est: quia hujusmodi repugnantia non contraponitur voluntati absolutæ mortem pro Christo subeundi; ergo non officit valori, & veritati Martyrii. Id quod efficaciter confirmatur facto ipsiusmet Salvatoris nostri, utpote qui tempore Passionis suæ *cœpit pavere, & tadere, quia spiritus quidem promptus erat, caro autem infirma*; & nihilominus, quia voluntate absoluta subjunxit: *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu; fiat voluntas tua. Matth. 26.* Martyr, vel (ut verius, ac rectius loquar) omnium Martyrum Caput, effectus est: consequenter &c.

DISPUTATIO II.

De Confirmatione.

Confirmatio sic dicta a suo effectu, spirituali scilicet corrobatione ad fidem intrepide profitendam, vocatur a SS. Patribus *complementum Baptismi*; haud sane, quod hic sine illa non sit perfectum, & completum Sacramentum; sed quoniam instituta est ad augendam gratiam per Baptismum acceptam.

CAPUT I.

De Natura, Institutione, Materia, & Forma Confirmationis.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Naturam, & Institutionem Confirmationis.

SUMMARIUM.

190. *Definitur Confirmatio.* 191. *Assignatur tempus institutionis ejus.* 192. *& seq. Solvuntur objectiones.*

190. Dico primo. Confirmatio est *Sacramentum nova Legis ad homines baptizatos, in fide roborandos, institutum*. DD. reipsa communiter; in terminis tamen prolixiores.

Explicatur breviter. Nam *ly Sacramentum nova Legis* obtinet locum generis; cum in eo Confirmatio conveniat cum aliis ejusdem Legis Sacramentis. Reliquæ vero particulæ circumscribunt differentiam Confirmationis, præsertim quatenus exprimunt proprium hujus Sacramenti effectum, nempe corrobationem spiritualem hominum baptizatorum ad fidem intrepide profitendam.

191. Dico secundo. Christus Confirmationem instituit in ultima Cœna. Ita communior, & verior sententia cum Catechismo Romano *cap. de Confirmat.*

Probatur ex Fabiano Papa, qui *Epist. 2. capit. 1.* loquens de nocte Cœnæ Domini ait: *In illa die Dominus noster Jesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a SS. Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit*. Intelligit vero S. Pontifex nomine chrismatis non tantum materiam remotam, sed totum Sacramentum, ut sicut chrisma conficere docuit Christus, ita pariter tradiderit ritum substantialem chrisma adhibendi ad impetrandum Spiritum Sanctum, quem in nocte ultimæ Cœnæ promisit Ecclesiæ se daturum.

192. Objicies primo. Christus primum post Resurrectionem suam Apostolis tradidit potestatem hoc Sacramentum conficiendi, & aliis conferendi; veluti patet ex illo *Joan. 20. Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos &c.* ubi Apostolos creavit Episcopos; ergo illud primum post Resurrectionem instituit.

Respondetur, neg. conf. Siquidem collatio potestatis ad conficiendum, & conferendum Sacramentum nullatenus infert ejus institutionem esse eodem tempore factam, quando nullum aliud concurrit indicium, ex quo illiusmodi simultas innotescat, aut colligatur; quale hic non concurrit, sed potius contrarium; cum Christus non primum post Resurrectionem, sed jam ante Passionem suam, nimirum in nocte ultimæ Cœnæ, docuerit chrisma conficere &c.

193. Objicies secundo. Concilium Senonense in Decretis Fidei *cap. 10.* tenet, Christum instituisse Sacramentum Confirmationis, quando *Matth. 10.* pueris manus imposuit; ergo non in nocte ultimæ Cœnæ.

Respondetur cum P. Gonet *tom. 5. disp. 6. art. 1. n. 17.* neg. conf. Ad ant. ajo, non obstare authoritatem allegati Concilii, quippe quod solummodo Provinciale erat, neque a S. Pontifice confirmatum. Deinde dici potest cum Platelio hic *n. 244.* Concilium probabiliter nihil aliud velle, quam tunc ex Christi intentione adumbratum fuisse Confirmationis Sacramentum. Quare illi parvuli non fuerunt Christo oblati, ut Sacramentum Confirmationis reciperent, cum nondum essent baptizati; sed ut benedicerentur, quemadmodum vult S. Hieronymus; vel ut curarentur ab infirmitatibus suis, prout tenet S. Anselmus, teste Platelio *cit.*

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam tam remotam quam proximam Confirmationibus.

SUMMARIUM.

194. *Adstruitur materia remota Confirmationis.* 195. *Diluuntur opposita.* 196. *Ad quem pertineat benedictio chrismatis?* 197. *An chrisma necessario debeat esse recens?* 198. *Adstruitur etiam materia proxima.* 199. *Solvitur objectio.*

194. Dico primo. Materia remota Confirmationis est chrisma, ex oleo olivarum, & balsamo confectum, ac ritu Ecclesiastico benedictum. Conclusio in terminis, in quibus proposita est, communiter admittitur.

Probatur ex Concil. Florentino, quod in Decreto Eugenii ita habet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio: hujus materia est chrisma confectum ex oleo* (olivarum) *quod nitorem significat conscientia, & ex balsamo, quod odorem significat bona fama, per Episcopum benedicto.* Idem habet Catechismus Romanus, dum mentem Tridentini *Sess. 7. de Confirmat. can. 3.* explicans ait: *Chrisma ab illis, qui res Divina tradunt, communi loquendi consuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodatum esse, quod ex oleo, & balsamo solemni Episcopi benedictione conficitur.* Accedit Authoritas obvia SS. Patrum, & continua traditio ac praxis Ecclesiæ.

Dicitur autem in conclus. 1. *Ex oleo olivarum.* Tale quippe oleum ad conficiendum chrisma requiritur ex recepta consuetudine Ecclesiæ, & sententia omnium DD. Ratio est: quia solum oleum olivarum venit simpliciter nomine olei; non reliqua olea, puta ex nucibus, amygdalis, canabis, vel ballenis expressa: hæc enim vocantur tantum olea cum addito, suntque duntaxat usualia secundum quid, prout disertis verbis tradit D. Thomas *part. 3. q. 72. art. 2.* ubi ait: *Quilibet alius liquor ex similitudine hujus* (id est, olei olivarum) *oleum nominatur, nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum*; ergo &c.

Dicitur 2. *& balsamo*. Siquidem ad conficiendum chrisma etiam requiritur mixtio balsami; veluti patet ex Concil. Florent. supra, quod æqualiter pronunciat de necessitate olei, ac balsami, ut proinde non appareat, cur illud, & non etiam istud ad conficiendum chrisma (consequenter ad substantiam, & valorem Sacramenti Confirmationis) requiratur. Non refert tamen, sitne balsamum Indicum, aut Palæstinum, modo sit naturale, verum, & usuale: veluti liquet ex Bullis SS. Pontificum, Pauli III. & Pii IV. qui ad dubitationem Indorum declarando responderunt, eorum balsamum ad conficiendum chrisma omnino aptum esse. Augustinus Michel *de Confirmat. fol. 110. num. 2.* cum aliis a se relatis.

Dicitur

Dicitur 3. *ac ritu Ecclesiastico benedictum*. Nam ut chrisma, ex oleo, & balsamo confectum, insuper sit benedictum ritu Ecclesiastico (nempe substantiali) idque necessario necessitate materiæ hujus Sacramenti, & consequenter necessitate ipsius quoque Sacramenti, rursus fluit ex Florentino *cit.* utpote quod, sicut asserit, oleum, ac balsamum esse de necessitate Confirmationis; ita & benedictionem &c. Rationem conguentiæ, ob quam Christus chrisma (ut sit materia apta, & valida Sacramenti Confirmationis) voluerit necessario esse benedictum, suppeditat Catechismus Romanus, supra allegatus, hisce verbis: *Quia in plerisque aliis Sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit; non solum enim aquam elementum Baptismi esse voluit, cum inquit: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; sed, cum ipse baptizatus est, effecit, ut ea deinceps vi sanctificandi prædita esset. Quoniam igitur Dominus hanc Confirmationis materiam usu ipso, & tractatione non sacravit, necessum est, ut sanctis, & religiosis precationibus consecretur*. Eandem rationem congruentiæ affert etiam Scotus *in 4. dist.* 7. q. 1. Ubi tamen recte notat Herincx *de Confirmat.* q. 2. *n.* 25. formam benedictionis relictam esse determinationi Ecclesiæ, ita, ut Christus quidem instituerit, ac ordinaverit, chrisma debere benedici per Spiritus S. invocationem, non tamen certam, ac determinatam in specie formam, ac ritum benedicendi præscipserit. Servandus proinde a Consecrante, seu Benedicente, est (idque sub gravi obligatione) ritus ab Ecclesia præscriptus; prout in ipsa conclusione indigitavimus.

195. Objicies contra hucusque dicta. 1. Licet Concilium Florentinum, supra relatum, doceat, materiam calicis esse vinum, cui ante consecrationem aqua admiscenda sit; certum tamen est, mixtionem aquæ non esse de necessitate validæ consecrationis; ergo idem tenendum ex eodem Concilio de mixtione balsami cum oleo. 2. SS. Patres non infrequenter Confirmationem nuncupant *Sacramentum olei*, nulla facta mentione balsami; ergo signum est, balsamum non esse de necessitate hujus Sacramenti. 3. Balsamum verum, & genuinum est valde rarum, comparatuque difficile; ergo non est verisimile, quod requiratur ad valorem Sacramenti; cum Christus usum Sacramentorum voluerit esse facilem. 4. Pontifex in *c.* 1. *de Sacram. non iterand.* interrogatus, an Sacramentum Confirmationis sit iterandum in eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo unctus fuit? respondit, *nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum*; ergo censuit Pontifex, Sacramentum in puro oleo administratum valuisse; alias dixisset, illud esse iterandum. 5. Si benedictio chrismatis tam sit necessaria ad valorem Confirmationis, quam oleum, & balsamum, ut supra arguebamus, sequitur, quod sit æque pars constitutiva chrismatis, ac oleum, & balsamum: hoc autem dicere videtur paradoxum; ergo &c.

Respondetur ad singula. Et quidem ad 1. con. ant. neg. cons. Nam Concil. utitur diverso loquendi modo; loquens enim de materia calicis non dicit simpliciter, eam esse vinum aqua mixtum, sive compositum ex vino, & aqua; sed vinum de vite, cui aqua admisceri debeat: quæ verba solam denotant necessitatem præcepti de aqua admiscenda. Ast loquens de materia Confirmationis dicit simpliciter, eam esse chrisma, ex oleo, & balsamo confectum: quibus verbis aperte innuitur, non solum oleum, sed etiam balsamum esse necessarium necessitate materiæ, & Sacramenti Confirmationis.

Ad 2. neg. cons. Ad ant. ajo, SS. Patres sic nuncupare Sacramentum Confirmationis a majori parte materiæ; quia nempe in chrismate multum est olei, balsami vero parum. Nec dicas, non sufficere ad conficiendum chrisma, si tam modica quantitas balsami admisceatur oleo. Contra enim est, neg. assumptum. Nam ad constituendum chrisma, in quantum est materia Confirmationis, non requiritur, ut quantitas balsami, secundum substantiam accepti, pervadat omnes, & singulas partes olei; sed satis est, quod eas pervadat virtute suarum qualitatum, totamque olei massam faciat odoriferam: id quod maxime pertinet ad mysticam significationem hujus Sacramenti a Florentino supra expressam.

Ad 3. transmitto ant. & neg. cons. Rationem hujus probativam dist. Christus usum Sacramentorum voluit esse facilem facilitate æqualis respectu omnium Sacramentorum, neg. facilitate inæquali, con. Illorum Sacramentorum usum Christus voluit esse magis facilem, quæ sunt magis necessaria, uti præsertim est Baptismus, cujus proin materiam maxime obviam instituit; & aliorum, quæ minoris sunt necessitatis, minus facilem. Cum ergo Confirmatio sit unum ex Sacramentis minus necessariis, opus haud erat, ut Christus pro eo designaret materiam comparatu tam facilem.

Dixi: *transmitto ant.* Nam satis veri, & genuini balsami hactenus sine speciali difficultate comparari potuisse, experientia testimonium perhibet.

Ad 4. neg. cons. Cum enim administratio Sacramenti tota fuerit prætermissa, voluit Pontifex totam suppleri; non tamen iterari: quia (ut habet Glossa ibidem) *non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit*. Sic etiam Leo Papa interrogatus, an baptizandus sit, de cujus Baptismo non constat? respondit, quod sic, nec tamen Sacramentum idcirco iterari: quia *quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut iteratum videatur*: quemadmodum refertur *can.* 111. *de Consecrat. dist.* 4. P. Herincx ubi supra *n.* 21. Porro per adverbium *caute* inculcare Pontifex intendit, præmemoratam suppletionem fieri debere privatim, non publice, & solemniter; idque scandali vitandi causa, quod alias (prout consideranti patet) facile oriri posset. P. Babenstuber *loc. cit. art.* 2. *n.* 3. & multi alii apud ipsum.

Ad 5. neg. seq. maj. Licet enim oleum, balsamum, & benedictio, omnia tria, sint omnino necessaria ad valorem Confirmationis, modus tamen, quo necessaria sunt, essentialiter dissimilis, ac diversus est; nam oleum, & balsamum necessaria sunt, & concurrunt tanquam partes entitative componentes materiam Confirmationis, nempe chrisma; benedictio autem se habet tanquam conditio, sine qua chrisma non esset materia valida Confirmationis, & importat ex parte Benedicentis actum benedictionis, ex parte vero rei benedictæ, seu chrismatis denominationem moralem benedicti.

196. Quæres, ad quem pertineat benedictio chrismatis.

Respondetur primo. Jure ordinario pertinet 1. ad solum Episcopum, eumque (2.) jam consecratum. Utraque pars est communis. Prima sumitur tum ex Florentino supra *in prob. conclus.* allegato; tum ex traditione Ecclesiæ, potestatem ordinariam benedicendi chrisma in solo Episcopo agnoscentis. Altera pars sumitur ex hac ratione: siquidem Episcopus, nondum consecratus, spectando characterem Ordinis, non habet quid amplius, quam simplex Sacerdos; ergo cum hic (juxta omnes) non habeat potestatem ordinariam conficiendi, ac benedicendi chrisma; ita nec ille habere dicendus est.

Respondetur secundo. Jure extraordinario, sive ex delegatione S. Pontificis potestas conficiendi, ac benedicendi chrisma, competere potest simplici Sacerdoti. Quod idem ob paritatem rationis assertum esto de Episcopo necdum consecrato. Ita Doctor Subtilis *in 4. dist.* 7. q. 1. quem præter Scotistas sequuntur Gobat *in Theol. Experim. tr.* 2. *n.* 345. Pichler *lib.* 1. *tit.* 15. *n.* 7. & alii. Ratio est: quia Jure extraordinario, sive ex delegatione S. Pontificis potest simplex Sacerdos conferre ipsum Sacramentum Confirmationis; ergo etiam præparare materiam, qualis est chrisma, per consecrationem, seu benedictionem. Dent nobis Adversarii solidam disparitatem, quare possit fieri unum, & non alterum?

Respondent, quod, cum non ubique possint haberi Episcopi, necessitas exigat, ut S. Pontifici merito credatur concessa a Christo potestas ministerium Confirmationis aliquando committendi simplici Sacerdoti; non autem sit necessitas, ut ministerium benedicendi chrisma aliquando committatur simplici Sacerdoti, cum benedictum ab Episcopo de loco in locum facile transportari valeat.

Verum hæc responsio nihil valet; laborat enim falso supposito, vel asserto, videlicet non posse emergere casum necessitatis, in quo simplici Sacerdoti per dispensationem S. Pontificis committatur potestas benedicendi chrisma: cujus tamen contrarium procul dubio evenire potest, ut si in longinqua aliqua Regione, in qua nullus adhuc Episcopus moraretur, neque chrisma ab

eo be-

eo benedictum tam ocyter illuc deferri posset, plures incolæ recens essent ad fidem conversi, & ab aliis, etiamnum in suo errore persistentibus, idcirco multiplices persecutiones sustinerent, ad fidem, quam susceperunt, deuuo ejurandam solicitarentur, & propemodum cogerentur. Non video (inquit Bosco *de Confirmat. sect.* 1. *n.* 97.) quare in hoc, vel simili necessitatis casu, in quo Sacramentum Confirmationis tam necessarium esset, S. Pontifex non posset dispensare, & potestatem benedicendi chrisma, eoque confirmandi, simplici Sacerdoti ibidem commoranti commitere. Itaque licet non adeo frequenter occurrere soleat necessitas provinciam benedicendi chrisma in Sacerdotem simplicem transferendi, occurrere tamen potest, & quandoque jam evenit; veluti patebit ex moa infra dicendis.

Dices nunc primo. Pontifex non potest mutare materias Sacramentorum: sed materia Confirmationis est chrisma ab Episcopo benedictum; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. min. Ab Episcopo tanquam benedicente per potestatem ordinariam, con. secus, neg. min. Quando Concil. Florentinum supra asserit, chrisma, ab Episcopo benedictum, esse materiam Confirmationis, aliud non vult innuere, quam soli Episcopo competere potestatem ordinariam benedicendi chrisma; adeoque non negat, quin Sacerdos simplex ad id munus delegari a S. Pontifice valeat, quando necessitas ita poscit. Audiamus verba Scoti, *loc. cit.* dicentis: *Materia autem remota* (Confirmationis) *est chrisma, compositum ex oleo olivæ, & balsamo, & sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui poterit talis sanctificatio committi.* Similiter *in Report. dist.* 7. *quæst.* idem Doctor ait, materiam Confirmationis esse chrisma, *sanctificatum sanctificatione Episcopali communiter*, id est, ordioarie; ergo &c.

Instabis. Concil. Florent. exponens materiam Confirmationis, non dicit esse chrisma *ordinarie* benedictum ab Episcopo, sicut hunc dicit esse *ordinarium* Ministrum illius; ergo insinuare intendit, Sacerdotem simplicem posse quidem jure extraordinario conferre Sacramentum Confirmationis, non autem benedicere chrisma.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, quod Eugenius IV. *in cit. Concil.* retulerit ea duntaxat, quæ certa erant, & de quibus nulla erat inter Catholicos controversia: licet autem omnino certum esset, & a nemine negaretur, posse Sacerdotem simplicem ex Papali dispensatione confirmare; dubitabant tamen quam plurimi, an etiam posset chrisma conficere? atque ideo noluit Pontifex id, quod incertum adhuc pluribus videbatur, tanquam certum Armenis proponere. Dein ipse altefatus Pontifex quinquennio post potestatem benedicendi chrisma concessit FF. Minoribus; prout statim audiemus.

Dices secundo. Pontifex potestatem benedicendi chrisma nunquam delegavit Sacerdoti simplici; ergo signum est, quod delegare non possit.

Respondetur (quidquid sit de consequentia fundata in argumento negativo, quod sæpe fallit) neg. ant. Nam Eugenius IV. proxime nominatus, Bulla, quæ incipit: *Sacra Religionis*, data *an.* 1444. *IV. Calendas Februarii*, eam potestatem delegavit FF. Minoribus, in Scythia, Moldavia &c. pro illo tempore commorantibus. Verba Bullæ sunt: *Concedimus facultatem -- ut omnes, & singuli Fratres -- possint Eucharistiæ, Baptismatis, Chrismatis, seu Confirmationis, Extremæ Unctionis, & reliqua Sacramenta ministrare -- Capellas quoque, altaria, nec non calices, & paramenta Ecclesiastica, oleum sanctum, & chrisma conficere, & benedicere.* Hanc Bullam refert VVaddingus *tom.* 5. *Annal. Minorum ad annum* 1444. *pag.* 545. eamque authenticam esse testatur, imo circumstantionate demonstrat. Porro Franciscus Haroldus *in Epit. Annal. Min. ad annum* 1342. *n.* 46. expresse habet, quod Guardianus Montis possit *Sacramentum Confirmationis Pontificalibus indutus conferre, & ipsum chrisma conficere.*

197. Quæres adhuc circa materiam remotam Confirmationis, an chrisma necessario debeat esse recens, seu anno præsente confectum, ac benedictum?

Respondetur cum communi DD. quod necessario debeat esse recens, non quidem (1.) necessitate materiæ, & Sacramenti; sed (2.) necessitate præcepti Ecclesiastici. Ratio primi membri est: quia Concil. Florentinum pro materia Confirmationis assigant chrisma simpliciter tale, cujusmodi non solum est recens, sed etiam vetus antea confectum, dummodo non sit substantialiter corruptum; siquidem circumstantia temporis, seu talis anni, cum sit mere extrinseca, & accidentalis, non officit veritati chrismatis. Ratio secundi membri est: quia *can.* 17. *dist.* 3. *de Consecrat.* expresse præcipitur, ut singulis annis Feria V. Cœnæ Domini novum chrisma, vetere combusto, benedicatur, & per anni decursum adhibeatur. Unde si Episcopus in collatione Confirmationis adhiberet chrisma vetus, novo posthabito, esto ageret valide, graviter tamen delinqueret; eo quod præceptum Ecclesiæ universalis in re gravi violaret.

198. Dico jam secundo. Materia proxima Confirmationis est unctio chrismatis in fronte confirmati per modum crucis facta immediate manu Ministri. Communis.

Probatur tum ex perpetuo usu Ecclesiæ: tum ex hac ratione; quoniam illa est materia proxima hujus Sacramenti, quæ versatur circa materiam remotam, & proxime significatur, atque determinatur per formam: sed ita se habet memorata unctio chrismatis; prout patebit consideranti formam Confirmationis, articulo proxime secuturo afferendam; ergo &c.

Dicitur autem in conclus. 1. *in fronte confirmati per modum crucis.* Quod utrunque requisitum exprimitur *in Decreto Concilii Florentini de Sacram.* hisce verbis: *Ideo in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen erubescat confiteri, & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia secundum Apostolum, propter quod signo crucis signatur.* Imo ex his ipsis verbis conficitur, utrunque esse necessarium necessitate Sacramenti; eo quod utrunque spectet ad practice significandam gratiam hujus Sacramenti, qua confirmatus specialiter roboratur ad fidem, & crucem Christi fortiter, intrepide, ac sine erubescentia profitendam. Babenstuber *de Confirmat. art.* 2. *n.* 10. & alii passim. Porro non sufficit ad valorem Confirmationis, si Episcopus prius faciat crucem, & postea primum ungat, sed ipsa unctio debet in forma crucis fieri. Michel *fol.* 111. *n.* 10.

Dicitur 2. *facta immediate manu Ministri.* Quod & ipsum necessarium est necessitate Sacramenti; nam si unctio chrismatis fieret mediante aliquo instrumento, v. g. penicillo, vel virgula, non posset cum veritate dici *manus impositio*; cum tamen juxta Scripturam, & Patres ad valorem Confirmationis requiratur talis unctio, quæ simul sit manus impositio. Reginaldus *lib.* 28. *cap.* 2. *n.* 10. Menger *tom.* 4. *tr.* 16. *disp.* 28. *art.* 2. *n.* 8. Michel *loc. & n. citt.* Unde si dicas: valida est Extrema Unctio, dum fit mediante instrumento; ergo etiam Confirmatio. Respondetur cum P. Babenstuber ubi supra, neg. cons. Disparitas est: quia Extrema Unctio non exigit essentialiter manus impositionem, sicut Confirmatio.

Præterea requiritur necessario, non quidem (1.) necessitate Sacramenti; sed (2.) necessitate præcepti, ut chrismatio, sive unctio fiat pollice manus dextræ intincto in chrismate. Ratio primi est: quia licet unctio fieret alio digito, etiam manus sinistræ; adhuc fieret per impositionem manus: consequenter &c. Ratio secundi est: quia sic præscribit, ac præcipit Pontificale Romanum. Unde Confirmatio facta alio digito, quam pollice manus dextræ, tametsi non esset invalida, graviter tamen esset illicita, quippe contraria ritui Ecclesiæ in re gravi. Michel ubi supra, & alii passim. His ita expositis,

199. Objicies contra conclus. Apostoli administrabant Sacramentum Confirmationis per solam manus impositionem, & orationem absque unctione chrismatis; veluti constat ex *Actor.* 18. & 19. ergo unctio chrismatis non est materia proxima hujus Sacramenti; alias sine illa non potuisset administrari.

Respondetur, neg. ant. Nam Apostoli, quotiescunque, & undecunque probantur Sacramentum Confirmationis revera contulisse, id non fecere per siccam manus impositionem, sed per manus impositionem unctivam, qualis modo exercetur, dum Sacramentum Confirmationis confertur, juxta *cap. unic. de Sacra Unctione.*

ctione. Videri potest Michel *fol.* 112. *n.* 11. *&* 12. ubi hanc nostram responsionem satis fuse deducit, ac energice confirmat: uti & Bosco *a n.* 135.

Dices. Eugenius IV, in Concilio Florentino dicit, chrismationem successisse in locum impositionis manuum; ergo &c.

Respondetur, quod altefatus Pontifex solum velit, Episcopos, sive Ministros Confirmationis nunc dici facere per unctionem, quod Apostoli olim dicebantur facere per manuum impositionem: ita ut nomen nomini non res rei, aut ritus ritui successerit.

ARTICULUS III.

Expediuntur, quæ concernunt Formam Confirmationis.

SUMMARIUM.

200. *Forma Confirmationis Græcanica*. 201. *Forma Latina*. 202. *Non omnia, quæ in hac ponuntur, sunt de essentia.*

Sicut in collatione Baptismi aliam adhibet formam Ecclesia Græca, aliam Latina; ita & in collatione Confirmationis; prout jam jam videbimus. Quapropter

200. Dico primo. Forma Græcorum est: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, subintellige: *tibi dono*; vel: *est istud &c.* Quod autem hæc forma sit conveniens, ac legitima.

Probatur, Quia Concilium Florentinum, ad Ecclesiam Græcam cum Latina uniendam congregatum, nihil movit contra præallegatam formam, cum tamen deciderit litem, Latinos inter, & Græcos ortam de forma Baptismi, & materia Eucharistiæ; ergo illam tacite approbavit. Deinde eadem forma habetur in Euchologio, seu Rituali Græcorum, quod ab Urbano VIII. recusum, & approbatum est, postquam a nova Congregatione Cardinalium, in hunc finem erecta, fuerat examinatum.

Dixi in conclus. subintelligenda esse hæc, vel his æquivalentia verba: *tibi dono*; vel: *est istud &c.* Nam sicut juxta proprietatem Græci sermonis in aliis propositionibus, præsertim practicis, sæpe subintelligi debet *ly est*, *ly do*, vel *dono &c.* ita & in proposito; ut proinde verba formæ Græcanicæ hunc sensum contineant: *Signaculum doni Spiritus Sancti est istud*; vel: *dono tibi Signaculum Spiritus Sancti*. Ratio autem hujus necessariæ subintelligentiæ est: quia implicat signatum, & donum, ubi non est signans, & qui signatur, ac donans, & cui donatur.

201. Dico secundo. Forma Latinorum est: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quæ forma est expressior, atque adeo convenientior Græcanica: id quod sic

Probatur, & breviter declaratur: quia exprimit 1. signum crucis, quo insignitur, qui in militiam Christianam adsciscitur. 2. robur spirituale, & athleticum, quo ad militandum firmatur. 3. hujus roboris causam efficientem (nempe SS. Trinitatem) materiam remotam, & proximam; ut patet consideranti: quæ in forma Græcorum non exprimuntur, id est, non explicite significantur.

202. Quæres, an omnia, quæ in forma Latinorum, modo recitata, continentur, necessario exprimenda sint necessitate Sacramenti?

Respondetur negative. Non enim ita necessario exprimuntur hæc tria, videlicet *signum crucis*, *chrisma salutis*, & *invocatio SS. Trinitatis*. Ratio est: quia alioquin invalida foret forma Græcorum, utpote in qua nullum ex prædictis exprimitur. Mastrius, Bosco, Herincx *de Confirmat. a n.* 32. & alii plures contra alios; qui tamen omnes unanimiter fatentur, præmemorata verba esse necessario exprimenda, ac pronuntianda necessitate præcepti graviter obligantis.

Dices contra respons. primo. Concilium Florentinum assignat omnia, quæ in forma ponuntur; ergo omnia sunt de necessitate Sacramenti, & non præcepti tantum.

Respondetur, neg. cons. Nam enim semper omnia statim censenda sunt necessaria necessitate Sacramenti, quæ in hujus forma ponuntur a Concilio; alias etiam essent necessaria necessitate Consecrationis Calicis, & Sacramenti Eucharistici omnia, & singula hæc verba: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti &c.* utpote ab eodem Concilio formæ consecratoriæ inserta: hoc autem non esse verum, ostendemus *tr. seq. disp.* 1.

Dices secundo. Confirmatio est consummatio, & complementum Baptismi; ergo saltem invocatio SS. Trinitatis in forma Confirmationis necessario exprimenda est necessitate Sacramenti, sicut in forma Baptismi.

Respondetur, in primis retorq. arg. In forma Baptismi Græcanica necessario necessitate Sacramenti exprimi debet invocatio SS. Trinitatis; ergo etiam in forma Confirmationis Græcanica; quod est falsum. Deinde neg. ad argum. cons. Ratio negandi petitur ex institutione Christi, qui formam Confirmationis non determinavit secundum speciem atomam, sicut formam Baptismi; sed solum secundum speciem subalternam, seu genus, ut nempe adhiberentur verba, effectum præfati Sacramenti significantia; quorum tamen determinatio esset penes Ecclesiam. Alia porro ratio disparitatis est, quod Baptismus sit primum novæ Legis Sacramentum, ac janua, per quam ingredimur in Ecclesiam, & fimus cæterorum Sacramentorum capaces. Similis prærogativa non competit Confirmationi. Unde non est mirum, quod in Baptismo requiratur necessario necessitate Sacramenti signata, & expressa invocatio SS. Trinitatis, seu præcipui Fidei Mysterii: non item in Confirmatione; quamvis & in hac convenienter (imo ex præcepto) exprimatur; tum quia est complementum Baptismi: tum quia per Confirmationem armatur miles Christi, ut inter alia Fidei Mysteria Trinitatem profiteri non erubescat.

CAPUT II.

De Ministro, Subjecto, & Effectibus Confirmationis.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum Confirmationis.

SUMMARIUM.

203. *Assignatur Minister ordinarius Confirmationis.* 204. *& seqq. Satisfit argumentis oppositis.* 208. *& seqq. Statuuntur corollaria.* 211. *Assignatur Minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis.* 212. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 215. *&* 216. *Subjunguntur corollaria.*

Variæ olim erant DD. sententiæ circa Ministrum hujus Sacramenti; prout legere est apud Valentiam *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 2. *pun.* 1. Verum neque necessum est, neque mihi vacat illas recensere, aut ventilare. Vide desuper, si placet, memoratum Authorem. Ego, omissa inutili hujuscemodi ambage,

203. Dico primo. Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. Ita Orthodoxi communiter.

Probatur tum ex Florent. *in Decret. de Sacram.* sæpius allegato: tum ex Trid. *Sess.* 7. *can.* 3. *de Confirmat.* ibi: *Siquis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Tum ex perpetuo usu Ecclesiæ, de quo constat ex Jure Canonico *de Consecrat. dist.* 5. *can.* 2. 3. *&* 4. ubi etiam pro ratione affertur, quod olim soli Apostoli hoc Sacramentum contulisse legantur.

204. Objicies primo. *Actor.* 9. legitur Ananias Paulo imposuisse manus: atqui Ananias non erat Episcopus; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Legitur imposuisse manus, ita ut ea impositio esset confirmativa, & Sacramentalis, neg. ut esset curativa, & medicinalis, id est, cæcitatis, qua Paulus in itinere a Domino percussus fuerat, abstersiva, con. maj. Veritas responsionis inde liquet, quod impositio illa manuum præcesserit Baptismum, utpote quo Paulus nondum erat tinctus: consequenter non potest dici fuisse confirmativa, & Sacramentalis; hæc quippe solum exercetur circa subjectum jam baptizatum.

Insta-

Instabis tamen. Ananias Paulo manus imponens, non solum dixit ad ipsum: *ut videas*, sed etiam: *ut implearis Spiritu Sancto*; ergo illa manuum impositio non tantum erat curativa, sed etiam confirmativa, & Sacramentalis.

Respondetur, neg. conf. Nam sola restitutio visus, tanquam proprius effectus, ad illam manuum impositionem pertinebat; quæ proin non nisi curativa, & medicinalis erat: datio autem Spiritus Sancti refcrebatur in Baptismum, quem ibi Paulus post modicum temporis intervallum pariter ab Anania recepit.

205. Objicies secundo illud 1. *ad Timoth.* 4. ibi: *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per manuum impositionem Presbyteri*; ergo munus Presbyteri est imponere manum, & conferre hoc Sacramentum.

Respondetur, neg. conf. Ad ant. dico, quod Apostolus ibi loquatur de impositione manuum, quæ fieri solet in Ordinatione Sacerdotis per Episcopum & Presbyteros præsentes: consequenter &c.

206. Objicies tertio. Concil. Toletanum I. *can.* 20. ait: *Presbyterum absente Episcopo, præsente vero non, nisi fuerit ab eo præceptum, posse alios chrismate ungere.* Similiter Innoc. I. *Epist.* 1. *cap.* 6. scribit, *posse Presbyterum manus imponere, absente Episcopo.* Tandem S. Ignatius *Epist.* 13. & S. Ambrosius *lib.* 3. *de Sacram.* asserunt, *spirituale signaculum, & septiformem Spiritum Sanctum dari ad invocationem Sacerdotis*, Ergo &c.

Respondetur ad singula. Et ad primum quidem, Toletanum non loqui de unctione chrismatis in fronte, quæ peragitur in collatione Sacramenti Confirmationis; sed de unctione ceremoniali, quæ peragi solet in administratione Baptismi solemnis, & qua linitur vertex baptizati. Ad secundum dico, Innocentio ibi sermonem esse de ceremonia, qua ungebantur energumeni ad ejiciendos ex eis dæmones. Ad tertium ajo, SS. Ignatium, & Ambrosium nomine Sacerdotis intellexisse Episcopum; quia olim nomen Sacerdotis solebat perfrequenter attribui Episcopis: ut passim legere est in Conciliis; imo insinuatur ab ipsomet S. Ignatio, dum *loc. cit.* inquit: *Nihil sine Episcopis facito; Sacerdotes enim sunt.*

207. Objicies quarto. In Ecclesia Græca Presbyteri confirmare solent; ergo munus confirmandi non est solis Episcopis proprium.

Respondetur, neg. conf. Vel enim, quod in antecedente assumitur, refertur de Græcis Schismaticis; vel de Græcis Orthodoxis? Si de prioribus; non ducitur inde argumentum idoneum, & quod nostram impugnet doctrinam; ut patet. Si de posterioribus; id hactenus fecisse, vel modo facere dicendi sunt ex delegatione S. Pontificis.

208. Colliges primo, Sacramentum Confirmationis valide administrari a quocunque Episcopo consecrato, tametsi is sit excommunicatus, hæreticus, vel degradatus. Suarez *disp.* 36. *sect.* 2. Salmanticenses *tr.* 3. *de Confirmat. cap.* 4. *pun.* 1. *n.* 2. Michel *fol.* 115. *n.* 7. & alii communiter. Ratio est: quia sicut Sacerdos nunquam amittit characterem Sacerdotalem, in quo fundatur potestas consecrandi, seu conficiendi Sacramentum Eucharistiæ; ita Episcopus semel consecratus nunquam amittit characterem Episcopalem, in quo fundatur potestas (ordinaria) confirmandi: ergo sicut Sacerdos, tametsi sit excommunicatus, hæreticus, vel degradatus valide consecrat; ita & Episcopus consecratus, simili censura, vel nota affectus, valide confirmat: quamvis uterque graviter peccet.

Dixi autem: a quocunque Episcopo *consecrato*. Nam electio sine consecratione non sufficit ad valide conferendum hoc Sacramentum. Si enim Episcopus solum sit electus, & nondum consecratus, adhuc caret charactere Episcopali; quippe qui primum per consecrationem imprimitur; ergo & caret potestate conficiendi Sacramentum Confirmationis; cum hæc potestas, ut proxime animadversum, characterem Episcopalem præsupponat, in eoque fundetur. Præter consecrationem tamen Episcopi non est necessaria etiam ejusdem confirmatio ad validam collationem sæpe dicti Sacramenti: quia talis collatio non est actus jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis, per ipsam jam consecrationem accepti.

209. Colliges secundo, Episcopum valide quidem, sed illicite per se loquendo confirmare sibi non subditos, sive dein id faciat in aliena Diœcesi, sive in propria. Laymann *lib.* 5. *tr.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. Babenstuber *de Confirmat. art.* 4. *n.* 9. & alii passim. Ratio est: quia Confirmatio est actus, in potestate Ordinis, non jurisdictionis fundatus: prout iterato inculcatum; ergo potest valide exerceri etiam circa non subditos; licet in tali exercitio mortaliter peccetur.

Dixi tamen: *per se loquendo*. Nam si alicubi consuetudo invaluerit, ut Episcopus confirmet indifferenter omnes ad se confluentes, sive diœcesani sint, sive extranei, & non subditi, haud solum valide, sed etiam licite eos confirmabit, ob præsumptam, vel potius tacitam licentiam propriorum Episcoporum. Laymann ubi supra *n.* 3. Herincx *de Confirmat. n.* 41. aliique passim.

210. Colliges tertio, Episcopum teneri suis subditis Sacramentum Confirmationis administrare vel per seipsum, vel per suum Suffraganeum, ita, ut gravem culpam non effugiat, si id facere longo tempore negligat. Ratio est: quia cum sit Pastor, tenetur pascere oves sibi concreditas non solum in his, quæ ad salutem simpliciter necessaria sunt; sed etiam in iis, quæ sunt admodum utilia; prout est Sacramentum Confirmationis, ad augendam Baptismi gratiam a Christo institutum. Neque potest itineris expensas petere: quoniam propter administrationem Sacramentorum decimis, & fructibus sui Episcopatus dotatur. Quodsi per seipsum, suumve Suffraganeum prædictæ obligationi satisfacere nequiverit, satis erit, si id præstiterit per alium Episcopum: parum quippe ovium interest, an ab hoc, vel ab illo Pastore reficiantur spirituali pabulo Confirmationis. Salmanticenses ubi supra *n.* 31. Babenstuber *n.* 10. Pertschacher *de Confirmat. q. un. art.* 3. *pag.* 398. Ubi occasionaliter advertit Michel *fol.* 116. *n.* 10. quod Parochi de utilitate hujus Sacramenti, item de dispositione ad illud digne suscipiendum, per præviam v. g. confessionem procuranda, parochianos admonere debeant; uti & de initerabilitate ejusdem Sacramenti; nec non de cognatione spirituali per patrinos contrahenda; atque de hac diligenter inquirere, antequam procedatur ad contrahendum Matrimonium.

211. Dico secundo. Minister extraordinarius Confirmationis ex dispensatione, & delegatione S. Pontificis potest esse simplex Sacerdos. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 7. *q.* 1. aliique DD. communiter.

Probatur tum ex Florentino supra, ubi agens de Confirmatione expresse habet, hoc Sacramentum aliquando a simplici Sacerdote ex dispensatione S. Pontificis fuisse administratum. Tum ex Trid. supra, ubi ait, *solum Episcopum esse Ministrum ordinarium Confirmationis*: adeoque supponit, & indigitat Ministrum extraordinarium ejusdem Sacramenti posse esse alium, nempe simplicem Sacerdotem. Tum ex facto S. Gregorii M. concedentis Sacerdotibus Sardiniæ licentiam confirmandi in absentia Episcoporum: prout refertur *can.* 1. *distinct.* 95.

212. Objicies primo. Adrianus VI. docuit, ejusmodi delegationem fieri non posse; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. ant. Antequam ad Pontificatum evectus fuit, omitto ant. postea, neg. ant. & cons. Imo tempore sui Pontificatus eam potestatem variis Indiæ Presbyteris concessit, teste Platelio hic *numer.* 268.

Dices. Plures SS. Pontifices, ut Eusebius, Innoc. IV. &c. diversis in locis expresse docuerunt, Sacramentum Confirmationis a solis Episcopis administrari posse. Porro Innoc. III. *in cap.* 4. *de consuet.* constituit, ut fideles potius careant Sacramento Confirmationis, quam ut illud a Presbyteri recipiant. Ergo &c.

Respondetur, illos Pontifices (quorum meminit primum antecedentis membrum) fuisse locutos de potestate ordinaria. Innoc. vero III. (cujus meminit alterum membrum) sic constituit; quia mentionati Presbyteri absque commissione Sedis Apostolicæ Sacramentum Confirmationis administrare attentaverant, & amplius attentassent.

213. Objicies secundo. Episcopus est Minister Confirmationis a Christo institutus; ergo S. Pontifex alium delegare non potest.

Con-

Confirmatur. Potestas confirmandi fundatur in charactere Episcopali; ergo qui caret charactere Episcopali, etiam caret potestate confirmandi: consequenter &c,

Respondetur ad object. Ministrum quidem ordinarium Confirmationis, a Christo institutum, esse solum Episcopum; simplicem tamen Sacerdotem, ex eadem Christi institutione, esse Ministrum illius extraordinarium in casu necessitatis, & supposita dispensatione, ac delegatione S. Pontificis, cui, cum Christus commiserit regimen totius Ecclesiæ, censetur dedisse potestatem providendi de idoneo Ministro in casibus extraordinariis, in quibus Episcopus adesse nequit ad Sacramentum Confirmationis ministrandum.

Unde ad confirmat. dist. ant. Potestas confirmandi *ordinaria* fundatur in charactere Episcopali, con. *extraordinaria*, neg. ant. & similiter dist. cons. Qui caret charactere Episcopali, etiam caret potestate confirmandi *ordinaria*, con. *extraordinaria* (supposita delegatione Pontificis) neg. cons,

Ut autem utraque hæc responsio penitius intelligatur, sciendum est, Episcopum ut Ministrum ordinarium confirmare vi characteris sui Episcopalis; Sacerdotem vero simplicem vi sui characteris Sacerdotalis, dependenter tamen a dispensatione, ac delegatione S. Pontificis: licet enim potestas Ordinis ad valide confirmandum non dependeat a potestate jurisdictionis, quando est perfecta, & completa, qualis est potestas Episcopalis; dependet tamen a potestate jurisdictionis, & quidem suprema, ipsique, ac soli S. Pontifici inexistente, quando in ordine ad præmemoratum effectum est incompleta, quemadmodum potestas Sacerdotalis. Unde potestas extraordinaria confirmandi in Sacerdote simplici non solum præsupponit characterem Sacerdotalem, sed insuper connotat supremam jurisdictionem in Pontifice, seu Capite universalis Ecclesiæ, residentem, & involvit actum delegationis Pontificiæ tanquam suum complementum,

214. Objicies tertio. Si potestas confirmandi posset committi simplici Sacerdoti, id practicatum haud dubie fuisset tempore Apostolorum, cum tunc magna esset confirmandorum copia; & Episcoporum penuria, seu paucitas: atqui non legitur practicatum; ergo &c,

Respondetur, non omnia, quæ ab Apostolis facta sunt, scripta esse: consequenter ex eo, quod non legatur practicatum, non illico inferri potest, reipsa practicatum non esse. Dato tamen, quod tunc nemo Sacerdotum simplicium ad munus confirmandi adscitus fuerit; id inde erat, quod plerique Sacerdotes in Episcopos consecrarentur; ut proinde sufficerent ad confirmandum noviter conversos, prævie a Presbyteris, aut Diaconis baptizatos,

215. Colliges primo, quod Papa electus, licet necdum consecratus, dare possit simplici Sacerdoti potestatem confirmandi. DD. communiter. Ratio est: quia illiusmodi datio non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, quam Papa per electionem acquirit,

216. Colliges secundo, Episcopum non posse Sacerdoti simplici committere ministerium Confirmationis. DD. communiter. Ratio est: quia quæ spectant ad regimen totius Ecclesiæ (ut providere de idoneo Ministro Confirmationis in aliquibus casibus extraordinariis, in quibus Episcopus confirmare non potest) solis S. Pontifici competunt. Unde in sæpe *cit.* Decreto Concil. Florent. inter speciales Sedis Apostolicæ prærogativas numeratur, quod ex ejus dispensatione aliquando simplices Sacerdotes confirmaverint. Confirmatur. Commissio confirmandi, quæ fit Sacerdoti simplici, importat tum extensionem potestatis Ordinis Sacerdotalis ad actum Confirmationis ex Christi institutione ponendum; tum dispensationem in Lege Ecclesiæ, administrationem Confirmationis Sacerdoti simplici (extra casum, quo a S. Pontifice ad id delegatus esset) graviter prohibentis; atqui nec præfata extensio potest esse penes Episcopum, cum ipsi a Christo data non sit; nec dispensatio, cum inferior in lege Superioris dispensare nequeat; ergo &c.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt subjectum Confirmationis.

SUMMARIUM.

217. *Assignatur subjectum Confirmationis.* 218. *An capax Confirmationis, sit etiam obligatus ad eam suscipiendam?*

217. Dico. Subjectum hujus Sacramenti est omnis homo viator, baptizatus, & nondum confirmatus, cujuscunque ætatis, & conditionis existat. Ita communis Catholicorum.

Probatur ex *can. omnes fideles, de Consecrat. dist.* 5. ibi: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum accipere debent post Baptismum, ut plene* (quod intellige de plenitudine abundantiæ, non sufficientiæ, utpote quam tribuit Baptismus) *Christiani inveniantur*. Accedit ratio: siquidem omnis illiusmodi homo capax est effectuum Confirmationis.

Dicitur in conclus. 1. *baptizatus*. Nam non baptizatus invalide confirmatur; cum Baptismus omnium aliorum Sacramentorum sit fundamentum, & janua.

Dicitur 2. *nondum confirmatus*. Quoniam enim Sacramentum Confirmationis imprimit in anima confirmati characterem indelebilem (secundum dicenda *art. seq.*) non potest conferri jam semel confirmato.

Dicitur 3. *cujascunque ætatis*, ne excludantur infantes, qui olim mox post susceptum Baptismum etiam confirmari solebant, & adhuc solent in Ecclesia Græca; in Latina vero regulariter expectatur saltem annus septimus confirmandi: partim ut is, utpote usu rationis præditus, majori cum reverentia Sacramentum recipiat: partim ut facilius recordari possit, se jam confirmatum, ideoque non amplius confirmandum esse.

Dicitur 4. *cujuscunque conditionis*, ne excludantur amentes, sive sint temporarie, sive perpetuo tales: omnes quippe confirmandi sunt, observata in solo tempore differentia. Itaque si habeant lucida intervalla, & spem perveniendi ad usum rationis, consulto expectatur, donec usum rationis adepti sint, ob rationem datam de infantibus. Si usum rationis habitum amiserint, nec credantur recuperaturi, sine dilatione confirmandi sunt, modo non constet, eos, peccato mortali actualiter gravatos, in talem miseriam incidisse. Si sint a nativitate, & perpetuo amentes, itidem sine dilatione confirmandi sunt. Ratio horum omnium est: quia in quocunque statu ex prædictis amentes versentur, cum spirituali fructu, & citra periculum irreverentiæ confirmantur.

Nec dicas. In infantibus Confirmatio differenda est; ergo etiam in perpetuo amentibus; cum isti illis æquiparari soleant.

Respondetur enim, neg. cons. & ad rationem probativam ajo, perpetuo amentes in præsenti passu non æquiparari infantibus ob rationem jam insinuatam; quia nempe spes affulget, fore, ut infantes, non item perpetuo amentes, cum tempore ad usum rationis perveniant &c.

218. Quæres, an capax Confirmationis, etiam sit obligatus ad eam suscipiendam?

Respondetur negative, saltem loquendo de obligatione directa. Scotus *in* 4. *dist.* 7. *q.* 2. Mastrius *in* 4. *disp.* 1. *n.* 369. Elbel *de Confirmat. n.* 8. & alii quam plurimi. Ratio est: quia nullum præceptum, sive Divinum, sive Ecclesiasticum, impositum esse probari potest ex S. Scriptura, vel ex traditione, vel ex aperto aliquo Canone; ergo non est fidelibus imponendum. Confirmatur. Si daretur quæstionata obligatio, deberet Sacramentum Confirmationis procurari pro morituris necdum confirmatis: hoc autem (ut praxis docet) non fit, ne tunc quidem, quando commode fieri posset; ergo &c.

Dixi: *saltem loquendo de obligatione directa*. Nam obligationem indirectam plerique agnoscunt in illis, qui cogitant initiari prima Tonsura, aut Ordinibus. Fundant se in Trid. *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ubi ait: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperint*. Ex quibus Concilii verbis aliqui inferunt obligationem gravem, alii, iique plures,

leven.

levem. Si alterutri ſubſcribere vellem, ſubſcriberem priori. Ratio eſt: quia vel Tridentini verba continent præceptum, vel conſilium? Si primum; erit grave, cum concernat rem gravem; nec appareat conſuetudo, quæ tale præceptum attemperaverit, loquit Palao hic *pun. 8. n. fin.* Si ſecundum; male infertur obligatio etiam levis, utpote quæ & ipſa eſt effectus præcepti, non conſilii. Ego (ut breviter mea ſenſa pandam) cenſeo cum Tamburino, & quibuſdam aliis, nullam, ne levem quidem, eſſe in caſu obligationem. Ratio eſt: tum quia ne levis quidem deordinatio apparet, quod quis non confirmatus ordinetur: tum quia Tridentini verba rectius dicuntur monitoria tantum, quam præceptiva; quemadmodum illa penſitanti patebit.

Dices contra reſponſionem ad Quæſitum. Melchiades Papa *in can. 1. diſt. 5. de Conſecrat.* ait: *Quamvis continuo tranſituris* (id eſt, morituris) *ſufficiant Regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia*; ergo Confirmatio ſaltem victuris eſt neceſſaria neceſſitate præcepti.

Reſpondetur, quod allegatus Canon (id cogita de aliis ſimilibus) ſolum innuat magnam utilitatem Confirmationis, ſeu neceſſitatem ſecundum quid, & ad melius eſſe; non vero neceſſitatem ſimpliciter talem, ſeu præcepti. Hinc D. Thomas *in 4. diſt. 7. q. 1. art. 2.* ait: *Sacramentum Confirmationis non eſt neceſſitatis, ſed utilitatis*, Ita Sanct-Gallenſes *de Confirmat. q. 5. concluſ. 2.* Babenſtuber ubi ſupra *art. 4. n. 7. & 10.* aliique paſſim. Quod ſi contendas, in *cit. can.* & quibuſdam aliis innui neceſſitatem præcepti, adhuc nihil evincis contra noſtram reſponſ. Reſponderi enim poteſt, quod illa neceſſitas floxerit ex præcepto veteris Eccleſiæ, nunc abolito: prout cum Dicaſtillo tradit La Croix *lib. 6. part. 1. n. 395.* Auguſtinus Michel *de Confirmat. fol. 109. n. 8.* ac alii.

Inſtabis. Idem altefatus Pontifex *diſt. cit. can. 2.* Inquit, *Baptiſmi, & Confirmationis Sacramenta nullatenus poſſe ab invicem ſegregari, nec unum ſine altero perfici*; ergo &c.

Reſpondetur, quod verba Pontificis haud velint, Baptiſmum, & Confirmationem quoad ſubſtantiam ab invicem ſegregari non poſſe, cum *ibid. can. 1.* expreſſe dicat Pontifex: *Regeneratio per ſe ſalvat in pace beati ſeculi recipiendos*; ſed quod ſolum reſpiciant præceptum, & ritum veteris Eccleſiæ, quæ conferebat Confirmationem ſtatim poſt Baptiſmum. Michel *loc. & n. cit.* Porro ſi verba Pontificis acciperentur ſecundum corticem, & prout jacent, ſequeretur Confirmationem eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſicut Baptiſmum: quod eſt procul a veritate, & contra omnes.

ARTICULUS III.

Expediuntur breviter, quæ concernunt Effectus Confirmationis.

SUMMARIUM

219. *Aſſignantur effectus Confirmationis.* 220. *& ſeq. Fiunt corollaria.*

219. Dico. Duo ſunt effectus Confirmationis; unus primarius, nimirum augmentum gratiæ ſanctificantis cum jure ad gratias actuales, quibus adjuvantibus homo confirmatus fidem Chriſti intrepide, & conſtanter profiteatur: alter ſecundarius, nimirum character, qui in anima confirmati imprimitur, eique indelebiliter inhæret. DD. Catholici communiter.

Probatur. Et quidem prima pars ſumitur tum ex fine, ob quem Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, qualis eſt intrepida, & conſtans profeſſio fidei: tum ex partibus, quibus perficitur, & quæ robur gratiæ ſignificant. Altera pars habetur in Trid. quod *Seſſ. 7. de Sacram. in gen. can. 9.* ſic determinat: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

220. Colliges primo pro prima parte concluſ. Sacramentum Confirmationis eſſe Sacramentum vivorum, per ſe non inſtitutum ad remittenda peccata, & conferendam gratiam primam, ſed ad conferendam gratiam ſecundam, ſeu augmentum gratiæ, & impertiendum robur fidei. Quo fit, ut hujus Sacramenti ſuſceptor, ſi culpa mortali ſe oneratum ſentiat, debeat ante ſuſceptionem vel confiteri, vel perfecte conteri per ſe loquendo, ne primario effectui ejuſdem Sacramenti, nimirum gratiæ ſanctificanti ſecundæ, obicem ponat; atque ita ſacrilegii reatum incurrat; quamvis per accidens poſſit ſufficere (ad conferendam gratiam primam) contritio exiſtimata, ex dictis *n. 65.*

221. Colliges ſecundo pro ſecunda parte concluſ. Sacramentum Confirmationis iterari non poſſe. Patet ex Trid. ſupra, ubi etiam redditur ratio: quia nempe imprimit in anima characterem indelebilem. Unde iterantes, ſeu iterare attentantes grave ſacrilegium perpetrant; quia Sacramentum irritant: eſto non incurrant irregularitatem; quia nullo Jure id ſtatutum legitur. Revide, quod diximus *part. 3. n. 343.*

CAPUT II.

De Ritibus Confirmationis.

Sicut in adminiſtratione Baptiſmi; ita & in adminiſtratione Confirmationis aliqui Ritus (ſeu Ceremoniæ) obſervandi præſcribuntur; de quibus proinde in præſenti capite breviter agendum eſt: & quidem *in 1. art.* de deſignatione Patrini, *in 2.* autem de reliquis. Sit ergo

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Deſignationem Patrini.

SUMMARIUM.

222. *Gravis eſt obligatio adhibendi Patrinum in Confirmatione, per ſe loquendo: obligatio tamen* 223. *quam Patrinus contrahit, non eſt gravis.* 224. *Unus tantum, vel una eſſe debet: diſtinctus tamen* 225. *a Patrino Baptiſmi.*

Quamvis aliqua, quæ *in præced. diſp.* diximus, ac tradidimus de Patrino Baptiſmi, etiam applicanda veniant Patrino Confirmationis; nonnulla tamen reſpective particularia circa hunc diſcutienda occurrunt.

222. Dico igitur primo, Gravis eſt obligatio, per ſe loquendo, adhibendi in Confirmatione Patrinum. Ita DD. communiter.

Probatur; imo deciſum extat *in can. 2. & 6. cauſ. 30. q. 1.* Ratio congruentiæ eſt: quia (ut loquitur Catechiſmus Romanus) qui gladiatoriam dimicationem ſubeunt, aut noviter dant nomen militiæ, Magiſtro, ſeu Duce indigent, a quo edoceantur ictus declinare, hoſti obviare &c. ergo cum confirmatus ſit veluti novellus tyro, in militiam Chriſti adlectus, indiget Magiſtro, ſeu Duce &c. cujuſmodi eſt Patrinus; qui proinde adhiberi debet, & quidem ſub obligatione gravi, cum præceptum, per allegatos Canones impoſitum, concernat rem gravem, ſeu ritum notabilem.

Dixi tamen; *per ſe loquendo*. Quando enim commode Patrinus haberi nequit, Sacramentum Confirmationis ſine eo conferri poteſt; prout factum eſſe in Diœceſi Conſtantienſi, teſtatur P. Gobat *in Theol. Experim. tr. 2. n. 780.* cui ſubſcribit P. Illſung *tr. 6. diſp. 3. art. 3. n. 45.*

223. Quæres, an Patrinus, qui adhibetur in Confirmatione, æque ſub mortali teneatur confirmatum roborare in fide, & charitate, ſicut (per ſe loquendo) tenetur Patrinus, qui adhibetur in Baptiſmo, inſtruere baptizatum in rebus fidei, & vita Chriſtiana?

Reſpondetur negative. Ratio diſcriminis eſt; ſiquidem notitia fidei, & myſteriorum ejus, ſine Magiſtro, qualem ex officio, & per ſe loquendo tenetur agere Patrinus Baptiſmi, comparari nequit: eſt corroboratio in fide, & charitate non tam ex Magiſtri conſiliis, quam ex ipſo Sacramento, & auxiliis Divinis inde provenientibus oritur. Imo Patrinus Confirmationis regulariter nullam ſubit obligationem, ne quidem ſub veniali, confirmatum inſtruendi; ſiquidem nec ex Jure, aut authoritate, nec ex ratione oſtendi aliqua poteſt. Filliucius *tr. 3. cap. 3. num. 63.* Pettſchacher *pag. 400.* Baben-

benstuber ubi supra *num.* 16. Dixi tamen: *regulariter.* Nam in casu necessitatis, dum nempe deficit Patrinus Baptismi, vel alius, qui instruat, succedit Patrinus Confirmationis in locum illius, tenetur que confirmatum erudire in fide, & moribus. Et de hoc tali casu intelligendum videtur Pontificale Romanum, dum dicit, *Patrinum obligari ad informandum confirmatum bonis moribus, & operibus.* Babenstuber *loc. & numer. citt.*

224. Dico secundo. Patrinus Confirmationis debet esse unus, vel una; non vero unus, & una, sive plures. Communis.

Probatur; imo expresse habetur conclusio *in can. 99. de Consecrat. dist.* 4. ibi: *Non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quam unus, sive vir, sive mulier. In Confirmatione quoque idipsum fatiat.*

Dices. Non obstante hoc Canone possunt in Baptismo adhiberi duo Patrini, nimirum unus, & una; ergo etiam in Confirmatione.

Respondetur, dist. ant. Et hoc vi Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. c.* 2. id in Baptismo permittentis, atque ita relate ad Baptismum Canoni præallegato derogantis, con. secus, neg. ant. & conf. Nam Trid. nullam facit mentionem Confirmationis; neque venit extendendum ad Confirmationem in materia odiosa, inducente extensionem cognationis spiritualis, & impedimenti inde oriundi ad contrahendum matrimonium, Reginaldus *lib.* 31. *n.* 152. Barbosa *de Potest. Episc. allegat.* 30. *n.* 43. & alii passim.

225. Quæres, an Patrinus Confirmationis debeat esse persona distincta a Patrino Baptismi?

Respondetur affirmative, extra casum necessitatis. Augustinus Michel *fol.* 114. *n.* 7. & alii passim. Sumitur ex *can.* 98. *dist.* 4. *de Consecrat.* ibi: *In Baptismo, & in Confirmatione unus Patrinus fieri potest, si necessitas cogit; non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiant.*

Quod si peras, an Confirmans possit per alium, nomine suo assistentem, esse Patrinus illius, quem confirmat?

Respondetur affirmative, La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 398. Michel *loc. & n. citt.* & sumitur a paritate cum Patrino Baptismi, de quo *n.* 188. Revide ibi dicta, & huc applica.

A R T I C U L U S II.

In quo exponuntur ceteri Ritus Confirmationis.

S U M M A R I U M.

226. *Quinam præterea Ritus in Confirmatione servandi?* 227. *Monitorium pro Parochis.*

226. DIco. Præter adhibitionem Patrini, de quo in *art. præced.* adhuc observandi in Confirmatione sunt quidam alii Ritus, iique præcipue sequentes.

1. Chrisma benedici debet Feria V. Cœnæ Domini, & ab Episcopo celebrante solemni ritu in Ecclesia; idque tam necessario, ut chrisma potius aliunde petendum foret, quam sine ea solemnitate consecrandum. Sanct-Gallenses *de Confirmat. q.* 7.

2. Confirmatio, licet quovis tempore, etiam interdicti per *cap.* 19. *de Sent. excom. in* 6. conferri possit, semper tamen conferenda est in loco honesto, ac decenti, &, quando nihil obstat, in ipsa Ecclesia; idque in sacris vestibus, juxta communem praxim. Decens quoque, non tamen obligatorium est, ut a jejunis tam conferatur, quam suscipiatur. Authores *citt.*

3. Frons confirmati obliganda est tela, sive vitta linea (nisi forte, prout in aliquibus Episcopatibus fieri amat, Ministri Episcopi statim inunctum chrisma abstergant) eandemque confirmatus, illota interim fronte, ob reverentiam chrismatis uno, duobus, vel pluribus diebus secundum loci consuetudinem gestare debet: tum ut sic sacrum chrisma paulatim exsiccetur; tum etiam, ut significetur, gratiam Confirmationis esse conservandam ad fortiter, & constanter pugnandum pro fide Christi. Postea vero vitta a fronte solvitur (non refert, quo loco id fiat) & comburitur, aut in profluentem projicitur. Quamvis nihil obesse videatur, si diligenter lota in Sacrario, aliove honesto loco asservetur, ac deinde ad similem usum sacrum adhibeatur. Ad usum tamen profanum applicari non debet; cum per sacri chrismatis contactum quodammodo sacrata sit. Laymann *de Confirmat. cap.* 7. *numer.* 2.

4. Episcopus confirmato infligit levem alapam; ut memoria teneat se confirmatum esse, & per hoc deputatum ad injurias pro Christo, Christique fide forti animo sufferendas. Laymann *loc. & n. citt.* Michel *fol.* 114. *n.* 8. aliique passim.

227. Subjungimus mandatum, ac monitorium, quod ex Synodo Constantiensi pro Parochis affert P. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 2. *num.* 793. his fere verbis: *Ut iterata susceptio hujus Sacramenti præcaveri, & melius etiam de cognatione spirituali judicari queat, mandamus Parochis, ut confirmatos, & eorum compatres --- in speciali libro, quantum fieri potest, inscribant.*

C A P U T IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

228. *Rembertus Episcopus illicite, & invalide agit, dum aliquem confirmat, loco chrismatis adhibendo oleum infirmorum.* 229. *Remigius Episcopus illicite facit, dum ad confirmandum utitur hac forma:* Confirmo te in Nomine Patris &c. 230. *Reinerius, quatuor annorum puerulus, morti proximus, licite confirmatur.* 231. *Rupertus, nondum confirmatus, munus Patrini in Confirmatione ne quidem valide obire potest.*

C A S U S I.

228. *Rembertus, Episcopus Suffraganeus, rogatur a magno quodam Comite, ut filium suum unigenitum periculose decumbentem invisat, eique, jam confesso, S. Viaticum, & Extremam Unctionem administret. Annuit petito Rembertus, & prædictum utrunque Sacramentum suis ipse manibus infirmo subministrat. Et quoniam intelligit ex Illustrissimo Domino Parente, eidem infirmo, etsi decennium jam supergresso, adhuc deesse Sacramentum Confirmationis, etiam istud superaddit, adhibendo quidem Patrinum, aliosque ritus, at loco chrismatis, utpote quod secum non habebat, usurpando oleum infirmorum. Quæritur, an Rembertus sic confirmando agat* (1.) *illicite, vel etiam* (2.) *invalide?*

REspondetur primo ad primum membrum Casus (quem fictum, non factum credamus) Rembertum illicite agere, etsi detur, quod sententia Cajetani, & aliorum docentium, Sacramentum Confirmationis, adhibito loco chrismatis oleo infirmorum collatum, valere, probabilis sit. Ratio est: quia, dum agitur de valore Sacramenti conferendi, illicitum est sequi sententiam probabilem, si hæc sit minus tuta; prout cum communissima, & certa DD. tradidimus *part.* 1. *a n.* 149. atqui sententia docentium, Sacramentum Confirmationis, præfato modo collatum, valere, est minus tuta, etsi ponatur esse probabilis; prout fluit ex dictis *part.* 1. *n.* 93. ergo &c.

Nec dicas cum PP. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 2. *n.* 744. & La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 376. licere sequi sententiam probabilem minus tutam in casu necessitatis: atqui articolus mortis constituit casum necessitatis; ergo &c.

Contra enim est, neg. min. Alias sequeretur, quod Sacramentum Confirmationis moriturientibus, nondum confirmatis, necessario administrandum foret: cujus tamen contrarium praxis quotidiana demonstrat. Itaque casus necessitatis consurgit ex duobus collective sumptis, nempe ex articulo mortis, & necessitate Sacramenti v. g. (revide dicta in simili *part.* 3. *n.* 150.) atqui Sacramentum Confirmationis nec necessitate medii, nec necessitate præcepti necessarium est sive sanis, sive ægtis (præsertim si aliis Sacramentis jam muniti sint; ut in Casu filius Comitis) quemadmodum relinquitur ex dictis *n.* 218.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus,

Rembertum etiam invalide agere. Fluit ex dictis *num.* 194. & traditur a Laymanno *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 1. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 16. *n.* 3. Reiffenſtuel *ibid. n.* 21. aliiſque quam plurimis contra Cajetanum, & alios. Ratio eſt: quia materia Confirmationis eſt chriſma ex oleo, & balſamo confectum, ſecundum dicta *n. cit.* ergo admixtio balſami, haud minus, ac admixtio olei, eſt de neceſſitate chriſmatis, & conſequenter de neceſſitate, ac valore Sacramenti Confirmationis; ergo iſtud, adhibito ſolo oleo collatum, non valet. Confirmatur. Si in conferendo Sacramento Confirmationis ſolum adhibeatur oleum, non verificatur forma Confirmationis, quæ eſt: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris &c.* nam oleum non eſt, nec dici poteſt chriſma; ergo Sacramentum, per adhibitionem ſolius olei collatum, non valet.

Oportet proin caute ſuppleri defectum privatim adhibendo chriſma (conformiter dictis *n.* 195. *in reſponſ. ad* 4.) eoque confirmandum in fronte rurſus inungendo, cum debita forma (conditionate proferenda, ſi oppoſita ſententia judicetur probabilis) & intentione: aliæ autem ceremoniæ accidentales, puta nova adhibitio Patrini, alapa, & hujuſmodi, jam ſemel adhibitæ, non neceſſario repetuntur; prout inſinuatum eſt *num.* 167. in ſimili.

C A S U S II.

229. *Remigius Epiſcopus, ſeptuagenario major, dum ſe accingit Sacramento Confirmationis adminiſtrando, videt turbam confirmandorum pene innumerabilem confluxiſſe: & quoniam novit communem formam confirmandi eſſe paulo prolixiorem, eligit ſuccinctiorem, nempe iſtam:* confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *ut ſic totam Sacramenti adminiſtrationem citius expediat, ſeque ipſum minus defatiget. Quæritur, an licite agat?*

R Eſpondetur negative. Communiſſima DD. Ratio eſt: quia forma communis, & ordinaria confirmandi, prout aſſignatur a Concil. Florentino ſupra *n.* 202. eſt neceſſaria ſaltem neceſſitate præcepti graviter obligantis, adeo, ut graviter peccet, qui aliqua ejus verba omittit: atqui hoc facere ponitur Remigius; ergo &c. Confirmatur. Quamvis ſententia, quæ docet, prænemoratam ſuccinctiorem formam (idem eſto de hac forma *ſigno te in nomine Patris &c.*) valere, ſit probabilis; eſt tamen minus tuta, ac ejus oppoſita, docens, illam non valere; ergo licet in praxim deduci nequit, quando agitur de valore Sacramenti conferendi; quemadmodum in caſu: cum ſic Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. P. Elbel *de Confirmat. n.* 4. & alii apud ipſum. Recoli etiam poſſunt, quæ diximus *n. præced. in reſponſ.* 1.

C A S U S III.

230. *Reinerius, quatuor annorum puerulus, in lethalem morbum incidit, cumque necdum confirmatus eſſet, petiit ejus parens ab Epiſcopo, qui confirmandi cauſa illuc advenerat, impetravitque, ut moribundum confirmaret. Quæritur, an Epiſcopus, Reinerium, adhuc rationis uſu deſtitutum, ac moraliter certo moriturum, confirmando contra modernam Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, fecerit licite?*

R Eſpondetur affirmative. Burghaber *cent.* 1. *caſ.* 56. & alii Theologi communiter. Ratio eſt: quia conſuetudo, & praxis, qua in Eccleſia Latina non ſolent confirmari, niſi uſum rationis adepti, & adhuc per conſiderabile temporis ſpatium ſupervicturi, non eſt obligatoria; ergo Epiſcopus contra eam agendo, & confirmando licite facit. Conſ. fluit. Ant. oſtenditur de necdum adeptis uſum rationis; nam Catechiſmus Romanus, ad cujus mentem præfata conſuetudo introducta eſt, atque invaluit, ob ſolam majorem convenientiam vult differri Confirmationem uſque ad uſum rationis; prout liquet ex verbis, quæ *lib.* 2. *de Confirmat. cap.* 4. habet, & ita ſonant: *Quare ſi duodecimus annus expectandus non videtur, ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre, maxime convenit.* Oſtenditur idem ant. etiam de moribus; nam licet iſtis Sacramentum Confirmationis impertiri non ſoleat, cum non vacet Epiſcopis ſingulos eorum accedere, ſunt tamen ejuſdem capaces, & præſtat, ſi confirmentur, quam non confirmati decedant: ſiquidem eſto illis non proficiat ad pugnam ſpiritualem (quod per accidens eſt) proficit tamen ad obtinendum augmentum gratiæ prius acceptæ: veluti notant Laymann *lib.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. *numer.* 3. Peſchacher *de Confirmat. pag.* 391. & alii paſſim.

C A S U S IV.

231. *Rupertus, adoleſcens nobilis, rogatur a Rudolpho, Viro itidem nobili, ut filii ſui, Sacramentum Confirmationis proxime ſuſcepturi, Patrinum agere velit. Annuit petito Rupertus, & munus Patrini obit, quamvis ipſe necdum ſit confirmatus. Quæritur, an Rupertus valide Patrinum agat?*

R Eſpondetur negative. Ita mihi probabilior, & verior ſententia, quam tenet Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 60. *n.* 20. Lugo *lib.* 3. *de Confirmat. cap.* 5. *q.* 1. Matthæucci *in Cautel. Confeſſar. lib.* 4. *c.* 3. *n.* 8. Elbel ubi ſupra *n.* 14. & alii quam plurimi. Sumitur ex *can.* 100. *de Conſecrat. diſt.* 4. ibi: *In Baptiſmate, vel in Chriſmate* (id eſt, in Chriſmatione, ſeu Confirmatione) *non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.* Quibus ex verbis tale conficitur argumentum. In relato textu æque requiritur, ut Patrinus Confirmationis ſit confirmatus, ac requiritur, ut Patrinus Baptiſmi ſit baptizatus: atqui iſte, ſi non ſit baptizatus, invalide Patrinum agit; ergo & ille, ſi non ſit confirmatus. Confirmatur ex Pontificali Romano, quod *tit. de Confirmat.* ait; *Nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione patrinus.* Ubi to *non poteſt* denotat non ſolam prohibitionem, ſed etiam irritationem actus: quemadmodum advertit Card. de Lauræa *de Imped. Matrim. diſp.* 28. *a n.* 102. aliique tam Theologi, quam Canoniſtæ plurimi, videndi apud Clericatum *deciſ.* 59. *numer.* 5.

Dices. Epiſcopus, etſi ipſe confirmatus non eſſet, valide tamen confirmaret; ergo etiam, & a fortiori, valide Confirmationis Patrinum ageret: conſequenter &c.

Reſpondetur cum P. Babenſtuber *de Confirmat. art.* 4. *n.* 14. neg. conſ. & parit. Diſparitas eſt: quia poteſtas valide confirmandi ſita eſt in charactere Epiſcopali, qui inhæret Epiſcopo etiam non confirmato; neque Confirmatio alicubi præſcribitur tanquam conditio neceſſaria ad validum exercitium poteſtatis confirmativæ. Aſt capacitas agendi Patrinum in Confirmatione, pendet ex conſtitutione Eccleſiæ, quæ non confirmatum a tali munere removet, & ad illud, etiam valide duntaxat obeundum, omnino inhabilem reddit: prout ſupra oſtenſum manet.

Ex quo fluit, Rupertum in Caſu nullam contrahere cognationem ſpiritualem, poſſeque (quando aliunde nihil obſtat) conjugem Rudolphi, ſi hunc mori contingat, tuta conſcientia in uxorem ducere: prout oſtendit P. Elbel *cit.* & patebit ex dicendis *part.* 6. *tr.* 2. *diſp.* 3.

TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.



Ucharistia, ex communi totius Ecclesiæ usu ad significandum hoc Sacramentum assumpta, vocabulum græcum est, apud Latinos idem sonans, ac *bona gratia*. Enimvero Eucharistiæ Sacramentum *bona gratia* est; utpote quod non solum gratiam sumentibus confert, sed & ipsum omnis gratiæ Fontem, videlicet Christum, realiter continet. Aliter adhuc nominari solet 1. *gratiarum actio*, conformiter ad illud *Psal.*115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam &c.* 2. *Cœna Domini*; quia in ultima Cœna a Christo fuit institutum; prout infra dicemus. 3. *Convivium*; quoniam per modum cibi, & potus animam reficit. 4. *Communio*; quatenus conjungit, ac unit fideles & cum Christo, seu Capite, & inter se; ideoque per illud (nempe Sacramentum) communicant fideles cum Christo, ac inter se. 5. *Synaxis*, id est, congregatio: partim ob memoratam conjunctionem fidelium cum Christo, & inter se; partim quia ejus gratia solent fideles in unum convenire. 6. *Viaticum*; quatenus datur moribundis, ex hac vita ad alteram migraturis, ut eis, ne in via deficiant, vires spirituales suppeditet. Ad rem ipsam ut veniamus, sit

DISPUTATIO I.

De Institutione, Natura, Materia, & Forma Eucharistiæ.

CAPUT I.

Expediuntur, quæ concernunt Institutionem, & Naturam Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

232. *Sacramenti Eucharistiæ institutio;* & 233. *definitio.* 234. *Est Sacramentum permanens: unde, in facto esse spectatum,* 235. *non includit essentialiter verba consecrationis; uti nec, & multo minus, sumptionem.*

232. DIco primo. Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit *Matth.* 26. quando pridie suæ Passionis in ultima Cœna designavit illius materiam, & formam indiditque verbis consecratoriis vim convertendi panem in Corpus, & vinum in Sanguinem suum. Habetur conclusio 1. *Cor.* 11. ibi: *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* Et in Concil. Trid. *Sess.*13. *de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, c.*1. & 2. Hoc ipsum profitetur Ecclesia in Canone Missæ dicens: *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem &c.*

233. Dico secundo. Eucharistia est *Sacramentum novæ Legis, ad spiritualem animarum refectionem adinstar convivii institutum.* DD. reipsa communiter.

Explicatur breviter. Ly *Sacramentum novæ Legis* obtinet rationem generis; cum in eo Eucharistia conveniat cum aliis Sacramentis ejusdem Legis. Per reliquas particulas circumscribitur differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis; siquidem nullum ex iis ita ordinatur ad spiritualem animæ refectionem, sicut Eucharistia. Quod autem Eucharistia sit instituta per modum convivii, patescit ex illo *Joan.* 6. *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus* (quæ Caro, & Sanguis in Eucharistia sub speciebus panis, & vini realiter continentur) *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

234. Colliges primo, Eucharistiam (secus, ac alia Sacramenta) esse Sacramentum permanens. Ratio patens est: quia Eucharistia tandiu est Sacramentum, quandiu in ea permanet Christi corpus: at Christi corpus permanet in Hostia consecrata post consecrationem, & extra usum, ac sumptionem; ergo & Sacramentum: consequenter &c. DD. communiter. Hinc ulterius.

235. Colliges secundo, verba consecrationis non pertinere ad essentiam hujus Sacramenti, ut spectati in

facto esse, tanquam formam intrinsecam illius. Scotus *in* 4. *dist.*8. *q.*1. Abreu *in Speculo Parochor. lib.*9. *c.*4. *n.*141. & alii passim. Ratio est: quia partes essentiales rei permanentis debent esse permanentes; verba autem sunt transitoria. Quare verba consecrationis possunt quidem dici forma intrinseca Eucharistiæ, ut spectatæ in fieri reduplicative; non autem, ut spectatæ in facto esse: sic quippe potius obtinent rationem formæ extrinsecæ, quatenus ad eorum prolationem Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus panis, & vini posita Sacramentum Eucharistiæ in esse permanentis constituunt: prout dilucidius infra *num.* 249. dicturi sumus. Hic autem

236. Colliges tertio, multo minus usum, seu sumptionem Eucharistiæ esse partem ejus essentialem, vel esse integralem tantum. Communissima DD. Catholicorum. Ratio est: quia Eucharistia ante usum, & sumptionem sui est perfectum, & integrum Sacramentum; prout relinquitur ex dictis *n.*234. ergo &c.

Dices. Omne Sacramentum est essentialiter signum practicum causativum gratiæ sanctificantis: sed Eucharistia non est tale signum, antequam sumatur; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Licet enim Eucharistia gratiam sanctificantem non causet actu, antequam sumatur; est tamen causativum illius, id est, potens illam causare: quod solum spectat ad rationem essentialem Sacramenti: alioquin Baptismus, cum obice fictionis positivæ susceptus, non esset validum, & essentialiter integrum Sacramentum; eo quod gratiam actu non causaret. Quare hoc argumentum solummodo evincit, quod sumptio Eucharistiæ sit applicatio, & conditio, sine qua idem Sacramentum actu non confert gratiam sanctificantem.

CAPUT II.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Quænam sit Materia Eucharistiæ remota, & quænam proxima?

SUMMARIUM.

237. *Materia remota, & proxima aliter se habent in Eucharistia, ac in aliis Sacramentis.* 238. *Assignatur materia remota relate ad primam consecrationem.* 239. & *seqq. Adstruuntur illius qualitates.* 243. *Assignatur materia remota relate ad alteram consecrationem.* 244. & *seqq. Exponuntur illius qualitates.* 249. *Assignatur etiam materia proxima.* 250. & *seqq. Solvuntur objectiones.* 253. *Quomodo Corpus, & Sanguis Christi se habeant in ordine ad species Sacramentales, & vicissim?*

237. PRænotandum, sicut in aliis Sacramentis, ita & in Sacramento Eucharistiæ duplicem esse materiam, *remotam* scilicet, ac *proximam*; sed modo, & ordine inverso. Nam in aliis Sacramentis materia remota est res permanens; ut aqua in Baptismo proxima verò transiens &c. Contra in Sacramento Eucharistico materia remota est transiens, & materia proxima permanens: veluti advertit P. Sporer *in Theol. Sacram. part.*2. *num.* 129. & nos modo ostensum ibimus.

238. Dico igitur primo. Materia remota Eucharistiæ relate ad consecrationem Corporis Christi est panis triticeus. Ita DD. Catholici omnes conformiter Concilio Florentino, quod *in Decreto de Sacramentis* sic dogmatizat, ac definit: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui modica aqua admisceri debet.* Ratio

a priori est institutio Christi, quam Concilia, SS. PP. & perpetua Ecclesiæ traditio nobis declarant. Ratio congruentiæ est; quia solus panis triticeus simpliciter venit nomine panis; alii autem panes solum veniunt nomine panis cum addito; prout colligitur ex illo *Joan. 6.* ibi: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos &c.*

239. Quæres primo, quomodo panis triticeus, ut sit materia apta consecrationis, debeat esse confectus?

Respondetur. Debet esse subactus aqua elementari, & tostus calore ignis sive in furno, sive inter laminas ferri. DD. communiter. Ratio est: quia sic, & non aliter, confectus, obtinet rationem panis usualis, qualem Christus pro materia instituit. Unde non est materia apta panis confectus ex lacte, oleo, vel aqua stillata.

Dices. Farina triticea aqua elementari subacta, sed necdum cocta, non differt specie a pane cocto; ergo potest æque esse materia apta, seu valida consecrationis, ac panis coctus; ergo, ut panis triticeus sit materia apta consecrationis, non debet necessario esse coctus, seu igne tostus.

Respondetur, dist. ant. Non differt specie physica a pane cocto, transeat. specie morali, neg. ant. & utramque conf. Siquidem farina illa, antequam sit cocta, non sortitur rationem, & denominationem panis usualis; sicut obtinet, postquam est cocta: consequenter &c.

240. Quæres secundo, an triticum, ex quo panis, ut sit materia apta consecrationis, confectus esse debet, sumi possit in aliqua latitudine, qua non tantum supponat antonomastice pro perfectissimo genere tritici, germanice Maigen?

Respondetur affirmative. Itaque nomine tritici, ex quo panis pro materia, saltem valida, consecrationis, confici valeat, venit apud nos 1. *Zea*, Vosen, oder Kern: quia est genus frumenti oppido præstans, aptumque ad pinsendum sapidissimum panem; imo sua præstantia, & sapore triticum vel superat, vel saltem adæquat. 2. *Siligo*; Korn, oder Roden: siquidem & ex hoc frumenti genere conficitur panis simpliciter, & proprie dictus juxta communem usum, & æstimationem hominum, soletque communiter adhiberi in mensis honestæ conditionis hominum, imo & nobilium, ubi nullus est rei frumentariæ defectus. Layman *lib.5. tract.4. cap.2. num.2.* Augustinus Michel *de Euchar. fol.203. n.2.* & alii.

Dixi: *saltem valida*. Nam siligineam non esse materiam licitam Eucharistiæ extra casum necessitatis, affirmant Layman, & Michel *citt.* item Illsung *tract.4. disp.4. §.1.* cum aliis; eo quod nitidior, & decentior materia facile haberi possit: & universim, quandocunque possunt haberi hostiæ ex tritico presse sumpto, non sunt adhibendæ aliæ ex farina inferioris notæ; ut communiter monent Authores apud Haunoldum *lib.4. tr.3. c.3.* Accedit, quod non pauci Authores dubitent, an siligo sit materia valida consecrationis; adeoque in praxi, ex hoc etiam capite, licite adhiberi non potest pro conficiendo pane consecrabili: quia, dum agitur de valore Sacramenti, non licet adhibere materiam minus tutam, tametsi probabiliter, vel etiam probabilius, sit valida.

Ex modo dictis per illationem a contrario fluit, panem *ex hordeo*, Dersten, *Oriza*, Reis, *avena*, Laber, *fabis*, Bonen &c. item *ex turcico tritico*, Turdischen Maigen, non esse materiam aptam consecrationis. Ratio est: quia panis, ex prædictis confectus, non reputatur per se usualis, nec servit communiter hominum victui, sed tantum in defectum triticei, aliorumque panum per se usualium. Unde etiam non denominatur simpliciter panis, sed cum addito tantum, videlicet *panis hordeaceus*, *avenaceus* &c. prout supra *n.238.* insinuatum, & traditur a D.Thoma *q.74. art.3. ad 2.* aliisque passim.

241. Quæres tertio, an panis triticeus, ut sit materia consecrationis, debeat necessario esse azymus, vel sufficiat etiam fermentatus?

Respondetur primo, ad validam consecrationem sufficere utrunque. DD. communissime. Patet *ex Decreto Eugenii ad Armenos*, ibi: *Definimus, sive in azymo, sive in fermentato* (pane triticeo) *Corpus Christi veraciter confici*. Suffragatur etiam ratio: quia panis azymus, & fermentatus non differunt substantialiter, sed tantum in qualitate accidentali, quæ non obest, quin uterque simpliciter panis dicatur. Nec obstat illud Apostoli *1.Cor.5.* ibi: *Modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpit*. Siquidem hæc corruptio solum accidentalis est, quatenus fermentum suo acore totam farinæ massam inficit. Fatendum tamen hoc ipso est, panem azymum convenientius ad consecrationem applicari, ac fermentatum; eo quod ille isto sit purior, & idcirco aptior ad significandam puritatem tum Christi, qui sine virili semine conceptus est; tum fidelium, qui sine fermento malitiæ Christum suscipere debent, juxta illud Apostoli *1. Cor. 5.* ibi: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Sed

Dices primo contra panem azymum. Hic panis non est usualis: cum homines communiter non vescantur pane azymo; ergo non est materia apta, & valida consecrationis.

Respondetur, dist. ant. Non est usualis per se, & in actu primo, quasi ab hominibus non sit comestibilis, neg. per accidens, & in actu secundo, quatenus (ut in ratione probativa dicitur) ab hominibus communiter non solet comedi, con. ant. & neg. conf. Ut panis sit materia apta consecrationis, sufficit, quod sit panis simpliciter, & de se usualis.

Dices secundo contra panem fermentatum, Christus consecravit panem azymum; ergo fermentatus non est materia valida consecrationis.

Respondetur, hunc arguendi modum posse sic retorqueri: Christus consecravit vinum vel album tantum, vel rubrum tantum; cum non consecraverit utrumque; ergo alterutrum, illud nempe, quod non consecravit, non est materia valida consecrationis, contra omnes. Deinde in forma neg. conf. Quia licet Christus consecraverit panem azymum, eo quod tunc intervenerint dies azymorum; per hoc tamen a materia consecrationis non exclusit panem fermentatum, cum etiam iste sit, & denominetur panis simpliciter usualis, qualem ipse pro materia consecrationis instituit.

Respondetur nunc ad quæsit. secundo, ad licitam consecrationem non sufficere promiscue utrunque panem, azymum nempe, & fermentatum: sed Sacerdos Latinus azymum, & Græcus fermentatum adhibere debet, juxta ritum suæ quisque Ecclesiæ. Ita statuit Conc. Florent. *in Literis Unionis*, & utriusque Ecclesiæ consuetudo obtinet, habens vim Legis graviter obligantis; ut adeo Sacerdos Latinus mortaliter peccaret consecrando panem fermentatum in Ecclesia Latina, & similiter Sacerdos Græcus consecrando panem azymum in Ecclesia Græca. Sporer ubi supra *n.148.* Michel *fol.206. n.12. & 13.* aliique communiter. Sed

242. Petes, an Sacerdos Latinus licite possit consecrare panem fermentatum, dum versatur in Ecclesia Græca, & Sacerdos Græcus panem azymum, dum versatur in Ecclesia Latina?

Respondetur cum distinctione. Si enim versentur in dictis Ecclesiis, tanquam peregrini, nullum adhuc domicilium habentes, possunt utrovis modo consecrare, id est, possunt se conformare ritui propriæ Ecclesiæ; ut patet ex praxi Ecclesiæ Latinæ, id Sacerdotibus Græcis per ipsam transeuntibus permittentis: vel ritui Ecclesiæ, in qua versantur; prout colligitur ex *can. 11. dist.12.* ubi ex SS. Ambrosio, & Augustino generaliter suadetur, ut quisque eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Si autem in dictis Ecclesiis versentur non tanquam peregrini, sed tanquam incolæ, domicilium (vel quasi domicilium) ibi habentes, tenentur se conformare ritui Ecclesiæ, in qua permanenter habitant: quia incolæ regulariter tenentur legibus loci, cujus incolæ existunt. Excipe: *nisi in eo loco, in quo habitant, habeant templum sui ritus*; ut Græci habent Romæ templum S. Athanasii: tunc enim tenentur servare ritum istius templi. Non liceret tamen Sacerdoti Latino consecrare panem fermentatum in ejusmodi templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existit: quia quod in illo serventur a Græcis ritus Græci, est privilegium specialiter, & privative concessum Græcis. Sporer *num. 149.* & alii passim.

243. Dico secundo. Materia remota Eucharistiæ relate ad consecrationem Calicis, seu Sanguinis Christi est

sti est vinum de vite. Ita rursus universi DD. Catholici conformiter Florentino, cujus verba *in precedent. conclus.* retulimus. Ratio a priori itidem est institutio Christi, ex Conciliis, SS.PP. & continua Ecclesiæ praxi abunde perspecta. Ratio congruentiæ porro est: quia solum vinum de vite simpliciter venit nomine vini, & vere usuale est.

244. Quæres primo, qualiter vinum de vite, ut sit materia apta consecrationis, debeat esse præparatum, sive constitutum?

Respondetur. Debet esse ex uvis, iisque maturis expressum. DD communiter. Ratio est; quia sic, & non aliter, obtinet rationem vini vere usualis. Unde succus intra uvas, etsi jam maturas, adhuc contentus, non est materia consecrabilis: quia in tali statu necdum obtinet rationem potus, & vini usualis. Porro omphacium, id est, liquor, ex uvis nondum maturis expressus, similiter non est materia apta consecrationis: quia non obtinet rationem veri, & usualis vini.

245. Quæres secundo, an vinum de vite sit materia apta consecrationis, sive existat album, sive rubrum, sive Rhenanum, sive Austriacum, sive Franconicum, sive alterius Regionis; aut ex iis mixtum?

Respondetur affirmative. Idque verum est comparate ad consecrationem non solum validam, sed etiam licitam. DD. itidem communiter. Ratio est: quia diversitas colorum, vinearum, aut commixtio vinorum non obstat substantiæ vini simpliciter usualis; neque ulla authoritate, vel ratione usus ejusmodi vini probatur illicitus.

246. Quæres tertio, an mustum, seu vinum recens, id est, ex uvis maturis recenter expressum, sit materia consecrabilis?

Respondetur, esse materiam consecrabilem (1.) valide; non autem (2.) licite extra casum necessitatis. Ratio primi est: quia est substantialiter vinum de se usuale, & potabile. Ratio secundi est: quia valde indecens est, uti hujusmodi impura, & turbida materia, quando pura haberi potest; adeoque illicitum extra casum necessitatis, illam indecentiam cohonestantis. Videatur *can.6. de Consecrat. dist. 2.*

247. Quæres quarto, an vinum congelatum sit materia consecrabilis?

Respondetur denuo, esse materiam consecrabilem (1.) valide; non autem (2.) licite, nisi resolvatur. Primam partem tenent Suarez, Vasquez, Layman, Palao, Sporer, Michel *fol.*205. *n.*13. & alii communius contra Henriquez, Ledesma, & alios. Altera pars est communissima. Ratio primæ partis est: quia vinum congelatum est verum vinum vitis, & per se potabile; quod autem de facto proxime potari non possit, per accidens est, & Eucharistia non in actuali potatione, sed in re potabili consistit. Ratio secundæ partis est: quia, præterquam quod per consecrationem vini congelati tanto Mysterio irrogaretur indecentia, etiam valor Sacramenti periclitaretur, cum nostra sententia non sit moraliter certa, sed tantum probabilior, & simul minus tuta, quam, dum agitur de valore Sacramenti conficiendi, in praxi deducere non licet; prout sæpe audivimus.

Dixi: *saltem antequam resolvatur*. Nam quamvis deterat, ne quidem uti vino post congelationem resoluto, cum congelatio sine aliqua vini alteratione non contingat, hoc tamen non commode practicatur, quando congelatur tempore Sacrificii Missæ, ut notum est. Michel *loc. & n. citt.*

Dices contra primam partem respons. Aqua congelata non est materia sufficiens ad Baptismum: quia, antequam resolvatur, non est proxime apta ad abluendum; ergo nec vinum congelatum est materia sufficiens ad Eucharistiam: quia, antequam resolvatur, non est proxime aptum ad potandum.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia Baptismus est Sacramentum in usu situm, cujus materia proxima, & essentialis est ablutio, quæ (uti & forma Baptismi: *Ego te baptizo &c.*) subsistere non potest, nisi adhibeatur aqua, proxime, seu hic, & nunc apta ad abluendum. E diverso Eucharistia est Sacramentum in re permanente situm; adeoque aliam materiam remotam Calicis non exigit, quam in qua verificetur permanens existentia, & præsentia Sanguinis Christi sub speciebus vini: istæ autem verificari possunt, quando adhibetur vinum congelatum, esto hoc, ante sui resolutionem, non sit proxime aptum ad potandum.

248. Quæres quinto, an vinum, miraculose productum, sit materia apta consecrationis?

Respondetur cum communi DD. affirmative. Ratio est: quia est verum vinum vitis quoad substantiam productam (ut supponitur) esto non sit illiusmodi quoad modum producendi, utpote ex vite non generatum; id quod non officit consecrationi sive validæ, sive licitæ?

249. Dico tertio. Materia proxima Eucharistiæ (relate ad utranque consecrationem, videlicet Corporis, & Sanguinis Christi) sunt Species panis, ac vini consecratæ, & Corpus, ac Sanguis Christi, sub iis contenta. Herincx *de Euchar. disp.*1. *q.*3. *n.*28. Sporer ubi supra *n.*95. Henno, Sanct Gallenses &c.

Probatur. Materia proxima Sacramenti Eucharistici, & essentia physica ejusdem Sacramenti, quatenus in esse permanente siti (quemadmodum hic accipi debet) intrinsece, & reapse non distinguantur; prout signate tradit P. Sporer *n.*129. imo Scotus ipse *loc.* mox infra citando, & admittere debent omnes, qui negant (negant autem plerique) formam consecrationis pertinere ad hujus Sacramenti, dicto modo spectati, essentiam: atqui essentia physica Sacramenti Eucharistici non tantum sunt species consecratæ, sed etiam Corpus, & Sanguis Christi, sub iis contenta; ergo &c. Min. ostenditur. Nam ambo, seu tam illæ, quam ista, simul sumpta, constituunt unum perfectum signum sensibile, practice significativum, ac causativum gratiæ sanctificantis, & spiritualis refectionis; siquidem species Eucharistiam constituunt in ratione signi sensibilis, juxta omnes; Corpus vero, & Sanguis Christi in ratione signi causantis gratiam, animæ spiritualiter refectivam, juxta illud *Joan.*8. ibi: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus &c.* Ergo &c.

Confirmatur. Illud est materia proxima alicujus Sacramenti, quod per formam practice significatur, & proxime determinatur ad esse Sacramentale (sive dein forma illa sit in- sive extrinseca Sacramento) atqui non solæ species consecratæ, sed etiam Corpus, & Sanguis Christi præfato modo significantur, & determinantur per formam (vel potius formas) Eucharisticam; uti patebit ex dicendis infra *num.* 261. ergo &c.

250. Objicies primo. Scotus *in 4. dist.*8. *q.*1. tenet, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter consistere in solis speciebus; ergo materia proxima Eucharistiæ, seu ab hujus essentia reipsa, & intrinsece indistincta, sunt solæ species.

Respondetur, Sacramentum Eucharistiæ considerari posse, & quatenus est signum gratiæ subsistentis, nimirum Corporis, ac Sanguinis Christi; & quatenus est signum gratiæ sanctificantis, ad specialiter reficiendas suscipientium animas ordinatæ: prout insinuat ipse Scotus *cit.* Dum igitur ait, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter consistere in solis speciebus, loquitur de Sacramento juxta primam considerationem, & habitudinem: prout indigitat P. Herincx *loc. cit. num.* 27. & liquet ex ratione, qua utitur Subtilis Doctor, estque reipsa hujus tenoris: signatum non ingreditur essentiam sui signi; sunt enim correlativa, quorum unum de essentia alterius esse non potest: atqui Corpus ac Sanguis Christi sunt signatum Sacramenti Eucharistici, prædicto modo considerati; & hoc est signum eorum; ergo &c. Nostra autem conclusio intelligenda venit de Sacramento Eucharistiæ juxta secundam considerationem, & habitudinem, juxta quam Corpus, ac Sanguis Christi, non obtinet rationem signati, sed signi partialis, cum speciebus coalescentis in totale; ut in probatione dictum.

Dices, quare ergo nos hanc diversam Eucharistiæ considerationem non expresserimus in ipsa conclusione, & istam juxta illam instruxerimus?

Respondetur, id non fuisse necessarium ex duplici ratione. Una est: quia *num.*1. hujus Partis Sacramentum ut sic definivimus in ordine ad gratiam sanctificantem tum significandam, tum conferendam: in qua definitione cum etiam Sacramentum Eucharistiæ comprehensum voluerimus, & velimus, palam est, illud a nobis (ut consequenter loquamur) in præsenti

quoque considerari præcise, prout est signum gratiæ sanctificantis. Altera est: quia Examinatores in Consistorio, seu Officio Ecclesiastico, dum ordinandos interrogant, in quo essentia Sacramenti Eucharistici consistat? ordinarie quærere intendunt de eo, prout præcise dicit habitudinem ad gratiam sanctificantem, quam significat, & digne sumentibus confert.

251. Objicies hunc contra conclus. secundo. Sacramentum ut sic est signum sensibile &c. ergo etiam Sacramentum Eucharistiæ debet esse signum sensibile: atqui non potest dici signum sensibile, si pro materia proxima partiali includat Christum, eo quod Ille modo indivisibili, adeoque insensibili ibidem sub speciebus existat; ergo &c.

Respondetur, concesso primo enthymemate, neg. subsumptum: alioquin nec Sacramentum Pœnitentiæ posset dici signum sensibile, cum & ipsum includat materiam proximam partialem de se insensibilem, puta contritionem. Sufficit ergo, quod una materia proxima partialis sit sensibilis, ut in proposito Species, & alteram, quæ sunt Corpus, & Sanguis Christi, reddat sensibilem, quatenus eam continet, & ut sic cum eadem connectitur, ac coalescit in totalem.

Dices. Quamvis sufficiat, quod una materia proxima partialis sit per se sensibilis; requiritur tamen, ut altera per illam reddatur sensibilis per naturalem connexionem, quam cum eadem habet: sic redditur sensibilis contritio per confessionem; non item Christus Eucharisticus per Species Sacramentales, utpote quibus cum nullam habet connexionem naturalem, vi cujus sensibus subjaceret. Ergo &c.

Respondetur cum P. Henno, negando, prædictam connexionem naturalem necessario requiri; sufficere quippe etiam potest connexio unius materiæ proximæ partialis cum altera, in lumine fidei fundata; qualem habent Corpus, & Sanguis Christi in Eucharistia cum Speciebus panis, & vini consecratis, sub quibus realiter continentur; ut Fides docet.

252. Objicies tertio. *Can. 41. de Consecrat. dist. 2.* habetur, quod post consecrationem in altari existat non solum Sacramentum, sed etiam Corpus, & Sanguis Christi; ergo Corpus, & Sanguis Christi excluduntur, seu contradistinguuntur a ratione Sacramenti Eucharistici: & per consequens &c.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, quod Berengarius, qui *in cit. can.* revocat suam hæresim, non velit Corpus, & Sanguinem Christi adæquate distingui a Sacramento; sed quoniam ante senserat, in Eucharistia esse Sacramentum *tantum*, id est, nudum signum Corporis, & Sanguinis Christi, errorem hunc suum retractando profitetur oppositum, nempe in altari non esse nudum Sacramentum, seu signum Corporis, & Sanguinis Christi, sed ipsum quoque Corpus, & Sanguinem Christi, non ut rem adæquate distinctam a Sacramento complete sumpto, sed tanquam partem illius essentialem, sive tanquam materiam proximam partialem.

253. Quæres, an in toto Sacramento Eucharistico, quod ex Speciebus, & Corpore, ac Sanguine Christi aggregatur, unum (puta ipsæ Species, vel Corpus, ac Sanguis Christi) habeat se per modum materiæ, & alterum per modum formæ.

Respondetur affirmative; quatenus nimirum se mutuo sub diversis rationibus determinant. Itaque si Species considerentur ut consecratæ, seu sacræ, & gratiæ sanctificantis causativæ, Corpus, & Sanguis Christi habent se ut determinativum, adeoque ut forma respectu specierum, & consequenter istæ ut materia respectu illorum. Ratio est: quia Species sunt formaliter sacræ, & gratiæ sanctificantis causativæ, per Corpus, & Sanguinem Christi. Si vero Species considerentur sub ratione signi sensibilis, tunc Corpus, ac Sanguis Christi habent se ut quid determinabile, adeoque ut materia respectu Specierum; & consequenter istæ ut forma respectu illorum. Ratio hujus est: quia Corpus, & Sanguis Christi per Species, sub tali habitudine considerata, redduntur sensibilia, & evadunt partialiter signum sensibile, gratiæ sanctificantis collativum. Ex quibus patet, quod inter Species Eucharisticas ex una, & Corpus, ac Sanguinem Christi ex altera parte detur aliqua compositio, afficiens essentiam physicam hujus Sacramenti, non vero materiam proximam illius qua talem; ut de se perspicuum est. Quoniam vero ea compositio solum fundatur in diversis considerationibus, secundum dicta, non est apta inferre inter illas distinctionem realem, ac entitativam. Manet ergo, quod essentia physica, & materia proxima Sacramenti Eucharistiæ, prout in suo esse jam constituti, realiter, & intrinsece non distinguantur: quemadmodum in conclusionis probatione assumpsimus, & hic amplius declaratum imus. Nam ejusmodi distinctio non infertur ex proxime dicta compotione; veluti immediate ostensum: neque ex forma partis, seu verbis consecratoriis; quippe ad essentiam hujus Sacramenti, in facto esse spectati, non pertinentibus: neque ex forma totius, quæ est significatio Sacramentalis; cum hæc Sacramentum Eucharistiæ potius metaphysice, quam physice constituat.

ARTICULUS II.

Resolvuntur variæ quæstiones huc pertinentes, aut reducibiles.

SUMMARIUM.

254. *De præsentia materiæ consecrandæ.* 255. *De ejusdem determinatione.* 256. *In qua quantitate consecrari possit?* 257. *Quænam notanda sint circa aquam vino consecrando miscendam?* 258. *Et quænam circa Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia?* Item 259. *Quænam circa Species Eucharisticas?*

254. QUæres primo, an, & quomodo materia consecranda (panis, & vinum) debeat esse præsens?

Respondetur. Debet esse sensibiliter, & moraliter præsens Sacerdoti; alias consecratio non solum illicita, sed etiam invalida erit. Communis. Ratio est: quia verba formæ: *Hoc est: Hic est:* cum dicantur assertive, significant ex se rem aliquam præsentem: & Christus ea protulit circa materiam præsentem, quod etiam Ecclesia observat. Atqui ea præsentia in primis debet esse moralis; nam pronomina demonstrativa *hoc*, & *hic*: absolute prolata, & sine alia designatione rei demonstratæ, non nisi in materiam valde propinquam, & moraliter præsentem cadere solent. Deinde eadem præsentia debet esse sensibilis: cum enim Eucharistia perficiatur in materia sensibili, hæc debet esse sensu perceptibilis; non autem potest sic esse perceptibilis, nisi sit sensibiliter præsens. Haud tamen necesse est, ut materia consecrabilis ab ipsomet Sacerdote sensibiliter actu percipiatur; sed sufficit, quod ex se humano modo perceptibilis sit, & intimetur Sacerdoti consecrare volenti moralis illius præsentia: siquidem verba consecratoria independenter ab ejusmodi personali perceptione significant, & causant conversionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi. Hinc juxta communem DD. Sacerdos cæcus, & mancus valide consecraret hostiam, quam ex adstantium relatione sciret esse moraliter, & sensibiliter præsentem, tametsi ipse eandem nec visu, nec tactu percipere posset.

Dices contra respons. Pronomina *hic*, *hæc*, *hoc*, etiam rem absentem demonstrare apta nata sunt; ergo &c. Ant. prob. Dicere enim possumus, & solemus cum proprietate sermonis: *hic Vir est doctissimus*, tametsi nobis non sit præsens: *hæc Universitas est celeberrima: hoc Oppidum non est populosum*, licet ea Universitas, & Oppidum longe a nobis distent; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Et ad prob. transmisso antecedente, neg. cons. Nam etiam in allatis exemplis illa pronomina denotant rem præsentem non quidem sensui, sed intellectui. Unde ex sui institutione determinata sunt ad significandam rem præsentem sive sensui, ut in consecratione Eucharistica; sive intellectui, ut in exemplis objectis.

Dixi: *transmisso antecedente*. Nam ex circumstantiis, & subjecta materia eruere licet, quod modus ille loquendi, & usurpandi pronomina *hic*, *hæc*, *hoc*, in adductis, & aliis id genus exemplis non sit strictus, sed latus, qualis in Sacramento Eucharistiæ locum non habet.

Ex di-

Ex dictis fluit 1. consecrari non posse, ne valide quidem, hostiam a tergo existentem, etsi vicinam. Herincx *de Euchar. disp.* 2. *n.* 5. & alii passim. Ratio est: quia materia, quæ non est coram facie consecrantis, non potest proprie demonstrari per pronomen *hoc* &c. adeoque non censetur præsens moraliter, quamvis sit præsens physice.

Fluit 2. valide contra consecrari vinum in calice cooperto, & hostias in pyxide clausa: modo existant coram Sacerdote. Herincx *loc. cit. n.* 4. & alii communiter. Ratio est: quia juxta communem hominum æstimationem res contenta per rem continentem sufficienter significatur, saltem quando hæc ad illam continendam destinata est, soletque cum ea circumferri. Secus videtur dicendum de hostiis inclusis in Missali, quia hoc non est vas ad illas continendas ordinatum; vel in Tabernaculo, quia hoc cum illis non solet circumferri.

Dixi tamen: *valide consecrari*. Nam omnium consensu illicite ageret, imo secundum plerosque graviter peccaret Sacerdos, qui scienter Calicem consecrandum, vel vas, in quo hostiæ consecrandæ includuntur, non aperiret saltem ante consecrationem; imo usus communis (quamvis non ita graviter obligatorius) habet, ut apertio fiat ad primam statim oblationem. Idem resolvendum de scienter consecrante materiam extra corporale, vel in vase non sacro. Nam etsi & talis valide, non tamen licite consecraret; cum ageret contra communem morem, & ordinationem Ecclesiæ, uti & contra reverentiam Sacramento debitam. Sporerus ubi supra *n.* 173.

255. Quæres secundo, an, & quomodo materia consecranda debeat ex intentione consecrantis determinari?

Respondetur, quod debeat determinari in individuo: alioquin consecratio illius nullum sortietur effectum. Est itidem communis DD. Ratio est: tum quia talem materiæ determinationem exigunt particulæ demonstrativæ, *hoc*, *hic*, in forma consecrationis expressæ: tum quia Sacerdotis celebrantis intentio circa materiam Sacramenti debet esse operativa; consequenter determinet, necesse est, materiam in individuo, circa quam operari velit.

Ex dictis fluit 1. eum, qui ex decem hostiis, coram se positis, intenderet consecrare quinque, easque in individuo non determinaret, nullam consecraturum. Sanct-Gallenses *de Euchar. tr.* 4. *q.* 2. *part.* 1. *dub.* 4. *post conclus.* 3. *corollar.* 1. & alii passim. Ratio est: quia intentio consecrantis non fertur in materiam individualiter determinatam; & per consequens nihil operaretur.

Fluit 2. pariter invalidam fore consecrationem, si Sacerdos ex cumulo hostiarum illas duntaxat consecrare intenderet, quas Deus voluerit consecrari, aut Petrus designarit. Et quidem, si voluntas Dei, aut designatio Petri sequatur consecrationem, res patula est; cum tunc consecrationis tempore materia nondum esset determinata; & alias Sacramenti effectus non possit dependere ab eventu, & conditione futura, secundum dicta *n.* 21. *in respons.* 4. *ad quæsit.* Imo licet voluntas Dei, aut designatio Petri antecederet consecrationem, Sacerdoti tamen ante consecrationem non innotesceret, adhuc irrita esset consecratio: prout docent Vasquez, Tamburinus, Sporer ubi supra *num.* 168. & alii. Ratio est: quia & tunc Sacerdos materiam consecrandam non posset vere, ac sufficienter demonstrare per particulam, *hoc*.

Dices. Siquis offerret Sacrificium Missæ, & applicaret animæ in purgatorio, quam Deus elegerit, valida, & licita esset applicatio, etiamsi electio illa applicanti nota non esset; ergo etiam &c.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia applicatio Sacrificii Missæ non postulat necessario verborum formam, quæ involvat particulam determinativam fructus ad aliquam certam, & determinatam personam: sicut confectio Eucharistiæ ex institutione Christi exposcit formam, quæ includit particulam demonstrativam, & determinativam certe materiæ.

Fluit 3. eum, qui ex errore putaret, præsentes esse plures, vel pauciores hostias, quam reipsa sunt; aut se habere unicam hostiam in manu, dum habet duas, nihilominus consecraturum regulariter omnes, vel ambas. DD. communiter. Ratio est: quia Sacerdos juxta ritum Ecclesiæ, sicut regulariter solet, & debet, ita in casu particulari censetur habere intentionem consecrandi totam materiam, quam habet præ manibus, aut quam tulit ad altare vel ipse, vel alius de ipsius consensu; si sit licite consecrabilis: ut proinde error ille speculativus, & privatus non obstet, utpote cui satis occurritur per intentionem practicam immediate commemoratam. Unde si Sacerdos advertat post consecrationem esse duas hostias compactas, & conjunctas, utramque ut consecratam sumat: quemadmodum habet Missale. Si vero ante consecrationem post oblationem factam id advertat, alteram seponat, & post Missam ipse, vel alius sumat tanquam panem benedictum. Sporer *n.* 171.

Fluit 4. non consecrari hostias, inscio Sacerdote sub corporali absconditas, sive etiam in eodem expositas; sed a reliquo cumulo hostiarum consecrandarum sejunctas. P. Elbel *de Euchar. n.* 48. & alii communiter. Ratio est: quia ejusmodi hostiæ non sunt materia determinata in mente Sacerdotis, quippe cujus voluntas, & intentio non fertur, nec ferri potest in incognitum.

Fluit 5. guttas vini, exteriori superficiei calicis adhærentes, non consecrari, nisi consecrans (quod præsumendum non est) id specialiter intendat. Augustinus Michel *de Euchar. fol.* 205. *num.* 11. cum Palao, & communi aliorum. Ratio est: quia intentio consecrantis, ordinarie loquendo, non fertur in guttas adeo discontinuas, & sejunctas a reliquo vino; & consequenter forma consecrationis ad illas consecrandas (præsertim cum ut sic licite consecrari nequeant) non dirigitur. Idem judicium esto de minutis particulis hostiæ extra corporale cadentibus.

Fluit 6. neque guttas vini, intra calicem existentes, consecrari, nisi forte earum consecratio specialiter intendatur a consecrante. Idem rursus judicium esto de particulis ab hostia separatis, quamvis adhuc in corporali positis. Suarez *de Sacram. disp.* 43. *sect.* 6. Laymann *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 15. Reginaldus, Tamburinus, & alii satis communiter. Ratio est: quia videtur esse communis intentio Ecclesiæ illud duntaxat vinum consecrandi, quod per modum unius continui potabilis intra calicem existit: cui intentioni Sacerdos, uti debet, ita censetur suam intentionem substernere, ac conformare.

Cæterum in praxi optime faciet Sacerdos, si semel pro semper intendat illas guttulas, sicut & micas ab hostia realiter separatas, etsi eidem adhuc adhærentes, nunquam consecrare: vel si guttulas separatas statim post infusionem purificatorio abstergat, aut agitando calicem cum reliquo vino offerendo, & consecrando continuas reddat; quamvis abstergere non obligetur, juxta Tamburinum apud Sporer *loc. cit. num.* 172. imo non deceat abstergere, si ad eas primum advertat, dum jam jam consecrare cogitat, v. gr. antequam proferat illa verba: *Simili modo &c.* prout tradunt Authores *citt.* Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendæ: partim quia id sine periculo irreverentiæ fieri nequit: partim quia forte sunt consecratæ. Quare admoto reliquo vino consecrato uniendæ sunt ante sumptionem, aut saltem in prima ablutione, inquit P. Sporer *loc. & n. citt.*

256. Quæres tertio, an materia Eucharistiæ (panis, & vinum) in qualibet quantitate, sive maxima, sive minima, consecrari possit?

Respondetur, quod possit valide consecrari: modo adhuc per pronomina *hoc*, *hic* demonstrari valeat. Ita cum Doctore Angelico Augustinus Michel *fol.* 203. *n.* 5. aliique communiter. Ratio est: quia ex dictis *num.* 254. ad valorem consecrationis sufficit, si materia consecranda ita præsens sit, ut sensibiliter demonstrari possit per pronomina *hoc*, *hic*; ergo etiam ille duntaxat defectus, vel excessus quantitatis (in materia ceteroquin legitima) impediet valorem consecrationis, qui impedit, quo minus ejusmodi quantitas possit ad sensum demonstrari per eadem pronomina: consequenter &c.

Dixi in respons. *valide*. Conveniunt enim DD. omnino omnes, estque extra omne dubium, illicite consecrari majorem, vel minorem quantitatem materiæ, quam ferat consuetudo Ecclesiæ; & quam patiatur

cultus exhibendus SS. Eucharistiæ. Michel *fol.* 204. *num.* 6.

Dices. Sacerdos consecrando majorem materiæ quantitatem, quam requiratur, & sufficiat pro usu fidelium, se non accommodaret intentioni Christi, & Ecclesiæ; cum Christus, & Ecclesia velint, tantu... solummodo materiæ consecrari, quantum pro usu fidelium sufficiens est, & non plus; ergo invalide ageret.

Respondetur. neg. cons. Et ad ant. ajo, intentionem Christi, & Ecclesiæ, vi cujus non oportet consecrari plus materiæ, quam sufficiat pro usu fidelium, impræsentiatum non respicere ad actionem validam, sed licitam Sacerdotis. Ex quo fit, ut hic debeat suam intentionem impræsentiarum conformare intentioni Christi, & Ecclesiæ, si velit licite agere; secus, si solum valide. Nam Christus, & Ecclesia etiam volunt, ut nulla consecretur hostia ad finem malum, v. g. ad usum magicum; & tamen, si consecretur, consecratio valet; ergo similiter &c.

Fluit ex dictis, non consecrari valide particulam panis, aut guttulam vini, ab aliis separatam, & ita minutam, ut modo humano sentiri non possit. Idque verum est, tametsi Sacerdos ex revelatione nosset, ejusmodi particulam præsentem esse. DD. communiter. Ratio est: quia enim modo humano sentiri non potest, neque censetur modo humano præsens, licet reipsa sit, & vi revelationis noscatur esse præsens. Unde nec ad sensum demonstrari potest per pronomina, *hoc*, *hic*; prout tamen ad materiam valide consecrabilem requiritur.

Dices primo. Ex dictis *n.* 254. Sacerdos cæcus, & mancus valide consecraret hostiam, quam ex adstantium relatione sciret esse moraliter, & sensibiliter præsentem, tametsi ipse eandem nec visu, nec tactu percipere posset; ergo pariter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: siquidem hostia illa ex se, & quantum est ex parte objecti, humano modo sensibilis est; & consequenter etiam (supposita aliorum attestatione de illius præsentia) humano modo demonstrabilis per pronomen, *hoc*: prout *n. cit.* ostensum. Contra particula panis, de qua in præsenti, ex se, & quantum est ex parte objecti, non est humano modo sensibilis (quamvis sit sensibilis absolute loquendo, & consequenter (etiam supposita revelatione de illius præsentia) nec modo humano demonstrabilis per pronomen, *hoc*.

Dices secundo. Christus perseverat sub minima particula, post consecrationem separata, & ita minuta, ut modo humano sentiri non possit; ergo etiam poni potest sub tali particula.

Respondetur, concesso antecedente (supposito, quod illiusmodi particula adhuc sit sensibilis absolute loquendo, licet non amplius sit sensibilis, & perceptibilis sensu humano) neg. cons. Disparitas est: quia, ut Christus in Eucharistia ponatur, requiritur exercita verificatio formæ consecratoriæ, prout includentis pronomina, *hoc*, *hic*: forma autem consecratoria non potest exercite verificari, nisi materia consecrabilis sit humano modo sensibilis: veluti sæpius inculcatum, & ostensum est. E diverso ad conservationem Sacramenti, in suo esse jam constituti, & Christi in eodem perseverantiam, non requiritur de præsenti exercita verificatio formæ consecratoriæ (hæc enim tunc jam peracta est, & transit) sed satis est, quod ibi adhuc adsit signum per se, & absolute sensibile, quamvis non amplius sit sensibile sensu humano. Herincx *de Euchar. disp.* 2. *q.* 1. *n.* 7. Sporer *n.* 178. & alii.

Et has quæstiones de materia remota Eucharistiæ, quæ est necessaria necessitate Sacramenti, adduxisse, & resolvisse, satis esto. Nunc

258. Quæres quarto, quænam notanda sint circa aquam vino consecrando admiscendam?

Respondetur primo. Hæc aqua debet esse *modica*: imo Concilium Florentinum, mox verbatim referendum, determinat *modicissimam*, ad majorem cautelam, ne scilicet incurratur periculum corrumpendi substantiam vini, præsertim tenuis, & non multum meraci. Advertit tamen pro praxi Sporerus *n.* 163. non esse hic scrupulose agendum, modo quantitas aquæ admixtæ non excedat tertiam partem vini; sic quippe antefatum periculum satis cavetur.

Respondetur secundo. Aqua vino consecrando necessario admiscenda est, non quidem (1.) necessitate Sacramenti, sed (2.) necessitate præcepti Ecclesiastici. DD. communiter. Ratio primi est; partim quia sic expresse habent Rubricæ Missalis *de defectibus supplendis*: partim quia Concilia Florentinum, & Tridentinum locis statim citandis absolute definiunt, materiam Eucharistiæ quoad consecrationem Calicis esse vinum vite, cui admiscenda sit aqua: atqui si aqua admixta esset de necessitate Sacramenti, Concilia non deberent uti eo dicendum modo; sed deberent dicere, materiam consecrationis Calicis esse vinum de vite aqua mixtum, quemadmodum definiunt, materiam Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo; ergo &c. Ratio secundi est: quia id constat tum ex Conciliis Florentino, & Tridentino *Sess.* 22. *de Sacrific. Missæ cap.* 7. quorum primum *Sess. ult.* & *in Decreto Unionis* loquens de materia hujus Sacramenti ita fatur: *Materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*; tum ex Decretis SS. Pontificum, unanimi doctrina SS. Patrum, & perpetua, ac universali praxi totius Ecclesiæ; ut videre licet apud Bellarminum *lib.* 4. *c.* 10. Congruentiæ autem, cur aqua admisceri debeat, sunt seqq. 1. Quia, ut notat Florent. *cit.* juxta testimonia SS. Patrum ipsemet Christus ita fecisse creditur, quando Sacramentum hoc instituit. 2. Ut repræsentetur Sanguis, & aqua, quæ fluxit ex latere Christi. 3. Ut significetur duplex natura Christi, Divina, & humana. 4. Ut denotetur unio populi Christiani cum suo Capite Christo: quia populi in Scriptura dicuntur aquæ multæ, juxta *illud Apocal. aquæ multæ, populi multi*.

Ex quibus fluit, mortaliter peccaturum Sacerdotem, qui scienter aquam vino non misceret, juxta communem, & certam Theologorum sententiam. Ratio est: quia violaret præceptum Ecclesiæ in re, & materia gravi, gravitate materiæ, non materialiter, & secundum se, sed formaliter, & relate ad finem intentum, qui est repræsentatio gravissimorum mysteriorum proxime recensitorum, spectatæ. Imo admixtio aquæ tam severa præcipitur ab Ecclesia, ut, si debito tempore, puta ad primam vini infusionem, omissa fuerit, suppleri debeat, modo defectus advertatur (licet post consecrationem Hostiæ) ante consecrationem Calicis; secus, si post istam. Ratio hujus est: quia Ecclesia absolute præcipit vino consecrando affundi aquam: atqui ante consecrationem Calicis adhuc adest vinum consecrandum, non autem post illam; & alias nihil non consecratum miscendum est consecrato, ex usu Ecclesiæ Latinæ; ergo &c. Sporer *num.* 161. & alii passim.

Respondetur jam ad Quæst. tertio. Aqua per consecrationem Calicis non convertitur in Sanguinem Christi, immediate, sed mediata solum, si scilicet, & quatenus antea in vinum conversa fuit. Ita S. Th. 3. *part. q.* 74. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 11. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Scotus *in* 4. *dist.* 11. *q.* 7. quos sequuntur Thomistæ, & Scotistæ communiter contra plerosque Recentiores. Ratio est 1. Siquidem omne illud, quod immediate convertitur in Sanguinem Christi, debet esse materia consecrationis Calicis; ut videtur planum, & innegabile: sed aqua permixta vino, necdum tamen conversa in vinum, non est materia consecrationis Calicis; ergo &c. Min. prob. Tum quia Florentinum in *Decreto Eugenii* pro materia prædictæ consecrationis nihil assignat præter vinum de vite. Tum quia aqua, vino admiscenda, non fuit a Christo instituta pro tali materia; alias illius admixtio non esset necessaria necessitate solius præcepti Ecclesiastici, contra Adversarios. Ratio est 2. Quia post consecrationem *manent duntaxat species panis, & vini, ac Christus sub iis contentus*; prout tradit Tridentinum *Sess.* 13. *de Euchar. rist. can.* 2. *&* 3. sed si aqua, necdum conversa in vinum, immediate transubstantiaretur in Sanguinem Christi, etiam species aquæ remanerent, & Christus sub iis contentus; ergo &c.

Dices primo. SS. Patres pluribus in locis asserunt, aquam simul cum vino converti in Sanguinem Christi; ergo sicut vinum immediate convertitur in Sanguinem Christi, ita & aqua.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, quod SS. PP. nullo in loco asserant, aquam *immediate* converti

in San-

in Sanguinem Christi, sicut convertitur vinum; sed simpliciter converti, supponentes, esse prius in vinum conversam: solumque velint ostendere, aquam, vino mixtam, esse consecrandam exemplo Christi, & vere converti in Sanguinem (supposito, prius esse conversam in vinum) non vero in phlegma, vel aquam illam, quæ fluxit ex latere Christi; prout nonnulli somniabant.

Dices secundo. Materia consecrationis Calicis est vinum usuale secundum omnes partes, quas illud includit: atqui inter illas partes etiam est aqua; cum ipsa vinum in ratione usualis constituat; ergo etiam aqua est materia (nempe partialis) consecrationis Calicis: & consequenter immediate convertitur in Sanguinem Christi.

Respondetur, dist. maj. Secundum omnes partes, in quibus est forma substantialis vini viriginei, con. etiam secundum illas, in quibus non est talis forma, neg. maj. Dist. similiter min. Atqui inter partes prioris generis est etiam aqua, neg. inter partes posterioris generis, transeat min. & neg. utraque cons. Ad rationem probativam minoris ajo, quod aqua non constituat vinum in ratione vini usualis, sed solum illud non destruat, seu non extrahat a ratione vini usualis, quatenus vinum lymphatum, seu modica aqua temperatum, adhuc usuale est; & consequenter, vino mixta, nondum tamen in vinum conversa, dici nequit pars constitutiva vini usualis; adeoque nec materia partialis consecrationis Calicis: sicut guttula olei, vel balsami, vino indita, non potest dici pars constitutiva vini usualis, sed solum non destructiva, quatenus illud non destruit sub ratione vini usualis, seu ejus speciem non solvit. P. Babenstuber *de Euchar. disp.* 2. §. 4. *num.* 28.

Dices tertio. Ex nostra sententia sequerentur plura absurda in casu, quo aqua, vino affusa, non esset ante consecrationem in vinum conversa; uti contingeret, si immediate ante consecrationem affusa esset, vel in majori quantitate, quam virtute vini, præsertim debilioris, converti potuerit. In hoc nanque casu sequeretur 1. falsificatum iri formam consecrationis; cum pronomen, *hic*, cadat supra totum id, quod in calice continetur. 2. Commissum iri a populo idololatriam, quippe adorante ad elevationem totum, quod inexistit calici. 3. Sacerdotem in nocte Natalis Domini post celebrationem primæ Missæ non amplius fore jejunum: & consequenter teneri supersedere ulteriori celebratione secundæ, & tertiæ Missæ.

Respondetur, neg. assumptum. Non enim 1. falsificatur forma: siquidem pronomen, *hic*, non respicit absolute, quidquid in calice reperitur, sed tantum materiam consecrationi aptam, qualis non est aqua in vinum non conversa. Neque 2. a populo (vel ipsomet Sacerdote) adorante Calicem committitur idololatoria; nam, cum adoratio fidelium per fidem dirigatur, fertur solum ad Sanguinem, in calice sub speciebus consecratis contentum, non vero ad alia, a Sanguine distincta: sicut nemo fidelium censetur adorare muscam calici forte illapsam. Neque 3. sequitur aliquid in posito casu contra præceptum de servando ante Communionem jejunio; nam licet Sacerdos tunc non amplius sit jejunus jejunio naturali, cujus observatio ante Communionem regulariter præscribitur; est tamen adhuc jejunus jejunio Ecclesiastico, seu ab Ecclesia pro eo casu ad iterum celebrandum requisito, quatenus illa bibitio aquæ, quæ una cum Sanguine Christi per modum unius potus sumitur, ab Ecclesia tunc non vetatur, imo præcipitur.

Ad materiam Eucharistiæ proximam ut accedamus.

258. Quæres quinto, quænam notanda sint circa Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia?

Respondetur primo. Transubstantiatio, qua panis in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi migrat; adeoque qua Corpus, & Sanguis Christi ponuntur in Eucharistia, non est actio (1.) productiva; vel (2.) conservativa; sed (3.) adductiva. Ita Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 11. *q.* 3. quem sequuntur Scotistæ passim contra alios.

Antequam vero rationes probativæ afferantur, sciendum est, transubstantiationem ut sic ab altefato Doctore *in* 4. *dist.* 11. *q.* 1. describi, quod sit *transitio totalis substantiæ in substantiam*, adeo nimirum, ut nulla pars substantialis termini *a quo* remaneat in termino *ad quem*. E dividitur ab eodem Doctore *dist. cit. q.* 3. in *productivam*, *conservativam*, & *adductivam*, seu *translativam*. Transubstantiatio productiva est, qua una substantia totaliter desinit esse, & convertitur in aliam sibi succedentem cum suo novo esse, quocum producitur. Conservativa est, qua una substantia totaliter desinit esse, & convertitur in aliam sibi succedentem cum suo esse jam præhabito, conservato tamen propter desitionem illius. Adductiva est, qua una substantia totaliter desinit esse, & convertitur in aliam sibi succedentem cum suo esse jam præhabito, sed nova præsentia affecto. Unde terminus *ad quem* trasubstantiationis ut sic est substantia absolute, & secundum se considerata, prout abstrahit a productione, conservatione, & adductione, & determinatur ad hanc, vel illam speciem per diversas rationes immediate commemoratas. Ita fere P. Marinus Panger *in* 4. *disp.* 2. *n.* 85. Hoc præscito

Ratio primæ partis in Quæsito positæ est: siquidem actio productiva necessario, & ex sua natura respicit terminum novum productum: atqui Corpus, & Sanguis Christi, dum ponuntur in Eucharistia, noviter non producuntur: quoniam jam sunt producta; ergo &c. Accedit, non videri perceptibile, quomodo detur nova, & substantialis actio productiva, cui non correspondeat novus terminus substantialis, qualem tamen hic non facile assignaveris.

Ratio secundæ partis est: quia actio conservativa est, in qua terminus *ad quem* conservatur propter desitionem termini *a quo*, alioquin non conservandus; ut proxime dictum: sed Corpus, & Sanguis Christi fuissent conservata, tametsi Sacramentum Eucharistiæ nunquam fuisset institutum, nec in eodem panis, & vinum unquam desiissent, aut desinerent esse; ergo &c.

Ratio tertiæ partis est; nam actio adductiva est, qua res solum acquirit novam, & non præhabitam præsentiam; sed Corpus, & Sanguis Christi, quando ponuntur in Eucharistia, solum acquirunt novam præsentiam sub speciebus panis, & vini; ergo &c. Min. constat: quia verba consecratoria, præter substantialem desitionem panis, & vini, solam illam præsentiam significant, & efficiunt.

Dices, SS. Patres frequenter asserunt, Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia produci; ergo in hac ponuntur per veram, & simpliciter dictam productionem, non vero per adductionem.

Respondetur, explic, & dist. anteced. Secundum esse sacramentale, ac præsentiale sub speciebus panis, & vini, con. secundum esse substantiale, neg. anteced. & cons. Corpus, & Sanguis Christi jam præhabent suum esse substantiale; quod proin de novo media productione acquirere non possunt, cum implicet in terminis, rem productam, & jam præexistentem reproduci secundum esse, secundum quod jam præexistit.

Respondetur ad Quæsit. secundo. Corpus, & Sanguis Christi (imo totus Christus cum divinitate, humanitate, anima &c.) sub speciebus Eucharisticis realiter, & substantialiter existunt. Est de fide. Sumitur 1. ex illo *Joan.* 6. *v.* 56. ubi Christus inquit: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Item prius: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sumitur 2. ex Trident. *Sess.* 13. *de Sacrament. Euchar. c.* 3. *& can.* 1. qui sic sonat: *Siquis negaverit, in sanctissima Eucharistia Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Sumitur 3. ex verbis institutionis hujus Sacramenti, ex quibus constat, Christum vocare Corpus, & Sanguinem suum id, quod manducandum, & bibendum porrigebat Discipulis. Et quidem de Corpore *Luc.* 22. dicit: *Quod pro vobis tradetur.* Certum autem est, non nisi verum Christi Corpus pro nobis traditum, & in cruce oblatum fuisse. De Sanguine vero apud Matth. *c.* 26. ait: *Qui pro vobis effundetur.* Atqui merum vinum pro hominum salute effusum non est, sed verus Christi Sanguis; ergo &c.

Dices. Quando Christus dixit: *Ego sum vitis, ostium &c.* tro-

&c. tropice locutus est; ergo etiam quando dixit: *Hoc est corpus meum &c.*

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia prius tam ex materia subjecta, quam ex circumstantiis adjunctis colligitur; non item secundum; quod proinde in sensu proprio accipiendum venit, ad eum modum, quo istud: *Verbum caro factum est.*

Respondetur ad Quæsit. tertio. Corpus, & Sanguis Christi non solum sunt vere in Eucharistia quoad substantiam (prout relinquitur ex immediate dictis) sed etiam quoad quantitatem, qualitates, & omnia accidentia independentia a loco, quæ ipsi modo in cælis insunt (quemadmodo tradunt Theologi communiter) ita tamen, ut quantitas, prout inest in Sacramento Eucharistiæ, non habeat extensionem actualem impenetrabilem partium in ordine ad se, & ad locum, qualem habet, quatenus inest in cælis, cum omnes partes Corporis, & Sanguinis sint simul in uno loco inter se, & cum quantitate Eucharistica: esto habeat extensionem entitativam partium inter se, & radicalem impenetrabilem; hæc enim, & non actualis extensio impenetrabilis est de essentia quantitatis; prout suppono ex Philosophia. Itaque Christus non existit in Eucharistia modo circumscriptivo, & divisibili, cum commensuratione partium Corporis ad partes loci, quasi una pars sit sub una parte specierum, alia sub alia, v.g. partes superiores, caput, collum &c. sub partibus superioribus; partes inferiores, tibiæ, pedes &c. sub partibus inferioribus Hostiæ (qualem existendi modum possidet in cælis) sed modo definitivo, indivisibili, & quasi spirituali, ita, ut totus sit in tota Hostia, & totus in qualibet ejus parte (ante, & post divisionem, juxta Trid. *Sess.*13. *can.*3.) fere sicut anima rationalis est tota in toto corpore humano, & tota in qualibet parte ejusdem vivente; non vero una pars animæ in capite, alia in pectore, alia in pedibus &c. Sporer ubi supra *n.*107. *&* 112. aliisque passim.

Respondetur ad Quæsit. quarto. Christus in Eucharistia potest per accidens moveri localiter ad motum specierum, ut experientia probat; non autem per se, & sine ordine ad species. Ratio hujus est: quia cum ibi existit modo definitivo, & indivisibili, neque illum tangere, neque ei qualitatem aliquam possumus imprimere, qua moveatur. Et ob eamdem rationem non potest ab agentibus creatis per se alterari, nec naturaliter alterare res externas, neque proprias sensuum operationes elicere, neque nostrorum sensuum operationes terminare, Unde non potest videri ab oculo corporeo &c. Cum quo tamen stat, quod concomitanter, & per accidens habeat omnes operationes in- & externas, quas per se primo habet in cælo, Ratio est: quia nullum absolutum variatur, vel desinit esse in substantia propter solam variationem loci; ergo quidquid absolutum inest, vel advenit Christo, ut existenti in cælo, necessario etiam inest, vel advenit ut existenti in Eucharistia. Imo operationes internas intellectus, & voluntatis etiam per se primo elicere, ac habere potest, ut in Eucharistia existens. Ratio est; siquidem ejus anima, cum nunc sit beata, & informet corpus gloriosum, non dependet a sensibus, & sensibilibus; ideoque potest intuitive videre, seu intelligere, & consequenter etiam velle, vel nolle objecta sibi præsentia. Sporer *cit. a n.*115. Abrea *in Speculo Parochor. lib.*9. *sect.* 3. *n.*164. & alii communiter.

259. Quæres sexto, quænam notanda sint circa Species Eucharisticas?

Respondetur primo, Species, seu accidentia Eucharistica existunt in Sacramento (1.) sine substantia panis, & vini; imo (2.) sine omni alio subjecto substantiali. Ratio primæ partis est: siquidem dum Christus accipiens panem dixit: *Hoc est corpus meum*: & accipiens calicem, seu vinum: *Hic est calix sanguinis mei*; sive (quod in idem recidit) *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*: verum dixit: sed verum non dixisset, si substantia panis cum Corpore, & substantia vini cum Sanguine permansisset; nam pronomen *hoc* denotaret panem, & pronomen *hic* vinum, sensusque esset: *panis est Corpus Christi*, & *vinum Sanguis Christi*: quod plane falsum esset: sicut falsum esset, siquis Angelo existente intra lapidem diceret: *hoc est Angelus*; significaret enim lapidem esse Angelum. Cum ergo verba Christi vera sint, recte sequitur, substantiam panis, & vini non remanere post consecrationem in Sacramento Eucharistiæ: & consequenter species, seu accidentia Eucharistica ibi existere sine substantia panis, & vini. Quam veritatem expresse definit Trid. *Sess.*13. *de Euchar. can.* 2. quia ita sonat: *Siquis dixerit, in SS. Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine D. N. J. Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime* Transsubstantiationem *appellat, anathema sit.* Ratio secundæ partis est: quia eadem numero accidentia, quæ ante consecrationem extabat in pane, & vino, post consecrationem perseverant in Sacramento Eucharistico; ergo existunt jam sine omni subjecto substantiali, Probatur conf. Nam in primis non sunt in substantia panis, & vini, quippe non amplius existente. Deinde non sunt in Corpore Christi (aut Sanguine) de novo accedente; quia Corpus Christi, cum in Eucharistia existat modo indivisibili, accidentia, quæ extensionem habent in ordine ad locum, sustentare non potest. Aliud autem subjectum substantiale, in quo sustententur, non est excogitabile, Ergo species, seu accidentia Eucharistica post consecrationem existunt, & miraculose conservantur a Deo absque dependentia a subjecto substantiali.

Porro quantitas ibi manet sine ullo subjecto; quia hæc immediate inhæret substantiæ, quæ ibi non est; reliqua vero accidentia immediate inhærent quantitati; & consequenter in Eucharistia solum carent subjecto ultimato, quale est substantia; non autem immediato, quale est quantitas,

Respondetur secundo, Species, seu accidentia Eucharistica possunt eodem modo agere, dum sunt separata a substantia, ac poterant, cum essent conjuncta substantiæ. Scotus *in* 4. *dist.*12. *q.*3. Bosco, Mastrius, Hiquæus, Herincx, & alii passim. Ratio est; quia in statu separationis retinent eandem virtutem immutandi sensus, & alterandi corpora, quam habebant in statu conjunctionis, & cum modo existendi proportionato; ergo possunt edere eosdem effectus tam intentionales, quam reales, quos antea producebant: id quod experientia probat. Possunt præterea eadem accidentia in statu separationis generare, & corrumpere ea, quæ in statu conjunctionis generare, & corrumpere poterant, Ratio hujus est; quia, cum possint alterare subjectum, ea alteratio adeo intendi potest, ut tandem sequatur corruptio; cum autem corruptio unius sit generatio alterius, possunt etiam generare. Ita DD. communiter, sistendo in terminis, queis usi sumus. An autem ejusmodi corruptio, & generatio, cum pro termino respiciat substantiam, prædictis accidentibus attribuenda sit effective, vel dispositive tantum, & effective agenti increato, discrepant Theologi Scholastici, Thomistæ præsertim, & Scotistæ, ob diversa principia, quæ in Philosophia tradunt. Primum affirmant Thomistæ; secundum Scotistæ. Videatur P. Panger hic *q.*10. *a n.*129.

Respondetur tertio, Species, seu accidentia Eucharistica possunt (1.) alterari, & corrumpi; potestque ex illis (2.) aliquid generari, Communis DD. Ratio primi est: quia agentia naturalia possunt agere in quantitatem eodem modo, ac antea, & ex ea educere qualitates oppositas qualitatibus panis, & vini, quæ illarum temperamentum dissolvant; ergo licet non corrumpatur (nec ab agente naturali corrumpi possit; ut probat P. Sporer *n.*104.) quantitas, quæ est qualitatum subjectum, possunt tamen corrumpi qualitates ei inhærentes. Ratio secundi est; siquidem oculari experientia condocemur, species, si diu asservemus, putrefieri, & ex iis generari vermes, & vinum consecratum in acetum converti. Sed quomodo hoc fiat in absentia substantiæ, rursus dissident Scholastici, quos proinde, si curiosus es, consulere potes.

CAPUT

CAPUT III.

Expediuntur, quæ concernunt Formam Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Quænam sit Forma Eucharistiæ?

SUMMARIUM.

260. *Forma, Sacramenti Eucharistiæ confectiva, est duplex*. 261. *Assignatur una quoad essentialia verba*. 262. *Solvitur objectio*. 263. *Cetera verba solum sunt de præcepto*. 264. *Assignatur etiam altera*. 265. *& seqq. Solvuntur objectiones*. 268. *Cetera verba sunt extra essentialia; attamen de præcepto*.

260. PRænotandum ex sparsim dictis, quod Sacramentum Eucharistiæ, in fieri consideratum, sicut habet duplicem materiam remotam partialem, panem scilicet, ac vinum; ita duplicem quoque habeat formam partialem, quarum una uni, & altera alteri materiæ respondeat. Hoc præmisso.

261. Dico primo. Forma Eucharistiæ, consecratoria panis, in istis duntaxat verbis: *Hoc est corpus meum*: essentialiter consistit. DD. communiter. Neque contrarius est Scotus; ut patebit legenti.

Probatur. Forma consecratoria panis in illis duntaxat verbis essentialiter consistit, quibus significatur præsentia Corporis Christi sub speciebus panis: atqui solis istis verbis: *Hoc est corpus meum*: significatur præsentia Corporis Christi sub speciebus panis; ergo &c. Maj. constat: quia formæ Sacramentorum id efficiunt, quod significant: unde Concil. Florentinum *in Decreto Unionis* inquit: *Forma hujus Sacramenti* (Eucharistiæ) *sunt verba Salvatoris, quibus conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*. Min. prob. Non enim præsentia Corporis Christi significatur per hæc verba: *Qui pridie, quam pateretur*; sunt enim verba Evangelistarum, quæ a Christo prolata non fuere, nec instituta ad antefatam præsentiam significandam. Neque per ista verba: *Accipite, & manducate*: licet enim a Christo prolata fuerint; non tamen fuerunt instituta ad practice significandam, & causandam præsentiam Corporis Christi, sed ad denotandum usum Sacramenti Eucharistici: hinc etiam a Sacerdote non proferuntur in persona Christi, sed recitative tantum. Neque tandem per particulam *Enim*: tum quia ab Evangelistis, & a S. Paulo omittitur: tum quia sine illa sensus verborum integer manet, cum plus non præstet, quam quod significet connexionem formæ consecratoriæ cum verbis præcedentibus: *Accipite, & manducate*: ut sensus sit: *ideo accipite, & manducate; quia hoc est corpus meum*.

262. Objicies. Forma consecratoria debet a Sacerdote proferri in Persona Christi: sed nisi præmittantur illa verba. *Qui pridie, quam pateretur*: forma consecratoria a Sacerdote non proferretur in persona Christi, & potius significaret corpus ipsius Sacerdotis, quam Corpus Christi; ergo illa saltem verba sunt necessaria necessitate formæ hujus consecratoriæ, & Sacramenti.

Respondetur, neg. min. Nam ut Sacerdos censeatur verba consecratoria proferre in persona Christi, & per ea non suum, sed Christi Corpus significare, sufficit, quod habeat, & externe manifestet suam intentionem subordinatam intentioni Christi, volentis, ut verba non Sacerdotis, sed suum Corpus significent.

263. Quæres, an ergo reliqua verba, præter ly *Hoc est corpus meum*, libere omitti possint?

Respondetur negative. Ratio est: quia tametsi ex dictis non sint necessaria necessitate Sacramenti; sunt tamen necessaria necessitate præcepti graviter obligantis: cujus signum est, quod verba illa in Canone Missæ studiose, & serio præscribantur. Suarez tamen, Reiffenstuel, Henno, Herincx *de Euchar. disp.* 2. *num.* 80. Elbel *num.* 31. & alii quam plurimi censent, omittere particulam *enim*, si contemptus absit, non esse nisi veniale ob parvitatem materiæ, & necessitatis; quatenus memorata particula ponitur tantum ad continuationem verborum subsequentium cum præcedentibus; & insinuat causam verborum, a Christo prolatorum: *Accipite, & manducate*.

264. Dico secundo. Forma Eucharistiæ, consecratoria vini, in istis præcise verbis: *Hic est calix sanguinis mei*: essentialiter sita est. S. Bonaventura, Alensis, Scotus *in 4. dist.* 8. *q.* 2. Panger *de Euchar. disp.* 1. *q.* 2. *n.* 70. & alii satis communiter.

Probatur. Siquidem ea verba sola significant, & efficiunt præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini; ergo ipsa sola sunt essentialia formæ Eucharisticæ. Deinde S. Paulus 1. *Cor.* 11. referendo formam consecratoriam vini, non recenset alia verba præter præfacta, vel potius iis æquivalentia; nempe ista: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Non est autem credibile, quod aliquid essentialiter ad formam pertinens omiserit.

265. Objicies primo. Pontifex *in cap.* 6. *de Celebrat. Missar.* inquit, Apostolos a Christo, & Ecclesiam ab Apostolis accepisse formam consecratoriam Calicis, sicut de facto extat in Canone Missæ; ergo tota, quæ ibi extat, est essentialis.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, Pontificem *in cit. cap.* non determinasse, quot, & quænam verba sint essentialia formæ, sive de necessitate Sacramenti; sed quot, & quænam sint de necessitate præcepti, sive dein simul sint de essentia formæ, sive solum de integritate, & perfectione accidentali ejusdem. Simili modo explicandus quoque venit Catechismus Romanus, quando *tract. de Euchar.* dicit, omnia verba formæ, in Canone præscriptæ, esse formam Sacramenti Eucharistici.

266. Objicies secundo. Juxta Concil. Florentinum omnia illa verba pertinent essentialiter ad formam consecratoriam Calicis, quibus Christus usus est ad consecrandum Calicem: sed Christus usus est istis verbis: *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effundetur*; prout refert Lucas Evangelista; ergo etiam hæc verba: *Qui pro vobis effundetur*: pertinent essentialiter ad formam consecratoriam Calicis.

Respondetur, neg. maj. Sed illa duntaxat, quibus Christus hoc Sacramentum confecit, & quibus testatus, id, quod offerebat, esse suum Sanguinem: reliqua autem verba: *Qui pro vobis effundetur*: solum addidit ad exprimendam virtutem sui Sanguinis: sicut in forma consecratoria panis subjunxit hæc verba: *Quod pro vobis tradetur*: tanquam declaratoria suæ mortis pro hominibus oppetendæ; quæ tamen non pertinent essentialiter ad formam consecratoriam panis; prout fatentur ipsimet Adversarii, & constat ex usu Ecclesiæ Latinæ, illa omnino in forma præfata omittentis. Unde Florentinum non dicit, quod Christus omnibus illis verbis confecerit Sacramentum; sed quod forma Sacramenti Eucharistici *sint verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum*.

267. Objicies tertio. Omnia verba subsequentia, nempe: *Novi, & æterni Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: complent cum præcedentibus unam propositionem; eo quod se teneant ex parte prædicati, in hac propositione: *Hic est calix sanguinis mei*: positi, illudque determinent; ergo omnia sunt essentialia.

Respondetur, neg. conf. Non enim omnia verba, quæ determinant prædicatum formæ quomodocunque, ingrediuntur essentiam formæ; alias in forma Sacramenti Pœnitentiæ, v. gr. essentialia forent hæc verba: *In nomine Patris &c.* quod dicere hactenus nemini in mentem venit. Itaque illa duntaxat verba censentur essentialia in forma consecratoria Calicis, quæ prædicatum, in ea contentum, determinant ad significandam conversionem vini in Sanguinem Christi: id quod non præstant verba: *Novi, & æterni Testamenti &c.*

268. Colliges, esto omnia verba formæ consecratoriæ Calicis in Canone notentur charactere grandiori; & Calix non exhibeatur populo adorandus, antequam omnia absoluta sint; inde tamen non inferri, quod omnia pertineant ad essentiam formæ; sed solum, quod fiat de præcepto Ecclesiæ graviter obligatorio. Ratio fluit ex dictis: siquidem non omnia sunt instituta a Christo ad significandam conversionem vini in Sanguinem Christi; alia vero superaddita ex ordinatione Ecclesiæ, studiose, ac serio eorum usurpationem incul-

cantis,

cantis. Excipienda denuo est particula *enim*, cujus omissio & hic (ob rationem *num.* 261. allatam) culpam venialem non excedit, nisi interveniat contemptus,

ARTICULUS II.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes,

SUMMARIUM,

269. *An Christus formam Eucharistiæ determinaverit secundum speciem infimam?* 270. *Quomodo verba consecrationis a Sacerdote proferantur?* 271. *Qualiter operentur suum effectum?* 272. *Quid significent pronomina* Hoc, Hic? 273. *Quænam ponantur sub speciebus panis, & vini formaliter, quænam vero concomitanter solum?*

269. QUæres primo, an Christus non solum materiam, sed etiam formam Eucharistiæ determinaverit, ac instituerit secundum speciem infimam?

Respondetur affirmative. Id quod insinuatum est *n.* 11. & traditur a DD. communiter, esto reclamet P. Gotter. Ratio petitur ex Florentino sæpius allegato, juxta quod forma Eucharistiæ sunt *verba Salvatoris*; ergo ab Ipso sunt determinata secundum speciem infimam, & non relicta determinationi Ecclesiæ. Hoc stante, unum, alterumve argumentum, quod *in artic. præced.* opponi potuisset, solutum manet.

270. Quæres secundo, an verba consecrationis a Sacerdote proferantur recitative tantum, vel etiam significative?

Antequam ad Quæsitum respondeatur, notandum, verba proferri *recitative*, quando proferuntur ut ab alio dicta: sic facimus, quando aliorum Authorum verba referimus: *significative* vero, dum ipsimet intendimus per illa aliquid asserere; ut dum dicimus. *Deus est Trinus in Personis*. Hoc notato,

Respondetur. Verba essentialia consecrationis a Sacerdote proferuntur, & (1) recitative, & (2) significative. Communis DD. Ratio primæ partis promitur ex contextu Canonis, ubi sicut per illa verba: *Qui pridie, quam pateretur &c. benedixit, fregit, deditque Discipulis suis &c.* refert Sacerdos, quid Christus fecerit; ita per ista: *Accipite, & manducate; hoc est enim corpus meum*, recitat, & narrat, quod Christus dixit Apostolis, quando eis Eucharistiam porrexit. Ratio secundæ partis est; Siquidem Sacramenta novæ Legis non efficiunt, nisi id, quod significant: sed per verba essentialia consecrationis Corpus Christi constituitur sub specie panis, & Sanguis illius sub specie vini; ergo verba illa talem effectum significant; ergo a Sacerdote proferuntur significative. Ubi tamen pro praxi ex P. Sporer *num.* 197. & P. Elbel *n.* 34. advertendum, quod Sacerdos celebrans non adstringatur ad signate, ac explicite formandam intentionem illa verba proferendi in utroque sensu relato: cum enim præsumatur, ac censeatur habere intentionem faciendi, quod Christus fecit, & instituit, vel quod Ecclesia facit, habet intentionem exercitam, ac implicitam prædicta verba utroque modo pronunciandi. Quod bene notent scrupulosi, ne sine fundamento, & ratione inanem anxietatem sibi consciscant.

Dixi: *verba essentialia consecrationis*. Nam verba antecedentia, & subsequentia essentiam formæ a Sacerdote non proferri, nisi recitative, fluit ex ratione probativa secundæ partis.

Dices. Verba consecrationis non possunt a Sacerdote proferri recitative, & significative simul absque interventu æquivocationis, vel contradictionis.

Respondetur, neg. assumptum. Non enim intervenit æquivocatio: siquidem verba illa non proferuntur a Sacerdote in duplici sensu significative, vel in duplici sensu recitative (prout ad æquivocationem requireretur) sed in uno sensu significative, & in alio recitative. Neque intervenit contradictio: quia Sacerdos proferendo formam consecrationis duplicem personam sustinet, nempe personam propriam, dum formam profert recitative adinstar historici, præcise referendo verba a Christo prolata; & personam Christi, quatenus eandem formam profert significative, exercendo in persona Christi significationem practicam, quam verba formæ ex Divina institutione obtinent.

271. Quæres tertio, an verba formæ consecratoriæ operentur suum effectum, nempe conversionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi, ut significativa, vel ut formaliter vera?

Respondetur, quod eum operentur ut significativa. Scotus *in 4. dist.* 8. *q.* 2. Suarez, Vasquez, Lugo, Sporer, Panger, & alii communiter. Ratio est: quia omnis causa debet esse saltem natura prior suo effectu; ergo etiam verba formæ consecratoriæ, in quantum causativa præfatæ conversionis Eucharisticæ. Atqui non sunt priora ut formaliter vera, sed ut significativa; ergo &c. Subsumpt. ostenditur, & declaratur. Siquidem ut formaliter vera illam conversionem, & consequenter præsentiam Corporis, ac Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis supponunt; cum ideo vera sint; quia Corpus, & Sanguis Christi ibidem jam existunt (ex eo enim, quod res est; vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa) ergo non sunt priora ut formaliter vera, quam prædicta conversio, & præsentia; sunt autem priora ut significativa; siquidem ideo Corpus, & Sanguis Christi existunt sub speciebus Eucharisticis, quia per verba formæ consecratoriæ ex Christi institutione significantur: consequenter &c.

272. Quæres quarto, quid in forma geminæ consecrationis demonstrent pronomina *Hoc*, *Hic*?

Respondetur, quod demonstrent, seu significent substantiam, sub his numero speciebus contentam, sic ut verba formæ consecratoriæ faciant hunc sensum: *Hæc substantia contenta sub speciebus panis est corpus meum: Hæc substantia contenta sub speciebus vini est sanguis meus*. Ita Scotus *in 4. dist.* 8. *q.* 1. Herincx *disp.* 2. *n.* 79. Sporer *n.* 188. Elbel *n.* 51. Bosco, Henno &c. Ubi tamen substantiam singularem oportet vage, & veluti in genere, non autem determinate, & specifice apprehendere. Ratio hujus est: quia in præmemoratis propositionibus affirmativis ita verificari debet identitas inter prædicatum, & subjectum, ut tamen hoc ab illo formaliter differat in modo significandi, & enunciandi (alias propositiones mere identicæ forent) sed quando substantia singularis apprehenditur vage, & veluti generice, subjectum illarum propositionum formaliter differt a prædicato in modo significandi, & enunciandi; cum substantia Corporis, & Sanguinis Christi ex parte prædicati significetur determinate, & specifice; ex parte subjecti vero indeterminate, vage, & generice; ergo &c. Quod si malis, dicere poteris cum Vasquezio, Dicastillo, & aliis, sensum formæ consecratoriæ esse hunc: *Hoc corpus est corpus meum: Hic calix est calix sanguinis mei*. Qui sensus videtur similiter legitimus (imo a priore vix diversus) modo ly *corpus*, & ly *calix* rursus apprehendantur vage, & quasi generica. Absolute tamen non possunt pronomina *Hoc*, *Hic*, significare panem, & vinum: quia enim panis, & vinum non sunt Corpus, & Sanguis Christi, utraque propositio falsa foret. La Croix *lib. 6. part.* 1. *n.* 463. Abreu *libr. 9. de Sacramentis num.* 149. & alii passim.

273. Quæres quinto, quænam ponantur sub speciebus panis, & vini formaliter, seu vi verborum consecrationis, & quænam concomitanter tantum?

Antequam ad Quæsitum respondeatur, supponendum tanquam de fide certum, omnia, quæ ad Christi constitutionem, & integritatem pertinent, scilicet Corpus, Sanguinem, Animam, Divinitatem &c. vere, & realiter sub utraque specie panis, & vini contineri ob intimam, & inseparabilem conjunctionem: uti definit Trid. *Sess.* 13. *de Euchar. cap.* 3. Unde solum in quæstionem vertitur, quænam ibi ponantur formaliter, seu vi verborum; & quænam concomitanter tantum? *Formaliter*, seu *vi verborum* ibidem ponitur, & continetur, quod per se primo exprimitur per verba consecratoria; sive quod per se primo necessarium est ad verificationem practicam, & efficaciam verborum consecratoriorum, adeo, ut ista sine illo & practica veritate, & effectu destituerentur. *Concomitanter* solum ibi ponitur, & continetur, quod præcise ponitur propter connexionem, sive unionem, quam habet cum aliquo eorum, quæ ponuntur formaliter. Nunc

Respondetur primo. Formaliter, seu vi verborum sub speciebus panis ponitur solum Corpus, & sub speciebus

ciebus vini solus Sanguis Christi. Ita Trid. *loc. citat.* ubi ait: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit --- Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini ex vi verborum existere*. Ratio est: quia sub speciebus panis solum Corpus, & sub speciebus vini solus Sanguis Christi per se primo exprimitur per verba consecratoria.

Respondetur secundo. Concomitanter sub speciebus panis ponitur Sanguis, & sub speciebus vini Corpus Christi; sub utrisque vero Anima, Divinitas, Unio hypostatica, & Verbum Divinum: item quantitas, & alia accidentia non affixa loco. Ita denuo Trid. *l. c.* ubi sic pergit: *Ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore, & Anima hypostaticam Unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri*. Ratio est (& efformatur ex allegatis Concilii verbis) quia Corpori unitur, ac connectitur Sanguis, & Sanguini Corpus; item cum Corpore unitur Anima, & cum utroque Divinitas, Unio hypostatica, ac ipsum Verbum; sicut & quantitas, aliaque accidentia Corporis, ac Sanguinis Christi, non affixa loco: quæ unio, & connexio est fundamentum concomitantiæ, seu continentiæ passivæ per concomitantiam; ut liquet ex relatis verbis Tridentini.

Fluit ex dictis 1. Quod Trid. sub nomine Divinitatis comprehendat etiam Personalitatem Verbi: cum Unio hypostatica, ratione cujus altefatum Concilium inquit, Divinitatem poni concomitanter, terminetur immediate ad Personalitatem Verbi. Item Personam Patris, & Spiritus sancti, quatenus non potest non poni unum identificatorum, nisi etiam concomitanter ponatur alterum; ergo sicut ratione identitatis cum Divinitate concomitanter in Eucharistia ponitur Persona Verbi, ita ratione identitatis cum eadem Divinitate etiam ibi ponentur Personæ Patris, & Spiritus sancti. Nec refert, quod Pater, & Spiritus sanctus non possint dici incarnati propter identitatem, quam habent cum Divinitate mediate incarnata. Disparitas enim est, quod existentia afficiat rem materialiter secundum omnem entitatem ipsi identificatatam, ac proinde non possit competere uni identificatorum, quin etiam competat alteri; & consequenter existente Divinitate in Eucharistia, debeat etiam dici existere, quidquid cum ea identificatum est. At vero terminatio Verbi Divini ad naturam humanam respicit Verbum formaliter, ut Verbum est, & Divinitatem, ut Verbo identificatam. Unde fit, ut incarnatio possit competere uni identificatorum cum Divinitate, quin competat alteri.

Fluit ex dictis 2. si in triduo mortis Christi Apostoli consecrassent Eucharistiam, futurum fuisse sub speciebus panis Corpus Christi sine Sanguine, & Anima, atque sub speciebus vini Sanguinem sine Corpore. DD. communiter. Ratio est: quia Sanguis, & Anima sub speciebus panis, ac Corpus sub speciebus vini non ponuntur nisi concomitanter ratione conjunctionis, quam inter se habent: quæ conjunctio in triduo mortis Christi dissoluta erat: consequenter &c. Aliter, & opposito modo sentiendum de Divinitate, & Personalitate Verbi: hæ quippe etiam post separationem animæ Corpori, & Sanguini Christi, unitæ manserunt.

Fluit 3. totam carnis, ossium, ac sanguinis substantiam, quæ reperitur in Corpore Christi glorioso, cum dentibus, capillis, & aliis, ad integritatem, & ornatum gloriosi Salvatoris quomodocunque pertinentibus, contineri in Eucharistia. Ratio est: quia hæc talia omnia sub speciebus Eucharisticis ponuntur vel formaliter, & vi verborum consecratoriorum, vel saltem concomitanter ratione conjunctionis, quam habent cum aliquo eorum, quæ ibi ponuntur formaliter. Secus dicendum de particulis carnis, & Sanguinis ad consolationem fidelium in terra relictis. Ratio est: quia illæ non ponuntur sub speciebus Eucharisticis formaliter, & vi verborum, eo quod non significentur per verba consecratoria, utpote quæ propter ly *meum*, & *meus* sunt possessiva; nec concomitanter, cum non habeant amplius unionem, & conjunctionem cum Corpore, & Sanguine Christi, quæ ibi ponuntur formaliter, & vi verborum. Est itidem communis DD.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

274. Sempronius, & Sempronianus bene resolvunt, Sacramentum Eucharistiæ esse unum specie; at multiplex numero juxta multitudinem specierum. 275. Sebaldus non recte fecit consecrando in una specie, nempe panis, ob defectum vini, ut moribundo conficeret, & praeberet Viaticum; quia consecratio sub utraque specie non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino præcepta est. 276. Sigefridus Sacerdos qualiter judicandus propter aliquas actiones inter celebrandum a se exercitas, aut permissas? Item 277. qualiter Sigismundus ob quasdam alias actiones, itidem inter celebrandum exercitas?

CASUS I.

274. *Sempronius, & Sempronianus, Theologiæ Studiosi per quam seduli, die recreationis per campos, & prata ambulatum eunt: utque tempus utiliter collocent, varias de admirabili SS. Eucharistiæ Sacramento quæstiones, ex ore sui Professoris exceptas, & chartæ mandatas, inter ambulandum ventilant. Tandem, ac postremo devolvuntur ad istam, an altefatum Sacramentum debeat dici unum specie, & numero, vel vero plura? Quid ad hanc quæstionem dicendum?*

Respondetur primo. Sacramentum Eucharistiæ, seu Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini est unum totale, seu unius speciei infimæ Sacramentum. Ita Doctor Angelicus hic *q. 73. art. 2.* & Doctor Subtilis *in 4. dist. 8. q. 1.* quos sequuntur non solum Thomistæ, & Scotistæ, sed etiam Recentiores passim, quamvis in modo responsionem propugnandi nonnihil discrepent. Sumitur 1. ex Catechismo Romano, qui *cap. 4. de Sacram. Euchar. n.* 10. sic habet: *Licet duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ authoritate docti confitemur &c.* Sumitur 2. ex hac ratione. Unitas specifica Sacramentorum metienda est unitate finis, ad quem sunt instituta: sed finis, ad quem a Christo institutum est Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, non est nisi unus, nempe spiritualis animæ refectio, seu spirituale convivium, ad quod totaliter, & complete constituendum non tantum requiritur Corpus Christi sub specie panis per modum cibi, verum & Sanguis Christi sub specie vini per modum potus; ut patet ex analogica paritate cum convivio corporali, ad quod complete, ac adæquate constituendum tam cibus, quam potus requiritur; ergo &c.

Dices. Hinc sequitur, eum, qui communicat sub una specie, quemadmodum communicant Laici, non recipere totum Sacramentum.

Respondetur, neg. assumptum. Recipit quippe totum Sacramentum quoad rem significatam, & contentam in eo, quatenus accipit totum Christum carne, & Sanguine constantem; adeoque non solum Corpus Christi, sed & Sanguinem, utpote qui, vi verborum consecratoriorum panis, ponitur, & continetur ibi concomitanter: prout habet Trid. *Sess. 13. de Euchar. cap. 3.* Nec refert, quod Sanguis ibi non contineatur vi formæ consecratoriæ. Siquidem per hoc neque Sanguis, neque Sacramentum ipsum comprobatur habere minus efficaciæ, utpote quæ non a modo significandi, sed a re significata, & contenta resultat. Unde D. Bonaventura *in 4. dist. 11. art. 2. q. 2.* Eucharistiam sub una specie vocat *perfectum Sacramentum quoad efficaciam, non quoad signaturam*.

Respondetur ad quæst. secundo. Sacramentum Eucharistiæ sub multiplicatis speciebus est numero multiplex. Hiquæus, Mastrius, Brancatus, Vasquez, & alii, quos refert, ac sequitur P. Panger *de Euchar. disp. 1. q. 3. num. 33.* Ratio fundamentalis hæc est: quia dum multi-

multiplicatur numero ſignum ſenſibile gratiæ, etiam multiplicatur numero Sacramentum: ſed impræſentiarum multiplicatur numero ſignum ſenſibile gratiæ, ad multiplicationem ſcilicet ſpecierum, per quas in ratione talis ſigni conſtituitur; ergo etiam multiplicatur numero Sacramentum. Hinc Clemens Papa *can. 22, de Conſecrat. diſt. 2.* ait: *Tanta in altario certe holocauſta* (id eſt, hoſtiæ) *offerantur, quanta populo ſufficere debeant.* Qui loquendi modus denotat numerum; ſicut quando dicitur: *tanti ſunt milites in arce, quanti ad eam defendendam ſufficiunt*: quemadmodum notat P. Panget *cit.* Sed

Dices primo. Ut multiplicetur numero Sacramentum Euchariſtiæ, non ſufficit, quod numero multiplicentur ſolæ ſpecies; ſed deberent etiam multiplicari Corpus, & Sanguis Chriſti: atqui hæc non multiplicantur; cum ſint eadem numero ſub ſpeciebus panis, & vini; ergo &c. Maj. oſtenditur: quia non ſolæ ſpecies; ſed etiam Corpus, & Sanguis Chriſti conſtituunt materiam proximam; imo totam eſſentiam Sacramenti Euchariſtici, in facto eſſe conſiderati, ſecundum dicta *n. 249.* conſequenter &c.

Reſpondetur, neg. maj. Siquidem ſola multiplicatio unius materiæ proximæ partialis ſufficit ad multiplicationem numericam compoſiti Sacramentalis: ut patet in Sacramento Pœnitentiæ, dum quis poſt jam acceptam abſolutionem a peccatis ſtatim revertitur ad Confeſſionale ſubjecturus aliquod mortale, cujus ante inculpabiliter oblitus erat; nam talis, licet tantum novam faciat Confeſſionem, non vero novum eliciat dolorem, ſed prius elicitum continuet, & ad novam abſolutionem recipiendam referat, & hanc recipiat, aliud numero Sacramentum recipit (ſuppoſito nimirum, quod dolor ille etiam ad peccatum omiſſum primo fuerit porrectus) veluti cum communiori, ac ſpeculative probabiliori ſententia tenebimus, & deducemus *tract. ſeq.* Sicut ergo in caſu poſito ad duplicationem, vel multiplicationem numericam Sacramenti Pœnitentiæ ſufficit dolor, modo adſit, tametſi duplicatus, aut multiplicatus non ſit; ita in præſenti caſu ad duplicationem, vel multiplicationem numericam Sacramenti Euchariſtiæ ſufficit præſentia Corporis, & Sanguinis, tametſi hæc duplicata, aut multiplicata non ſint.

Dices ſecundo. Ex noſtra reſponſione ſequitur, quod accipiens ſimul duas Hoſtias, v.g. accipiat duo numero Sacramenta: ſequela autem eſt contra communem fidelium ſenſum; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ſeq. Nam Hoſtiæ illæ, quamvis de ſe, ac phyſice ſint duo numero Sacramenta, per ſimultaneam tamen acceptionem, qua accipiuntur per modum unius ab eodem communicante, moraliter uniuntur, & coaleſcunt in unum numero Sacramentum; quoniam ſi acceptæ ſolum habent unam completam ſignificationem, & faciunt unam refectionem totalem. Itaque unitas numerica Sacramenti impræſentiarum non eſt regulanda ex phyſica continuatione ſpecierum, ſed ex morali conjunctione earundem, ita, ut omnes illæ, quæ per modum unius ſumuntur, & conferuntur (quemadmodum fieri ponitur in caſu argumenti) habeant rationem unius Sacramenti individui, etiamſi habeant diſcontinuationem phyſicam inter ſe. Oppoſito modo diſcurrendum de Hoſtiis acceptis a diverſis communicantibus, vel ab eodem, ſed diſtinctis vicibus; ſic enim non ſumuntur per modum unius, nec moraliter uniuntur inter ſe: item de Hoſtiis adhuc in pyxide contentis; ſiquidem & hæ tot ſunt Sacramenta, quot Hoſtiæ, cum enim quælibet ſit diſcontinua ab altera, neque ut ſic adſit fundamentum, ſive conditio ad moralem earum conjunctionem requiſita, quælibet ſeorſim retinet rationem Sacramenti numerice diſtincti, quatenus quælibet ſeorſim habet ſuam completam ſignificationem, & unam facere poteſt refectionem totalem, totalitate nimirum rei ſignificatæ.

Inſtabis. Sumptio non eſt pars componens eſſentiam Euchariſtiæ, cum hæc ſit Sacramentum permanens; ergo non poteſt efficere, ut Sacramentum Euchariſticum ſit unum numero, vel plura.

Reſpondetur, neg. conſ. Licet enim ſumptio non ſit pars conſtitutiva alteſati Sacramenti, eſt tamen conditio, quæ poteſt contrahere plures ſignificationes in unam, & per conſequens facere unum Sacramentum: veluti hucuſque oſtenſum.

C A S U S II.

275. *Sebaldus, Sacerdos Regularis, dum ad Sacellum ruri ſitum, & a ſuo Monaſterio duabus fere horis diſſitum, Sacri legendi cauſa exit, obliviſcitur vini, quod ſecum portare decreverat, probe gnarus, nec in loco, ubi ſacrificandum, nec in vicinia aliquod haberi poſſe. Errore hoc in Sacriſtia primum animadverſo, ſtatuit quidem Sebaldus, lectione Sacri ob defectum vini ſuperſedere, &, re infecta, domum remeare; ſed quoniam inaudit, in adiacente villa periculoſiſſime decumbere quendam ruſticum, ſacro Viatico, ne ſine hujus acceptione obeat, muniendum, in animum inducit, ſub una ſpecie, panis ſcilicet, ſacrificare. Accipit proinde duas hoſtias, qua in Sacriſtia praſto erant, unam majorem, quam pro ſe, & alteram minorem, quam pro infirmo, alioquin ſine Communione deceſſuro, conſecret. Occaſione hujus Caſus quaritur 1. Qua neceſſitate neceſſarium ſit celebrare ſub utraque ſpecie panis, & vini? 2. An Sebaldus recte fecerit?*

Reſpondetur primo ad primum membrum Caſus, quod conſecratio utriuſque ſpeciei non ſit neceſſaria neceſſitate (1) Sacramenti; bene tamen neceſſitate (2) præcepti Divini, & (3) Eccleſiaſtici. DD. catholici communiter. Ratio reſponſionis quoad primam partem alia eſt a priori; ſiquidem formæ conſecrationis non habent mutuam in ſignificando, & cauſando dependentiam: alia a poſteriori; quia panis valide conſecratur, antequam conſecretur vinum; ergo &c. Ratio reſponſionis quoad ſecundam partem eſt: quia Chriſtus Dominus in ultima Cœna conſecravit ſub utraque ſpecie, & Apoſtolos ſuos, eorumque in Officio Sacerdotali Succeſſores idipſum facere juſſit, dicens: *Hoc facite in meam Commemorationem*; prout dogmatice tradit Trid. *Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ cap. 1.* Et *Seſſ. 21. de Communione ſub utraque ſpecie cap. 1.* ait, Laicos, & Clericos *non conficientes* Euchariſtiam, haud obligari præcepto Divino ad ſumendum hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie: ubi clare inſinuat, Sacerdotes conficientes e diverſo obligari præcepto Divino ad idem Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum; adeoque conſecrandum. Ratio reſponſionis quoad tertiam partem eſt: quia Pontifex in *can. 11. de Conſecrat. diſt. 2.* præcipit, ut Sacerdotes integra Sacramenta percipiant: & conſequenter etiam ut integra conſecrent; ergo ex præcepto Eccleſiæ utraque ſpecies conſecranda eſt; quia diviſio unius, ejuſdemque Myſterii non poteſt fieri ſine grandi ſacrilegio, juxta eundem canonem.

Dices contra ſecundam partem. Chriſtus *Lucæ 24.* in Emaus conſecravit panem ſine vino; ergo nec aliis Sacerdotibus præcepiſſe cenſendus eſt conſecrationem utriuſque ſpeciei.

Reſpondetur, omiſſo antecedente, neg. conſ. Nam in primis Chriſtus, cum non fuerit ſuo præcepto obligatus, id feciſſe cenſendus eſt ex poteſtate excellentiæ, eum maxime in finem, ut communicando duos Diſcipulos, qui non erant Apoſtoli, aut Sacerdotes, in ſpecie panis tantum, oſtenderet, Communionem ſub utraque ſpecie non eſſe Laicis neceſſariam. Ita P. Panget *de Euchar. diſp. 3. q. 1. n. 6.* Deinde relate ad obligationem celebrandi non venit attendendum, quid Chriſtus fecerit in Emaus; ſed quid fecerit in ultima Cœna, ubi Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacrificium Miſſæ inſtituit; tunc autem conſecravit ſub utraque ſpecie, & Apoſtolis, aliiſque Sacerdotibus, ut facerent ſimiliter, præceptum impoſuit: prout conſtat ex dictis.

Reſpondetur ſecundo ad ſecundum membrum Caſus, quod Sebaldus non recte fecerit. Ita P. Panget ubi ſupra *n. 13.* & alii paſſim. Ratio eſt: quia præcepta Eccleſiæ non tam ſtricte obligant, quam præcepta Dei, de quorum claſſe eſt præceptum conſecrandi in utraque ſpecie; & tamen non licet illis paſſim contravenire ad conficiendum pro moribundo Viaticum; hinc juxta communem non licet ob dictam cauſam celebrare Sacerdoti non amplius jejuno, vel ſine veſtibus ſacris; ergo a potiori non licebit ob eandem cauſam conſecrare in una ſpecie. Itaque moribundus præcepto Communionis, & Viatici ſumendi in Caſu non obligatur; cum ſit præceptum quaſi conditionatum, ita, ut obliger,

get, quando citra notabile incommodum, & irreverentiam Sacramenti potest impleri; quod in Casu fieri non potest: ubi proin sufficit sumptio Viatici in voto.

Ex hucusque dictis fluit, Pontificem nec (1) directe, nec (2) indirecte posse dispensare in præcepto consecrandi utramque speciem. Ita P. Herincx *de Euchar. disp.* 2. *q.* 7. *n.* 60. & alii satis communiter. Ratio primæ partis est: quia Pontifex non potest directe dispensare in Jure Divino, etsi possit illud interpretari; prout habetur *can.* 6. *&* 7. *caus.* 25. *q.* 1. & nos ostendimus *part.* 1. *n.* 482. Ratio secundæ partis est: siquidem indirecta dispensatio Pontificis præcise potest cadere supra illa, quæ sunt de Jure Divino (vel Naturali) hypothetico, & relativo, in quibus voluntas humana disponit, & exhibet materiam; qua supposita, & manente obligat Jus Divinum (vel etiam Naturale) ad illam implendam: veluti contingit in voto, juramento, matrimonio rato &c. In his proinde S. Pontifex indirecte dispensare potest, tollendo scilicet pactum, promissionem, aut contractum, vi juris, quod habet in actus humanos fidelium, quorum voluntates sibi subjectas tenet in ordine ad bonum salutis æternæ. At vero in aliis, quæ sunt de Jure Divino (vel Naturali) absoluto, quando scilicet Deus immediate per seipsum imponit aliquod præceptum, & obligationem, ejusque naturam, ac modum determinat (prout fecit, quando tulit præceptum consecrandi in utraque specie) Pontificis dispensatio, etiam indirecta tantum, non potest habere locum: quia non invenit objectum, circa quod exerceatur; cum in talibus nihil detur humanum, quod potestati Pontificiæ subjaceat. Revideri possunt, quæ habentur *cit. part.* 1. *n.* 48. *& seq.*

Dices. Ergo nulli dantur casus, in quibus Sacerdos, una specie jam consecrata, licite non consecret alteram.

Respondetur, neg. illatum. Dantur enim aliqui casus, & sunt præcipue sequentes: ut si physica, vel moralis impotentia superveniat, v. g. si Sacerdos celebrans deprehendat, vinum esse veneno infectum, vel esse aquam, & vinum haberi nequeat; aut si immineat periculum vitæ ex ruina templi, incendio, incursu hostium &c. Ratio est: quia præceptum complendi Sacrificium, etsi Divinum sit, non obligat in tanta necessitate, & cum tanto incommodo. Secus esset, si Sacerdos adigeretur ad mutilandum Sacrificium in contemptum fidei. Tunc quippe mutilare non liceret ne quidem ad evadendam mortem; nam mutilatio, sic imperata, esset intrinsece mala, & ob nullam causam cohonestabilis, P. Herincx *loc. citat. num.* 59. & alii passim.

CASUS III.

276. *Sigefridus Sacerdos in Missæ Sacrificio subinde* 1. *de sua Hostia diffringit particulam, eaque communicat personam Sacro ipsius præsentem.* 2. *Semel jam venerat ad Canonem, cum adest minister porrigens quasdam parvas hostias pro præsentibus consecrandas, qui id valde flagitant. Sed remittit has Sigefridus, ajens, sero nimis fuisse allatas.* 3. *Alia vice permittit, ut Hostiæ a se consecratæ statim post consecrationem ab alio Sacerdote asportentur ad communicandos homines. Qualiter judicandus est Sigefridus?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus, Sigefridum non peccare, si habeat aliquam rationabilem causam id faciendi, v. g. si persona illa non possit communicari ex ciborio, quippe Hostiis evacuato; nec expectare, donec in alio Missæ Sacrificio hostiæ consecrentur. Ita Dicastillo *de Sacram. tr.* 4. *disp.* 11. *dub.* 6. *num.* 115. Burghaber *centur.* 1. *cas.* 73. & alii. Ratio est: quia nec ex natura rei, institutionis scilicet Sacramenti, nec ex Jure aliquo constat, id esse prohibitum; ut pluribus ostendit Dicastillo *cit.* Quod si tamen Sigefridus id faceret absque ulla necessitate, aut solo animo deferendi personæ sic communicare desideranti, non esset a peccato excusandus; cum absque sufficiente causa deficeret a communi more, ac consuetudine Ecclesiæ. Putat tamen Burghaber *cit.* (cui & ego adstipulor) illud peccatum non fore mortale per se loquendo, & nisi aliunde aggravetur: quia ejusmodi actio de se non videtur esse materia gravis irreverentiæ, & singularitatis.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, quod Sigefridus male neglexerit adstantium preces, & remiserit parvas hostias, cum eas (per oblationem præviam mentalem oblatas) licite potuisset consecrare. Ita Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 3. *n.* 84. Sporer ubi supra *n.* 170. & alii passim. Ratio est: quia oblatio parvarum hostiarum neque ratione Sacrificii, neque vi præcepti alicujus necessario conjungenda est cum oblatione majoris hostiæ; sed sufficit, utrasque simul in Corporali, v. g. reperiri tempore consecrationis, ut omnes iisdem verbis consecrantur. Nec audiendus est hic Gavantus *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 19. ubi contendit, parvas hostias saltem ante Præfationem debere adesse. Contra enim est, quod etiam hujus Lex nulla ostendi possit. Sufficit ergo, si adsint ante Consecrationem, & concurrat aliqua rationabilis causa illas adhuc consecrandi: qualis in Casu est devotio populi communicare volentis; nam omnis causa si abesset, assurgendum esset Missali, per Rubricas ordinanti, ut prædictæ hostiæ jam præsto sint ante Offertorium.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus, quod & Sigefridus permittendo, & Sacerdos alter asportando illas Hostias statim post consecrationem, peccaverint: nisi forte urserit necessitas (de qua tamen nulla fit in Casu mentio) tam cito communicandi alios. Ita Gobat *loc. cit. n.* 86. Sporer *n.* 170. & alii. Ratio est: quia sic impedivere, ne super illas particulas fierent signa, cruces, & benedictiones præscriptæ in Missali: quæ omissio continet aliquam deordinationem contra idem Missale, non quidem gravem, & mortalem, sed levem, & venialem: prout recte notant Authores immediate relati.

CASUS IV.

277. *Sigismundus Sacerdos* 1. *Quando vinum, pro Sacrificio allatum, novit esse bonum, suave, ac Theologicum, multum infundere solet; parum vero, quando novit esse insipidum.* 2. *Semel post consecrationem panis advertens, loco vini esse in Calice aquam infusam, curat quidem sibi vinum afferri; sed illud infundit nullam miscendo aquam, & pronunciatis hisce verbis:* Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti &c. *Calicem populo adorandum exhibet.* 3. *Quoties in ampliore aliquo templo Missam legit, voce tam alta profert verba consecratoria, ut omnes præsentes audiant. Quid de singulis hisce Sigismundi actionibus sentiendum?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus, quod Sigismundus (1) plus vini infundendo, quia id sapidum, peccet venialiter; at (2) minus infundendo, quia insipidum, nullam videatur committere culpam: modo attingat quantitatem adhuc congruam, & licite, ac decenter consecrabilem. Ratio primæ partis est: quia captare delectationem sensualem in sacro Epulo (prout facere censetur Sigismundus) ad delectationem, & dulcedinem spiritualem causandam ordinato, est aliqua deordinatio, pertinens ad vitium gulæ. Ratio secundæ partis est opposita: siquidem tunc ex una parte nulla intervenit deordinatio; & ex altera supponitur adhuc infundi quantitas usitata, ac decenter consecrabilis. Ita Tamburinus, & Gobat, quos refert, ac sequitur P. Sporer *loc. cit. n.* 180. Sed

Petes, quænam quantitas vini censeatur congrua, & licite, ac decenter consecrabilis?

Huic petito annuit, & satisfacit Sporerus *num. cit.* hisce verbis: Quantitas vini licite, & decenter consecrabilis, omnium sensu ita debet esse modica, ut brevi ductu facile, & decenter hauriri possit: & placet communis suasio, & praxis piorum, in mediocri calice infundendum ad latitudinem thaleri. Sic enim ex una parte abest periculum, ne facile casu affundatur nimis multum aquæ, & materia reddatur dubia, ideoque rursus indecore vinum superinfundi debeat; ex altera autem parte, sic facilius debito modo purificatur calix, minusque timendum est, tum nec sacer Sanguis defluat in barbam, vel etiam in patenam, tum ne furtim subrepat, placeatque dolosa, ac sensualis voluptas,

quam

quam naturaliter provocat suavitas specierum vini boni consecrati. Ita prælaudatus Author verbatim.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, quod Sigismundus ibi tres, eosque graves, errores erraverit, juxta communem DD. Ratio est: quia, etiam post consecratam speciem panis, debuisset vino infuso affundere aquam, secundum dicta *n.* 257. Item debuisset præmittere, ac facere oblationem mentalem vini consecrandi: sicut de consecrando pane dictum est *n. præced. in respons.* 2. Et tandem non debuisset omittere illa verba, *Simili modo &c.* Ex quibus patet, quod Sigismundus contravenerit triplici præcepto Ecclesiæ, & quidem gravi; prout liquet ex dictis per decursum; & per consequens &c.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus, quod Sigismundus non sit excusandus a mortali per se loquendo, & nisi propter simplicitatem, aut bonam fidem excusetur. Ratio est: quia in actione omnium gravissima valde notabiliter agit contra ritum communissimum, per Rubricas *de ritu celebrandi Missam sub titulo de canone* præscriptum, ubi ordinatur, ut verba consecrationis *secrete* proferantur: dat præterea occasionem obmurmurationum, offensionum, scandalorum. Ita Gavantus, quem citat, & sequitur Gobat ubi supra *n.* 68. *& seq.*

Dices, Ergo etiam peccat mortaliter Sacerdos proferens verba consecrationis, ita, ut audiantur a prope adstantibus.

Respondetur, neg. illatum. Nam talis non notabiliter agit contra ritum ab Ecclesia præscriptum; adeoque ob parvitatem materiæ a mortali (non item a veniali) excusabilis est, Videatur Gobat *cit.*

DISPUTATIO II.

De Ministro, & Effectibus Eucharistiæ.

DE Præcepto, & Subjecto susceptivo Eucharistiæ actum est *part.* 3. *tract.* 1. *disp.* 3. ubi etiam aliqua, quæ ejusdem Sacramenti Ministrum concernunt, per occasionem tradidimus; & plura in hac *part. tr.* 1. *disp.* 2. *cap.* 1. Unde in præsenti ea duntaxat pertractanda veniunt, quæ de eodem Ministro dicenda supersunt; & insuper quæ concernunt Effectus Eucharistiæ. Sit igitur

CAPUT I.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Quis sit legitimus Minister Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

278. *Actio Ministri circa Eucharistiam est vel confectiva, vel dispensativa.* 279. *Priorem omnis, & solus Sacerdos valide exercet; uti etiam* 280. *& seqq. posteriorem licite: modo habeat jurisdictionem.* 283. *& seqq. Notantur aliqua pro praxi.*

278. PRænotandum, & supponendum ex dictis *num.* 24. actionem Ministri, quam circa Eucharistiæ Sacramentum exercet, esse duplicem; unam nempe, qua illud conficit, & alteram, qua jam confectum suscipientibus distribuit, atque dispensat: prior valorem, posterior licentiam tantum, & decentiam concernit. Nunc

279. Dico primo. Minister Eucharistiæ valide consecrandæ, ac conficiendæ est solus Sacerdos. Sic omnes Orthodoxi ex Conciliis, Niceno *can.* 14. Lateranensi sub Innoc. III. *cap.* 1. & Tridentino *Sess.* 22. *de Sacrif. Missæ cap.* 1.

Probatur præterea ex illis Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem &c.* quibus (ut habet Trid. *loc. cit.*) Christus præcepit solis Apostolis, eorumque in Sacerdotali dignitate legitimis Successoribus, ut consecrarent, ac conficerent Eucharistiam, sicut Ipse consecravit, ac confecit; ergo illis, & quidem solis, etiam dedit potestatem consecrandi. Ant. ostenditur; nam si etiam aliis hominibus dedisset præceptum consecrandi, tenerentur & ii consecrare, quod utique falsum. Conf. liquet: partim quia ipsis solis imposuit præceptum consecrandi, ex immediate dictis; partim quia præceptum consecrandi absque potestate foret inane, ac frustraneum, ut patet.

Confirmatur. Sacerdotes ob eximiam dignitatem, & potestatem conficiendi augustissimum Eucharistiæ Sacramentum supergrediuntur Principes, Reges, Imperatores, imo & ipsos Angelos Dei; prout SS. Patres passim testantur: id autem verum non esset, nisi ipsis privative competeret memorata potestas; ergo &c. Nec refert, quod 1. *Petr.* 2. etiam alii Christiani dicantur *Regale Sacerdotium*. Nam Sacerdotium ibi non accipitur proprie, & stricte, quemadmodum in proposito; sed late, & eo fere modo, quo omne opus bonum dicitur Sacrificium.

280. Dico secundo. Minister ordinarius Eucharistiæ licite dispensandæ est itidem solus Sacerdos. Communis, & certa.

Probatur breviter. Quia sicut solus Sacerdos ex Jure Divino habet potestatem consecrandi Eucharistiam, ita solus ex eodem Jure ordinariam habet potestatem dispensandi Eucharistiam; ergo ipse solus est Minister ordinarius Eucharistiæ licite dispensandæ, Conf. constat. Ant. ostenditur; nam quando Christus Eucharistiam conficiens, & dispensans dixit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit illis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut facerent, quod Ipse fecit; cum ergo Ipse non solum consecraverit, sed etiam dispensaverit Eucharistiam, etiam Apostolis, & Sacerdotibus, iisque solis (sicut iisdem solis præceptum imposuit) contulit utramque potestatem: consequenter &c. Hinc Ecclesia in Hymno: *Sic* (Christus) *Sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent ceteris.*

Dixi: *Minister ordinarius*. Nam extraordinarius in casu necessitatis esse quoque potest Diaconus ex delegatione Sacerdotis, vel etiam Juris; sicut expresse habet Concilium Carthaginense IV. *can.* 38. ibi: *Ut Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi, si necessitas cogat, jussus eroget.* Unde si Sacerdos ægrotet, & aliquis in extremis positus Eucharistia indigeat, nec adsit alius Sacerdos, poterit Sacerdos ægrotans, v. g. Parochus, committere Diacono potestatem dispensandi Eucharistiam. Imo quod Diaconus, absente etiam Sacerdote, & sine hujus commissione, in casu necessitatis Eucharistiam dispensare possit, docent Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. Suarez *disp.* 72. *sect.* 1. Laymann *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 7. *n.* 2. & alii. Siquidem tali casu censetur habere potestatem dispensandi a Jure delegatam. Ceterum si Diaconus Eucharistiam distribuat, debet esse indutus Alba, & stola transversa; hic enim est ipsius habitus, inquit cum Aversa P. La Croix *libr.* 6. *part.* 1. *numer.* 489. Non tamen potestas dispensandi a Sacerdote committi potest Clericis, Diacono inferioribus, & multo minus Laicis: siquidem Concilium Carthaginense supra, & alia Jura loquuntur de solo Diacono, & praxis id omnino observat.

281. Quæres, an omnis Sacerdos habeat potestatem (1) valide conficiendi, & (2) licite dispensandi Sacramentum Eucharistiæ?

Respondetur primo ad primum membrum quæstionis affirmative: modo sit adhuc viator. DD. communiter. Ratio est: quia potestas valide celebrandi, & conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, complete fundatur, ac residet in charactere Sacerdotali; ergo ubi est character, etiam est potestas valide celebrandi, & conficiendi Sacramentum Eucharistiæ: modo ea potestas non sit impedita ob defectum status viæ, sicut impedita est in Sacerdotibus tam beatis, quam damnatis, secundum dicta *numer.* 18. *& seq.* Ex quo fit, ut omnes Sacerdotes viatores legitime ordinati valide conficiant Eucharistiam, siquidem debitam materiam, & formam adhibeant cum intentione consecrandi, & faciendi,

ciendi, quod facit Ecclesia, etiamsi sint Hæretici, Schismatici, irregulares, excommunicati, degradati: quia omnes ejusmodi retinent characterem Sacerdotalem; quippe indelebilem, & consequenter potestatem valide consecrandi nec ob defectum status viæ, nec ab Ecclesia impeditam ab actu valide ponendo; cum Ecclesia actus pure Sacerdotales, seu qui jurisdictionem non requirunt, irritare non valeat, esto valeat prohibere, & de facto prohibeat per censuras, & alia impedimenta. Unde si Canones, qui statuunt Consecrationes Hæreticorum, & Schismaticorum esse *irritas*, per *to irritas* solummodo indicare volunt, eas non haberi ab Ecclesia pro ratis, & approbatis, sed prohiberi, sumuntque hic verbum *irrito* pro verbo *prohibeo*: vel intelligumur de illis consecrationibus, quæ fiunt ab Hæreticis non legitime ordinaris.

Respondetur secundo ad secundum membrum quæstionis negative. Sed præter Ordinem Sacerdotalem, & statum gratiæ (ex dictis *numer.* 23.) requiritur etiam jurisdictio in communicantem, ordinaria, vel delegata. Laymann ubi supra *num.* 3. & alii communiter. Ratio est: quia dispensatio Eucharistiæ, qua fideles spiritualiter pascuntur, est proprium munus Pastoris, utpote ad quem pertinet ex officio cognoscere vultum pecoris sui, & statum spiritualem illius, ac scire, quid gregi prodesse, quid obesse queat; ergo ipse solus Eucharistiam licite ministrare potest suis subditis, & nemo alius, nisi ex ipsius commissione, ac delegatione: excepto casu extremæ necessitatis, de quo supra. Et hoc adeo verum est, ut sine ulla facultate alienos Parochianos communicans peccet mortaliter, cum violet jus jurisdictionis, Pastori proprio competentis, in re gravi; esto nullam censuram incurrat, nisi sit Religiosus: contra istum quippe, si absque licentia proprii Pastoris, vel privilegio Pontificis, alienis subditis Clericis, vel Laicis Extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ Sacramentum administrare præsumpserit, in *Clement. Religiosi de Privileg.* fulminatur excommunicatio, ipso facto incurrenda, & Papæ reservata: quamvis ab ejus incursione excuset quævis ignorantia, etiam affectata, propter verbum *præsumo*, quod in ejus inflictione adhibetur. Revide super hoc, quod diximus *part.* 1. *numer.* 277.

282. Interim ad dispensandam Eucharistiam nulla requiritur approbatio dispensantis, juxta communem DD. sicut a Trid. statim citando requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio est: quia Concilium Trid. *Sess.* 23. *cap.* 23. *de Reform.* solum ad Confessiones audiendas requirit approbationem, & odia sunt restringenda; nec eadem est utrobique ratio, cum longe major requiratur scientia, & prudentia in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, quam in Ministro Eucharistiam dispensante. Unde potest Parochus facultatem dispensandi Eucharistiam pro suis Parochianis concedere cuilibet Sacerdoti simplici etiam non exposito: id quod ex praxi constat.

283. Porro circa ipsam quoque jurisdictionis necessitatem notandum pro praxi est 1. quod generalis (saltem nostrarum partium) consuetudo tribuat cuilibet Sacerdoti, præclusa speciali reclamatione, licentiam communicandi Parochianos alienos, sacram Synaxin ex devotione petentes. Idque verum est, sive talis Sacerdos id faciat in propria Ecclesia, ubi Parochus est, vel Capellanum agit; sive in Ecclesia proprii Parochi, quando ob hoc ibidem celebrandi licentiam obtinuit; Ratio est: quia talis consuetudo, aut data licentia celebrandi signum est consensus taciti, vel saltem rationabiliter præsumpti (qui similiter hic sufficit) in proprio Pastore. Abreu *in Speculo Parochor. lib.* 9. *sect.* 5. *n.* 177. Michel *de Euchar. fol.* 220. *n.* 9. & 10. aliique complures.

Notandum 2. quod Religiosis, præsertim Mendicantibus, ex privilegiis per varios Pontifices concessis, liceat in suis Ecclesiis vel per se, vel per alios Sacerdotes ibidem celebrantes, communicare quoscunque fideles, ex devotione sacram Synaxin petentes. Comprobat praxis: & videri possunt Abreu *loc. & num. cit.* Sanct-Gallenses *de Euchar. tr.* 4. *q.* 6. *dub.* 3. *conclus.* 2. *n.* 3. Michel ubi supra *n.* 10. Elbel *n.* 57.

Dixi in utroque notando: *ex devotione*, ut excipetem tempus Paschale, & articulum mortis; nam ad hus casus antefata consuetudo, & privilegia se non extendunt: prout tradunt Authores proxime allegati, & alii passim. Verum circa hoc ipsum non abs fundamento

284. Petes, utrum Regulares ipso die Resurrectionis Dominicæ S. Eucharistiam ministrare possint Parochianis, iis videlicet, qui existimantur Parochiæ satisfecisse, vel postea intra idem tempus Paschale satisfacturi? Ratio dubitandi est: quia verba Pontificum in Bullis, privilegiorum concessoriis, excipiunt diem Resurrectionis Dominicæ, & sub excommunicationis censura prohibent Regularibus, ne sine licentia Parochi (extra casum necessitatis) in præfato die Eucharistiam Parochianis ejusdem ministrent. Nihilominus

Respondetur affirmative. Ita Suarez *disp.* 72. *sect.* 3. Laymann ubi supra *cap.* 7. *n.* 4. Palao *pun.* 19. *num.* 3. Michel *fol.* 220. *n.* 11. & alii communius. Ratio est: quia non tam verba, quam mens Pontificum spectanda est; voluerunt enim Pontifices præcise per memoratam exceptionem prospicere Parochis, ut certi esse possint de Communione Paschali suorum Parochianorum: qui finis jam obtinetur, si in Parochia intra latitudinem temporis Paschalis semel communicent; nihilque juri Parochorum derogatur, si ex supererogatoria devotione intra spatium ejusdem temporis alio die (etsi is sit dies Resurrectionis Dominicæ) communicent in alia Ecclesia. Certe consuetudine invaluit hæc sententia in nostris saltem partibus, ubi in templis Regularium, præsertim Mendicantium, die Resurrectionis sine scrupulo omnibus accedentibus distribuitur S. Communio: quemadmodum notat, & testatur Michel *loc. & n. citt.*

Porro dum privilegium Regularibus concessum dicitur non extendi ad Viaticum, id intelligendum similiter venit de Communione per modum Viatici e manibus Parochi semel sumenda: si enim sæpius ex devotione, & pro majori animæ suæ solatio, ac dispositione ad mortem ægrotus communicare velit, poterit Eucharistia eidem a Religiosis ministrari; prout fert praxis quotidiana in domibus, in quibus ex indulto speciali coram ægrotante Sacrificium peragitur. Ceterum nequit ad ejusmodi ægrotum communicaturum deferri a Religiosis Eucharistia per vicos, & plateas; quoniam talis solemnis ministratio pertinet ad Parochum. Ita cum Suarezio, & Palao D. Michel *citat. num.* 12.

ARTICULUS II.

Proponuntur, & resolvuntur aliquot Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

285. *Sacerdos aliquando seipsum communicare potest, etsi non celebret.* 286. *Quænam Parochis in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ dispensandum observanda?* 287. *& seqq. Quid faciendum Ministro Eucharistiam distribuenti, quando S. Hostia, ejusve particula decidit in terram, scamnum, aut linteum, quo scamnum sternitur; vel in vestem communicantis; vel extra corporale, & dubitatur, an sit consecrata?*

285. QUæres primo, an aliquando Sacerdos licite seipsum communicare possit, quando non celebrat, adeoque accipiendo Hostiam ex Ciborio?

Respondetur affirmative; saltem quando ita exposcit necessitas. Herincx *de Euchar. disp.* 5. *num.* 10. Elbel *num.* 58. & alii communiter. Ratio est: quia ex una parte Sacerdos est Minister ordinarius hujus Sacramenti; ex altera vero idem Sacramentum nec ex natura sua, seu institutione Christi, nec ex præscripto aliquo Juris Ecclesiastici postulat Ministrum, a communicante, seu sumente personaliter, ac realiter distinctum, saltem in casu necessitatis. Imo (teste Herincx) plurimi DD. censent, id licite fieri etiam extra casum necessitatis, & ex mera devotione; vel in magno aliquo Festo, in quo Sacerdos libenter communicaret, & ad celebrandum ob aliqualem corporis infirmitatem non est sufficienter dispositus; nec commode habere potest alium Sacerdotem, a quo S. Synaxin recipiat. Debet tamen Sacerdos seipsum communicans uti stola, & su-

perpel-

perpellleen : prout advertit Abren *in Specul. Parochor. lib. 9. n.* 217.

286. Quæres secundo, quænam Parochis in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ dispensandum observanda sint?

Respondetur. Observandum est 1. Ut in publico templo semper asserventur Hostiæ consecratæ; idque cum lumine, secundum consuetudinem Ecclesiæ sub peccato obligantem. Dixi *in publico templo*: siquidem Eucharistia non debet asservari in privatis domibus, in sacellis Nobilium &c. Sanct-Gallenses *de Euchar. q. 6. dub.* 3. *conclus.* 3. *num.* 1. Porro Parochus clavem tabernaculi, ubi SS. Eucharistiæ Sacramentum repositum est, reservare sibi debet, & non æditno, vel alteri laico, relinquere, aut committere. P. Elbel *n.* 76.

Observandum est 2. Ut sæpius, & singulis fere septimanis antiquæ Hostiæ consecratæ sumantur, & novæ consecrentur, ne contingat species Eucharisticas corrumpi. Pichler *in Cand. abbrev. lib.* 3. *tit.* 44. *n.* 2. Item ut renovetur Ciborium, ob eandemmet rationem. Elbel *num.* 76. Facienda autem renovatio Ciborii est sub Sacrificio Missæ, ubi Sacerdos non solum antiquas Hostias (etsi forte sint plures, v. gr. viginti, vel triginta) sed etiam particulas minutiores, in Ciborio repertas, sumere debet: id quod fieri poterit, vel illas conjiciendo prius in Calicem, & superinfundendo vinum; vel colligendo in patenam, aut in fundum Ciborii, atque ita collectas attrahendo per adminiculum digiti aliqualiter humectati: uti suadent Lohner *part.* 2. *tit.* 25. & La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 502. ubi posterior cum Fagundez, & Tamburino admittit, quod Sacerdos, si jam prius ex inadvertentia sumpsisset ablutionem, adhuc posset purificare Ciborium, & sumere reliquias; eo quod hæc sumptio cum priori moraliter conjungeretur, & reputaretur una.

Observandum est 3. Quod Parochus etiam cum periculo vitæ teneatur suis Parochianis, peste, aliove morbo contagioso laborantibus, Eucharistiam ministrare. Ratio est: quia sic postulat officium Pastoris. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 55. *n.* 2. Navarrus *in Manual. cap.* 25. *num.* 131. & alii communiter. Cavere tamen debet, ne ad ægrum, quocunque demum morbo infectum, deferat S. Hostiam, quando ille istam sumere non potest; in eum præcise finem, ut ab eodem adoretur: hoc enim S. Pius V. prohibuit; ut habetur in Declarat. Card. Trid. *Sess.* 13. *cap.* 6. apud Sà *v. Eucharistia cap.* 6.

287. Quæres jam tertio, quid Ministro S. Eucharistiam distribuenti faciendum, quando S. Hostia, ejusve particula decidit in terram, vel scamnum, aut linteum, quo scamnum sternitur?

Respondetur, spatium illud, quod Hostia delapsa occupat, mundo aliquo linteamine tegendum esse, & postea abluendum, atque aquam ablutionis mittendam in Sacrarium. Putat tamen Pasqualigus *q.* 311. obligationem abluendi locum, in quem Hostia decidit, non esse gravem; cum Rubricæ id præcipientes non contineant terminos sub mortali obligatorios. Oppositum tamen dicendum de speciebus vini consecratis, in terram, vel scamnum defluentibus; eo quod istæ in loco, in quo jacent, imbibantur. Unde sacer Sanguis juxta Rubricas graviter obligantes debet lingua lambi, & postmodum locus, in quem delapsus erat, radi, ac rasura combusta in piscinam, vel alium locum mundum projici. La Croix ubi supra *n.* 494. Leonardelli *de Euchar. n.* 74. & alii passim.

288. Quæres quarto, quid faciendum Ministro, quando S. Hostia, vel aliqua ejus particula decidit in vestem alicujus communicantis?

Respondetur, quod, licet juxta Rubricas vestis illa esset lavanda, id tamen in praxi non videatur posse commode observari; cum inde orirettur perturbatio, & offensio populi. Sufficit ergo, si Minister Hostiam decenter tollat, quando communicans, in cujus vestem cecidit, est masculus. Quando autem est femella, curare Minister debet, ut ipsamet illam tollat, & in Ciborium reponat, digitosque lavet, projecta in Sacrarium ablutione: quia Minister ipse illam, præsertim quando cecidit ad ubera mulieris, absque indecentia, & scandalo extrahere, ac tollere non potest. Pasqualigus *q.* 315. Lohner *part.* 2. *tit.* 26. *n.* 7. La Croix *num.* 495. & alii passim.

289. Quæres quinto, quid faciendum de Hostiæ particula extra Corporale inventa, in dubio, an sit consecrata?

Respondetur, quod adoranda sit sub conditione, & a celebrante post utranque speciem sumenda; vel etiam post ablutionem; prout cum Henriquez, & Bonacina tradit P. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 3. *n.* 420. Quod si nullum tunc celebretur Sacrum, reponatur, & asservetur in loco decenti, donec celebretur Sacrum, intra quod sumenda erit post sumptionem ablutionis. Si autem Sacerdos ejusmodi Hostiæ particulam inter communicandum inveniat nondum lecta Missa, eamque sumat, illi non amplius licet eo die communicare. Ratio hujus est: quia vel talis particola erat reipsa consecrata, vel non? Si primum; Sacerdos jam communicavit semel, & bis eodem die communicare non est permissum extra casum necessitatis. Si secundum; Sacerdos non amplius est jejunus, adeoque indispositus ad communicandum. Card. de Lugo *disp.* 15. *n.* 27. Leonardelli ubi supra *n.* 75. & alii.

CAPUT II.

Expediuntur, quæ concernunt Effectus Eucharistiæ?

ARTICULUS I.

Quinam sint Effectus Eucharistiæ?

SUMMARIUM.

290. *Refertur effectus Eucharistiæ primarius.* 291. *In quo ille consistat?* 292. *Referuntur etiam effectus secundarii.* 293. *Non omnes isti effectus semper obtinentur a communicante.*

290. Dico primo. Proprius, & principalis effectus Eucharistiæ est nutritio, & confortatio animæ, ejusque augmentatio in vita spirituali. Communis.

Probatur ex Concil. Trid. *Sess.* 13. *de Eucharistia, cap.* 2. ibi: *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat meam carnem, & ipse vivet propter me.*

Confirmatur. Sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum cibi, & potus, juxta illud *Joan.* 6. ibi: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus*; ergo sicut cibus, & potus naturalis, seu corporalis pro effectu habet nutritionem corporis, ita spiritualis nutritionem animæ.

291. Colliges, præfatam nutritionem, & confortationem animæ consistere partim in augmento gratiæ habitualis; partim in gratiis actualibus, ac nominatim in excitatione charitatis cum actuali dulcedine, & gaudio spirituali: prout diserte tradit Doctor Angelicus *q.* 76. *art.* 1. *ad* 1. & alii passim; qui tamen unanimiter fatentur, illam charitatis excitationem, & spiritualem delectationem plus quam sæpe impediri per negligentiam, & distractionem communicantis.

292. Dico secundo. Præter effectum primarium, immediate expositum, adhuc varios effectus secundarios operatur Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Explicatur, & probatur. Nam 1. tollit peccata venialia, & a mortalibus præservat; prout docet Trident. *Sess.* 13. *cap.* 2. *citt.* ubi ait, *hoc Sacramentum esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis* (id est, venialibus) *& a peccatis mortalibus præservamur.* Diversimode tamen geminum hunc effectum præstat. Siquidem venialia tollit non solum *mediate*, id est, mediante fervore charitatis, & contritionis, ad quem excitat, adeoque *ex opere operantis* tantum; sed etiam *immediate*, & *ex opere operato* per sui receptionem, & collationem gratiæ habitualis. Sumitur ex Trid. *citat.* quod sacratissimo huic Sacramento speciali quodam modo attribuit remissionem venialium. At vero a mortalibus solum præservat *mediate*, & *ex opere operantis*, quatenus communicantem interius per gratiam roborat, & exterius a tentatione, ac fraude dæmonis protegit,

tegit, & conservat. Sporer *de Euchar. a num.* 218. & alii reipsa communiter.

2. Euchatistia, & quatenus Sacrificium, & quatenus Sacramentum est, remittit pœnam debitam peccatis, si non ex toto, saltem ex parte. Sed iterum diversimode. Nam ut Sacrificium est, prædictam remissionem causat per se, & directe; eo quod (secundum dicenda *disp. seq.*) sub bac ratione habeat vim satisfaciendi, & placandi Deum, eumque reddendi oobis propitium; ut vero Sacramentum est, ex consequenti, & concomitanter solum; tum quatenus habet vim remittendi peccata venialia (ex proxime dictis) & aliquando, per accidens tamen, etiam mortalia (ex dictis *n.* 65.) peccatum autem nunquam videtur remitti qooad culpam, quin una remittatur aliquid pœnæ temporalis; tum quia idem Sacramentum excitat fervorem charitatis, per quam homo consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ. Gonet *in Manual. Thomist. de Euchar. cap.* 9. *pag.* 326.

3. Sacramentum Eucharistiæ mitigat, & dimiouit fomitem concupiscentiæ: idque dupliciter, 1. Augendo charitatem: quia augmentum charitatis est diminutio cupiditatis; ut loquuntur SS. PP. 2. Conferendo specialia Dei auxilia, quibus excitantur motus contrarii moribus concupiscentiæ. Unde S. Bernardus *Serm. in Cœna Domini*, ait: *Siquis vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in illo.*

4. Sacramento Eucharistiæ tanquam effectus respondet perseverantia finalis. Tum quia (secundum dicta) præservat a peccatis mortalibus; per talem vero præservationem, cum impediatur gratiæ destructio, confertur perseverantia. Tum quia idem Sacramentum causat in suscipiente auxilia actualia ad vincendas tentationes carnis, & diaboli, juxta illud *Psalmi* 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

5. Effectus Eucharistiæ est adeptio gloriæ. Sequitur ex immediate dictis: siquidem perseverantia est veluti janua, per quam electi intrant palatium Regni cælestis; & *sola est* (ut inquit Bernardus) *cui æternitas redditur, & quæ æternitati hominem reddit.*

6. Denique effectus Eucharistiæ est gloriosa Resurrectio corporum, in quantum Deus movetur ad vivificanda ista corpora propter conjunctionem, quam habuerunt cum vivificatrice Christi carne. Unde Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Joan. cap.* 2. ait: *Quemadmodum scintillam multis paleis inferimus, ut semen ignis servemus; sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam, quæ in nobis est, corruptionem abolet.*

293. Colliges, aliquos ex prædictis effectibus semper obtineri; aliquos non. Prioris generis sunt, quos Eucharistia immediate operatur: uti sunt augmentum gratiæ sanctificantis; gratiæ actuales; liberatio a venialibus. Quibus accensendam existimo remissionem pœnæ debitæ peccatis, licet solum sit effectus consequens, & concomitans Eucharistiæ. Posterioris generis sunt reliqui effectus mediati Eucharistiæ specialiter innixi gratiis actualibus, quibus homo frequenter resistit: cujusmodi sunt præservatio a mortalibus; donum perseverantiæ; adeptio gloriæ; gloriosa resurrectio corporis.

A R T I C U L U S II.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

294. *An Sacramentum Eucharistiæ sub una specie conferat minorem gratiam, ac sub utraque?* 295. *Quando conferat gratiam?* 296. *Num eandem augeat, quandiu Species in stomacho manent incorruptæ?*

294. **Q**Uæres primo, an Eucharistia conferat majorem gratiam, si sumatur sub utraque specie, quam si sub una duntaxat?

Respondetur negative, supposita æqualitate dispositionis. Ita DD. Angelicus, & Seraphicus, Suarez, Valentia, Brancatus, Sporer ubi supra *num.* 209. aliique communius. Sumitur ex Trident. quod *Sess.* 21. *c.* 3. sic habet: *Fatendum; etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Nec refert, quod Concil. non dicat, absolute nulla gratia eos defraudari, sed tantum nulla gratia ad salutem necessaria. Siquidem non loquitur de gratia simpliciter, sed secundum quid necessaria; prout inde colligitur, quod nulla gratia, nisi prima, sit simpliciter necessaria ad salutem, qualem tamen Eucharistia, cum sit unum de Sacramentis vivorum, per se, & regulariter non confert. Confirmatur. Ubi ad causandum in actu secundo reperitur æqualitas causæ cum totalitate virtutis causativæ, ibi per se loquendo producitur æqualis effectus: sed in Eucharistia, sive sumatur sub utraque, sive sub una tantum specie, ad causandum in actu secundo gratiam reperitur æqualitas causæ cum totalitate virtutis causativæ, nempe totus, & integer Christus cum Corpore, & Sanguine; ergo &c.

Dixi in respons. *Supposita æqualitate dispositionis.* Nam si dispositio sit inæqualis, utique etiam inæqualis erit gratia (id est, major in magis, & minor in minus disposito) per Sacramentum Eucharistiæ collata, sive dein illud sumatur sub utraque specie. An autem ea major intensio gratiæ proveniat ex opere operato Sacramenti, vel non? infra *num.* 296. decidetur. Hic autem contra respons.

Dices primo. Sacramenta causant id, quod significant; ergo si eorum significatio sit diversa, & inæqualis, etiam diversus, & inæqualis erit effectus, quem causant. Atqui Eucharistiæ significatio sub speciebus panis, & sub speciebus vini est diversa; cum sub illis significet refectionem per modum cibi, sub istis vero per modum potus; ergo &c.

Respondetur, concesso antecedente, dist. cons. Si significatio sit diversa, & inæqualis quoad rem significatam, con. quoad modum significandi duntaxat, neg. cons. Tota significationis diversitas, quæ reperitur in utrisque speciebus Eucharisticis, ortum trahit præcise a modo significandi, quatenus sub speciebus panis explicite significatur ratio cibi spiritualis, & sub speciebus vini ratio potus spiritualis: res contra significata, ejusque significatio prorsus est eadem; ut proxime dictum.

Instabis. Refectio corporalis etiam reipsa non habetur integre, nisi per sumptionem cibi, & potus; ergo nec refectio spiritualis, & Eucharistica: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: siquidem in cibo corporali non continetur potus, nec vicissim; e diverso in cibo spirituali, & Eucharistico, qui est Corpus Christi, etiam includitur reipsa potus, nimirum Sanguis, & vicissim; quoniam sub speciebus panis ponitur Corpus Christi vivum, adeoque cum suo Sanguine; & sub speciebus vini Sanguis, prout hic informat inseparabiliter idem Corpus.

Dices secundo. Si species Eucharisticæ panis, & vini non causarent diversas, & inæquales gratias, sed unam duntaxat, eamque æqualem, vel tota hæc gratia Sacerdoti conferretur in sumptione specierum panis; & sic species vini non essent verum Sacramentum, cum gratiam, quam significant, non conferrent, quamvis nullum invenirent obicem: vel in sumptione specierum vini; & sic species panis non essent verum Sacramentum, ob eandem rationem: vel partim in sumptione illarum, & partim in sumptione istarum; quod itidem dici nequit, cum non sit assignabilis ratio, cur species panis, sumptæ a Laico, huic totam conferant gratiam, quam aptæ sunt conferre, & non etiam Sacerdoti, sed medietatem gratiæ tribuendam relinquant speciebus vini; ergo &c.

Respondetur, totam gratiam Sacerdoti conferri in sumptione specierum panis. Neque propterea sequitur, species vini non esse verum Sacramentum; siquidem ut sint verum Sacramentum, non requiritur, ut gratiam actu conferant, sed sufficit, quod eam de se possint conferre, si subjectum inveniant dispositum: hic autem subjectum non inveniunt dispositum, quippe tota gratia, quam Eucharistia conferre apta nata est, per sumptionem specierum panis collata, jam in-

formatum. Ratio a priori est institutio Christi, volentis, ut una moraliter sumptio producat semel, & unam duntaxat gratiam; atqui sumptio utriusque speciei est tantum una moraliter sumptio, ad eum fere modum, quo sumptio plurium Hostiarum intra idem Sacrificium est moraliter una; ergo &c.

Instabis. Ergo sumptio specierum vini, quæ peragitur a Sacerdote, est frustranea.

Respondetur, neg. illatum. Potest enim, & solet conferre augmentum gratiæ, si post sumptionem specierum panis augeatur dispositio, & devotio suscipientis, Deinde requiritur, ut Sacerdos satisfaciat præcepto complendi Sacrificium sub duplici specie, & sicut a Christo Domino institutum fuit.

295. Quæres secundo, quandonam Eucharistia conferat gratiam recipienti?

Respondetur, quod illam conferat in instanti extrinsece terminativo, in quo verum est dicere: nunc non est manducatio (vel bibitio) sed immediate antea fuit; qualiter verum est dicere, quamprimum species Sacramentales stomachum, aut ventriculum attingunt. Ita cum satis communi DD. P. Panger *de Euchar. disp.* 3. *n.* 70. Ratio est: quia Christus non promisit gratiam iis, qui ore tantum, & dentibus sumerent hoc Sacramentum; sed iis, qui vere manducarent (vel biberent) juxta illud *Joan. 6. Qui manducat me, vivet propter me:* manducatione scilicet perfecta, & completa, quæ tunc primum contingit, quando species Sacramentales stomachum, aut ventriculum attingunt. Unde qui ejusmodi species recipit quidem, sed iterum expuit, eo quod illas v. gr. non valeat deglutire; vel tandiu in ore retinet, donec corrumpantur, hujus Sacramenti effectum non percipit: percipit vero is, qui illas deglutit, esto postea evomat. Nam prior non vere, & complete manducat; bene vero posterior, cum vomitus manducationi non opponatur, imo eandem supponat, & solam impediat digestionem.

Dices. Cibus naturalis, & corporalis non statim nutrit, ac in stomachum trajectus est, sed prius corrumpi debet; ergo neque cibus supernaturalis, & spiritualis, qualis est Eucharisticus, nutrit, antequam fiot corruptæ species.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia cibus naturalis nutrit per conversionem sui in substantiam aliti: unde ut nutriat, debet prævie fuisse corruptus. Contra cibus supernaturalis, & Eucharisticus sumentem potius in se convertit per gratiam, & Charitatem: quod proinde ut præstet, debet potius esse existens, quam non existens, sive corruptus.

296. Quæres tertio, an Sacramentum Eucharistiæ tandiu gratiam augeat ex opere operato, quandiu species Sacramentales in stomacho manent incorruptæ, tametsi manducatio jam sit completa?

Respondetur negative, si (1) non augeatur; & affirmative, si (2) augeatur dispositio, ac devotio communicantis, Primam responsionis partem tradit Sporerus ubi supra *n.* 214. & alii passim. Secundam propugnant Suarez, Lugo, Reginaldus, Hiquæus, Mastrius, Bosco, & alii magni nominis Theologi. Ratio probativa primæ partis promitur ex S. Script. ubi totus effectus, quem Eucharistia producit ex opere operato, refunditur in manducationem, & bibitionem, juxta illud: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*; ergo manducatione completa species Sacramentales, adhuc remanentes, nihil amplius gratiæ producunt, si non augeatur, vel innovetur dispositio, ac devotio communicantis. Confirmatur. Si ex opere operato vi Eucharistiæ gratia sanctificans continuo augeretur, quandiu perseverant species Eucharisticæ in stomacho incorruptæ, sequeretur ex duobus communicantibus æqualiter dispositis eum majorem gratiam recepturum, qui habet stomachum minus activum, & debiliorem ad concoquendas species, aut has sumpsit in majori quantitate; cum in illo species diutius maneant incorruptæ: sequela autem videtur absurda; ergo &c. Ratio secundæ partis est: quia effectus gratiæ solum refunditur in manducationem, & bibitionem, tanquam in conditionem, & applicationem cibi, & potus, Eucharistici, virtus vero nutritiva Sacramenti in ipso Sacramento est; ergo quandiu Sacramentum perseverat (sicut perseverat, donec species Sacramentales corrumpantur) non apparet, cur non magis nutriat, seu majorem gratiam nutritivam ex opere operato (nam quantum est ex opere operantis, omnes concredunt) producat in communicante, si hic augeat, aut innovet dispositionem, ac devotionem. Confirmatur. Sacramentum Eucharistiæ habet se per modum cibi; ergo sicut cibus toto tempore, quo in stomacho permanet, & quo calor naturalis in ipsum agit, corpus nutrit, & confortat; ita etiam Sacramentum Eucharistiæ toto tempore, quo permanet in stomacho communicantis, nutriet, & confortabit animam per augmentum gratiæ, si communicans calore supernaturali fidei, & charitatis, aliarumque virtutum magis, ac magis ad tale augmentum se disponat.

Dices contra hanc partem. Sequeretur etiam in præsenti, eum majorem gratiam recepturum, qui habet debiliorem stomachum, aut species Eucharisticas sumpsit in majore quantitate: atqui hoc absurdum esse, supra arguebamus; ergo &c.

Respondetur, dist. sequel. Si auxerit dispositionem, con. secus, neg. seq. Absurdum esse pronunciavimus, quod dicatur, duos communicantes, æqualiter in animo dispositos, ac devotos, recipere inæquales gratias, ideo præcise, quia unus habet debiliorem stomachum, vel species Eucharisticas sumpsit in majori quantitate, ac alter: id quod non dicitur in præsenti, ubi dispositio supponitur esse inæqualis.

Ex quo deducitur, non peccaturum, qui ex devotione, & ut mediante nova, atque nova dispositione majorem percipere posset gratiam, libentius sumeret majores, aut plures Hostias: modo (quod gnaviter advertendum) id non faceret cum notabili excessu ultra morem Ecclesiæ; sic quippe omnino delinqueret, partim quia ageret contra consuetudinem Ecclesiæ: partim quia sic posset sensim introduci periculum superstitionis, vel opinionis erroneæ de virtute hujus Sacramenti, ut ea de se putaretur esse tanto major, quanto plures, vel majores sumerentur species. Unde Inquisitores solent contra id facientes procedere tanquam suspectos de errore. P. Sporer *num.* 215. & P. Henno *disp.* 10. *q.* 2. *concl.* 2.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

297. *Tolentino, peccatori occulto, non est deneganda Eucharistia, quando hanc publice petit.* 298. *Theophilus videns Theopistam, quæ recens communicaverat, S. Hostiam ex ore in strophiolum emittentem, ad eam, ut suspicatur, inhonorandam, non potest illam publice corripere; sed occulte, in quantum potest, remederi debet.* 299. *Timotheus post peractum Sacrificium accipiens secum S. Hostiam, ab alio Sacerdote consecratam, ut hanc præbeat infirmo, antequam sacris se vestibus exuat, potest sumere reliquias illius Hostiæ.* 300. *Thomas non potest communicari, etiam in articulo mortis, ab adituo &c.* 301. *Theobaldus Confessarius quomodo judicandus in triplici casu?*

CASUS I.

297. *Tolentinus rusticus, ante dimidium fere annum sua uxore premature orbatus, & viduus, cum jam remedium concupiscentiæ in matrimonio non habeat, libidinem suam cum ancilla, non tam moraliter inducta, quam physice violentata, aliquoties explet: idque semel ipsa nocte Nativitatis Domini, postquam ambo a Divinis domum redierant. Ancilla, hac ultra non ferens, circa horam sextam matutinam ejusdem Festi confidenter adit Parochum, fideliter rem totam sub sigillo naturali enarrat, & consilium requirit, qui & se, & suum herum etiam malo statu ereptum eat. Parochus, & Horis Canonicis recitandis, & concione memoria mandanda occupatus, jubet illam reverti post prandium, finitis nempe Vesperis, salubre consilium recepturam. Sed ecce! circa horam decimam antemeridianam, cum sub finem Sacrificii Missæ alii parochiani mensam communicantium accederent, etiam Tolentinus se ingerit, & una accedit, sacrum Epulum accepturus. Parochus, ob*

timorem

circumſtantias primum relatas moraliter certus, Tolentinum non eſſe confeſſum, angitur, quid faciat? num ſcilicet indigno Communionem porrigat, vel eundem cum confuſione repellat? Quid Parocho agendum?

RESpondetur, quod Parochus non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur Tolentino Communionem dare. Ita DD. communiter. Ratio eſt: quia Tolentinus, cum ſit peccator occultus (ut ponitur in Caſu) habet jus ad Communionem non quidem formaliter, & proprie, ſed concomitanter, & conſecutive, quatenus nempe habet jus, ne publice infametur; ergo Communio illi non neganda, ſed danda erit publice petenti. Confirmatur ex facto Chriſti Domini, qui Judæ proditori Euchariſtiam non negavit, ne eum, cujus peccatum adhuc occultum erat, publice infamaret; ergo &c. Ceterum Parochus ancillam, ſi hæc Tolentinum viderit communicantem, informare debet de honeſtate, imo obligatione ſui actus, quo Euchariſtiam porrexit indigno; ne illa alioquin ſcandalum ſumat, puteque, Sacratiſſimum hoc Sacramentum, etiam per ſe loquendo, indignis dari poſſe; vel certe ſuum Parochum in Caſu graviter erraſſe.

Dices nunc contra reſponſ. Præbere Euchariſtiam homini indigno eſt intrinſece malum: quia eſt cooperari ad malum; ergo non poteſt eſſe licitum, tametſi peccator publice petat, & peccatum ejus ſit occultum.

Reſpondetur, actionem, qua præbetur Euchariſtia indigno, non ſemper eſſe intrinſece malam (cum non ſit per ſe, & neceſſario conjuncta cum indigna ſusceptione) ſed tunc ſolum, quando eam Miniſter moraliter vitare, & munus ſuum debite exercendo poteſt omittere; idque non facit: atqui hoc non poteſt Miniſter in Caſu; ergo &c. Neque in præſenti intervenit cooperatio ad malum ex parte præbentis Sacramentum, ſed ſola permiſſio moraliter inevitabilis; ſiquidem præbens Sacramentum ſolum cooperatur, ut is, cui illud præbet, ſumat; non autem, ut indigne ſumat; cum, ſi vellet, poſſet digne ſumere.

Inſtabis. Projicere Euchariſtiam in locum immundum eſt intrinſece malum, &, in quocunque demum eventu, illicitum; ergo etiam illam porrigere homini immundo, ac indigno.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas eſt: quia illiuſmodi projectio per ſe determinata eſt ad malum, & ex proprio objecto conjuncta cum inhonoratione Sacramenti: aliter ſe habet actio dandi Euchariſtiam homini indigno, ex immediate dictis. Ita fere in terminis ad hoc argumentum, & inſtantiam reſpondet P. Babenſtuber *tr. 8. part. 3. diſp. 6. art. 2. n. 2.*

Aliud adhuc argumentum hic opponi poſſet: ſed illud jam ſolutum invenies *part. 4. n. 513.* Revide.

Colliges ex dictis primo, negandam contra eſſe Euchariſtiam peccatori occulto, occulte petenti. DD. communiter. Ratio eſt: quia negando ex una parte nulla ſit injuria petenti; ex altera vero conſulitur honori, & reverentiæ Sacramenti. Intelligendum tamen eſt corollarium, ſi peccatum Parocho notum ſit extra Confeſſionem: quia ſi ſolum eſſet notum per Confeſſionem, non poſſet propter illud Communionem negare; cum foret tacita exprobratio peccati in Confeſſione auditi, & quædam indirecta violatio ſigilli Sacramentalis.

Colliges ſecundo, peccatori publico (id eſt, notorietate Juris, vel facti) negandam eſſe Communionem, ſive is eam petat publice, ſive occulte. Ita omnes. Ratio eſt: quia ſancta ſancte tractanda ſunt ex virtute Religionis: id quod maxime obtinet in Sacramentis, utpote quæ ſunt inſtrumenta, & fontes ſanctitatis; ideoque condigne, & ſancte tractanda, quando aliunde nihil obſtat, quod dignam eorum tractationem impedit. Atqui in eventu corollarii nihil ſimile obſtat: neque enim petenti, neque aliis ex denegatione Euchariſtiæ ſequitur aliquod incommodum. Non petenti; quia nullam inde ſubit jacturam famæ, cum jam ſit publice infamis: aliunde vero incommodum non eſt ipſi timendum. Non aliis; quia nullum idcirco patiuntur ſcandalum, ſed potius ædificantur, dum vident, ſancta ſancte tractari, & non projici canibus. Quod autem in hoc corollario dictum de peccatore publico, extendi ſolet ad eos, qui de crimine ſunt ſuſpecti, quando ſuſpicio eſt violenta, ſeu quæ talibus conjecturis innititur, ut moralem certitudinem inducat, neque ex aliqua rei circumſtantia probationem ullam in contrarium admittat; ea quippe ſuſpicio fere æquivalet manifeſtæ notitiæ criminis. Unde ſi ſit publica, neganda eſt Euchariſtia publice, & occulte petenti: ſi occulta, petenti tantum occulte. Suſpicio vero probabilis ſolum non ſufficit ad negandam Euchariſtiam ſive publice, ſive occulte petenti. Suarez *diſp. 65. ſect. 2.* Laymann *lib. 5. tr. 4. cap. 6. num. 8.* Babenſtuber ubi ſupra *num. 24.* Porro corollarium intelligi debet, niſi conſtet de emendatione peccatoris: quia ſi publice conſtaret eſſe emendatum, Communio etiam publice danda foret; ſiquidem tunc ratio denegandi ceſſaſſet. Imo in ordine ad Communionem occulte dandam, ſatis eſt, quod dans habeat notitiam privatam de emendatione communicare volentis: ut notat P. Abreu *in Specul. Paroch. libr. 9. ſect. 5. numer.* 185.

CASUS II.

298. *Theophilus, Sacerdos Franciſcanus, dum in Feſto S. Antonii Paduani poſt celebratum a ſe Sacrum accedentibus SS. Euchariſtiam diſpenſat, advertit, Teopiſtam, poſtquam accepta S. Synaxi a cancellis pauliſper digreſſa erat, caput ad terram uſque inclinare in loco, in quo flectebat. Et licet nullam adhuc ſuſpicionem ſiniſtram inde concipiat, tamen oculos una, alterave vice ad eandem perſonam veluti occaſionaliter retorquet. Quo fit, ut videat, quod Theopiſta Sac. Hoſtiam ex ore in ſtrophiolum emittat, ad eam, uti jam ſuſpicatur Teophilus, inhonorandam. Quæritur, an S. Hoſtia Theopiſtæ relinquenda, vel vero publice coram præſentibus eripienda ſit?*

RESpondetur, S. Hoſtiam non eſſe Theopiſtæ publice, & coram aliis eripiendam. Ita Burghaber *cent. 1. caſ. 35.* La Croix *lib. 6. part. 1. n. 504.* Elbel *de Euchar. n. 68.* Ratio fundamentalis eſt: ſiquidem Theopiſta eſt in poſſeſſione ſuæ famæ, ex qua propter ſolam ſuſpicionem a Theophilo conceptam non poteſt citra peccatum injuſtitiæ extrudi: atqui extruderetur, ſi Hoſtia ei publice, & coram aliis eriperetur, ut patet; ergo &c. Accedit, quod ſimilis ereptio publica Theophilo eſſet nimium incommoda, nimiumque periculoſa: quid ſi enim Theopiſta non S. Hoſtiam, ſed meram ſalivam, aut phlegma album ex ore emiſiſſet? vel S. quidem Hoſtiam, non tamen ad eam inhonorandam, ſed potius ad cavendam ejus inhonorationem; puta quia forte præſenſit vomitum, aut recordata fuit alicujus gravis peccati, in confeſſione non expoſiti, & putavit, ſatius eſſe, S. Hoſtiam in ſtrophiolum emittere, quam in ſtomachum demittere, & iterum evomere, aut polluta anima retinere.

Quid ergo faciendum Theophilo?

Reſpondetur. Theophilus omnibus modis obſervare debet Theopiſtam, ut ex aliquibus indiciis venire in ejus notitiam poſſit, & nanciſci occaſionem illam conveniendi, aut ad ſe vocandi, privatim, remotis arbitris, cum eadem loquendi, & inveſtigandi, an non S. Hoſtiam ex ore in ſtrophiolum emiſerit &c. Quod ſi id factum eſſe deprehendat, S. Hoſtiam repetat, & malo medeatur, quantum moraliter fieri poteſt. Si autem Theopiſtam abſque gravi incommodo convenire, aut accerſere non poſſit, nec conſequenter malo remederi, rem totam Deo commendet, & judicet, ſe non peccaſſe. Burghaber *cit.*

CASUS III.

299. *Timotheus, Sacerdos Religioſus, poſt peractum Sacrificium in templo accipit ſecum S. Hoſtiam, ab alio Sacerdote conſecratam, ut hanc inde ad infirmum in Monaſteria deferat, antequam ſacris ſe exuat. Sed contingit, ut poſt porrectam infirmo Hoſtiam modica quædam reliquia ejuſdem Hoſtiæ in patena inveniantur relicta, & reſiduæ. Quæritur an Timotheus eas adhuc ſumere poſſit, vel quid cum iiſdem facere debeat?*

RESpondetur, quod probabiliter eas ſumere poſſit. Ita Marchinus *de Sacram. Ordinis tr. 3. p. 3. c. 3. n. 19.*

Tamburinus *de expedita Commun. c.* 2. §. 8. *n.* 38, Palao *tr.* 2. *disp. un. p.* 13. *n.* 10. Burghaber *cent.* 3. *cas.* 37. *respons.* 3. Ratio est: quia vel obstaret, quod Timotheus non amplius sit jejunus; vel quod Hostia, de cujus reliquiis sumendis quæstio vertitur, sit consecrata non ab ipso, sed ab alio Sacerdote, & in alio Sacrificio: atqui neutrum obstat; ergo &c. Ostenditur min. Non enim primum; alioquin nec sumere posset reliquias Hostiæ a se consecratæ, quas forte invenit adhuc residuas in patena post peractam ablutionem: id quod pugnat contra satis communem DD. sententiam. Nec secundum; quoniam omnes Sacerdotes ab uno, eodemque Christo sunt quodammodo unus hujus minister, sicut etiam unum est veluti specie Sacrificium; ergo sicut ex hoc fundamento potest sumere cum Hostia a se consecrata aliam ab alio Sacerdote præconsecratam, ita etiam poterit sumere reliquias quaslibet post Missam repertas; quemadmodum practicare solent Sacerdotes, dum pyxidem Hostiarum purificant, accipiendo ablutionem, qua particulæ illæ, & reliquiæ trajiciantur: consequenter &c.

Dices. Illæ particulæ, seu reliquiæ non spectant ad Sacrificium a Timotheo inchoatum, & jam peractum; ergo non habet jus illas sumendi non jejunus: cum earum sumptio non sit aliqua sui Sacrificii consummatio.

Respondetur, neg. cons. Ad ant, ajo, quod, tametsi illæ particulæ non spectent ad Sacrificium a Timotheo peractum juxta omnem rigorem; spectent tamen ad illud in tantum, in quantum Timothæus est quasi unus Christi Minister cum altero Sacerdote (a quo nempe consecrata fuit Hostia, cujus particulæ remanserunt) & unum utrinque specie Sacrificium. Accedit, posse aliquam sumptionem pertinere ad unitatem, & integritatem actionis communicativæ; esto non pertineat ad unitatem actionis sacrificativæ: veluti patet, siquis (secundum dicta) sumat una cum Hostia a se consecrata aliam ab alio Sacerdote præconsecratam,

His ita se habentibus, opinio nostra, licet contraria videatur probabilior, sua probabilitate non caret; & tunc vel maxime locum habere poterit, cum ejusmodi particulæ commode servari, vel ad Sacrarium referri nequeunt: uti præsertim fit, quando sunt valde tenues,

Sed nunquid Timotheus potuisset illas particulas dare infirmo, cui dedit Hostiam?

Respondetur, non potuisse post porrectam Hostiam, & jam plane peractam Communionem. Ita Fagundez, quem refert, & sequitur Burghaber ubi supra *respons.* 4. Ratio est: quia infirmus ille sic bis communicaret; neque enim in eo sumptio Hostiæ moraliter coalesceret cum sumptione particularum, cum nullum ejusmodi coalitionis detur fundamentum; sicut (ex dictis) datur in nostro Casu. Porro idem dicendum videtur, si infirmus ille esset Sacerdos; quia in hoc casu haberet se instar Laici sub una specie communicantis, & extra ministerium Sacrificii, inquit Burghaber,

CASUS IV,

300. *Thomas, homo simplex, & rectus, certi cujusdam oppidi incola, & civis, subita tangitur apoplexia: quem cum uxor, & liberi in mortis articulo constitutum judicent, illico servum aliquem ad Parochum ablegant, rogantes, ut Thomam invisere, Sacramentis munire, & quæ ad consolationem ægri conferre viderit, præstare dignetur. Sed quoniam nec Parochus domi est, nec alius Sacerdos, aut Diaconus, qui Parochi vices suppleat, haberi potest, æditus, ne infirmus absque omni Sacramento decedat (creditur enim vix ultra horam super victurus) pyxidem, in qua SS. clauduntur Hostiæ, clam ad morituriențem pergat, & deprompta inde Hostia eundem communicat; iterumque reportat, & suo loco reponit. Quæritur, an æditus licite agat?*

Respondetur negative. Ita mihi probabilior, & verior sententia, quam tenent Henriquez, Victoria, Vivaldus, Sà, Vasquez, Lugo, Mendo *diff.* 11. *q.* 2, Mastrius *in Theol. Mor. disp.* 88. *n.* 71. La Croix *libr.* 6. *part.* 1. *n.* 482. Michel *fol.* 219. *n.* 6. & alii contra alios. Ratio est: siquidem hodierna Ecclesiæ consuetudo tam parum permittit, ut Laicus infirmo, etiam in extremis constituto, ministret Sacramentum Eucharistiæ, quam parum permittit, ut Sacerdos absque sacris vestibus celebret, & conficiat Sacramentum Eucharistiæ pro ejusmodi infirmo; cum illa consuetudo non sit minoris momenti, ac ista; & parem in utroque actu horrorem conciperet communis fidelium persuasio; ergo sicut ex prætacta necessitatis causa Sacerdos non potest (saltem juxta probabiliorem, & veriorem sententiam DD.) celebrare sine sacris vestibus, ita nec poterit Laicus deferre, & ministrare Sacramentum Eucharistiæ: licet id priscis temporibus (uti testatur Eusebius *lib.* 6. *Histor. cap.* 36.) fuerit permissum.

Dices primo, Infirmus in articulo mortis tenetur Jure Divino communicare; Laicus autem Jure solum Ecclesiastico prohibetur illi Communionem porrigere: atqui quando Jus Divinum, & Jus Ecclesiasticum concurrunt, ac utrunque observari nequit, Ecclesiasticum Divino cedit, & non obligat; ergo &c,

Respondetur cum Sanct-Gallensibus *de Euchar. q.* 5. *dub.* 5. dist. min. Quando concurrunt in eodem subjecto, transeat in diversis subjectis, neg. min. quod Jus Ecclesiasticum semper cedat Divino; nam ego non teneor, vel possum violare præcepta Ecclesiastica, ut tu Divina valeas adimplere.

Instabis, Licet Parocho non jejuno celebrare, ut ægrum, in mortis articulo constitutum, communicare possit, esto præceptum Ecclesiasticum, quo ille jubetur jejunus celebrare, & præceptum Divinum, quo iste jubetur Communionem sumere, non concurrant in eodem subjecto; ergo &c. Ant. prob. Licet ægro, in articulo mortis versanti communicare, tametsi non sit jejunus; ergo etiam licebit Parocho non jejuno celebrare, ut possit ægrum communicare.

Respondetur, neg. ant. cum communiori, & veriori DD. sententia. Ad prob, con. ant. & neg. conseq. Disparitas est: quia cum casus ille de simili celebratione, supposito more servandi Eucharistiam pro infirmis, non possit, nisi rarissimus esse, merito præsumitur, Ecclesiam non voluisse idcirco januam aperire ad violandam, aut male interpretandam communem legem de servando a celebrante jejunio, E diverso casus de ægro frequentissimus est, ut proinde nullus dubitandi locus relinquatur, Ecclesiam ei, etiam non jejuno, S. Communionem permittere. Videantur Sanct-Gallenses *loc. cit.* & La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *n.* 612.

Dices secundo. Maria, Regina Scotiæ, morti, ob fidem Catholicam subeundæ, proxima, Hostiam, quam in aurea capsula apud se retinebat, propria manu sumpsit; ergo etiam alius, in mortis articulo constitutus, sic sumere potest: & quidni alius, etsi Laicus, ipsi sumendam porrigere?

Respondetur, altefatam Reginam id fecisse ex dispensatione S. Pontificis Pii V. quo concedente illam Hostiam secum portabat: prout Mastrius *cit.* & alii Scriptores referunt, ac testantur. Deinde esto concedatur, id, etiam seclusa dispensatione, licite fieri in casu Martyrii subeundi, inde tamen non potest legitima formari consequentia ad nostrum Casum; nam in illo majus, & speciale robur spirituale, media sumptione Eucharistiæ acquirendum, est necessarium; non sic in isto: ut proinde necessitas hujus Sacramenti, licet in utroque casu dicatur extrema, suos tamen gradus habeat, & ab illa ad istam non ducatur idoneum argumentum.

Instabis. Si Eucharistia in terram esset projecta, posset, & deberet Laicus, nullo præsente Sacerdote, vel Diacono, illam levare; imo, etiam non jejunus, sumere, quando nullus adest jejunus, qui sumat, & impendet periculum ulterioris irreverentiæ, v. g. ne ea perveniat in manus Judæorum, Hæreticorum &c. esto nec interveniat dispensatio Papalis, nec agatur de subeundo Martyrio; ergo similiter &c,

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Nam in casu antecedentis agitur de cavenda irreverentia, quæ alioquin Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento irrogaretur, aut jam irrogata continuaretur; unde cum non debeat in Sacramenti irreverentiam detorqueri, quod in ejus reverentiam constitutum est (ne scilicet S. Hostia tangatur a Laico, aut sumatur a non jejuno) recte in illo casu utrunque permissum censetur, imo Jure naturali præceptum. Simile non contingit in casu consequentis, & nostro, ubi proin Jus Ecclesiasticum tam consuetudinarium, seu non scriptum,

quam

quam scriptum, *in can. 28. de Consecr. dist. 2.* contentum, retinet suum vigorem, & stringit, ut diximus.

C A S U S V.

301. *Theobaldus, Sacerdos, & Confessarius, tres nanciscitur feminas Sacramentaliter sibi confitentes, duas impias, & unam piam. Prima, postquam alia enormia peccata enarrarat, fatetur, se quasdam Hostias consecratas, ex anteactis Communionibus reservatas, in certa capsula custodire, ad perversum finem, superstitiosum, aut magicum, impendendas. Secunda, se gestare Hostiam inter carnem, & cutem quasi insutam, & sibi quodammodo incorporatam, itidem ob malum finem. Tertia a peccatis mortalibus, imo & gravioribus venialibus immunis deprehenditur: & quoniam a Confessario doctrinam spiritualem accipit, qualiter etiam a venialibus levioribus abstinere, & in amore Dei, aliisque actibus virtuosis se exercere, ac perficere valeat, promittit, se illi in signum gratitudinis effectum Sac. Communionis applicaturam, sive (ut ipsa loquebatur) donaturam. Quid Theobaldo agendum in primo Casus membro; quid in secundo? Item quid judicandum in tertio de oblatione Communionis sibi facta?*

RESpondetur primo ad primum membrum Casus. Theobaldus ipse tenetur illiusmodi Hostias promere ex capsula, & secum auferre, si id fieri valeat absque scandalo, diffamatione Reæ, & violatione Sigilli Sacramentalis. Quod si ita fieri non valeat, jubeat illas sibi occulte afferri ab ipsamet Rea, ad hoc gravissime obligata, & idcirco, nisi obsequi velit, sine absolutionis beneficio dimittenda. Ceterum Hostias, alterutro modo recuperatas, non tenetur sumere Theobaldus, nec curare, ut ab alio Sacerdote sumantur; nec reponere in Ciborium, & commiscere aliis Hostiis ibidem contentis, ut una cum istis distribuantur communicare volentibus: quia forte sunt veneno infectæ; vel non consecratæ: esto femina contrarium asserat &c. Quapropter idem circa ejusmodi Hostias observandum censet P. Elbel *de Euchar. num. 69.* quod circa Hostias veneno infectas observandum præscribitur in Missali *tit. 10. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus n. 7.* nempe ut reponantur in tabernaculo separatim ab aliis Hostiis, donec species corrumpantur: corruptæ postmodum mittantur in Sacrarium. Tenetur tamen Theobaldus capsulam lavare, vel etiam, si commode fieri possit, comburere; & aquam lotionis, ac cineres in Sacrarium mittere.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus. Theobaldus hic idem fere observare tenetur, quod in primo membro Casus: siquidem & talis Hostia, per se loquendo, eximenda erit ex corpore, mediante nimirum cutis incisione, & separatim reponenda in tabernaculo, donec species corrumpantur &c. Quia tamen incisio cutis, præsertim muliebris, Sacerdotem dedecet, maxime si fieri debeat in parte verenda, aut prope istam, committenda erit ipsi Reæ; quæ sicut noverat cutem incidere ad Hostiam sibi incorporandam, ita non nesciet illam incidere ad eandem Hostiam inde eximendam. Author proxime *cit.* Ubi insuper advertit, ac subjungit, ejusmodi Hostiam diu incorruptam manere non posse; partim propter calorem naturalem; partim propter abundantiam humorum, & aliorum accidentium, ac qualitatum contrariarum in corpore humano extantium.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus. Theobaldo judicandum, sibi non obvenire effectum applicatæ Communionis ex opere operato, sed ex opere operantis tantum. P. Sporer *de Euchar. cap. 4. num.* 121. & alii communiter. Ratio est: quia sicut aliorum Sacramentorum, ita & Eucharistiæ, quatenus Sacramentum est, effectus, quem causat ex opere operato, privative soli competit, ac proficit sumenti; ergo alteri non est communicabilis. Cedit igitur Theobaldo effectus Communionis ex opere operantis solum, quatenus scilicet Communio, quæ ipsi oblata, & applicata fuit, est bonum opus, satisfactorium, ac impetratorium; & quidem specialiter, quando pia illa communicans Christo realiter præsente ferventius deprecatur, & orat pro Theobaldo.

Dices. Effectus Eucharistiæ, ut Sacrificium est, pot-

est aliis applicari; ergo etiam effectus Eucharistiæ, ut Sacramentum est.

Respondetur, concesso antecedente (in terminis, in quibus est propositum) neg. cons. Disparitas est: quia Eucharistia, ut Sacramentum est, operatur suos effectus per modum cibi spiritualis; cibus autem per se soli proficit comedenti: at vero, ut Sacrificium est, offertur per modum cultus publici repræsentantis merita passionis, & mortis Christi omnibus communia; consequenter effectus ejus, sic spectatæ, ex sua natura aliis applicabiles sunt. Sporer, ubi supra, & patebit amplius *in disp. seq.*

DISPUTATIO III.

De Ritu Sacramenti Eucharistiæ, seu De Sacrificio Missæ.

QUemadmodum de Sacramentis Baptismi, & Confirmationis in fine nonnulla addidimus de eorum Ritibus; ita impræsentiarum, postquam de Sacramento Eucharistiæ actum est, quædam, & quidem pluscula, subjungimus de solemni ejus Ritu, seu Sacrificio Missæ, in quo idem Sacramentum a Sacerdote conficitur, & sumitur. Sit ergo

CAPUT I.

De Quidditate, Offeribilitate, Valore, & Fructu Sacrificii Missæ.

ARTICULUS I.

In quanam actione Sacrificium Missæ essentialiter consistat.

SUMMARIUM.

302. *Definitur Sacrificium ut sic.* 303. *Sacrificium Missæ est vera illius species.* 304. *Exponitur status quæstionis.* 305. *Essentia Sacrificii Missæ consistit in sola consecratione.* 306. *& seqq. Solvuntur opposita.* 309. *Consecratio utriusque speciei constituit essentiam Sacrificii Missæ.*

302. PRænotandum primo, Sacrificium ut sic in Scriptura dupliciter accipi. 1. *Late*, & *improprie*, pro quacunque oblatione, & opere bono in Dei obsequium relato: quo sensu etiam contritio nominatur Sacrificium, juxta illud *Psalmi* 50. ibi: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. 2. *Stricte*, & *proprie* pro speciali actu Religionis, quo in protestationem supremi dominii Deo res aliqua externa sub certo ritu offertur: unde in hac acceptatione describi solet *oblatio externa legitime instituta, immutativa rei permanentis, a publico Ministro facta vero Deo, in contestationem supremæ Majestatis*. Hæc descriptio physica est; hoc ipso, quod explicet naturam Sacrificii per oblationem in recto positam: non vero metaphysica; per hanc enim explicari, & describi debet idem Sacrificium, prout obtinet rationem signi, & convenit cum Sacramentis, v. g. in hunc modum: *Sacrificium est signum sacrum, legitime institutum ad significandam internam animi submissionem, & contestationem supremæ Majestatis, a publico Ministro mediante illa oblatione externa exhibitam vero Deo*. Recte tamen Authores physice impræsentiarum describunt Sacrificium; siquidem de eo physice spectato procedit quæstio in articulo proposita. Oportet igitur, ut descriptionem physicam Sacrificii hic exponamus.

Dicitur 1. *Oblatio externa*, quæ habet rationem generis, in eaque convenit cum aliis oblationibus externis, puta Primitiarum, Decimarum &c. & simul distinguitur ab actibus internis Religionis. Dicitur 2. *legitime instituta*: est enim signum commune, quod requirit legitimam, & publicam authoritatem in instituente, haud minus, ac alia signa communia, v. gr. voces. Hinc Martyrium Sanctorum non potest dici vere, & proprie Sacrificium. Licet enim per privatam eorum intentionem ordinetur ad cultum Dei, & protesta-

 tionem

tionem excellentiæ Divinæ; non tameo in hunc finem per authoritatem publicam institutum est. Aliter sentiendum de Martyrio ipsius Christi Domini; id quippe ex Divina institutione sortitur rationem Sacrificii. Dicitur 3. *immutativa:* siquidem res, quæ sacrificatur, non tantum debet ex profana fieri sacra (quia *to sacrificare* significat *sacrum facere*) sed insuper necesse est, ut ea sacrificatio fiat per ritum physice immutativum rei vel ex toto, vel ex parte, v. gr. per fractionem, effusionem, consumptionem sive totalem, sive partialem talis rei. Dicitur 4. *rei permanentis*, ad excludendos actus transeuntes, puta genuflexiones, & hujusmodi. Dicitur 5. *a publico Ministro facta*: nam Sacrificium est publicus, & excellentissimus Dei cultus, qui a Republica Deo exhibetur. Itaque munus sacrificandi est munus publicum, & sic non est commune omnibus, sed iis duntaxat, qui authoritate publica ad illud deputantur: neque enim (uti testatur Apostolus *Hebr.* 5.) *quisnam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Dicitur 6. *vero Deo:* quia Sacrificium est verus actus Religionis, & quidem sacer: atqui nequit esse talis, nisi exhibeatur vero Deo; ergo &c. Hæc est aperta mens D. Augustini *epist.* 49. dicentis: *Sacrificia cum exhibentur Deo secundum ejus inspirationem, atque doctrinam, vera Religio est; cum autem dæmonibus secundum eorum impiam superbiam, noxia superstitio*. Dicitur tandem 7. *in contestationem supremæ Majestatis*; seu in recognitionem supremi dominii, quod Deo competit in vitam, & necem hominum: ubi exprimitur finis intrinsecus Sacrificii, & ultima differentia ab aliis Dei cultibus. Nunc

303. Prænotandum secundo, Sacrificium Missæ esse veram, & proprie dictam speciem Sacrificii, ut sic *n. præced.* descripti, atque expositi. Ita contra Hæreticos Concil. Trid. *Sess.* 22. *de Sacrif. Missæ can.* 1. ubi sic determinat: *Siquis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium &c. anathema sit*. Ratio insuper est, quod in Sacrificio Missæ interveniant, & concurrant omnes conditiones ad verum, & proprie dictum Sacrificium requisitæ, ac *n. præced.* explicatæ. Siquidem in eo fit 1. Oblatio externa. 2. Immutatio rei permanentis: idque 3. per publicum Ministrum. 4. Illa oblatio fit præterea soli, & vero Deo in contestationem supremæ Majestatis &c. Unde Missa definitur *Sacrificium novæ Legis, quo panis, & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi transubstantiantur, ipsumque Corpus, & Sanguis sub speciebus panis, & vini in memoriam passionis Salvatoris nostri Deo offeruntur*. Hoc Sacrificium *ex parte rei oblatæ* non differt a Sacrificio incruento, quod Christus peregit in ultima Cœna; neque a cruento, quod obtulit in ara Crucis: quoniam in omnibus idem Corpus, idemque Sanguis Christi oblata fuere, & offeruntur; ut patet ex Trid. *cit. Sess.* 22. *cap.* 2. ubi ait: *Et quoniam in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit &c.* Differt tamen ab utroque *ex parte modi offerendi:* & quidem a Sacrificio cruento, in Cruce peracto, specie, vel quasi specie; prout innuit alterfatum Concilium *Sess. & c. citt.* ubi hæc verba subjungit: *una enim, eademque est Hostia, idemque nunc Offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa:* quæ diversitas infert differentiam specificam, vel saltem quasi specificam inter unum, & alterum Sacrificium. A Sacrificio autem incruento, in ultima Cœna peracto, differt multis modis. Nam 1. Christus in ultima Cœna sub speciebus panis, & vini se obtulit ut mortalem; in Missa autem offertur ut immortalis. 2. Sacrificium ultimæ Cœnæ Christus obtulit solus; Sacrificium vero Missæ offert interveniente ministerio suorum Sacerdotum. 3. Christus offerendo Sacrificium ultimæ Cœnæ meruit nobis Redemptionem, sicut eandem meruit aliis operibus; offerendo autem Sacrificium Missæ non amplius meretur, cum jam versetur extra statum merendi. 4. Sacrificium ultimæ Cœnæ fuit imago Sacrificii in Cruce, & cruenti, ut futuri; Sacrificium vero Missæ est imago Sacrificii cruenti, & in Cruce, ut præteriti (imo & incruenti, in ultima Cœna peracti) Quæ, tamen diversitates mere materiales, & accidentales sunt, nullamque, sive specificam, sive quasi specificam, distinctionem inferunt inter prædicta duo Sacrificia.

Ubi ad solvendum unum, alterumve argumentum adverte, Eucharistiam habere simul rationem Sacramenti, Sacrificii, ac Testamenti. Est enim Sacramentum, quatenus ordinatur in nostram sanctificationem; Sacrificium, in quantum offertur Deo in recognitionem supremi dominii, quod habet in nostram vitam, & in mortem: Testamentum, quatenus est instrumentum authenticum Divinæ voluntatis, & promissionis vitæ æternæ.

304. Prænotandum tertio (ut ad resolutionem quæstionis supra propositæ propius accedamus) sex communiter actiones recenseri a DD. de quibus quæritur, in quanam, vel quibusnam earum essentialiter consistat Sacrificium Missæ? Prima est oblatio panis, & vini ante consecrationem (vocata *Offertorium*) cum Sacerdos dicit: *Suscipe sancte Pater &c.* & *offerimus tibi Domine &c.* Secunda est consecratio sumpta non pro prolatione verborum præcise, sed pro transubstantiatione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, dum Sacerdos inquit: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei &c.* Tertia est oblatio Corporis, & Sanguinis Christi, quæ fit post consecrationem, ubi Sacerdos hæc verba pronunciat: *Unde & memores &c. offerimus præclaræ Majestati tuæ &c.* Quarta est fractio Hostiæ in tres partes, & unius partis immissio, ac commixtio cum Sanguine. Quinta est sumptio Corporis, & Sanguinis Christi, quæ fit a Sacerdote celebrante. Sexta tandem est sumptio Corporis Christi, quæ fit a non celebrante, puta a Laico, vel Clerico non Sacerdote, vel a Sacerdote communicante adinstar Laici, vel Clerici non Sacerdotis. His præmissis, ac prænotatis,

305. Dico. Sacrificium Missæ essentialiter consistit in sola consecratione, seu transubstantiatione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi. Ita communior, & probabilior sententia, quam tenent Hiquæus, Bosco, Herincx, Frassen, Henno, Mezger, Babenstuber &c. contra Mastrium, & quosdam alios, volentes, Sacrificii Missæ essentiam partialiter sitam esse in sumptione, quæ peragitur a celebrante.

Probatur conclusio primo. Soli consecrationi perfecte convenit descriptio Sacrificii Missæ; ergo Sacrificium Missæ essentialiter consistit in sola consecratione. Cons. fluit. Ant. ostenditur, ac declaratur. Ipsa enim *est* 1. *oblatio, legitime instituta*, qua res, nempe panis, & vinum, ex profana fit sacra, & juxta institutionem Christi, ac intentionem Ministri offertur Deo Patri. 2. *Est externa*, quatenus per verba, quæ profert consecrans, evadit sensibilis. 3. *Est immutativa rei oblatæ*; quia per eam destruitur substantia panis, & vini; imo etiam quodammodo Corpus, & Sanguis Christi in sensu inferius adstruendo. 4. *Est immolativa rei permanentis*, videlicet Corporis, & Sanguinis Christi, entitative, seu quoad suas entitates substantiales, & accidentales, a loco independentes, physice indestruibilium. 5. *Exercetur a Ministro publico*, videlicet a Sacerdote per S. Ordinationem ad id deputato. 6. *Fit Deo vero, eique soli*, quamvis referri soleat etiam in honorem Sanctorum, ut horum intercessionibus a Deo beneficia impetremus, aut pro jam impetratis gratias agamus. 7. Tandem pro fine respicit *contestationem supremi Dei dominii* mediante destructione substantiæ panis, & vini, ac quasi destructione Corporis, & Sanguinis Christi. Ergo &c.

Probatur secundo. In illa actione essentialiter consistit Sacrificium Missæ, quæ peragi debet in persona Christi, qui est Offerens principalis: atqui sola consecratio peragitur in persona Christi; quia in sola consecratione Sacerdos loquitur, ac si ipse sit Christus, dicendo: *Hoc est Corpus meum; Hic est Calix Sanguinis mei &c.* Item sola consecratio per se repræsentat cruentum Sacrificium Crucis; cum per ipsam solam mystice saltem separetur Corpus a Sanguine Christi, & vicissim, quatenus vi anterioris formæ ponitur directe solum Corpus, & vi posterioris solus Sanguis; ergo sola consecratio essentialiter constituit Sacrificium Missæ, utpote quod debet esse modo incruento per se repræsentativum Sacrificii cruenti in Cruce peracti; prout omnes fatentur.

Probatur tertio. Sacrificium Missæ in nulla alia ex actionibus *num. præced.* recensitis essentialiter consistit; ergo dicendum remanet, quod consistat essentialiter in

sola

sola consecratione. Cons. fluit. Ant. ostenditur inductione. Nam 1. non consistit essentialiter in oblatione antecedente consecrationem: quia per eam offeruntur quidem panis, & vinum, non tamen immutantur; nec Christus offertur, qui tamen in hoc Sacrificio est Hostia, & quidem principalis. Neque in contrarium faciunt verba, quæ a Sacerdote post illam oblationem proferuntur: *Veni Sanctificator &c. & benedic hoc Sacrificium:* intelligenda quippe veniunt, ut cadant supra Sacrificium præparatorie spectatum. Nec 2. in oblatione consequente consecrationem: siquidem per eam offertur quidem Christus, sed absque ulla nova immutatione, & tali oblatione, quæ ab ipso Christo in cælo fieri potest, quin tamen Is sacrificet. Nec 3. in fractione Hostiæ, & commixtione illius cum Sanguine: utpote quæ est mera ceremonia Ecclesiastica, quam Christus in ultima Cœna nec adhibuisse, nec a Sacerdotibus adhibendam instituisse legitur; nam Christus (veluti patet ex verbis Evangelii) non fregit Hostiam jam consecratam; sed panem fregit antecedenter ad consecrationem, & deinde consecravit per verba: *Hoc est Corpus meum*, Accedit, quod fractio Hostiæ, in Sacrificio Missæ præscripta, fieri debeat post consecrationem, Nec 4. in sumptione Corporis, & Sanguinis Christi, quæ fit a Sacrificante: siquidem actio, in qua sita essentia Sacrificii Missæ, debet exerceri a Sacerdote sacrificante, ut sustinente personam Christi, tanquam Sacrificantis principalis: atqui sumptio non ita exercetur a Sacerdote; cum hic utique suo nomine, & non in persona Christi ante sumptionem dicat: *Domine non sum dignus &c. Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* ergo &c. Nec denique 5. in sumptione Corporis Christi; quæ fit a populo: quoniam juxta Trid. *cit. Sess.* 22. *cap. 6. & can.* 8. vere, & licite celebratur Sacrificium Missæ, tametsi populus non communicet. Sed contra hæc, & hucusque dicta, ipsamque adeo conclusionem

306. Objicies primo. Ad Sacrificium Missæ essentialiter requiritur aliqua oblatio, qua offeratur Deo Patri Corpus, & Sanguis Christi: sed alia ostendi non potest præter illam, quam peragit Sacerdos post consecrationem, ubi inquit: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ &c.* ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam oblatio, ad Sacrificium Missæ essentialiter requisita, non est oblatio illa verbalis, sed oblatio realis, & immutativa rei oblatæ, qualis est ipsa consecratio.

Dices. In Ordinatione Sacerdotibus datur potestas *consecrandi, & offerendi*; ergo consecratio est actio distincta ab oblatione etiam reali, & essentialiter ad Sacrificium Missæ requisita: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, in Ordinatione Sacerdotibus dari potestatem consecrandi, & offerendi distinctim, non quod consecratio sit distincta actio ab oblatione reali, quæ intervenit in Sacrificio Missæ; sed ut intelligatur, Sacrificium Missæ esse oblationem realem, quatenus in eo aliquid ad cultum Divinum dedicatur, & consecrationem, quatenus idipsum physice immutatur.

Instabis. Sacerdotes, quando consecrant, non intendunt offerre; sed tunc, quando vel Hostiam elevant, vel eam vocaliter juxta præscriptum Missalis offerunt; ergo Sacrificium Missæ non est simul oblatio realis, & consecratio.

Respondetur, dist. ant. Sacerdotes, quando consecrant, non intendunt offerre explicite, & in actu signato, con. implicite, & in actu exercito, neg. ant. & cons. Esto Sacerdos, dum consecrat, non pronunciet verbum *offero*, neque expressam intentionem *offerendi* elicere soleat; habet tamen voluntatem faciendi, quod Ecclesia fieri cupit, & Christus fecit, atque instituit: quod est offerre implicite, & in actu exercito.

307. Objicies secundo. In die Parasceves verum peragitur Sacrificium; cum illo quoque die dicatur in Oratione: *Sic fiat Sacrificium istud in conspectu tuo hodie &c.* ubi tamen nulla fit consecratio, sed sola sumptio. Porro Christus, postquam dixit: *accipite, & comedite*: subjunxit: *hoc facite in meam commemorationem*: per quæ verba præcipitur etiam comestio, seu sumptio. Ergo essentia Sacrificii Missæ consistit in sumptione vel totaliter, vel saltem partialiter.

Respondetur, neg. cons. Ad primum, quod in argumento opponitur, ajo, in die Parasceves non peragi verum Sacrificium, sed pridianum integraliter perfici quoad unam Hostiam in isto consecratam, quæ in illo sumitur. Nec contrarium evincunt verba in probationem adducta: siquidem actio, quæ ibi exercetur, in Oratione illa solummodo nuncupatur Sacrificium; quia est ceremonialis commemoratio Sacrificii cruenti in Cruce peracti, & quidem in Hostia residua ex Sacrificio incruento diei præcedentis. Ad alterum dico, inde non sequi, quod comestio, seu sumptio pertineat ad essentiam Sacrificii Missæ; sed tantum, quod Sacerdotibus celebrantibus sub gravi obligatione injuncta sit; id quod nemo orthodoxe credentium negat.

308. Objicies tertio. Si Sacrificium Missæ consisteret essentialiter in sola consecratione, sequeretur, præcepto Ecclesiæ de audienda Missa satisfacturum, qui die festo interesset soli consecrationi, ceteris, quæ in Missæ decursu geruntur, neglectis: sequela autem pugnat contra communem; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Siquidem Ecclesia, dum præcipit, ut fideles diebus Dominicis, & festivis intersint Sacrificio Missæ, intelligenda venit de Sacrificio Missæ non solum essentialiter, sed etiam integraliter spectato: sic autem præter consecrationem insuper alia involvit; & maxime sumptionem, utpote necessariam ad consummandum convivium spirituale, quale est Sacrificium Missæ.

Dices. Destructio Hostiæ, qualis ad Sacrificium Missæ requiritur, non fit per consecrationem, sed per sumptionem; ergo non consecratio, sed sumptio constituit Sacrificium Missæ saltem partialiter.

Respondetur, neg. ant. Siquidem per ipsam consecrationem triplex contingit destructio hostiæ, nempe *mystica, moralis*, & aliquo modo *realis*. Prima contingit, quatenus in consecratione vi verborum per se, sub specie panis, ponitur tantum Corpus Christi, &, sub specie vini, tantum Sanguis; atque ita Corpus velut separatum, & Sanguis velut effusus repræsentantur per species panis, & vini; quamvis propter indissolubilem conjunctionem, quam de facto habent, reipsa non separentur. Secunda contingit; in quantum Christus per consecrationem ponitur sub speciebus inanimatis modo velut mortuo, & in statu omnino inepto ad operationes, ac functiones naturales vitæ humanæ, solumque ordinato ad sumptionem, seu ut a communicantibus sumi possit. Tertia contingit, in quantum Christus per consecrationem acquirit aliud, seu novum esse, nimirum Sacramentale, vi cujus ponitur in proximo statu, & via destructionis; quia nempe destructis speciebus panis, & vini, mox & ipse Christus destruetur, id est sacramentaliter ibi esistere, ac esse desinet: imo si per impossibile non existeret simul alibi, puta in cælo, simpliciter esse desineret. Ita P. Sporer *de Euchar. cap.* 2. *sect.* 3. *a n.* 78. & P. Elbel *n.* 135. Sed contra hoc veluti occasionaliter

Instabis. Sequeretur ex modo dictis, Missam non sortiri rationem veri Sacrificii; siquidem in omni vero, & proprie dicto Sacrificio hostia quoad substantiam destrui debet, vel saltem ut sic reponi in proximo statu destructionis.

Respondetur, neg. seq. uti & causalem per modum probationis adductam, utpote in illis duntaxat Sacrificiis subsistentem, in quibus Dei cultus specialiter intendebatur per destructionem substantiæ; uti olim fiebat per mactationem animalium, ovium, boum, vitulorum &c. non vero in aliis, in quibus Dei cultus specialiter intenditur per positionem substantiæ. cujusmodi est Sacrificium Missæ, ubi cultus Dei intenditur specialiter per mirabilem illam positionem substantiæ Corporis, & Sanguinis sub speciebus Eucharisticis. Videatur P. Sporer ubi supra *n.* 77. ubi hanc responsionem fuse deducit, ac declarat.

309. Quæres, an consecratio utriusque speciei, panis scilicet, ac vini, requiratur, & constituat essentiam Sacrificii Missæ?

Respondetur affirmative. Ita Cajetanus, Suarez, Vasquez, Palao, Mastrius, Herincx, & alii satis communiter. Ratio est: quia Sacrificium Missæ ex sua natura est explicite repræsentativum Sacrificii Crucis, & ideo sub distinctis speciebus, panis nempe, ac vini, in ultima Cœna a Christo institutum, peractum, atque Patri Divino oblatum fuit; quemadmodum tradit

Concil. Trid. *tit. Seff.* 22. *cap.* 1. atqui non potest sic esse repræsentativum, nisi in quantum complectitur, ac essentialiter includit consecrationem utriusque speciei; ergo &c.

Dices tamen primo. Sacrificium Missæ, etiam quatenus importat consecrationem unius tantum speciei, participat adæquare definitionem Sacrificii, *n.* 302. traditam; ut patebit consideranti; ergo non exigit essentialiter consecrationem utriusque speciei.

Respondetur, neg. conf. vel claritatis gratia, dist. In quantum præcise spectatur in Sacrificium, admitto. In quantum spectatur ut tale Sacrificium, Missæ nimirum, quod ex sua natura, & institutione est explicite repræsentativum Sacrificii cruenti, in Cruce peracti, neg. conf. Sic enim non solam includit rationem genericam Sacrificii, sed & specificam, sibique propriam, in consecratione utriusque speciei sitam.

Dices secundo. Adæquata ratio, ac essentia Sacramenti Eucharistiæ salvatur in una specie, ex dictis *n.* 275. ergo etiam essentia Sacrificii Missæ.

Respondetur, neg. conf. Ratio discriminis sumitur ex institutione Christi, quæ est alia respectu Sacramenti Eucharistici, & alia respectu Sacrificii Missæ. Prius quippe institutum est, in quantum est signum practicum, & gratiæ nutritivæ collativum; quam prærogativam obtinet etiam in una specie, secundum verba ab ipsomet Divino Institutore prolata: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Posterius vero institutum est, in quantum est signum commemorativum, & explicite repræsentativum Sacrificii Crucis: id quod verificari in una duntaxat specie non potest; prout relinquitur ex dictis.

ARTICULUS II.

A quibus, pro quibus, & quomodo possit, vel non possit offerri Sacrificium Missæ.

SUMMARIUM.

310. *& seqq. Assignatur Offerens Sacrificii Missa.* 313. *& seqq. Specificantur, pro quibus respective potest, vel non potest hoc Sacrificium offerri.* 318. *Non potest offerri, & applicari sub conditione eventus contingentis.*

310. Dico primo. Christus Dominus (t) principaliter (a) ministerialiter vero Sacerdos rite ordinatus offert, sive offerre potest Sacrificium Missæ. Conclusio sic proposita admittitur quoad utranque partem ab omnibus DD. Orthodoxis.

Probatur prima pars tum ex Conc. Trid. quod *cit. Seff.* 22. *cap.* 2. ait: *Idem nunc Offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit:* tum ex ratione; quia ille dicitur principaliter aliquid agere, qui authoritate, ac virtute propria dat alteri potestatem suo nomine aliquid agendi; ut liquet in Hero per servum, vel ancillam largiente eleemosynam: atqui Christus Dominus authoritate, ac virtute propria dedit Sacerdotibus potestatem suo nomine offerendi Sacrificium Missæ; ergo &c. Unde Christus non tantum censetur offerre Sacrificium Missæ ratione institutionis, & quoniam suis meritis illi virtutem, & efficaciam tribuit (prout nonnulli opinantur) sed ratione specialis demandationis, qua voluit illud perpetuo suo nomine offerri: non tamen ratione actus cujusdam eliciti, quo offerat singula Sacrificia, dum actu peraguntur; prout recte advertit Scotus *Quodlib.* 20. §. *Ex istis patet.* De quo videri possunt Scholastici.

Probatur etiam secunda pars tum ex Concil. Trid. immediate relato; tum ex Florentino, quod in Decreto Eugenii asseris: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*; & consequenter ministerialiter offert: tum ex ratione; quia in S. Ordinatione traditur Sacerdotibus potestas consecrandi, & offerendi &c.

311. Quæres primo, an omnis Sacerdos possit ministerialiter offerre Sacrificium Missæ?

Respondetur, quod omnis possit valide offerre. DD. communiter. Ratio est: quia potestas consecrandi, & offerendi fundatur in charactere Sacerdotali, qui ex Divina ordinatione est indelebilis; ergo auferri non valet, nec impediri, quin valide redigatur in actum, si etiam cetera, ad valorem consecrationis, & oblationis requisita, concurrant. Ita dogmatice Trid. *Seff.* 23. *de Sacram. Ordinis cap.* 4. Concordat doctrina Scoti *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. sic ratiocinantis: *Nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit; ergo a simili, qui Ordinem Sacerdotalem amittere non potest, nec jus conficiendi amittere potest; sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem Sacerdotalem, quia character est indelebilis; ergo &c.* Quare licet Sacerdos sit peccato mortifero gravatus, vel vinculo irregularitatis, censuræ, depositionis, aut degradationis irretitus; nihilominus valide consecrare, & offerre Sacrificium Missæ potest: quamvis consecrando, & offerendo graviter delinquat.

312. Quæres secundo, an solus Sacerdos ministerialiter offerat Sacrificium Missæ?

Respondetur affirmative, loquendo de oblatione immediata, & stricte accepta. Communis, Ratio est: quia ille solus præfato modo offert Sacrificium Missæ, qui consecrat: atqui solus Sacerdos consecrat; ergo &c. Nihilominus loquendo de oblatione mediata, & late accepta, etiam alii fideles non Sacerdotes ministerialiter offerre dicendi sunt; iique omnes: veluti patet ex illis verbis: *Offerimus tibi &c. Te igitur, Clementissime Pater, supplices rogamus &c. hanc igitur oblationem servitutis nostra, sed & cuncta familia tua &c.* ac præsertim ex verbis, quæ habet Innoc. III. *lib.* 3. *de Myst. Miss. cap.* 6. ubi ait: *Non solum offerunt Sacerdotes, sed & universi fideles; nam, quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum; hoc universaliter agitur voto fidelium.* Hæc ipsa tamen mediata, & late accepta oblatio suos gradus habet relate ad offerentes; esto enim universi fideles Sacrificium Missæ ministerio Sacerdotis offerre censeantur; id tamen fit inæqualiter, seu modis diversis. Unus quippe modus est *generalis*, quo offerre censendi sunt omnes fideles, quatenus existunt membra Ecclesiæ, cujus Sacerdos celebrans publicum Ministrum agit. Alter est *specialis*, minus, magisve, quo offerunt, qui per propriam quandam actionem, minus, magisve propinque, ad Sacrificium concurrunt; ut qui Sacerdotem movent ad offerendum, v.g. petendo, aut procurando Sacrificium per eleemosynam, aut stipendium: qui Sacrificio assistunt, vel ministrant Sacrificanti &c. Ita cum Salmanticensibus, & Suarezio P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 4. *disp.* 3. *artic.* 1. *num.* 13.

313. Dico secundo. Sacrificium Missæ de se offerri potest pro omnibus hominibus, vivis, & defunctis. Ita denuo universi DD. Orthodoxi.

Probatur tum ex verbis, quæ Episcopus in S. Ordinatione ad quemlibet Neomystam profert, dum ait: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini &c.* tum ex ratione; siquidem alia Suffragia de se offerri possunt pro omnibus hominibus, vivis, & defunctis; ergo etiam, & a fortiori, Sacrificium Missæ.

Confirmatur cum Sanct-Gallensibus hic *q.* 7. *part.* 2. *dub.* 5. Nam in primis offerri de se potest pro omnibus hominibus vivis: quia cum sit repræsentativum, & applicativum Sacrificii cruenti, de se prodesse potest omnibus iis, pro quibus Christus mortuus est: atqui Christus mortuus est pro omnibus hominibus vivis, seu in hac terra degentibus, juxta illud 1. *ad Timoth.* 2. ibi: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Deinde offerri quoque potest pro defunctis: prout definit Trid. *Seff.* 22. *can.* 3. & luculenter tradit S. Chrysostomus *homil.* 69. *ad popul. Antioch.* ubi inquit: *Non temere ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim illis multum contingere lucrum.* Hinc Aerius, negans Sacrificium pro defunctis offerendum, jam olim hæreseos damnatus est, teste S. August. *lib. de hæris cap.* 53. Ergo &c.

Dixi in conclus. *de se*: quando nempe nullus adest obex ex parte participantium. Nam quoad vivos obstat in primis infidelitas, seu defectus Baptismi: quia cum tali infidelitate laborantes non sint membra Christi, & Ecclesiæ, pro ipsis publice, & directe offerri, ac applicari non potest Sacrificium Missæ, saltem quoad fructum satisfactorium; prout S. Augustinus habet *lib.* 1. *de anima, & ejus orig. cap.* 9. ubi ait: *Quis offe-*

rat Cor-

rat Corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi. Obstat deinde vinculum excommunicationis quoad excommunicatos non toleratos: quia licet his Sacrificium Missæ possit valide applicari (ex dictis *part*. 3. *n*. 294.) non tamen potest licite, loquendo de oblatione publica, & directa: prout ostensum est *cit. part*. 3. *n*. 158. Oppositum resolvimus *ead. part*. 3. *n*. 160. quoad excommunicatos toleratos. Revide, quæ *in citt. part. & n. n.* dicta sunt.

Quoad defunctos obstat status damnationis, vel beatitudinis. Status damnationis obstat : quia in inferno nulla redemptio, aut culparum , vel pœnarum remissio; ergo in illo existentes non sunt capaces fructuum ex Missæ Sacrificio resultare natorum. Status beatitudinis obstat: quia in eo positi non indigent ; imo relate ad intrinsecam , ac essentialem beatitudinem nec capaces sunt nostrorum suffragiorum, & Sacrificii Missæ, cum ipsorum beatitudo, modo primum dicto spectata , nec augeri , nec minui possit : prout tradunt Scholastici *in tr. de Beatitudine*.

314. Quæres jam primo, an Sacrificium Missæ prosit æqualiter omnibus, pro quibus offerri potest , & offertur?

Respondetur negative. Ratio negandi est : quia infantes, v. g. esto sint capaces , & percipiant fructum impetratorium sibi applicatum ; non tamen sunt capaces , nec percipiunt fructus satisfactorium , eo quod nunquam deliquerint , & consequenter satisfactionis nec indigi, nec capaces existant. Similiter nec homines adulti, in statu peccati mortalis constituti, possunt percipere fructum satisfactorium , cum hujus perceptio præsupponat remissionem peccati mortalis quoad culpam; possunt tamen percipere fructum impetratorium, quo obtineant beneficium conversionis, & alia. Dantur e diverso, qui utrunque fructum percipere possunt; ii qui deliquerunt, & per pœnitentiam delicta quoad reatum culpæ deleverunt , Babenstuber ubi supra *artic*. 2. *num*. 5. *&* 6. Elbel *num*. 161. aliique communiter.

315. Quæres secundo , an non Sacrificium Missæ offerri aliquo modo possit pro hominibus non baptizatis, v. g. pro catechumenis, vel aliis?

Respondetur, posse. Et quidem tribus modis. 1. *Privatim* , quatenus offertur a Sacerdote ut persona privata , quemadmodum fit in *Memento* : ubi Sacerdos omnino per illis orare potest, & fructum aliquem obtinere ex opere operantis; non vero ex opere operato, cum non agat ibi ut persona publica. 2. *Indirecte* , celebrando Missam pro incremento Ecclesiæ : ubi fructus Sacrificii vel maxime in non baptizatos (esto pro his ab Ecclesia non sit ordinata specialis Missa) redundare potest, & solet. 3. Etiam publice, & directe quoad fructum impetratorium , & quidem ex opere operato causandum: prout expresse addit P. Sporer hic *n*. 274. & videtur supponere P. La Croix cum aliis a se relatis *lib*. 6. *part*. 2. *n*. 29. Ratio est: quia Sacrificium Missæ est applicativum meritorum Christi , & Sacrificii in Cruce oblati pro omnibus hominibus; ergo potest offerri pro omnibus, alicujus ejus fructus capacibus: atqui non baptizati sunt capaces alicujus fructus Sacrificii, qui ab hoc conferatur ex opere operato , nempe fructus impetratorii , quatenus intuitu Sacrificii eis impetrari possunt aliqua bona tam spiritualia, ut gratiæ actuales, auxilia Divina, bonæ inspirationes, & lumina in ordine ad conversionem , pœnitentiam &c. quam temporalia, ut sanitas corporis, libertas , serenitas aeris , vel pluvia &c. ergo pro illis Sacrificium Missæ quoad fructum impetratorium , ex opere operato causandum , offerri , & applicari potest publice , & directe ; idque non solum valide (sicut pro excommunicatis non toleratis) sed etiam licite , cum similis oblatio nullibi ab Ecclesia prohibeatur. Sed contra hoc

Dices primo. Non baptizati non sunt membra Christi, & Ecclesiæ; ergo publice, & directe pro ipsis offerri non potest Sacrificium Missæ.

Confirmatur . Christus Sacrificium Missæ offerendum reliquit soli Ecclesiæ; ergo offerri nequit pro illis, qui sunt extra Ecclesiam, cujusmodi sunt non baptizati.

Respondetur, dist. conf. Quoad fructum satisfactorium , con. quoad fructum impetratorium neg. conf. Disparitas inter hos fructus est , quod satisfactorius præsupponat in subjecto recipiente certam dispositionem, puta quæ facta sit per susceptionem Baptismi , per remissionem peccati , & infusionem gratiæ &c. Hinc, qui peccato mortali inquinatus est, fructus satisfactorii capax non est , ex dictis supra . At vero fructus impetratorius non exigit necessario ejusmodi dispositionem ex parte recipientis: esto respective exigat, ac supponat ex parte conferentis , seu offerentis Sacrificium. Et hinc , etiam lethali noxa contaminatus , ejusmodi fructus capax est; prout itidem ex dictis constat . Videatur P. Sporer *loc. cit. n*. 271.

Ad Confirmat. ajo cum P. La Croix *cit*. quod quidem Christus Ecclesiæ soli reliquerit Sacrificium Missæ offerendum, non tamen pro solis suis membris, sed etiam pro aliis , qui ejus membra non existunt , modo alicujus effectus , ex Missæ Sacrificio resultare nati, sint capaces; uti sunt etiam non baptizati, ex hucusque dictis.

Instabis . S. Augustinus *libr*. 1. *de anima* , *& ejus orig. cap*. 9. supra *n*. 313. relatus , absolute affirmat , Sacrificium Missæ offerri haud posse pro non baptizatis, quia non sunt membra Christi, nullam faciendo distinctionem inter fructum satisfactorium, & impetratorium; ergo ex mente hujus S. Doctoris Sacrificium Missæ ne quidem quoad fructum impetratorium offerri potest pro non baptizatis.

Respondetur , neg. conf. Ad ant. ajo , S. Augustinum disputare contra aliquem, qui contendebat, parvulos absque Baptismo defunctos per Sacrificium Missæ sibi applicatum purgari a macula originali ; adeoque percipere fructum satisfactorium ejusdem Sacrificii ex opere operato ; quod fieri posse negat ex ratione per instantiam allata, quia nempe non sunt membra Christi : prout tamen requiritur , ut quis fructum satisfactorium Sacrificii (uti & effectus Sacramentorum Ecclesiæ) percipere valeat : prout relinquitur ex dictis . Unde licet alte fatus Doctor non fecerit distinctionem inter unum , & alterum fructum, ea tamen colligitur ex subjecta materia, de qua sermonem instituebat.

Dices secundo. Præsumi non potest, quod Ecclesia permiserit aliquando (aut permittat de facto) Sacrificium Missæ offerri pro illis, quos noluit interesse ejus oblationi; atqui Ecclesia olim noluit cathecumenos interesse oblationi Sacrificii, sed ante eam e templo exesse jussit ; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Nam Ecclesia non excludebat cathecumenos, quod pro iis offerri non posset Sacrificium Missæ ; sed quia ipsi illud offerre non poterant cum Sacerdote ob defectum Baptismi , ob quem non erant membra Christi, & Ecclesiæ, adeoque non uniebantur cum Sacerdote , qui Sacrificium Missæ offerebat (& offert) ut publicus Minister Christi , & Ecclesiæ . Quod autem modo dictum de cathecumenis , intellectum quoque , & applicatum esto de aliis non baptizatis : siquidem & isti ob rationem de cathecumenis redditam nequeunt cum Sacerdote offerre Sacrificium Missæ ; queunt tamen participare fructum impetratorium ejusdem Sacrificii, pro se a Sacrificante oblati, & applicati.

316. Quæres tertio , quomodo Sacrificium Missæ offerri possit pro animabus in purgatorio?

Respondetur, quod possit quoad fructum tam satisfactorium , quam impetratorium . DD. communiter . Sumitur ex Trid. *Sess*. 22. *cap*. 2. ubi concludit , & ait : *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis , pœnis , satisfactionibus, & aliis necessitatibus , sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis , rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur* , nempe Sacrificium Missæ. Idem repetit *can*. 3. *ejusdem Sess*. Ratio quoque suffragatur : siquidem animæ in purgatorio ex una parte sunt vera , & viva Ecclesiæ membra ex altera autem indigent utroque fructu Sacrificii ; ergo uterque ipsis applicari potest : & consequenter Sacrificium pro iisdem vere, ac proprie offerri quoad utrunque fructum.

Dices primo. Sacrificium Missæ quoad neutrum fructum potest offerri pro animabus in inferno existentibus , & damnatis ; ergo neque pro animabus in purgatorio detentis.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia animæ, in inferno existentes, non amplius sunt membro Christi si-

sti sive actu, sive potentia; nec ipsis Passio, & merita Christi, quæ per Sacrificium applicantur, amplius prodesse queunt; prout monstratum supra *n.* 313. Aliter res se habet circa animas in purgatorio detentas; prout relinquitur ex immediate dictis.

Instabis. Nec animæ in purgatorio amplius sunt membra Ecclesiæ; ergo nec ipsæ sunt capaces Sacrificii, quod a publico Ecclesiæ Ministro, seu Sacerdote offertur.

Respondetur, explic. & dist. ant. Non amplius sunt membra Ecclesiæ qua militantis, con. qua purgantis, neg. ant. & dist. similiter cons. Ergo non sunt capaces Sacrificii, ut hujus fructus pro ipsis offeratur per actum jurisdictionis, quam Ecclesia, vel ejus Minister in eas habeat, con. per actum solutionis factæ ex meritis Christi, in Sacrificio Missæ applicatis, neg. cons. Indulgentiæ conceduntur pro animabus in purgatorio, iisque applicantur ab Ecclesia per modum suffragii, & solutionis: quidni & fructus Sacrificii sic applicari possint: esto existant extra sphæram jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Dices secundo. Animæ purgantes non amplius sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi duntaxat; ergo non sunt capaces fructus satisfactorii; ergo Sacrificium Missæ saltem quoad fructum satisfactorium pro illis offerri, & applicari non poterit. Porro non apparet, quid iisdem animabus Sacrificium Missæ impetrare possit; ergo nec quoad fructum impetratorium potest pro iis offerri.

Respondetur. Et quidem ad primum dist. ant. Non amplius sunt in statu satisfaciendi per seipsas, aut actus a seipsis elicitos, con. per alios, aut actus ab aliis positos, neg. ant. & utranque cons. Debitum expungitur non tantum solutione a debitore facta, sed etiam solutione facta ab alio in vicem, seu supplementum debitoris; uti vel maxime contingit per Sacrificium Missæ, per quod satisfactio Christi Domini animabus in purgatorio detentis applicatur, & Deo Patri offertur in remissionem pœnarum adhuc restantium. Ad alterum, neg. ant. Impetrari enim a Deo potest, ut Is homines in hac vita adhuc degentes sanctis inspirationibus excitet ad fundendas pro animabus purgantibus preces, procurandas Missas, erogandas eleemosynas &c.

317. Quæres quarto, an Sacrificium Missæ etiam aliquo modo offerri possit pro Beatis?

Respondetur, quod (1.) possit; sed (2.) improprie tantum. Ratio primi est; quia potest pro illis offerri, ut in eis causet gaudium accidentale, quale concipiunt ex honore, qui Deo in sui memoriam per hoc Sacrificium exhibetur: item ut augeat honorem eorum extrinsecum; est quippe iisdem honorificum, quod in tanto Sacrificio nominentur, & ut Patroni, in ordine ad hoc, vel illud beneficium pro nobis impetrandum, invocentur, *c. 6. de Celebrat. Missar. prope fin.* Unde etiam post Offertorium petimus, ut hoc Sacrificium Sanctis prosit *ad honorem*, nobis autem *ad salutem &c.* Ratio secundi est: quia oblatio Sacrificii proprie dicta supponit ex parte ejus, pro quo fit, indigentiam aliquam, qualis nulla reperitur in Beatis; prout indigitatur *in cit. cap.* Et hinc ibi dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Idem ex ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent pro eo, quod, cum sint perfecte beati, omnia eis ad votum succedant.*

318. Dico tertio. Sacrificium Missæ offerri, & applicari non potest sub conditione eventus contingentis, v. g. Sacerdos illud non rite offert, & applicat hodie pro eo, qui ipsum cras rogaverit, aut stipendium dederit. Vasquez *disp.231. c.7. in fin.* Barbosa *part.2. de Potestat. Episcopi, alleg.24. a n.12.* Sporer hic *n.* 281. & alii communiter. Probatur: quia ad eventum ejusmodi conditionis non potest suspendi effectus Sacramentorum; prout cum communi tradidimus *n.* 22. ergo nec effectus Sacrificii Missæ; cum uterque veniat ex opere operato, statimque, ac conficitur Sacramentum, aut Sacrificium, producatur. Hac de causa praxis Sacerdotum, Missas anticipata intentione applicantium pro illis, qui postea stipem largituri sunt, tanquam periculosa, fidelium scandalis, ac offensionibus obnoxia, & a vetusto Ecclesiæ more abhorrens, merito improbata est a Clemente VIII. *ex Decreto S. Congreg. Concilii die 15. Novembr. an.1605.* addito mandato, ut omnes Episcopi in suis Diœcesibus, & Prælati Regulares in suis Ordinibus illam exterminandam curarent. De quo videri potest Barbosa *loc. cit. a n.12.* Ubi tamen recte advertit, adversus hanc prohibitionem non peccaturum Capellanum, qui legeret Missas hac septimana, quas primum teneretur legere alia septimana subsecutura: siquidem in tali casu fructus Sacrificii non suspenditur postea primum applicandus, sed statim applicatur juxta intentionem præsentem, certam, & determinatam; ut consideranti patebit.

ARTICULUS III.

Quanti valoris sit Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

319. *Quid intelligatur nomine valoris, & fructus Sacrificii Missæ?* 320. *Quid sit valorem esse infinitum intensive, extensive, categorematice, syncategorematice?* 321. *Qualiter Sacrificium Missæ quoad efficaciam non sit infinitum, &* 322. *qualiter infinitum?* 323. *Solvitur objectio.* 324. *An Missa Sacerdotis mali minus valeat, ac boni?*

319. PRænotandum primo, valorem Sacrificii Missæ esse moralem dignitatem, & æstimabilitatem, quam dictum Sacrificium sortitur ex dignitate tum offerentis, tum rei oblatæ. Qui valor spectari potest vel quoad sufficientiam, & actum primum, vel quoad efficaciam, & actum secundum, seu actualem applicationem. Priore modo spectatus importat præcise moralem illam dignitatem, & æstimabilitatem, quam obtinet ex dignitate offerentis, & rei oblatæ, sine ordine ad effectum. Posteriore modo spectatus importat eandem dignitatem, & æstimabilitatem, sed cum ordine ad effectum, seu bona, & illi, a quo Sacrificium offertur, & aliis, pro quibus offertur, conferenda. Si valor Sacrificii Missæ spectetur quoad sufficientiam, ob dignitatem principalis Offerentis, & rei oblatæ infinitus est juxta omnes, sicut merita Christi; nempe vel intrinsece, ac simpliciter (ut volunt Thomistæ, & plerique Recentiores) vel extrinsece tantum, & secundum quid (ut docent Scotistæ) super quo consulendi sunt Scholastici *in tr. de Incarnat.* An idem valor etiam sit infinitus, si spectetur quoad efficaciam, in præsenti articulo decidendum venit. Porro valor Sacrificii, quoad efficaciam spectatus, differt a fructibus Sacrificii (de quibus *in art. seq.*) sicut causa a suis effectibus: siquidem fructus Sacrificii sunt illa ipsa bona, quæ per efficaciam Sacrificii causantur, ac conferuntur.

320. Prænotandum secundo, valorem Sacrificii Missæ cogitari posse infinitum vel *intensive*, vel *extensive*. Valor intensive infinitus est, qui potest causare fructum majorem, & perfectiorem in infinitum. Extensive infinitus dicitur, qui potest causare effectus non tot, quin plures, aut in subjectis non tot, quin pluribus in infinitum. Quare utraque hac infinitate gaudet ille valor, cujus virtus neque ad certum gradum, neque ad certum numerum subjectorum, vel beneficiorum limitatur. Ita verbatim P. Babenstuber *tract. 8. part.4. disp.4. art.1. n.2.* Porro idem valor cogitari potest infinitus *categorematice*, vel *syncategorematice*. Valor categorematice infinitus est, qui respicit Sacrificium Missæ, quatenus hoc concipitur habere vim completam producendi effectum infinitum ratione unius oblationis, ita, ut, quatenus offertur a solo Sacerdote cum certa devotione, possit æqualiter singulis prodesse oblatum pro infinitis hominibus, ac si pro uno solo offerretur. Valor syncategorematice, vel quasi syncategorematice infinitus est, qui respicit Sacrificium Missæ, quatenus hoc obtinet vim quodammodo infinitam ea duntaxat ratione, ut propter circumstantias in infinitum possit semper magis, magisque crescere ejus effectus; puta quia Sacrificium offertur semper cum majori, & majori devotione; vel per plures, & plures actus, sive dein hi exerceantur ab uno, sive a diversis offerentibus. Ita fere Sanct Gallenses *de Sacrif. Missæ part. 2. dub. 3. pranot. 4.* & (ni fallor) in rem præsentem apposite: esto non ignorem, infinitum categorema-

gorematicum, & syncategorematicum paulo aliter describit in Physica, & relate ad res vere, ac mere physicas. His prænotatis, quæritur, quanti valoris sit Sacrificium Missæ, quoad efficaciam spectatum, an scilicet finiti, vel infiniti?

321. Dico igitur primo. Valor Sacrificii Missæ, tam satisfactorius, quam impetratorius, quoad efficaciam non est infinitus extensive, aut intensive categorematice, relate ad eos, pro quibus a Sacerdote, in persona Christi, offertur, & applicatur. Ita quoad rem Doctores Seraphicus *in 3. dist.45. art.2. q.3.* & Subtilis *Quodlib.20. art.1.* aliique communiter.

Probatur conclusio ratione a priori, desumpta ex voluntate Christi, qui sicuti Sacramentis sua merita annexuit in certa tantum quantitate (nec enim infinite sanctificatur, qui Corpus Christi infinitæ dignitatis recipit) sic & Sacrificio Missæ, alioquin infinite digno, merita, & satisfactiones suas in certa tantum quantitate annectere voluit: quæ proinde quantitas in eo minores portiones dividitur, quo pro pluribus Sacrificium offertur; ergo valor Sacrificii Missæ quoad suam efficaciam non est infinitus extensive, aut intensive categorematice, relate ad eos, pro quibus a Sacerdote, in persona Christi, offertur, & applicatur. Cons. fluit, & patet consideranti dicta *n. præced.* Ant. ostenditur; nam illa Christi voluntas a posteriori innotescit tum ex praxi Ecclesiæ, quæ pro uno, eodemque defuncto solet sæpius sacrificare; adeoque supponit, quod Sacrificium non habeat tantam vim, ut defuncto omnes pœnas temporales, adhuc residuas, & in purgatorio luendas, remittat: similiter pro peccatoribus sæpius sacrificat, ipso facto indigitans, quod unum Sacrificium non conferat infinita auxilia gratiæ, quibus instructi convertantur. Tum ex communi persuasione fidelium; siquidem Sacerdotes præcipuum hujus Sacrificii fructuum (nempe ministerialem) sæpe uni tantum applicare; & fideles hunc ipsum pro se solis desiderare, ac dato stipendio exigere solent; quod sane minus provida, & avara (ut loquitur Gobat) charitate facerent, si Sacrificium, oblatum pro pluribus, æque magnum fructum proferret pro singulis, ac si pro uno offerretur; ergo &c.

Confirmatur. Si valor Sacrificii esset modis, in conclusione commemoratis, infinitus, sequeretur, Sacerdotem non peccaturum contra Justitiam, si pro pluribus Sacrificiis accipiens stipendium, offerret unum duntaxat Sacrificium; cum unum prodesset æque, seu tantum, quantum plura; æque singulis, ac uni: atqui sequela est improbabilis; uti liquet *ex propos. inter damnatas ab Alexandro VII. ord.* 10. quæ est hujus tenoris: *Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre*; ergo &c.

322. Dico secundo. Valor Sacrificii Missæ, tam satisfactorius, quam impetratorius, quoad suam efficaciam est, ac dici potest infinitus tam extensive, quam intensive syncategorematice, relate ad offerentes qua tales, eorumque dispositiones, & actus. Quoad hanc conclusionem mire variant Authores, præsertim in modo defendendi. Sed a nobis sic

Probatur. Siquidem dum multiplicantur oblationes, aut crescunt devotiones offerentium, etiam multiplicantur, aut crescunt effectus, seu fructus Sacrificii; cum cuilibet oblationi, ac devotioni, offerentium suus correspondeat fructus: atqui oblationes, & devotiones offerentium possunt multiplicari, aut crescere in infinitum: cum nemo eis terminum posuerit; ergo &c.

Confirmatur. Si valor, aut fructus Sacrificii limitaretur, seu minueretur ex concursu offerentium, vel devotione eorum, melius faceret, qui Missam audiret solus, vel cum paucis, quam qui cum multis: hoc autem est procul a veritate, & alienum a communi persuasione fidelium pro certo habentium, sibi nihil decedere de fructu suæ oblationi, & devotioni correspondente, licet plures, vel etiam plurimi Missæ intersint; ergo &c.

Respondebis forte, fructum Sacrificii, saltem ut correspondentem devotioni offerentium, crescere quidem posse in infinitum ex opere operantis, non autem ex opere operato. Sed

Contra est, quod Sacrificium Missæ causet suum hunc talem fructum, seu effectum, quemadmodum causant Sacramenta: sed ista ex opere operato causant hunc talem effectum, eo majorem semper, ac majorem, quo majori, ac majori cum devotione suscipiuntur; veluti ostensum manet *n.* 56. ergo & illud, quo majori, ac majori cum devotione offertur.

323. Objicies. Causa potens producere effectus syncategorematice infinitos, esse categorematice infinita; ut patet de Omnipotentia Dei; ergo si Sacrificium Missæ possit causare effectus syncategorematice infinitos (sicut ex dictis potest) ejus virtus, & valor erit, etiam quoad efficaciam, categorematice infinitus; quod supra negatum.

Respondetur, dist. ant. Si causa id possit sine concursu alicujus extrinseci, quod se habeat per modum dispositionis, & quasi concausæ, ut Deus potest per suam Omnipotentiam, con. secus, neg. ant. & dist. similiter cons. Si Sacrificium Missæ id possit sine concursu alicujus extrinseci, antefato modo se habentis, con. secus, neg. cons. Licet Sacrificium Missæ effectus syncategorematice infinitos causare valeat etiam ex opere operato; quia tamen id, juxta voluntatem Christi, & propriam sui institutionem, præstare aliter nequit, quam in infinitum multiplicatis actibus, & devotionibus offerentium, non concluditur esse virtutis, & valoris quoad efficaciam categorematice infiniti, sed syncategorematice tantum, & modo quodam negativo, id est, virtutis non limitatæ &c.

324. Quæres, an Missa Sacerdotis mali minus valeat, quam Missa Sacerdotis boni?

Respondetur primo. Non minus valet Missa Sacerdotis mali, puta in statu disgratiæ constituti, Hæretici excommunicati (etiam non tolerati, degradati &c. quam boni, in quantum illa innititur præcise meritis Christi, suumque sortitur valorem, & fructum ex opere operato. Ita Gobat *in Theol. Experim. tr.3. n.112.* Sporer ubi supra *a n.*320. La Croix *lib.6. part.2. n.49.* & alii communiter. Ratio est: quia Sacrificium Missæ, præfato modo spectatum, peragitur, atque offertur in persona, & nomine Christi, cujus natura bonitas, & sanctitas est, nec infici, aut quomodocunque impediri (saltem in tali casu) a Sacerdote potest. Confirmatur, & solidatur hæc responsio *ex can.76. caus.1. q.1.* ibi: *Intra Catholicam Ecclesiam in mysterio Corporis, & Sanguinis Domini nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti &c.*

Respondetur secundo. Similiter non minus valet Missa mali Sacerdotis, in quantum ea innititur meritis Ecclesiæ. Ita denuo Authores *citt.* & alii communiter. Ratio est: quia Sacrificium Missæ, sic spectatum, peragitur, atque offertur in persona, & nomine Ecclesiæ, quæ est semper sancta, & grata Deo. Excipiunt hic Gobat, Sporer, & alii: nisi Sacerdos ille sit excommunicatus non toleratus. Rationem dant: quia Ecclesia per talem hunc Sacerdotem non vult, imo prohibet Sacrificium Missæ offerri; consequenter non bene dicitur ab illo offerri in persona, & nomine Ecclesiæ. Sed non placet hæc exceptio, nec ratio ejus probativa; nam licet Ecclesia celebrationem, & oblationem Missæ simili Sacerdoti prohibeat; nihilominus supposito, quod oblatio fiat, censetur fieri in persona, & nomine Ecclesiæ; sicut oblatio censetur fieri in persona, & nomine Christi, quando fit a Sacerdote mortalibus contaminato, adeoque contra prohibitionem Christi; veluti recte arguit P. La Croix *loc. & n. citt.* unde fructus Sacrificii, qui antedicto modo offertur, omnino, & æqualiter (quantum est ex meritis Ecclesiæ) prodest illis, pro quibus offertur a Sacerdote excommunicato, licet non tolerato, ac si offerretur a Sacerdote non excommunicato. Quod tamen intellige: nisi & ipsi, pro quibus offertur, sint de classe excommunicatorum non toleratorum. Nam his talibus, esto prodesse possint Sacrificia Missæ quoad valorem, & fructum, provenientem ex meritis Christi; non tamen prosunt quoad valorem, & fructum, provenientem ex meritis Ecclesiæ; siquidem ab Ecclesia illo privari possunt, & reapse privantur; prout ostensum manet *p.* 3. *n.*294. & insinuatum *ead. part. n.* 157.

Respondetur tertio. E diverso minus valet Missa Sacerdotis mali, quam boni, in quantum ea innititur meritis ipsius Sacerdotis offerentis, suumque sortitur valorem, & fructum ex opere operantis. Consentiunt

omnes.

omnes. Ratio clara est: quia preces amici utique habent plus energiæ, & efficaciæ, quam preces hostis, & inimici. Constat præterea *ex can.90.cauf.1.q.1.* qui sic sonat: *Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt; quia suis precibus ea delent, atque consumunt; qui quanto digniores fuerint, tanto facilius, pro quibus clamant, exaudiuntur.* Atque ex hoc capite non reprehendendi, sed laudandi potius sunt fideles, dum libentius audiunt, vel conducunt Missam Sacerdotis boni, quam mali: modo caveant sibi a temerario judicio, contemptu, obtrectatione, ac diffamatione Sacerdotis, cujus dignitatem occulte norunt: prout monet Sporer *n.323.*

ARTICULUS IV.

Quosnam effectus, & quomodo causet Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

325. *Assignatur aliqualis differentia inter effectum, & fructum Sacrificii Missæ.* 326. *Quotuplex sit fructus?* 327. *An unus ab altero separari valeat?* 328. *Quos effectus habere possit Sacrificium Missæ ex opere operantis?* 329. *An per modum suffragii valeant alteri applicari?* 330. *Sacrificium Missæ mediate solum causat remissionem peccatorum mortalium.* 331. *Solvitur objectio.* 332. *Fit animadversio.* 333. *Etiam remissionem peccatorum venialium non nisi mediate confert: immediate vero* 334. *remissionem alicujus pœnæ temporalis: qualiter & impetrat* 335. *varia beneficia,* 336. *& seq. Effectus, in quatuor conclusionibus posterioribus recensiti, sunt ex opere operato, & infallibiles,*

325. PRænotandum primo, effectum Sacrificii Missæ latius patere, quam fructum. Ratio est: quia Sacrificium adæquate, & integre sumptum, tres complectitur partes, veluti substantiales, nempe Consecrationem, Oblationem (intellige realem) & Sumptionem, quarum singulis suus correspondet effectus, non tamen fructus proprie loquendo, & in rigore sermonis. Itaque effectus Sacrificii, quatenus hoc consecrationem includit, est ipsum Sacramentum Eucharistiæ, quatenus includit oblationem, ejus effectus est fructus, ex illius valore promanans: quatenus includit sumptionem, pro suo effectu respicit gratiam sanctificantem &c. Ita quoad rem P. Sporer *loc. cit. num.222.* In præsenti agemus præcipue de effectu Sacrificii, prout hoc includit oblationem; adeoque prout effectus ejus accipitur quasi specifice, & confunditur cum fructu.

326. Prænotandum secundo, divisionem fructus ex triplici capite desumi, nempe *ex parte causalitatis, ex parte rei,* & *ex parte participantium.* *Ex parte causalitatis* dividitur in *fructum ex opere operato,* & in *fructum ex opere operantis.* Fructus ex opere operato est, qui independenter a merito, & bonitate Ministri confertur intuitu meritorum, & satisfactionis Christi, in cujus persona, ac nomine Sacrificium offertur. Fructus ex opere operantis est, qui confertur intuitu devotionis, & bonitatis repertæ in offerente. *Ex parte rei* fructus dividitur in *meritorium, satisfactorium,* & *impetratorium.* Meritorius (subintellige, de condigno) est augmentum gratiæ, & gloriæ correspondens merito offerentis: qui proinde fructus totus est ex opere operantis. Satisfactorius est remissio pœnæ temporalis, pro peccatis jam remissis debitæ. Impetratorius est impetratio beneficiorum cum spiritualium, tum temporalium. Atque hi duo fructus possunt esse tam ex opere operato, quam ex opere operantis. Fructus impetratorius sub se comprehendit *propiciatorium,* & *expiatorium,* quorum prior est remissio peccatorum mortalium, & posterior venialium quoad reatum culpæ: siquidem Missæ Sacrificium haud aliter dici potest propitiatorium, & expiatorium, quam mediante gratiarum, & auxiliorum impetratione; uti patulum fiet ex dicendis. *Ex parte participantium* fructus Sacrificii dividitur in *generalem, specialem, specialissimum,* & *ministerialem.* Generalis (alii quidam *generalissimum* vocant) est, qui toti Ecclesiæ, cunctisque fidelibus obtingit ex Sacrificio, quatenus istud nomine cunctorum offertur. Specialis est, qui provenit assistentibus Sacro, vel ad hoc cooperantibus. Specialissimus est, qui ipsimet Sacerdoti celebranti obvenit. Ministerialis est, quem percipiunt illi, pro quibus Sacerdos celebrans ut Minister Christi specialiter applicat Sacrificium. Ex modo dictis quasi fluit, &

327. Prænotandum tertio, fructus Sacrificii Missæ esse divisibiles, & ab invicem separabiles tam (1.) ex natura rei, quam (2.) ex voluntate sacrificantis. Ratio, & exemplum primi est; quia cunctis fidelibus obtingit fructus generalis; concurrentibus ad Sacrificium specialis; neutris tamen specialissimus, aut ministerialis. Ratio secundi est: quia Sacrificans potest valide (vel etiam licite, quando nempe Sacrificium applicat libere, quin id teneatur applicare huic, vel illi ex Justitia, Charitate, Pietate &c.) sua voluntate efficere, ut fructus ministerialis, qua satisfactorius est, obveniat uni, &, qua impetratorius est, alteri &c. hoc ipso, quod ejusmodi fructus ex natura rei sint separabiles, Augustinus Michel hic *fol.171. num.23, & 24.* aliique ab ipso relati. Nunc

328. Dico primo, Sacrificium Missæ, quatenus offertur a Sacerdote, ut persona privata sive ex opere operantis, potest habere omnes effectus, quos potest habere aliud opus virtuosum quodcunque. Communissima DD.

Probatur. Quia Sacrificium Missæ est actus Religionis, isque præstantissimus; ergo, dum peragitur ab homine justo, potest esse meritorium, satisfactorium, & impetratorium; adeoque habere omnes effectus, quos habere possunt alia opera virtuosa. Sed

329. Quæres, an Sacerdos celebrans possit commemoratos effectus per modum suffragii applicare, & donare alteri?

Respondetur, quod sic possit applicare (1.) effectum satisfactionis, & impetrationis; non autem (2.) meriti, videlicet de condigno: quod addo, ut indigitem Sacrificii fructum meritorium sub ratione meriti de congruo posse alteri applicari; veluti docetur *in tr. de Merito,* Sporer ubi supra *n.231,* Michel *fol. 167. n.4.* & alii passim. Ratio primi est: quia benignissimus Deus, ob communionem Sanctorum, cujuslibet hominis justi opus virtuosum, quale vel maxime est Sacrificium Missæ, acceptat tanquam satisfactorium, & impetratorium pro alio homine, pro quo ab illo applicatur; sic enim *Matth.9.* Christus sanavit paralyticum, videns fidem eorum, a quo portabatur; ergo &c. Ratio secundi est: quia natura meriti (de condigno) respicit augmentum gratiæ, & gloriæ (ex dictis *n.326.*) atqui unus homo, ut ut justus, ac virtuosus, non potest alteri augmentum gratiæ, & gloriæ mereri; cum istud cuique reddendum sit secundum propria sua opera, teste Apostolo *ad Roman. 2.* ergo &c. Ut progrediamur ad effectus, quos causat Sacrificium ex opere operato.

330. Dico secundo. Sacrificium Missæ non confert immediate remissionem peccatorum mortalium illi, pro quo offertur; sed mediate solum, impetrando scilicet auxilium debitæ pœnitentiæ, qua ejusmodi peccata remittantur. Communis DD.

Probatur ex authoritate, & ratione. Ex authoritate quidem; nam Conc. Trid. *Sess.22.c.2.* ita habet: *Hujus quippe* (Sacrificii Missæ) *oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Quibus verbis clare innuit, remissionem peccatorum mortalium non fieri a Sacrificio Missæ immediate; sed mediate solum, quatenus nempe illi, pro quo offertur, confert auxilium gratiæ prævenientis, & excitantis ad pœnitentiam. Ex ratione vero: quia Sacrificium Missæ præmemoratam vim remittendi mortalia deberet fuisse sortitum ex institutione Christi: atqui non constat de tali institutione; ergo &c.

331. Objicies. Sacramenta mortuorum immediate causant remissionem peccatorum mortalium; ergo & Missæ Sacrificium sic eam causat; cum non sit minoris nobilitatis, & excellentiæ, quam quodlibet Sacramentum.

Confirmatur. Sacrificium Missæ non solum est impetratorium, sed etiam propitiatorium; prout tradit Conc. Trid. *Sess.22. can.3.* atqui non apparet, quomodo sit, & dici possit propitiatorium, si mediate tantum, & per solam impetrationem auxilii ad pœnitentiam necessarii conferat remissionem peccatorum mortalium; ergo &c.

Respon-

Respondetur ad object. neg. cons. Disparitas petitur ex fine, ad quem Sacramenta, & Sacrificium ex institutione Christi ordinantur. Nam Sacramenta, si sunt vivorum, per se primo ordinantur ad sanctificandum; si vero mortuorum, ad justificandum hominem. Contra Sacrificium Missæ per se primo ordinatur ad cultum Divinum, & secundario tantum ad sanctificandum, atque justificandum hominem. Unde ad rationem consequentiæ probativam ajo, non esse hic attendendam excellentiam Sacramentorum, & Sacrificii, sed finem, ad quem ex institutione Christi, & per se primo ordinantur; atque ex hoc posteriori capite vim, modumque causandi dimetiendum.

Ad confirmat. neg. min. Nam Sacrificium Missæ eatenus est propitiatorium, quatenus ipsius intuitu placatur Deus, ut in peccatores non animadvertat celeri vindicata, sed spatium pœnitendi iisdem indulgeat. Eatenus vero est impetratorium, quatenus Deum movet, ut largiatur bona cum spiritualia, tum temporalia: id quod fieri potest, esto non sit præmemorato modo propitiatorium, quando nimirum ille, pro quo offertur, est in statu gratiæ, & amicus Dei. Ita Concil. seipsum explicat *Sess.* 22, *cap.* 2.

332. Colliges, & occasionaliter inferes ex dictis, non tantum primam gratiam non conferri immediate per Sacrificium Missæ (prout ex hucusque dictis colligitur) sed neque secundam, seu augmentum gratiæ, puta dum offertur pro justis. Communis DD. Ratio est: tum quia alias liceret sacrificare pro infantibus baptizatis, ut augmentum gratiæ, in Baptismo obtentæ, reciperent; quod nemo admiserit: tum quia alias fieri posset, ut aliquis, qui vix boni quidpiam per decursum vitæ egisset, gratia, & gloria supergrederetur alios, qui bonis operibus continuo insudassent; modo pro illo numerosa Missæ Sacrificia offerrentur; hoc autem paradoxum esse, nemo non videt. Accedit, nullum extare vestigium, aut fundamentum, ex quo immediata illiusmodi causalitas tribuatur Sacrificio Missæ. Quapropter mediate solum confert hominibus justis, pro quibus offertur, augmentum gratiæ, quatenus iis per illud impetrantur, & obveniunt auxilia gratiæ actualis, tum sufficientia, tum efficacia, ad eliciendos actus virtuosos, per quos gratia habitualis augeatur, & crescat.

333. Dico tertio. Sacrificium Missæ etiam peccatorum venialium remissionem non confert immediate, sed mediate solum. Ita post Suarez, Vasquez, Coninch, Palao, & Salmanticenses Augustinus Michel ubi supra *fol.* 168. *n.* 9. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 4. *disp.* 4. *art.* 2, *n.* 5. aliique communius, mihique probabilius.

Probatur ratione negativa; siquidem nec in sacris Literis, nec in Conciliis, nec in *SS.* Patribus extat fundamentum Sacrificio Missæ tribuendi vim immediate remissivam peccatorum venialium: imo ex Concilio Tridentino colligitur potius oppositum, utpote quod *Sess.* 22. *cap.* 2. Sacrificio Missæ remissionem peccatorum venialium non aliter attribuit, ac remissionem peccatorum mortalium; hæc autem remittuntur per Sacrificium Missæ solum mediate, secundum dicta *n.* 330. consequenter &c. Diversimode proin sentiendum de Sacramento Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ relate ad causandam remissionem venialium. Hæc nanque per illud causatur immediate, quemadmodum ex Concilio Tridentino probatum ivimus *numer.* 292. per istud vero mediate solum, mediante nimirum pio motu hominis, venialibus obnoxii, vel auxilio ad similem motum eliciendum, per Sacrificium Missæ impetrato; qui motus sit virtualiter saltem retractativus venialium, & causa immediata remissionis eorum.

Neque obstat, quod habet Trid. *Sess.* 22. *de Sacrif. Missæ, cap.* 1. ubi ait, per hoc Sacrificium salutarem virtutem crucis *in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicari.*

Respondetur enim, Concilium loqui de venialium remissione mediata, quæ procul dubio virtute hujus Sacrificii contingit, sicut contingit remissio mortalium; mediis scilicet auxiliis actualibus excitantibus ad pœnitentiam, & debitam venialium retractationem. Ita Augustinus Michel hic *fol.* 169. *numer.* 10. quem vide.

334. Dico quarto, Sacrificium Missæ confert immediate remissionem alicujus pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis (sive mortalibus, sive venialibus) quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ jam remissis. DD. communissime.

Probatur ex Trid. *Sess.* 22. *cap.* 2. ubi ita subjungit, atque concludit: *Quare* (Sacrificium Missæ) *non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Idem repetit, & definit *can.* 3. Atqui non posset offerri pro defunctis, nondum purgatis, nisi immediate ipsis remitteret pœnam aliquam temporalem; ergo &c. Min. ostenditur; nam ex una parte nihil aliud assignari potest, quod defunctis remittatur; ex altera vero dici nequit, quod remissio pœnæ temporalis ipsis conferatur mediate solum, impetrando videlicet auxilia ad actus satisfactorios eliciendos, cum animæ in purgatorio sint positæ extra statum satisfaciendi per elicitionem propriorum actuum; ergo &c.

Dixi in conclus. *remissionem alicujus pœnæ temporalis &c.* ut indigitarem, non quovis Sacrificio totam remitti pœnam restantem, sed certam duntaxat partem pœnæ: alias quippe irrationabiliter legerentur, ac applicarentur plura Sacra pro uno, eodemque defuncto, ut patet.

335. Dico tandem quinto, Per Sacrificium Missæ immediate impetrantur varia beneficia non solum spiritualia, sed etiam temporalia, quatenus tamen hæc habent relationem, & ordinem ad salutem animæ. Est itidem communissima DD.

Probatur tum ex authoritate Tridentini, *loc. cit.* dicentis, Sacrificium Missæ recte offerri non tantum pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, sed etiam *pro aliis necessitatibus*: per quæ posteriora verba sat aperte indicatur, quod in conclus. asseritur. Tum ex ratione, eaque gemina. Una est: quia in Lege veteri fuerunt Sacrificia immediate impetratoria variorum beneficiorum, etiam temporalium; ergo etiam in Lege nova, & a potiori, sic impetratorium censeri debet præstantissimum Sacrificium Missæ. Altera est: siquidem per exhibitionem bonorum operum, & preces beneficia tum spiritualia, quam temporalia a Deo immediate impetrare possumus; ergo etiam, & multo magis per exhibitionem, seu oblationem acceptabilissimi Sacrificii Missæ.

336. Colliges primo, omnes effectus, in quatuor conclusionibus posterioribus recensitos, per Sacrificium Missæ causari ex opere operato. In doctrina hujus corollarii conveniunt plerique Authores, quos ad manum habeo. Ratio est, quia illud per hoc Sacrificium causatur ex opere operato, quod confertur ob solam ejus dignitatem sine necessaria dependentia a meritis operantis, sive hic sit Minister offerens, sive persona, pro qua offertur: sed omnes prædicti effectus ita conferuntur, veluti patebit eorundem naturas, & hucusque dicta consideranti; ergo &c.

337. Colliges secundo, eosdem effectus per Sacrificium Missæ causari etiam infallibiter. In doctrina hujus corollarii discrepant Authores quoad causalitatem aliquorum effectuum: prout mox patebit. Ratio nostra generalis hæc esto: quia Sacrificium Missæ præfatos effectus omnes causat ex opere operato; ergo infallibiliter, quando nempe nullum invenit obicem in subjecto, in quo illos causet. Aut relinquitur ex dictis *n. præced.* Cons. videtur fluere, & patet a pari de Sacramentis, quæ gratiam, quam causant ex opere operato, causant per consequens etiam infallibiliter, si nullus adsit obex ex parte illa recipientis. Sed

Dices primo. Si remissio peccatorum mortalium per Sacrificium Missæ conferretur infallibiliter, nullus esset peccator, qui non ageret pœnitentiam, & justificaretur, si pro ipso Sacrificium fuisset oblatum; atqui hoc est falsum, prout experientia condocemur; ergo remissio peccatorum mortalium per Sacrificium Missæ non confertur infallibiliter. Ita argumentantur, qui negant (sicut negant multi) remissionem peccatorum mortalium esse effectum infallibilem Sacrificii Missæ.

Respondetur, dist. seq. maj. Si remissio illa conferretur etiam immediate, con. si mediate solum, prout ipsimet Adversarii nobiscum docent, neg. seq. maj. & distinctione applicata minori, cons. Per Sacrificium Missæ infallibiliter confertur peccatori, pro quo sacrificatur,

tur, auxilium, vi cujus, si vellet, posset agere pœnitentiam, & consequi gratiam justificationis. Quia tamen nimis, quam sæpe, non vult, manet Joannes in eodem.

Instabis. Vel auxilium illud esset efficax, vel sufficiens tantum: neutrum potest dici; ergo &c. Prob. min. Non enim potest dici esse efficax; alias peccator, cui confertur, infallibiliter converteretur. Neque potest dici esse sufficiens tantum; cum tale conferatur peccatori aliunde, videlicet vi voluntatis generalis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Ergo &c.

Respondetur, neg. min. & ad prob. ajo, illud auxilium aliquando esse efficax, vi cujus peccator infallibiliter convertitur; aliquando sufficiens tantum, vi cujus converti posset, si vellet. Nec refert, quod aliunde jam habeat auxilium sufficiens ad conversionem. Nam hoc tale auxilium est generale, & commune omnibus hominibus: alterum vero, quod confertur per Sacrificium Missæ, est speciale, & proprium illi, pro quo Sacrificium Missæ offertur; adeoque priori superadditur, & accrescit.

Dices secundo. Beneficia, quæ per Sacrificium Missæ petuntur, non semper impetrantur; prout constat ab experientia; ergo hic impetrationis effectus non confertur infallibiliter.

Respondetur, dist. ant. Beneficia illa non semper impetrantur determinate, & formaliter, con. indeterminate, & æquivalenter, neg. ant. & dist. similiter cons. Ergo hic impetrationis effectus non confertur infallibiliter in priore sensu, quasi beneficia, quæ petuntur, semper concedantur determinate, & formaliter, con. in posteriore sensu, quo conceduntur saltem indeterminate, & æquivalenter, neg. cons. Declaratur responsio, Itaque hic effectus impetrandi non est sic infallibilis, ut semper in particulari determinate, & formaliter obtineatur idipsum, quod petitur; præsertim quando petitur bonum aliquod temporale, utpote quod sæpius petitur inordinate, & sine relatione ad salutem animæ; vel refertur quidem ad hunc finem, reipsa tamen non conducit ad eundem; vel quia Deus statim annuit quidem petitioni, at non aliter, quam ut eam velit primum exequi tempore a se constituto. Est tamen ille effectus impetrationis semper infallibilis quoad aliquod bonum indeterminate, & æquivalenter, quod loco boni petiti obvenit Sacrificium Missæ offerenti, vel ei, pro quo offertur, quando in ipsis nullum invenit obicem. In hoc igitur sensu, & sub tali respectu antedictus impetrationis effectus est ex opere operato, & infallibilis. Ita quoad rem P. Sporer ubi supra *num.* 238. Michel *fol.*170.*n.*15. & alii apud istum.

CAPUT II.

De Obligatione celebrandi Sacrificium Missæ.

Obligatio Isthæc nascitur 1. Ex titulo Ordinis Sacerdotalis. 2. Ex titulo Officii; ut in Parocho, & Episcopo. 3. Ex fundatione alicujus Capellaniæ, vel Beneficii. 4. Ex promissione, seu pacto, & stipendio. Ut istas quatuor radices, & emanantem ex iis obligationem celebrandi Sacrificium Missæ clarius expendere, & ob oculos ponere valeamus, quatuor articulos statuemus, in quorum singulis de una radice, & correspondente obligatione sermo erit. Porro obligatio celebrandi aliquando connexam habet obligationem ad fructum Sacrificii applicandum juxta intentionem Fundatoris, aut dantis stipendium, aliquando non: veluti patebit per decursum. Nunc sit

ARTICULUS I.

De Obligatione celebrandi, quæ nascitur ex titulo Ordinis Sacerdotalis.

SUMMARIUM.

338. & 339. *Quivis Sacerdos vi Ordinis Sacerdotalis tenetur sub mortali aliquando celebrare Sacrificium Missæ: quamvis* 340. *non diebus certis.* 341. *Decens tamen est, ut id faciat singulis diebus, ab Ecclesia permissis.* 342. & 343. *Mortaliter peccat, si non sæpius, ac quater per annum celebret.*

338. Dico primo. Quivis Sacerdos ratione Ordinis Sacerdotalis, secluso etiam quocunque alio titulo, tenetur aliquando celebrare Sacrificium Missæ. Ita DD. satis communiter.

Probatur ex verbis Christi apud *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, per quæ juxta declarationem Tridentini *Sess.*22. *cap.*1. Salvator noster Apostolis, eorumque in Sacerdotali Ordine Successoribus præceptum imposuit offerendi Sacrificium Missæ: cum ergo omnes, & singuli Sacerdotes in Ordine Sacerdotali Apostolis succedant, ex præcepto Divino tenentur aliquando celebrare Sacrificium Missæ. Quod etiam teneantur ex præcepto Ecclesiastico, clare innuitur *in cap.*9. *de Celebrat. Missar.* ubi Sacerdotibus imponitur pœna suspensionis ob aliqua delicta, ibi recensita, inter quæ unum est, quod vix in anno quater celebrent, Quod si contendas cum P. Herincx hic *q.*9.*n.*94. pœnam suspensionis ibi statutam non cadere super defectum sufficientis celebrationis; negari tamen non potest, in *cit. c.* Sacerdotes ob illum defectum acriter reprehendi: consequenter &c.

339. Colliges, obligationem aliquando celebrandi, in singulis Sacerdotibus vi Ordinis Sacerdotalis residentem, esse gravem, & sub mortali. Ita cum Div. Thoma, Navarro, Reginaldo, & aliis passim Augustinus Michel *fol.*134. *num.*3. Ratio patens est: quia, in quantum ea obligatio est Juris Divini, versatur circa rem gravem, cui proinde commensuratur; in quantum vero est Juris Ecclesiastici, illius gravitas concluditur vel ex gravitate pœnæ contra prævaricatores constitutæ, nempe suspensionis, vel ex gravitate reprehensionis, secundum dicta *n. præced.*

Dices. Plures Sacerdotes sancti leguntur nunquam sacrificasse post susceptum Sacerdotium; ergo non est obligatio, saltem gravis, aliquando sacrificandi.

Respondetur, transmisso antecedente (propter ly *nunquam*) neg. cons. Ad ant. ajo, quod illiusmodi Sacerdotes a sacrificando abstinuerint ex speciali instinctu Spiritus Sancti, ratione cujus existimarunt, se non obstringi obligatione sacrificandi, ut possent exercere actum Humilitatis v.g. quorum proinde exemplum aliis, talem instinctum non habentibus, imitari haud licet; ut cum Suarezio advertit P. Babenstuber *tract.*8.*part.*4. *disp.*6. *art.*1.*n.*11.

340. Dico secundo. Sacerdos, ratione Ordinis Sacerdotalis præcise, non tenetur celebrare certis diebus, v.g. Dominicis, & Festivis. Ita insinuat Sporer ubi supra *num.*461. Michel *fol.*134. *n.*3. & absolute tenet Babenstuber *loc. cit. n.*13. *prope fin.*

Probatur. Vel hæc obligatio celebrandi esset ex Jure Divino, vel ex Jure Ecclesiastico: neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. Non enim dici potest primum: quia si nulla fuisset instituta ab Ecclesia dierum solemnitas, Sacerdotes, ratione Ordinis Sacerdotalis, & de Jure Divino non minus obligarentur ad celebrandum; cum institutio Ecclesiastica dierum solemnium sit posterior institutione Sacerdotii, & Jure Divino obligationem celebrandi Sacerdotibus imponente. Nec dici potest secundum: quia dum Concil. Trid. *Sess.* 23. *de Reform. cap.* 14. ordinat, ut Episcopi curent, & suis adhortationibus, ac monitionibus inducant Presbyteros ad celebrandum diebus Dominicis, & Festivis solemnibus, solam innuit congruentiam respectu Sacerdotum simplicium, non vero obligationem celebrandi illis diebus, prout *num.* 344. declarabitur *in solut. instant.* Ergo &c. Quare Sacerdos (nisi forte Episcopus præcipiat) non peccabit, si (absente scandalo) Missam dictis diebus celebrare, etiam sine causa intermittat; modo non intermittat audire, Id quod confirmatur ex praxi piorum etiam Sacerdotum, præsertim Illustrium, qui diebus Dominicis, & Festivis Missam audiunt, non autem legunt, quin idcirco se peccare existiment.

341. Colliges, quamvis nec Lege Divina, nec humana obligetur Sacerdos ex vi Ordinis ad celebrandum certis diebus, ut ut solemnibus, multo minus singulis, consultum tamen, & omnino decens esse, ut id faciat. Ita probat constans Ecclesiæ praxis, & testantur Achaiæ Presbyteri, S. Andream Apostolum gloriatum esse, quod omni die sacrificaret, immaculatum Agnum in altari offerens. Similiter Venerabilis Beda apud Gabrielem *Lect.* 87. in hunc modum loquitur;

quitur: *Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria; Angelos lætitia; peccatores venia; justos subsidio, & gratia; in purgatorio existentes requie; Ecclesiam speciali Christi beneficio; & seipsum medicina, ac remedio.*

Excipiendi tamen sunt tres ultimi dies Hebdomadæ Sanctæ. Quod in die Parasceves celebrare permissum non sit, in confesso est apud omnes. E diverso quoad celebrationem in Feria V. Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto, Suarezio, Barbosa, Layman, Gobat *tr. Theol. Experim. num.* 219. *& seqq.* La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 231. & Babenstuber *tr.* 8. *part.* 4. *disp.* 8. *art.* 1. *n.* 6. censent, non esse prohibitum prædictis duobus diebus privatim celebrare, modo id fiat Feria V. ante, & Sabbato Sancto post Officium solemne, Ex quibus tamen P. Babenstuber hanc doctrinam *loc. cit.* traditam, in Procemio sui Operis retractat. Et merito: siquidem in praxi amplius locum non habet, per se loquendo; eo quod a S. R. Congreg. & Clemente XI. 23. *Martii* 1701. item 20. *Aprilis* 1707. interdictum fuerit, ne die Cœnæ Domini, & Sabbato S. in una, eademque Ecclesia, præter Missam solemnem legerentur aliæ, quamvis privatæ tantum. Idem circa celebrationem in Sabbato Sancto jam ante declaraverat S. Congreg. *die* 11. *Febr.* & iterum *die* 11. *Martii* 1690, non obstante consuetudine contraria. Ita P. Kreislinger *in suo Supplem. addit. post num.* 110. *ad tract.* 14. *dist.* 5. *Theol. Moral. P. Reiffenstuel*, eumque secutus P. Elbel, *n.* 228.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam per accidens utique licet celebrare Missas aliquot privatas ante solemnem, quando Festum S. Josephi, Annunciationis B. V. in Feriam V. Cœnæ Domini incidit, ut populus, ad audiendum Sacrum tunc obligatus, commodius suæ obligationi satisfacere possit: imo id exprefse indulgetur in Decreto S. Congreg. edito 13. *Sept.* 1692. Quod si simile Festum occurreret in die Parasceves, aut Sabbato Sancto, transferretur, etiam in foro, & quoad præceptum tam audiendi Missam, quam vacandi ab operibus servilibus, post Pascha, ex Decreto *de die* 11. *Martii an.* 1690. Attendenda insuper venit consuetudo loci: siquidem præallegata Decreta non ubique satis promulgata, vel certe non uniformiter usu accepta sunt; ut praxis comprobat. P. Elbel *loc. cit.*

342. Dico tertio. Licet Sacerdos, vi Ordinis Sacerdotalis, non teneatur celebrare certis diebus, aut quotidie, tenetur tamen celebrare aliquoties per annum, nempe sæpius, ac ter, aut quater tantum. Conclusio in terminis, in quibus proposita est, admittitur communiter a DD.

Probatur autem in hunc modum. Sacerdos, vi Ordinis Sacerdotalis, tenetur aliquando celebrare ex præcepto Divino, secundum dicta *n.* 338. & ex præcepto Ecclesiastico non satisfacit suæ obligationi, si tantum ter, vel quater per annum celebret, secundum dicta *eod. n.* ergo tenetur sæpius, ac ter, aut quater per annum celebrare.

343. Colliges, mortaliter peccaturum Sacerdotem, qui cessante legitimo impedimento, non sæpius; ac quater per annum celebraret. Ita cum aliis a se relatis Augustinus Michel *fol.* 134. *n.* 3. Ratio patet ex jam dictis: quia talis Sacerdos in *cit. cap.* 9. *de Celebrat. Missar.* punitur pœna suspensionis (uti volunt Sporer ubi supra *n.* 461. Michel *loc. cit. n.* 2. & 3. aliique plures) vel saltem acriter reprehensibilis pronunciatur: consequenter &c. Hæc doctrina videbitur rigorosa; est tamen fundata in Jure, ut patet. Quod si Sacerdos celebret sæpius, ac quater per annum (quibuscunque tandem diebus id faciat) condemnari jam non amplius poterit peccati saltem gravis; cum, spectato solo Ordinis titulo neque ex Jure Divino, neque ex Jure Ecclesiastico ad frequentiores celebrationes, puta ad sex, octo, decem &c. noscatur obligatus.

A. R T I C U L U S. II.

De Obligatione celebrandi, quæ nascitur ex titulo Officii.

S U M M A R I U M.

344. *Parochus tenetur celebrare per se, vel per alium Sacerdotem illis diebus, quibus Parochiani tenentur audire Missam; non item aliis.* 345. *Corollarium.* 346. *& seqq. Ad quid in præsenti teneatur Episcopus?*

344. Dico primo. Parochus, ratione sui Officii, tenetur publice celebrare, sive per se, sive per alium Sacerdotem, illis saltem diebus, quibus Parochiani tenentur audire Missam. Communissima DD.

Probatur: quia in hunc finem Parochus recipit redditus, & oblationes, ut Parochianis ministret in iis, quæ pertinent ad ipsorum salutem, & ad præcepta Dei, ac Ecclesiæ implenda; ergo &c. Unde hæc duo sunt correlativa: Parochiani tenentur audire Missam; ergo Parochus tenetur, sive per se, sive per alium Sacerdotem loco sui substitutum, legere Missam, quam illi audire possint, & præcepto Ecclesiæ satisfacere. An autem hisce diebus Parochi etiam teneantur Sacrificium pro Parochianis applicare? quæstio difficilis est, infra *n.* 378. decidenda.

Dixi: *illis saltem diebus* &c. An aliis quoque diebus, quibus Parochiani non tenentur audire Missam, Parochus obligetur nihilominus celebrare, puta intra hebdomadem una saltem, vel altera vice? non conveniunt Authores. Affirmativam sententiam tenent Salmanticenses, & alii, quos refert, & sequitur Babenstuber ubi supra *art.* 3. *n.* 2. Negativam tuentur Sporer *loc. citat. num.* 462. Michel *fol.* 137. *num.* 16. & alii communius: quibus & ego subscribo. Ratio hujus sententiæ negativæ est: quia non debet imponi obligatio, nisi satis constet de præcepto, ex quo illa resultet: atqui hic non satis constat de præcepto, ex quo in Parocho resultet obligatio celebrandi extra dies, quibus Parochiani tenentur audire Missam; ergo &c. Maj. est certa, & decantata apud omnes. Min. patebit ex solutione argumenti, quo nituntur Authores adversi. Quare a contrario etiam hæc duo correlativa sunt: Parochiani non tenentur audire Missam, præterquam in diebus Dominicis, & Festivis; ergo nec Parochus legere; nimirum ratione Officii Parochialis, & nisi ad id adstringatur pacto, statuto, vel consuetudine speciali. Sed

Dices cum P. Babenstuber. Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.* ait: *Episcopus curet, ut Sacerdotes simplices saltem diebus Dominicis, & Festivis solemnibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Ecce (arguit *citat.* Author) Conc. præcepit Episcopis, ut frequentiorem celebrationem procurent in Parochis, curam animarum habentibus, quam in Sacerdotibus simplicibus; ergo cum hi teneantur celebrare diebus saltem Dominicis, & Festivis, illi tenebuntur sæpius.

Respondetur, hoc argumento impeti illos, qui admittunt, Sacerdotes simplices obligari ad celebrandum diebus Dominicis, & Festivis; nobis autem, qui id negamus (ex dictis *num.* 340.) nihil facessere negotii: prout consideranti patebit. Miror proinde, quod *citat.* Author, utpote qui & ipse supra nobiscum ejusmodi obligationem in Sacerdotibus simplicibus extare negat, hoc argumento utatur. Sed

Instabis. Quia *in cit. cap.* Episcopus jubetur curare, ut Sacerdotes, animarum curam habentes, celebrent toties, quoties id exigit ipsorum munus, recte infertur, quod, etiam non jussi (nimirum ab Episcopo) obligentur toties celebrare; ergo pariter recte infertur, quod Sacerdotes simplices, etiam non jussi, obligentur celebrare diebus Dominicis, & Festivis. Hoc autem stante, proposito argumento nos quoque impetimur &c.

Respondetur, neg. consequent. Ratio disparitatis est: quia Sacerdotes, animarum curam habentes, tenentur ex quasi contractu, adeoque ex Justitia, & consequenter etiam non jussi, toties celebrare, quoties id exigit ipsorum munus pastorale: at vero Sacerdotes simplices consimilem obligationem non gerunt; adeoque haud

appetet,

apparet, cur non justè obligentur ad celebrandum diebus Dominicis, & Festivis, præsertim cum nec aliunde ostendi queat aliqua radix, ex qua ejusmodi obligatio promanet. Itaque Concilium loquitur discretive, & aliter relate ad Sacerdotes curatos, aliter relate ad simplices, dum Episcopo *in cit. c.* mandatum imponit; nam relate ad priores jubetur ibi Episcopus curare, ut obligationem ex officio pastorali sibi incumbentem exequantur; relate ad posteriores vero, ut agere non intermittant, quod valde congruum, decens, & ædificatorium est.

345. Colliges, quod Parochus, si tanta sit multitudo populi, ut totus simul uni Missæ interesse non queat, obligetur ad conducendum alium Sacerdotem (vel Sacerdotes) ei dando justum stipendium, juxta vires, & proportionem Beneficii ab Ordinario taxandum, qui & ipse Missam legat, quam reliqui Parochiani audire, sicque obligationi suæ satisfacere valeant. Ita cum Palao P. Babenstuber *loc. cit. art.* 3. *n.* 1, Michel *fol.* 137. *num.* 16. & alii passim. Ratio est; quia hoc ipso, quod officium parochiale acceptaverit, censetur se obligasse ad faciendam occasionem, qua omnes Parochiani, suæ curæ concrediti, præcepta Dei, & Ecclesiæ adimplere valeant: consequenter &c.

346. Dico secundo. Episcopi (1.) frequentius, quam Sacerdotes simplices non tamen (2.) quotidie, tenentur celebrare Missam; uti nec audire. Communis.

Probatur prima pars. Parochi tenentur frequentius celebrare, quam Sacerdotes simplices; prout relinquitur ex dictis: sed Episcopi sunt veri Parochi; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Non oportet imponere aliquam obligationem, præsertim gravem, & sub mortali, ubi non suppetit sufficiens fundamentum: atqui non suppetit sufficiens fundamentum (quodnam enim illud?) imponendi Episcopis hanc talem obligationem; ergo &c.

347. Objicies primo contra primam partem conclusionis, & probationem ejus. Si Episcopi teneantur frequentius celebrare, quam Sacerdotes simplices; quia sunt veri Parochi, sequitur, quod determinate singulis diebus Dominicis, & Festivis celebrare teneantur, sicut alii Parochi, ex dictis *num.* 344. atqui sequela non practicatur; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. majoris. Licet enim Episcopi sint veri Parochi, curam animarum habentes, non tamen sunt Parochi particulares, cum (saltem ut plurimum) non sint immediati Pastores hujus, vel illius Ecclesiæ in particulari; sed Parochi universales respectu suarum Diœcesium. Unde licet Parochi particulares teneantur celebrare singulis diebus Dominicis, & Festivis, sive singulis diebus, quibus Parochiani tenentur audire Missam, non sequitur tamen, etiam teneri Parochos universales, seu Episcopos. Deinde Parochi particulares suæ obligationi satisfaciunt, si prædictis diebus celebrent per Substitutos; ergo etiam Parochi universales, seu Episcopi, dum celebrant per Parochos particulares, seu suos Substitutos, sive subsidiarios: adeoque non tenentur per seipsos celebrare diebus illis determinatis; esto teneantur sæpe, & sæpius, quam Sacerdotes simplices.

348. Objicies secundo contra secundam partem conclus. *In c.* 12. *de Privil. in* 6. conceditur Episcopis usus altaris portatilis, ut quotidie celebrare, aut Missam audire possint; ergo signum est, quod ad alterutrum quotidie obligentur.

Confirmatur. Si Episcopi non essent obligati ad quotidie celebrandum, Pontifex non habuisset sufficientem causam dispensandi in gravissimo præcepto non celebrandi extra Ecclesiam; adeoque nec dispensasset; sed dispensavit; ergo &c.

Respondetur ad object. neg. cons. Siquidem inde inferri non potest obligatio, sed sola convenientia; quam etiam exprimit *cit. c.* hisce verbis: *sine qua* (Missa celebranda, vel audienda) *eos* (Episcopos) *transire non decet absque rationabili causa ullam diem.* Unde

Ad confirmat. neg. maj. Causa enim dispensandi sufficiens fuit illa convenientia, juncta congruæ necessitati in Episcopis existenti, quatenus ii ad munus suum rite obeundum assidue indigent Divinis auxiliis per quotidianam Missæ celebrationem, vel auditionem obtinendis.

349. Curare tamen Episcopus debet, ut in Ecclesia Cathedrali, cujus est Prælatus, unum saltem Missæ Sacrificium singulis diebus celebretur. Idem curare incumbit Prælatis Ecclesiarum Collegiatarum, & Conventualium. Ita DD. communiter, id colligentes ex *c.* 11. *de Celebrat. Missar.* ibi: *Mandamus* (vobis Ecclesiarum nominatarum Rectoribus) *quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quo minus & pro anniversariis defunctorum, & pro festo, vel feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.*

ARTICULUS III.

De Obligatione celebrandi, quæ nascitur ex fundatione alicujus Capellaniæ, vel Beneficii.

SUMMARIUM.

350. *Capellanus, vel Beneficiatus tenetur & celebrare, & Missas applicare juxta intentionem Fundatoris.* 351. *Solvitur objectio.* 352. *An satisfaciat, si celebrari curet per alium?* 353. *An si celebret illas diebus ferialibus?* 354. *An, si infirmus sit, teneatur substituere alium, qui loco sui celebret, vel ipse, sanitati redditus, Missas interea omissas supplere?*

350. Dico. Capellanus, vel Beneficiatus ratione Capellaniæ, vel Beneficii obligatur non solum ad celebrandum Missas in fundatione præscriptas, sed etiam ad earum fructum juxta intentionem Fundatoris applicandum, ita, ut pro die, quo tenetur Missam taliter applicare, non possit accipere ab alio stipendium pro applicatione ejusdem. Communis.

Probatur tum authoritate, tum ratione. Authoritate quidem; nam S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum statuit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere:* alias pro una Missa liceret duplex stipendium accipere; quod improbat, & prohibet eadem Congregatio. Ratione vero: quia Capellanus, & Beneficiatus vi fundationis est quasi pacto, per acceptationem Capellaniæ, & Beneficii inito, contraxere obligationem in offerendo Sacrificio se conformandi intentioni Fundatoris; ergo &c.

351. Objicies: Ex nostra conclusione sequeretur, quod Capellanus, vel Beneficiatus, ratione Capellaniæ, vel Beneficii obligatus ad quotidie celebrandum, omnino nunquam posset Missam legere pro stipendio: sequela autem non videtur sustinenda; ergo &c. Min. prob. Nam Fundator Capellaniæ, aut Beneficii non ita adstringit Capellanum, aut Beneficiatum ad quotidie celebrandum, quin ipsi aliquando indulgeat vacationem debitæ honestatis, & devotionis gratia, hoc est, ne forte cogatur indevote ad celebrandum accedere, dum cogitur quotidie celebrare; uti habetur *c.* 11. *de Prabend.* ergo si tunc, seu illis diebus, quibus vacare permittitur, hac se libertate privare, & cum incommodo, ad quod exaotlandum non tenetur celebrare, velit, poterit pro stipendio Sacrificium alteri applicare.

Respondetur, conc. seq. & neg. min. Ad hujus prob. conc. ant. & neg. cons. Siquidem Fundator non præsumitur Capellano, vel Beneficiato indulgere vacationem causa meræ libertatis, qua se privare possit, & legere Missam pro stipendio, sed causa debitæ honestatis, & devotionis; prout in ipsa objectione expositum est, & clare significatur in *cit. cap.* Addit P. Viva *in prop.* 10. *ab Alex. VII. damnat. n.* 6. S. Congregationem ab Episcopo Collensi interrogatam, an Sacerdoti habenti obligationem celebrandi quotidie, aliquando vacare, &, si vacet, pro se, aut aliis Sacrificium offerre liceat? respondisse *die* 18. *Septemb. an.* 1683. quod possit quidem aliquando concurrente rationabili causa vacare, non autem, si celebret, pro aliis (subintellige: sibi non conjunctis) Sacrificium offerre, quam pro Fundatore &c.

Dices. Potest Capellanus, vel Beneficiatus, ex fundatione obligatus ad quotidie celebrandum, aliquoties per annum, v. g. quinquies, aut sexies, celebrare pro

seipso,

seipso, vel pro aliquibus sibi valde conjunctis; ergo etiam pro aliis, sive dein ab istis accipiat stipendium, sive non.

Respondetur, conc. ant. & neg. conf. Quod enim in ant. dicitur, fundatur in æquitate, & rationabili epikia, qua præsumitur, quod Fundator, si fuisset desuper Interrogatus, id minime denegasset. At vero, quod in conf. dicitur, non fundatur in simili æquitate, & epikia; atque iden prohibitum est, prout ex dictis constat. Ita Tamburinus, Salmanticenses, Gobat *tr.* 3. *a n.* 584. Elbel *n.* 215.

352. Quæres primo, an Capellanus, vel Beneficiatus satisfaciat obligationi suæ, si Missas, in fundatione præscriptas, legi curet per alium?

Respondetur, resolutionem hujus quæstionis colligi ex dictis *part.* 3. *n.* 424. *&* 425. Relege, & cum grano salis huc applica.

353. Quæres secundo, an Capellanus, vel Beneficiatus, qui ter, quaterve per septimanam vi fundationis celebrare tenetur, satisfaciat, si celebret diebus ferialibus?

Respondetur affirmative, per se loquendo. Gobat *loc. cit. n.* 586. Babenstuber ubi supra *art.* 2. *n.* 7. & alii communiter. Ratio est: quia Fundator, ut supponitur, præcise in fundatione indigitavit, se desiderare, ut ter, vel quater in septimana celebretur, non exprimendo qualitatem dierum; ergo integrum manet Capellano, vel Beneficiato, malitne celebrare diebus festivis, vel ferialibus, spectata intentione Fundatoris.

Dixi autem: *per se loquendo.* Nam per accidens fieri potest, ut sit obligatus ad celebrandum diebus festivis: e. g. si Capellania, vel Beneficium sit erectum in tali loco, ubi nullum aliud Missæ Sacrificium celebrari solet; hoc quippe casu censetur Fundator intendisse, ut præscriptæ Missæ legantur diebus festivis, non solum suo, sed & aliorum, in illo loco commorantium, & ad Missam iis diebus audiendam obligatorum, commodo prospicere volens; prout gnaviter advertunt Authores *cit.*

354. Quæres tertio, an Capellanus, vel Beneficiatus, si ratione infirmitatis v. g. a celebratione impediatur, teneatur conducere alium, qui loco sui celebret; vel ipse, sanitati redditus, Missas, infirmitatis tempore omissas, postmodum supplere?

Respondetur negative, saltem si infirmitas brevi duntaxat tempore duret, puta per unam, duas, aut tres septimanas; vel etiam per mensem (juxta Lugonem, Laymann, Hurtado, Salmanticenses, & alios) Ratio est: quia etiam benignus Herus temporalis, tametsi spectato rigore Justitiæ posset, nihil detrahere mercedis solet suo famulo per tam breve tempus ægrotanti; ergo a potiori id præsumendum est de pio Fundatore relate ad Capellanum, vel Beneficiatum, tantillo tempore ægrotantem. Ita Petrus Navarrus *lib.* 2. *de Restit. cap.* 2. *n.* 210. Palao *tr.* 13. *disp.* 1. *pun.* 6. *a n.* 25. & Authores immediate relati, aliique passim.

Dixi: *saltem si infirmitas brevi duntaxat tempore duret.* Quod si diutius duret, v. g. notabiliter ultra mensem, constituendus est Vicarius, si redditus ultra congruam Capellani, vel Beneficiati infirmi sustentationem redundent; ne alioquin Ecclesia, aut Fundator per longum tempus fructu Sacrificii carere debeat. Si vero redditus non sic redundent, censet Augustinus Michel *fol.* 136. *n.* 12. constitutionem Vicarii posse omitti, ex ratione, quod etiam ingenuus Herus temporalis famulo per longius tempus ægrotanti necessaria alimenta subministrare soleat.

ARTICULUS IV.

De Obligatione celebrandi, quæ nascitur ex promissione, seu pacto, & stipendio.

SUMMARIUM.

355. *Stipendia Missarum alia sunt* stabilia, *alia* manualia. 356. *Utraque citra labem injustitiæ, & simoniæ accipi, vel etiam exigi possunt.* 357. *De quantitate stipendii.* 358. *Sacerdos non potest pro una Missa accipere duplex stipendium.* 359. *& seq. Solvuntur objectiones.* 361. *Pariter Sacerdos non potest pro pluribus Sacrificiis stipendia, sive congrua, sive incongrua, accipere, & Sacrificium unum offerre.* 362. *Solvitur objectio.* 363. *Qui privata accipit stipendia pro Missis legendis, & parte illorum sibi retenta istas legi facit per alios, peccat.* 364. *Solvitur objectio.* 365. *Quando in casibus specificatis peccetur graviter?* 366. *Vel unam Missam pro stipendio acceptatam negligere mortale est.* 367. *& seq. Quando per Missarum dilationem graviter delinquatur?*

355. PRænotandum primo, præter institutiones generales, ac veluti stabiles Missarum, uti sunt Beneficia, Anniversaria &c. ex quibus oritur obligatio Justitiæ commutativæ ad offerendum Sacrificium Missæ, Sacerdotibus dari quoque stipendia privata, & manualia, ut pro dantibus, vel ad eorum intentionem semel, aut pluries sacrificent. Ex qua datione (vel promissione) & acceptatione stipendiorum, ceu ex pacto, similiter oritur obligatio Justitiæ commutativæ, juxta communem DD. De qua proinde obligatione in præsenti articulo per aliquot conclusiones disserendum est. Antequam vero id fiat,

356. Prænotandum secundo, quod Sacerdotes licite, & citra labem injustitiæ possint a petentibus Sacrificia conveniens stipendium muneris sui recipere, vel etiam exigere: prout colligitur ex illo Christi *apud Lucam* 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Et ex Apost. 1. *Corinth.* 9. *Qui Altari deservit, de Altari vivere debet.* Difficultas tamen non modica est, qua ratione illiusmodi exactio, & receptio citra labem Simoniæ fieri possit? Verum hanc difficultatem jam complanatum ivimus *part.* 2. *n.* 363. Revide ergo ibi dicta. Hic autem

357. Prænotandum tertio, quantitatem convenientis, & justi stipendii universali regula definiri non posse; quoniam loca sunt diversa, sicut & valor cum monetarum, tum alimentorum &c. Opinantur quidem nonnulli Authores, mensuram justi stipendii pro Missa esse tantum pecuniæ, quantum sufficit Sacerdoti ad victum unius diei. Veruntamen isthæc opinio, generaliter loquendo, sustineri non potest; sed ad summum de Missis statis, & quotidianis, quas Beneficiarus v. g. singulis diebus celebrare, & ad intentionem Fundatoris applicare tenetur: prout notat P. Sporer ubi *num.* 357. Tunc quippe consuetudo, & ratio videntur exposcere, ut Sacerdoti ita celebranti obveniat pro stipendio diurna sustentatio. At vero de Missis non statis dicendum omnino oppositum est: quia communis Ecclesiæ usus, ac fidelium persuasio sic postulat; imo æquitas haud permittit, ut propter laborem, per semihoræ moram subeundum, exigatur, vel recipiatur stipendium pro victu integri diei suffecturum. Ita post Suarez, Vasquez, Palao, & alios Gobat *tr.* 3. *n.* 563. Sporer *loc. & n. cit.* Elbel *n.* 202. Quando autem Apostolus supra inquit, eum, qui Altari deservit, debere de Altari vivere, solummodo vult, quod de Altari participare debeat, seu aliquid percipere, quo victui diurno impendendum; non autem quod debeat percipere ex ministerio Altaris integrum victum; partem quippe hujus aliis actionibus sibi competentibus acquirere potest. Babenstuber *art.* 2. *num.* 9. Itaque quantitas justi stipendii vel ex Lege Episcopali, vel ex consuetudine loci, vel ex usu prudentum, ac piorum Virorum metienda est: ut notant Authores *citt.* His præmissis ad conclusiones progredior, &

358. Dico primo, Sacerdos non potest citra peccatum injustitiæ accipere duplex stipendium pro una, eademque Missa, quamvis danti velit applicare non modo fructum ministerialem Sacrificii, sed etiam specialissimum. Communis.

Probatur tum ex *propos. inter damnatas ab Alex. VII. ord.* 8. quæ est hujus tenoris: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem.* Tum ex hac ratione. Debito ex Justitia certo non potest satisfieri solutione probabili, & incerta; cum non detur inter jus activum certum, & passivum incertum adæquatio ad actum Justitiæ essentialiter requisita: sed dans duplex stipendium habet jus activum certum ad duplicem fructum Missæ; Sacerdos vero, applicans fructum ministerialem, & specialissimum, non confert duplicem fructum certum; ergo &c. Min. facile prob. Siquidem incertum est, an fructus specialissimus alteri valeat ap-

plicari; partim quod sit personale beneficium, & quasi privilegium personæ Sacrificantis concessum; partim quia non constat, saltem certo, quod Christus Dominus dederit Sacerdoti potestatem, fructum specialissimum aliis applicandi; partim quia Suarez, & alii complures magni nominis negant, præmemoratum fructum in alios transferri posse; ergo &c.

359. Objicies primo. Potest aliquis alteri applicare fructum S. Communionis, aut jejunii, in quantum ea sunt opera impetratoria, & satisfactoria; ergo etiam potest Sacerdos alteri applicare fructum specialissimum Missæ; ergo si pro eo accipiat stipendium, non peccat; sicut non peccat, dum accipit stipendium pro fructu ministeriali.

Respondetur, concesso antecedente, neg. utranque cons. Disparitas est: quia dum quis alteri Communionem, & jejunium applicat, in eum præcise transfert fructum provenientem ex opere operantis, quem constat, posse aliis applicari. At vero fructus specialissimus Missæ provenit ex opere operato, quem non constat esse aliis applicabilem. Quis enim scit, an non sit talis fructus, qualis est fructus generalis Missæ, qui (secundum omnes) alteri applicabilis non est. Deinde licet detur, quod Sacerdos celebrans fructum specialissimum, saltem quoad partem, applicare alteri probabiliter valeat (prout cum aliis defendit P. La Croix, *lib. 6. part. 2. n. 50.*) non tamen inde sequitur, posse pro eadem Missa duplex accipi stipendium; quia conferens duplex stipendium obtinet jus activum certum ad duplicem fructum Missæ; Sacerdos vero non applicaret, nec applicare ei valeret duplicem fructum certum ejusdem Missæ; cum solus fructus ministerialis sit certus, id est, certo applicabilis alteri, fructus autem specialissimus solum probabilis, id est, probabiliter alteri applicabilis: consequenter &c. Ex quo etiam fluit, quare stipendium accipi possit pro fructu ministeriali, non item pro fructu specialissimo: quia ille aliis certo applicari valet, prout habetur ex perpetua praxi Ecclesiæ, & communi sensu omnium fidelium; non autem iste, cum nec ex praxi Ecclesiæ, nec ex sensu fidelium, nec aliunde de tali certa ejus applicabilitate constet.

360. Objicies secundo. Potest Sacerdos pro eadem Missa accipere duplex stipendium, si unum detur pro officiatura, seu ut Sacerdos tali loco, & tempore celebret, & alterum pro applicatione Sacrificii; ergo etiam poterit duplex stipendium accipere pro eadem Missa, quando unum confertur intuitu fructus ministerialis, & alterum intuitu fructus specialissimi acquirendi.

Respondetur, permisso antecedente, neg. cons. Cum enim Sacerdos eo tempore, & loco cum suo speciali incommodo Missam legere non teneatur, poterit pro labore illo Missæ extrinseco stipendium accipere, si tamen offerens expresse dicat, aut colligatur ex circumstantiis, unum stipendium dari pro officiatura, v. g. ut offerens hac determinata hora possit audire Sacrum; & alterum pro applicatione Sacrificii. At pro sola applicatione Sacrificii duplex stipendium accipere Sacerdos non potest; quia non potest offerenti applicare, saltem certo, nisi unum duntaxat fructum, nempe ministerialem; pro quo proinde non nisi unum debetur stipendium; & consequenter alterum, tanquam ex Justitia debitum, exigi, aut recipi non potest citra peccatum injustitiæ: veluti relinquitur ex dictis. Videri etiam potest P. Viva *in prop. supra relatam.*

361. Dico secundo. Sacerdos non potest citra peccatum injustitiæ (1.) pro pluribus Sacrificiis stipendia accipere, & Sacrificium unum offerre; tametsi accepta stipendia (2.) sint incongrua. Utraque pars est communis; esto secunda paucos quosdam Adversarios habeat.

Probatur prima pars tum *ex propos. inter damnatas ab Alex. VII. ord.* 10. quæ sic sonat: *Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre.* Tum ex ratione. Si Sacerdos pro pluribus stipendiis posset citra peccatum injustitiæ offerre unicum Sacrificium, tunc ideo præcipue, quod Missæ valor sit infinitus etiam quoad efficaciam, seu quoad effectum, & actualem applicationem, adeo, ut, dum applicatur pluribus, nullus ex aliorum consortio patiatur detrimentum: atqui hoc est falsum, ex dictis *n.* 322. Et dato, non concesso, quod sit probabile, adhuc in casu non evitaretur peccatum injustitiæ; siquidem solutio incerta, & probabilis tantum, non adæquat debitum certum.

Confirmatur. Siquis Sacerdoti centum aureos pro Missis offerat, & Sacerdos unicam legat, certo, ac evidenter peccat contra Justitiam, graviter violando pactum, in tali oblatione, & acceptatione involutum; ergo etiam peccabit contra Justitiam, & graviter lædet pactum Sacerdos, qui (sive ab uno, sive a pluribus) sæpius accipit stipendia pro pluribus Sacrificiis, & non nisi unum legit, ac applicat.

Probatur etiam secunda pars. Decretum S. Congreg. Concil. Trid. sub Urbano VIII. editum 21. *Junii* 1625. præcipit, ut, ubi plura stipendia, quamvis incongrua, & exigua, collata fuerint, tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerit; ergo peccat peccato injustitiæ Sacerdos, si pro pluribus stipendiis, etsi incongruis, unicum duntaxat Sacrificium offerat. Prob. cons. Si hoc casu contra Justitiam non peccaret Sacerdos, tunc vel ideo quod Sacerdos forte sit pauper, & pretium nimis modicum, vel quod Congregatio dicat, tot Missas celebrari debere, *quot ad rationem attributa eleemosynæ præscripta fuerint*; atque adeo cum eleemosyna sit limitata, etiam sufficiat limitata applicatio Missæ: neutra ratio est efficax; ergo &c. Prob. min. Non enim efficax est prima; nam qui offert stipendium minus ordinario, & petit pro se Sacrum legi, intendit, ut Sacerdos stipendii defectum sibi remittat; & vero Sacerdos etiam censetur remittere, dum illud stipendium diminutum acceptat, & ad Sacrum legendum, ac offerendum se obligat. Neque secunda: siquidem S. Congregatio interrogata, an Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneantur Missas, ab offerente, seu dante ejusmodi stipendium præscriptas, celebrare? absolute respondit, *teneri*; ergo non debet, nec potest attendi ad limitationem eleemosynæ, sed ad voluntatem offerentis; consequenter si offerens petat pro stipendio oblato, licet modico, Sacrum, & Sacerdos annuat, iste ex pacto obligatur ad faciendum Sacrum pro illo solo; adeoque non applicabile aliis &c. Deinde si hæc fuisset mens S. Congregationis, plurima sequerentur incommoda, abusus, & turpes quæstus; eo quod facile sibi quisque persuaderet, eam se pati paupertatem, aut necessitatem, ut onera Missarum ad rationem stipendii congrui reducere, & pro stipendiis incongruis passim Sacra possit promittere: atqui S. Congregatio expresse protestata est, se velle ejusmodi incommoda, abusus, & quæstus eliminare; ergo &c.

Confirmatur hæc secunda pars conclusionis efficacissime ex speciali Constitutione, quam Innoc. XII. 10. *Calend. Januar.* 1697. edidit, & in qua decrevit, *ut, cum pro pluribus Missis celebrandis accepta sunt plura stipendia --- quantumcunque incongrua, & tenuia sint, ab una, vel pluribus personis collata, vel conferenda in futurum, tot Missæ celebrentur, quot præscripta fuerunt.* Quid clarius, quid efficacius in confirmationem doctrinæ traditæ afferri posset?

362. Objicies nihilominus contra secundam partem conclus. Inique petitur Sacrificium integrum pro dimidiato stipendio; ergo poterit Sacerdos, præsertim si sit pauper, accipere supplementum stipendii ab alio, & priori partem fructus applicare.

Respondetur, neg. ant. Non petitur inique integrum Sacrificium, si petatur gratis; ergo neque, si petatur pro aliquo stipendio, licet diminuto; liberum quippe manet Sacerdoti, an tale stipendium, pro integro Sacrificio applicando oblatum, velit acceptare, vel recusare: at supposito, quod acceptaverit, censetur iniisse cum offerente pactum, vi cujus ex Justitia tenetur totum ei Sacrificium applicare. Unde neg. etiam cons.

363. Dico tertio. Qui privata accipit stipendia pro Missis legendis, & parte illorum stipendiorum sibi retenta, per alios Sacra celebrari facit, peccat, per se loquendo, contra Justitiam. DD. communiter.

Probatur ex Bulla Urbani VIII. in qua sic legitur: *Prohibetur etiam Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Accedit propositio *ordin.* 9. *inter*

damnat.

damnat. ab Alex. VII. quæ est hujus tenoris: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quod autem ejusmodi Sacerdos, retinendo partem stipendii, peccet (spectato etiam solo Jure naturali) contra Justitiam, ostenditur; nam stipendium, & hujus dominium Sacerdos ille tantum acquirit ratione obligationis ad offerendum pro dante Sacrificium; ergo statim, ac ea obligatione se spoliat, privat etiam se titulo retinendi quidpiam de stipendio, & retinendo facit contra voluntatem dantis, utpote qui totum regulariter dat in mercedem celebrantis. Per consequens partem stipendii retinendo, etiam injuste lædit celebrantem, utpote in quem hoc ipso, quod transtulerit obligationem celebrandi, etiam transtulit jus ad stipendium integrum.

Dixi autem 1. in conclus. *Qui privata accipis stipendia.* Nam quoad institutiones generales, & veluti stabiles Missarum aliter sermocinandum est. Hinc Parochi, & Beneficiati non peccant, quando gaudentes redditibus, justum stipendium excedentibus, Missas præscriptas celebrant per alios, tribuendo eis congruam eleemosynam: prout fieri videmus, dum celebrantur Anniversaria &c. Ratio est: quia Parochi, & Beneficiati titulo Parochiæ, & Beneficii constituuntur domini fructuum, & redditutum; ergo illiusmodi substitutio neque conjuncta est cum periculo turpis lucri, neque adversa menti Fundatoris (nisi hic forte aliter expressisset in fundatione; quod regulariter non fit) proindeque nec comprehenditur in Decreto prohibitorio supra: veluti advertunt Authores passim; ipsaque S. Congregatio respondisse fertur apud Matthæuccium *in Offic. Eccles. c.* 10. *n.* 29. *ad* 8. Quod modo dictum de Parochis, & Beneficiatis, extenditur a P. Herincx *hic q.* 15. *n.* 170. & aliis passim ad Capellanos habentes salarium stabile adinstar Beneficiatorum. Videatur etiam P. Viva *super cit. prop. damnat. n.* 9.

Dixi 2. *per se loquendo.* Nam per accidens licite Sacerdos partem stipendii retinet, quando sponte, & ex mera liberalitate condonatur ab altero Sacerdote, cui Missa legenda traditur. Ratio est: quia hic posterior Sacerdos potest loco prioris Missam illa legere gratis, & absque ullo stipendio; ergo etiam pro parte stipendii, altera parte illi remissa, & condonata. Ita cum communi DD. P. Viva *loc. cit. n.* 7. Ubi tamen recte monet, cavendum hic esse, ne condonatio ista sit oretenus tantum liberalis: reapse autem coacta, & meticulosa; cum ad id posterior Sacerdos facile inducatur metu, ne imposterum acquirat eleemosynas pro Missis celebrandis. Tali quippe casu prior Sacerdos a vitio injustitiæ immunis non esset: ut recte notat P. Elbel hic *n.* 107.

364. Objicies contra conclus. In illo casu non infertur injuria petenti Sacrum; quia pro ipso alius Sacerdos sacrificat: neque celebranti; quia voluntarie acceptat stipendium sibi oblatum; ergo non peccatur saltem contra Justitiam.

Respondetur, neg. ant. Utrique enim infertur injuria: petenti quidem; quia stipendium non datur integrum illi, cui tamen ex mente petentis debebat dari: celebranti autem; quia per translationem oneris translatum quoque in ipsum est jus accipiendi totum stipendium. Unde neg. etiam conf.

365. Fluit ex dictis in hac, & præcedentibus conclusionibus, Sacerdotem peccare graviter contra Justitiam commutativam, & consequenter sub mortali obligatum esse ad restitutionem, si contingat notabilis defraudatio in accipiendo, vel retinendo stipendium. Ratio patens est: quia tunc committit grave furtum. Quodsi ea defraudatio non sit notabilis, nec peccatum mortale erit, nec gravem restitutionis obligationem inducet: quia in furto datur parvitas materiæ.

366. Quæres adhuc primo, an mortaliter peccet Sacerdos, qui etiam unam duntaxat Missam pro stipendio acceptatam, legere negligit?

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilius P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 154. & alii apud ipsum. Ratio est: quia licet stipendium forte sit parvum, v. g. quindecim tantum cruciferi, adeoque (si sit collatum a divite) de se insufficiens ad pariendam in Sacerdote obligationem gravem relate ad unam Missam legendam; valor tamen Missæ, pro stipendio promissæ, est maximus, & omnino sufficiens, ut Sacerdos dicatur sub mortali obligatus ad Missam vel unicam pro conferente stipendium legendam. Videatur P. La Croix *loc. cit.* Sed

Dices. Obligatio celebrandi Missam unam, liberaliter promissam, non est gravis, ergo nec obligatio celebrandi Missam unam, pro stipendio promissam: consequenter &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia licet valor Missæ, sive liberaliter, sive pro stipendio promissæ, sit idem, & æqualis secundum se; non tamen est æqualis attenta communi hominum æstimatione, quæ omnino in considerationem trahi debet, ut res spiritualis promissa, in ordine spiritualium, censeatur materia notabilis, & sub gravi obligatione præstabilis. Itaque obligatio legendi unam Missam, liberaliter promissam, in communi hominum æstimatione censetur levis; obligatio autem legendi unam Missam, pro stipendio promissam, reputatur gravis.

Instabis. Ergo gravitas obligationis impræsentiarum metienda est ex stipendio pro Missa collato.

Respondetur, neg. illatum. Nam stipendium non datur velut pretium Missæ, cum hæc sit intrinsece invendibilis; sed pro sustentatione Sacerdotis. Mensuranda ergo est gravitas obligationis ex valore Missæ, ut onerose promissæ: sic enim in communi hominum æstimatione illa obligatio censetur gravis; sicut vicissim censetur levis, si descendat ex liberali promissione Missæ. Videatur La Croix etiam *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 775.

367. Quæres secundo, quomodo peccet Sacerdos, qui Missas, pro stipendio assumptas, diu differt, seu diu non celebrat?

Respondetur, eum peccare graviter. Ita P. Herincx ubi supra *n.* 181. P. Elbel *n.* 219. & alii communiter. Ratio est: siquidem qui citra causam excusantem diu differt solutionem debitorum temporalium, graviter peccat; ergo etiam, & a potiori, qui diu differt solutionem debitorum spiritualium. Unde Urbanus VIII. *in suo Decreto de Celebratione Missar.* §. 8. inquit: *Eleemosynas manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum Sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis.* Confirmatur. Lectio Missarum maximam affert utilitatem; ergo si sit debita ex stipendio, diu differri non potest citra gravem injuriam, eamque sæpenumero valde damnosam; ut si Missæ legendæ sint pro animabus in purgatorio; pro recuperanda sanitate, aliove bono; pro avertendo impendente periculo &c. Sed

368. Petes, quænam dilatio censeatur diuturna?

Respondetur, id definiri non posse regula quadam universali; sed attendendam præcipue esse rationabilem voluntatem offerentis stipendium, quæ utique diversa est juxta diversitatem finis, per Missarum petitionem intenti; nam citius diuturna censebitur dilatio Missarum, si petantur pro liberatione animarum e purgatorio; pro impetranda sanitate; pro felici partu, aliave simili imminente necessitate &c. quam si petantur in honorem B. Virginis, D. Antonii, aut alterius Sancti pro gratiarum actione ob impetrata per eorum intercessionem beneficia &c. Ratio patens est: quia offerens stipendium rationabiliter præsumitur velle, ut Missæ citius legantur in casibus prioris generis, utpote in quibus necessitas urget; quam in casibus posterioris generis, ubi nulla urget necessitas. Gobat *tr.* 3. *n.* 597. Sporer *n.* 354. Elbel *n.* 220.

Dices. Ego acceptavi stipendia Missarum legendarum pro felici morte hominis, vix ultra duos dies supervicturi; pro felici partu, jam jam imminente; pro recuperanda sanitate infirmi, periculose decumbentis; pro liberatione defuncti, vel defunctæ ex purgatorio; & pro gratiarum actione persolvenda B. Virgini &c. quomodo me gerere debeo, ne graviter impingam?

Respondetur, quod jam impegeris in te suscipiendo onera Missarum pro tribus prioribus necessitatibus, eodem quasi die concurrentibus, quibus utique solus satisfacere non poteris. Ne ergo tuum errorem continues, augeasque, invoca opem aliorum Sacerdotum, eis præbendo accepta stipendia, ut sic Missas

assumptas expedias pro exigentia cujuslibet necessitatis. Missas pro defunctis regulariter citra peccatum grave differri non possunt ultra unum, vel (ut plures indulgent) duos menses: Missæ pro gratiarum actione, non ultra tres. Ita partim traditur a P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 4. *disp.* 5. *art.* 3. *n.* 2. partim colligitur ex dictis; & aperte cavetur in nostris Statutis Provincialibus *cap.* 7. *n.* 47.

CAPUT III.

Expediuntur residuæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

369. *Quænam notanda sint de præparatione Sacerdotis ad celebrandum Missæ Sacrificium?* 370. *In quo loco sit celebrandum?* 371. *De Altari, in quo celebrandum?* 372. *Quo tempore, & hora?* 373. *Quænam notanda circa calicem, & patenam?* 374. *Quænam de paramentis, & vestibus sacris?* 375. *A quo vasa consecrata, & paramenta benedicta licite tangi possint?* 376. *An, & quomodo peccet Sacerdos, qui in celebrando Missæ Sacrificio deliberate non observat Rubricas Missalis?*

369. QUæres primo, quænam notanda sint de præparatione Sacerdotis ad celebrandum Missæ Sacrificium?

Respondetur. Sacerdos debet esse dispositus tam ex parte animæ, quam ex parte corporis; quemadmodum quivis communicaturus: prout tradimus *part.* 3. *tr.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *art.* 1. & 2. Debet insuper Sacerdos habere intentionem celebrandi Sacrificium Missæ, & conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi: quam tamen intentionem non oportet esse necessario formalem, vel (ut alii loquuntur) actualem; sed sufficit etiam virtualis: prout relinquitur ex dictis *in hac part. num.* 12. Sufficit præterea intentio generalis, & implicita; nec requiritur particularis, & explicita: prout itidem constat ex dictis *in hac part. n.* 81. Requiritur præterea intentio applicandi Sacrificium Missæ: quamvis sufficiat habitualis, ex dictis *num.* 22. *cit. in respons. ad argum.* Docent plerique Authores, esse peccatum, saltem veniale, celebrare Missam, nondum recitato Matutino. Sed contrarium tenuimus *part.* 3. *n.* 469. Aliqui etiam volunt, esse obligationem dicendi preces, in Missali ante Missam præscriptas, quæ ibidem vocantur *præparatio*, & vulgo *accessus*, nempe ad Missam. Sed congruitatem agnoscimus, obligationem negamus; dummodo animus Sacrificaturi ceteroquin sit erectus ad Deum, & competenti devotione instructus: quoniam nullum super illis dicendis præceptum extat; imo in Missali expresse signantur tanquam preces dicendæ *pro opportunitate*. Idem velut a fortiori sentiendum de precibus post celebrationem præscriptis, sive de recessu. P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 414. cum aliis a se *citt.* Lotionem manuum, seu digitorum non esse necessariam necessitate alicujus præcepti) sive ante, sive post celebrationem Missæ) docent multi; quibus & ego adstipulor; nisi forte manus, aut digiti sint immundi: quia & hic nullum ostendi præceptum potest. Videatur Gobat *tr.* 3. n. 828. Aliqui, utique nimium severi, Sacerdotem omittentem preces præscriptas, dum induuntur sacræ vestes, condemnant culpæ mortalis; alii contra venialis tantum. Ego licet ipsum non laudem, peccati tamen, etiam venialis duntaxat, haud damno, cum Tamburino *de Sacrific. lib.* 1. *cap.* 7. §. 1. Quarti *dub.* 8. Pasqualigo q. 819. Siquidem & hic nullum assignari præceptum potest.

370. Quæres secundo, quo in loco celebrandum sit Sacrificium Missæ?

Respondetur. De Jure communi, & ordinario celebrandum est in templo per Episcopum consecrato, aut benedicto, vel in Oratorio ad Dei cultum dedicato, & per Episcopum ad id designato. Communis DD. ex *can.* 14. *de Consecrat. dist.* 1. qui ita sonat: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cetero voluerit esse Sacerdotii*. Consonat Trid. *Sess.* 22. *in Decreto de observand. & evitand. in Celebrat. Missæ.* Atque ita exposcit debita huic Sacrificio reverentia, fideliumque devotio. Graviter proinde peccaret Sacerdos, qui contra faceret; quia violaret præceptum Ecclesiæ in re gravi: imo incurreret pœnam depositionis, in *cit. can.* statutam; nisi hæc in desuetudinem abiisset: prout cum Soto, & Palao vult Augustinus Michel *fol.* 179. *n.* 3. dicens, loco illius imponendam esse arbitrariam.

Dixi: *de Jure communi, & ordinario &c.* Excipiendus quippe est casus necessitatis; ut 1. Si Sacerdos peregrinetur per loca deserta, aut terras infidelium, ubi diu pertingere non valet ad locum sacrum, in quo celebret. 2. Quando Ecclesiæ sunt dirutæ, *can.* 29. *de Consecrat. dist.* 1. 3. Quando locus sacer est ita parvus, & angustus, ut multi præsentium, & ad Missam audiendam obligatorum, ab ejus auditione impedirentur, nisi extra locum sacrum celebraretur. 4. Si alioquin milites in castris constituti, vel in mari navigantes, diebus festis deberent carere Sacro &c. In his, & aliis id genus casibus licitum est celebrare in loco non sacro, honesto tamen, & decenti; dummodo adhibeatur altare portatile. Suarez, Palao, Salmanticenses, Babenstuber ubi supra *disp.* 9. *art.* 1. *n.* 4. Elbel *n.* 232. & alii passim.

Dices, Juxta *can.* 10. *de Consecrat. dist.* 1. non licet extra Ecclesiam celebrare, *nisi summa coegerit necessitas*: atqui in adductis casibus non cogit summa necessitas; ergo &c.

Respondetur, consuetudinem jam invaluisse, ut id in minori etiam necessitate liceat: sicut consuetudo invaluit, ut liceat consecrare in locis non consecratis, sed tantum benedictis; quamvis in *eod. can.* expresse dicat Pontifex, *id non in aliis locis, quam in Domino consecratis, id est, in tabernaculis Divinis precibus a Pontificibus delibutis licere*. Ita cum Salmanticensibus, & aliis P. Babenstuber *loc. cit. n.* 5.

Excipiendus quoque est casus, quo Episcopus ipse iter facit: potest enim tunc, etiam extra casum necessitatis, vel ipse celebrare, vel curare coram se celebrari super altari portatili in quocunque loco honesto, etsi non sacro. Ita conceditur per *cap. fin. de Privileg. in* 6.

Excipiendus præterea est casus, quo Episcopus rationabili ex causa dispensat, ut in privatis ædibus, v. g. alicujus infirmi, super altari portatili celebrari possit. Id quod aperte habetur in *can.* 11. *de Consecrat. dist.* 1. qui sic sonat: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus*. Sed

Dices. Hæc facultas dispensandi videtur Episcopis adempta per Trid. *Sess.* 22. *in Decreto de observand. & vitand. in celebrat. Missæ*, ubi præcipitur, ne patiantur Sacerdotes, sive Regulares, sive Seculares, celebrare in domibus privatis.

Respondetur, neg. assumptum. Nam allegatum Decretum Tridentini non venit intelligendum de potestate dispensandi ad tempus (de qua nos loquimur) sed de potestate dispensandi permanenter, vi cujus concedatur facultas libera, ac per modum privilegii, quoties libuerit, celebrandi extra Ecclesiam, & Oratoria ad Dei cultum dedicata. Hæc proinde dispensandi potestas Episcopis per Trident. denegatur; non autem illa: quemadmodum ex praxi constat. Suarez, Coninch, Reding, Michel *fol.* 180. *n.* 6. Babenstuber *loc. cit. n.* 7.

Excipiendus denique est casus, quo quis habet privilegium Pontificium celebrandi extra Ecclesiam consecratam, vel benedictam, aut Oratoria ab Episcopo designata. Tale privilegium olim habuere Fratres Prædicatores, & Minores: prout liquet ex *cap.* 30. *de Privileg.* Sed illo uti amplius non possunt, eo quod sit revocatum a Clemente XI. in Decreto: *Quoniam Sancta*: edito *die* 15. *Decemb. an.* 1703. ubi altefatus Pontifex exprefse annullat licentias, & privilegia, in hoc passu nonnullis Regularibus concessa, severe prohibendo, ne posthac extra casum necessitatis, vel absque speciali facultate Episcopi celebrent in domibus secularium, aut in loco non sacro. P. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 41. *n.* 5. *& seqq.* Elbel *num.* 235. aliique, quibus prædicta prohibitio innotuit, communiter.

371. Quæres tertio, quænam notanda sint circa altare, super quo celebrandum est Missæ Sacrificium?

Respon-

Respondetur primo. Altare est illa mensa, super qua Missæ Sacrificium celebratur. Dividitur in *fixum*, & *portatile*. Primum est, quod stabili fundamento, & basi affixum innititur. Alterum est, quod amoveri, & de loco in locum transferri potest.

Respondetur secundo. Altare, sive fixum, sive portatile sit, ut in eo licite celebretur, debet habere sequentes conditiones. Prima est, ut sit lapideum; quia repræsentat Sepulchrum Christi in petra excisum. Secunda est, ut sit consecratum. Tertia est, ut non sit constructum supra sepulchra hominum: imo si supra illa sit erectum, non debet consecrari, *can. 28. de Consecrat. dist.* 1. Quarta est, ut sit stratum duplici saltem mappa linea, vel una duplicata, & corporali itidem lineo. Quinta est, ut sit ornatum antipendio. Sexta, ut in eo prostent duæ candelæ, quæ tempore celebrationis accendantur; quamvis in casu necessitatis etiam sufficiat una. Porro candelæ illæ debent esse confectæ ex cera, & non ex sebo; adeo, ut sebaceas extra casum necessitatis adhibere non liceat. Septima est, ut, dum celebratur, adsit, & prostet Imago Christi Crucifici: tametsi expositum sit Venerabile; prout declaratur in Decreto S. Congregationis, quod emanavit *die* 14. *Maii anno* 1707. Et hæc quidem difficultate carent; possuntque videri apud PP. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 4. *disp.* 9. *art.* 2. *per tot.* Elbel *n.* 257. 271. *&* 272. ac alios passim.

Respondetur tertio. Altare consecratum consecrationem perdit, & consecratum esse desinit duobus præcipue modis. 1. Quando in altari fixo pars superior, seu mensa consecrata removetur ab altera parte inferiori, & fixa, cui erat compaginata, *c.* 1. *de Consecrat. Eccles.* 2. Quando mensa illa, sive lapis ita notabiliter frangitur, ac destruitur, ut in nulla sui parte integer calicem, cum patena, quoad majorem saltem partem, possit capere: prout subinde fieri assolet in altaribus portatilibus. Utrum vero portatile perdat suam consecrationem per hoc, quod *Sepulchrum* illius, seu loculus, & cavitas, in qua reponi solent sacræ Reliquiæ, frangatur, vel spolietur, dubium est apud Authores. Negandum existimant Laymann *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 9. Pithing *lib.* 3. *tit.* 40. *n.* 26. Reiffenstuel *ibid. n.* 39. Elbel *n.* 259. & alii. Ratio est, quia ex nullo Juris textu erui potest, sacras Reliquias esse de substantia altaris consecrati, esto, si haberi possint, ordinarie in eo reponantur. Confirmatur. Siquidem tempore belli Suetici ab hæreticis in sola Diœcesi Augustana aliquot millia altarium sacris fuere exuta Reliquiis, quin idcirco altaria debuerint de novo consecrari; cum S. Congregatio desuper consulta Episcopo Augustano responderit, aliud non requiri, quam ut in dictis altaribus sacræ Reliquiæ reponantur: prout testatur P. Schmier *lib.* 3. *tr.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *sect.* 3. *n.* 146. Affirmandum tamen videtur propter Decretum S. Congreg. Rit. quod emanavit 5. *Martii* 1603. & ita sonat: *Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repositorium Reliquiarum.* Quod Decretum inter Decreta ejusdem Congreg. *n.* 389. relata, recensetur ordine XXVII.

372. Quæres quarto, quo tempore, & hora celebrandum sit Missæ Sacrificium?

Respondetur. Ordinarie non licet celebrare ante auroram; nec etiam post meridiem, ita, ut Sacrum post meridiem primum inchoetur: licet vero celebrare post auroram usque ad meridiem. Intelligitur autem hic per *auroram* crepusculum diei, sive prima aeris illuminatio, quæ censetur incipere sesquihora ante ortum Solis; adeoque eo tempore licet inchoare Missam: imo & finire; cum tempus auroræ non mathematice, sed moraliter computandum sit. Qua ipsa de causa licet inchoare Missam ante meridiem (id est, ante horam diei duodecimam) vel etiam in meridie, quamvis postea finiatur. Suarez *disp.* 80. *sect.* 4. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 24. *n.* 5. & alii passim.

Dixi: *ordinarie*. Dantur enim casus, in quibus prædictum tempus licet prævenire, vel subsequi. Prævenire, & Sacrum legere ante auroram licet 1. In Natali Domini, ubi primam saltem Missam dicere concessum est statim post mediam noctem; tametsi de ea tunc dicenda nullum extet præceptum, *can.* 47. *dist.* 1. *de Consecrat.* Et quamvis eadem nocte pii, & docti Sacerdotes omnes tres Missas consequenter legere olim consueverint, hodie tamen id practicari amplius non potest absque peccato; uti nec Sacra Synaxis porrigi communicare volentibus; prout liquet ex Decreto S. Congregationis Rit. quod emanavit *die* 8. *Decemb. anno* 1702. estque hujus tenoris: *Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare successive alias duas, & in eis Communionem Sacram exhibere &c.* Quod Decretum in tota Archi-Diœcesi Salisburgensi, in qua (prout ipse novi) consuetudo de tribus Missis præfata nocte dicendis antea obtinuerat, promulgatum fuisse testatur P. Elbel *n.* 230. Prævenire licet 2. ex privilegio Papæ. 3. Ex consuetudine, quæ in Germania, præsertim tempore hyemali, observatur, ut nempe hora quarta pro operariis, vel quomodolibet devotis Missa legatur. 4. Ex dispensatione Episcopi: etsi enim hic perpetuum privilegium dare non possit, tamen ex rationabili causa potest in hoc casu particulari dispensare. 5. Idem licet ob justam aliquam causam, v. g. ut Sacerdos commode iter aggredi, vel prosequi valeat. Sanct Gallenses hic *tr.* 4. *q.* 7. *part.* 3. *dub.* 4. & alii apud ipsos.

Subsequi, & Missam inchoare post meridiem licet 1. Ex privilegio Pontificis. 2. Ex dispensatione Episcopi, 3. Ob causam necessitatis, etiam non petita licentia, v. g. ne infirmus sine Viatico discedat; propter Principis funus, propter publicam concionem protractam; item si Sacerdos die festo ratione itineris meridiem prævenire nequiverit &c. Sanct Gallenses *loc. cit.* cum aliis a se relatis.

373. Quæres quinto, quænam notanda sint circa calicem, & patenam?

Respondetur primo. Calix, & patena debent esse ex auro, vel saltem argento, quod de consuetudine inauratur. Si tamen paupertas obstet, poterunt confici ex stanno, *can.* 44. *dist.* 1. *de Consecrat.* non tamen ex lapide, ferro, ligno, vitro, ære, aurichalco, plumbo &c. In nostris Germaniæ partibus vix reperire est calicem stanneum; plures autem cupreos, bene tamen inauratos, ne causetur a vino ærugo, & inde periculum vomitus, quod præcavere intendit *cit. Can.* Unde in Ecclesiis pauperculis ejusmodi calices cuprei, inaurati tamen, omnino tolerati, atque ad sacrificandum adhiberi possunt, & solent. Sporer *de Sacrif. Miss. cap.* 6. *n.* 393. cum aliis a se relatis.

Respondetur secundo. Calix, & patena debent consecrari, & quidem ab Episcopo, juxta communem. Nihilominus hæc potestas consecrandi ex consuetudine immemoriali, quæ inducit præsumptionem privilegii, competit quoque Abbatibus, & aliis Prælatis, usum Mitræ, & Baculi habentibus, probabilius etiam pro aliis Ecclesiis, saltem cum licentia Episcopi. P. Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 40. *num.* 50. *& seq.* aliique apud ipsum. Consecrationem suam perdunt, ac execrantur calix, & patena, quando notabiliter franguntur, vel amittunt formam suam, ita, ut ad finem, in quem consecrati fuere, non amplius serviant: sic amittit calix, si contundatur; vel si pes ejus divellatur a cuppa, nisi si tornatilis, & ex instituto ita factus, ut citra fractionem separari valeat; quia tunc sola cuppa censetur per se consecrata. Quod si per usum diuturnum interior illius deauratio absumeretur, non perderet consecrationem; licet probabiliter de novo consecrandus esset, si de novo inauraretur: multis tamen DD. videtur suffecturum, si tali casu ablueretur aqua benedicta. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 40. *a n.* 44. Schmalzgruber *n.* 53. & alii.

374. Quæres sexto, quænam notanda sint de paramentis, & vestibus sacris, in Sacrificio Missæ adhibendis?

Respondetur primo, nomine ejusmodi paramentorum, & vestium venire *Amictum*, seu *Humerale*, *Albam*, *Cingulum*, *Stolam*, *Manipulum*, *Casulam*, *Corporale*, *Purificatorium*, & *Pallam*, qua tegitur calix.

Respondetur secundo. Hæc paramenta, antequam in Sacrificio Missæ adhibeantur, debent benedici ab Episcopo, vel alio benedicendi potestate prædito: uti sunt nostri Superiores, Generales, Provinciales, Guardiani, & in horum absentia Vicarii. Hi proinde omnes ex privilegio Innocentii VIII. (ut ab aliorum Pontificum privilegiis abstraham) benedicere possunt non tantum pro suis, sed etiam pro aliis Ecclesiis

paramenta in Missæ Sacrificio usurpanda: quamvis non possint consecrare calices, & patenas; nam consecratio fit per inunctionem olei, aut chrismatis; benedictio autem per solam aspersionem aquæ lustralis, & certas preces: unde Romana Sedes contulit quidem prædictis Superioribus (& aliis, saltem Ordinum Mendicantium) potestatem benedicendi paramenta Ecclesiastica; non item consecrandi vasa Ecclesiastica. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular. q.* 10. *art.* 2. Reiffenstuel ubi *supra a n.* 50. quem vide. Paramenta benedictionem suam perdunt, quando suam formam amittunt, vel inepta redduntur ad usum, ad quem ordinata fuere, *v.* g. si ex Stola fiat Manipulus, si ex Alba Amictus; aut si ita lacerentur, ut jam ad sacrum usum amplius deservire nequeant: quo casu præstat ea comburi, & cineres in loco sacro recondi, *can.* 38. *dist.* 1. *de Consecrat.* Si reparentur per materiam assutam non benedictam, quæ sit minoris quantitatis, hæc participat benedictionem majoris, *arg. cap.* 3. *de Consecrat. Eccles.*

375. Petes, a quo vasa consecrata, & paramenta benedicta licite tangi possint?

Respondetur, quod calix, ciborium, patena, corporale, palla, & purificatorium (alia licite tanguntur etiam a laicis) quando continent, tegunt, aut quomodolibet attingunt Corpus, aut Sanguinem Christi, non possint licite tangi, nisi a Sacerdote, vel Diacono, Suarez *disp.* 83. *sect.* 8. Laxmann *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 18. & alii communiter. Alias autem, seu quando Corpus, aut Sanguinem Christi non continent, tangi etiam a Subdiacono possunt; non item a Minorista regulariter, & per se loquendo. Azorius *tom.* 1. *loc. cit. n.* 19. & Laymann *lib.* 9. *cap.* 9. *q.* 6. Ordines vero Mendicantes a Sede Apostolica privilegium habent, ut omnes eorum Regulares, etiam Laici, dum Superiorum jussu in propriis Ecclesiis Sacristæ officio funguntur, sacra vasa, corporalia, & omnia paramenta cum reverentia tangere, & lavare possint: prout videre est apud Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Regul. quæst.* 128. Sanct-Galleoses hic *tr.* 4. *quæst.* 7. *part.* 4. *dub* 2. *not.* 5. Laymann *cit. n.* 19. Michel *de Sacrif. Miss. fol.* 188. *n.* 18. Sporer *n.* 404.

376. Quæres septimo, an, & quomodo peccet Sacerdos, qui in celebrando Missæ Sacrificio deliberate non observat Rubricas Missalis?

Respondetur primo. Non peccat Sacerdos, qui non observat Rubricas Missalis solum directivas. Ratio patens est; quia id genus Rubricæ solum consulunt, & suadent, quod magis decet; non autem obligant sub culpa. Unde non peccat Sacerdos, qui omittit preces ante, & post celebrationem præscriptas, sive *accessum* ad Missam (ut vocari consuevit) & *recessum* ab ea; quoniam Rubrica, illas præscribens, solum est directiva. P. Elbel *n* 268. & nos jam advertimus supra *n.* 369. ubi tamen addidimus: *modo talis Sacerdos ceteroquin sit mente erectus ad Deum;* hoc enim exigit reverentia debita tanto Sacramento, & Sacrificio.

Respondetur secundo. Peccat Sacerdos graviter, vel leviter, qui non observat Rubricas Missalis præceptivas. Ratio & hic patens est: siquidem hæ Rubricæ obligant sub culpa, hoc ipso, quod præceptivæ sint. Graviter peccat, si illas non observat, ubi concernunt valorem, vel integritatem Sacrificii; ut cum aliquid ordinant, quod concernit consecrationem, vel sumptionem. Idem pronunciandum, si non observet antefatas Rubricas circa partes Sacrificii accidentales ordinarias, id est, tales, quæ ordinarie, sive ad omne Sacrificium adhiberi solent, ac debent: cujusmodi sunt *Introitus*, *Oratio primaria*, *Epistola*, *Evangelium*, *Canon &c.* nisi parvitas materiæ excuset. Ratio utriusque est: quia in utroque casu Sacerdos agit contra præceptum Ecclesiæ obligans sub gravi ex genere suo; cum Bulla: *Quo primum tempore:* a S. Pio V. edita, & Romano Missali præfixa, ordinet, ac præcipiat, illiusmodi Rubricas observari *in virtute sanctæ Obedientiæ*. Gobat *tr.* 3. *n.* 746. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 417. *& seq.* Elbel *n.* 269. Venialiter autem peccat Sacerdos, quando Rubricas præceptivas non observat circa aliquam partem accidentalem extraordinariam, id est, talem, quæ non in omni Missæ Sacrificio adhiberi solet, ac debet; ut *Gloria*, *Credo*, *Orationes secundariæ*, *Præfatio extraordinaria*, *Communicantes speciale &c.* Ratio est: quia hujusmodi partes accidentales extraordinariæ communi DD. judicio, cui in moralibus acquiescendum est, non reputantur pro materia adeo notabili, ut Legislator censeri possit voluisse ad ejus observantiam obstringere sub culpa gravi. La Croix *loc. cit. n.* 420. & alii apud ipsum.

CAPUT IV.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

377. *Ubaldus Sacerdos recte facit applicando Sacrificium Missæ pro convertendis infidelibus: modo hi non sint de classe excommunicatorum non toleratorum.* 378. *Valentinus, in quodam Germaniæ Oppido Parochus, non tenetur pro suis Parochianis Sacrificium Missæ sæpius applicare, quam aliquoties per annum.* 379. *Non licet Sacerdoti, qui jam celebravit, & ablutionem sumpsit, iterato celebrare, ut populus die festivo, quo ejusdem Parochus subito infirmatus celebrare non valet, Sacrum audire possit.* 380. *Ursicinus Capellanus, obligatus ad duas Missas singulis septimanis pro defunctis fundatoribus legendas, eas anticipare potest, & legere præcedenti septimana, quæ subsequenti legendæ forent.* 381, *Guardianus non peccat, si Sacra pro diminuto stipendio mittat altori Guardiano ejusdem Provinciæ: neque, si differat Missas ultra ordinarium temporis spatium, quando persona dans stipem in ejusmodi dilationem consentire prudenter præsumitur.* 382. *Virgilius Sacerdos, dum, peccato mortali gravatus, & copia Confessarii destitutus celebrare cogitur, & reipsa celebrat, elicita contritione perfecta, tenetur postea confiteri, quamprimum potest.* 383. *Ursacius aliquot dubia proponit de Missæ Sacrificio, eaque sibi resolvi petit; cujus etiam petitioni annuitur.*

CASUS I.

377. *Ubaldus Sacerdos ex sacro Ordine Carmelitarum legit in vita S. Theresiæ Virginis, & Matris suæ, eandem frequenter juxta, ac ferventer orasse pro convertendis infidelibus: idque Deo summopere placuisse. Quod proinde factum ut imitetur, in antefatum finem non solum pias ad Deum preces fundere, sed & Missas, quarum applicatio ipsi libera est, offerre solet. Quæritur, an recte?*

Respondetur affirmative: modo illiusmodi infideles non sint de classe excommunicatorum non toleratorum. Ita Bellarminus *lib.* 2. *de Missa*, *cap.* 6. Suarez *disp.* 78. *sect.* 2, Salmanticenses *tr.* 5. *cap.* 2, *pun.* 2. Arriaga *de Euchar. disp.* 42. *a n.* 6. Burghaber *centur.* 3. *cas.* 74. & apud ipsum adhuc plures alii. Ratio est 1. Quia in prædictum finem pro infidelibus, sive baptizatis, sive non baptizatis, offerre Sacrificium Missæ, cum tantum offeratur ut impetratorium, neque ex natura rei, neque ulla lege, seu Divina, seu humana, prohibitum est; ergo pro illis licite offertur. Ratio est 2. Quia in lege veteri fiebant Sacrificia pro Gentilibus; ut pro Dario, 1. *Esdra* 6. pro Spartiatis. 1. *Machab.* 12. pro Heliodoro. 2. *Machab.* 3. ergo idem licet in Lege nova. Nec obstat, quod infideles non baptizati sint extra Ecclesiam. Nam inde plus non evincitur, quam quod Sacrificium non possit ipsis publice, & directe applicari ut satisfactorium est; quemadmodum animadvertimus *n.* 313. Cum quo tamen stat, quod idem Sacrificium præfato modo pro illis offerri, & applicari possit ut impetratorium est: veluti contendit responsio ad Casum reddita. Ratio est 3. Nam Sacrificium Crucis pro omnibus, etiam infidelibus, oblatum est; ergo etiam Sacrificium Missæ pro omnibus offerri potest, in quibus, & in quantum non invenit obicem. Atqui non invenit obicem in infidelibus, nisi hi sint de classe excommunicatorum non toleratorum; ergo &c. Revideantur, quæ dicta sunt *cit. n.* 313.

CASUS

CASUS II.

378. *Valentinus, in quodam Germaniæ Oppido sat populoso Parochus doctus juxta, ac Zelosus, concreditas sibi oves pascere hucusque fuerit verbo, & exemplo, Sacramentorum administratione, Divinorum celebratione, & Sacrificiorum Missæ pro ipsis oblatione generali, imo & speciali, iisdem scilicet applicando fructum ministerialem, haud equidem quotidie, aut singulis diebus Dominicis, & Festivis, sed aliquoties per annum. Quæritur jam 1. An Valentinus fuerit obligatus ad fructum ministerialem Sacrificii Parochianis suis quotidie applicandum? Vel 2. saltem diebus Dominicis, & Festivis? Vel 3. aliquoties per decursum anni, prout hactenus factitasse refertur in Casu?*

Respondetur primo ad primam membrum Casus, Valentinum, etsi pingues reddituus parochiales percepisse ponatur, non fuisse obligatum ad fructum ministerialem Sacrificii suis Parochianis quotidie applicandum. Ita Authores universi pro sequenti responsione commemorandi; imo & alii permulti ibidem contrarii, contra P. Reiffenstuel *lib.* 3. *tit.* 41. *a n.* 22. & alios. Ratio est: quia Parochi præsertim Germaniæ, cujusmodi est Valentinus, non tenentur quotidie celebrare; prout colligitur ex dictis *numer.* 344. ergo multo minus erunt obligati ad Sacrificium Parochianis quotidie applicandum; consequenter Valentinus &c.

Confirmatur. Nemo Missionariorum unquam audiverit, quod Parochi, etiam docti, & timorati, consilium P. Reiffenstuel sequantur, oblata stipendia recusent, & in illa, quibus ipse *loc. cit. n.* 29. præit, verba respondeant: *Dilecte fili, aut dilecta filia! ego alias jam vi officii mei debeo pro te, & aliis Parochianis quotidie Missam legere, & applicare; & ideo non possum stipendium pro Missa ad tuam solam intentionem applicanda accipere: vade igitur ad hunc, hos, vel illos, qui illico, & prompto animo tibi gratificabunt*; ergo signum est, quod in Parochis nulla resideat obligatio quotidie applicandi Sacrificium pro suis Parochianis; cum consuetudo, & praxis sit optima legum interpres. Accedit, quod plures Parochi, præsertim Nobiles, diebus feriatis ad aram facere non raro intermittant, & tamen redditus beneficiales percipiant, scientibus, & non reclamantibus Episcopis.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, Valentinum neque fuisse obligatum ad fructum ministerialem Sacrificii suis Parochianis applicandum singulis diebus Dominicis, & Festivis. Ita Suarez *disp.* 86. *sect.* 1. Reginaldus *lib.* 23. *n.* 238. Cardinalis de Lugo *disp.* 31. *de Sacramentis a n.* 19. Diana *part.* 2. *tr.* 14. *resolut.* 26. Herincx *disp.* 8. *n.* 95. VViestner *lib.* 3. *tit.* 41. *n.* 39. *& seq.* Michel *fol.* 138. *n.* 18. & novissime P. Paulus Zetl *de Clerico Curato instruct.* 2. *q.* 4. *n.* 59. aliique quam plurimi contra Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Elbel, & alios, volentes, nostram responsionem, ac sententiam, maxime propter varias Declarationes Cardinalium, in contrarium datas, non amplius esse tutam in praxi. Ratio autem nostræ responsionis est. 1. Si Parochi (adeoque & Valentinus) prædicta obligatione stringerentur, ea esset obligatio Justitiæ; prout contendunt Adversarii: sed talis non est; ergo &c. Min. ostenditur. Nam obligatio Justitiæ correspondet receptioni fructuum, & redditutum; hos autem percipit Parochus propter prædicationem verbi Divini, Sacramentorum administrationem, & Sacrificii suo tempore celebrationem, nullatenus propter applicationem Sacrificii; alias enim obligaretur ad restitutionem illorum, si hanc applicationem omitteret: quod in praxi est inauditum. Ratio est 2. Quia memorata obligatio Parochorum vel probaretur ex Concilio Trid. vel Decretis Romanis: sed ex neutro capite probatur; veluti mox patebit ex solutione argumentorum; ergo non est asserenda; præsertim cum sit obligatio admodum gravis, quam sine solido, & convincente fundamento non oportet imponere.

Dices primo tam contra primam, quam contra secundam respons. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* sic habet: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere &c.* ergo Parochi tenentur vel quotidie, vel saltem singulis diebus Dominicis, ac Festivis Sacrificium Missæ pro Parochianis offerre, & applicare.

Respondetur, neg. conf. utpote quæ ex allegato textu perperam, & nimis violenter extrahitur. Nam inprimis ex adductis verbis comparemus brevitatis gratia hæc duo tantum, *Sacrificium offerre*, & *prædicare*, de quo utroque (uti & de reliquis) textus loquitur indefinite, & prorsus æqualiter; ergo si ex illo deduci possit quotidiana obligatio Sacrificium offerendi, ac applicandi Parochianis, etiam deduci poterit obligatio quotidiana prædicandi verbum Divinum: quod nemo Adversariorum admiserit; cum esset intolerabile onus. Deinde Parochiani passim solvunt Parochis stipendium pro Missis dicendis; nec Episcopi id scientes contradicunt, prout tamen deberent contradicere, si Parochos jam aliunde, nempe titulo Beneficii sui Parochialis, judicarent obligatos ad quotidie celebrandam, & offerendam pro Parochianis Missam. Sed neque ex verbis Tridentini evincitur obligatio singulis diebus Dominicis, & Festivis offerendi, ac applicandi Parochianis Sacrificium Missæ; pessima enim est consequentia: Parochus tenetur pro ovibus Sacrificium offerre (prout habet altefatum Concilium) ergo tenetur illud offerre singulis diebus Dominicis, & Festivis: quemadmodum absurda foret hæc consequentia: Parochus tenetur suis Parochianis Sacramenta administrare (prout in eodem textu Concilii inculcatur) ergo tenetur illa administrare singulis diebus Dominicis, & Festivis. Verificantur ergo in omni rigore verba Tridentini, si Parochus dicatur obligatus ad offerendum pro Parochianis Sacrificium aliquoties per annum (qualiter obligatum fatebimur infra) neque ultra proprietatem, & rigorem extendi debent, præsertim cum sint obligatoria, & in gravamen Parochorum cedant.

Dices secundo. Decreta Romana nostram sententiam penitus conquassant, & impracticabilem reddunt; ergo &c. Ant. prob. aliqua illorum referendo. Decretum S. Congreg. ad Urbem Lucensem (quod extat apud Genetum *tr.* 5. *de Sacrif.*) sequentis est tenoris: *Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias S. Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut, si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, & Diœcesis.*

Romæ 10. *Maii* 1681. *S. Card. Columna*
Stephanus Archiep. Brancatius
S. C. Secret.

Porro Innoc XII. *in sua Constit.* quæ incipit: *Nuper:* 24. *April.* 1699. confirmat Decretum S. Congreg. Conc. editum 10. *Maii* 1692. quod sic habet: *An Parochus celebrare teneatur, & Sacrificium Parochianis applicare diebus Dominicis, & Festis, sive habeat congruam, sive non? S. Congregatio censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam accipere.* In alio Decreto, quod videre est apud Matthæucci *Offic. Eccles. cap.* 10. *num.* 60. censuit S. Congregatio, Parochos illis diebus, quibus tenentur Missam pro ovibus celebrare (puta diebus Dominicis, & Festivis) non posse eleemosynam manualem accipere. Primum Decretum movit Genetum, Reiffenstuel, & quosdam alios, ut docerent, Parochos, si pingues habeant redditus, teneri quotidie applicare Parochianis Sacrificium: duobus vero posterioribus, & aliis id genus Decretis pormoti PP. Schmalzgueber, Elbel, & alii Parochos obstringunt ad id faciendum singulis diebus Dominicis, & Festivis.

Respondetur primo, quod ipse Genetus, qui cum Clero rigidissime procedit, & hunc in finem omnia Decreta solicite coacervavit, nullam faciat mentionem Decreti ad Germanos missi. Rursus P. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 41. *n.* 22. fatetur, se (nemine utique rogante, inquit P. Zetl *loc. cit.*) Roma primum petiisse copiam illius primi Decreti, & a Camera Apostolica accepisse; quod clarum signum est, saltem in vicinis Germaniæ Episcopatibus tale Decretum non extare; adeoque nec obligare Parochos illorum

Epiſcopatuum, ac Diœceſium. Imo dictum Decretum expreſſe habet, quod Parochos *iſtius Civitatis, & Diœceſeos* (nempe Locenſis) obligatos velit. Porro duobus poſterioribus Decretis obligantur Parochi illius duntaxat Regionis, ad quam miſſa, acceptata, uſuque recepta ſunt. Parochi Germaniæ, & eorum Superiores Diœceſani, hoc ſuper negotio non interrogarunt Sedem Romanam; unde & illis nec ſcriptum, nec dictum, quod ejuſmodi obligationem habeant. Neque ſatis capio, quare PP. Schmalzgrueber, Elbel, & alii deferant his duobus poſterioribus Decretis, docentes, Parochos teneri ſingulis diebus Dominicis, ac Feſtivis applicare Sacrificium Parochianis; non item primo, quo iidem Parochi, ſi pingues habeant redditus, adſtringuntur ad id faciendum quotidie. Sed

Reſpondetur jam in forma ſecundo, neg. ant. vel diſt. Si conſtet, illa Decreta ad Parochos Germaniæ (de quibus ſolis noſtræ reſponſiones procedunt) eſſe miſſa, acceptata, & uſu recepta, con. ſecus, neg. ant. Non autem conſtat hoc de Decretis in probat, allatis; imo in his terris conſuetudo etiam timoratorum plane eſt contraria, per quam noſtra ſententia redditur reflexe certa, & tuto practicabilis; ut proinde Valentinus, aliique Germaniæ Parochi non peccent, ſi nec quotidie, nec ſingulis diebus Dominicis, & Feſtivis Sacrificium pro ſuis Parochianis applicent (modo id faciant aliquoties per annum) donec Romana Sedes etiam cum Germania aliter diſponat. Quo facto, ero filius obedientiſſimus, & aliter ſentiam.

Reſpondetur nunc tertio ad tertium membrum Caſus veluti illative, Valentinum ex Charitate fuiſſe obligatum ad fructum miniſterialem Sacrificii ſuis Parochianis applicandum aliquoties per annum. Coninch, Bonacina, Laymann *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. Michel *fol.* 137. *n.* 17. Babenſtuber *tr.* 8. *part.* 4. *diſp.* 6. *art.* 3. *n.* 4. & alii. Ratio probativa promitur ex Trid. quod *Seſſ.* 23. *cap.* 1. declarat, Parochum præcepto Divino (*Joan.* 21.) teneri oves ſuas agnoſcere, & pro eis Sacrificium offerre: ubi plane indicat oblationem non communem tantum (qualis fit pro omnibus fidelibus, aut etiam intereſſentibus Sacrificio) ſed ſpecialem; ſicut de ſpeciali mandato amoris erga oves ibidem loquitur. Confirmatur. Parochus obligatur ad ſingularem amorem benevolentiæ erga oves ſuas; prout nemo negaverit, & conſtat ex dictis: huic autem obligationi non faceret ſatis, ſi Sacrificium pro illis non aliter offerret, ac pro aliis proximis, ut patet; ergo &c.

Dixi: *ex Charitate &c.* Nam hæc talis obligatio non videtur oriri ex virtute Juſtitiæ; cum iſta Parochum præciſe adſtringat ad prædicationem verbi Divini, Sacramentorum adminiſtrationem, & Miſſæ celebrationem; non vero ad applicationem; ſiquidem non propter hanc, ſed propter illas redditus beneficiales percipit; ut ſupra notatum. Ex quo fluit, quod Parochus, prædictam obligationem notabiliter negligens, graviter quidem peccaret; non tamen obſtringeretur ad aliquam reſtitutionem redditũum, utpote quæ ſolùm debetur ex læſione Juſtitiæ, non Charitatis.

Petes, quoties ergo Parochus per anni decurſum pro ſuis Parochianis teneatur Sacrificium applicare?

Reſpondetur, id non poſſe determinari aliter, quam judicio prudentis, habita ratione circumſtantiarum, & indigentiæ Parochianorum. Unde Parochus cenſetur ad id obligatus in ſummis Solemnitatibus (prout determinat Auguſtinus Michel *loc. cit.*) & inſuper, quando Parochiani ſpecialiter indigent; ſic enim poſcit effectivus, & ſingularis amor benevolentiæ, quo Paſtor ſuas oves proſequi tenetur. Atque ideo fieri poteſt, ut anteſata obligatio ſit frequentior uno tempore, quam alio: item frequentior in Parocho unius populi, quam alterius: prout graviter advertit P. Babenſtuber *loc. & num. citt.*

C A S U S III.

379. *Valerius, certa cujuſdam Eccleſiæ Parochus, ſubita corripitur infirmitate circa horam octavam diei feſtivi, ubi pro Parochianis Sacrificium Miſſæ celebrandum eſſet: cumque nemo Sacerdotum præſto ſit in loco, qui infirmi vices ſuppleat, accurritur ad Monaſterium duabus fere horis inde diſſitum, rogaturque Superior, ut in hac neceſſitate ſuccurrat, mittendo ex ſuis Religioſis Sacerdotem, qui pro Parochianis, alias in ea feſtivitate Sacro cariturìs, Sacrificet, Sed quoniam nuntius primum poſt horam decimam ad mentionatum Monaſterium advenit, omnes Sacerdotes jam celebraſſe invenit. Quæritur jam, an nihilominus aliquis illorum Sacerdotum mitti potuerit, qui binaret, ſeu iterato Miſſam celebraret, eodem die, quo jam ſemel celebraverat?*

Reſpondetur negative. Sanct-Gallenſes *de Sacrif. tr.* 4. *q.* 7. *part.* 3. *dub.* 3. *in advert.* Babenſtuber ubi ſupra *diſp.* 8. *art.* 2. *n.* 6. Elbel *n.* 241. Ratio eſt: quia licet in *cap.* 3. *de Celebrat. Miſſar.* permittatur Sacerdoti in hoc, vel ſimili neceſſitatis caſu binatio, ſeu bina Miſſæ celebratio uno, eodemque die; id tamen non permittitur niſi jejunio, juxta *cap.* 5. *eod. tit.* atqui in Caſu nullus Sacerdos ſupponitur fuiſſe amplius jejunus; cum ponantur omnes jam peregiſſe Sacrificium Miſſæ modo ordinario, id eſt, ſumpſiſſe etiam ablutionem jejunii ſolutivam; ergo &c.

Idem caſus nuper contigit, vel ſaltem contingere potuiſſet Riedæ in mea patria, ubi D. Parochus die feſtivo fuit ſubito infirmatus, & impotens effectus ad illo die celebrandum: ablegabatur nuncius ad Celeberrimum, Liberum, & Imperiale Monaſterium Urſinenſe Ord. S. Bened. cum precibus, ut mitteretur Sacerdos, qui loco Parochi Divina perageret. Sed quoniam nuncius primum circa, aut poſt horam decimam advenerat, omnes Sacerdotes jam celebraverant, excepto ſolo Reverendiſſimo DD. Præſule, ac Abbate BERNARDO; qui proinde illico ſe itineri accinxit, & rheda Riedam delatus, ibidem ad aram litavit cum maxima populi ædificatione, & ſolatio. Quod ſi ergo in hoc caſu etiam alteſatus Reverendiſſimus ipſe antea jam celebraſſet, nullus alius Sacerdos, qui loco Parochi ſacrificaret, mitti potuiſſet; quia ob ſumptam in Miſſa jam lecta ablutionem nullus amplius erat jejunus.

Dices. Si oriretur ex non binatione ſcandalum in populo, liceret Sacerdoti etiam non amplius jejuno celebrare; ergo etiam licebit in noſtro Caſu.

Reſpondetur, concedendo in facta hypotheſi ant. & neg. conſ. Diſparitas eſt: quia in caſu oriundi ſcandali liceret uti epikia, & mentem Eccleſiæ interpretari, quod Sacerdoti, etſi non amplius jejuno, nolit interdictam eſſe iteratam celebrationem; ſiquidem præceptum de non præbendo ſcandalo, cum ſit Juris naturalis, præcepto Eccleſiaſtico de Sacro celebrando a Sacerdote jejuno, prævalere debet, & ſtrictius obſervari. Secus eſt in noſtro Caſu, in quo nullum intervenit ſcandalum; cum populus non ſcandalizetur, ſi edoceatur, Parochum repente incidiſſe in infirmitatem; alios vero Sacerdotes, caſum Parochi non prævidentes, jam celebraſſe, adeoque ob defectum jejunii naturalis, ſumpta ablutione ſublatum, ſecundo celebrare non poſſe: & Parochianos ob impotentiam audiendi Miſſam excuſari a peccato, tametſi eo Feſto Miſſam non audiant.

Petes, quandonam Sacerdoti, adhuc jejuno, liceat binare?

Reſpondetur, licere 1. In Nativitate Domini, in qua duas, imo tres Miſſas cuilibet Sacerdoti celebrare permittitur, quamvis non præcipiatur. 2. In caſu neceſſitatis. Quando autem ſit neceſſitas, DD. non conveniunt; ſolent tamen recenſeri ſequentes præcipue caſus neceſſitatis. Primus eſt, ſi quis Sacerdos habeat duas Eccleſias, etiam non Parochiales, & non habeat Cooperatorem, qui in alterutra celebret: tunc enim ipſe poteſt, ſaltem diebus feſtis, in utraque celebrare. Secundus eſt, ſi alias populus die feſtivo deberet carere Sacro ob defectum alterius Sacerdotis; prout non raro evenit in terris acatholicis. Tertius eſt, ſi infirmus alias deberet decedere ſine Viatico: quod tamen raro contingere natum eſt. Quartus eſt, ſi prima Miſſa jam inchoata, & ultra Offertorium, vel Conſecrationem perducta, inopinato ſuperveniat magna multitudo peregrinorum: tunc quippe Sacerdos id advertens debebit ſumptione ablutionis in illa Miſſa ſuperſedere, ut maneat jejunus, ſicque poſſit aliam adhuc Miſſam pro ſero venientibus celebrare: niſi adſit, vel haberi poſſit alius, qui celebret. Quintus eſt, ſi tempore immediate dicto adveniat Epiſcopus, vel magnus Princeps. Sed hic re-

clamat

clamat Henao apud La Croix *lib. 6. part. 2. num. 236.* cum multis aliis, & negat, tali casu esse veram, & sufficientem necessitatem ad binandum.

CASUS IV.°

380. *Ursicinus Capellanus ex fundatione Capellaniæ obligatus ad duas Missas singulis septimanis pro defunctis fundatoribus legendas, eas anticipat, legitque præcedenti septimana, quæ subsequenti legendæ forent. Quæritur, an valide, & licite? Rationem quærendi, ac dubitandi præbet Clemens VIII. qui ex Decreto S. Congregationis, die 15. Novembr. anno 1605. edito, reprobat ut periculosam, fideliumque scandalis obnoxiam, & a vetusto more Ecclesiæ abhorrentem consuetudinem illorum, qui Missas anticipata intentione celebrant pro proxime daturis stipem, seu stipendium, præcipitque omnibus Episcopis, & Prælatis, ne eandem consuetudinem aboleant: Quemadmodum refert Barbosa in Remiss. Conc. Trid. Sess. 22. in princ. & p. 2. de potest. Episcop. alleg. 24. n. 12. & seqq.*

Respondetur, Ursicinum facere valide, & licite. Ita cum aliis a se relatis P. Babenstuber ubi supra *disp. 4. art. 4. n. 15.* Ratio est: partim quia hoc tali casu fructus Sacrificii non suspenditur in futurum; cum neque ex intentione applicantis, neque ex natura rei aliqua conditio de futuro, vel eventus futurus involvatur; ut patet consideranti: partim quia ejusmodi Missarum, cum celebrent pro defunctis fundatoribus, applicatio anticipata, est quædam solutio anticipata pro debito pœnæ jam contracto; adeoque illæ Missæ prodesse possunt statim ipso tempore anticipatæ celebrationis, & applicationis; ergo non apparet, ex quo capite Urcisinus dicendus sit agere invalide, vel etiam illicite tantum; cum plene satisfaciat intentioni, & prospiciat utilitati fundatorum. Unde Decretum, in specie facti mentionatum, non tangit nostrum Casum, ubi Missæ jam sunt petitæ, & in fundatione præscriptæ, ut legendæ pro defunctis fundatoribus; sed casum, quo Missæ nondum petitæ, & leguntur anticipato ad intentionem vivorum, stipem postea præbiturorum: talis quippe anticipata applicatio vel est invalida, vel saltem illicita, & ideo merito reprobata ab altefato Pontifice. Videatur Babenstuber *loc. & num. citt.* item *num. præced.*

CASUS V.

381. *Valerianus Guardianus numerosa accipit Sacra, singula pro triginta crucigeris; & quoniam prævidet se, suosque Sacerdotes illis intra duos, vel tres menses legendis haud suffecturos, certam eorundem numerum communicat Guardiano alterius Conventus, pro stipendio tamen diminuto, singula nempe pro viginti crucigeris. Porro alia vice accipit mille Sacra pro justo stipendio, a devota quadam Virgine, adhuc juvene, & bene valente, ad felicem mortem sibi cum tempore impetrandam petita; quæ tamen postmodum legendo vix absolvit intra dimidium annum. Quæritur, an Valerianus delinquere censendus sit?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus (sive dein ficti, vel facti) quod Valerianus propter diminutionem stipendii non delinquat, si præmemorata Sacra communicet Guardiano alicujus Conventus ad eadem Provinciam spectantis. Sporer *de Sacrif. num. 372.* Elbel *num. 208.* & insinuatur *in nostris Statutis Provincialibus capit. 7. n. 47.* Ratio, quæ ibidem redditur, est: quia Minister Provincialis eleemosynam ab uno Conventu suæ Provinciæ ad alium Conventum ejusdem Provinciæ transferre, vel non transferre potest, & solet; idque ex rationabiliter præsumpto consensu dantium, probe scientium, Fratribus, sub eodem Patre, & Capite viventibus, omnia esse communia; ergo Minister Provincialis potest (dependenter scilicet a rationaliter præsumpta voluntate offerentium stipendium) & censetur consentire, saltem tacite, in missionem minutioris stipendii: tale autem consensu habito Guardianus, ejusmodi stipendium mittens, jam non incurrit propositionem damnatam, *n. 463.* relatam, nec ullo modo delinquit. Oppositum dicendum, si Valerianus Sacra cum diminuto stipendio communicaret Guardiano alicujus Conventus ad diversam Provinciam spectantis: siquidem hoc tali casu cessaret ratio excusans, seu tacitus consensus Ministri Provincialis, cui subjectus est Valerianus; nam Minister unius Provinciæ nullam habet potestatem disponendi de eleemosynis Conventuum alterius Provinciæ, quippe sibi non subjectæ. Quare si mittantur Sacra Guardiano Conventus alterius Provinciæ, mitti debent cum integro stipendio: nisi is forte partem stipendii omnino libere, ac liberaliter remittat, & sic in diminutionem consentiat dependenter a consensu saltem tacito sui proprii Ministri Provincialis. Revideantur dicta *num. 363. cit.*

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, quod Valerianus etiam per illam dilationem Missarum non delinquat. Videtur esse communis DD. & in facti contingentia sic resolutum fuisse recordor a quodam Theologo solidissime docto. Ratio est: quia Virgo illa facile prævidere potuit, tot Missas intra duos, vel tres menses a Sacerdotibus unius Conventus, aliis adhuc Missis magis urgentibus, ac necessariis gravati, lectum non iri, & tamen illas obtulit; ergo præsumitur in majorem dilationem consensisse, donec nimirum commode legi possent; præsertim cum cerneret, sibi, ceu adhuc vegetæ, ex ea dilatione, moraliter loquendo, nullum præjudicium, aut damnum spirituale emergere posse. Confirmatur. In famosis Peregrinationibus, quales sunt Campolyciana in Suevia, Dettelbacensis in Franconia, Veter-Oettingana in Bavaria &c. fideles, dantes stipendium, censentur in majorem dilationem Missarum legendarum (de illis scilicet Missis loquendo, quæ dilationem patiuntur) consentire; quia probe norunt, ob numerum obligationum suis petitis, ac desideriis tam cito non posse satisfieri, prout cum communi tradit P. Zetl ubi supra *pag. 132.* ergo idem, & a potiori, præsumendum in præsenti Casu. Habito autem hoc tali consensu, majorem dilationem esse licitam, nemo est, qui ambigat.

CASUS VI.

282. *Virgilius Sacerdos, peccato mortali gravatus, celebrare cogitur; & quoniam Confessarium nancisci non potest, perfectam de illo, aliisque peccatis contritionem procurat, & in nomine Domini celebrat. At peracta hac celebratione, licet habeat copiam Confessarii, non confitetur quamprimum; imo confessionem differt ad plures septimanas, post quas sibi denuo celebrandum novit. Quæritur, an Virgilius confessionem sic differendo mortaliter peccet?*

Respondetur affirmative. Ita communis, & certa sententia DD. Sumitur ex Trid. *Sess. 3.* ubi sic habet: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Nec dici potest, hæc Tridentini verba non continere præceptum, sed consilium duntaxat; aut particulam *quamprimum* intelligendam esse, cum Sacerdos suo tempore confitebitur: utrumque enim damnatum est ab Alexandro VIII. *prop. 38. & 39.* quarum prior sic sonat: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum:* posterior vero: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Quod autem præceptum illud Tridentini sit grave, colligitur ex fine, ob quem est impositum, ne scilicet Sacerdos, qui frequenter celebrat, facile judicet, necessitatem urgere ad celebrandum sine prævia confessione, & assuescat differre confessionem peccati mortalis non manifestati in confessione prævia: quod gravem fert irreverentiam Sacramento Eucharistico, utpote ad cujus dignam susceptionem in hominibus, mortali oneratis, prærequiritur ex mandato Divino (*probet autem seipsum homo &c.*) confessio, & non sufficit prævia tantum contritio; sicut sufficit ad suscipienda alia Sacramenta vivorum. Accedit, quod communis DD. consensus, qui est optimus legum interpres, censeat, prætactum Tridentini præceptum obligare sub gravi. Ex quibus abunde liquet, Virgilium graviter peccasse; quia confessionem tandiu differendo prævaricatus est præceptum grave Ecclesiæ, Sacerdotibus qua talibus (non item Laicis) specialiter impositum,

poſitum, ſecundum dicta *part.* 3. *numer.* 69. Videri etiam poteſt P. Viva ſupra *cit. prop.*

Dices. Ergo Virgilius immediate poſt celebrationem debuit adire Confeſſarium, & confeſſionem ſupplere.

Reſpondetur, neg. illatum. Siquidem *ly quamprimum* non mathematice, aut phyſice, ſed moraliter accipi debet, hoc ſenſu, ut Sacerdos confiteatur, cum primum poterit, ſicut explicat Miſſale Romanum: vel ſaltem (niſi interea celebrare debeat, aut velit) intra triduum; quia apud omnes Juriſtas, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum *ex l. fin. Cod. de Judiciis, & l. fin. Cod. de Errore Advocatorum*, haud tamen expectare poterit uſque ad novam celebrationem, ſi hæc diu differenda ſit; vel uſque ad tempus, quo alias confitebitur &c. Viva *ſuper prop.* 39. *cit. numer.* 3. & 5.

C A S U S VII.

383. *Urſacius, perlecta hac diſputatione de Sacrificio Miſſæ, aliquot adhuc dubia, etſi non adeo difficilia, ſibi ſupereſſe ait, & reſolvi petit. Quærit itaque* 1. *Quomodo Sacrificium Miſſæ adæquate dividatur?* 2. *Quid ſit Miſſa ſicca, & an licita?* 3. *An Sacerdos, ex certa fundatione, vel alio titulo obligatus ad celebrandum in determinata Eccleſia, vel determinato Altari, peccet, & qualiter, ſi alibi celebret?* 4. *An Regularibus liceat legere Miſſas in Oratoriis, & Grangiis, id eſt, domibus ruralibus ad Monaſterium pertinentibus?* 5. *An, quando Miſſa celebratur in Oratorio privato, ex conceſſione nimirum S. Pontificis, vel Epiſcopi, omnes illam audiendo ſatisfaciant præcepto Eccleſiaſtico, quo diebus Dominicis, & Feſtivis ad intereſſendum Sacro adſtringuntur? Quænam reſolutiones ad ſingula hæc dubia danda ſunt Urſacio?*

Reſpondetur primo ad 1. Sacrificium Miſſæ eſſe octuplex, nempe quadruplex *ratione finis*, in quem offertur; & quadruplex *ratione fructus*, ſeu effectus, quem progerminat. Ratione finis quadruplex eſſe oſtenditur: quia conſiderari poteſt, vel quatenus offertur ad colendum Deum, & conteſtandum ſupremum ejus in nos dominium; diciturque *latreuticum*: vel quatenus offertur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; & dicitur *Euchariſticum*: vel quatenus offertur in ſatisfactionem pro peccatis; & dicitur *ſatisfactorium*: vel quatenus offertur pro obtinendis beneficiis; & dicitur *impetratorium*. Ratione fructus, ſeu effectus quadruplex eſſe, itidem oſtenditur; nam quatenus mediate confert ad remiſſionem peccatorum (juxta *num.* 330.) dicitur *propitiatorium*: quatenus ad remiſſionem venialium (juxta *numer.* 333.) *expiatorium*: quatenus immediate remittit aliquam pœnam temporalem, pro peccatis, quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ jam remiſſis, debita (juxta *n.* 334.) dicitur rurſus *ſatisfactorium*: & quatenus impetrat varia beneficia (juxta *n.* 335.) *impetratorium*. Sporer *n.* 73. Elbel *n.* 137. & alii communiter.

Reſpondetur ſecundo ad 2. Miſſa *ſicca* appellatur, in qua non fit conſecratio, ſed exercentur aliæ duntaxat ceremoniæ, quæ a Sacerdote inter celebrandum adhiberi ſolent. Atque hæc talis Miſſa probabiliter licita eſt, per ſe loquendo: quia complectitur orationes, lectiones, & ceremonias de ſe pias, ac devotas. Unde reprehendendi non ſunt pueri, vel etiam alii, qui ſine veſtibus Sacerdotalibus pie, & devote recitant (exceptis verbis conſecratoriis) quæ a Sacerdote celebrante proferri ſolent. Gobat *tr.* 3. *Theol. Experim. num.* 71. & La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 188.

Dixi: *per ſe loquendo*. Nam per accidens poteſt eſſe illicitum, Miſſam ſiccam legere; ut ſi id forte præcepto ſpeciali ſit prohibitum in Diœceſi, in qua quis moratur.

Reſpondetur tertio ad 3. Peccat, & quidem mortaliter, ſi id faciat ſæpius ſine juſta cauſa; venialiter vero, ſi raro. Ratio primi eſt: quia graviter contravenit intentioni fundatoris, qui haud dubie ex rationibus momentoſis talem Eccleſiam, vel Altare deſignavit. Ratio ſecundi eſt oppoſita: quia tunc niſi leviter contravenire cenſetur intentioni fundatoris. Ita poſt Navarrum, Azorium, Dianam, Barboſam, Palao, & alios P. Herincx *part.* 4. *tractat.* 2. *diſp.* 8. *a numer.* 185. Ubi recte addit, facilius perveniri poſſe ad gravitatem materiæ, ſi obligatus ad celebrandum in Altari privilegiato, celebret alibi, quam ſi obligatus ad celebrandum in Altari communi, ſeu non privilegiato: quia ratio dictat, priore modo obligatum facilius, ſeu citius contravenire graviter intentioni fundatoris, ac obligatum poſteriore modo.

Dixi: *ſine juſta cauſa*. Nam ſi talis concurrat, nulla committitur culpa, tametſi mutetur Eccleſia, vel Altare ſit profanatum: ſi exundatio aquarum acceſſum ad Eccleſiam deſignatam impediat: ſi Sacerdos cum ſuo incommodo deberet diutius expectare, donec ad Altare deſignatum pateat aditus, eo quod prævenerit alius Sacerdos, & illud præoccupaverit; vel forte adhuc alius prævenire intendat, ac prætendat.

Reſpondetur quarto ad 4. negative. Nam id expreſſe prohibuit Sac. Congreg. Conc. *die* 1. *Maii an.* 1687. Ita Card. Petra *tom.* 2. *comment. ad Conſtit.* 8. *Honorii III. ſect.* 2. *num.* 50.

Reſpondetur quinto ad 5. itidem negative. Antequam vero reſponſio declaretur, & probetur, præſciendum eſt, nomine *Oratorii privati* venire locum aliquem intra privatam domum, & domeſticos parietes pro cultu Divino deputatum, ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi authoritatem delegatam ad hoc habentis. Ex quo colligitur, inter Oratoria privata non eſſe computanda Oratoria erecta in Palatiis Epiſcoporum, vel Cardinalium; neque Oratoria exiſtentia in Monaſteriis, aut Hoſpitalibus auctoritate Eccleſiaſtica fundatis; prout declaravit Sac. Congregatio apud Matthæuccium *in Offic. Cur. Eccleſ. cap.* 10. *num.* 81. eo quod hujuſmodi Palatia, Monaſteria, & Hoſpitalia non poſſunt dici *domus privata*. Unde quicunque, ſive intranei, ſive extranei ſint, audiunt in illis Miſſam diebus etiam Dominicis, & Feſtivis, ſuæ obligationi æque ſatisfaciunt, ac ſi audirent in templo. Hoc præſcripto, & præſuppoſito, declaratur, & probatur ſupra data reſponſio. Itaque ſatisfaciunt quidem ipſe Indultarius, & qui ſunt de ejus familia, etiam ſervili, habitantes cum domino in eadem domo, nec non hoſpites (ſi in Bulla exprimantur) non item alii extranei: quia Pontifex in Bulla expreſſe dicit: *Volumus autem, ut alii, qui non ſint de familia, non cenſeantur liberi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia*. Imo nec ipſe Privilegiatus cum ſua familia abſque limitatione, & ſemper ſatisfacit; nam ut habet Decretum Clementis XI. editum *an.* 1703. *die Decemb.* & inferius *num.* 403. verbatim allatum, ſi contra conceſſionem Indulti in Oratorio privato celebretur Miſſa diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, aliiſque anni Feſtis ſolemnioribus per Indultum exceptis (qualia ſunt ordinarie Feſta Epiphaniæ, Annunciationis, & Aſſumptionis B. Virginis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac omnium Sanctorum, ex Decreto Sac. Congregationis edito *an.* 1607. *die* 17. *Novemb.*) item ſi celebretur ſecunda Miſſa, ubi in Indulto non conceditur niſi celebratio unius: item ſi Miſſa celebretur poſt meridiem &c. In his, inquam, caſibus nec Indultarios ipſe, adeoque nec ejus familiares, audiendo Miſſam ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, multoque minus perſonæ extraneæ. P. Cherubinus Mayr *in Theſib. de precept. Miſſ. a n.* 288. Videatur præmentionatum Decretum Clementis XI.

A P P E N D I X,

In qua recenſentur varia Decreta; uti & Defectus Miſſæ; ac paſſim ſubjunguntur Reſolutiones Quæſitorum, in rem præſentem facientes.

Poſtquam de Sacrificio Miſſæ in præcedenti diſputatione actum eſt; in præſenti Appendice adducimus varia Decreta, quorum pleraque concernunt (qualicunque demum modo) idem Sacrificium. Addimus præterea Defectus Miſſæ, vel potius Rubricas de defectibus Miſſæ antevertendis, aut ſupplendis, in Miſſali præfixas. Subjungimus tandem Reſolutiones diverſorum Quæſitorum, quas ad rem fore, & ſcitu neceſſarias, vel utiles exiſtimamus. Hæc omnia ſubnectimus in Appendice confuſionis declinandæ cauſa, quam facile

cile generassent, si in præcedenti disputatione immixtim cum Sacrificio Missæ pertractata fuissent.

U M M A R I U M.

384. Recensentur Decreta Congregationis S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum super Celebratione Missarum &c. 385. & seq. Proponuntur varia Dubia, & ab ipsamet S. Congregatione resolvuntur. 387. Præfata Decreta ab Innocentio XII. confirmantur 388. Quid præterea notandum circa reductionem Missarum? 389. Referuntur trecenta, & quatuordecim Decreta S. Congregationis Rituum, 390. Ostenditur, quod eadem Decreta sint habenda pro authenticis, donec constet de opposito. 391. Affertur consueta Formula Brevium Apostolicorum, quibus expediuntur Indulgentiæ pro Altaribus privilegiatis. 392. & seqq. Proponuntur, ac resolvuntur varia Quæstiones circa Clausulas, ejusmodi Brevibus inseri solitas. 403. Refertur Decretum Clementis XI. de Celebratione in Oratoriis privatis. 404. Quid præterea notandum circa Celebrationem Missæ in Oratoriis privatis? 405. Recensentur defectus Missæ; sive Rubrica Missalis de Defectibus, in Celebratione Missarum occurrentibus. 406. An tales Rubricæ sint omnes præceptivæ, vel aliquæ directivæ tantum? 407. Qualiter, antevertendi, vel supplendi sint defectus Missæ? 408. Quid faciendum in casu, quo aqua pro vino fuerit infusa, & consecrata?

DECRETA CONGREGATIONIS S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum super Celebratione Missarum &c.

Renovata, & confirmata ab INNOCENTIO XII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper a Congregatione Venerablium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodieruot Decreta tenoris infra scripti, videlicet

Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, ac Religiosorum numero ultra redditus, & consuetas eleemosynas Locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, authoritate per fel. record. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis.

Cum sæpe contingat, in quibusdam Ecclesiis, tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeant satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ suffragii priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus Charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cetera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Missas super vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri; aut quod Ecclesiis forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur, Sacra Congregatin Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac justitiæ consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare SS. D. N. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit:

Ac primo, districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, aut commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, siquas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis, collata fuerunt, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, aut Locis piis quibuscunque, tam Secularibus, quam Regularibus; Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id vero ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem authoritate revocat Privilegia, & indulta omnia quibusvis Personis, Ecclesiis, ac Locis Piis, tam Secularibus, quam Regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat,

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tam Secularibus, quam Regularibus, atque illorum Personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia authoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annesione, converti debeat.

Ad hæc, Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum Locorum tam Secularium, quam Regularium, Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandum, Seculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scripto, & gratis concedenda; alioquin Secularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis vero pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ absque alia declaratione incurrat,

Eleemo-

Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint; ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: *Eleemoſyna pro Miſſis*; vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus vero, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut Loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime conſtiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & Locis piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis ſecundum morem cujuſvis Civitatis, vel Provinciæ; intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremo Illuſtriſſimi Patres non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ Regularem diſciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque Monaſterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, Sanctiſſimi Domini noſtri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona imobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſque Ordinis, Congregationis, Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis, probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones tam communes Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum ejuſdem Provinciæ, quam etiam ſingularibus Perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter, & mature cognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, prællationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo ſeu Congregatione Generali, vel Provinciali, coram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis ejuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra detractis, ſedulo examinent, quot Religioſi homines connumeratis etiam Laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo Regulari, juxta Religionis, & proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, reddituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſcunque Familiæ, Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis in ſingula quaque Provincia certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventibus, ut ſuperius, ſufficienter ali poſſint.

Ne vero Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitulum Generale, vel Provinciale, computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque Familiæ, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, quam Provinciales omnes, quam Locales, perpetuo ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia: Superiores autem hujuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra præſcriptum, quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium Officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vociſque activæ, vel paſſivæ, & ad omnia ſua Religionis Officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apoſtolicam infligendis pœnis, Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps vero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi, præter alia id requiſita, in ſingulis hujuſmodi Locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum Decreti fel. rec. Gregorii XV. hac de re editi, alioquin Monaſteria, & Loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint; Ordinarii Loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni, ſubjecta eſſe intelligantur.

Porro ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores Locales cujuſque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis, curare, atque efficere teneantur, ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque menſe, id eſt, Feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & Feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, præſentes Ordinationes in publica menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis Perſonis, cujuſcunque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quam Laicis, quocunque honore, & poteſtate præditis præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus, quod ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque Perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Inſtituti etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorunque tam Secularium, quam Regularium Locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis, quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis, etiam proprio motu, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ Sedis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita, forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea quæ præſentibus adverſantur; illis alia in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ authoritate ſpecialiter, & expreſſe derogat, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Et ne præmiſſorum ignorantia a quoquam prætendi

poſſit,

possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes Ordinationes in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Utque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum 21. Junii 1625.

Cosmas Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

Excitatis autem super præmissorum Decretorum intelligentia, seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione, simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferius apponendæ.

Proponuntur Dubia.

SUper primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis,

385. Quæritur, quid si legatum sit adeo tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundo, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint,

Quæritur, an verba illa (*præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an, cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, & temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illas ab offerente præscriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ,

Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sexto, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat,

Quæritur, an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimo, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eadem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat,

Quæritur, an permittendum sint Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii?

Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ; debeant dare integram eandem eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cetera statuitur in hæc verba (*eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant &c.*)

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas ii qui acceptis non satisfecerint; & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Decimo tertio, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam sibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimo quarto, an hoc Decreto comprehendantur ipsæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur *Casse de Morti*?

Decimo quinto, an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non, nisi post longum tempus satisfacere valeant; ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimo sexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum Locorum, tam Secularium, quam Regularium, Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& aliis ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimo septimo, super septimo ejusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui & consuetis redditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari,

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti Sanctæ memoriæ Pauli V. absque tamen computatione reddituum cujusque Religiosi, sit denuo facienda, nec ne?

Decimo octavo, an Novitii, ad Habitum Regularem admissi, possint admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, præfixione numeri, commode ali non possunt?

Decimo nono, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarii,

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, & Societatis Jesu?

Ultimo, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Declarationes, seu Responsiones ad superadicta Dubia.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate sibi a Sanctissimo Domino nostro attributa, ad singula Dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet.

386. Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit. Veruntamen, si in

si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, tenerl.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac Loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & Loca pia alios non habeant redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint: & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retineri posse.

Ad undecimum, respondit, non prohibere absolute, ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum quartum, comprehendi.

Ad decimum quintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum octavum, esse admittendos ad Professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possunt.

Ad decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmas Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelæ, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, & prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria, & Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divina Providentia Papam XII. ei specialiter attributa, infrascripta Decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature, & accurate discussa, recognita, & examinata edidit.

In primis præinserta Decreta, cum præmissis illorum declarationibus, plenissime, & amplissime approbat, confirmat, & innovat, omniaque & singula ibidem contenta, & expressa, iterum omni meliori modo decernit, statuit, ab omnibus, & singulis, etiam speciali, & individuali nota, seu expressione dignis, penitus observari, & omnimodæ executioni demandari decernit, sancit, & præcipit.

Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur; siqui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, & erroneis intentionibus, seu opinionibus blanditi volentes, Missarum celebrationem omittant sub malitiosa, vel irrationabili spe earundem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe, obtinendi; Congregatio præfata tum eosdem, tum quoscunque alios, qui postbac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede non nisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione; compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus, & privilegiis, non nisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & præsertim cum illa: *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, & solere; quapropter, ut locus omnis imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte, versiones in alium, quam præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & quascunque alias directas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omnimodo reprobat, damnat, interdicit.

Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur; caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & Ministri quarumcunque tum Secularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant: utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, & temporalium, literis perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa duntaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel per interpositas personas quoquo modo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, & ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis & celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia, in altero autem Missas manuales, & tam illorum, quam istarum adimplementum, & eleemosynas distincte, & diligenter annotare, & annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplendis eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas rationes hujusmodi in privatis respective libris simili distinctione, & diligentia tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores,

riores, quibus reddendæ sunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.

Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quascunque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem leemosynis, & celebratione Missarum, coram tribus Discretis, seu Consiliariis, aut alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respective reddere.

Quod si prædicti, ad quos cura tabellæ, capsæ, & librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minime navaverint, & Superiores tum Secularium, tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant; in singulis respective casibus Seculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

Porro, ne ullo unquam tempore omnia, & singula Decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Secularium illa retineant publice exposita in eorum Sacrario, Superiores vero locales cujuscunque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, curare & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est, Feria secunda post primam Dominicam Adventus, & Feria sexta post Octavam Corporis Christi omnes, & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes, una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut a Personis, & in Ecclesiis quoquo modo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, ne dum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in Visitationibus; tum in aliis actibus, & modis, quos expedire; & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adversetur.

Caveant etiam respective omnes Regulares, tum Subditi, tum Superiores quicunque nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christi fidelium scandalo, quoquo modo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & prompte, etiam per inquisitionem, animadvertere, & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus, exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscunque Domus Regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium Decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam residuali impedimento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem quicunque Superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum, debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium Decretorum sedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, seu Congregationis, de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respective pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitime docuerint, alias ad vocem activam & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Ceterum quia etiam ad quamplures Archi-Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia Loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicunque curæ erant, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, & præeminentiæ etiam speciali, & individuali nota dignorum, duntaxat, vel quorumcunque Ecclesiasticorum, & Laicorum hujusmodi mistim commendam, annexa seu quomodocunque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; hinc salvis semper iis, quæ in præinsertis Decretis continentur, omnes, & quicunque hujusmodi Archi-Confraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, & operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura Tabellæ, & librorum in præmissis, spectat, Tabellam, libros, & hæc Decreta respective juxta modos superius expressos, similiter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, & eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, & respective iis, ad quos pertinet, reddere sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis teneantur.

Postremo omnibus, & quibuscunque tam Ecclesiasticis Personis, cujuscunque Ordinis, status, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis existant, quam Laicis quocunque honore, ac potestate præditis, omnia, & singula præmissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquo modo circa præmissa dispensandi, omnis, & quæcunque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad supra scripta omnia, & singula, in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tam Secularium, quam Regularium Locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorialibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, sive extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens,

quibus

quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, ceterisque contrariisquibuscunque. Datum Romæ die 23. *Novemb. an.* 1697.

Joseph. Card, Sacripantes Præfectus,
Ferdinandus Nuptius S. Congreg. Secretar.

387. Quocirca cum dilectus filius noster Joseph Tituli S. Mariæ Transpontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia, & singula Decreta, ea, qua decet, maturitate digesta, & examinata, ac in vim Apostolicæ Auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut præfertur, attributæ, peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo, & inviolabiliter observari, nec non Constitutionis nostræ munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta Decreta, omniaque, & singula in eis contenta, tenore præsentium, auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus; quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus omnia, & singula, in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuscunque, etiam speciali, & individua nota dignis, omnino exacte, & perpetuo servari volumus, sancimus, & mandamus.

Decernentes, præsentes literas, cum omnibus, & singulis inibi contentis, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque aut quomodocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter, per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam da Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. & respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit, non obstante, quæ pariter, & iterum Nos tenore præsentium non obstare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis, alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter, & expresse derogantes, ceterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, ac affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

Pariterque, ut earundem præsentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostram Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1697. decimo Calendas Januar. Pontificatus Nostri Anno septimo.

B. Card. Prodat J. J. Card. Albanus.
Visa de Curia J. Ciampinus.
J. Catallus.

Registrata in Secretaria Brevium Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentissimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die vero tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia PP. XII. anno septimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateran. Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apostol. in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Baptistam de Capellis, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellis Mag. Curs.

Hæc Decreta videri possunt apud Augustinum Michel *de Sacram. Eucharistiæ fol.* 151. & Cladium La Croix *lib. 6. part. 2. n. 63. ac seqq.* Quare autem inter Dubia superius a *n.*385. proposita transiliatur (seu non ponatur) Dubium nonum, & consequenter postmodum nona Responsio, me latet.

388. Quæres, quid præterea notandum sit circa reductionem Missarum?

Respondetur primo. Quamvis *num.*386. *in Respons. ad* 1. *Dub.* pro reductione Missarum, & onerum dicatur recurrendum ad Sedem Apostolicam, licet legatum sit nimis tenue; nihilominus spectanda quoque est consuetudo cujuscunque Diœcesis. Nam Palao, Tamburinus, Gobat *in Theol. Experim. tr. 3. n.* 591. La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 117. & alii testantur, in multis Diœcesibus vigere consuetudinem, vi cujus Episcopi faciant reductionem Missarum, & onerum, in casu posito, & aliis consimilibus.

Respondetur secundo. Episcopus in casu necessitatis (non extra illum) potest mutare Missam solemnem in non solemnem: modo servetur debitus Missarum numerus, sed tot legantur Missæ, quot sunt præscriptæ. Ita cum Pasqualigo P. La Croix *loc. cit. n.* 120. Ratio est: quia Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.* concedit Episcopo facultatem immutandi in casu necessitatis ultimas Voluntates &c.

Respondetur tertio. Episcopus potest moderari officia, preces, & eleemosynas annexas Anniversariis. Ita rursus cum Pasqualigo P. La Croix *loc. cit. n.* 121. Ratio est: quia de istis non loquitur Decretum prohibens. Potest insuper reducere Missas, ad quas se homo privatus obligavit, nullo, vel non congruo accepto stipendio. La Croix *loc. & n. citt.* Ratio est eadem: quia neque de istis loquitur Decretum prohibens.

DECRETA

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM.

389. I. Consecrator Ecclesiæ potest in actu consecrationis statuere aliam diem pro anniversario ejusdem consecrationis. 19. Februarii 1585. ante institutam Congregationem sacrorum Rituum.

II. Dedicationis Festum extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica. 16. Octobris 1604.

III. Si Ecclesiæ Dedicatio occurrat in Festo Nativitatis B. Virginis Mariæ, fiat de ea: Missæ duæ cantentur, & infra Octavam fiat de digniori. 16. Octobris 1604.

IV. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebranda quidem est in Diœcesi sub ritu duplici primæ classis, sed sine Octava. 2. Maii 1619.

V. Regulares tenentur quidem celebrare Festum de Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis sine Octava. 8. Aprili 1662.

VI. Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici primæ classis cum Octava Festum de Dedicatione, & de Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. 3. Junii 1681.

VII. Eucharistia in Festo Corporis Christi non est deferenda per vias Hebræorum. 22. Februarii 1593.

VIII. In Festo SS. Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari sermone. 21. Martii 1609.

IX. In Festo Corporis Christi non est deferenda in processione Eucharistia Sacerdotum humeris, sed celebrantis manibus. 2. Junii 1618.

X. In Festo Corporis Christi deferatur Eucharistia a celebrante: & in Vesperis diei Octavæ, si fiat processio, deferatur ab eo, qui cantavit Vesperas,

modo

modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. 12. Junii 1627.

XI. Si Episcopus in Festo Corporis Christi deferat Eucharistiam, Canonici tamen induant sacras vestes. 17. Martii 1628.

XII. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in Altari exposito capite tecto. 16. Februarii 1630.

XIII. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante processionem SS. Sacramenti; & deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. 31. Junii 1632.

XIV. Si Festum SS. Corporis Christi inciderit in Vigiliam S. Joannis Baptistæ, jejunium celebretur in Feria quarta proxime præcedenti: de Vigilia vero nihil eo anno fiat. 24. Septembris 1638.

XV. Infra Octavam SS. Corporis Christi non est agendum de Officiis translatis, ritu duplici primæ classis non decoratis: ideoque si Festum S. Antonii Patavini, quod apud Franciscanos celebratur sub ritu duplicis secundæ classis, inciderit in prædictum Festum de SS. Corpore Christi, transferatur post Octavam, 12. Julii 1664.

XVI. Recitantes ex legitima concessione Officium de SS. Corpore Christi Feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præscribitur in die ejusdem Solemnitatis; Missam vero celebrare de communi, seu votivam. 12. Julii 1664.

XVII. In expositione, aut repositione SS. Sacramenti ad vers. *Panem de cœlo*, semper additur, *Alleluja*; præterquam a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum, 23. Februarii 1666.

XVIII. In Officio de die infra Octavam SS. Corporis Christi non legitur nona lectio de Festo simplici. Quod si Festum illud simplex occurrerit ea die, quo fit de Festo duplici infra eandem Octavam, tunc non omittitur, sed legitur nona lectio de eodem Simplici, dummodo Festum illud non sit duplex primæ classis, 8. Junii 1669.

XIX. Infra Octavam SS. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ; aut de Requiem. 21. Junii 1670.

XX. Occurrentibus eadem die duobus Festis duplicibus infra Octavam SS. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediate sequenti non impedita, sed post Octavam, nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis. 7. Decembris 1680.

XXI. In processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu, & transitu a latere ejusdem, debent facere genuflexionem, dummodo videant prædictum SS. Sacramentum. 1. Martii 1681.

XXII. In Festo SS. Corporis Christi non est facienda processio cum Sacramento sine pluviali. 22. Jan. 1701.

XXIII. In Tabernaculo, ubi asservatur S. Sacramentum, non sunt retinendæ Reliquiæ, nec vasa sacrorum oleorum, nec aliud. 22. Februarii 1593.

XXIV. Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in Altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis tenibus ad Altare. 28. Novembris 1594.

XXV. Ante ostiolum Tabernaculi SS. Eucharistiæ, in quo depicta, vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum, vel quid simile; sed collocandum in humiliori, & decentiori loco. 22. Januarii 1701.

XXVI. Reliquiæ, quibus in Altaris consecratione utitur Episcopus, debet esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum. 13. Septembris 1593.

XXVII. Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur repositorium Reliquiarum. 5. Martii 1603.

XXVIII. Vicario Episcopi Missam cantanti solemnem non ministrant Canonici; neque fit circulus ante ipsum. 8. Martii 1595.

XXIX. Episcopo absente non potest Vicarius Missas celebrare Conventuales, nec Pontificales. 16. Maii 1600.

XXX. Absente Episcopo spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere, & dirigere processiones cum consilio Capituli. 24. Augusti. 1619.

XXXI. Ad Horas omnes, quæ recitantur in Choro, ardeant in Altari duæ saltem candelæ. 7. Aug. 1595.

XXXII. Matutinum in Cathedrali recitandum est mane, non autem vesperi pro die sequenti. 18. Octobr. 1595.

XXXIII. Matutinum defunctorum pro generali eorum Commemoratione recitandum est mane die secunda Novembris, non vero pridie vesperi. 1. Sept. 1607.

XXXIV. Si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum Feria sexta Parasceves, in feretro nigris velleribus contecto, non potest absque graviori incommodo extirpari, est toleranda. 29. Martii 1596.

XXXV. Tolerari non debet, quod in locis publicis, & sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum imagines in derisum Christianæ Religionis, 22. Maii 1596.

XXXVI. Non sunt consecranda ea Altaria, sub quibus recondita sunt defunctorum cadavera. 8. Novembris 1599.

XXXVII. Si sub Altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda Missa, donec alio transferatur. 10. Nov. 1599.

XXXVIII. Corpora Sanctorum nondum canonizatorum non possunt poni sub Altari. 16. Octobris 1604.

XXXIX. Moniales completo Officio possunt recitare aliquem Psalmum, Orationem, vel Collectam. quia hoc non est Officio addere. 12. Januarii 1600.

XL. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recitandum Monasticum. 6. Maii 1622.

XLI. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo Divinum Officium, non vero earum Capellani. 11. Maii 1635.

XLII. Nomine processionum generalium comprehenduntur Rogationes. 12. Martii 1601.

XLIII. Musica non decet in Officio quadragesimali, præsertim cum instrumentis, & si est occasio alicujus scandali. 27. Martii 1601.

XLIV. Sacerdoti Missam novam celebranti licet Oblationes accipere, modo non discedat ab Altari. 1. Octobris 1601.

XLV. Dignitatibus hinc inde distributis in Choro, incensentur eæ cum Canonicis ab una parte; deinde aliæ cum aliis Canonicis ab altera parte: non vero Dignitates omnes simul ante omnes Canonicos. 7. Decembris 1601.

XLVI. Archidiaconus sustinens baculum Episcopi thurificandus est post Diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo. 28. Aprilis 1607.

XLVII. Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad sedem, quicunque ille sit, non vero Diaconus Evangelii. 19. Maii 1607.

XLVIII. Absente Episcopo thurificandus est celebrans triplici ductu. 30. Januarii 1616.

XLIX. Finito Evangelio Missæ solemnis, cui assistit Episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non vero Episcopus. 4. Augusti 1663.

L. Canonici in Dominicis sigillatim aspergendi sunt aqua benedicta, non vero unico ictu in circulum. 20. Decembris 1601.

LI. Non est impedienda devotio ad imagines sanctas. 17. Aprilis 1602.

LII. Canonici tenentur in Choro psallere; alias non satisfaciunt obligationi suæ. 20. Aprilis 1602.

LIII. Canonici debent cantare alta voce; sed non potest eos Episcopus cogere. 23. Nov. 1602.

LIV. Assistentia, quæ fit ad Missam, & Vesperas, fiat cum pluviali. 3. Augusti 1602.

LV. Qui assistit in Choro Missæ Conventuali, non potest portare pileolum per totum Canonem: in aliis vero Divinis Officiis uti potest. 5. Novembris 1602.

LVI. Missa Conventualis canenda est quotidie in Collegiatis, quarum Clerus est numerosus, & redditus non tenues. 14. Januarii 1603.

LVII. Tenentur omnino Canonici ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. 28. Januarii 1612.

LVIII. Sub nomine Festi novem lectionum, venit etiam Dominica; ideoque non est Feria prima: & si in occurrerit Festum duplex, in Cathedralibus, & in Collegiatis canendæ sunt duæ Missæ. 12. Martii 1618.

LIX. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem Capituli Canonicorum. 16. Maii 1626.

LX. Ob Missam votivam, seu pro defunctis non est omittenda Missa Conventualis; neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum: salva semper Rubrica de Votivis assignatis singulis diebus in fine Missalis. 16. Januarii 1627.

LXI. Potest Episcopus cogere Canonicos, ut a Capellanis in Quadragesima cantari faciant cum Diacono, & Subdiacono. 17. Julii 1627.

LXII. Abrogatur omnis consuetudo non cantandi Missam de die ultra Votivam, seu pro defunctis. 28. Augusti 1628.

LXIII. Si infra hebdomadam Passionis occurrerint dies infra Octavam apud Privilegiatos, tam in Missa Conventuali de Feria, quam in privatis de Octava, vel etiam de eadem Feria omittenda est tertia Oratio *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. 22. Novembris 1659.

LXIV. Licet in illis Ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi Missam Votivam de B. Maria singulis diebus Sabbati, possint hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in Sabbatis Festo duplici impeditis, non est tamen omittenda Missa Conventualis. 2. Decembris 1684.

LXV. Sacerdos, qui celebrat Missam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum prædictum. 17. Decembris 1695.

LXVI. Non est facienda Altaris thurificatio in Missa Conventuali dierum solemnium, si absque cantu, & Ministris celebretur. 22. Januarii 1701.

LXVII. Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, debent recitare Officium, quod in Choro dicitur: & licet extra Ecclesiam, vel Diœcesim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesiæ ipsorum. 8. Septembris 1602.

LXVIII. Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ, & ejusdem servitio, non tamen obligati Choro, & quicunque alii Clerici Seculares, Regularesve, in Civitate, vel Diœcesi commorantes, non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in Choro. 8. Septembris 1602.

LXIX. Episcopus Regularis debet Officium recitare juxta ritum suæ Diœcesis, non vero Regulæ, & occurrente Festo Regulæ in Festo Diœcesis, hoc erit præferendum. 11. Junii 1605.

LXX. Capellanus Episcopi, qui cum eo recitat Officium, debet se illi conformare. 11. Junii 1605.

LXXI. Intra clausuram omnino prohiberi debet celebratio Missæ etiam ad communicandas infirmas, non obstante antiquissima consuetudine. 1. Dec. 1602.

LXXII. Abusus antiqui in processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. 13. Maii 1603.

LXXIII. Septimum Candelabrum adhibeatur in Missis tantum Episcopi solemnibus, sed non defunctorum. 19. Maii 1607.

LXXIV. Anniversaria, & Missæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri debent in sequentem. 18. Maii 1614.

LXXV. In Festo duplici non sunt dicendæ Missæ Votivæ privatæ, aut de Requiem. 5. Augusti 1662. Quod intelligendum est etiam de Festo duplici translato.

LXXVI. Non sunt transferendæ Missæ privatæ de Requiem, quæ ex Benefactorum præscripto celebrandæ incidunt in Festum duplex; sed dicendæ sunt de Festo currente cum applicatione Sacrificii juxta mentem Benefactorum. 5. Augusti 1662.

LXXVII. Anniversaria, & Missæ de Requiem, quæ ex dispositione Testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies inciderit in Festum duplex majus. 22. Nov. 1664.

LXXVIII. Missæ de Festo duplici celebratæ in Altari animabus perpetuo privilegiato, & in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent Missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis juxta formam privilegiorum. 22. Januarii 1667.

LXXIX. Sacerdotes, sive Capellani sint, sive non, qui recitant Officium semiduplex, simplex, vel feriale, si celebrent in aliqua Ecclesia Regularium, in qua fit Festo duplici, non debent dicere Missam de Requiem. 9. Junii 1668.

LXXX. Decretum extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata, ac proinde Missæ de Festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. 23. Septembris 1669.

LXXXI. Durante expositione SS. Sacramenti non potest regulariter celebrari Missa de Requiem; neque cantari pro adimplenda mente Testatoris, sive Anniversario satisfaciendo, licet currat Officium hujusmodi Missas admittens. 2. Decembris 1684.

LXXXII. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit Missa de Requiem etiam in Festo duplici, quod non sit de præcepto; nam in hoc casu prædicta Missa erit differenda. 4. Maii 1686.

LXXXIII. Hæc Decreta licet comprehendant tantum Festa duplicia, intelligenda tamen sunt etiam de Dominicis, de diebus infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, & de omnibus aliis diebus, quibus juxta Rubricas non possunt celebrari Missæ defunctorum. 3. Aprilis 1688.

LXXXIV. In Vigilia Epiphaniæ omnino prohibentur Missæ Votivæ privatæ, & de Requiem. 27. Aprilis 1697.

LXXXV. Cineres distribuendi in Feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ debent esse aridi, non vero in modum luti. 23. Maii 1603.

LXXXVI. Si processio Litaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, cantetur ibi Missa de S. Marco, non vero de Rogationibus. 23. Maii 1603.

LXXXVII. Vesperæ Defunctorum pro prima die mensis possunt dici post Vesperas Dominicæ, vel Festi. 23. Maii 1603.

LXXXVIII. Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates thurificantur. 23. Maii 1603.

LXXXIX. Non tenentur omnes Canonici associare Episcopum ab eo Altari, in quo Missam planam celebravit, usque ad Sedem Episcopalem, si assistere voluerit Missæ Conventuali. 5. Julii 1603.

XC. Consuetudo, ut Dignitates, & Canonici Mitram, Gremiale, Baculum, Thuribulum, & similia ministrent Episcopo, est servanda. 5. Julii 1603.

XCI. Episcopus non debet in Ecclesia salutare Canonicos aperiendo caput, sed benedicendo manu. 10. Januarii 1604.

XCII. Dignitates, quæ habent Præbendas cum onere cantandi Evangelium, seu Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus. 10. Januarii 1604.

XCIII. Si Episcopus interesse voluerit Horis Canonicis, statuere debet certam Adventus sui horam, qua elapsa poterit inchoari Officium. 16. Januarii 1605.

XCIV. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diacono assistentes. 15. Martii 1608.

XCV. Duorum Canonicorum assistentia semper convenit Episcopo, sive celebret ipse, sive assistat Divinis. 10. Maii 1608.

XCVI. Dignitates tenentur associare Episcopum cum Canonicis ex debito, licet Ceremoniale Episcoporum nominet tantum Canonicos, ubi non adsit contraria consuetudo. 10. Januarii 1609.

XCVII. Archidiaconus non potest assistere Episcopo in Habitu prælatitio non chorali, licet sit Protonotarius. 6. Martii 1610.

XCVIII. Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicarium Generalem, & sunt ante ipsum thurificandi. 6. Martii 1610.

XCIX. Canonicus paratus debet habere locum etiam a Decano. 26. Junii 1610.

C. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo non debent sedere in sede cum postergali; sed in scamno oblongo tapete, vel panno cooperto, in latere Epistolæ. 19. Maii 1614.

CI. Archidianus, si est prima Dignitas, debet facere Officium Presbyteri assistentis; si est Sacerdos, & recusat, cogendus est pœnis, & censuris. 28. Maii 1616.

CII. Prima Dignitas debet assistere Episcopo celebranti, licet sit unica. 12. Decembris 1620.

CIII.

CIII. Soli Canonici debent facere consuetos circulos ante Episcopum, non autem Vicarius Generalis. 28. Septembris 1630.

CIV. Licet Episcopus non celebret, sed tantum assistat Missæ solemni, celebrans debet ad Confessionem respondere Episcopo usque *ad Indulgentiam* inclusive, non vero simul cum illo dicere *In nomine Patris*. 4. Augusti 1665.

CV. Ubi adest inveterata consuetudo recitandi in Choro Psalmos pœnitentiales in Feriis quintis Quadragesimalibus post Completorium, & Psalmos graduales in Feriis tertiis ejusdem temporis, eodem loco retineri potest. 2. Augusti 1603.

CVI. Non est relinquendum Officium debitum pro Officio devotionis. 29. Novembris 1603.

CVII. In Ecclesia Collegiata exempta præsente uno Canonico cum Episcopo, & Abbate Collegiatæ ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonicus, deinde Abbas. 7. Februarii 1604.

CVIII. In eodem palatio non conceditur, nisi unum Oratorium privatum. 4. Maii 1604.

CIX. Non potest Abbas extra suam Ecclesiam uti Mitra, & Baculo; neque ea ante se deferre 17. Julii 1604.

CX. Abbati celebranti unica tantum Mitra conceditur. 29. Januar. 1628.

CXI. Missa solemnis Abbatialis ter in anno ad summum est canenda, non tamen cum septem, sed cum sex candelabris, & cum abaco parvo. 29. Januarii. 1628.

CXII. Baldachinum Abbatis sine auro sit, & ter in anno ad summum adhiberi potest. 29. Januar. 1628.

CXIII. De licentia Ordinarii poterit Abbas uti Mitra, & Baculo extra proprias Ecclesias. 6. Dec. 1631.

CXIV. Titulus antiquus Ecclesiæ mutari non potest a Confraternitate. 26. Octobris. 1604.

CXV. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ. 28. Januarii 1606.

CXVI. Non potest Episcopus extendere ad suam Diœcesim Officium illud, quod fieri solet in Civitate. 16. Januarii 1607.

CXVII. *Gloria in Excelsis* cum *Credo* omittitur in Votivis pro re gravi, si violacea adhibeantur paramenta. 19. Maii 1607.

CXVIII. Res gravis pro licita Votivæ solemnis decantatione cum *Gloria*, & *Credo* ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus, seu Provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorundem judicio gravi. 19. Maii 1607.

CXIX. Canonici Collegiatæ non debent in processionibus incedere parati, sicut Canonici Cathedralis. 19. Maii 1607.

CXX. Cereus Paschalis regulariter accendendus est ad Missas, & Vesperas solemnes in Triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & in Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis servanda est locorum consuetudo. 19. Maii 1607.

CXXI. Servanda est ea consuetudo, qua recitatur in Choro Officium parvum B. Virginis Mariæ in Semiduplicibus, & Dominicis, non obstante Bulla S. Pii V. nam ibi dicitur: *sine præjudicio sanctæ consuetudinis*. 1. Septembris 1607.

CXXII. Ad inviatorium, Antiphonas, Responsoria, & Versiculos in Officio parvo B. Mariæ Virginis non additur *Alleluja* tempore Paschali. 18. Mart. 1626.

CXXIII. Etiam mutato proprio Breviario, & Romano acceptato, retinenda est ea consuetudo recitandi quotidie Officium parvum B. Virginis Mariæ. 2. Januarii 1627.

CXXIV. In Ecclesiis Titularibus B. Mariæ Virginis facienda est in Suffragiis Commemoratio de eadem B. Maria, non obstante, quod in Choro recitetur ejusdem Officium parvum. 13. Junii 1684.

CXXV. Coadiutor Episcopi non sedet celebrans, nisi in faldistorio: neque habet Diaconos assistentes; neque Canonici parantur; neque ponitur septimum candelabrum. 1. Septembris 1607.

CXXVI. Prædictus Episcopi Coadiutor non utitur Baculo, nisi in Ordinationibus. 1. Septembris 1607.

Holzmann Theol. Moral. Tom. II.

CXXVII. Coadiutor Episcopi celebrans præter Diaconum, & Subdiaconum debet habere assistentem Canonicum pro libro. 7. Augusti 1627.

CXXVIII. In Altari privati Oratorii, cui conceditur celebratio Missæ, non potest tamen celebrari in Natali Domini, Epiphania, prima die Paschatis, & prima Pentecostes, Annunciatione, Assumptione B. Virginis Mariæ, in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, nec in Solemnitate omnium Sanctorum. 17. Novembris 1607. Quibus adde Sabbatum Sanctum.

CXXIX. Ecclesia Parochialis in Diœcesi venit sub nomine Matricis, ante quam idcirco neque Regulares, neque Confratriæ possunt campanas pulsare in Sabbato Sancto. 9. Februarii 1608.

CXXX. Etiamsi Collegiata habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem, non tamen potest prius pulsare campanas in Sabbato Sancto. 23. Februarii 1619.

CXXXI. Simplex reconciliatio Ecclesiæ, seu Cœmeterii non consecrati potest committi Presbytero in dignitate constituto. 9. Februarii 1608. Imo & simplici Sacerdoti juxta Rituale Romanum.

CXXXII. Prima Dignitas det Candelam Episcopo in Festo Purificationis B. Virginis Mariæ, & Episcopus det statim primæ Dignitati ante Vicarium Generalem. 14. Junii 1608.

CXXXIII. Omnes de Clero, etiam Canonici, Eucharistiam sumant de manu celebrantis in Feria quinta in Cœna Domini 17. Septembris 1608.

CXXXIV. Sacerdotes in die Cœnæ Dominicæ Sanctissimum Christi Corpus sumpturi, possunt deferre stolam, vel ante pectus ad formam crucis, vel a collo pendentem. 30. Septembris 1679.

CXXXV. Occurrente Festo S. Josephi in Feria quinta in Cœna Domini, antiquus mos communis Cleri in Missa solemni ejusdem diei summa religione hactenus retentus nullatenus omittatur ob aliquarum celebrationem Missarum. 13. Septembris 1692.

CXXXVI. Si Festum S. Josephi venerit in Feria quinta in Cœna Domini, non solum servandum erit præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi Missam; ideoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis non desint. 13. Septembris 1692. Idem dicendum, si Festum Annunciationis occurrerit in prædicta Feria quinta.

CXXXVII. In Choro teneri non debent aliæ Imagines, quam Sanctorum. 7. Augusti 1609.

CXXXVIII. Neque Abbates, neque Regularium Superiores possunt benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum. 24. Augusti 1609.

CXXXIX. Neque Simplices Sacerdotes, neque Protonotarii possunt benedicere proprias vestes. 17. Julii 1627.

CXL. Commendatario, seu ejus Procuratori non defertur liber osculandus in Missa. 17. Septemb. 1611.

CXLI. Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Ecclesias antiquiores. 24. Martii 1612.

CXLII. Inferiores Episcopo non debent sumere de Altari paramenta pro Missa. 7. Julii 1612.

CXLIII. Altare portatile ligneum cum Ara lapidea permitti debet non obstante Constitutione Synodali, dummodo habeat solitum Reliquiarum repositorium. 1. Novembris 1612.

CXLIV. Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit, 19. Januarii 1614.

CXLV. Potest Episcopus prohibere, ne campanæ nondum benedictæ pulsentur. 5. Julii 1614.

CXLVI. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos; ut Antistites. 12. Nov. 1615.

CXLVII. Regularium Superiores non veniunt nomine Ordinariorum: & consequenter non possunt assignare aliquam ex Dominicis Novembris pro recitatione Officii de Patrocinio B. Virginis Mariæ, quod multis in Locis permittitur celebrandum in aliquo die Dominico illius mensis a Locorum Ordinariis eligendo. 22. Januarii 1701.

CXLVIII. Clavis Hostiæ repositæ in Feria quinta Cœnæ Dominicæ non est danda Laico, quantumvis nobili. 30. Januar. 1616.

CXLIX. Canonicus hebdomadarius Officium faciens debet habere locum super omnes Dignitates, & Canonicos. 17. Junii 1616.

CL. Prima sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum. 22. Augusti 1626.

CLI. Crux in processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. 14. Jan. 1617.

CLII. In personarum incensatione tota thurificatio facienda est cum unico thuribulo, si talis sit consuetudo. 21. Julii. 1618.

CLIII. Collegiata simplex præcedit Parochialer, etiam si, antequam erigeretur, illis cederet. 23. Martii 1613.

CLIV. Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiatæ. 10. Augusti 1619.

CLV. Prior Collegiatæ, si intersit in Cathedrali, thurificandus est duplici ductu, sicut Dignitates, & Canonici, licet non habeat præcedentiam super illos 9. Augusti 1617.

CLVI. Potest Episcopus cogere Canonicos ad discendum cantum Gregorianum, etiant per subtractionem fructuum. 6. Martii 1620.

CLVII. Regulares in celebratione Missæ possunt annunciare dies Festos, Jejunia in suis Ecclesiis. 2. Julii 1602.

CLVIII. In Oratione, *a Cunctis*, nomina Patronorum, S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptistæ, proponenda sunt Apostolis. 22. Augusti. 1620.

CLIX. Si in communibus Sanctorum Suffragiis facienda sit Commemorario de Cruce tanquam de Titulo Ecclesiæ, sufficiet ea ordinaria, quæ habetur in Psalterio, quando scilicet Officium currat feriale. 30. Martii 1621.

CLX. In Feria sexta in Parasceve non est administranda Eucharistia, nisi infirmis. 19. Febr. 1622.

CLXI. Celebrans in Parasceve mittat particulam in Calicem; neque se signet cum Calice. 28. Aug. 1627.

CLXII. In Officio de Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis non aliud nomen adhibeatur, quam Conceptionis. 24. Maii 1622.

CLXIII. Rubricæ *de Ave Regina Cœlorum*, additum est *ly inclusive*: ideoque in fine Completorii diei secundæ Februarii omissa Antiphona finali, *Alma Redemptoris*, dicenda est *Ave Regina Cœlorum*. 27. Julii 1604.

CLXIV. Licet transferatur Festum Purificationis B. Virginis Mariæ, attamen *Ave Regina Cœlorum* dicenda est die secunda Februarii post Completorium etiam in Ecclesia propria. 11. Januar. 1681.

CLXV. Regulares Ordinis Minimorum, dum nominant in Orationibus, Versiculis, ceterisque actibus, inter Divina Officia occurrentibus, Sanctum Franciscum prædicti Ordinis Fundatorem, non debent adjungere *ly de Paula*. 23. Decembris 1624. Unde apparet, quid in similibus sit faciendum.

CLXVI. Symbolum S. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in Choro recitatur stando. 23. Decembris 1624.

CLXVII. Imagines illorum, qui cum sanctitatis, seu Martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in Oratoriis, vel Ecclesiis tam Secularibus, quam Regularibus, antequam declarentur Beati: neque ad eorum sepulchra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis Apostolicæ. 13. Martii 1625.

CLXVIII. Non ideo præjudicandum erit in aliquo illis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur. 13. Martii 1675.

CLXIX. Facultas concedendi usum pileoli in Missa spectat ad Papam. 14. Aprilis 1626.

CLXX. Celebrans, qui distribuit cineres, candelas, & ramos, detecto capite distribuat. 18. Julii 1626.

CLXXI. Absente Episcopo benedictioner candelarum, cinerum, palmarum, & fontis fiant ab eo, qui cantaturus est Missam. 12. Jun. 1627.

CLXXII. Ille idem, qui benedicit cineres prima die Quadragesimæ, vel candelas in Festo Purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Missam sequentem. 12. Aprilis 1640.

CLXXIII. Candelæ, cineres, palmæ distribuuntur stando cum Mitra in capite ab eo, qui privilegium habet ea gestandi. 18. Februar. 1650.

CLXXIV. In Missa Feriæ quartæ quatuor Temporum, occurrentis in die octava Nativitatis B. Virginis Mariæ, dicenda est Præfatio communis, non vero de B. Maria. 12. Decembris 1626.

CLXXV. Signum, quod fit cum patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo crucis. 13. Mart. 1627.

CLXXVI. Ad Missam Vicarii Generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo Capellani. 7. Augusti 1627.

CLXXVII. Infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, nec non in Feria quarta Cinerum, in hebdomade majore, in Dominicis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes, non possunt diei votivæ Missæ privatæ, neque de Requiem. 28. Augusti 1627.

CLXXVIII. Si Festa SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, ac Inventionis S. Crucis occurrerint infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce, ac *Communicantes* de Ascensione. 28. Aug. 1627. Idem dicendum de aliis Festis, ac de Missis votivis propriam habentibus Præfationem, & infra eandem Octavam celebrandis; sicut & hoc prorsus servandum infra Octavam Epiphaniæ.

CLXXIX. Oratio imperata a Superiore, veluti *Deus refugium*, omittenda est in duplicibus primæ classis, 28. Augusti 1627. Romæ omittitur etiam in Festis secundæ classis.

CLXXX. In fine Missæ ad quodcunque Altare celebratæ fit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto. 28. Augusti 1627.

CLXXXI. Vicarius ut Vicarius non potest absente Episcopo Missas cantare solemnes, SS. Sacramentum, aut sacras Reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus Ecclesiasticis; sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant. 19. Septembris 1627.

CLXXXII Si Litaniæ majores occurrerint in die sancto Paschatis transferantur in Feriam tertiam sequentem. 25. Septembris 1627.

CLXXXIII. In Ecclesiis Regularium habentium claustra fiant processioner intra claustra tantum: si vero non habeant claustra, fiant prope muros Ecclesiæ, sive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Ecclesiæ portam, sive per eandem. 26. Februar. 1628.

CLXXXIV. Extra ambitum Ecclesiæ non licet Regularibus facere processiones, nisi de licentia, & consensu Parochi: salvis privilegiis, & consuetudinibus, siquæ sunt. 26. Febr. 1628.

CLXXXV. Officium fit duplex minus de illo Sancto, cujus habetur Reliquia insignis, scilicet caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodo sit integra, & non parva, & modo sit approbata, cujus ratione recitandum est Symbolum in Missa. 8. Aprilis 1628.

CLXXXVI. Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis, vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialiter concedatur a Sede Apostolica. 12. Augusti 1653.

CLXXXVII. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. 2. Decembris 1684.

CLXXXVIII. De Sancto, cujus habetur Corpus, vel insignis Reliquia, non potest fieri Officium, nisi constet de identitate, & nisi reperiatur in Martyrologio Romano: Reliquiæ vero a Locorum Ordinariis approbatæ possunt exponi ad fidelium venerationem, 19. Octobris 1691.

CLXXXIX. Missæ de SS. Rosario, & de Monte Carmelo, Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum respective, & specialiter concessæ, non sunt ab aliis celebrandæ sine speciali licentia. 8. Aprilis 1628.

CXC. Missa de SS. Rosario potest quidem dici a Secularibus, sed ut in Festo ad Nives, cum Oratione propria, quæ apponi solet in calce Missalis. 29. Octobris 1678.

CXCI. In illa Ecclesia, ubi adest Capella, vel Altare SS. Rosarii, potest celebrari Officium de eodem SS. Rosario sub ritu duplici majori in Dominica, quæ vel occurrit in Kalendis, vel prima est post Kalendas Octobris. 23. Septembris 1668.

CXCII. Non possunt Locorum Ordinarii tam Seculares, quam Regulares addere Calendariis etiam propriis

Sancto-

Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat quæ Breviarii Romani Rubrica, vel sacrorum Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. 8. Aprilis 1628.

CXCIII. Non est celebranda per totam Civitatem, vel Diœcesin Missa, nec recitandum Officium de Sancto, eo quod in Loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel etiam Abbatialis, aut aliqua insignis Reliquia; sed tantum in propria Ecclesia, nisi habeatur specialis licentia. 8. Aprilis 1628.

CXCIV. Officium defunctorum dici potest in Choro separatim ab Officio diei, in diebus exceptis a Breviario, pro adimplenda Testatorum voluntate. 12. Junii 1628.

CXCV. In Sacramentorum administratione ne adhibeant Canonici rochetum, & cappam, si iis utantur in Choro, sed cottam, & stolam. 12. Junii 1628.

CXCVI. Canonici Regulares possunt in publicis processionibus uti rocheto, & superpelliceo. 28. Augusti 1628.

CXCVII. De Titulis Altarium, nisi sint in Calendario Romano, nullum recitetur Officium. 28. Aug. 1628.

CXCVIII. Annuli usus in Missa prohibetur Protonotariis non participantibus, Doctoribus quibuscunque, & Canonicis Cathedralium. 20. Novembris 1628.

CXCIX. Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo, & de rigore uti, sed sine gemma, & sine aliqua effigie. 4. Augusti 1663.

CC. Solemniter consuevisse fieri Officium, significat Festum populi, aut Cleri cum apparatu. 7. Decembris 1628.

CCI. De Sancto canonizato non potest fieri Officium extra propriam Ecclesiam sine novo Decreto. 9. Decembris 1628.

CCII. Officium cum Missa B. Rochi in ejus die festo conceditur tantum in Ecclesiis in ejusdem honorem Deo dicatis, nisi aliud permittatur. 26. Novembris 1629.

CCIII. Non possunt eligi in Patronos, nisi illi solum, qui ab Ecclesia universali sub titulo Sanctorum coluntur; non autem beatificati duntaxat. 23. Martii 1630.

CCIV. Electio de Patrono Civitatis, vel Loci fieri debet per secreta suffragia a populo mediante Concilio generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus solum, & accedere debet consensus Episcopi & Cleri illius Loci. 22. Martii 1630.

CCV. Idem servandum in Patrono Regni, qui pariter eligendus erit per secreta suffragia a populo singularium Civitatum Provinciæ. 23. Martii 1630.

CCVI. Repræsentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Civitatum. 22. Martii 1630.

CCVII. Causæ electionis novorum Patronorum deducendæ sunt in sacra Congregatione, & ab eadem examinandæ, ac tandem causa cognita, ab eadem Congregatione approbanda est, & confirmanda. 23. Martii 1630.

CCVIII. Si in Locis Diœcesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Diœcesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam. 28. Septembris 1658.

CCIX. In Patronorum, sive Protectorum præcedentia servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & inter Ordinem Hierarchicum anterioritas in electione. 12. Martii 1690.

CCX. Non sunt inserendi in Litaniis alii Sancti, præter ibi descriptos: neque tempore pestis addendi sunt Titulares, & Civitatis Patroni sine speciali concessione. 22. Martii 1631.

CCXI. Qui præ timore, vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, sed ejus loco aliud suo arbitratu recitat suspendendus est a Missarum celebratione, quoadusque illud rite pronunciare assuescat. 5. Julii 1631.

CCXII. Pyxis, In qua servata fuit Eucharistia, non potest vendi, vel pignorari. 17. Augusti. 1632.

CCXXIII. Canonici in Processione intra Ecclesiam incedant capite detecto; & extra eam cum birreto in capite. 30. Martii 1633.

CCXIV. Ubi non est aurora physice, pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando scilicet ibi terminari solet quies, & in-

choari labor, juxta probatam Regionum consuetudinem. 18. Septembris 1634.

CCXV. In Calendariis Locorum fiat nota. *ad libitum*, quando Officia non sunt de præcepto. 6. Febr. 1638

CCXVI. Festa ad libitum, occurentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Diœcesis, vel Religionis, sunt omittenda. 24. Jan. 1682.

CCXVII. Officia ad libitum, occurrentia eo die, In quo alias aliquod Festum translatum poni deberet, vel in quo agendum esset Officium concessum semel in hebdomade, vel mense, possunt celebrari, protracto ulterius ad aliam diem Festo translato, vel omisso Officio per hebdomadem, aut per mensem concesso. 24. Januarii 1682.

CCXVIII. Si Festum ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum simplicem de præcepto, eo anno non omittatur, sed celebretur ritu simplici. 13. Junii 1682.

CCXIX. In occursu non potest transferri Officium proprium alicujus Diœcesis, vel Religionis, ut eo die agatur de Festo ad libitum, ne omittatur. 2. Dec. 1684.

CCXX. Officia ad libitum occurrentia infra Octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diœcesis, vel Religionis, non sunt celebranda, sed omittenda. 19. Januar. 1693.

CCXXI. Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare successive alias duas Missas, & in eis sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus, sed utrunque omnino prohibitum. 7. Decembris 1641.

CCXXII. Festum de Patrono principaliori Loci est præceptivum cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus. 13. Septembris 1642.

CCXXIII. Personæ tantum voventes tenentur servare Festa veluti de præcepto, quæ inducta sunt ex voto 8. Aprilis 1643.

CCXXIV. Regulares, qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant in publicis functionibus, & ubi non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in Loco controversiæ. 6. Octobris 1645.

CCXXV. Organum haberi debet etiam in Ecclesiis Collegiatis. 27. Julii 1646.

CCXXVI. In Missis votivis de Passione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Passionis, non est omittendus Psalmus *Judica me Deus*, neque *Gloria Patri* ad introitum, & lavabo; licet hæc omnia omittantur in Missa de Tempore. 10. Februar. 1647.

CCXXVII. Nemo potest excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & Officii cum Octavis sine expressa licenta prædictæ Sedis Apostolicæ. 5. Octobris 1652.

CCXXVIII. Beatorum nomina non apponantur in Calendariis, nisi illius tantum Loci, & Personarum, in quo, & a quibus cultus cum Officio, & Missa celebratur. 27. Septembris 1659.

CCXXIX. Non sunt invocandi Beati in publicis precibus, præter indultas, & approbatas, nec eorum Reliquiæ in Processionibus circumferendæ. 27. Sep. 1659.

CCXXX. Licet non sint celebrandi dies Festi in Beatorum honorem, hoc tamen non extenditur ad Festa devotionis. 27. Aprilis 1660.

CCXXXI. Indulta recitandi Officium cum Octava, & celebrandi Missam de Beatis non sunt revocata per Decretum editum sub die 27. Sept. 1659. Decretum hoc est 17. Aprilis 1660.

CCXXXII. In illis Ecclesiis, in quibus Officium, & Missa de Beatis recitari, & respective celebrari possunt, licet eorum Reliquias exponere, Imagines, vel Simulacra super Altari collocare, ac votivas Tabellas ibidem appendere. 17. Aprilis 1660.

CCXXXIII. Episcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apostolicæ gaudent Privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & Altare prædictis Beatis erigere. 17. Aprilis 1660.

CCXXXIV. In Missis de Beatis non est dicendum Symbolum, ubi scilicet est permissa hujusmodi celebratio. 22. Julii 1664. nisi adsit Reliquia.

CCXXXV. Tam Minores Conventuales, quam Observantes Reformati S. Francisci possunt in propriis

suorum Ordinum Ecclesiis solemnizare Festum S. Antonii Patavini ea ipsa die, in quam inciderit, dummodo Reformati a Processionibus abstineant eodem loco. 20. Septembris 1658.

CCXXXVI. Nullo modo sunt permittendæ duæ Processiones de eodem Festo in eodem Loco eodem die. 9. Aprilis 1663.

CCXXXVII. Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio Missæ in Feria quinta in Cœna Domini; nec ejusdem SS. Sacramenti asservatio in Sepulchro. 24. Jun. 1659.

CCXXXVIII. Manus Sacerdotis ad, *hanc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextro super sinistrum in modum crucis supra manus, non vero infra manus. 4. Augusti 1663.

CCXXXIX. Passio in hebdomoda majori legenda in Missis privatis in cornu Evangelii, licet in Missa solemni legatur a celebrante in cornu Epist. 4. Aug. 1663.

CCXL. Non solum Cruces, & Imagines Salvatoris, sed etiam Icones, Altarium, & omnes aliæ Imagines Sanctorum tegendæ sunt in primis Vesperis de Dominica Passionis. 4. Augusti 1663.

CCXLI. Hebdomadarius in decantandis Horis Canonicis non debet uti stola. 4. Augusti. 1663.

CCXLII. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis. 4. Augusti 1663.

CCXLIII. Pars inferior Hostiæ, non autem superior prædicenda est, quando dicitur, *Pax Domini sit semper vobiscum*. 4. Augusti 1663.

CCXLIV. Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet in genere pro omnibus, aut in specie pro aliquibus defunctis. 4. Augusti 1663.

CCXLV. Lectiones primi Nocturni in Officio de Festo duplici majori sumendæ sunt (nisi sint propriæ) ex ejus Communi; non vero ex Scriptura occurrente. 12. Julii 1664. licet occurrat initium.

CCXLVI. Dedicatio Apostolorum, & Salvatoris, extra Urbem non habet integras Vesperas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur Officium duplex minus. 12. Julii 1664. Idem dicendum de die octava Dedicationis.

CCXLVII. Dies octava non privilegiata dimidiat Vesperas in concurrentia cum Festo duplici minori. 12. Julii 1664.

CCXLVIII. Si transferatur Festum S. Luciæ in Feriam secundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Vesperæ erunt de die octava Conceptionis cum commemoratione S. Luciæ. 1. Martii 1681.

CCXLIX. Quæcunque dies octava B. Virginis Mariæ debet habere integras utrasque Vesperas in concurrentia cum Festo duplici minori. 11. Augusti 1692.

CCL. Primæ, & secundæ Vesperæ Angelorum Custodum dividendæ sunt a Capitulo, si concurrant cum Festo duplici minori. 27. Septembris 1698.

CCLI. Non permittitur ad Altare majus celebratio Missæ, dum dicuntur in Choro Matutinum, & Horæ. 15. Septembris 1664.

CCLII. Ad octavam benedictionem in Festo Conversionis S. Pauli Apostoli non dicitur, *cujus Conversionem colimus*; sed *cujus Festum*. 23. Februar. 1666. Patet hinc, quid sit faciendum in Officiis Translationis, Apparitionis, Ordinationis, vel Inventionis, aut similium.

CCLIII. Ubi celebratur Festum S. Raphaelis Archangeli, ad octavam benedictionem dicatur, *cujus Festum*, non vero, *quorum Festum*. 13. Septembris 1692.

CCLIV. Si simul sint transferenda Festa S. Marci Evangelistæ, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, prius reponatur Festum S. Marci, deinde Festum Apostolorum. 18. Septembris 1666.

CCLV. Festum duplex occurrens ante Octavam non privilegiatam, non est transferendum post Octavam, sed infra eandem celebrandum prima die non impedita. 30. Septembris 1679.

CCLVI. Officium particulare alicujus Diœcesis, vel Religionis, quod occurrit die vigesima quinta Februarii est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam, dummodo non sit duplex primæ classis. 7. Septembris 1680.

CCLVII. Officium semiduplex, quod occurrit in Dominica infra Octavam non privilegiatam, non est celebrandum in Feria secunda sequenti, licet non impedita, si habeatur reponendum aliud Festum altioris ritus. 1. Mart. 1691.

CCLVIII. In repositione duorum, vel plurium Festorum ritum habentium eundem, & die occurrentium diversa, attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas. 13. Junii 1682.

CCLIX. Si plura sint transferenda Festa, quæ eadem die occurrunt, & quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. 20. Julii. 1686.

CCLX. Non est transferendum in diem immediate sequentem Festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia Officia prius translata ejusdem ritus, non obstante Decreto edito sub die 30. Septembris 1679. Quoad vero Festum semiduplex in Dominica infra Octavam occurrens omnino servanda est Rubrica generalis Breviarii de Translatione Festorum n. 5. Decretum hoc est 22. Decembris 1696.

CCLXI. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo Festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale, & alterum particulare alicujus Diœcesis, vel Religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. 27. Septembris 1698.

CCLXII. Ad Responsorium breve Completorii in Dominica Passionis, ne omittatur *Gloria Patri*, si die sequenti fiat de Festo semiduplici. 18. Septembris 1666.

CCLXIII. Si Festum duplex, de quo agunt Regulares (sub quo nomine etiam veniunt Moniales) habuerit Missam propriam, omnibus, & solis Regularibus concessam, Sacerdotes Seculares celebrantes in eadem Ecclesia Regularium, Missam quidem dicant de Festo duplici, sed cum Missali Romano, ex Decreto Sac. Rit. Congreg. 19. Novemb. 1622. Decretum hoc est 9. Junii. 1668.

CCLXIV. Si Moniales non habeant Missale a Romano diversum, Sacerdotes, in earum Ecclesiis celebraturi, possunt dicere proprias Missas, ipsis Monialibus concessas. 27. Augusti 1672.

CCLXV. Conceditur omnibus Monialibus Ordinis Cisterciensis, quæ utuntur Breviario Romano, ut adaptare possint juxta ritum prædicti Breviarii Romani plura Officia una cum Missis propriis anno proxime præterito sub die 9. Decembris toti Ordini Cisterciensi concessa; eaque sic accomodata faciant typis imprimi: nec non secundum easdem Festivitates valeant celebrari facere Missas per Capellanos, Ecclesiis earundem servitio addictos, cum Missali Romano, & juxta illius Rubricas. 23. Junii 1703.

CCLXVI. In Missis votivis privatis non est dicendus Hymnus Angelicus, nisi fuerit Missa Angelorum, in qua quotidie est recitandus; vel Missa de B. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. 14. Maii 1672.

CCLXVII. Clausula posita in Brevibus Indulgentiarum, scilicet, *Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus, dictam Ecclesiam visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes literæ nullæ sint*, non comprehendit Altaria Privilegiata pro defunctis. 23. Junii 1676.

CCLXVIII. Sub generali Indulgentiarum suspensione, quæ fit anno Jubilæi, non comprehenduntur Altaria Privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ, pro solis defunctis concessæ. 24. Januat. 1700.

CCLXIX. In aspersione Aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit a Sacerdote Alba, & Stola induto vel etiam cum Pluviali, immediate celebraturo Missam Conventualem, Stola aptanda est ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens a collo ad utrunque latus. 30. Sept. 1679.

CCLXX. Missa assignata Festivitati Conceptionis B. Virginis Mariæ, non est dicenda in Sabbato ut Votiva. 30. Sept. 1679.

CCLXXI. Si occurrat Festum novem Lectionum de pluribus Virginibus simul, & Martyribus eodie, quo cadit Festum simplex ejusdem qualitatis, servanda est pro Commemoratione simplici Antiphona, *Istarum est enim*. 7. Decembris 1680.

CCLXXII. Officia Sanctorum, quæ alicubi super sunt de Mense Decembri, transferri possunt in annum sequentem, 7. Decembris 1680.

CCLXXIII.

CCLXXIII. Officia, concessa semel in hebdomada, non sunt celebranda in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, nec in Vigiliis, nisi aliter in concessione exprimatur. 1. Matt. 1681.

CCLXXIV. Ubi Festum S. Thomæ Episcopi, & Martyris celebratur sub ritu duplici, si occurrerit in eo Dominica, die sequenti fiat Officium de die infra Octavam Nativitatis Domini. 1. Matt. 1681.

CCLXXV. Quotiescunque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam Officium fuerit de prima die infra aliquam Octavam, Psalmi Vesperarum erunt de Psalterio, Capitulum de Dominica sequenti, cum sola Commemoratione de die Octava. 1. Matt. 1681.

CCLXXVI. In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt intra Ecclesias sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata. Quod si pulsetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento progrediendum. Similiter si aliqui transeant in elevatione Calicis. 1. Matt. 1681.

CCLXXVII. Qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, non ideo debent facere Commemorationem in Feria quarta Cinerum. 24. Jan. 1682.

CCLXXVIII. Si in Quadragesima Officium occurrerit infra Octavam, debent prædicti privilegiati dicere Missam Conventualem de Feria cum Commemoratione Octavæ, Missæ vero privatæ dici possunt de Octava cum Commemoratione Feriæ, ut præscribit Rubrica Missalis tit. 3. de Feria, & Vigilia n. 2. Decretum est 24. Januat. 1682.

CCLXXIX. Regulares non tenentur recitare Officia de Patronis minus principalibus, nisi sint descripta in Calendario Romano, vel in proprio dictorum Religiosorum. 24. Januar. 1682.

CCLXXX. Regulares tenentur quidem celebrare sub ritu duplici primæ classis Festum de Patrono principali Loci, Regni, seu Provinciæ, & de Titulari Ecclesiæ Cathedralis, sed ad eorum Octavas non tenentur. 20. Matt. 1683.

CCLXXXI. Si Festum S. Confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in Hymno, *Iste Confessor*, nulla fiat mutatio versiculi; sed dicatur, *Meruit beatas*, dummodo primæ Vesperæ non sint impeditæ. 13. Januar. 1683.

CCLXXXII. Translato Festo S. Confessoris ultra sequentem diem, in Hymno, *Iste Confessor*, facienda est mutatio versiculi, dicendo, *Meruit supremos*. 14. Junii 1692.

CCLXXXIII. Officia affixa diebus Dominicis, ut de SS. Rosario, & de Patrocinio B. Virginis Mariæ, si sint impedita Festo altioris ritus, vel dignitatis, sunt omittenda. 20. Matt. 1683.

CCLXXXIV. Officium Nominis B. Virginis Mariæ occurrens in Festo Exaltationis sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, aut dignitatis, transferatur, non vero omittatur. 20. Julii 1686. Si concedatur pro aliquo Festo ritus duplex, sine expressione majoris, vel minoris, concessio intelligatur de duplici minori, etiamsi ad honorem Deiparæ facta fuerit. 20. Novemb. 1683.

CCLXXXV. In Festo Nominis B. Virginis Mariæ non est facienda Commemoratio de ejusdem Nativitate, & in secundis Vesperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non est faciendi Commemoratio de prædicto Nomine. 20. Septembris 1684.

CCLXXXVI. Si Officium Nominis B. Virginis Mariæ venerit in die Octava Nativitatis ejusdem, Officium erit de Nomine, omissa in utrisque Vesperis, & Laudibus Commemoratione de prædicto die Octavo Nativitatis. 15. Sept. 1685.

CCLXXXVII. Sola ratione SS. Sacramenti expositi, non est dicendum Symbolum in Missis privatis. 2. Decembris 1684.

CCLXXXVIII. Potest fieri Commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de Festo duplici, quod non sit primæ, vel secundæ classis. 2. Decembris 1684.

CCLXXXIX. Qui celebrat Missam de B. Virgine eo die, quo fit de aliquo Festo semiduplici infra Octavam ejusdem B. Mariæ, debet dicere Missam de Octava; sed more Votivo sine *Gloria*, & *Credo*, nisi fuerit Sabbatum; quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. 2. Decembris 1684.

CCXC. Qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, si celebret Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere, *Gloria*, neque Præfationem B. Mariæ. 2. Decembris 1684.

CCXCI. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missali, velut *A cunctis*, ut ejusdem loco dicatur aliqua Oratio imperata ab Episcopo, veluti *Deus refugium*; neque ut recitetur penultimo loco Oratio pro defunctis, 2. Decembris 1684.

CCXCII. Quando dicitur Oratio *A cunctis*, vel *Ecclesiæ*, non est dicenda Oratio contra Paganos, vel alia hujusmodi; quia sufficienter una continet, quod & altera. 16. Aprilis 1688.

CCXCIII. Quando dicitur Collecta, vel Missa contra Paganos, non potest mutari nomen Paganorum, dicendo, Turcarum, Hæreticorum &c. 29. Julii 1689.

CCXCIV. Si in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum occurrerit Dominica, vel alicubi Festum de præcepto diei Dominicæ æquale, Officium cum Missa Defunctorum transferatur in sequentem diem, etiam Festo duplici impeditam. 5. Octobris 1688.

CCXCV. In Sabbato Sancto omnino prohibentur Missæ privatæ etiam post pulsationem campanarum, in quacunque Ecclesia, aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine. 11. Februar. & 11. Mart. 1690.

CCXCVI. Si Festum Annunciationis B. Virginis Mariæ occurrerit in Feria sexta in Parasceve, vel in Sabbato Sancto, transfertur ejus Officium una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus ad Feriam secundam post Dominicam in Albis; protracto ad aliam diem Festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. 11. Martii 1690. Notandum 1. Quod si alicubi in prædicta Feria secunda occurrerit duplex primæ classis, ibidemque Annunciatio celebraretur sub eodem ritu, adhuc duplex illud esset transferendum, & celebranda Annunciatio. Notandum 2. Quod licet Annunciatio sit secundæ classis, si tamen haberetur reponendum Officium primæ classis, nihilominus in prædicto casu esset agendum de Annunciatione. Notandum 3. Quod protracta ulterius Annunciatione ob Festum altioris ritus in ea occurrente, non ideo protrahenda sit obligatio audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus.

CCXCVII. Si simul transferenda sint Festa Sancti Josephi, & Annunciationis, prius reponatur Annunciatio, deinde S. Josephi, non obstante Decreto edito in contrarium sub die 12. Junii 1682. Decretum est 14. Junii 1692.

CCXCVIII. Translato Festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali. 10. Junii 1690.

CCXCIX. Si primæ Vesperæ de S. Martina impeditæ fuerint Festo duplici, vel Dominica, Hymnus proprius Vesperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus, sub unica conclusione, *A nobis abigas*. 26. Aprilis 1692.

CCC. Ubi die decima octava Decembris celebratur Officium de Expectatione B. Virginis Mariæ, omittendæ sunt ad Laudes Antiphonæ illæ, quæ occurrunt in illa Feria in Proprio de Tempore. 12. Maii 1692.

CCCI. Si prædictum Festum Expectationis venerit in Feria quarta Quatuor Temporum, nec erit dicenda nona Lectio in Officio, nec legendum ejus Evangelium in fine Missæ, sed illud S. Joannis; ideoque de Feria sola fiat Commemoratio in Officio, & in Missa. 12. Maii 1692.

CCCII. A die decima Decembris inclusive usque ad Vigiliam Nativitatis exclusive, fieri potest quodcunque Officium novem Lectionum, sive occurrens, sive etiam translatum. 17. Maii 1692.

CCCIII. Si Festum de septem doloribus B. Virginis Mariæ, quod multis in Locis celebratur Feria sexta post Dominicam Passionis, impediatur ab Officio majoris ritus, vel dignitatis, transferatur in Sabbatum sequens non impeditum, & non ulterius. 26. Februar 1693.

CCCIV. Si Vigilia S. Matthiæ occurrerit ultima die Bacchanalium, observetur eadem die Jejunium, non vero anticipetur. 23. Januar. 1694.

CCCV. Evangelium pro solemni Palmarum benedictione canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat, absque Diacono, & Subdiacono. 27. Aprilis 1697.

CCCVI. Festum Translationis, Ordinationis, Apparitionis, vel Inventionis, quod alicubi celebratur ratione Corporis, vel insigne Reliquiæ, celebrandum est sub ritu semiduplici, nisi sit Festum unicum, vel principale, & supposita concessione, si bis celebretur. 6. Decembris 1698.

CCCVII. Festa duplicia, & semiduplicia translata, præferenda sunt Officio S. Benedicti semel in hebdomade concesso. 8. Februar. 1699.

CCCVIII. Regulares obtenta a Locorum Ordinariis licentia oretenus, vel in scriptis faciendi solemnes Processiones extra limites Conventuum suæ Religionis cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti, possunt uti Pluviali, licet ejus usus non fuerit expressus in licentia obtenta. 21. Martii 1699.

CCCIX. Usus Pluvialis in Processionibus solemnibus non est testimonium, nec signum jurisdictionis in utente Sacerdote. 21. Martii 1699.

CCCX. In paramentis nigris non est administranda Eucharistia. 22. Januar. 1701.

CCCXI. Quando exponuntur Reliquiæ ultra lampadem, debent continuo ardere in Altari duo lumina; alias non exponantur. 22. Januar. 1701.

CCCXII. Sacerdos in Sacrificio Missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. 22. Januar. 1701.

CCCXIII. In Sacrificio Missæ non est adhibenda Palla, drappo serico a parte superiori cooperta. 22. Januar. 1701.

CCCXIV. Festum semiduplex, occurrens in Festo duplici infra Octavam non privilegiatam, non est transferendum post illam, quando dies immediate sequens alio Festo duplici, vel semiduplici impedita non fuerit, sed faciendum tunc est Officium die immediate sequenti. 30. Septembris 1679.

Hæc Decreta recenset P. Claudius La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 2055. testaturque, se nihil addidisse præter numeros, ut illa, si citentur, facilius, ac expeditius inveniri queant: ob quem finem & nos numeros apposuimus, de cetero ne unicum quidem verbulum immutantes. Sed

390. Quæres, quid circa recensita Decreta notandum?

Respondetur, illa esse habenda pro authenticis, donec constet de opposito. Ratio hujus asserti est: quia prælaudatus Author (fide procul dubio intemerata) affirmat, omnia præfata Decreta (excepto ultimo, quod sibi a solertissimo, & insigniter perito Rubricista communicatum testatur) esse impressa Pragæ: non est autem credibile, quod Reverendissimus, & Celsissimus Archiepiscopus Pragensis, ejusdemque Consiliarii Ecclesiastici similem impressionem imperassent, aut permisissent, nisi moraliter certam de illorum emanatione, & legitimo tenore notitiam habuissent: consequenter &c. Quapropter præmemoratis Decretis omnino assurgendum esse censemus, eisque absolute conformandam Moralistarum, & Rubricistarum doctrinam; salvis tamen legitimis consuetudinibus, Ordinationibus, & Dispensationibus Ordinariorum; itemque, ac vel maxime, Privilegiis Apostolicis, quibus Sacra Congregatio præjudicare non intendit; quemadmodum innuit in Decreto posito *num.* 184. Unde quamvis in Decreto allato *n.* 136. dicatur, Abbates, & Regularium Superiores non posse benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum; contrarium nihilominus affirmatum ivimus *n.* 374. de Superioribus Religionis nostræ, utpote munitis Privilegio benedicendi paramenta etiam pro Ecclesiis sibi non subjectis in Sacrificio Missæ usurpanda. Quod bene notandum, & in pluribus adhuc casibus advertendum, ne quis putare possit, quasi Decretis recensitis non detulerimus: contrarium quippe deprehendet, si reflexerit ad Privilegia, consuetudines &c.

CONSUETA FORMULA

Brevium Apostolicorum, quibus expediuntur Indulgentiæ pro Altaribus privilegiatis.

391. *Ad futuram &c. Volentes Ecclesiam N. in qua aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum, dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur, & in ea sit Altare Sancti N. nuncupatum, hoc speciali dono illustrare, Dei Misericordia &c. confisi, ut quandocunque Sacerdos aliquis ejusdem Ecclesiæ duntaxat Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus infra Octavam illius, ac Feria II. cujuslibet hebdomadæ, pro anima cujuscunque fidelium defunctorum, ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur; ita, ut Domini Nostri &c. suffragantibus meritis a purgatorii pœnis liberetur, concedimus: præsentibus ad septennium tantum valituris. Datum &c.*

Hanc Formulam exhibet P. Gobat *in Quinar. tr. 4. n.* 518. *&* iterum *in Theol. Experim. tr. 3. n.* 639. Circa Clausulas præallegatæ Formulæ plura satis momentosa, & utilia Quæsita resolvenda veniunt. Quibus proinde ex eodem Gobat, & aliis Authoribus opportune hic satisfiet. Itaque

392. Quæres primo circa primam Clausulam: *in qua aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum*: an si aliqua Ecclesia jam sit decorata Altari privilegiato generaliter pro omnibus defunctis, adhuc valide, & licite condecorari possit alio Altari privilegiato specialiter, v. g. pro defunctis ex certa Religione, Confraternitate &c.

Respondetur affirmative. Ita Pasqualigo *de Sacrific. tom.* 1. *quæst.* 754. Gobat *in Quinar. loc. cit. num.* 519. Benedictus Schmier *tract. de Jubil. in forma Thesium producto, pag.* 163. *num.* 221. Ratio est; nam particula *aliud* est repetitiva similis qualitatis, & denotat rem ejusdem rationis (nisi ex subjecta materia colligatur oppositum; prout non evenit in præsenti) consequenter præmemorata Clausula solum excludit Altare privilegiatum simile, & ejusdem rationis cum jam præhabito, adeoque acquisitionem novi Altaris privilegiati generaliter pro omnibus defunctis; non vero Altare privilegiatum dissimile, & diversæ rationis cum præhabito, quale est Altare privilegiatum specialiter pro defunctis ex certa Religione, Confraternitate &c. cujus proinde acquisitioni tam licitæ, quam validæ nullum prorsus obstaculum ponit. Confirmatur responsio nostra ex testimonio, quod perhibet P. Gobat *loc. supra cit.* ubi asseverat, se legisse Rescriptum quoddam Illustrissimi alicujus Nuncii Apostolici Viennensis, cui inserta erant hæc verba: *Possunt in eadem Ecclesia præter unum Altare privilegiatum pro animabus generatim, esse plura alia pro animabus e variis Confraternitatibus defunctorum.*

393. Quæres secundo circa secundam Clausulam: *Dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur*: an Privilegium Altaris suo valore destituatur, si in tali Ecclesia non quotidie celebrentur septem Missæ?

Respondetur negative: sed sufficit, quod ut plurimum septem Missæ in ea Ecclesia singulis diebus celebrentur, esto nonnunquam celebrentur pauciores. P. Gobat *in Quinar. tr. 4. n.* 20. & alii passim. Ratio est: quia *tò celebrentur*, juxta communem sensum significat idem, ac, *soleant celebrari*: qui sensus adhuc salvatur, tametsi numerus septenarius Missarum quandoque non expleatur, seu non legantur septem Missæ in præfata Ecclesia; ergo &c. Neque huic morali interpretationi, & sensui obstat particula *quotidie*, utpote quæ & ipsa moraliter accipienda venit, cum pertineat ad *tò celebrentur*, nec colligat singulos dies, sed distribuat celebrationem singularem ad dies, adeo, ut sensus sit, quod ut plurimum singulis diebus in illa Ecclesia debeant, & soleant celebrari septem Missæ: prout cum Pasqualigo recte advertit Pater Benedictus Schmier ubi supra *pag.* 165. *num.* 228. Accedit, quod

benefi-

beneficium gratiæ Pontificiæ, utpote nemini præjudiciosum, & piis Manibus valde proficuum, benigne interpretari deceat; unaque attendi finis, ob quem in Brevibus, ejusmodi Privilegii concessoriis, tot Missæ præscribuntur, ut nempe ex earum celebratione specialis cultus Ecclesiæ, & præsertim ipsius Dei, resultet, ac promoveatur: id quod adhuc fieri, moraliter loquendo, censetur, quamvis non singulis diebus septem omnino Missæ celebrentur; modo celebrentur quasi ordinarie, & ut plurimum.

394. Quæres tertio, circa tertiam Clausulam: *Et in ea sit Altare Sancti N. nuncupatum*: an Privilegium pereat, si Altare hoc tale destruatur; vel Sanctus ille, seu Patronus mutetur?

Antequam ad geminum istud Quæsitum detur resolutio, notandum, & supponendum est 1. quoad primum Quæsitum, Privilegium imperitri dependenter a tota illa machina, quæ absolute vocatur Altare; non autem dependenter a sola arula, seu Altari mobili: quamvis verba Brevis non repugnent, quo minus illi Altari insit Altare Portatile. Ita in terminis P. Gobat *loc. cit. n.* 522. Notandum, & supponendum 2. quoad idem primum Quæsitum, hoc non esse controversum de Altari secundum partes paulatim destructo, & paulatim reparato: quia tunc censetur moraliter idem manere. Suarez *disp.* 57. *de Pœnit. sect.* 2. Filliucius *tr.* 8. *cap.* 6. *q.* 3. *n.* 134. & 244. Similiter, quando partialis destructio, & reparatio Altaris censetur moraliter relinquere formam Consecrationis, omni procul dubio Privilegium perseverat. Nunc

Respondetur primo ad primum Quæsitum. Quando Altare privilegiatum sic destruitur, ut pereat quidem quoad formam consecrationis, maneat vero quoad majorem partem Altaris, Privilegium perseverat. Ita cum Pasqualigo P. Benedictus Schmier *loc. cit. pag.* 169. *n.* 241. Ratio est: quia non tam consecratio, quam locus, celebrationi destinatus, secundum totum esse suum materiale consideratur in petitione, & concessione id genus Privilegii; ergo si hoc esse materiale quoad partem majorem maneat, etsi pars minor, & consecratio pereant, perseverat tamen Privilegium. Confirmatur cum Pasqualigo in exemplo de Altari, quod ex toto lapideum non est; nam si lapis, seu Ara Portatilis ex illo auferatur, & alius lapis, seu Ara Portatilis ibi reponatur, Privilegium salvum, & incolume perseverat; quoniam illiusmodi Altare, quamvis non sit consecratum, quoad partem majorem, seu præcipuam, nempe quoad lapidem, ac locum, qui calicem, & patenam commode capit, manet; ideoque moraliter loquendo totum manere censetur in ordine ad retentionem Privilegii; ergo &c.

Respondetur secundo ad secundum Quæsitum. Quando Privilegium Altari in honorem certi alicujus Sancti, seu Patroni fuit concessum, perit, si Patronus ille mutetur. Ita rursus cum Pasqualigo Pat. Benedictus Schmier ubi supra *n.* 242. Ratio est: quia tunc Altare, cui Privilegium fuit affixum, non manet idem moraliter, & secundum qualitatem, quam S. Pontifex contemplatione prioris Patroni per Privilegii concessionem respexit; per consequens nec Privilegium manet, sed perit.

395. Quæres quarto circa quartam Clausulam: *Sacerdos ejusdem Ecclesiæ &c.* quinam Sacerdotes hic designentur; & num alii cum fructu Indulgentiæ ibidem celebrare nequeant?

Respondetur primo ad primum Quæsitum, quod designentur omnes Sacerdotes obtinentes in ea Ecclesia quodcunque Beneficium: item habentes illic Cooperaturam, Coadjutoriam, Expectantiam; ac denique Cantores, & Organœdi, si Sacerdotio insigniti sint. Hi ergo omnes in illa Ecclesia, & Altari sacrificare queunt cum fructu Indulgentiæ. Ita P. Gobat ubi supra *num.* 523. Ratio est: quia omnes id genus Sacerdotes possunt dici Sacerdotes illius Ecclesiæ; præsertim in præsenti, ubi quæstio vertitur de participatione Privilegii, quod est beneficium Summi Principis Ecclesiastici, nemini præjudiciosum, & animabus, in purgatorio detentis, plurimum favorabile; adeoque latæ interpretationis.

Moveri hic controversia solet, an Privilegio, pro Religiosis certæ Familiæ, seu Conventus indulto, alii quoque Religiosi hospites ejusdem Ordinis gaudeant; & sic cum fructu Indulgentiæ in Ecclesia, & Altari Privilegiato ibidem celebrare possint, ubi aliquot solum diebus commorantur? Pro negativa Pasqualigo *de Sacrif. tom.* 1. *q.* 749. refert Sylvium, & Zypœum; ipse vero affirmativam tenet de illis hospitibus Religiosis, qui Superiori Familiæ, seu Conventus, ubi hospitantur, subditi existunt etiam tempore hospitii: hi quippe tales certo respectu dici possunt esse de illa Familia, & Conventu: quod videtur sufficere ad participationem antefati Privilegii &c.

Respondetur nunc secundo ad secundum Quæsitum supra, quod alii Sacerdotes in dicta Ecclesia, & Altari celebrare nequeant cum fructu Indulgentiæ. Ita cum Pasqualigo, Gobat, & communi aliorum P. Benedictus Schmier ubi supra *pag.* 166. *num.* 230. Ratio patens est: quia Privilegium tantum valet, quantum sonat: cum ergo (ut in Formula Brevis supra allata exprimitur) non sonet pro aliis Sacerdotibus, quam ejus Ecclesiæ, pro illis non valebit: ut proinde hic subintret, quod inclusio unius sit exclusio alterius.

Sed hoc intellectum esto, inspecto tenore Brevis supra præmissi. Nam si Pontifex in Brevi aliquo Privilegium Altaris indulgeat, nullo discrimine facto inter Sacerdotes, indicium est, quod neminem Sacerdotum, sive Secularium, sive Regularium, velit exclusum a participatione Privilegii, si in ea Ecclesia, & Altari pro anima in purgatorio sacrificet. P. Schmier *loc. & n. citt.* Idem est, si v. g. Religio aliqua habeat Privilegium, ut quicunque Sacerdotes, sive Seculares, sive Regulares, venerint ad Ecclesiam talis Ordinis, in qua Altare Privilegiatum extat, ibidem cum fructu Indulgentiæ sacrificare queant. Videatur Gobat *loc. & numer. citt.*

396. Quæres quinto circa quintam Clausulam: *Missam Defunctorum*: an necessario debeat dici Missa de Requiem, ut Indulgentia obtineatur?

Respondetur affirmative: saltem quando in Brevi talis Missa expresse requiritur (pro die videlicet non impedita, seu non vetante Missam de Requiem) veluti requiritur in Formula Brevis superius adducta. Diana *part.* 9. *tract.* 2. *resolut.* 8. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numer.* 519. & alii passim. Ratio est: quia tunc censetur præscribi forma substantialis ad obtinendam Indulgentiam; consequenter hæc non obtinetur, nisi illa ponatur.

Dixi, *saltem si in Brevi talis Missa expresse requiratur*. Quod si requiratur Missa simpliciter, & sine addito, Pellizarius, Sylvius, aliique plures existimant, pro lucranda Indulgentia sufficere lectionem alterius Missæ. Sed rectius contradicunt Quarti, Gobat, & Pasqualigo apud La Croix *loc. & num. citt.* Rationem affert Pasqualigo *tom.* 1. *de Sacrif. q.* 731. quia (inquit) in tali casu mens S. Pontificis interpretationem a Jure recipit, seu ab eo, quod præscribit Ecclesia: Ecclesia autem, quando (in die non impedita) celebrandum est pro defuncto, vel defuncta, expresse præscribit Missam de Requiem, si dies non sit impedita Festo v. g. duplici, Dominica &c. ergo &c. Atque ita declaratum fuisse a Sacra Congregatione Rituum, testantur Barbosa *in Decis. Apost. Collect.* 478. & Gobat ubi supra *n.* 524.

Quod si dies sit impedita, qua sit vetitum legere Missam de Requiem, puta si in illam diem incidat, v. g. Festum duplex, Missa erit legenda de tali Festo cum Commemoratione, seu assumptione Collectæ pro defuncto, vel defuncta (quam tamen assumptionem necessariam esse negat Gavantus, aliique complures) pro cujus anima Privilegium, seu Indulgentiam lucrifacere intendit Sacrificans: nisi illud Festum duplex sit primæ classis; tunc quippe similis Collecta est omittenda. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 3. *n.* 631. & La Croix *loc. cit. n.* 520. Vide Decretum S. Congreg. Rit. supra *n.* 389. positum, & ordine LXXVI.

Quod autem in simili contingentia, quando scilicet Missa legenda est de Festo, obtineri nihilominus Privilegium, & Indulgentia possit, constat ex Decretis S. Congreg. Rit. supra *n.* 389. adductis ordine LXXVIII. & LXXX.

397. Quæres sexto circa sextam Clausulam: *In die Commemorationis Defunctorum*: an eo die omnia Sacra sint applicanda fidelibus defunctis in communi?

Respondetur negative. Ita P. Gobat *in Quinar. tr.* 4. *n.* 525.

n. 525. contra Gavantum, & decisum est a S. Congregat. Rit. per Decretum supra positum ordine CCXLIV. Ratio quoque est: quia Lex aliqua tacita Ecclesiæ, in qua Gavantus suam fundat sententiam, non sufficienter probatur. Unde idem Gobat *in Theolog. Experim. tr.* 3. *n.* 653. inquit: quanquam ego hanc misericordiam multum commendo: at ejus obligationem nego cum Tamburino *lib.* 3. *c.* 3. §. 1. *n.* 16. quia non sufficienter probatur. Confirmatur ex Formula Brevis superius adducta. S. Pontifex in die Commemorationis Defunctorum concedit Indulgentiam ipsi animæ, pro qua Sacrificium Missæ in Altari Privilegiato celebrabitur, per modum suffragii obventuram; ergo sufficienter innuit, non esse obligationem illo die celebrandi, & offerendi Sacrificium pro fidelibus defunctis in communi. Id amplius dilucidabitur infra *n.* 400.

398. Quæres septimo circa septimam Clausulam: *Et singulis diebus infra Octavam illius:* an etiam comprehendatur sub his verbis Dominica infra præfatam Octavam, adeo, ut Privilegium in Dominica quoque obtineri valeat pro anima, pro qua ad Altare Privilegiatum celebratur?

Respondetur affirmative. Sylvius apud Dianam *part.* 9. *tr.* 2. *resol.* 29. & alii passim. Ratio est: tum quia Dominica infra Octavam recte computatur inter dies talis Octavæ: tum quia Pontifex scit, illam Dominicam semper occurrere, & tamen non excipit; adeoque eandem comprehendere censendus est. Nec obstat, quod in ipsa non possit celebrari Missa, saltem privata, de Requiem. Sufficit enim ad lucrandam Indulgentiam celebratio Missæ de ipsa Dominica, vel Festo in eam incidente: sicut sufficit celebratio Missæ de Festo duplici, quo occurrente Missa de Requiem dici nequit.

399. Quæres octavo circa octavam Clausulam: *Ac Feria II. cujuslibet hebdomadæ:* an etiam comprehendat Feriam secundam Hebdomadæ Sanctæ?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia cum Feria secunda hujus Hebdomadæ non excipiatur in Brevi, intelligitur potius inclusa, præsertim quod talis inclusio sit piis Manibus valde favorabilis, & alias beneficium S. Pontificis deceat late interpretari. Nec refert, quod in dicta Hebdomada non valeant dici Missæ Votivæ, & de Requiem, Siquidem plures dantur Hebdomadæ, in quibus nempe occurrunt Octavæ privilegiatæ, excludentes Lectionem Missarum Votivarum, & de Requiem; non tamen idcirco in Feriis II. illarum impeditur, vel suspenditur Privilegium Altaris: consequenter &c. Satis est ergo ad obtinendum privilegium, quod in Altari Privilegiato legatur, & animæ liberandæ applicetur Missa, quæ juxta Rubricas legi potest, & debet in Feria II. antefatæ Hebdomadæ. Porro per *to Feria II.* denotatur, diem secundam Hebdomadæ communiter determinari pro Altari Privilegiato: quamvis etiam quandoque soleat determinari alia dies, v. gr. Feria VI. idque vel simul cum Feria II. vel seorsim absque ea: prout praxis demonstrat.

400. Quæres nono circa nonam Clausulam: *Pro anima*, junctam Clausulæ: *Anima ipsa*: an celebrans, & offerens Sacrificium Missæ, v. g. pro omnibus, vel aliquibus Defunctis, possit nihilominus Indulgentiam obtinere pro anima certi defuncti, v. g. Petri?

Respondetur negative, sistendo in tenore Brevis præallegati. Ita Gobat *in Quinar. tr.* 4. *n.* 529. & alii passim. Ratio est: quia in Brevi supra præscribitur celebratio, & oblatio Sacrificii Missæ (per *to celebrabit*) determinate pro anima, *ut hæc de Thesauro Ecclesiæ per modum Suffragii Indulgentiam consequatur*; ergo pro ipsa determinate, & sola celebrandum, & offerendum est Sacrificium (saltem qua satisfactorium) ut pro eadem obtineatur Indulgentia. Dixi per parenthesin: *saltem qua satisfactorium*. Censet enim prælaudatus Author, valori Indulgentiæ nihil derogatum iri, Si Sacerdos non conductus stipendio, neque aliunde obligatus ad applicandum illi animæ Sacrificium simpliciter, id est, non solum qua satisfactorium, sed etiam qua impetratorium, fructum impetratorium retineat sibi, vel donet aliis; modo animæ, pro qua intendit obtinere Indulgentiam, applicet fructum satisfactorium. Idem tenendum, quando dans stipendium, petit sibi applicari fructum impetratorium, animæ vero defuncti, vel defunctæ alicujus fructum satisfactorium. Ratio hujus doctrinæ videtur esse: quia ex una parte fructus Sacrificii sunt divisibiles, & ab invicem separabiles (prout traditum est superius *num.* 327.) potestque fructus impetratorius applicari uni, & fructus satisfactorius alteri (secundum dicta *n.* 329.) ex altera vero parte satisfit fini, a S. Pontifice concedente Indulgentiam directe intento, qui est, ut liberetur anima e purgatorio: hic quippe finis obtinetur satis per applicationem Sacrificii qua satisfactorii, cum ut sic sit remissivum pœnæ temporalis, pro peccatis jam remissis debitæ, eamque cum Indulgentia plenaria conjunctum totaliter remittere omnino censeri possit, Sed contra hoc

Dices. Non obtineret quis pro se indulgentiam Jubilæi, nisi operum præscriptorum fructum etiam impetratorium in finem talis indulgentiæ lucrandæ applicaret; ergo neque obtinebit quis indulgentiam Altaris privilegiati pro anima defuncti, vel defunctæ, si Sacrificii Missæ fructum satisfactorium duntaxat pro ea indulgentia lucranda applicet, impetratorium vero sibi reservet, vel aliis donet.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est. siquidem in Bulla Jubilæi unacum operibus injungitur expresse applicatio fructus etiam impetratorii, quatenus Jubilæum conceditur, v. g. pro pace inter Christianos Principes conservanda, vel reparanda; pro extirpatione hæresum impetranda &c. Id quod non injungitur in Brevi, quo conceditur Indulgentia pro Altari privilegiato; veluti patet legenti Formulam Brevis supra *n.* 391. extantem: consequenter &c.

401. Quæres decimo circa decimam Clausulam: *Ut a purgatorii pœnis liberetur*: an effectus Indulgentiæ per modum suffragii, qualis in proposito est liberatio animæ e purgatorio, sit infallibilis; adeo, ut anima, cui ex mente Pontificis Indulgentia applicatur, certo, & infallibiliter (secundum ordinatiam Dei Legem) inde liberetur?

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent S. Thomas, Ledesma, Valentia, Coninch, Lessius, Filliucius, Palao, Diana, Tannerus, Lugo, Suarez, Mendo *disp.* 12. *n.* 96. Gobat *in Quinar. tract.* 8. *num.* 483. & alii quam plurimi contra alios. Ratio est: quia Indulgentia, quam quis vivus sibi lucratur, juxta Legem Dei ordinatiam operatur suum effectum infallibiliter, prout tradunt DD. communiter; ergo etiam Indulgentia, quam quis lucratur alteri, puta defuncto, vel defunctæ. Conf. ostenditur; nam Pontifex non minus Indulgentiæ, quam quis lucratur alteri, defuncto, vel defunctæ, promittit universaliter, & absque hæsitatione effectum suum, ac Indulgentiæ, quam quis vivus lucratur sibi ipsi; idque per eandem potestatem, quam obtinet tanquam Successor S. Petri, & Caput universalis Ecclesiæ; ergo &c.

Dices. Si Indulgentia operetur infallibiliter suum effectum, seu liberationem animæ e purgatorio, non apparet, cur pro eadem anima adhuc applicentur aliæ Missæ, præsertim in Altari privilegiato: hoc autem sæpissime fit; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Ratio negandi est: tum quia non constat, an Sacerdos, qui indulgentiam animæ applicavit, omnes conditiones necessarias impleverit: tum quia nostra sententia non est certa, sed solum probabilis, vel probabilior: tum quia ignoratur, an non Deus ex peculiari quadam causa circa hanc, vel illam animam velit facere exceptionem a sua generali lege, & promissione, videlicet non permittendo, ut indulgentia, huic, vel illi animæ applicata, eidem effective, seu in actu secundo prosit, nisi repetatur una cum Sacrificiis: super quo plura ex Authoribus exempla, & historiæ afferri possent; consequenter &c.

402. Quæres undecimo circa undecimam, & ultimam Clausulam: *Præsentibus ad septennium tantum valituris*: an septennium, cui duratio Privilegii alligatur, incipiat, & computari debeat a die *datæ*, hoc est, Romanæ expeditionis, vel vero a die factæ publicationis?

Respondetur, sensisse hactenus DD. satis communiter, quod septennium incipiat & sit computandum a die *factæ publicationis*, rationem hanc reddentes; quia Pontifex vult, ut Privilegium per septennium valeat, quemadmodum indigitat clausula præcitata, & communi-

muniter inseri solita: atqui valor hujus Privilegii non incipit a die *data*, sed a die *publicationis factæ* authoritate Ordinarii: consequenter &c. Ita, inquam, Authores hucusque satis communiter.

Sed (nisi in Brevi expresse addatur hæc clausula: *a die publicationis &c.*) modo tenendum est oppositum propter Decretum S. Congregationis, Indulgentiis, & S. Reliquiis præpositæ, quod refert P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 525.* & ita sonat: Discusso dubio in S. Congreg. Indulgentiis, & S. Reliquiis præposita: An attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solent, *Præsentibus ad septennium tantum valituris*, septennii initium a die publicationis Brevis desumendum sit? Eadem S. Congreg. die 18. Maii 1711. declaravit, non a die publicationis, sed a die datæ Brevis septennii tempus incipere. Et facta relatione SS. Domino nostro per me infrascriptum Secretarium die 20. ejusdem mensis, Sanctitas Sua Congregationis sententiam approbavit.

J. M. Card. Gabriellius Præf.
Raphael Cosmus de Hieronymis Secret. Romæ typis Cameræ Apostolicæ 1711.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De Celebratione in Oratoriis privatis editum 15. Decembris 1703.

403. NOnnulli Episcopi, & complures Regulares sub prætextu privilegiorum ea sibi licere putant, quæ prohibita sunt: siquidem Episcopi etiam in aliena Diœcesi extra domum propriæ habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Capellanis vivificam Christi hostiam immolant; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absque præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam Decreta S. Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quo minus in ills celebrari possit, aut etiam Altari portatili in non verentur in sanctarum Sanctionum contemptum, ac sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem, tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo Declarationibus, alias hac de re editis, expresse declarat, Episcopis, & bis majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu clausi in Corpore Juris, neque alio quocunque titulo, nullo modo licere, extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi (quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhibeetur) erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerunt, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscunque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscunque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuscunque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem, demandando ulterius, ac declarando in omnibus his casibus personas quascunque, dictas Missas audientes, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo Declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus *in cap. In his de Privileg.* & per aliquot Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in Locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis Locorum, ut contra quoscunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati ad pœnas præscriptas per idem S. Concilium in dicto Decreto *Seß. 22. cap. unic. (De observandis, & evitandis in celebratione Missæ)* usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat.

Cardinalis Panciaticus Præfectus.

Hoc Decretum videre est apud P. La Croix *lib. 6. part. 2. post n. 258.*

404. Quæres, quid præterea notandum circa Celebrationem Missæ in Oratoriis privatis?

Respondetur. Quinam Locus veniat nomine *Oratorii privati*; & quomodo satisfaciant præcepto, si die festivo ibi Missam audiant, relinquitur ex dictis supra *n.* 383. In præsenti autem adhuc

Notandum, quod, licet Episcopus (nisi forte a Sede Apostolica specialiter ad id delegatus sit) non possit (ex dictis *n.* 370. *in respons. ad argum. post 3. except.*) concedere permanenter licentiam celebrandi Missam in Oratorio privato stricte sumpto, & descripto superius *n.* 383. *in respons. ad 5.* possit nihilominus eam licentiam præfato modo impertiri, quando Oratorium privatum non est strictè tale; ut si extet quidem erectum in privata domo, habeat tamen accessum, & ingressum publicum, sive per viam publicam; nam ratione talis accessus, & ingressus potius sortitur rationem Oratorii publici, quam privati: consequenter &c. Ita cum Aversa, Quarti, Diana, & aliis P. La Croix *loc. cit. n.* 265.

DEFECTUS MISSÆ,

Sive Rubrica de Defectibus, in Celebratione Missarum occurrentibus.

445. I. SAcerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte Ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo Sacerdotalis in Conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscunque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii vero sunt Defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

De Defectibus Materiæ.

II. Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, & vinum de vite, & ut hujusmodi materia consecranda, in actu Consecrationis sit coram Sacerdote.

De Defectu Panis.

III. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel si aliquo corruptus, non conficitur Sacramentum.

Secundo. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur.

Tertio. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus: similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ, conficitur, sed conficiens graviter peccat.

Quarto. Si celebrans ante consecrationem advertat, hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione,

saltem

saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

Quinto. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem ut supra, & a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie, quam pateretur*; & illam primem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis, & Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.

Sexto. Quod si hoc contingat, post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, & vinum cum aqua; & facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*, ac statim sumat utrunque, & prosequatur Missam: ne Sacramentum maneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo.

Septimo. Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quam pateretur*, facta ejus prius oblatione ut supra.

De Defectu Vini.

IV. Primo. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

Secundo. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

Tertio. Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrunque non esse in calice; debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut supra, consecrare incipiendo ab illis verbis, *Simili modo &c.*

Quarto. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo a verbis prædictis, *Simili modo*.

Quinto. Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ; apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrunque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus; vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cetera.

Sexto. Siquis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur, quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

Septimo. Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat; quia non est de necessitate Sacramenti.

Octavo. Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini non posset ullo modo haberi; si id fit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet. Si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absolvenda; ita tamen, ut prætermittantur verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum.

De Defectibus Formæ.

V. Primo. Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc: *Hoc est enim Corpus meum*: &: *Hic est calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Siquis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis, & Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret.

Secundo. Si celebrans non recordetur, se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constat, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse; iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

De Defectibus Ministri.

VI. Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt: in primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quæ in ipso possunt occurrere.

De Defectu Intentionis.

VII. Primo. Siquis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere. Item si aliquæ hostiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare, nisi quas videt. Item siquis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit: in his casibus non consecrat; quia requiritur intentio. Secus: si putans esse quidem decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

Secundo. Si Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utranque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ; quia ad idem Sacrificium spectant.

Tertio. Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra corporale decenter opertam sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice, seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculum reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat, quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

Quarto. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum; etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

De Defectibus dispositionis animæ.

VIII. Primo. Siquis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.

Secundo. Siquis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

Tertio. Siquis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.

Quarto. Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos re-

corde-

cordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

Quinto. Si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

De Defectibus dispositionis corporis.

IX. Primo. Siquis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

Secundo. Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

Tertio. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si, lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

Quarto. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantum percipiat purificationem.

Quinto. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione, & celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare, & celebrare; nisi ex ipsa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

De Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus.

X. Primo. Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea: si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter: si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus Sacerdotalibus: si vestes Sacerdotales, & mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ: si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit, qui deservire non debet, ut mulier: si non adsit calix cum patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea, vel vitrea: si corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo, vel alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam supra dictum est: si celebret capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

Secundo. Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

Tertio. Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen, ut possit communicare, & non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat hostiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta Consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semi prolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem calicem repetat integram formam, ab eo loco, *Simili modo, postquam cœnatum est*; vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semi-consecratum.

Quarto. Siquis extra hujusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.

Quinto. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in calice, misceat parum aquæ, offerat ut supra, & prosequatur Missam: si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finita Missa comburat, & combustio, ac lotio hujusmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

Sexto. Si aliquod venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum, denuo consecrandum: & finita Missa Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tandiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, & tunc stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium projiciatur.

Septimo. Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat modo, quo dictum est, & illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur in Sacrarium.

Octavo. Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat.

Nono. Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quod si illius hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

Decimo. Si propter frigus, vel negligentiam, Hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo ceremonias, & signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter Corpus, & Sanguinem, signans se cum calice, & dicens: *Corpus, & Sanguis Domini nostri &c.*

Undecimo. Si hieme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

Duodecimo. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus iste radatur, quantum satis est, & abrasio comburatur; cinis vero in Sacrarium recondatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium projiciatur. Si super linteum Altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, calice supposito, & aqua ablutionis in Sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solo corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in Sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.

Decimo tertio. At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum, & aquam, & consecret ab eo loco, *Simili modo, postquam cœnatum est*, facta prius tamen calicis oblatione ut supra.

Deci-

Decimo quarto. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ apparent, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ caute separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in Sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur.

Decimo quinto. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus, ubi cecidit, mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis, seu abrasio hujusmodi in Sacrarium mittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur.

Hactenus Missale verbatim. Sed

446. Quæres primo, an Rubricæ Missalis de defectibus Missæ, quas hucusque retulimus, omnes sint præceptivæ, vel aliquæ directivæ tantum?

Respondetur, non omnes esse præceptivas, sed aliquas, & quidem multas solummodo directivas, continentes consilium, ac congruitatem, non vero obligationem, præsertim gravem. Ita cum communi Pat. Herincx *de Sacrif. Missæ disp. 8. n. 164.* Ratio responsionis est: tum quia ipsæ Rubricæ id indigitant, dum utuntur his terminis, *consulitur abstinendum, videtur abstinendum &c.* tum quia adhibent quandoque verba præceptiva, quandoque autem, & sæpius, verba nullum denotantia præceptum: unde si in exemplis posterioris generis obligatio non colligatur aliunde, videlicet ex aliquo Jure, aut consuetudine, vim præcepti, aut legis obtinente, nulla extare censebitur: consequenter &c. Ut ergo dignoscatur, sitne Rubrica aliqua præceptiva, vel mere directiva, & consultiva? attendendum venit, an utatur terminis præceptivis, vel fundetur in aliquo Jure, aut consuetudine vim præcepti habente, sive non? Si sic; præceptiva erit: si non; directiva solum. Ita cum Cardinale de Lugo P. Herincx *loc. & n. cit.*

447. Quæres secundo, qualiter antevertendi, vel supplendi sint defectus Missæ?

Respondetur, tres Regulas generales hac in re observandas esse.

Prima Regula est. Quando aliquid substantiale ad Missam defuturum prævidetur, tunc Missa nec inchoanda est, nec inchoata prosequenda, si nondum facta sit consecratio: sin autem post consecrationem notetur aliquid substantiale esse omissum, omnino supplendum erit, quantum fieri potest. Ita cum Doctore Angelico Sanct-Gallenses *tom. 9. tr. 4. q. 7. part. 4. dub. 7.* & alii communiter. Dicitur autem impræsentiarum defectus *substantialis*, quando deficit aliquid in essentiali materia, vel in consecratione utriusque speciei, vel in utriusque sumptione.

Secunda Regula est. Quando defectus talis post consecrationem per primum consecrantem suppleri non potest (ut quando celebrans incidit in morbum, ut SS. Eucharistiam sumere non possit) suppleri debet per alium etiam non jejunum, si jejunus desit, qui illic incipere debet, ubi alter desiit. Quod si consecratio nondum facta est, non est opus alium succedere: si tamen succedat, sicuti potest, modo jejunus, & bene dispositus sit, melius faciet, si Missam denuo inchoet, quam si pergat ibi, ubi alter desiit. In dubio autem, an prior jam unam speciem consecrarit, debet successor in Canone incipere, & vel eandem speciem sub tacita conditione, vel potius aliam materiam consecrare, & priorem illam post sumptionem calicis sumere. Ita denuo Sanct-Gallenses *loc. cit.* cum Suarezio, & aliis.

Tertia Regula est. Si tantum accidentalis defectus acciderit, v. g. si omissa sit una oratio, vel ceremonia, salva consecratione, & sumptione utriusque speciei, ordinarie nihil supplendum erit, nisi forte minima tantum mora temporis intervenerit. Hinc siquis post commissum illiusmodi defectum longius in lectione Sacri progressus sit, nihil repetere, aut supplere debet. Idem sæpe observandum, quando post errorem factum in legenda Missa tantum processit aliquantum, Unde siquis omiserit *Gloria*, vel *Credo*, & paulo post recordetur, non oportet repetere: imo neque, si statim post *Dominus vobiscum*, aut *Oremus* errorem advertat; quia sæpe repetitio fieri nequit sine turbatione populi, vel confusione celebrantis. Ita cum aliis a se relatis P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 531.*

448. Quæres tertio, quid faciendum in casu, quo aqua pro vino fuerit infusa, & consecrata?

Respondetur. Si celebrans errorem deprehendat ante sumptionem, debet aquam illam, præsertim si particulam hostiæ jam injecerit, reverenter in aliud vas effundere, novum vinum infundere, illudque more solito offerre, & consecrare incipiendo ab his verbis, *Simili modo &c.* & statim postea sumere; cui sumptioni mox subjungenda est sumptio illius aquæ transfusæ. Quod si vero deprehendat errorem in ipsa primum sumptione aquæ, potest eam aquam omnino sumere, indeque tenetur novum vinum infundere offerre, & consecrare, secundum immediate dicta. Haud tamen tenetur (etiamsi possit) novam hostiam consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie &c.* & sic deinceps consequenter omnes ceremonias usque ad sumptionem iterum repetere: licet enim iste modus in Missali supra tradatur, & idcirco a multis DD. propugnetur; alter tamen modus, de quo dictum, & juxta quem non est consecranda nova hostia &c. commodior est, & a scandalo remotior; imo passim in praxi receptus, defenditurque a Scoto *in 4. distinct. 8. quæst. 3.* Navarro *in Manual. cap. 25. num. 91.* Suarezio *disput. 85. section. 1.* Sanct-Gallensibus, ubi supra, & aliis quam plurimis.

TRACTATUS QUARTUS.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.



Icut supernaturalis animæ vita Baptismo confertur, Confirmatione roboratur, Eucharistia nutritur; ita per peccatum extincta, Sacramento Pœnitentiæ revivificit, & efflorescit. Qua de causa hoc Sacramentum nuncupatur *secunda post naufragium tabula*, quatenus mortales post Baptismum (qui dicitur *prima post naufragium tabula*) in peccata personalia lapsos, veluti naufragium passos, transvehit in portum justitiæ. Unde etiam (ut ab aliis nomenclaturis abstraham) *Sacramentum reconciliationis* appellatur, quatenus læsam per peccata amicitiam Deum inter, & hominem restituit, vel redintegrat. Porro cum Pœnitentia inter reliqua Sacramenta hoc habeat singulare, quod non solum Sacramentum sit, sed etiam Virtus (nempe moralis) animæ; illæque duæ rationes in nova Lege adeo sint conjunctæ, ut nec Virtus prodesse valeat sine Sacramento, vel ordine ad Sacramentum, nec Sacramentum sine Virtute consistere; hinc de Pœnitentia sub utraque ratione differemus, non quidem tractatione unam ab altera separando, sed unam (nempe rationem Virtutis) in ordine ad alteram (videlicet rationem Sacramenti) discutiendo, ubi materiæ pertractandæ natura, & indoles id exegerit. Nunc sit

DISPU-

DISPUTATIO I.

De Natura, ac Institutione; uti & de Materia, ac Forma generatim, Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Expediuntur, quæ concernunt Naturam, & Institutionem hujus Sacramenti.

SUMMARIUM,

449. Sacramentum Pœnitentiæ definitur. 450. Fuit a Christo primum post suam Resurrectionem institutum: quamvis ejusdem institutio 451. jam antea fuerit insinuata. 452. Cur post Resurrectionem fuerit institutum?

449. Dico primo, Sacramentum Pœnitentiæ est *Sacramentum novæ Legis, ad remittenda hominum peccata, post susceptum Baptismum commissa, in forma judicii institutum*. DD. reipsa communiter.

Explicatur breviter. Ly *Sacramentum novæ Legis* tenet locum generis; cum in eo Sacramentum Pœnitentiæ conveniat cum aliis Sacramentis ejusdem Legis. Per reliquas particulas circumscribitur, & denotatur differentia Sacramenti Pœnitentiæ ab aliis Sacramentis; siquidem nullum ex iis in forma judicii, & ad illa peccata remittenda est institutum. Quod autem Sacramentum Pœnitentiæ dicto modo, & in eum finem sit institutum, aperte colligitur ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. & 7. Item ex *cap.* 18. *Matth.* ubi dicitur: *Quæcunque alligaveritis super terram &c.* per quæ verba traditur potestas reos in vinculis peccatorum (post susceptionem Baptismi commissorum) retinendi, vel ab iisdem absolvendi; hæc autem potest est judiciaria, ut patet.

450. Dico secundo. Sacramentum Pœnitentiæ Christus instituit post Resurrectionem suam, quando *Joan.* 20. Discipulis apparens dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Probatur tum authoritate Tridentini, quod *Sess.* 14. *cap.* 1. ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Tum ratione: siquidem tunc Christus hoc Sacramentum instituit, quando Apostolis (eorumque Successoribus) Sacerdotio jam insignitis, dedit potestatem remittendi peccata, & non antea, seu antequam Apostoli Sacerdotio initiarentur (quoniam potestas in Corpus Christi verum ex ordinatione Christi præsupponitur ad potestatem in Corpus Christi mysticum, id est, potestas consecrandi præsupponitur ad potestatem absolvendi a peccatis &c.) atqui Christus Apostolis, Sacerdotio jam insignitis, potestatem remittendi peccata dedit *Joan.* 20. ergo &c.

451. Observandum autem est, Synodum Tridentinam supra, ideo solum dixisse, quod Christus Sacramentum Pœnitentiæ *præcipue* instituerit *Joan.* 20. quia aliis locis ejus institutionem faciendam jam insinuaverat; ut cum Discipulis ligandi, solvendique potestatem, & Petro claves regni cælorum, se largiturum promisit: præcipue tamen, id est, reipsa, & actu illud instituit *Joan.* 20. cum verba supra relata protulit; tunc quippe primum erexit Tribunal Pœnitentiæ, attributa Apostolis, eorumque Successoribus, judiciaria remittendorum, retinendorumque peccatorum potestate.

452. Quæres, quare Christus hujus Sacramenti institutionem post Resurrectionem suam differre voluerit, cum tamen alia Sacramenta ante instituerit?

Respondetur, rationem a priori esse voluntatem Christi instituentis; duas tamen assignari posse congruentias. Prima est: quia Resurrectio Christi est typus, & exemplar nostræ justificationis, juxta illud Apostoli *ad Rom.* 4. ibi: *Traditus est propter nostra delicta, & resurrexit propter nostram justificationem*, id est, ut perfectum justificationis exemplar nobis exhiberet. Sicut enim Christus cito, vere, & perfecte, seu non iterum moriturus, resurrexit; ita peccator debet per Pœnitentiam cito a peccatis resurgere, neque eam differre de die in diem, & vere, ac sincere ad Deum converti, nec iterum mori morte peccati. Altera est: quia cum remissio peccatorum fiat media charitate, & Spiritus Sanctus sit charitas, conveniens fuit, ut Apostoli prius per illam mysticam Christi insufflationem, quæ primum post ejus Resurrectionem contigit, reciperent Spiritum Sanctum, quam potestatem remittendi peccata.

CAPUT II.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam, & Formam hujus Sacramenti.

ARTICULUS I.

Quænam sit Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?

Tametsi in confesso sit apud omnes, peccata personalia, post Baptismum commissa, eorumque circumstantias, esse materiam remotam hujus Sacramenti, quia tamen peccata alia sunt certa, seu certo commissa, alia dubia: circumstantiæ item aliæ peccati speciem mutantes; aliæ ejus malitiam intra eandem speciem aggravantes tantum: hinc quæstio, ita generatim proposita, plures involvit controversias, easque sat celebres, merito per distinctos §§. dirimendas.

§. I.

Quænam peccata certa, seu certo commissa, sint materia remota, & qualis, Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

453. Peccata personalia certa, post Baptismum commissa, si sint mortalia, & clavibus necdum subjecta, existunt materia remota necessaria Sacramenti Pœnitentiæ: 454. uti & peccatum fictionis. 455. Peccata vero venialia certa existunt materia libera; attamen sufficiens. 456. Etiamsi jam sint remissa. Idem est de mortalibus remissis.

453. Dico primo. Peccata personalia certa, post Baptismum commissa, si sint mortalia, & clavibus nunquam subjecta, existunt materia remota necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Ita omnes, & habetur in Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5.

Probatur præterea: siquidem illa peccata existunt materia remota necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, quæ non possunt remitti, nisi per hoc Sacramentum vel in re, vel in voto susceptum: atqui hujusmodi sunt peccata, quorum meminit conclusio; ergo &c.

454. Quæres, an etiam peccatum fictionis, id est, indigna susceptio Baptismi, aut aliud quoddam mortale in ipsa susceptione Baptismi commissum, nec ante ejus consummationem retractatum (quo proinde non quidem valor, sed effectus dicti Sacramenti impediatur) existat materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ?

Respondetur affirmative. Ita P. Bosco hic *disput.* 7. *sect.* 2. *conclus.* 1. P. Mastrius *in* 4. *disp.* 2. *q.* 6. *art.* 1. P. Panger *lib.* 4. *disp.* 1. *q.* 3. *n.* 30. & alii passim. Ratio fundamentalis est: quia illiusmodi peccatum est mortale, & commissum ab homine Christiano, ac Ecclesiæ subjecto; ergo existit materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Ant. quoad primum membrum liquet ex statu quæstionis: quoad secundum vero ostenditur; nam Baptismus in instanti, quo suscipitur, efficit hominem Christianum, & membrum Ecclesiæ; sicut gratia in instanti, quo infunditur, efficit hominem Deo gratum; & Professio Religiosa in instanti, quo emittitur, Religiosum, adeo, ut, si hic in eo instanti peccaret v. g. contra Castitatem, sacrilegus foret; ergo &c. Confirmatur. Omne peccatum mortale per se loquendo remitti debet per aliquod Sacramentum mortuorum, nempe per Baptismum, vel Pœnitentiam: atqui peccatum fictionis est mortale; ergo per se loquendo remitti debet per alterutrum ex illis Sacramentis. Sed non potest remitti per Baptismum; ergo per Pœnitentiam remitti debet. Subsumpt. prob. Peccatum posterius

Baptis-

Baptiſmo, non poteſt remitti per Baptiſmum: atqui illud peccatum fictionis eſt poſterius Baptiſmo, non quidem poſterioritate durationis, ſed naturæ: cum ex ſuppoſitione continuetur uſque ad inſtans terminativum Baptiſmi, quo verum eſt dicere, Baptiſmum tranſiſſe; ergo &c.

Dices. Concil. Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 5. definit, Sacramentum Pœnitentiæ, a Chriſto inſtitutum, neceſſarium eſſe *omnibus poſt Baptiſmum lapſis*, ergo lapſis in ipſo Baptiſmo (prout fit per peccatum fictionis) dictum Sacramentum non eſt neceſſarium.

Reſpondetur, neg. conſ. & ſuppoſitum, quod peccatum, in ſuſceptione Baptiſmi commiſſum, non poſſit accenſeri peccatis poſt Baptiſmum commiſſis: cum enim ſit natura poſterius impreſſione characteris Baptiſmalis, per quam quis Chriſtianus efficitur, omnino inter peccata hominis Chriſtiani, adeoque poſt Baptiſmum commiſſa, computandum venit. Porro dum Concil. dicit, peccata commiſſa poſt Baptiſmum pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, loquitur præciſe de duobus temporibus ante, & poſt Baptiſmum, non vero de duobus inſtantibus naturæ, eodem temporis inſtanti comprehenſis, abſtrahere nempe volens, vel ſaltem non expreſſe definire id, quod rariſſime fit, quemadmodum rariſſime fit, ut quis peccatum fictionis non continuet ultra inſtans temporis, quo Baptiſmus ſuſcipitur: quamvis & hunc caſum ibidem in contextu implicite comprehendere cenſeatur, quando ait, omnia mortalia, in quæ Chriſti fideles ceciderint, ad Sacerdotes, Chriſti Vicarios, eſſe deferenda.

Inſtabis. Tametſi peccatum fictionis, quatenus ſupponit pro ipſo actu externo, ſit natura poſterius Baptiſmo; hunc tamen præcedit, quatenus ſupponit pro actu interno, ſeu voluntate indigne ſuſcipiendi Sacramentum; cum utique ſit prius velle ſuſcipere, quam actu ſuſcipere Baptiſmum indigne; ergo non videtur accenſendum peccatis poſt Baptiſmum commiſſis.

Reſpondetur, neg. conſ. Licet enim voluntas indigne ſuſcipiendi Baptiſmum incipiat ante actualem ſuſceptionem, protrahitur tamen, & continuatur uſque ad illud inſtans incluſive, quo Baptiſmus reipſa ſuſcipitur indigne, & cum actu externo ſuſceptionis coaleſcit in unum peccatum totale, quod Baptiſmo natura poſterius eſt, & inter peccata illu poſteriora computandum.

455. Dico ſecundo. Peccata venialia certa, poſt Baptiſmum commiſſa, nondum clavibus ſubjecta, exiſtunt materia remota Sacramenti (1) libera ſolum; attamen (2) ſufficiens. DD. communiter.

Probatur prima pars: quia conſtat aliunde, peccata venialia extra Sacramentum variis modis deleri poſſe, nec ullum extare præceptum de iis confitendis; ergo exiſtunt materia remota libera Sacramenti Pœnitentiæ.

Probatur etiam ſecunda pars: ſiquidem dum peccata id genus venialia ſubjiciuntur clavibus, validum efficitur Sacramentum, ſuppoſito, quod aliunde nihil deſit ſunt enim vera peccata, contra Legem Dei æternam militantia, de quibus in ſacro Tribunali nos accuſare, dolere, & ſatisfacere poſſumus; ergo exiſtunt materia remota ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.

456. Quæres, an etiam peccata, ſive mortalia, ſive venialia, jam ſemel clavibus ſubjecta, & per abſolutionem Sacramentalem directe, riteque remiſſa, exiſtant materia remota ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ?

Reſpondetur affirmative. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 19. *q. unic.* & alii communiter. Ratio eſt: quia etiam ſuper peccata jam ſemel clavibus ſubjecta, & legitime remiſſa cadere adhuc poteſt materia proxima (nempe actus pœnitentis) & forma abſolutionis; ergo poſſunt iterum ſubjici clavibus, & conſequenter exiſtunt materia remota ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ: modo (ut fieri ſupponitur) materia proxima, & forma abſolutionis repetantur: quia conſtituitur novum compoſitum Sacramentale; & conſequenter novæ partes intrinſecæ, quales ſunt materia proxima, & abſolutio, requiruntur; eſto materia remota, quæ ſunt peccata, non afferatur nova; cum enim hæc non ſit materia ex qua, nec pars intrinſeca compoſiti Sacramentalis, licet hoc duplicetur, non tamen eſt neceſſe, etiam illam duplicari. Confirmatur a pari. Eadem numero peccata poſſunt eſſe materia remota duorum, vel plurium Baptiſmatum; ergo etiam eadem numero peccata poſſunt eſſe materia remota duorum, vel plurium Sacramentorum Pœnitentiæ. Argumenta, quæ hic opponi poſſent, commodius ſolventur infra *artic.* 3.

§. II.

An etiam peccata mortalia dubia, clavibus nunquam ſubjecta, ſint materia remota neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ?

S U M M A R I U M.

457. Exponitur ſtatus quæſtionis. 458. & ſeqq. Nec peccata mortalia poſitive, nec negative dubia ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, quando dubium eſt bilaterale, & verſatur circa ipſum factum principale: ubi etiam ſolvuntur objectiones. 466. Si peccata mortalia ſint dubia dubio poſitivo unilaterali, tenemur illa confiteri: ſecus, ſi ſint dubia dubio negativo, quamvis unilaterali. 467. Similiter confiteri tenemur peccata mortalia, ſive poſitive, ſive negative dubia, quando dubitatur non de ipſo facto principali, ſed ſolum de aliquo acceſſorio ad illud. 468. Quid præterea notandum ſit circa confeſſionem, & abſolutionem a peccatis dubiis?

457. PRænotandum pro ſtatu quæſtionis rite intelligendo, dubium aliud eſſe *bilaterale*, & aliud *unilaterale*. Primum eſt, quando dubitans habet rationes, ſeu motiva dubitandi pro utraque parte contradictionis, e. g. quod commiſerit, & non commiſerit homicidium. Secundum eſt, quando dubitans habet motiva dubitandi pro una parte contradictionis, e. g. quod commiſerit homicidium; non item pro altera, ſeu quod non commiſerit homicidium. Dubium bilaterale eſt dubium proprie dictum; de quo egimus *part.* 1. *a num.* 73. E diverſo unilaterale eſt dubium improprie dictum; imo, ſi ſit poſitivum, æquivalet certitudini relate ad partem, pro qua rationes militant; veluti fluit ex dictis *part.* 1. *numer.* 122. *in fin.* Utrumque tamen dubium ad præſens inſtitutum facit: poteſtque eſſe vel *poſitivum*, quando nimirum rationes, ſeu motiva dubitandi de ſe ſunt ſufficientia ad præbendum prudentum aſſenſum, aut diſſenſum huic, vel illi parti contradictionis (ſi ſtent pro utraque) vel uni duntaxat parti (ſi ſtent pro una tantum) aut *negativum*, quando motiva dubitandi non ſunt de ſe ſufficientia ad antefatum finem. Porro dubitare quis poteſt vel de ipſo facto principali, e. g. an commiſerit homicidium, aut an hoc fuerit mortaliter peccaminoſum, eo quod ab homine interempto fuerit prius fuſte graviter percuſſus? vel de aliquo ſolum acceſſorio ad illud, puta an homicidium commiſerit cum deliberatione, & voluntario ad peccatum mortale ſufficienti. Ut poſſibili claritate procedamus, prius, & per concluſiones quæſtionem propoſitam decidemus de dubitante (poſitive, & negative) dubio bilaterali verſante circa factum principale; poſtea primum per Quæſita. & Reſponſa deciſuri, quid ſentiendum, ſi dubium ſit unilaterale, vel bilaterale quidem, ſed circa acceſſoria tantum.

458. Dico jam primo. Nulla eſt obligatio confitendi peccata mortalia poſitive dubia dubio bilaterali, verſante circa ipſum factum principale; atque adeo hujuſmodi peccata non ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc concluſio eſt communis inter DD. & fluit ex dictis *part.* 1. *tractat.* 1. *diſput.* 3. *cap.* 2. *art.* 1. Unde breviter

Probatur in hunc modum. Quando agitur de ſola honeſtate, ſeu licentia actionis, licet ſequi opinionem probabilem, prout deduximus *cit. part.* 1. & *loc. cit.* atqui in caſu concluſionis agitur de ſola honeſtate, ſeu licentia actionis (vel omiſſionis) & pœnitens probabiliter opinatur, ſe peccatum non commiſiſſe, vel aliud non eſſe mortale; ergo &c. Probatur min. quoad primum membrum; nam hæc quæſtio, an teneatur confiteri peccata poſitive dubia? (item negative dubia, peccatorum mortalium circumſtantias &c.?) non vertitur de ſufficientia materiæ, formæ, vel intentionis in ordine ad conficiendum Sacramentum; neque inquiritur, ſitne validum, vel invalidum Sacramentum, quando aliquis omittit peccata mortalia poſitive dubia (vel negative dubia, peccatorum mortalium circum-

ſtantias &c.) cum talis (ut ſupponitur) afferat aliam materiam certam, recipiat formam legitimam, & præmittat intentionem debitam: ſed quæſtio ſolum movetur de obligatione ſuſcipiendi Sacramentum cum hac, vel illa diſpoſitione; ſive an peccet, vel non qui peccata mortalia dubia in confeſſione reticet? Quæ duo inter ſe longiſſime diverſa, & gnaviſſime diſcernenda ſunt. Modo prob. etiam min. quoad alterum membrum: ſiquidem poſitive dubitans habet rationes momentoſas, vereque probabiles, v. g. in propoſito, quod peccatum non commiſerit, vel illud mortale non ſit; conſequenter poteſt ſe determinare ad diſſenſum, ſive ad judicandum, quod probabiliter non commiſerit, vel mortale non ſit, & dependenter a tali judicio probabili per rationes reflexas formare conſcientiam moraliter certam, quod illa non teneatur confiteri. Pro meliori hujus intelligentia recoli poſſunt, quæ habentur *part.* 1. *n.* 13. & 129.

459. Dico ſecundo. Neque eſt obligatio confitendi peccata mortalia negative dubia, dubio bilaterali verſante circa ipſum factum principale; proindeque nec iſta peccata ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Petrus Marchant *tr.* 4. *tit.* 6. *q.* 5. *concluſ.* 4. Shogar *in Theol. radical. tr.* 68. *cap.* 3. Stoz *lib.* 1. *part.* 5. *q.* 3. *art.* 6. *a num.* 165. Viva *in Theolog. Scholaſt. part.* 8. *diſp.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *concl.* 3. & alii videndi apud Haunoldum *de Pœnit. cap.* 8. eſtque ſententia intrinſece probabilior affirmante (prout recte advertit La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 609.) & per conſequens ſimpliciter probabilior, ac præferenda; prout fluit ex dictis *part.* 1. *n.* 113. eſto La Croix *n.* 610. contrarium aſſerat; non tamen ſatis conſequenter ad doctrinam a ſe traditam *lib.* 1. *n.* 134.

Probatur concluſio primo ex Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. ubi diſerte tradit, nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam ut confiteantur mortalia, quorum *memoriam*, & *conſcientiam* habent: atqui de peccatis, etiam negative dubiis, non habetur memoria, aut conſcientia; ergo &c.

Reſpondent Adverſarii, Concil. etiam intelligendum eſſe de memoria, & conſcientia dubia, qualis utique habetur de peccatis negative dubiis. Verum

Contra eſt primo. Verba Concilii, abſolute prolata, abſolute accipienda veniunt, quando nihil obſtat: ſed præallegata verba Concilii, *memoria* ſcilicet, & *conſcientia*, abſolute prolata ſunt, & nihil obſtat, quin abſolute accipiantur; ergo ſic accipienda veniunt. Atqui non ſic acciperentur, ſi etiam intelligerentur de memoria, & conſcientia dubia; cum hæc talis memoria, & conſcientia non ſit memoria, & conſcientia abſolute, ac ſimpliciter, ſed cum addito, atque ſecundum quid duntaxat; ergo &c.

Contra eſt ſecundo. Concilium non comprehendit conſcientiam poſitive dubiam, aut probabilem: quemadmodum fatentur ipſimet Adverſarii; ergo neque, & minus, conſcientiam negative dubiam, utpote quæ rationem conſcientiæ minus participat, ac illæ.

Probatur ſecundo. Qui dubitat (etiam negative) de facto voto, vel contracto debito, ad nullam ſolutionem adſtringitur: qui vovit, quotidie recitare roſarium; dubitat autem, an intellexerit totum roſarium, ſeu pſalterium, vel ſolum tertiam ejus partem, poteſt eligere, & dicere tertiam partem: qui dubitat, an egerit contra legem habentem annexam excommunicationem, non tenetur ſe reputare excommunicatum: qui dubitat, an peccatum, quod eſt reſervatum, commiſerit, vel an peccatum, quod commiſit, ſit reſervatum, non tenetur adire Superiorem, vel alium poteſtate in reſervata pollentem; ergo neque, qui dubitat, an peccatum, quod de ſe eſt mortale, commiſerit, aut ſcit quidem ſe commiſiſſe peccatum, dubitat autem, an id ſit mortale, vel veniale tantum, tenetur accedere Confeſſarium, & confiteri: ſicut enim in caſibus antecedentis, ita & in caſu conſequentis favent dubitanti hæc axiomata Juris, a nobis *part.* 1. *n.* 83. & 89. expoſita: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*; &: *In dubiis præferenda ſunt benigniora &c.*

Reſpondent Adverſarii, axiomata immediate allegata ſolum habere locum, quando alioquin dubitans obligaretur ad aliquid excedens ſui dubii limites; ſicut in votis, & debitis Juſtitiæ; ſi enim in dubio cogendus eſſet vovens, vel debitor ad ſolvendum, obligaretur ultra dubium; & ſic ejus conditio eſſet deterior, cum tamen ratione dubii, & poſſeſſionis deberet eſſe melior. At in noſtro caſu dubitans non obligatur ad aliquid ultra dubii ſui limites, cum ſolum teneatur peccata ſua confiteri ſub dubio, quod revera habet. Sed

Contra eſt, negando, quod, qui cogitur confiteri peccatum dubium, non obligetur ultra ſui dubii limites: licet enim non teneatur (imo nec poſſit) peccatum dubium confiteri ut certum; tamen quia cogitur confiteri ut dubium, obligatur ultra ſui dubii limites, quatenus obligatur ad certam, & reipſa exhibendam confeſſionem peccati incerti, & dubii.

Nec obeſt, ſi dicas, ſaltem dubium eſſe certum; atque iden non eſſe mirum, quod poſtulet certam ſolutionem confeſſionis ſub dubio.

Nam contra eſt, quod ſolutio confeſſionis non oriatur ex dubio, neque cum eo commenſurari debeat; ſed ex peccato, quod, quippe incertum, certam ſolutionem, ſeu confeſſionem ſui, etiam ſub dubio exponendi, poſcere non valet.

Probatur tertio. Lex non ſufficienter promulgata non obligat: ſed lex confitendi peccata negative dubia non eſt ſufficienter promulgata; ergo non obligat; ergo ejuſmodi peccata non tenemur confiteri. Major eſt decantata. Minor oſtenditur: ſiquidem impoſſibile eſt, ut ſtet certitudo de lege cum probabilitate de non exiſtentia, vel non obligatione legis; cum ex duabus contradictoriis, quando una eſt probabilis, oppoſita non poſſit eſſe certa: atqui probabile eſt, vel etiam probabilius, non dari exiſtentiam, & obligationem legis, ad confitenda peccata negative dubia adſtringentis; cum ſolida, imo ſolidiora extent fundamenta eam negantium, ac affirmantium; ergo &c.

Confirmatur. Sententia vere probabilis poteſt fundare conſcientiam reflexe, & practice certam; prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 13. 129. & 136. ergo illam ſequendo non peccamus. Atqui ſententia negantium obligationem confitendi peccata negative dubia eſt vere probabilis, quemadmodum plerique ex modernis Adverſariis ultro fatentur, eſto contendant, ſententiam affirmantium eſſe probabiliorem; ergo &c.

460. Objicies primo. Concil. Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 1. ſic habet: *Oportet a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* Addit deinde: *Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, quamvis utiliter in confeſſione dicantur, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* Quibus verbis ſic utuntur Adverſarii. Concilium a materia neceſſaria confeſſionis ſolum excludit peccata venialia, & ex mortalibus illa, quæ invincibiliter non occurrunt memoriæ; ergo peccata mortalia dubia, memoriæ occurrentia, inter materiam confeſſionis computanda cenſet; cum excluſio unius ſit incluſio alterius.

Confirmatur primo. Concilium obligat ad confeſſionem illorum peccatorum mortalium, quæ ſunt in conſcientia, & prout ſunt in conſcientia: ſed peccata dubia ſaltem ut dubia ſunt in conſcientia; ergo Concil. ad eorum confeſſionem obligat.

Confirmatur ſecundo. Ideo juxta Concilium non tenemur confiteri peccata venialia, quia non excludunt a gratia, & amicitia Dei; ergo a contrario omnia illa peccata tenemur confiteri, quæ excludunt ab amicitia Dei. Atqui peccata mortalia dubia excludunt ab amicitia Dei, ex hypotheſi, quod reipſa ſint commiſſa; ergo &c.

Reſpondetur primo ad object. & utranque confirmat. ſimul, retorquendo argumentum de peccatis poſitive dubiis: ſiquidem & hæc memoriæ occurrunt; ut dubia in conſcientia ſunt; ab amicitia Dei (ſuppoſito, quod reipſa ſint commiſſa) excludunt; non minus, ac peccata mortalia negative dubia.

Reſpondetur ſecundo ad object. in ſpecie, ſatis conſtare ex prima probat. Juxta idem Concilium illa duntaxat peccata mortalia eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, quorum quis memoriam, & conſcientiam certam habet, qualia non ſunt peccata dubia, etiam negative talia. Nam Concilium *loc. in* 1. *prob. cit.* ſu-

mit, imo expresse loquitur de memoria in sensu absoluto, quæ ut sic denotat memoriam certam; cum meminisse, absolute prolatum, juxta Platonem sit quoddam scire; adeoque meminisse non sit dubitare, aut vicissim: quia nemo dixerit, se posse jurare, quod meminerit, seu habeat memoriam de eo, de quo dubitat; licet jurare possit, quod de eo habeat memoriam dubiam. Similiter Concilium loquitur de conscientia in sensu absoluto, & prout denotat scientiam, conformiter hisce S. Bernardi verbis: *Quid est conscientia, nisi cordis scientia?* Ex quo inferatur, necesse est, alterutrum Concilium etiam *loc. in object. cit.* intelligendum esse de conscientia absolute spectata, & certa; alias quippe circa unam, eandemque materiam loqueretur inconsequenter. Recte nihilominus a materia necessaria confessionis excludit venialia per oppositionem ad mortalia, & causalem adjunctam: *quia scilicet non excludunt ab amicitia Dei*; nam venialia etiam certa cum amicitia Dei compatiuntur; & idcirco neque tunc, quando noscuntur certo commissa, ex obligatione clavibus subjicienda sunt, esto utiliter subjici possint.

Ad 1. confirmat. dist. maj. Concil. obligat ad confessionem illorum mortalium, quæ sunt in conscientia certa, con. in conscientia dubia, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons.

Ad 2. confirmat. dist. cons. Tenemur confiteri omnia illa peccata, quæ excludunt ab amicitia Dei certo, & absolute, con. dubie, & hypothetice, seu ex hypothesi solum, quod reipsa sint commissa, neg. cons. & dist. pariter subsumpt. Peccata mortalia dubia excludunt ab amicitia Dei, priore modo, neg. posteriore modo, con. subsumpt. & nego ejus cons.

461. Objicies secundo. Consuetudo confitendi peccata mortalia negative dubia semper viguit inter fideles; ergo datur lex illa confitendi; nam consuetudo est optima legum interpres.

Respondetur primo, retorquendo argumentum in peccatis mortalibus positive dubiis: siquidem & ista fideles confiteri passim soliti erant, & etiamnum solent.

Respondetur secundo, dist. ant. Viguit illiusmodi consuetudo ex devotione, con. ex obligatione, neg. ant. & cons. Multa utiliter, & laudabiliter practicantur, quin ex eorum praxi resultet obligatio. Nec obstat, quod illa praxis, multorum saltem, traxerit forte originem, & continuata fuerit ex persuasione, esse obligationem sic practicandi. Nam hæc erronea persuasio nihil confert ad inducendam consuetudinem obligatoriam per se loquendo, sed tantum per accidens, id est, ratione erroris, quo depulso, obligatio cessat, & libertas redit.

Dices. Authores antiqui omnes docuerunt confitenda esse peccata mortalia negative dubia; ergo censendi sunt se fundasse in traditione Apostolica; consequenter &c.

Respondetur primo, neg. ant. Nam (teste P. Viva *cit.*) contrarium expresse docuerunt S. Antoninus, qui obiit *ann.* 1459. Paludanus, Patriarcha Jerosolymitanus, qui claruit *circa annum* 1330. Tabiena, qui vixit *circa annum* 1525. Hi, inquam, & haud dubie plures Authores ex antiquioribus nostram tradidere sententiam.

Respondetur secundo, transmisso antec. neg. cons. Nam Authores antiqui, adversæ sententiæ defensores, pro fundamento suæ doctrinæ non allegant traditionem Apostolicam; sed commune illud axioma (ad quod infra *n.* 398. respondebimus) *in dubio tutior pars est eligenda*. Quare eorum sententia, ut ut communis, haud aliter respicienda est, ac aliæ quædam sententiæ olim communes, quibus modo ab Authoribus recentioribus, post fundamenta nervosius discussa, qua in libris, qua in scholis contradicitur; tametsi vertatur quæstio de obligatione, & praxi.

462. Objicies tertio. Peccata mortalia negative dubia sunt materia necessaria contritionis perfectæ, quando nempe urget præceptum se reconciliandi cum Deo, & deest occasio confitendi; ergo etiam sunt materia necessaria confessionis, quando adest, aut captari potest occasio confitendi, & urget præceptum se cum Deo reconciliandi.

Confirmatur. Sacerdotes sunt constituti Vicarii Christi, ad quos omnia deferantur peccata, quæ ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ debebant ad ipsum Deum deferri per contritionem: atqui peccata mortalia negative dubia ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ debebant ad Deum deferri per contritionem; ergo nunc debent deferri ad Sacerdotes, & subjici clavibus Ecclesiæ.

Respondetur primo ad objection. & confirmat. simul, iterum retorquendo argumentum in peccatis mortalibus positive dubiis: siquidem & ista sunt materia necessaria contritionis perfectæ, quando urget præceptum se cum Deo reconciliandi, & abest occasio confitendi; pariterque debebant ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ ad Deum deferri per contritionem.

Respondetur secundo ad object. in specie, dist. ant. Peccata mortalia negative dubia sunt materia necessaria contritionis implicite se extendentis ad illa, con. explicite se extendentis ad illa, neg. ant. & cons. Sicut quis in posito casu non tenetur elicere contritionem posterioris generis de peccatis mortalibus positive dubiis, vel memoriæ non occurrentibus; ita nec de negative dubiis: sed satis est, si eliciat contritionem universalem, quæ se explicite extendat ad peccata mortalia certa, & implicite ad dubia. Quod idem dicendum, siquis teneatur, aut velit confiteri: tunc enim similiter sufficit, & requiritur, ut contritionem universalem (quæ tamen in casu confessionis potest esse imperfecta, seu attritio) eliciat, implicite se extendentem ad peccata mortalia dubia, aut memoriæ non occurrentia. Unde

Ad confirmation. dist. maj. Quæ ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ debebant ad Deum deferri per contritionem explicite se extendentem ad illa, con. implicite se extendentem, neg. maj. dist. etiam min. Sed ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ peccata mortalia negative dubia debebant ad Deum deferri per contritionem prioris generis, neg. per contritionem posterioris generis, conc. minor. & neg. conseq. Deinde Christus tantummodo voluit, ut ad Sacerdotes, & tribunal Ecclesiæ deferrentur omnes causæ, quæ prius debebant ad Ipsum deferri, in quantum ejusmodi delatio est necessaria, & utilis ad cognoscendam causam, & servandam judicii æquitatem: cum ergo ad hunc finem explicatio dubii negativi non serviat, utpote propter quam nullum judicium, saltem absolutum, formari potest, merito creditur, nos ad illiusmodi explicationem non obligari. Porro confessio succedit quidem contritioni quoad infallibilitatem delendi peccata mortalia, non tamen quoad obligationem confitendi, hoc ipso, quod nec confessio (in re) nec contritio existat unicum remedium recuperandi gratiam in novo testamento (sed qualibet seorsim sit sufficiens) sicut contritio unicum erat remedium in testamento veteri; ergo non debemus adstruere tantam obligationem ad confessionem in testamento novo, quanta erat ad contritionem in testamento veteri.

Instabis primo. Contritio perfecta includit votum confitendi; ergo siquis teneatur elicere contritionem perfectam, saltem implicite se extendentem ad peccata mortalia negative dubia, debet habere votum illa confitendi, idque, oblata occasione confitendi, reipsa implere.

Respondetur, dist. ant. Contritio perfecta includit votum confitendi, quando cadit supra peccata, quæ sunt materia necessaria confessionis, con. secus, neg. ant. & cons. Instantia fieri potest in peccatis ante Baptismum commissis, in peccatis venialibus, & mortalibus positive dubiis, super quibus citra dubium perfecte conteri potes, quin habeas (imo relate ad peccata Baptismum antegressa ne quidem habere vales) votum illa confitendi.

Instabis secundo. Sacerdotes a Christo Domino non solum sunt constituti Judices, sed etiam Medici animarum; ergo sicut Medico corporali morbus corporis negative dubius aperiendus est (cum vulnus, quod ignoratur, medicina non curet) ita & Medico spirituali morbus animæ.

Respondetur, instantiam hanc retorqueri posse in peccatis mortalibus positive dubiis; nam Medico corporali etiam morbus positive dubius aperiendus est; consequenter & Medico spirituali morbus animæ hoc

tali

tali modo dubius. Deinde in forma con. ant. & neg. conf. Disparitas est: quia morbus corporis aliter curari non valet, quam pharmaco: at morbus animæ non sola confessione, sed etiam contritione aboleri potest. Unde non fuit necesse, ut homines adigerentur ad morbos animi dubios in confessione aperiendos, quemadmodum adiguntur ad morbos corporis dubios manifestandos.

463. Objicies quarto. Negative dubitans de peccato mortali admisso, illudque non confitens, exponit se periculo æternæ damnationis, maxime si versetur in articulo mortis; ergo tenetur illud confiteri. Conf. fluit. Ant. prob. & declaratur: si enim illiusmodi peccatum revera commiserit, & confessus non fuerit, æternaliter peribit; neque libertas, quam prætendit, quidquam suffragabitur.

Respondetur, iterum retorquendo argumentum de dubitante positive: siquidem & talis æternæ damnationis periculo se exponit, eamque incurret, si peccatum mortale reipsa commiserit, & non deleverit &c. In forma neg. ant. Potest enim avertere ejusmodi periculum eliciendo dolorem universalem, & confitendo peccatum certum: tunc enim absolvetur indirecte a peccato dubio, reipsa forte commisso; sicut absolveretur a peccato invincibiliter ignorato. Si vero peccatum certum non habeat (quod vix continget) eliciat contritionem perfectam. Quod si hanc elicere vel non possit, vel non velit, utique ad confessionem obligabitur: sed, ut vides, per accidens tantum, & ex lege Charitatis erga seipsum; non vero per se, & ex præcepto Confessionis, de quo solo hic controvertitur.

464. Objices quinto. In dubio tutior pars est eligenda, ubi possessio non favet dubitanti; & ideo in dubio, an quis confessus sit peccatum mortale certo commissum? juxta receptam sententiam (a nobis traditam *part. 1. n. 96.*) tenetur illud adhuc confiteri: atqui in dubio, an peccatum sit commissum, vel an sit grave, aut leve? possessio non favet dubitanti; ergo tutior pars eligenda, nempe confessio. Min. prob. In dubio possidet illud, quod est certum: sed lex confessionis est certa; ergo hæc possidet: & consequenter possessio non favet dubitanti.

Respondetur, quod objectio patiatur instantiam in casu, quo quis dubitat, an emiserit votum, nec ne? Item æque impugnat conclusionem primam de dubitante positive, ac secundam de dubitante negative. Deinde in forma neg. min. Siquidem in casu utriusque conclusionis possessio favet dubitanti, id est, stat pro libertate dubitantis, & non pro præcepto confessionis; nam illa hoc, seu hujus obligationem antecedit; sicut e diverso antecedit obligatio confitendi, dum quis scit, se commisisse peccatum, & dubitat, an jam sit confessus? consequenter in isto casu possessio favet præcepto confessionis, in illo autem libertati dubitantis. Unde ad prob. neg. similiter min. vel claritatis gratia dist. Lex confessionis est certa, relate ad peccatum mortale certo commissum, con. relate ad peccatum mortale dubie commissum, neg. min. & sub data distinctione, conf. Non est certum, sed dubitatur, an lex confessionis sit lata pro peccato mortali etiam dubio? & ideo possessio non stat pro lege confessionis, sed pro libertate dubitantis, utpote quæ ante exortum dubium certa erat, & propter dubium superveniens non amittitur. Revide, quæ diximus *part. 1. numer. 98.*

465. Objicies sexto. Qui non potest se probabiliter, ac prudenter resolvere, quod non peccaverit mortaliter, neque potest se probabiliter, ac prudenter resolvere, quod non teneatur confiteri: sed negative dubitans, an peccaverit mortaliter, nec ne? non potest se probabiliter, ac prudenter resolvere, quod non peccaverit mortaliter; ergo neque potest se probabiliter, ac prudenter resolvere, quod non teneatur confiteri: consequenter &c. Min. prob. ex descriptione dubii negativi, utpote quo laborare censetur ille, qui habet quidem rationes aliquas, non tamen sufficientes ad probabilem, ac prudentem assensum, vel dissensum eliciendum; sicut habet dubitans positive.

Respondetur, con. maj. & dist. min. Negative dubitans non potest se resolvere &c. ex ratione, seu principio aliquo directo, con. ex principio reflexo, neg. min. Dist. etiam conf. Non potest se resolvere, quod non teneatur confiteri, ex ratione, seu principio directo, con. ex principio reflexo, neg. conf. Potest enim negative dubitans ita secum ratiocinari: in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem, & dubitans manet in possessione suæ libertatis: sed ego dubito, an mortaliter peccaverim, nec ne? ergo sum, ac maneo in possessione meæ libertatis, seu immunitatis a peccato mortali, & consequenter ab obligatione illud confitendi. Ex quo patet responsio ad probationem min. Licet enim in dubio negativo non dentur rationes directæ sufficientes ad prudentem assensum, vel dissensum eliciendum, sicut dantur in dubio positivo; suppetere tamen possunt, ac impræsentiarum suppetunt rationes, seu principia reflexa: consequenter &c.

466. Quæres primo, an teneamur confiteri peccata mortalia dubia (positive, vel negative) dubio unilaterali, ita, ut habeamus rationes, quod illa commiserimus, aut quod sint mortalia, quæ commisimus; non item habeamus rationes, quod illa non commiserimus, aut non sint mortalia?

Respondetur primo. Si modo præfato sint dubia positive, tenemur omnino illa confiteri. DD. communiter. Ratio est; nam qui sic dubitat, est moraliter certus (certitudine nimirum respectiva, & æquivalenter tali; prout relinquitur ex dictis *part. 1. n. 122. & num. 189.*) se peccasse mortaliter; ergo &c. Argumentum, quod hic opponi potest, proponetur, & dissolvetur *numer. seq.*

Respondetur secundo. Si modo præfato sint dubia negative, non tenemur illa confiteri. Ita (ni fallor) sentire debent omnes Authores supra *num.* 394. pro secunda conclusione allati, licet hanc quæstionem in nemine eorum motam, ac decisam invenire potuerim. Ratio nostræ hujus responsionis videtur esse opposita priori: quia nempe sic dubitans non est moraliter certus, ne quidem certitudine respectiva, & æquivalenter tali, se peccasse mortaliter; ergo non apparet, unde dicatur obligatus ad confitendum peccatum, de quo sic dubitat. Conf. fluit ex dictis per decursum. Ant. prob. & declaratur: cum enim in tali dubio non interveniant rationes sufficientes ad prudentem assensum, quod dubitans peccaverit mortaliter, esto stent solum pro peccato admisso, & non pro non admisso, imperceptibile est, quomodo sufficere possint ad gignendam certitudinem moralem, etiam respectivam tantum, & æquivalenter talem, de peccato mortali admisso: consequenter &c.

467. Quæres secundo, an quis teneatur confiteri peccatum mortale dubium (positive, vel negative) quando dubitat (dubio bilaterali) non de ipso facto principali, sed de aliquo accessorio ad illud?

Respondetur affirmative. Ita cum aliis Pat. Petrus Marchant ubi supra *conclus.* 5. quamvis exempla, quæ affert, & modus responsionem defendendi, non integre, & per omnia placeant. Insistendo autem exemplo homicidii *num.* 392. a nobis allato, & aliis consimilibus, responsio ostenditur hac ratione. Quando constat de facto principali, accessoria ad illud in dubio (sive positivo, sive negativo) præsumuntur, conformiter ad hoc axioma: *Factum in dubio præsumitur, si illud de Jure faciendum erat, aut communiter fieri solet, aut ex natura inest*: atqui ex natura, & communi hominum modo operandi inest, ut quis in inferendo alteri necem cum deliberatione ad culpam mortalem sufficiente procedat; ergo in dubio sufficiens hujusmodi deliberatio præsumitur, quando de ipsa homicidii commissione, seu facto principali, constat. Confirmatur. Quando aliquis scit, se vovisse, & solum dubitat, an cum sufficienti deliberatione voverit, censendus est voti reus, sufficienti deliberatione præsumpta; ergo etiam qui scit, se patrasse homicidium, & solum dubitat, an cum deliberatione ad culpam mortalem sufficiente processerit, censendus est homicidii, & culpæ mortalis reus; consequenter &c. Quare in præsenti puncto difficultatis non obtinet illa Regula: *In dubio melior est conditio possidentis suam libertatem*: sicut obtinet in casibus geminæ conclusionis. Revide, quæ tradidimus *part. 1. n. 86.*

Dices primo contra hanc, & primam responsionem ad præcedens quæsitum redditam. Illa peccata morta-

lia non tenemur confiteri, quorum non habemus conscientiam certam; prout arguebamus supra *num.* 394. atqui dum quis dubitat, etsi dubio positivo unilaterali, an mortaliter peccaverit? vel dubio bilaterali (positivo, aut negativo) an homicidium patrarit cum deliberatione ad culpam mortalem sufficiente? non habet conscientiam certam de peccato mortali admisso; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Quorum non habemus conscientiam certam nec certitudine absoluta, nec respectiva, con. secus, neg. maj. & distinctione applicata minori, ac dicendo, quod in utroque casu præsenti habeatur conscientia certa certitudine respectiva, & æquivalenter tali, neg. cons. Totum patet intuenti rationes probativas pro ambabus responsionibus proxime adductas.

Dices secundo. Ex nostra responsione, ad secundum Quæsitum data, sequeretur, judicandum fore peccati mortalis reum pœnitentem illum, qui se accusaret, quod habuerit cogitationes impudicas, & delectationes carnales; dubitet vero, an dederit consensum deliberatum, vel deliberate delectatus fuerit? atqui sequela admitti nequit, quippe repugnans communi sensui, praxique Confessariorum; ergo &c. Probatur autem sequela; nam tali casu constat de facto principali, videlicet de cogitatione impudica, & delectatione carnali; solumque dubitatur de accessorio, cujusmodi est deliberatio; quæ proinde adfuisse præsumenda est; ergo &c.

Respondetur, negando sequelam, esto eam concedat P. Marchant supra. Ad probat. neg. ant. (& quidquid in eo assumitur, aut infertur) vel potius suppositum, quod cogitatio impudica, aut delectatio carnalis dici valeat in exemplo posito factum principale, & deliberatio accessorium; saltem prout principale, & accessorium accipiuntur impræsentiarum, seu in nostra responsione superius reddita. Ratio negandi est: quia tunc solum deliberatio se habet ut quid accessorium relate ad aliquem actum, qui sit, & audiat factum principale, quando illa ex sua natura, & communi hominum modo operandi inest, seu annexa est tali actui; quemadmodum inest, vel annexa est actui fornicationis, homicidii, voti &c. atqui deliberatio (præsertim plena, & ad culpam mortalem sufficiens) neque ex natura, ut patet, neque ex communi hominum modo operandi inest, vel annexa est cogitationi impudicæ, & delectationi carnali; cum homines ejusmodi actus, & motus sæpissime sentiant, quin deliberate in eos consentiant, teste experientia maxime hominum proborum; ergo &c. Ex quo præterea fit, ut in memoratis actibus non recte præsumatur intervenisse deliberatio, præsertim plena, sicut præsumitur intervenisse in actibus fornicationis, homicidii, voti &c. sumpto discrimine ex ipsa natura actuum; quæ proin inspicienda, & attendenda venit.

468. Quæres tertio, quid præterea notandum sit in praxi circa confessionem, & absolutionem a peccatis dubiis?

Respondetur. Qui in confessione affert mera peccata dubia, monendus est, ut addat aliquod certum, saltem veniale, etiam ex præteritis confessionibus, si nullum, post ultimam confessionem commissum, occurrat memoriæ: alioquin Confessarius ejusmodi pœnitentem absolvens, sive absolute, sive conditionate, graviter peccat per se, & regulariter loquendo. Ratio hujus est: quia sive uno, sive altero modo absolvat, nullum perficit Sacramentum, posito, quod peccata dubia reipsa non sint commissa, cum tunc deficiat materia, supra quam cadat forma absolutionis; ergo utrovis modo absolvens exponit Sacramentum periculo nullitatis; quod fieri nequit sine gravi irreverentia, & peccato sacrilegii. Neque, si absolvat conditionate, irreverentiam præcavet per additionem conditionis, siquidem per istam tunc solummodo irreverentia evitatur, quando justa causa, absolutionem conditionatam expetens, concurrit, qualis tamen hic, & in simili casu ordinarie non concurrit; cum quilibet, si rite interrogetur, facile aliquod peccatum certum, saltem veniale, edicere valeat, ordinarie loquendo. Si tamen ponatur casus, quo Confessarius nullum peccatum certum ex pœnitente expiscari queat, attendendum erit tum ad peccati dubii gravitatem, tum ad pœnitentis periculum, aliasque circumstantias; indeque conjiciendum, sitne necessarium, ut absolutio conditionata (nam absoluta in tali casu impertiri non debet) impertiatur, nec ne? Si, omnibus prudenter pensatis, Confessarius necessarium judicaverit, absolvere poterit, & tenebitur: sin minus, absolutione supersedendum erit. Et ita sentiunt DD. communiter.

§. III.

An, & quænam peccatorum circumstantiæ sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ?

S U M M A R I U M.

469. Adstruitur varietas circumstantiarum. 470. Tenemur confiteri circumstantias, peccati speciem mortaliter mutantes; non vero 471. circumstantias, malitiam peccati intra eandem speciem aggravantes, vel diminuentes. 472. & seqq. Solvuntur objectiones.

469. PRænotandum, & recolendum ex dictis *part.* 1. *num.* 608. circumstantias peccatorum alias esse *speciem mutantes*, sic dictas, quod actioni (vel omissioni) novam malitiæ speciem afferant propter specificam difformitatem, quam habent ad regulas morum; ut siquis furetur rem sacram, fornicetur in loco sacro &c. alias vero esse *aggravantes* aut *minuentes*, sic appellatas, quod malitiam actionis intra eandem speciem augeant, vel minoant; cujusmodi sunt actionis vehementia, vel remissio; mora longa, aut brevis; major, vel minor quantitas damni illati &c. Porro circumstantiæ peccatorum (tam malitiæ speciem mutantes, quam eandem aggravantes tantum, aut diminuentes) nuncupantur *formales*, si se teneant ex parte actus; & *objectiva*, si se teneant ex parte objecti. Revide, quæ diximus *part. & n. citt.*

470. Dico jam primo. Tenemur confiteri omnes peccatorum circumstantias, speciem mortaliter mutantes, sive formales, sive objectivas; atque adeo omnes hujusmodi circumstantiæ sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Ita DD. communissime.

Probatur authoritate Concil. Tridentin. *Sess.* 14. *capit.* 5. ita determinantis: *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*; & subdentis rationem: *quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus* (nempe Confessariis) *innotescant*. Porro idem Concil. *citat. Sess. can.* 5. sic definit: *Siquis dixerit, -- necessarium non esse Jure Divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, -- & circumstantias, quæ peccati speciem mutant &c. anathema sit.*

Dixi: *speciem mortaliter mutantes*; nam circumstantias, speciem venialiter solum mutantes, id est, peccatis, ut ut gravibus, & mortalibus, superaddentes tantum malitiam venialem, licet specie diversam, non tenemur confiteri; cum hujusmodi circumstantiarum, & peccatorum venialium, quæ in confessione citra culpam reticeri possunt, eadem sit ratio.

471. Dico secundo. Nulla, per se loquendo, est obligatio confitendi circumstantias peccatorum, ut ut notabiliter, sive ex parte actus, seu formaliter, sive ex parte objecti, seu objective, aggravantes (idem a fortiori esto judicium de circumstantiis minuentibus) adeoque utriusque hujus generis circumstantiæ non sunt materia necessaria confessionis, & Sacramenti Pœnitentiæ. Ita expresse S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 17. *p.* 3. *art.* 2. *q.* 3. Scotus in 4. *dist.* 17. *q. un.* Brancatus, Bosco, Mastrius, Herincx, Laymann, Gobat, & alii contra alios.

Probatur primo. Si esset obligatio prememoratas circumstantias confitendi, Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. exacte, & dogmatice definiens, quænam necessario confitenda sint, debuisset de illis fecisse mentionem: atqui non fecit; ergo &c. Maj. ostenditur ex eo, quod alias censeatur hoc ipso illas a materia necessaria confessionis exclusisse; cum in dogmaticis, quando affirmatur unum necessarium, & alterum tacetur, de quo similiter dubitatur, hoc eo ipso negetur, conformiter ad Regulam Juris: *Inclusio unius est exclusio alterius*. Min. prob. ex Conc. Trid. *Sess. & cap. citt.* sic determinante; Col:

te: Colligitur praterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: ubi, ut vides, nullam facit mentionem de circumstantiis aggravantibus tantum; ergo has non reputat esse materiam necessariam confessionis.

Confirmatur. Qui potuit jus clarum dicere, & non dixit, contra ipsum in dubio facienda est interpretatio; prout decantatum est apud Jurisperitos: atqui allegatum Concil. potuit jus clarum dicere, & non dixit circa confessionem circumstantiarum aggravantium; ergo contra illud in dubio facienda est interpretatio; atque dicendum, quod Concil. non velit, circumstantias aggravantes esse ex obligatione confitendas.

Respondent Adversarii, Concil. ideo præcise de peccatis mortalibus, & circumstantiis speciem mutantibus, non vero aggravantibus tantum, mentionem fecisse, ut declararet materiam confessionis certo necessariam, relinquendo disputationi Theologorum materiam probabiliter, vel probabilius necessariam, qualem contendunt esse circumstantias aggravantes. Sed

Contra est primo, ex hac responsione potius sequi, non extare obligationem circumstantias aggravantes confitendi: siquidem nemo adstringendus est ad onus, præsertim grave, nisi ob legem certam; cum lex dubia, seu de qua dubitatur, an lata sit? non obliget, juxta concordem Theologorum sententiam; ergo si solum probabile, aut probabilius, adeoque dubium sit, an teneamur confiteri circumstantias aggravantes? potius concludendum venit negative.

Contra est secundo. Si Concil. omnino nullam fecisset mentionem circumstantiarum, posset fors dici, ipsum voluisse abstrahere a circumstantiis, & hanc quæstionem Theologis examinandam relinquere: at postquam mentionem aliquarum circumstantiarum, nempe speciem mutantium, fecit, præbuit sane ansam inferendi, alias non esse exponendas: præsertim quia propositio sic præcisiva in materia dogmatica æquivalet exclusivæ: prout bene notat P. Viva *cit.*

Contra est tertio, datam Adversariorum responsionem, & expositionem videri omnino alienam a mente Concilii, utpote *loc. cit.* subjungentis: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam, ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum, mortaliter offendisse meminerit*: atqui hoc totum facit, qui confitetur numerum, & speciem mortalem peccatorum; ergo juxta mentem Concilii nihil aliud ab ipso exigitur; ut proinde obligatio pœnitentium quoad confessionem ab ipsomet Concil. potius determinetur, quam disputationi Theologorum quoquo modo relinquatur.

Nec dicas, per particulas *nihil aliud* in allegato textu tantum excludi peccata, quorum quis non recordatur; non vero circumstantias aggravantes, quarum quis meminit.

Contra enim est, quod illæ particulæ *nihil aliud* sumi debeant relative ad superiora, seu præcedentia, adeo, ut sensus sit: numerus, & species peccatorum, quorum quis recordatur, exponi debent, & nihil aliud; ergo excluduntur circumstantiæ aggravantes. Ant. prob. Si præfatæ particulæ *nihil aliud* non sumerentur modo immediate dicto, censendæ forent tantum afficere verba subsequentia, *ea peccata, quibus se Dominum, & Deum suum, mortaliter offendisse meminerit*: sed hoc admitti non potest; ergo &c. Prob. min. Si hoc admitteretur, sequeretur, quod vel non essent exponendæ circumstantiæ speciem mutantes, vel quod istæ, uti & aggravantes, intelligerentur sub termino *peccata*: utravis sequela est absurda; ergo &c. Prob. min. Nam prima argueret Concilium evidentis contradictionis, utpote quod aperte decidit (supra *num. præced.*) circumstantias speciem mutantes debere exponi: secunda argueret idem Concilium, quasi non distingueret circumstantias a peccatis; cum tamen id clarissime præstet, per terminum *peccata* intelligendo ista quoad substantiam; & circumstantiarum faciendo mentionem separatim; prout legere est *in supra recitato can. 7. de Pœnit. hac cad. Sess.* 14. qui est quasi compendium doctrinæ in *cap.* 5. ibidem traditæ. Ergo &c.

Probatur jam conclus. secundo. Sententia contraria præbet occasionem plurimorum scrupulorum; redditque confessionem ultra modum onerosam, & (quemadmodum calumniantur Heretici) quasi carnificinam conscientiæ; ergo non est admittenda. Ant. ostenditur. Nam pœnitentes, ut ut accurate conscientiæ suæ latebras excussissent, possent nihilominus semper adhuc manere anxii, an non forte aliquam ex circumstantiis aggravantibus omisissent? imo tenerentur scire omnes circumstantias aggravantes, puta intensionem, & quantitatem durationis in actu peccaminoso: quantitatem quoque non tantum in damnis fortunæ per furtum, sed etiam famæ per detractationem illatis; deberentque a Confessariis desuper examinari: quod utique scrupulorum seminarium esset, & onus confessionis tam pœnitentibus, quam Confessariis difficillimum, ac moraliter intolerabile redderet.

Probatur tertio specialiter contra illos, qui nostræ sententiæ cum limitatione repugnant, dum volunt, necessario esse confitendas circumstantias aggravantes, se tenentes ex parte objecti, non autem se tenentes ex parte actus. Nulla est solida ratio, & disparitas, cur teneamur confiteri circumstantias prioris generis, & non etiam posterioris; ergo &c. Prob. ant. Si esset aliqua ratio, aut disparitas, esset hæc, quod, qui furatur v. gr. centum aureos, licet non committat formaliter centum furta mortalia, committat tamen æquivalenter (supposito, quod furtum unius aurei ad peccatum mortale sufficiat) atque adeo, licet non debeat, aut possit cum veritate dicere in confessione: commisi centum furta; possit tamen, & debeat dicere: commisi furtum centum aureorum: atqui ista ratio etiam procedit de circumstantiis aggravantibus posterioris generis; ergo &c. Min. ostenditur; nam etiam actus intensus ut unum sufficit ad peccatum mortale in materia gravi; ergo actus intensus ut quatuor in eadem materia æquivalenter importat, seu involvit quatuor peccata, seu malitias mortales. Porro actus durans per unum instans temporis itidem sufficit ad peccatum mortale in materia gravi; ergo actus durans per plura instantia in eadem materia æquivalenter involvit plures malitias mortales &c. Consequenter &c.

Dixi autem in conclus. nullam esse obligationem &c. *per se loquendo*, id est, quæ ortum ducat immediate, & directe ex ipso præcepto Confessionis. Nam per accidens, & aliunde potest esse gravis obligatio sæpe dictas circumstantias explicandi. Ut 1. Si peccatum propter circumstantiam aggravantem sit reservatum: tunc quippe pœnitens eam circumstantiam exprimere debet, ne alioquin Confessarius, forte destitutus potestate in reservata, activitatis suæ limites excedat. 2. Si tanta fuit duratio peccati, ut certo credatur moraliter interruptum, & sic numerice multiplicatum; veluti contingere facile potest, imo solet in diuturno odio, longa dilatione restitutionis &c. 3. Si pœnitens de talibus circumstantiis interrogetur a Confessario prudenter judicante, id necessarium esse vel ad debitam dispositionem ex ipso eliciendam; vel ad obligationem restituendi debite imponendam; vel ad salubrem medicinam præscribendam, tunc enim Confessario qua Doctori, & Medico spirituali animæ competit jus interrogandi, & consequenter pœnitenti incumbit obligatio ad interrogata respondendi; tametsi is, seu pœnitens judicaret, se esse rite dispositum; vel paratus esset omnia facere, ad quæ tenetur &c. Unde Innoc. XI. confixit *hanc prop. ord. 58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

472. Objicies primo authoritatem Ritualis Romani, quod in Rubrica *de Sacram. Pœnit.* ita habet: *Quod si pœnitens numerum, species, & circumstantias explicatu necessarias non expresserit, Sacerdos eas interroget.* Ubi injungitur Confessario, ut tria interroget, videlicet numerum, species, & circumstantias, nomine quarum non videntur venire circumstantiæ speciem mutantes, cum hæ pertineant ad species peccatorum: sed aggravantes tantum; ergo hæ sunt explicatu necessariæ, & si explicatæ non fuerint a pœnitente, interrogandæ a Confessario.

Respondetur, ibi nomine circumstantiarum intelligi circumstantias speciem mutantes. Nec est verum, quod hæ comprehendantur sub speciebus peccatorum; nam species peccatorum tam *loc. citat.* quam in Trid. supra, accipiuntur pro ipsis peccatis, secundum suam spe-

speciem, & prout constituunt actus substantiam, consideratis, non vero pro circumstantiis, quæ actui tribuunt speciem extrinsecam, & accidentalem.

Dices. Confessario interroganti debet pœnitens fateri circumstantias aggravantes: prout mox supra ipsimet admisimus; ergo debet eas etiam sponte fateri. Prob. conf. Sacramentum Pœnitentiæ petit spontaneam sui accusationem; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. Ad prob. dist. ant. Petit spontaneam sui accusationem quoad materiam necessariam, con. etiam quoad alia, neg. ant. & conf.

473. Objicies secundo. Illa omnia sunt necessario exponenda in confessione, quæ notabiliter variare possunt judicium Confessarii: sed circumstantiæ aggravantes notabiliter variare possunt judicium Confessarii; cum hic utique judicium longe diversum formet, e. g. de furto mille, ac de furto decem aureorum; ergo hujusmodi circumstantiæ in confessione necessario sunt exponendæ.

Respondetur, dist. maj. Quæ notabiliter variare possunt judicium Confessarii circa numerum, & speciem actuum peccaminosorum, con. secus, neg. maj. Sed circumstantiæ aggravantes notabiliter variare possunt judicium Confessarii circa numerum, & speciem actuum peccaminosorum, neg. secus, con. min. & neg. conseq.

Dices. Circumstantiæ, mortaliter speciem mutantes, sunt necessario confitendæ; quia sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponuntur, neque Judicibus, seu Confessariis innotescunt, neque proportionata pœnitentia imponi potest: prout ratiocinatur Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. atqui hæ rationes etiam militant de circumstantiis aggravantibus; ergo &c. Min. prob. Siquidem etiam sine istis non exprimitur integre peccatum; adeoque nec integre cognosci, nec proportionata pro eo pœnitentia imponi potest; ergo &c.

Confirmatur. Ideo juxta Trid. *loc. cit.* peccata mortalia, quantumvis occulta, tenemur in confessione exprimere; quia nonnunquam gravius sauciant animam, quam aperta: atqui etiam circumstantiæ notabiliter aggravantes nonnunquam gravius sauciant animam, quam speciem mutantes; ergo &c.

Respondetur ad argum. neg. min. Ad hujus prob. dist. ant. Non exprimitur integre peccatum &c. integritate essentiali, neg. integritate accidentali, id est; quoad augmentum malitiæ non constituens integritatem essentialem peccati, quippe in sola specie, & numero sitam, con. ant. & neg. conf. Satis est, si pœnitens exprimat peccatum integre integritate essentiali; sic enim a Confessario sufficienter cognoscitur, & proportionata pro eo pœnitentia imponi potest.

Respondetur etiam ad confirmat. neg. major. Nam Concilium non adhibet particulam causalem *quia*, sed particulam relativam *quæ*: quo loquendi modo refutat hæreticos, asserentes, peccata interna, & occulta non esse tam gravia, ut clavibus Ecclesiæ subjici debeant; docetque, ea etiam esse peccata gravia, imo quandoque graviora, seu periculosiora, quam sint externa, & aperta. Ratio proin peccata interna, & occulta in confessione aperiendi non est, quod animam graviter saucient quomodocunque; sed quod secundum se sint peccata mortalia, quorum numerus, & species exprimi a confitente debet.

474. Objicies tertio. Numerus peccatorum mortalium in confessione necessario exponendus est; ergo etiam circumstantiæ notabiliter aggravantes. Conf. prob. Quia hujusmodi circumstantiæ æquivalere, vel etiam superare possunt multitudinem numericam peccatorum; ut patet in furto, e. g. mille aureorum, quod plura furta, e.g. viginti aureorum excedit: unde & in foro externo acrius punitur; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. Ad prob. neg. suppositum, quod obligatio confitendi mensuranda sit ab illa æquivalentia quantitativa: venit enim, atque attendi debet a numero, & specie peccatorum mortalium, cum subordinatione ad voluntatem Christi Domini, qui (prout constat nobis ex sæpe *cit.* Concilio Tridentino) aliud non exigit, quam ut confessione exponantur peccata mortalia quoad numerum, & speciem; necnon quoad circumstantias speciem mortaliter mutantes. Unde & dispar est hic ratio inter Judicium Sacramentale, & forense; nam istud, seu forense, cum intendat vindictam, rigidius contra reos procedit; ac illud, seu Sacramentale, quod intendit, ac impertitur absolutionem a delictis, ut ut gravibus, & certo cognitis.

475. Objicies quarto. Sæpe reservantur peccata ob circumstantias aggravantes; ergo istæ sunt materia necessaria confessionis.

Respondetur, neg. conf. Nam Prælati Ecclesiæ sæpe reservant aliquod peccatum propter aliqua, quæ non sunt materia necessaria confessionis. Sic S. Pontifex sibi reservat furtum de bonis naufragantium, quod etiam excommunicatione ferit; cum tamen circumstantia illa naufragii præcedentis non necessario exprimi debeat in confessione per se loquendo. Sic Episcopi quandoque reservant peccata, si secunda, vel tertia vice fuerint commissa, quin circumstantia relapsus sit materia necessaria confessionis, & taceri juxta communem possit, nisi forte Confessarius interroget. Atque ita de aliis. Quare, etsi non reservari soleant peccata, nisi mortalia, seu quæ sunt materia necessaria confessionis, reservantur tamen ea quandoque propter circumstantias, quæ non sunt materia necessaria confessionis.

476. Objicies quinto. Ex nostris principiis sequeretur, quod, qui uno ictu occidisset plures, sufficienter se explicaret in confessione, dicendo: *commisi homicidium*: sequela autem est nimis laxa; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Nam talis commisit plura numero homicidia; quæ proin distincte exprimere debet quoad numerum, v. g. dicendo: *commisi duo homicidia*, si occiderit duos homines; vel *tria*, si occiderit tres &c. Revide, quæ diximus *part.* 1. *n.* 668. Et dato, non concesso, quod actus unus, tendens in objecta plura, numero tantum distincta, sit tantum unum moraliter peccatum, adhuc tamen non satisfaceret in casu homicida, dicendo: *commisi homicidium*; siquidem hæc verba ex communi acceptione significant, unum duntaxat hominem fuisse occisum; quod in hypothesi falsum est.

ARTICULUS II.

Quænam sit Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

477. *Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio in voto.* 478. *& seqq. Solvuntur argumenta opposita.*

477. Dico, Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nempe contritio (ad quam pertinet emendationis propositum) confessio, & satisfactio in voto: qui proinde actus non sunt tantum conditiones ad formam absolutionis essentialiter præsuppositæ, sed veræ partes (sive pars) cum forma absolutionis intrinsece, & essentialiter constituentes compositum Sacramentale Pœnitentiæ. Ita communior, mihique probabilior sententia, quam tenent Thomistæ, & Recentiores passim; item ex Scotistis Mastrius *in* 4. *disput.* 5. *quæst.* 11. *art.* Brancatus, Hermano, Panger &c. contra alios, qui volunt, totam Sacramenti Pœnitentiæ essentiam in sola absolutione consistere; actus vero pœnitentis esse tantum conditiones, ad illius positionem necessario prærequisitas.

Probatur, Juxta Trident. *Sess.* 14. *can.* 4. contritio, confessio, & satisfactio sunt *quasi materia* Sacramenti Pœnitentiæ; ergo sunt materia proxima; nam remota sunt ipsa Pœnitentis peccata, ex dictis *artic. præced.* Nec refert, quod Concil. adhibeat verbulum *quasi*. Solum quippe intendit innuere, actus illos non esse talem materiam proximam, per quam extrinsecus adhibeatur materia remota; sicut aqua per ablutionem adhibetur in Baptismo, chrisma per chrismationem in Confirmatione &c. prout exponitur a Catechismo Romano *de Sacram. Pœnit. n.* 14. Porro Trid. *eod. loc.* præmemoratos actus pœnitentis appellat *partes* Sacramenti Pœnitentiæ: sicut & Scotus *in* 4. *dist.* 17. *quæst. unic.* ubi ait: *Nec aliquis tenetur ad aliquam contritionem de venialibus; non videtur autem, quod aliquis teneatur ad secundam partem Pœnitentiæ, quæ est confessio,*

fessio, de quo non tenetur habere contritionem, vel attritionem. Ergo juxta Trid. & Scotum actus pœnitentis non sunt tantum conditiones, sed partes, sive pars materialis, per modum materiæ proximæ totalis intrinsece constitutiva compositi Sacramentalis pœnitentialis.

Dixi; *satisfactio in voto*, accepta nimirum pro voluntate saltem implicita satisfaciendi, quæ includitur in contritione, & confessione, ut procedentibus ex intentione Sacramentum Pœnitentiæ, prout a Christo institutum est, recipiendi; nam hoc duntaxat modo accepta satisfactio essentiam Sacramenti Pœnitentiæ ingreditur, Satisfactio autem *in re*, seu realis, & actualis, solum est pars integralis; quia sine ea consistere potest tota essentia Sacramenti Pœnitentiæ, ut patet in moriturientе, qui aliquando absolvi potest sine imposita pœnitentia, utpote cujus adimplendæ judicatur incapax. Mastrius ubi supra *n.* 307.

478. Objicies nunc contra conclus. primo. Scotus *in* 4. *dist.* 14. *q.* 4. ait: *Pœnitentia est absolutio, id est, quædam sententia diffinitiva absolvens reum*. Et *dist.* 16. *q.* 1. sic habet: *De Pœnitentia Sacramento dico, quod illa tria* (contritio, confessio, & satisfactio) *nullo modo sunt partes ejus; quia, ut dictum est dist.* 14. *Pœnitentia Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis*. Ergo juxta Scotum actus pœnitentis non ingrediuntur essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, sed ea adæquate consistit in sola absolutione.

Respondetur, neg. cons. & ad arg. ajo Scotum tantummodo velle, quod Sacramentum Pœnitentiæ non supponat in recto pro actibus pœnitentis, sed pro sola absolutione; actus vero pœnitentis denotentur in obliquo, atque ut sic ingrediantur essentiam dicti Sacramenti: id quod libenter admittimus, cum inde nullum conclusioni nostræ creetur præjudicium; quemadmodum patet consideranti. Ratio autem sic interpretandi Scotum gemina est. Una, quod juxta Doct. supra Pœnitentia sit *absolutio*, & *sententia diffinitiva absolvens reum*: ubi, ut vides, sola absolutio, quæ se tenet ex parte Confessarii, ponitur in recto; alia vero, quæ se tenet ex parte pœnitentis, in obliquo tantum. Altera ratio est; quia altesatus Doctor ipse *loc. cit. in probat.* actus pœnitentis nuncupat *partes* Sacramenti Pœnitentiæ conformiter ad doctrinam Tridentini supra; consequenter si hic vellet, prædictos actus esse tantum conditiones, & nullo modo, id est, ne in obliquo quidem, partes constitutivas ejusdem Sacramenti, & sibi, & Concilio Trid. contradiceret: quod de tanto Doctore vel cogitare nefas est.

479. Objicies secundo. Essentia Judicii adæquate consistit in actu, sive sententia Judicis; ergo etiam essentia Sacramenti adæquate consistet in actu, sive absolutione Sacerdotis; cum hoc ad modum illius a Christo sit institutum; ergo actus pœnitentis non ingrediuntur essentiam &c.

Respondetur, neg. ant. Licet enim sententia Judicis sit constitutivum principale Judicii, & in recto importatum, non tamen constituit adæquate ejus essentiam, sed ad hujus constitutionem etiam concurrunt, ac influunt accusatio, & confessio Rei, ceu partes intrinsecæ, in obliquo denotatæ.

480. Objicies tertio. Si actus pœnitentis ingrederentur essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, sequeretur, pœnitentem fore partialem Ministrum talis Sacramenti; sequela est absurda; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Quia Minister, etiam partialis tantum, non est necessario ille, qui ponit materiam, sed qui ponit formam: sicut non is qui lignum suppeditat, sed qui figuram facit, est statuarius. Deinde quamvis actus pœnitentis non eliciantur, nec ponantur a Confessario physice; ab eo tamen poni censentur moraliter, quatenus per potestatem clavium elevantur, & acquirunt esse unitum ac determinatum cum & per formam absolutionis in ordine ad compositum Sacramentale constituendum.

Dices. Actus pœnitentis non significant remissionem peccatorum, sed sola absolutio Sacerdotis; ergo hæc sola, non item illi, constituit essentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondetur, dist. ant. Attenta præcise institutione verborum humana, con. attenta etiam institutione Divina, neg. ant. & cons. Licet enim verba absolutionis, prout ab hominibus instituta sunt, sola significent remissionem peccatorum; hanc tamen practice significant, & causant una cum actibus pœnitentis, prout cum istis a Christo elevata sunt ad significationem Sacramentalem.

ARTICULUS III.

Quænam sit Forma Sacramenti Pœnitentiæ, & qualem faciat sensum?

SUMMARIUM.

481. *Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt hæc verba*: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *quamvis* 482. *sola verba*: Absolvo te: *sint essentialia*. 483. *Adstruitur prædictorum verborum sensus*. 484. *& seqq. Solvuntur objectiones*. 487. *Verba absolutionis Sacramentalis sunt proferenda authoritative*.

481. Dico primo. Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt hæc verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

Probatur tum ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 3. ubi sic habet: *Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c.* Tum ex praxi, & usu Ecclesiæ. Sed

482. Quæres, an omnia verba prædictæ formæ sint necessaria necessitate Sacramenti?

Respondetur negative: sed hæc tantum, vel ipsis æquivalentia: *Absolvo te*. Ita Doctor Angelicus 3. *p. quæst.* 84. *art.* 3. Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 14. *q.* 4. & Thomistæ, Scotistæque satis communiter: quibus cum faciunt multi RR. contra alios, volentes, etiam ly *a peccatis* addi debere necessario necessitate formæ, & Sacramenti. Ratio est primo: quia illa duntaxat verba sunt necessaria necessitate formæ, & Sacramenti Pœnitentiæ, quæ prolata in circumstantiis factæ confessionis significant absolutionem a peccatis: sed sola hæc duo verba *absolvo te* prolata in circumstantiis factæ confessionis, id est, prolata super pœnitentem, peccata sua Sacerdoti confessum, significant absolutionem a peccatis: veluti liquebit ex solutione argumentorum; ergo &c. Ratio est secundo. Si ad valorem formæ, & Sacramenti Pœnitentiæ, requireretur expressio peccatorum, sequeretur, Græcos invalide absolvere, dum utuntur hac forma: *Habeo te absolutum*, vel: *Habeo te condonatum*; utpote in qua nulla fit mentio, aut expressio peccatorum: sequela autem est absurda; cum Eugenius IV. in Concil. Florent. præfatam absolvendi formam Græcis permiserit, utique judicans esse validam; ergo &c.

Dices primo. Tridentinum *cit. Sess.* 14. *cap.* 3. ait, formam Sacramenti Pœnitentiæ in his verbis positam esse: *Ego te absolvo &c.* atqui signum illud *&c.* significat, adhuc alias voces subintelligi; ergo adhuc aliæ voces pertinent ad essentiam prædictæ formæ.

Respondetur, explic. & dist. maj. Tridentinum ait, formam Sacramenti Pœnitentiæ esse positam in illis verbis: *Ego te absolvo &c.* essentialiter, vel integraliter, con. determinate essentialiter, neg. maj. Atqui signum *&c.* significat, adhuc alias voces subintelligi, tanquam necessarias essentialiter, neg. tanquam necessarias integraliter, con. min. & neg. cons. Si Concil. censuisset, adhuc alia verba esse de essentia, illa non solum subintellexisset, sed expressisset; haud minus, ac in Baptismo, ubi nullum verbum essentiale subticuit. Imo Concilia quandoque etiam afferunt, & exprimunt voces, non essentialiter, sed tantum integraliter, aut ob morem loquendi magis usitatum requisitas; ut patet de particula *Ego*, quæ utique non spectat ad essentiam formæ. Itaque Tridentinum per signum *&c.* solum innuere voluit, in prolatione formæ adjicienda adhuc esse alia verba, non quæ sint necessaria necessitate Sacramenti, sed quæ sint necessaria necessitate præcepti, aut ex consuetudine Ecclesiæ: id quod patet; quia Catechismus, Tridentini explicativus, *de Sacram. Pœnit. tit. Pœnitentiam esse vere Sacramentum*, illud signum *&c.* omittit, & solum ponit hæc verba: *Ego te absolvo*.

Instabis. Quando Tridentinum *Sess.* 14. *capit.* 1. *de de Extrema Unctione* ait, formam hujus Sacramenti esse: *Per istam unctionem &c.* per ly *&c.* indicat, alia adhuc verba pertinere ad essentiam formæ præfatæ; ergo a pari &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: siquidem ista verba: *Per istam unctionem:* secundum se non faciunt ullum sensum perfectum; neque etiam per circumstantias ad sensum perfectum determinantur: sicut tamen continetur in verbis: *Absolvo te*, prout infra declarabitur; ergo, licet ad illa perficienda, vel ad eorum sensum complendum, requirantur adhuc essentialiter aliqua alia verba, non sequitur, quod etiam aliqua alia essentialiter requirantur ad complendum sensum istorum: *Absolvo te.*

Dices secundo. Christus instituendo Sacramentum Pœnitentiæ expressè mentionem fecit peccatorum, dicens *Joan.* 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* ergo debet in forma addi *a peccatis*, & quidem necessario necessitate Sacramenti. Prob. cons. Quia Christus instituendo Sacramentum Baptismi fecit mentionem SS. Trinitatis, debet ea expresse nominari in forma Baptismi, idque necessario necessitate Sacramenti; ergo a pari &c.

Confirmatur. Sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad remittenda peccata, & forma illius remissionem istorum significat, ac causat; ergo peccata exprimi debent ex ipsa institutione, & natura Sacramenti: per consequens necessario necessitate Sacramenti.

Respondetur ad argum. neg. cons. Ad prob. dist. ant. Ideo præcise, neg. Ideo, & simul, quia Mysterium SS. Trinitatis, si non expresse nominaretur in forma Baptismi, in ea nec per circumstantias, nec ulla alia ratione significaretur; & potissimum, quia Ecclesia nos docet, Christum, ob rationem congruentiæ *n.* 112. allatam, voluisse SS. Trinitatem in administratione Baptismi expresse nominari, & invocari, con. ant. & neg. cons. Siquidem peccata, esto signate non exprimantur, adhuc satis significantur per circumstantias (ut dicemus infra) nec Ecclesia nos docet, quod Christus voluerit, ea signate exprimi.

Ad Confirmat. neg. cons. Alias in forma Baptismi exprimendum foret peccatum originale, utpote ad cujus deletionem ille est institutus.

Dices tertio. Verba formæ Sacramentalis, essentialiter sumptæ, debent independenter a circumstantiis determinate significare suum effectum Sacramentalem: sed verba: *Absolvo te:* independenter a circumstantiis non significant determinate suum effectum Sacramentalem; cum præscindendo a circumstantiis sint indifferentia ad significandam absolutionem a censuris, vel a peccatis; ergo &c. Maj. prob. Alias quippe sequeretur, neque particulam *te* fore necessariam, sed suffecturum uni cum verbum *absolvo*, utpote quod & ipsum satis determinatur ex circumstantiis ad significandam personam pœnitentis: sequela autem pugnat contra communem; ergo &c.

Confirmatur. Si circumstantiæ complerent significationem formæ, deberent esse partes Sacramenti: sed non possunt esse partes Sacramenti; ergo &c.

Respondetur ad argum. neg. maj. Oppositum quippe constat in formis, etsi essentialiter sumptis, aliorum Sacramentorum. Sic forma consecratoria panis in SS. Eucharistia, independenter a circumstantiis, non significat potius Corpus Christi, quam Sacerdotis: item in forma consecratoria calicis particula *hic* determinari debet ex intentione Ministri, ut non significet adverbialiter, seu tanquam adverbium, sed tanquam pronomen: pariter forma Baptismi ex se indifferens est, ut significet benedictionem balnei, vel administrationem Sacramenti; & ad hanc significandam determinari debet per intentionem baptizantis &c. Ad prob. neg. seq. maj. & rationem probativam dist. Satis determinatur ex circumstantiis &c. attenta institutione vocis humana, trans. attenta institutione Divina, neg. Christus, dum instituit Sacramentum Pœnitentiæ, & formam ejus essentialem, voluit signate exprimi personam pœnitentis absolvendi, quod fit per particulam *te*; adeoque verbum *absolvo*, solitarie sumptum, noluit sufficienter determinari ex circumstantiis ad illiusmodi significationem Sacramentalem. Fuisse autem hanc Christi Domini voluntatem, sumitur ex continua praxi Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ, quæ utraque in forma absolutionis Sacramentalis particulam *te* signate addit, ut personam pœnitentis absolvendi exprimat: id quod magno est argumento, illiusmodi particulam esse additu necessariam necessitate Sacramenti: siquidem in aliis hac tali necessitate non necessariis ambæ illæ Ecclesiæ tantam uniformitatem non servant; ut patet in Sacramento Ordinis; imo in ipso Sacramento Pœnitentiæ, in cujus forma Latini addunt voces *a peccatis tuis*, Græci omittunt.

Ad confirmat. nego rursus maj. Sicut enim intentio Ministri non probatur esse pars Sacramenti, licet verba formæ Sacramentalis modo supra dicto determinet, & sic significationem Sacramentalem compleat; ita neque circumstantiæ probantur esse partes Sacramenti, licet verba formæ Sacramentalis determinent, & sic significationem Sacramentalem compleant.

Instabis. Rituale Romanum tradit, pœnitentem morti proximum, & jam jam moriturum, sic absolvendum esse: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis*; ergo si ista verba: *Absolvo te:* sint tota forma Sacramenti, & hæc ex circumstantiis factæ confessionis sit determinata ad remissionem peccatorum, tunc ejusmodi moribundus vel omnino non absolvetur a censuris, vel posterius, quam a peccatis: quidquid autem horum dicatur, erit absurdum, & contra intentionem Ritualis; ergo &c.

Respondetur, neg. primam cons. & dico, quod ejusmodi moribundus etiam absolvatur a censuris, & quidem prius, quam a peccatis. Ratio est: quia verba illa: *Absolvo te*: non sunt determinata ad remissionem peccatorum privative, & exclusive, quasi nequeant ampliari ad relaxandas quoque censuras; sed cumulative, & inclusive, ut etiam porrigi, atque determinari queant ad tollendas censuras: prout evenit in casu instantiæ, in quo sic porriguntur, ac determinantur tum ex circumstantiis confessionis factæ de peccatis, forte censuras annexas habentibus; tum ex intentione Ministri, volentis absolvere juxta mentem Ecclesiæ, in allegato Rituali expositam, id est, tam a censuris, quam a peccatis, & quidem prius ab illis, quam ab istis.

Dices quarto. Verba illa *a peccatis tuis* causant gratiam; ergo sunt pars formæ essentialiter sumptæ.

Respondetur, neg. ant. Nam gratia non causatur, nisi per verba a Christo instituta, qualia constat esse *absolvo te*; non item *a peccatis tuis*. Unde neg. etiam cons.

Instabis. Ergo verba *a peccatis tuis* in forma absolutionis non adduntur necessario.

Respondetur, dist. illatum. Non adduntur necessario necessitate Sacramenti, con. necessitate præcepti Ecclesiastici, neg. illatum. Mortaliter peccat confessarius ea verba omittendo; tum quia in re gravi contravenit præscripto, & universali consuetudini Ecclesiæ Latinæ; tum quia Sacramentum exponit periculo frustrationis, cum opposita sententia, ly *a peccatis tuis*, vel saltem ly *a peccatis* ad valorem formæ absolutoriæ requirens, sua probabilitate non careat.

483. Dico jam secundo. Verba hujus formæ: *Ego te absolvo a peccatis tuis:* ex institutione humana (1) faciunt istum sensum: *Ego, quantum est ex me, judicialiter libero te a peccatis tuis:* ex institutione vero Divina (2) istum: *Ego hac judiciali sententia, quantum est ex me, confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum a te commissorum*, nempe post Baptismum. Ita P. Herincx hic *q.* 4. *n.* 32. *& seq.* P. Viva *in Theol. Scholast. part.* 8. *disp.* 4. *q.* 5. *n.* 8. *&* magis categorice P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 641. P. Elbel *de Pœnit. n.* 26. Atque hoc concludendi modo videntur conciliari duæ sententiæ, secundum speciem oppositæ, quarum una priorem, altera posteriorem formæ absolutoriæ sensum adstruit sine distinctione, saltem expressa, inter sensum naturalem, seu ortum ex institutione humana; & inter sensum Sacramentalem, seu ortum ex institutione Divina.

Probatur jam prima pars. Si hæc verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis:* non fuissent a Christo elevata ad significationem Sacramentalem, facerent sensum in conclusione assertum; ergo eundem faciunt etiam modo, seu supposita sui elevatione. Cons. patet; nam Christus instituendo formas Sacramentorum retinuit sen-

sum,

sum, quem verba ex institutione humana pariunt; solumque superaddidit sensum, seu significationem Sacramentalem. Ant. prob. Si Episcopus v. g. aliquem in Judicio forensi, & extrasacramentaliter a censuris absolvat, dicendo: *Ego te absolvo a censuris, quibus es ligatus*: verba faciunt hunc sensum: *Ego judicialiter libero te a censuris* &c. Ergo pariter &c.

Probatur etiam secunda pars. Verba formæ Sacramentalis Pœnitentialis a Christo elevata, & instituta sunt ad practice significandam gratiam per se remissivam peccatorum post susceptum Baptisma commissorum; ergo ex institutione Divina recte dicuntur facere sensum in conclusione assertum. Cons. patet. Ant, ostenditur; nam Christus quodlibet Sacramentum instituit ad practice significandam, & causandam aliquam peculiarem gratiam, qualis in Sacramentis mortuorum est gratia prima, in Sacramento Baptismi quidem per se remissiva peccati originalis, & personalium commissorum ante Baptismum; in Sacramento Pœnitentiæ autem per se remissiva peccatorum post susceptionem Baptismi commissorum: atqui prædicta significatio practica ex institutione Christi inest verbis formæ Sacramentalis; ergo verba formæ Sacramentalis ex institutione Christi practice significant gratiam, & quidem in Sacramento Pœnitentiæ primam (nisi hanc in pœnitente jam præexistentem inveniant) ac per se remissivam peccatorum post Baptisma commissorum: consequenter &c.

484. Objicies primo contra utranque partem conclusionis. Sive forma faciat primum, sive secundum sensum, gratis adduntur particulæ: *quantum est ex me*; imo quamlibet absolutionem reddunt conditionatam; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. quoad utrunque membrum, Ratio negandi primum est: quia remissio peccatorum non pendet a sola absolutione Sacerdotis, sed etiam a prærequisitis ex parte pœnitentis, quæ deficere possunt: consequenter Sacerdos absolvens recte addit: *quantum est ex me* &c. Ratio negandi secundum membrum est: quia modificatio, quæ fit per memoratas particulas, summe importat conditionem generalem; conditiones autem generales non extrahunt actus, in quibus ex natura rei, vel dispositione Juris imbibitæ sunt, a ratione actuum absolutorum; prout annotavimus *part. 2. n. 415.* Unde neg. etiam cons.

485. Objicies secundo specialiter contra primam partem conclus. Quando pœnitens affert mera peccata jam remissa, non verificatur forma absolutionis quoad sensum illum naturalem; ergo &c. Prob. ant. Quia tunc non potest cum veritate dici, pœnitentem liberari a peccatis, utpote quibus non amplius est ligatus; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad probat. dist. ant. Non potest cum veritate dici, pœnitentem liberari liberatione actuali, per quam reatus peccatorum hic, & nunc actu auferantur, con. liberatione radicali, per quam reatus peccatorum auferrentur, nisi jam ablati essent, neg. ant. & cons. Nam Sacerdos, dummodo conferat absolutionem radicalem, vere, & proprie dicit: *Absolvo te, libero te &c.* ipseque pœnitens dicitur vere, & proprie *absolvi, liberari &c.* sicut pater filio, post jam semel obtentam erratorum suorum veniam iterato deprecanti, vere & proprie dicitur de novo dare veniam, licet jam antea dederit.

Dices. Ad illum, qui jam solutus est a vinculis physicis, seu corporeis, non post alius postea dicere cum veritate: *Ego te solvo a vinculis*; ergo etiam ad illum, qui jam est solutus a vinculis moralibus (cujusmodi sunt peccata) non potest alius (Sacerdos) postea dicere cum veritate: *Ego te solvo, sive absolvo a vinculis*.

Respondetur, neg. cons. Disparitas desumitur ex modo loquendi, qui est alius in uno, & alius in altero casu. Itaque in casu antecedentis cum solutio fiat per actionem physicam, communis mos loquendi non fert, ut dicatur solvi a vinculis, nisi hæc, actu adhuc inhærentia, formaliter auferantur. E diverso in casu consequentis cum solutio fiat per actionem moralem, communis loquendi mos habet, ut quis dicatur etiam solvi a vinculis jam antea relaxatis: ut patuit in responsione ad object. De qua re, cum dependeat ex communi hominum more verbis utendi, non est ulterius litigandum. Sed

486. Objicies, tertio contra secundam partem conclus. Verba formæ absolutoriæ sic exposita non verificantur, quando pœnitens offert solum peccata venialia; ergo &c. Ant. prob. Gratia non opponitur per se peccatis venialibus; ergo non est per se remissiva eorum: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. dist. ant. Gratia secundum se spectata, vel prout confertur per Sacramenta vivorum, trans. prout confertur per Sacramenta mortuorum, Baptismum nempe, & Pœnitentiam, neg. ant. Et dist. similiter primum cons. Non est per se remissiva eorum, si spectetur priore modo, trans. si posteriore, neg. hanc, & alteram cons. Sacramenta mortuorum per se instituta sunt ad remittenda omnia peccata, etiam venialia, intra sphæram suæ activitatis consistentia, ut respectu Baptismi sunt peccata ejus susceptionem antegressa; & respecta Pœnitentiæ subsecuta. Quare sensus formæ absolutoriæ (ut maneamus in proposito) etiam salvatur, quando pœnitens sola confitetur venialia; siquidem gratia, quæ in Sacramento Pœnitentiæ confertur, etiam venialium per se remissiva est, eaque, si non inveniat jam remissa, formaliter, & actu remittit. Videatur P. Herinca ubi supra.

Dices, Si sensus formæ absolutoriæ, modo præfato explicatus, esset legitimus ex institutione Christi, sequeretur, quod Confessarius valide absolveret pœnitentem, in quo nullum præcessisset peccatum: atqui sequela est absurda; ergo &c. Prob. autem seq. Nam Confessarius adhuc cum veritate diceret: *Confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum &c.* ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Ad prob. neg. ant. In eo quippe casu forma absolutionis, seu propositio a Confessario prolata, esset de subjecto non supponente; quia supponeret dari, vel saltem datam fuisse offensam, quæ tamen revera nec daretur, nec data fuisset: propositio autem de subjecto non supponente est falsa; ut omnes fatentur, La Croix *loc. cit.* Sed

Instabis. Forma Baptismi: *Confero tibi gratiam de se regenerativam*, seu remissivam peccati originalis, & personalium commissorum ante susceptionem hujus Sacramenti, non est falsa, tametsi in subjecto baptizando nullum simile peccatum reperiatur, aut præcesserit (alias B. Virgo, utpote in qua nec culpa originalis, nec actualis fuit, non potuisset baptizari) ergo neque &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in collatione Baptismi adhuc interveniret materia remota, nempe aqua; & proxima, nempe ablutio; consequenter forma nancisci posset legitimum sensum, tametsi in persona, quæ baptizatur, nullum præcesserit peccatum, ut in B. Virgine. Contra in collatione Sacramenti Pœnitentiæ non interveniret materia remota, seu circa quam, si in pœnitente nulla præcesserit culpa, utpote quæ in hoc Sacramento rationem materiæ remotæ obtinet; nec materia proxima, videlicet contritio, & confessio, utpote quæ nullum haberent objectum, circa quod versarentur, cum tale objectum constituant peccata semel perpetrata; consequenter nec forma, ut ut de se legitima, verificari posset. Neque forma absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ exponi eo casu valet conditionate, seu ut faciat sensum sic conditionatum: *Confero tibi gratiam de se remissivam peccatorum, siqua aliquando commisisti, aut si aliquo maculatus sis*; sicut exponi valet forma Baptismi. Disparitas enim jam data est: quod nempe Sacramenti Baptismatis forma non respiciat pro materia remota peccatum, sicut forma Sacramenti Pœnitentiæ &c.

487. Quæres, an verba absolutionis Sacramentalis proferenda sint deprecatorie, vel authoritative?

Respondetur, esse necessario proferenda authoritative, adeo, ut absolutio, deprecatorie, seu in sensu deprecatorio prolata, non valeret. Communis. Ratio est: quia natura judicii, & sententiæ judicialis exigit prolationem sui authoritativam, non deprecatoriam; Judex enim non orat, ut reus absolvatur, sed ipsemet eum absolvit, vel damnat: atqui Sacramentum Pœnitentiæ habet se per modum judicii; & absolutio Sacramentalis per modum sententiæ judicialis; ergo &c. Confirmatur. Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, dixit: *Quorum remiseritis peccata &c. Joan. 20.* non autem, *quorum remitti petieritis*; ergo ipsimet Sacerdotes per commissam sibi a Christo

potesta-

potestatem, & authoritatem peccata remittunt; consequenter formam absolutionis proferunt, & proferre debent authoritative, non vero deprecatorie.

Dices. Forma Extremæ Unctionis est deprecatoria; ergo etiam forma Pœnitentiæ.

Respondetur, neg. conf. Ratio disparitatis petitur ex voluntate Christi, qui aliter instituit unum, ac alterum Sacramentum. Sacramentum Extremæ Unctionis instituit designando formam deprecatorie proferendam; prout suo loco videbimus: Sacramentum vero Pœnitentiæ instituit per modum judicii, in quo sententia, id est, forma absolutionis debet authoritative proferri.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

488. *VVendelina, confitens distractiones involuntarias, & meras imperfectiones, non affert materiam sufficientem pro absolutione.* 489. *VVendelinus, peccatum dubium ut dubium confessus, non tenetur illud denuo confiteri, si postea cognoverit esse certo patratum.* 490. *VVenceslaa non debite dolet.* 491. *VVenceslaus Confessarius haud peccat, breviorem in absolutionibus adhibendo formulam: e.g.* Ego te absolvo a censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen:

CASUS I.

488. *VVendelina, natalibus, & virtutibus clara Domicella, sic confitetur.* 1. Aliquoties in precibus, ex voto obligatoriis, distracta fui, sed involuntarie. 2. Semel die quadam feriali neglexi Sacrum, cujus tamen audiendi & occasio suppetebat, & tempus. 3. Bis cum alia Domicella, Cognata mea, ambulatum exivi in nostrum hortum, quin bonam præfigerem ambulationi intentionem. Aliud, quod commiserim post ultimam confessionem, quippe ante quatuor primum dies factam, non occurrit. Rogo proinde Sacramentalem absolutionem, & salutarem pœnitentiam. *Quæritur, an VVendelina afferat sufficientem materiam confessionis; atque adeo tam licite, quam valide absolvi possit?*

Respondetur negative, per se loquendo. P. Elbel *de Pœnit. n.* 17. & alii passim. Ratio est: quia per distractiones involuntarie habitas nec peccatum, nec imperfectionem commisit; per omissionem Sacri non præcepti, uti & bonæ intentionis pro ambulatione commisit quidem imperfectiones, nullum tamen peccatum: imperfectiones autem non sunt materia, sive necessaria, sive sufficiens, confessionis; sed sola peccata, prout patet ex forma absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis;* ergo &c.

Ut autem hæc responsio, ejusdemque ratio probativa penitius intelligatur, scienda est differentia peccati ab imperfectione. Nam peccatum (ex dictis *part.* 1. *n.* 649.) *est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*: imperfectio vero (secundum Gobat *Theol. Experim. tr.* 7. *n.* 508. & alios) *est actio, vel omissio repugnans suasioni, seu consilio sano in re ad mores spectante, & ex se nec vetita, nec imperata;* atque adeo adversans aut consiliis, inspirationibusve Divinis, aut Superiorum voluntati sub nulla tamen culpa obliganti, aut dictamini rationis impellenti ad moraliter honestiora, & decentiora.

Dixi in respons. *per se loquendo*. Nam si VVendelina in duobus posterioribus punctis omittendo se delinquere putaverit, ob interventum conscientiæ erroneæ omnino censenda est (prout constat ex alibi dictis) consequenter &c. Quod tamen non procedit in primo puncto confessionis; eo quod ibi abfuerit libertas, propter cujus carentiam delinquere nemo potest, esto se delinquere putet. Revide, quod diximus *part.* 1. *n.* 40.

Dices. Ergo reprehendendi sunt Confessarii, dum non impediunt suos pœnitentes ab enarrandis in confessione imperfectionibus.

Respondetur, neg. illatum. Possunt enim, & solent id permittere ex gemina præcipue, eaque omnino rationabili, causa. Prima est: quia imperfectiones sæpenumero adjuncta habent, & secum trahunt peccata venialia, puta sensualitatis, curiositatis, impatientiæ, acediæ, vel negligentiæ alicujus culpabilis, maxime in sententia negantium actus indifferentes in individuo. Altera est: quia pœnitentes sic recognoscendo suas imperfectiones, facilius excitantur ad sectanda charismata meliora.

Aliud adhuc argumentum, quod hic opponi posset, propositum, & resolutum invenies *part.* 1. *n.* 647.

CASUS II.

489. *VVendelinus, utriusque Juris Studiosus, quo exactiorem suorum peccatorum, post ultimam confessionem, duobus ante mensibus peractam, numeroso commissorum, notitiam pro accurata confessione facienda sibi compararet, diligentissime conscientiæ suæ latebras excussit. Contigit nihilominus, ut non singula peccata, quæ revera patraverat, ut talia recognosceret, sed de quorundam, etsi mortalium commissione dubitaret: quæ proinde ut dubia confessus est. At non longo post tempore inciderunt VVendelino nonnullæ circumstantiæ, ex quarum pensitatione compulsus fuit moraliter certum formare judicium, se memorata peccata, quæ prius ut dubia apprehenderat, omnino, & revera perpetrasse. Quæritur jam, an illa, modo ut certo cognita, teneatur adhuc semel confiteri?*

Respondetur negative. Ita mihi intrinseca (& per consequens absolute) probabilior sententia, quam tenent Arriaga *de Pœnit. disp.* 31. *sect.* 6. *n.* 46. Tamburinus *in method. exped. confess. lib.* 2. *cap.* 1. *a n.* 24. Sporer *de Pœnit. cap.* 3. *sect.* 1. *n.* 307. cum pluribus aliis a se relatis. Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 2. *a n.* 77. hanc quæstionem pertractans, esto nostram sententiam non absolute teneat, tamen probabilem reputat, & testatur, se consuluisse etiam alios, qui eandem probabilem esse judicaverint, & inter hos nominat Nicolaum Richardium, Magistrum Sacri Palatii, qui dixerit, eam esse valde probabilem.

Ratio jam responsionis, eaque præcipua, hæc esto. Nam qui confessus est, se decies, plus, minusve blasphemasse, postea vero certo deprehendit, se undecies blasphemasse, non tenetur illam undecimam blasphemiam, postea certo cognitam, denuo confiteri ut certam, licet eandem in priori confessione expresserit solum ut dubiam; veluti tenent DD. communiter, paucis exceptis: qui frustra nituntur contra torrentem; ergo nec aliud peccatum sub dubio in confessione expositum, obligatorie repetendum erit in alia confessione ut certum, postquam ut tale cognitum fuerit.

Hæc ratio, a pari desumpta, videtur fortissima: neque in Authoribus, sententiæ affirmativæ Patronis, quos ad manum habeo, solidam disparitatem invenire potui. Examinemus breviter.

Respondetur igitur aliqui cum P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 616. *in fin.* a posteriori colligi disparitatem; eo quod illa peccata, dicta cum addito *circiter*, vel *plus minus*, sint materia certa confessionis; non vero peccata dubia. Sed

Contra est. Peccata illa, quoad excessum dubium, non sunt materia certa, sed tantum quoad numerum infimum, qui certo continetur in numero, cum particulis *circiter*, vel *plus minus*, exposito. Unde siquis dicat: *Ter circiter, vel plus minus hoc feci*: materia certa est numerus binarius; non vero ternarius, aut quaternarius.

Respondent alii cum P. Burghaber *centur.* 2. *cas.* 55. numerum parvum absorberi in majore, & censeri in isto explicatum: at in dubio non censeri explicatum peccatum certo commissum. Sed iterum

Contra est: quia licet in majore numero imbibatur minor; non tamen in minore, addita particula *circiter*, vel *plus minus*, imbibitur certo major, seu excessus ille, qui tamen, si dein certo innotescat, non debet (ex proxime dictis) iterato exponi.

Respondent tandem alii cum Illsung *tr.* 6. *disp.* 6. *q.* 4. *n.* 116. disparitatem esse, quod in casu de numero etiam excessus assertive exponatur: e. g. qui dicit: *blasphemavi decies circiter*: etiam assertive se accusat de

undecies

undecima blasphemia; est quippe idem, ac si diceret: *judico, me decies, vel undecies blasphemasse*, quæ propositio absolute asserit, atque affirmat undecimam quoque blasphemiam esse effusam, licet disjunctive: at vero, qui peccatum tantum exponit subdubio, nihil de eo assertive dicit. Sed rursus

Contra est. Nam inprimis disjunctiva tantum assertio, in ordine ad judicium Confessarii, non plus confert, quam assertio dubia: cur enim Confessarius magis determinetur ad judicium accurratius ferendum, pœnitentiam injungendam &c. siquis dicat: *blasphemavi decies circiter*: quam si quis dicat; *novem blasphemias effundi, de decima, vel undecima dubito*? Deinde accusans se sub dubio de aliquo peccato in specie, eodem modo virtualiter, vel æquivalentes dicit: *judico, me fuisse tentatum, & vel consensum, vel dissensum præbuisse*: & sic etiam eodem modo assertive disjunctive se accusat; & quamvis prior ille magis determinate se accuset de novem, vel decem vicibus, queis se blasphemasse affirmat, non magis tamen se accusat de undecima vice, Nunc contra respons. ad Casum redditam,

Dices primo, Peccata VVendelino jam sunt certa; ergo ut talia exponenda; cum peccata sint exponenda, sicut relucent in conscientia,

Respondetur, neg. cons. & rationem probativam dist, Si necdum adæquate, id est, quoad numerum, & speciem, sint exposita, atque per absolutionem directam remissa, con. si jam sic sint exposita, atque remissa, neg. Itaque non tenetur quis amplius exponere peccata, ut ut gravia, prout nunc sunt in conscientia, quando quis illa jam semel secundum speciem, & numerum, prout tunc erant in conscientia, confessus est, & ab iis directe absolutus. Et licet directa absolutio, non semper tollat obligationem iterum confitendi, e.g. quando est speciale præceptum in Religione ob casus reservatos; vel quando absolvitur moribundus, qui speciem, & numerum non exposuit; tamen tollit obligationem iterum confitendi, ortam præcise ex præcepto confessionis, quando quis speciem, & numerum, prout tunc erant in conscientia, jam exposuit. Dein hoc argumentum retorquetur in casu, per modum rationis probativæ allato supra, quo quis numerum peccatorum confessus est sub dubio, & postea deprehendit numerum certum.

Instabis. Peccatum ut dubium specie morali differt a seipso ut certo; ergo quando solum fuit expositum ut dubium, non censetur expositum secundum suam speciem; ergo quando deprehenditur ut certum, resuscitatur obligatio illud ut tale exponendi, ut sic tollatur error, qui circa substantiam materiæ versabatur.

Respondetur tertio per retors. Peccatum ut certum specie morali differt a seipso ut dubio; sicut vicissim dubium a certo; ergo siquis inculpabiliter exposuerit ut certum, quod tamen erat dubium, non censetur illud exposuisse secundum suam speiem; ergo quando deprehenditur ut dubium, resuscitatur obligatio illud ut tale exponendi, ut sic tollatur error, qui circa substantiam materiæ versabatur. Sequelam vero talem nemo facile admittet.

Respondetur secundo, directe, & in forma, neg, ant. Nam dubietas, & certitudo non sunt circumstantiæ objectivæ, afficientes ipsum peccatum, sed formales tantum, afficientes cognitionem pœnitentis, uti & Confessarii: quare illud non diversificant specie, sed solum istam.

Dices secundo. Sequeretur ex nostra sententia, quod, qui dubitaret, an commisisset adulterium, aut simplicem fornicationem, postea autem se accusaret de peccato mortali contra castitatem; non teneretur iterum confiteri, si certo resciret, suum peccatum fuisse adulterium: sequela autem admitti nequit, ceu nimis laxa; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Siquidem talis in æstimatione morali, ne quidem sub dubio, de peccati specie se distincte accusaret; quod tamen Christus requirit: sicut, qui se sub finem confessionis accusat de omnibus peccatis, e memoria elapsis, vel totius vitæ, non sufficienter se accusat de specie, & numero, ita, ut, si postea recordetur in specie alicujus peccati, necdum expositi, id non teneatur confiteri: imo, si etiam dicat: *accuso me, si forte aliquod perjurium, vel simile commisi*: non sufficit; quia ejusmodi terminis non explicatur prudens dubium, sed tantum possibilitas peccati; nec exponitur sub dubio res ut facta, sed tantum ut possibilis factu.

Aliorum argumentorum, quæ hic opponi adhuc possent, solutiones colliguntur ex dictis *n.395. & seqq*

CASUS III.

490. *VVenceslaa, pia, sed simplex femina, postquam sua peccata, quæ non nisi venialia erant, enarrasset in confessionali, interrogata a Confessario, an desuper doleat? reponit, se dolere, quod non doleat. Sed tali dolore, seu modo dolendi non contentus Confessarius instat, ut alium dolorem concipiat, & prodat. Obsequitur VVenceslaa, & ait, se dolere, quod per peccata modo exposita cælum perdiderit, & infernum meruerit. Quæritur, an VVenceslaa dolor, sive primo, sive secundo modo elicitus, pro vero, & ad impertiendam absolutionem sufficienti dolore reputari queat?*

Respondetur primo, dolorem, priore modo elicitum, non posse reputari pro vero, & sufficiente ad absolutionem impendendam, si nimirum VVenceslaa præcise doleat, quod non doleat. Ita Henriquez, Vasquez, Bonacina, Filliucius, Burghaber *cent. 2. cas. 82.* Sporer *de Pænit. cap. 2. num. 80.* & alii, sistendo in terminis responsionis, communiter, Ratio est: quia secundum Concilia, & communem DD. requiritur, ut dolor sit de offensione Dei, & peccatis commissis, a quibus pœnitens absolvi petit: atqui dolor VVenceslaæ, prædicto modo elicitus, non est de offensione Dei, & peccatis commissis, sed solum de carentia doloris, quæ absolute loquendo affectum ad peccata compatitur; ergo non est verus dolor, nec sufficiens ad impertiendam VVenceslaæ absolutionem. Dixi autem: *si præcise doleat &c.* Nam cum actu, quo quis dolet, se non dolere, plerumque conjunctus est dolor de peccatis; qui etiam rationabiliter a Confessario præsumi potest esse conjunctus, si nullæ adsint conjecturæ in contrarium. Unde dum pœnitentes dicunt, se dolere, quod non doleant, ordinarie tantum innuere volunt, se dolere, quod non satis doleant, adeo, ut dolor eorum non sit de carentia doloris quoad substantiam, sed tantum quoad qualitatem non necessariam, puta intensionis, sensibilitatis &c. Non igitur reprehendendus fuisset Confessarius, nec erroris redarguendus, si VVenceslaam, ad producendum suum dolorem verbis præfatis usam, absolvisset: quamvis alium dolorem exquirendo, laudabilius fecerit; cum sic, veluti supererogatorie, securiori via incesserit.

Respondetur secundo, dolorem, a VVenceslaa posteriore modo elicitum, nullatenus subsistere; adeoque nec sufficere ad absolutionem impendendam. Ita DD. communissime, Ratio est: quia dolor, qui innititur motivo falso, mereque existimato, & erronee assumpto, non subsistit, nec sufficit ad absolutionem impendendam: atqui dolor VVenceslaæ, posteriore modo elicitus, innititur motivo falso, mereque existimato, & erronee assumpto; siquidem per peccata venialia, qualia attulit VVenceslaa, nec cælum amittimus, nec infernum meremur; ergo &c. Monenda ergo fuit VVenceslaa, ut sibi præfigeret aliud motivum dolendi, v.g. metum purgatorii, offensam Dei &c. Sed de hoc explicatius *disp. seqq.*

CASUS IV.

491. *VVenceslaus Confessarius, sicut libenter videt, quando alii Confessarii suos pœnitentes absque mora non necessaria expediunt; ita omni cura invigilat, ne ipsemet in eodem negotio pertractando plus, quam oportet, morosus existat. Quem in finem ordinarie uti solet ad absolvendum hac præcise forma:* Ego te absolvo a censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen: *quin alia verba, sive antecedentia, sive subsequentia, addat. Quæritur, an VVenceslaus peccet?*

Respondetur negative; quamvis eum laudare non possim, quando non est magnus confluxus, seu concursus pœnitentium; adeoque nulla adest ratio; consue-

consuetam absolutionis formulam, verbis quoque antecedentibus, ac subsequentibus auctam, abbreviandi. Ita P. Sporer *de Pœnit. cap.5. a num.*590. & alii communiter. Ratio est: quia nec præceptum Christi, nec Ecclesiæ ostendi potest, quo verba antecedentia, vel subsequentia addi jubeantur. Unde *cit.* Author sic fatur: *Certum est, hanc totam famam* (nempe complectentem verba antecedentia, & subsequentia; prout eam ibidem recitat) *quoad orationes prævias, & subsequentes ipsam absolutionem (quæ secundum Concilium Tridentinum utiliter adduntur) non esse de necessitate aliqua Sacramenti, vel præcepti; ideoque ex causa rationabili; imo (secluso scandalo, vel contemptu) etiam sine causa omitti posse.*

Præterea VVenceslaus innoxie, ac sine culpa omitteret ly *a censuris*, quotiescunque non apparet fundamentum saltem suspicandi, pœnitentem forte irretiri aliqua censura, quale fundamentum rarissime occurret. Sporer ubi supra *n.*593. Unde VVenceslaus ab omni culpa, etiam veniali, immunis erit, ordinarie, & per se loquendo, si proferat hanc formam: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Dixi autem: *quamvis eum laudare non possim &c.* Nam, saltem extra magnum concursum pœnitentium, omnino totam formam una cum omnibus verbis antecedentibus, & subsequentibus pronunciandam censeo; vel saltem inchoandam ab istis verbis: *Dominus noster Jesus Christus &c.* prout suadet Rituale Romanum. Nec facile omitti debent verba subsequentia: *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.* eo quod juxta satis communem DD. per illa eleventur opera pœnitentis in satisfactionem Sacramentalem; & idcirco minor pœnitentia imponi possit: prout videbimus *disp.3. cap.*1. Ego, si causa festinandi adsit, soleo memorata verba subjungere, dum pœnitens absolutus recedit, & alius subintrat.

DISPUTATIO II.

De Contritione, Confessione, & Absolutione.

IN disputatione præcedenti egimus de Partibus Sacramenti Pœnitentiæ generatim spectatis; nunc de iisdem speciatim acceptis tractandum est. Et quidem in præsenti Disputatione de Contritione, Confessione, & Absolutione; in sequenti vero de Satisfactione. Quare Satisfactionem postponam, & peculiari disputationi reservem, dicam in principio disputationis sequentis. Nunc sit

CAPUT I.

De Contritione: ubi etiam de Proposito ad eam necessario.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Contritionem in genere.

§. I.

In quonam essentialiter consistat Contritio? item quomodo debeat respective, vel non debeat esse qualificata?

SUMMARIUM.

492. *& 493. Contritio essentialiter consistit tam in detestatione peccati, quam in dolore de illo; principalius tamen in detestatione.* 494. *Assignantur, & explicantur qualitates essentiales contritionis: uti &* 495. *non essentiales, ac non necessariæ.* 496. *& seq. Solvuntur duæ objectiones.* 498. *Non adhibere dolorem universalem de omnibus venialibus, quæ quis confitetur, nullam continet culpam.* 499. *Contritio non præsupponit necessario distinctam recogitationem peccatorum: neque in quodlibet peccatum necessario debet cadere distincta contritio.*

492. DIco primo. Contritio essentialiter consistit in complexo ex detestatione peccati, & dolore de illo. Sporer *de Pœnit. cap.2. n.64.* & alii.

Probatur tum authoritate Trid. utpote a quo *Sess.14. de Pœnit. cap.4.* contritio definitur *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Tum ratione: siquidem contritio ex sua natura, & indole importat duos actus, quorum unus affligit, & veluti conterit cor pœnitentis: alter vero a peccato avertit: sed tales actus sunt dolor, & detestatio; nam prior affligit, & posterior a peccato avertit; ergo contritio ex natura, & indole ambos hos actus importat, seu includit tanquam essentiales.

493. Quæres, an contritio principalius consistat in detestatione, vel in dolore, qui ex detestatione resultat?

Respondetur, quod principalius consistat in detestatione. Ita cum aliis Author *cit. n.67.* Ratio est: quia detestatio formaliter opponitur peccato, & est necessaria causa doloris, a qua etiam hic (alioqnin de se indifferens) suam specificationem trahit, redditurque honestus, & utilis: ideo enim dolor honestus, & utilis est: quia procedit ex detestatione peccati sub motivo honesto, & supernaturali, puta quatenus est offensa Dei &c. ergo &c.

Dices. Contritio a S. Scriptura, & SS. PP. solet exprimi, ac describi per dolorem; ergo signum est, quod hunc principalius importet, ac detestationem.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, id præcise fieri; quia dolor est detestatione notior; cum sæpius in ipsum quoque corpus redundet: non vero quasi dolor seipsa sit principalius significatum, & constitutivum contritionis. Quam ipsam ob causam contritio, & dolor in loquendo confundi, ac promiscue sumi solent. Ceterum sæpe etiam contritio exprimitur per detestationem; ut *Ezechielis* 33. *v.* 12. ibi: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus* (id est, per detestationem aversus) *fuerit ab impietate sua*: & alibi.

494. Dico secundo. Contritio, sufficiens ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, necessario debet esse *formalis, & explicita: supernaturalis semper: universalis respectu mortalium.*

Probatur exponendo singula membra. Debet itaque 1. esse *formalis, & explicita*: quia Trid. *Sess.14. cap.3. & 4.* clare requirit *contritionem*, utique denotans, per eam intelligi actum specialem; adeoque formalem, & explicitum; non vero virtualem, & implicitum duntaxat, seu in alio actu contentum. Unde licet amor Dei super omnia tam efficax sit, ut, cum in se contineat virtualiter dolorem de peccatis, ad peccata, etiam mortalia, extra Sacramentum Pœnitentiæ abolenda sufficiat; haud tamen sufficit ad valorem, & effectum dicti Sacramenti, sed requiritur alius actus formalis, & explicitus, quo pœnitens expresse doleat, & detestetur peccata sua, sive dein hæc mortalia sint, sive venialia tantum, Sporer ubi supra *a n.*77.

Debet 2. esse *supernaturalis*. Ratio est: quia dispositio ad justificationem hominis non potest esse actus tantum naturalis; hoc enim negant omnes Theologi disputantes contra Pelagianos: atqui contritio est dispositio ad justificationem hominis; ergo &c. Unde Trid. *Sess.6. can.3. de Justif.* ita fulminat: *Siquis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et Innoc. XI. confixit hanc *prop. ord.* 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam.* Suarez *disput.5. sect.1, num.2.* & alii communiter.

Debet 3. esse *universalis respectu mortalium* (subintellige: nondum clavibus subjectorum, & remissorum) Ratio est: quia juxta Trid. *Sess.14. cap.5.* non remittitur unum peccatum mortale sine alio; & (prout idem Concilium habet *ead. Sess. cap.4.*) nullum remittitur sine dolore; ergo dolor, sive contritio, ut sit dispositio ad delendam in Sacramento Pœnitentiæ omnia peccata mortalia, debet esse universalis, & se extendere ad omnia. P. Stoz *lib.1, part.2. q.1, num.*30. cum communi.

495. Dico tertio. Contra contritio non necessario debet esse *sensibilis: in certo gradu intensa: certo tempore durans; nec universalis respectu venialium.*

Probatur itidem exponendo singula membra. Itaque contritio

contritio 1. non necessario debet esse *sensibilis*. Ratio est: quia contritio consistit in voluntate pœnitentis, improbantis, & detestantis sua peccata, atque dolentis, quod ea commiserit, ita, ut, si adhuc integrum esset, nullo modo vellet ea amplius perpetrare; atque adeo firmiter statuat imposterum evitare: ad quod non requiritur, ut doloris sensum, aut motum in corpore, vel corde sentiat, singultus edat, lacrymas fundat &c. Quo aliquorum, præsertim mulierum, redarguitur error, & deceptio, dum putant, se non esse vere contritos, nisi in ipso quoque corpore dolorem sentiant. Esto quippe talis dolor sensibilis, si haberi possit, bonus sit, atque utilis; haud tamen est necessarius, neque etiam solicite, & anxie procurandus; neque, si habeatur, coram aliis spectantibus, vel audientibus eliciendus; sed potius clam sine ullo alio (præter Deum) arbitro, juxta illud Psalmi 4. *In cubilibus vestris compungimini*. Stoz *n*. 13. *&* 14. cum communi.

Contritio 2. non necessario debet esse *in certo gradu intensa*; sed sufficit substantia actus in quantumcunque remisso gradu. Ratio est: tum quia nulla uspiam in S. Scriptura extat mentio, aut præceptum de certo aliquo intensionis gradu: tum quia peccatum mortale, in quocunque remisso sit gradu, sufficit ad gratiam sanctificantem deperdendam; ergo e converso, quantumcunque remissa sit contritio, sufficiet ad gratiam sanctificantem recuperandam. Accedit, quod alioquin pœnitentes semper essent anxii de sufficienti gradu doloris eliciti; cum nullus sit dolor, qui non possit esse intensior: imo semper existimarent, se præceptis Divinis non satisfacere, adeoque manere in statu peccati, quocunque demum motu voluntatis ad Deum converterentur. Per quæ exponerentur infinitis scrupulis; imo in desperationem de sua salute adducerentur: veluti patet consideranti. Bonacina, Filliucius, & Mezger, quos refert, & sequitur Babenstuber *tr*. 8. *part*. 6, *disp*. 4. *art*. 2. *n*. 11. cum communi aliorum. Nec refert, quod dicatur, quo graviora fuerint peccata, eo etiam graviorem debere esse dolorem. Id quippe intelligendum non de præcepto, & necessitate, sed de consilio, honestate, ac etiam utilitate; siquidem quo dolor est intensior, eo utilior, cum per eum plus pœnæ temporalis remittatur. Navarrus *in Manual. cap*. 1. *n*. 35. & alii passim.

Contritio 3. non necessario debet esse *certo tempore durans*; sed sufficit ad eam eliciendam quodcunque modicum tempus; imo unicum instans, post factam objecti, & motivi debitam apprehensionem. Laymann *lib*. 5. *tr*. 6. *cap*. 4. *n*. 2. & alii passim. Ratio est: tum quia contritio, cum sit actus spiritualis, & indivisibilis, non exigit certam, & longam durationem temporis ex sua natura; neque etiam ex præcepto aliquo, cum Dominus dicat *Ezechielis* 18. *&* 33. se, quacunque hora (id est, quamprimum) peccator conversus fuerit, ejus iniquitatum non amplius recordaturum. Tum quia Deus admisso peccato peccatorem statim punit subtrahendo gratiam; ergo etiam debite dolenti de peccato statim confert gratiam remissivam nulla expectata temporis mora; cum non sit pronior ad puniendum, quam ad miserendum, & præmiandum.

Contritio 4. non necessario debet esse *universalis* (universalitate scilicet absoluta, prout exponetur infra de proposito) *respectu venialium*: vel mortalium jam remissorum. Navarrus *loc. cit. n*. 28. Reginaldus *lib*. 5. *cap*. 4. *num*. 42. & alii communiter. Ratio est: quia peccata venialia sunt compossibilia cum infusione gratiæ, potestque unum remitti sine altero; ergo non est necesse, ut respectu eorum dolor sit universalis, & se extendat ad omnia. Idem est de mortalibus jam remissis, utpote quæ & ipsa compatiuntur cum infusione gratiæ &c. Sed contra hoc

496. Objicies primo. Quando pœnitens non dolet de omnibus venialibus, quæ confitetur, reddit formam absolutionis falsam: cum hæc tunc non remittat omnia peccata exposita; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam forma absolutionis, juxta intentionem saltem primariam Ministri, non significat remissionem peccatorum quorumcunque, sed tantum cum sufficienti dolore, & proposito subjectorum: consequenter &c.

497. Objicies secundo. Qui proponit Confessario aliquid, tanquam materiam Sacramenti Pœnitentiæ, cum tamen non sit materia, graviter peccat: sed confitens aliqua venialia, nullo dolore qualificata, ita facit; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Loquendo de materia gravi, vel ad valorem Sacramenti necessaria, con. loquendo de materia levi, ad valorem Sacramenti non necessaria, neg. major. & distinctione applicata minori, cons.

498. An autem non adhibere dolorem universalem de omnibus venialibus, quæ pœnitens confitetur, sit culpa levis, vel omnino nulla? dissentiunt Authores. Ego propendeo in sententiam negantium, seu volentium, nullam in eo culpam esse: quia pœnitens confitendo peccata venialia, etiam nullo dolore affecta, potest intendere, & assequi bonum finem, puta sui humiliationem, meriti augmentum &c.

449. Quæres, an contritio præsupponat necessario distinctam recogitationem peccatorum mortalium? Item an debeat in quodlibet ejusmodi peccatum cadere distincta contritio?

Respondetur cum communi DD. ad utrunque Quæsiti membrum negative. Ratio responsionis quoad primum membrum est; nam vel illiusmodi recogitatio deberet præcedere contritionem, vel cum ea simul esse: neutrum requiritur; ergo &c. Probatur min. Siquidem Scriptura, Concilia, & Patres, tantum requirunt pœnitentiam formalem, qualis etiam dari potest, esto præcesserit, vel adsit confusa duntaxat recordatio peccatorum; alias a magnis peccatoribus elici contritio non posset intra breve tempus; cum ad revocanda in memoriam singula peccata sua longiori utique mora indigeant; quo fieret, ut iis, præsertim in mortis articulo versantibus, redderetur contritio impossibilis; id quod nemo facile admiserit. Confirmatur. Non est credibile, quod Latro in Cruce, aut Magdalena, pœnitentes, habuerint prævie, vel simul cum dolore suo distinctam singulorum peccatorum a se perpetratorum memoriam; & tamen eorum contritio a SS. Patribus proponitur aliis in exemplum; ergo &c. Ratio responsionis quoad alterum Quæsiti membrum est eadem; nam si in quodlibet grave peccatum distincta contritio cadere deberet, ea esset magnis peccatoribus, præsertim subitaneo mortis periculo occupatis, onus gravissimum, &, saltem moraliter importabile; quale Deus, cujus natura Bonitas, & qui hominibus, ut ut peccatoribus, viam ad conversionem, & salutem obstruere, aut impossibilem reddere neutiquam intendit, imposuisse censendus non est. Confirmatur itidem exemplo Mariæ Madgalenæ, Latronis in Cruce, & aliorum magnorum peccatorum, subito ad pœnitentiam conversorum, & mediante contritione justificatorum; cum tamen non sit perceptibile, quod de singulis peccatis in particulari distinctos dolores intra tam breve tempus elicuerint.

Dices primo contra primum Quæsiti membrum. Ezechias *Isaiæ* 38. *ver*. 15. dicit Deo: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Et David *Psalm*. 76. *vers*. 6. *&* 7. ait: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*: seu, ut Augustinus legit: *scrutabar spiritum meum*; ergo Scriptura petit distinctam peccatorum recogitationem pro debite elicienda contritione.

Respondetur, neg. cons. Siquidem Scriptura in commemoratis locis solum indicat, quid Sancti illi fecerint; non vero, ad quid obligati fuerint. Unde licet David *Psal*. 101. *v*. 10. etiam dicat: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam*: nemo tamen erit, qui pœnitentes ad idem faciendum obstrictos asseveret.

Dices secundo. S. Chrysostomus *Homil*. 9. *in epist. ad Hebræos, in morali circa medium*, ait: *Sin autem dicit: Sum peccator; ea autem per species non cogitat, ac supputat, & non dicit: Hoc, & illud peccatum admisi: nunquam cessabit*; ergo requiritur distincta peccatorum recogitatio.

Confirmatur. Pœnitens non potest debite confiteri peccata, nisi ea distincte recogitet; ergo neque de illis debite conteri.

Respondetur ad argument. neg. cons. Ad ant. ajo, quod S. Chrysostomus in objecto textu non velit, explici-

plicitam peccatorum recogitationem esse necessariam ad habendam præcise contritionem, sed tantum ad faciendam confessionem, quæ utique requirit, regulariter, & ordinarie loquendo, præviam discussionem conscientiæ, atque distinctam peccantum recogitationem, cum ea alioquin Confessario secundum speciem, & numerum aperiri, & clavibus subjici non possent. Unde

Ad Confirmat. concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia ut quis debite confiteatur peccata, debet ea (si mortalia sint) dicere (quando id facto possibile est) secundum numerum, & speciem; quod facere nequit, nisi illa distincte recogitet. Ut autem debite de iis conteratur, sufficit, quod doleat de omnibus ex motivo universali, seu ad omnia se extendente; ad quod non exigitur distincta peccatorum recogitatio, quamvis exigatur saltem confusa, & generica, utpote sine qua dolor non posset, sicut oportet, esse eorundem peccatorum retractativus.

Instabis. Vera contritio in Lege nova includit votum confitendi; ergo etiam votum examinandi conscientiam, sive recogitandi distincte peccata, coram Confessario exprimenda.

Respondetur. con. totum. Neque ullum ex tali concessione præjudicium nostræ communi doctrinæ accersitur: etsi enim votum, sive propositum distincte recogitandi peccata in ordine ad legitime instituendam confessionem regulariter necessarium sit peccatori debitam contritionem elicere volenti; non tamen eidem necessaria est actualis hujusmodi recogitatio; potest namque concipere, ac procurare dolorem de suis peccatis confuse, ac in genere recogitatis, cum voto, & proposito eadem postmodum distincte, ac explicite recogitandi, prout ad rite deponendam eorum confessionem necessarium visum fuerit.

Dices tertio contra secundum Quæsiti membrum. Catechismus Tridentini *de Sacramento Pœnit. tit. ult. Singula peccata &c.* ait: *Maxime autem hortandi, & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant*; ergo in quodlibet crimen mortale debet cadere distincta contritio.

Confirmatur. Quot sunt peccata, tot sunt aversiones a Deo, & conversiones ad creaturas; ergo saltem, quando quis potest, debet elicere tot contritiones, seu conversiones ad Deum, quoties se a Deo avertit, seu quot peccata patravit; maxime dum de iis dolet in ordine ad instituendam, & subjungendam confessionem.

Respondetur ad arg. neg. cons. Nam Catechismus Tridentini hortatur solum fideles, ut de singulis peccatis mortalibus peculiarem eliciat contritionem; nullam vero id faciendi adstruit necessitatem: imo inferius dicit de Deo: *Peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, & universe peccata sua detestatus (qua dein alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat) ad Dominum se converterit.* Quibus verbis Catechismus perspicue tradit, de peccatis confuse, & simul apprehensis, veram elici posse contritionem universalem, seu quæ sit unus doloris actus ad omnia illa se extendens: quamvis postmodum (quando scilicet obeunda est confessio) singula sint distincte recogitanda, & (supposito, quod prior contritio non amplius censeri possit virtualiter perseverare v. g. ob nimiam temporis distantiam) alio actu universali iterum detestanda.

Ad confirmat. neg. cons. Alias, qui per plures annos continuasset inimicitiam Dei, deberet per plures annos continuare etiam contritionem: & qui sæpius sacrilege confessus esset, deberet sæpius rite confiteri; atque ita de aliis: quæ tamen sequelæ a nemine admittuntur.

§. II.

Quale ad contritionem requiratur propositum? & utrum hoc se extendere debeat ad vitandas occasiones peccandi?

S U M M A R I U M.

500. *Occasio peccandi alia est* remota, *& alia* proxima. 501. *Explicantur qualitates essentiales propositi, ad contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ requisiti.* 502. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 505. *Propositum vitandi peccata non debet necessario se extendere ad vitandas occasiones peccandi remotas; bene vero ad vitandas proximas &c.*

500. PRænotandum pro secunda quæstionis parte, occasionem peccandi, generice sumptam, esse circumstantiam aliquam extrinsecam inducentem in peccatum. Dividitur in *remotam*, & *proximam*. Remota est, quæ, licet per accidens possit inducere, aut etiam aliquando inducat in peccatum, frequentius tamen non inducit: tales sunt mercatura, militia, lusus, ambulatio in publico, recreatio &c. Proxima est, quæ frequentius, & plerumque homines hujus, vel illius conditionis inducit in peccatum: uti se habent, præsertim respectu juvenum, pravæ societates; respectu Sacerdotum, concubinæ &c. Quare occasio peccandi, quæ proxima est respectu unius, potest esse tantum remota respectu alterius, & vicissim: quia fieri potest, & sæpe solet, ut unus in aliqua occasione frequenter peccet, non item alter, licet in eadem occasione constitutus: imo non raro accidit, ut eadem occasio respectu ejusdem uno tempore sit proxima, quando nempe in ea frequenter peccat; alio autem tempore remota, quando nimirum peccare desiit, vel saltem non amplius frequenter peccare solet. Igitur, sitne aliqua occasio peccandi remota, vel proxima? non solum ex natura ipsiusmet occasionis, sed etiam ex raritate, aut frequentia lapsuum, ex illa respectu talis, vel talis hominis, consequi natorum, discerni debet. Porro occasio peccandi alia est in se mala, ut turpiloquium; alia indifferens, ut accedere ad tale locum, conversari cum tali persona &c. alia etiam bona, ut audire confessiones talis personæ, legere libros de rebus obscœnis pro excipiendis confessionibus, parandis concionibus &c. P. Stoz *lib. 1. part. 2. n.* 82. 85. & 86. Nunc

501. Dico primo ad primam partem quæstionis. Ad contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ percipiendum requiritur propositum *efficax, & firmum non peccandi de cetero: formale, & explicitum, per se loquendo: universale respectu mortalium*.

Probatur exponendo singula membra. Debet itaque 1. propositum esse *efficax*, etiam ut conceptum de venialibus, quæ quis sibi remitti cupit virtute clavium, & per absolutionem Sacramentalem. Ratio est: quia debet excludere voluntatem peccandi de cetero, id est, committendi imposterum peccata, etiam venialia, quæ quis confitetur in ordine ad absolutionem super iis impetrandam. Ceterum efficax, firmumque propositum dicitur, & est illud, quod quantum est ex se, reddit hominem expeditum ad reipsa faciendum id, quod statuit, licet postea effectum non sortiatur, eo quod, dum sese offert occasio illud exequendi, humana fragilitas prævaleat, & hominem, præsenti aliqua difficultate territum, aut delectabilitate objecti rursus illectum, faciat animum mutare, & concepti propositi actum deserere, seu non ponere. Ad efficaciam ergo propositi sufficit, quod, dum habetur, tale sit, ut, nisi desereretur, homo vi illius non peccaret. Unde falleretur, qui existimaret, pœnitentem vero destitui proposito; & consequenter absolvi non posse, si diceret, se non credere, quod in tale, vel tale peccatum non sit relapsurus, ob tantam naturæ propensionem, diuturna consuetudine roboratam, multisque peccandi occasionibus, ut ut involuntariis, expositam: hæc enim credulitas non obest proposito, modo quis paratus sit serio conatu tentationibus quocunque eventu reluctari, & Divina gratia firmatus contra eas audentior ire; siquidem propositum consistit præcise in actu voluntatis, per efficacem affectum præsentem omnia peccata

morta-

mortalia (uti & venialia, quæ pœnitens Sacramentaliter sibi remitti desiderat) in futurum committi possibilis aversantis: illa vero persuasio, seu credulitas est actus quidam intellectus pendens ex futuro eventu: consequenter non opponuntur, sed simul consistere possunt. P. Stez ubi supra *a n.*102.

Debet 2. propositum esse *formale, & explicitum, per se loquendo*. Ita Suarez *de Pœnit. disp.*4. *sect.*3. *n.*3. Bellarminus *lib.*2. *de Pœnit. cap.*6. & 7. Bonacina *disp.*5. *q.*5. *pun.*8. *n.* 2. & alii contra alios, volentes, sufficere propositum virtuale, & implicitum, etiam per se loquendo. Fundatur nostra doctrina in CC. Florentino, & Tridentino: illud enim *in Decreto Eugenii* asserit, primam partem (materialem) Pœnitentiæ esse contritionem *cum proposito non peccandi de cetero*: istud vero *Sess.*6. *cap.*6. & *Sess.*14. *cap.*4. ad justificationem hominis requirit propositum *emendationis, & non peccandi de cetero*: sed hæc verba, si, ut jacent accipiantur (quemadmodum sane accipienda sunt) significant propositum formale, & explicitum; quia denotant recugitationem vitæ de futuro instituendæ: ergo &c. De cetero propositum formale, & explicitum habere censetur, qui, dum elicit contritionem de peccatis, per alium, & distinctum actum expresse proponit posthac non amplius peccare; virtuale vero, & implicitum involvitur in ipsa contritione, quatenus ex se determinativa pœnitentis ad elicientiam propositi formalis, si de hoc formando, & eliciendo aliqua incideret cogitatio, vel aliunde nullum afforet impedimentum.

Dixi autem *per se loquendo*. Nam per accidens saltem sufficere posse propositum virtuale, & implicitum, communis est DD. sententia; fieri enim potest, ut pœnitens, quando efficaciter dolet de peccatis commissis, nihil cogitet de vita futura; adeoque nihil formaliter sibi proponat: quo in casu habet propositum virtuale, & implicitum, inclusum in ipso dolore formali de peccatis commissis; censeturque sufficienter dispositus (quantum est ex hoc capite) ad recipiendam absolutionem Sacramentalem; ut proinde tali casu subintret, & valeat illud: *Taciti, & expressi eadem est efficacia*.

Debet 3. propositum esse *universale respectu mortalium*. Ratio patens est; quia homo tenetur se velle conservare in amicitia Dei, in quam beneficio absolutionis super peccatis prolatæ reassumitur: atqui hoc fieri nequit, nisi proponat imposterum evitare omnia mortalia, ita, ut ad nullum eorum retineat affectum aliquem, actualem, habitualem, aut interpretativum: cum unum absque altero remitti nequeat; ergo &c.

Dixi: *respectu mortalium*. Nam respectu venialium sufficit propositum particulare, respiciens aliqua (vel etiam unum duntaxat) serio emendanda: siquidem remissio unius, vel aliquorum venialium componi potest cum affectu etiam actuali ad alia; eo quod venialia hominem non excludant ab amicitia Dei, sicut excludunt mortalia: quare sicut ex tacta ratione non tenemur dolere de omnibus venialibus, neque omnia confiteri; ita neque tenemur universale de illis imposterum evitandis propositum habere. Sed contra hactenus dicta

502. Objicies primo. Trid. *Sess.*14. *cap.*4. ait, attritionem disponere ad gratiam, *si voluntatem peccandi excludat*: sed hoc facit dolor efficax, & incompossibilis cum omni peccato, etiam elicitus ab eo, qui hic, & nunc cogitat de vita futura, tametsi hanc emendare formaliter, & explicite non proponat; ergo etiam tali casu dolor ille disponit ad gratiam, licet non sit connexus cum formali, & explicito proposito: consequenter propositum nec tali casu, adeoque nec per se loquendo, necessario debet esse formale, & explicitum.

Respondetur, doctrinam Concilii de attritione in specie, in quantum dubia est, debere explicari per præmissam doctrinam de dolore, & contritione in genere: cum igitur ibi (secundum dicta superius) requirat formale, & explicitum propositum; hic quoque in subsequenti doctrina de attritione in specie ita explicandum est, ut velit excludi voluntatem peccandi per formale, & explicitum propositum non peccandi de cetero. Atque hinc patet, quomodo ad object. in forma, respondendum sit.

503. Objicies secundo. Si ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficeret aliquando (nempe per accidens) propositum virtuale, contentum in dolore, etiam aliquando sufficeret dolor virtualis, contentus in formali proposito: sequela autem adversatur dictis *num.* 494. ergo &c.

Respondetur, neg. seq. & suppositum, quod propositum secundum se, etsi formale sit, dolorem virtualem contineat; ad hoc enim requireretur, ut se extenderet virtualiter ad peccata præterita, qualiter tamen se non extendit: prout patet in exemplo v. g. de senibus, qui sæpe proponunt, non amplius intemperanter bibere, ob metum morbi, aut mortis, quin eis displiceant compotationes, in juventute exercitæ. At vero dolor formalis, & efficax includit propositum virtuale; quoniam se extendit etiam ad peccata futura.

504. Objicies tertio. Tridentinum indefinite ad Sacramentum Pœnitentiæ requirit voluntatem non peccandi de cetero, in qua consistit propositum, nec ullibi distinguit inter venialia, & mortalia; ergo si propositum debeat esse universale respectu mortalium, etiam debebit esse tale respectu venialium.

Respondetur, neg. conf. vel claritatis gratia dist. Debebit esse tale respectu venialium, a quibus pœnitens desiderat absolvi, con. a quibus non desiderat absolvi, neg. con. Ad confessionem mortalium requiritur propositum (idem cogita de dolore) simpliciter, & absolute universale; ad confessionem vero venialium universale secundum quid, & respective tantum, quatenus pœnitens debet habere voluntatem non amplius committendi ullum ex illis peccatis venialibus, quæ hic, & nunc confitetur in ordine ad absolutionem super iis obtinendam. Quod ipsum propositum tamen dicitur, & est particulare; quoniam non necessario se extendit ad evitanda illa quoque venialia, quæ pœnitens non confitetur; vel confitetur quidem, seu enarrat in confessione, quin tamen eorum absolutionem desideret, aut sperare possit. Ex quibus patet mens Concilii indefinite loquentis. Ita insinuat Michel *de Sacram. Pœnit. fol.*330. *n.*20.

505. Dico secundo. Propositum vitandi peccata non debet necessario se extendere (1.) ad vitandas occasiones peccandi remotas; bene vero (2.) ad vitandas proximas, per se loquendo. DD. communiter.

Probatur prima pars: quia illiusmodi obligatio esset nimium difficilis, atque de re moraliter impossibili; cum vix aliquid in hoc universo reperiatur tam bonum, & sanctum, quod non possit nobis præbere occasionem peccandi: unde & fieret, ut plerique homines tenerentur suum statum mutare, seque in monasteria, & eremos abdere; imo cum nec in istis occasiones peccandi desint, omnino de hoc mundo exire, ut loquitur Apostolus 1. *Cor.* 5. Quare absolvi citra dubium potest, & debet, qui non proponit deserere militiam, mercaturam, aliasque id genus occasiones remotas peccandi.

Probatur quoque secunda pars. Eodem præcepto, quo tenemur vitare peccata, tenemur etiam vitare occasiones proximas peccandi; ergo quale tenemur habere propositum vitandi peccata, tale etiam tenemur habere vitandi occasiones proximas peccandi; ergo sicut respectu peccatorum mortalium vitandorum tenemur habere propositum universale simpliciter, & respectu venialium universale secundum quid (ex dictis *n. preced.*) ita & respectu occasionum peccandi &c. Ant. ostenditur ex illo Ecclesiastici 3. *v.* 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*: & moraliter censetur quasi idem voluntarie se conjicere in periculum peccandi (quale affert occasio proxima peccandi) ac reipsa peccare.

Dixi autem in conclusione: *per se loquendo*, ut indigitarem, non deesse casus, in quibus propositum non peccandi se non necessario extendere debeat ad vitandas occasiones proximas peccandi: prout ex professo ostensum, & declaratum ibimus infra *c.*3. *art.*3. §. 1.

§. III.

Proponuntur, & resolvuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

506. *Nulla contritio sufficere potest ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, nisi etiam sufficiat ad ejus effectum &c.* 507. *An contritio debeat referri ad confessionem, &* quali-

qualiter? 508. *Non debet eadem necessario præcedere; idque verum est* 509. *etiamsi illa confessio præcedens non fuerit vera, & Sacramentalis accusatio, sed solum narratio quasi historica peccatorum.* 510. *Si contritio præmittatur confessioni, quanto tempore eam antecedere possit?* 511. *Una, eademque contritio sufficit ad duo, vel plura numero Sacramenta Pœnitentiæ: quæ tamen sententia* 512. *non est moraliter certa; adeoque nec secure practicabilis &c.*

506. QUæres primo, an aliqua contritio sufficere possit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, qoin sufficiat ad ejus effectum; atque adeo an Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, & informe?

Antequam ad hanc quæstionem, apod Scholasticos valde celebrem, respondeatur, sciendum est, duas circa eam esse sententias e diametro sibi oppositas. Una docet, quod possit elici dolor ex motivo particulari se non extendente ad omnia mortalia, sed tantum ad exposita in confessione (ut si Cajus doleat de peccato fornicationis ob specialem ejus turpitudinem, & illud confiteatur, invincibiliter immemor furti a se patrati) qui dolor sufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, tametsi non sufficiat ad ejus effectum, seu gratiam conferendam; adeoque Sacramentum sit quidem validum, sed informe. Altera sententia id negat, docetque, dolorem nunquam sufficere ad Sacramenti valorem, nisi etiam sufficiat ad ejus effectum, seu gratiam conferendam; proindeque Sacramentum Pœnitentiæ nullo unquam casu posse consistere validum, nisi etiam sit formatum. Primam sententiam tenent Capreolus, Paludanus, Gonet, Contenson, Valentia, Toletus, Lugo, Dicastillo &c. Alteram tuentur Scotus *in 4. dist. 1. q. 5.* Mastrius, Bosco, Herincx, & Scotistæ communiter: quibuscum faciunt Sanct Gallenses, Vasquez, Amicus, Palao, Layman, Haonoldus, & alii quam plurimi. Nunc

Respondetur ad quæst. cum secunda sententia, dabilem non esse dolorem (idem cogita de proposito) qui sufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & non etiam ad ejus effectum; adeoque hoc Sacramentum nunquam posse esse validum, & informe. Fundamenta nostræ responsionis probativa sumuntur ex Concil. Trid. Primum est: quia Concil. *Sess. 14. c. 3. de Pœnit.* prorsus nullum facit discrimen inter dolorem requisitum ad valorem, & requisitum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ; imo ait, rationem, quare actus contritionis dicatur pars hujus Sacramenti, esse hanc, quod requiratur ad plenam remissionem peccatorum. Confir. Item Concil. *loc. cit.* inquit, hunc, & non alium actum, esse quasi materiam hujus Sacramenti; ergo ista sola contritio est pars, & materia Sacramenti Pœnitentiæ, quæ requiritur ad remissionem peccatorum, seu effectum ipsius: atqui pars, & materia Sacramenti requiritur etiam ad valorem Sacramenti: quia omnis pars requirit ad plenam constitutionem totius; ergo &c. Secundum fundamentum est: qoia Trident. *ead. Sess. 14. cap. 4.* ad Sacramentum Pœnitentiæ requirit odium veteris vitæ, & projectionem omnium iniquitatum; nec verbolo insinuat, tantum projiciendas esse iniquitates, quarum quis recordatur, sicut tamen dicit, eas tantum esse in confessione exponendas; ergo vult, omnes omnino esse projiciendas: atqui hoc fieri non potest, nisi per dolorem universalem, ad omnia prorsus peccata (mortalia) se extendentem; ergo &c. Confirmatur. Eadem S. Synodus *loc. cit.* ad Sacramentum Pœnitentiæ non minus requirit universalitatem, ac supernaturalitatem contritionis; cum æque necessariam esse tradat contritionem, quæ sit *projectio omnium iniquitatum*, ac quæ sit *donum Dei*, & *impulsus Spiritus Sancti*: sed supernaturalitas contritionis necessario requiritur non modo ad effectum, verum etiam ad valorem hujus Sacramenti; nec ulla hic excusat ignorantia, aut oblivio quantumcunque inculpabilis; ergo pariter universalitas contritionis &c.

Dices primo. Dolor conceptus ex speciali turpitudine peccati, v. g. luxuriæ, sufficit ad valorem Sacramenti; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. ant. Si pœnitens nullo alio peccato mortali gravatus sit, con. imo tunc ejusmodi dolor etiam sufficit ad fructum prædicti Sacramenti: secus, neg. ant. & cons.

Dices secundo. Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficit confessio formaliter integra (eorum scilicet peccatorum, quæ pœnitenti discussa conscientia occurrunt; non vero aliorum, quæ non occurrunt) ergo etiam sufficiet dolor formaliter integer &c.

Respondetur, hoc argumentum, a pari formatum, probare nimium: probat enim, dolorem formaliter integrum nedum sufficere ad valorem, sed etiam (contra Adversarios) ad fructum Sacramenti; sicut ad utrunque sufficit confessio formaliter integra. Concesso igitur antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas a priori est voluntas Christi Domini, requirentis, ut pœnitens doleat de omnibus omnino peccatis saltem mortalibus; non vero, ut omnia confiteatur, sed ea duntaxat, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt: prout supra *in fundament.* 2. ex Trident. attulimus. Ratio disparitatis congrua videtur esse, quod confessio materialiter integra quandoque impossibilis sit saltem moraliter; non item dolor materialiter integer &c.

Dices tertio. Alia Sacramenta possunt esse valida, & informia; ergo etiam Sacramentum Pœnitentiæ.

Respondetur neg. cons. Disparitas est: quia in aliis Sacramentis dispositio (excipe intentionem) non requiritur ad valorem, sed tantum ad effectum ipsorum: contra in Sacramento Pœnitentiæ dispositio (dolor) etiam requiritur ad valorem, cum sit pars intrinseca Sacramenti.

507. Quæres secundo, an contritio debeat referri ad confessionem, & qualiter?

Respondetur primo. Contritio aliquo modo ad confessionem referri debet. Communis, & certa Doctor. Ratio patens est: quia Sacramentum Pœnitentiæ requiris dolorosam peccatorum confessionem: sed nisi contritio referatur aliquo modo ad confessionem, hæc non habet, unde sit dolorosa; consequenter &c.

Respondetur secundo. Contritio non necessario debet explicite referri ad confessionem, & Sacramentum Pœnitentiæ in ipsa sui elicitione; seu non debet necessario elici ex intentione faciendæ confessionis, sed satis est, siquis doleat de peccatis expresse nihil cogitando de confessione peragenda: modo postea dolorem illum ad confessionem, & Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum assumat, ac referat. Responsio, sic proposita, videtur moraliter certa, non obstante, quod forte nonnullos habeat Adversarios. Ratio probativa promitur ex Trid. quod *Sess. 14. c. 4.* agens de contritione solum exigit, ut *sit a Spiritu Sancto, excludat voluntatem peccandi, & conjungatur cum spe veniæ*: atqui has conditiones contritio habere potest, etiamsi non eliciatur ex intentione expressa confitendi; adeoque in ipsa sui elicitione non referatur expresse ad confessionem, & Sacramentum Pœnitentiæ: sed postea primum; ergo &c. Itaque siquis audita concione v. g. compunctus dolorem eliciat, nihil signate cogitans de confessione facienda, & postea nactus occasionem ex desiderio obtinendæ veniæ confiteatur, nullo novo dolore elicito, sed priore duntaxat recogitato, & applicato, citra dubium rite confitetur, & Sacramentum tam valide, quam fructuose recipit, quando aliunde nihil deficit.

508. Quæres tertio, an contritio necessario debeat confessionem præcedere?

Respondetur negative; sed satis est, quod præcedat absolutionem. Est itidem communis, ac moraliter certa sententia; quamvis & ipsa nonnullos habeat Adversarios. Ratio est: quia absque præmissa contritione potest esse confessio, seu accusatio Sacramentalis; ergo non apparet, cur contritio confessionem præcedere debeat. Cons. patet, vel saltem patebit ex solutione argumenti. Ant. ostenditur. Possumus, & quandoque solemus in confessionali enarrare peccata nostra in ordine ad absolutionem obtinendam (ideoque cum intentione saltem implicita contritionis eliciendæ, cum sciamus sine contritione præhabita subsistere absolutionem non posse) antequam actu doleamus: atqui talis enarratio peccatorum (tametsi necdum sit confessio formaliter dolorosa, & materia proxima absolutionis) est confessio, & accusatio Sacramentalis, etiam in casu, quo ob defectum doloris, propositi &c. absolutio

non

non subsequitur; cum peccata sic enarrata vere cadant sub sigillum confessionis Sacramentalis; ergo absque præmissa contritione potest esse, & haberi confessio, seu accusatio Sacramentalis; consequenter &c. Confirmatur ex praxi conscientiosorum, & peritorum Confessariorum, qui in pœnitentibus post enarrata peccata doloris defectum observantes, ad hunc illos disponunt, quin peccata denuo recenseri jubeant, aut interrogent, an dolentes iterum se in genere saltem de iis accusent? quod tamen facere deberent, si necesse foret, ut contritio confessionem antecedat; ergo &c.

Dices. Sacramentalis confessio debet esse dolorosa; dolor quoque debet esse sensibilis: sed neque confessio est dolorosa, neque dolor fit sensibilis, nisi iste illam præcedat; ergo &c.

Respondetur, neg. min. quoad utramque membrum, Nam in primis confessio est adhuc dolorosa, quatenus fit ex intentione obtinendi absolutionem Sacramentalem tanquam finem; quæ intentio cum sit simul voluntas faciendi necessaria, & requisita ad absolutionem obtinendam, est etiam voluntas debito modo dolendi. Porro dolor fit sensibilis per confessionem ratione concomitantiæ, & moralis conjunctionis cum illa, sive dein eam præcedat, sive subsequatur; hoc solum discrimine, quod, si præcedat, fiat sensibilis per confessionem, ceu effectum; si vero subsequatur, fiat sensibilis per eandem, ceu causam.

509. Sed quid si narratio peccatorum præcedens, non fuisset vera confessio, & accusatio Sacramentalis (ut siquis historice tantum, vel omnino vane, & ridicule Confessario exposuisset seriem peccatorum suorum) sufficeretne nihilominus contritio subnexa?

Respondetur affirmative. Ita cum communi. Suarez *de Pœnit. disp. 20. sect. 4. num. 31.* ubi sic habet: *Licet peccatorum narratio, quatenus tempore antecessit contritionem, non habuerit consuetam rationem accusationis, tamen quatenus postea informatur per sequentem contritionem, & ut sic informata subjicitur clavibus ab ipsomet pœnitente, postulante, & expetente absolutionem, sufficienter consummatur in ratione accusationis Sacramentalis.* Rationem dat P. Sporer *num. 295.* Quia dolor verus subsequens moraliter retrotrahitur ad narrationem illam, antea factam, eamque præsentem reddit, & elevat ad rationem confessionis Sacramentalis, ac dolorosæ; sicque pœnitentem ad effectum absolutionis percipiendum disponit.

510. Quæres quarto, si contritio præmittatur confessioni (sicut consulto, & plerumque fit) quanto tempore eam antecedere possit?

Respondetur cum communi, non posse antecedere longiori tempore, quam illo, quod sufficit, ut moraliter censeatur unus actus ab altero imperari, & facere moraliter unum cum eo. Ratio patet: quia Sacramentum est totum quoddam morale; ergo ipsius partes non possunt ab invicem distare longiori tempore, quam eo, per quod salvatur moralis illarum conjunctio. Ceterum pro praxi statuere, quantum sit, aut esse possit hoc ipsum tempus, quocum moralis inter dolorem, & confessionem conjunctio stare queat, non ita facile est. Placet judicium Dianæ *part. 5. tr. 14. resol. 67.* Tamburini *lib. 1. de Confess. capit. 2. §. 4. num. 5.* Sioz *lib. 1. part. 2. num. 52.* & aliorum, decidentium, dolorem duabus, vel tribus horis, imo & integro die, ante confessionem elicitum, adhuc sufficienter cum eadem confessione conjungi, supposito, quod nullo actu contrario sit revocatus. Unde si heri elicueris dolorem cum proposito hodie confitendi, dum hodie confiteris, non indiges novo dolore. Atque hanc sententiam tuto practicabilem censeo; esto suadeam, ut pœnitens dolorem inter, & confessionem brevius intervallum, quam integri diei, si commode fieri possit, interponat.

511. Quæres quinto, an una, eademque contritio, (& propositum) ad duo (vel plura) numero Sacramenta Pœnitentiæ sufficere possit?

Respondetur, quod possit (1) si contritio adhuc physice perseveret tempore utriusque confessionis; imo (2) etiamsi solum moraliter perduret. Prima pars est communis, & certa. Alteram tenent Card. de Lugo, Joannes Bosco, La Croix *lib. 6. part. 2. n. 707.* & alii quam plurimi contra alios infra referendos. Ratio primæ partis est: quia tunc illa contritio æquivalet duabus (vel pluribus) numero contritionibus, & materiis partialibus; sicut hæc forma absolutionis: *Ego vos absolvo a peccatis vestris:* æquivalet duabus (vel pluribus) numero formis, secundum communem; si ergo duo (vel plura) Sacramenta Pœnitentiæ non requirant dualitatem (vel pluralitatem) physicam formarum, neque requirent dualitatem (vel pluralitatem) materiarum partialium, quales sunt plures entitative, & numero distinctæ contritiones. Ratio secundæ partis est: siquidem ad obtinendam absolutionem non requiritur, nisi confessio dolorosa; ergo ubi fit duplex confessio dolorosa, ibi duplex potest impertiri, & obtineri absolutio. Atqui in casu fit duplex confessio, ut supponitur, eaque dolorosa, si dolor, seu contritio tempore utriusque confessionis moraliter perduret; ergo &c. Confirmatur. Finis, ob quem in Sacramento Pœnitentiæ requiritur contritio, est, ut per ipsam confessio fiat dolorosa, & retractatoria peccatorum, sed iste finis potest obtineri etiam per contritionem physice quidem præteritam, moraliter tamen adhuc durantem; ergo &c.

Dices, Novum compositum requirit novas partes: sed cum pœnitens de novo confitetur, & absolvitur, fit novum compositum: quoniam fit novum, seu aliud numero Sacramentum; ergo requiruntur novæ partes &c.

Respondetur, dist. maj. Novum compositum physicum, trans. Morale, subdist. requirit novas partes, vel formaliter, & entitative, vel virtualiter, & applicative, con. semper formaliter, & entitave, neg. maj. & concessa minore, quod fiat novum compositum, videlicet morale, dist. cons. Ergo requiruntur novæ partes, vel formaliter, & entitative, vel virtualiter, & applicative, con. semper entitative, & formaliter, neg. cons. Compositum morale, quale est Sacramentum, non requirit ad sui duplicationem, vel pluriticationem omnes partes entitative, & formaliter novas, sed quandoque etiam sufficiunt virtualiter, & applicative novæ; prout evenit hic cum dolore, qui, si adhuc perseveret, & per novam confessionem applicetur (in quantum scilicet per illam redditur de nov sensibilis) fit applicative novus, & virtualiter duplex, atque adeo sufficiens ad duo numero composita Sacramentalia constituenda.

Instabis. Ad novum Sacramentum Pœnitentiæ necessaria est nova entitative confessio, ergo etiam nova entitative contritio; cum hæc non minus, ac illa, sit pars, & materia proxima dicti Sacramenti.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est, nam licet tam contritio, quam confessio, sit pars, & materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ (prout dicitur in ratione probativa consequentis) longe tamen diverso modo se habet una, ac altera. Cum enim hoc Sacramentum sit institutum per modum judicii, confessio est necessaria, ut tanquam accusatio, & testificatio una cum absolutione, seu sententia judicis, constituat processum judicialem Sacramentalem, qui non potest esse novus, nisi commemorati actus sint entitative novi. Contritio autem ideo solum est necessaria, ut peccatum sit retractatum, & reus venia dignus, atque dispositus ad reconciliationem cum Deo: qui finis per unicam entitative contritionem, dummodo saltem moraliter adhuc perseveret, & per novam confessionem iterato applicetur, obtineri potest, respectu duorum, vel plurium Sacramentorum Pœnitentiæ. Aliam adhuc disparitatem videre potes apud Pater Mezger *tract. 18. disput. 46. art. 4. num. 9.* & P. Babenstuber *tract. 8. part. 6. disputat. 4. art. 3. num. 5.*

512. Sed petes, an nostra sententia, & resolutio sit moraliter certa, atque ideo citra peccatum practicabilis?

Respondetur negative. Ita P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 711. & seq.* P. Herzig *in Manual. Confessar. part. 2. cap. 3. num. 62.* & alii. Ratio est: quia opposita sententia est probabilis tam inquam extrinsece; ergo nostra non potest dici moraliter certa; consequenter cum minus sit tuta, ac opposita, & concernat valorem Sacramenti, non potest licite practicari extra casum necessitatis, ob *prop. ord. 1. inter 65. ab Innoc. XI. damnatas*, juxta quam illicitum est sequi opinionem probabi-

babilem (vel etiam probabiliorem, aut probabilissimam, ex dictis *part.1.n.150.*) tutiore relicta in Sacramentis, ubi de valore agitur. Ant. autem ostenditur. Nam in primis ea sententia est intrinsece probabilis; cum innitatur fundamentis non spernendis, quorum duo a nobis adducta sunt, & probabilius quidem, non tamen evidenter soluta, aut enervata. Extrinsece probabilis est eadem sententia; quia nititur authoritate gravium DD. qui eam docent ut probabilem, vel etiam ut probabiliorem: quemadmodum docent Vasquez, Bonacina, Amicus, Mastrius *in 4. disp.5.n.338.* & alii apud ipsum. Nec dicas cum P. Viva *super cit. prop. n.26. in fin.* nostram sententiam esse certam ex praxi Confessariorum. Contra enim est, neg. assumpt. Nam peritorum Confessariorum praxis potius facit in contrarium, utpote qui a pœnitentibus, unum, vel alterum mortale confiteri oblitis, & post jam acceptam super aliis absolutionem primum recordatis, atque ideo pro nova confessione ad confessionale reversis, novum dolorem, & propositum exigere, novamque imponere satisfactionem solent. Ita excepi ex ore plurium, quos desuper ex professo interrogavi. Horum proin exemplar & tu imitare (prout facile poteris) nisi Sacramentum periculo frustrationis citra necessitatem exponere malis, non sine gravi peccato sacrilegii. Revide, quæ diximus *part. 1. num. 188.*

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Contritionem perfectam.

Contritio generice sumpta (de qua *art.præced.*) dividitur in *perfectam*, & *imperfectam*. Prior (solet non raro vocari per antonomasiam simpliciter *contritio*) est *dolor, & detestatio peccati ex amore Dei super omnia dilecti*, posterior (solet communiter nominari etiam *attritio*) est *dolor, & detestatio peccati ex inferiori quodam motivo, supernaturali tamen, & honesto*. De contritione perfecta in hoc articulo; de imperfecta vero in articulo proxime secuturo disseremus. Sit igitur

§. I.

An perfecta contritio necessario præsupponat actum Charitatis formalem?

SUMMARIUM.

513. *Status quæstionis exponitur.* 514. *Statuitur conclusio negativa.* 515. & *seqq. Diluuntur opposita.* 518. *Subnectitur corollarium.*

513. Status quæstionis est, an perfecta contritio prærequirat non tantum motivum (prout in illius descriptione insinuavimus, & infra *cap.4.* in Casu probaturi sumus) sed etiam actum formalem Charitatis ita ut non sufficiat amor virtualis Dei super omnia, inclusus in efficaci detestatione peccati ex motivo Divinæ Bonitatis? Pro quo

514. Dico. Ad perfectam contritionem non prærequiritur necessario formalis actus Charitatis, sed sufficit virtualis. Ita Scotus in 4. *dist.* 14. *q.* 2. Mastrius *in 4. disp. 5. n.* 88. Braneatus, Frassen, Hermann, Herincx, Sporer, Panger, & alii Scotistæ passim, quibus adstipulantur multi extra Scholam Scoti; prout videre est apud Mastrium.

Probatur primo. Sacræ Paginæ sæpe promittunt justificationem pœnitentibus, & contritis, quin faciant mentionem de actu charitatis, nempe formali, & diverso ab actu contritionis; ergo signum est, quod actus contritionis, etiam perfectæ, & sine Pœnitentiæ Sacramento justificativæ, non necessario prærequirat, & præsupponat actum formalem Charitatis. Ant. ostenditur: *Ezechiel:* 33. *v.* 12. dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et *Psal.* 31. *v.* 5. *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Item 2. *Regum* 12. *v.* 13. *Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum;* ergo &c.

Probatur secundo hac ratione. Peccatum mortale avertit hominem a Deo per odium virtuale Dei; ergo etiam perfecta contritio hominem convertit ad Deum per amorem virtualem Dei.

Respondent Adversarii, negando suppositum consequentis, quod dabilis sit perfecta contritio sine formali amore Dei. Sed

Contra est. Potest peccator considerare peccatum, tanquam Divinæ Bonitati summe repugnans, illudque ut tale repræsentare voluntati, quin apprehendat explicite Deum, tanquam super omnia amandum; ergo potest tunc perfecte detestari peccatum sine formali amore Dei; & consequenter sine isto elicere contritionem perfectam: id quod amplius patescet ex dicendis.

515. Objicies primo. in S.Script. *Luc.7.v.47.* de pœnitente Magdalena pronunciat ipsa Veritas: *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum &c.* Et *1.Joan.3.v.14.* scribit Apostolus: *Qui non diligit, manet in morte*, scilicet peccati mortalis; ergo ad justificationem, & perfectam contritionem prærequiritur actus Charitatis, & dilectio Dei.

Respondetur, dist.cons. prærequiritur actus Charitatis, qui sit formaliter talis, & ab actu contritionis entitative diversus, neg. qui sit virtualiter talis, & (secundum dicenda inferius) in ipsa contritione involutus, & situs, concedo consequentiam. Porro textus Apostoli aliter adhuc exponi potest: veluti iisdem infra videbimus. Sed

Instabis. Saltem illa verba, ad Magdalenam pronunciata, denotant actum Charitatis formalem; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. vel dist. Denotant actum Charitatis formalem, tanquam necessarium ad substantiam contritionis perfectæ, neg. tanquam necessarium, vel facientem ad majorem præstantiam contritionis perfectæ, con. ant. & neg. cons. Utique formalis actus Charitatis, prævie elicitus, confert ad majorem præstantiam contritionis perfectæ; non tamen ad hujus substantiam necessarius est.

516. Objicies secundo. Deus super omnia dilectus necessario importat, aut connotat formalem sui dilectionem; sicut v.g. clare visus formalem sui visionem: sed perfecta contritio est dolor de peccato propter Deum super omnia dilectum; veluti patet ex illius descriptione, initio hujus articuli allata; ergo perfecta contritio necessario importat, aut connotat formalem Dei dilectionem, & actum Charitatis.

Respondetur, dist. maj. Deus super omnia dilectus formaliter, con. Et sic tenet assumpta paritas, dilectus virtualiter, neg. maj. Sed perfecta contritio est dolor de peccato propter Deum super omnia dilectum vel formaliter, vel virtualiter, con. propter Deum super omnia dilectum formaliter tantum, & determinate, neg. min. & cons.

517. Objicies tertio. Objectum, quod movet voluntatem sub ratione boni, movet prius natura ad actum sui prosecutivum, seu primarium, quam ad actum aversivum mali oppositi, qui est secundarius: sed Divina Bonitas est objectum, quod movet voluntatem, ad concipiendam de peccatis contritionem perfectam, sub ratione boni; ergo movet prius natura ad actum sui prosecutivum, seu primarium, quam ad actum aversivum mali oppositi, qui est secundarius. Atqui actus ille prosecutivus, & primarius est formalis amor, & dilectio Dei super omnia; aversivus vero, & secundarius, perfecta contritio de peccatis; ergo Divina Bonitas voluntatem prius natura movet ad illum, quam ad istum: consequenter &c.

Confirmatur. Contritio non detestatur peccatum præcise quia malum est, sed quia Dei malum est, seu Divinæ Bonitati oppositum: atqui hoc fieri nequit, nisi Deus prævie ametur amore formali; ergo &c.

Respondetur argum. dist. maj. Si illud objectum ab intellectu prius natura proponatur ut objectum *quod*, & explicite ut prosequendum, atque a voluntate ut tale assumatur, con. si tantum proponatur, & assumatur ut objectum *quo*, neg. maj. Sed Divina Bonitas est objectum, quod movet voluntatem, ad concipiendam de peccatis contritionem perfectam, sub ratione boni, & in eum finem necessario proponitur,

nitur; atque assumitur priore modo, neg. posteriore modo, con. minor. & sub data distinctione, conf. & neg. conf. tam hanc, quam alteram in subsumpto formatam,

Ad confirmat. neg. min. Siquidem actus contritionis quamvis peccatum dicto modo detestetur, non tamen idcirco convincitur necessario tendere directe in Deum tanquam in objectum *quod*; sed ipsum, ejusque Bonitatem essentialem solum respicit tanquam objectum *quo*, & motivum, seu rationem proximam detestandi peccatum: quod fieri potest, tametsi formalis amor Dei non præcedat.

518. Colliges, in contritione perfecta includi saltem virtualiter amorem Dei super omnia; & in amore Dei super omnia includi virtualiter contritionem, Ratio primi est: quia qui peccatum detestatur per contritionem perfectam ut repugnans Bonitati Dei, ejusque amicitiæ, ita affectus est, ut, si Deus ut amandus occurreret, statim excitaretur ad formalem ejus amorem ex vi detestationis, qua fertur in peccatum. Dixi: *saltem virtualiter*, Nam Card. de Lugo apud Mastrium, & nonnulli alii putant, ipsam contritionem esse simul formalem Dei amorem, si non in modo tendendi, saltem in re ipsa; eo quod non sit minus amare, nolle alicui malum, quia malum ipsius est, quam velle ei bonum, quia bonum ipsius est. Ratio secundi est: siquidem amor Dei super omnia est adeo perfectus, & efficax, ut ex vi illius moveretur homo ad formalem detestationem peccatorum, si id menti occurreret; nam qui aliquem perfecte, & efficaciter amat, ex vi talis amoris nititur, quantum potest, destruere, vel amoliri omne id, quod illis displicere novit,

§. II,

Proponuntur, & resolvuntur alia Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

519. *Contritio perfecta essentialiter differt ab imperfecta.* 520. *Quid sentiendum de hac dolendi formula:* Summe doleo, quod D. Deum meum offenderim? 521. *Contritio perfecta non necessario debet excludere venialia.*

519. QUæres primo, an contritio perfecta sit actus essentialiter diversus a contritione imperfecta, seu attritione?

Respondetur cum communi affirmative. Ratio est: quia per se primo respiciunt motiva essentialiter diversa, prout insinuatum est in utriusque descriptione supra initio articuli allata. Sed

Dices primo. Perfectum, & imperfectum non differunt essentialiter, ut patet in viro, & puero: atqui contritio perfecta, & imperfecta se habet tanquam perfectum, & imperfectum, prout liquet ex terminis; ergo &c.

Respondetur, majorem solummodo esse veram de contentis intra eandem speciem infimam; ut in exemplo de viro, & puero, aliisque similibus: non vero de non contentis intra eandem speciem infimam; contritio autem perfecta, & imperfecta, cum respiciant per se primo motiva specie diversa (ut dictum) non continentur intra eandem speciem infimam: consequenter &c.

Dices secundo. Homo ex attrito potest fieri contritus, prout loqui amant Theologi; ergo attritio, seu contritio imperfecta potest fieri contritio; ergo ab hac non distinguitur essentialiter.

Respondetur, explic. & dist. ant. ac primum conf. Idque verum est formaliter, & entitative, quasi unus actus reipsa possit migrare in alium, neg. virtualiter, & æquivalenter, quatenus attritio, seu contritio imperfecta in Sacramento non minus tribuit effectum remissionis peccatorum, quam contritio perfecta, con. ant. & primam conf. at nego alteram.

520. Quæres secundo, quid sentiendum de hac dolendi formula satis usitata: *Ex toto corde, & summe doleo, quod Dominum Deum meum offenderim?*

Respondetur, speculative loquendo, & in abstracto, ac juxta sensum grammaticalem verborum, memorata formula non exprimit dolorem ex motivo charitatis erga Deum ut summum bonum; sed tantum dolorem, ex motivo Religionis, & Pœnitentiæ, ob offensam, vel injuriam Dei supremi Domini nostri conceptum: & consequenter ut sic non explicat contritionem perfectam. Nihilominus practice, & in concreto, spectando illa verba, prout substant serio, & fervido affectui proferentis, eadem formula ordinarie continet perfectam contritionem: quia sic serio loquentes, vel cogitantes boni Christiani non solent in peccatis apprehendere, vel considerare offensam Dei tanquam formalem injuriam Dei ut supremi; sed tanquam molestiam, exarcebationem, & displicentiam, quam quodammodo attulerant Deo ter optimo, & super omnia diligendo. Ita P. Sporer *n.* 131. bene distinguit, ut, tam speculative, quam practice, bene doceat.

521. Quæres tertio, an contritio perfecta qua talis necessario debeat excludere peccata venialia?

Respondetur negative. Ita DD. communiter supponunt potius, quam probent. Ratio est: quia ad contritionem, etsi perfectam, non requiritur amor intensissimus, vel perfectissimus (qui utique cum peccatis venialibus incompatibilis est) sed tantum requiritur amor, quo impletur quoad substantiam primum mandatum diligendi super omnia, seu ex toto corde (in sensu exposito *part.* 2. *numer.* 135.) talis autem amor est actus, qui quidem non ipse adhæreat objecto venialiter malo (alias ipse esset intrinsece malus, & non esset actus Theologicus) sed tamen stare possit cum alio actu, tale objectum amplectente, adeoque venialiter peccaminoso; ergo &c.

Confirmatur primo. Peccata venialia non sunt opposita legibus amicitiæ inter Deum, & hominem, nec excludunt amicitiam Dei; ergo non apparet, cur stare non possint cum amore amicitiæ inter Deum, & hominem, atque cum contritione perfecta, talem amorem, saltem virtualem, præsupponente.

Confirmatur secundo. Si sententia opposita vera foret, homines, saltem de plebe communi, non facile elicerent contritionem perfectam; quia, communi virtute contenti, non ita facile excludunt efficaciter affectus venialiter malos; ergo &c.

A R T I C U L U S II.

Expediuntur, quæ concernunt Contritionem imperfectam, seu Attritionem.

§. I.

An Attritio ex motivo spei, turpitudine peccati, aut gehennæ pœnarumve metu concepta, sit actus laudabilis, & honestus?

S U M M A R I U M.

522. *Assignantur motiva attritionis; &* 523. *triplex timor.* 524. *Attritio, sive ex spe præmii, sive ex turpitudine peccati, concepta, est actus honestus.* 525. *Solvitur objectio.* 526. *Etiam attritio, ex metu gehennæ, & pœnarum concepta, est actus honestus.* 527. *& seqq. Diluuntur argumenta contraria.* 531. *&* 532. *Subjunguntur pro majori dictorum dilucidatione duo corollaria.*

522. PRænotandum primo, triplicem attritionem, seu contritionem imperfectam adstrui a Theologicis, ex mente Tridentin *Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 4. *& can.* 5. Una est, quæ concipitur ex motivo Spei, aut alterius virtutis Charitate inferioris; ut siquis de peccatis doleat, eo quod privent gratia, & gloria, aliisque bonis, donis, ac beneficiis supernaturalibus. Altera est, quæ concipitur ex turpitudine peccati, prout opposita honestati morum, aut rectæ rationi per fidem Divinam regulatæ. Tertia est, quæ concipitur ex metu gehennæ, & pœnarum, ut a Deo, malorum Vindice, inflictarum, aut infligendarum propter peccata.

523. Prænotandum secundo, metum, seu timorem (subintellige supernaturalem, saltem ex parte objecti) itidem distingui, ac dividi in triplicem, nempe in *filialem*, *simpliciter servilem*, & *serviliter servilem*. Timor filialis, filiorum proprius, est, qui ex amore benevolentiæ, aut filiali reverentia erga Deum, ut

amandissimum Patrem, & optimum Principem, oritur, magisque horret culpam, & Illius offensam, quam pœnam. Timor simpliciter servilis, famulorum proprius, est, qui ex amore concupiscentiæ erga Deum, ut æquissimum Redditorem, ac Dominum procedit, magisque horret pœnam, vel jacturam mercedis, quam culpam, ita tamen, ut hujus omnem affectum excludat. Timor serviliter servilis, servorum, seu mancipiorum proprius, est, qui ex solo pœnarum horrore erga Deum ut formidabilem Herum, ac Vindicem concipitur, nec vitat culpam, nisi propter castigationem, aut pœnam; unde non excludit omnem affectum ad illam, sed continuo fovet inefficacem ut minimum, & conditionatam voluntatem peccandi, si nimirum nulla idcirco pœna luenda foret: qui proinde timor, ceu moraliter malus, & peccaminosus, nunquam sufficit, in ratione motivi, ad justificationem peccatoris. Unde quæstio non procedit de attritione ex tali timore concepta. His tanquam certis, & principiorum loco opportune præmissis, ad resolvendam quæstionem progredior, &

524. Dico primo. Attritio, sive (1) ex spe præmii; sive (2) ex turpitudine peccati, concepta, est actus laudabilis, & honestus. Ita communis DD. Catholicorum.

Probatur primo prima pars ex S. Script. in qua *Ps.* 118. *v.* 112. canit Propheta: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* *Matth.* quoque 3. *v.* 2. Præcursor Veritatis, imo & ipsa Veritas *capit. seq. v.* 17. pro motivo pœnitentiæ proponit spem præmii, ac regni, cœlorum hisce verbis: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*; haud sane proponendam, nisi actus ex illa conceptus, salutaris, & honestus esset; ergo &c. Unde Alexander VIII. damnavit hanc *prop. ord.* 10. *Intentio, qua, quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec placens Deo.* Item istam *ord.* 13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

Probatur secundo secunda pars ex Trid. *Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 4. *& can.* 5. ubi definit; *illam quoque contritionem imperfectam, sive attritionem, quæ ex turpitudinis peccati consideratione concipitur; aut ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem &c. cum proposito melioris vitæ, esse verum, & utilem dolorem, donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, & præparare ad gratiam, nec facere hominem hypocritam, & magis peccatorem &c.* Unde damnata est ab Alexandro VIII. hæc *prop. ord.* 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Porro Catechismus Tridentini *part.* 2. *hic n.* 44. inter alias hujus doloris, & odii salubriter concitandi motiva, etiam peccati summam fœditatem, & turpitudinem recenset.

Probatur tertio utraque pars simul hac ratione. Actus virtutis Spei, aut alterius, licet Charitate inferioris, est haud dubie laudabilis, honestas, salutaris: sed attritio, concepta ex spe præmii, aut turpitudine peccati, est actus, saltem imperatus, virtutis Spei, aut alterius, Charitate inferioris, cui nimirum formaliter opponitur illa turpitudo, per fidem cognita, & regulata; ergo attritio, concepta ex spe præmii, aut turpitudine peccati, est actus laudabilis, honestus, & salutaris.

526. Objices contra utranque partem conclusionis simul. Actus, qui procedit ex spe præmii, procedit ex amore proprio, ac propriæ commoditatis; & actus, qui elicitur ex consideratione turpitudinis peccati, habet motivum moraliter malum, turpitudinem scilicet, seu deformitatem, & malitiam moralem peccati; ergo neuter est laudabilis, & honestus.

Respondetur, neg. cons. Et ad primum antecedentis membrum ajo, non omnem amorem proprium, propriæque commoditatis, esse moraliter malum; aut inordinatum: cum Jure Divino, & naturali (nil utique moraliter malum, & inordinatum præcipiente) teneamur diligere nosmetipsos, sicut proximum, præsertim in spiritualibus: sed illum duntaxat, qui militat adversus legem Dei, ac ordinem charitatis, aut ita quiescit in bono proprio, ut non tantum præcisive, quemadmodum mera attritio, verum & positivè excludat ulteriorem illius relationem in Deum, tanquam ultimum finem. Ad alterum membrum ajo, quod talis attritio solum habeat motivum moraliter malum veluti in esse entis, & materialiter, non autem in esse objecti, & formaliter; cum non attingat illud modo morali, tet malo, & contra ullam legem, aut regulam morum.

526. Dico secundo. Etiam attritio, ex metu gehennæ, & pœnarum concepta, est actus laudabilis, honestus, & salutaris. Est itidem communis Catholicorum.

Probatur primo ex S. Script. in qua passim commendatur timor Dei servilis (simpliciter talis) aut pœnarum a Deo justo Judice, ac Domino infligendarum. Sic *Psal.* 118. *v.* 120. orat Propheta: *Confige timore tuo carnes meas! a judiciis enim tuis timui.* *Apocal.* etiam 14. *v.* 7. dicitur: *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit dies judicii ejus.* En! motivum quoddam servile. Tandem *Matth.* 10. *v.* 28. Christus ipse suadet: *Timete Deum, qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam*: atqui Salvator non suadet, nisi laudabilia, honesta, & salutaria; ergo &c.

Probatur secundo ex Trid, quod locis paulo ante *citt.* & *Sess.* 6. *de Justif. can.* 8. anathemate ferit illum, *qui dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere.* Unde Alexander VIII. confixit hanc *propos. ord.* 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis*: item ista *ord.* 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Probatur tertio ratione, sicut conclusio præcedens. Quotiescunque honesta, & salutaris est prosecutio boni, etiam honesta, & salutaris est, aut esse potest fuga, & timor mali eidem oppositi; cum hoc non attingatur, nisi ratione illius: sed prosecutio boni, & æternæ beatitudinis, seu actus Spei Theologicæ, & Juris Divini, est honesta, & salutaris; ergo etiam fuga, & timor mali eidem oppositi, gehennæ scilicet, aliarumque pœnarum, ac inde concepta attritio est, aut certe esse potest honesta, & salutaris.

527. Objicies primo. Timor servilis est turpis, & inhonestus: sed timor gehennæ, & pœnarum est servilis; ergo est turpis, & inhonestus: consequenter etiam dolor ex illo elicitus. Prob. maj. Nam timor servilis saltem virtualiter includit hunc affectum: *si peccatis non esset statuta pœna, peccarem*: qui indubie turpis, & inhonestus est.

Confirmatur. Taliter attritus, est paratus potius peccare, quam subire infernum, vel alias pœnas: sed hæc ipsa dispositio animi est mala; ergo &c.

Respondetur, ea, quæ in objectione dicuntur, esse vera de timore serviliter servili; non autem de timore simpliciter servili, ex quo procedit attritio. Revide dicta *in prænot.* 2.

Ad conf. neg. maj. quod scilicet attritus sit positive paratus ad peccandum, casu, quo infernum timere non deberet: aut quod positive dicat, vel statuat: *mallem potius peccare, quo infernum subire*, ab hoc secundo enim omnino præscindit; nec cogitat de illo casu, Neque obstat, quod attritus non elicitat hunc actum *mallem subiri infernum, quam peccare*; id enim ad attritionem, imo perfectam contritionem procurandam, non est necessarium.

Dices. Si non esset infernus, attritus non doleret; ergo habet illum affectum conditionalem.

Respondetur, dist. ant. Attritus non doleret, hoc est, ita comparatus est, ut aliter positive nolit dolere, neg. ut præscindat ab illa hypothesi, in qua forte non doleret, con. ant. & neg. cons. Nec refert, quod in illa hypothesi forte non doleret: quia voluntas conditionata habitualis nihil ponit in esse, nihilque confert ad meritum, vel demeritum; prout jam alibi insinuavimus. Quod autem memorata præcisio possit, imo debeat componi cum actu veræ attritionis; non item positiva voluntas aliter non dolendi, monstratur in exemplo; nam etiam, qui operatur ob consecutionem æternæ mercedis, præscindit, quid faceret, si cœlum non esset, & tamen operatur bene; operatur autem male, si positive decerneret, & diceret: *si cœlum non esset, nollem operari, seu implere præcepta Dei &c.*

428. Ob-

428. Objicies secundo. Qui detestatur peccatum propter gehennam, odit hanc, non illud: sed talis actus non est honestus; ergo &c. Maj. prob. Qui fugit viam propter lupos, odit hos, non illam; ergo a pari, qui fugit peccatum propter gehennam, odit hanc, non illud.

Respondetur, neg. maj. Odit enim utrunque, quamvis unum propter aliud; sive unum ut objectum materiale, & alterum ut objectum formale; sicut qui odisset Deum propter creatum infernum, odisset & Deum, & infernum. Unde ad prob. neg. ant. Siquidem & ille tam viam, quam lupos fugit, etsi in aliis circumstantiis, in quibus via non infestaretur a lupis, eam non fugeret.

Dices. Saltem taliter attritus magis odit gehennam, quam peccatum: sed hoc ipsum est Inordinatum, ergo &c. Min. prob. Est inordinatum detestari magis minus malum, quam majus malum, sed gehenna est minus malum, peccatum vero majus malum; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Taliter attritus odit magis gehennam positive, neg. aliquo modo præcisive, con. maj. & distincta sic minore, neg. conf. Ad prob. eodem modo dist. maj. &, concessa minore, conf. Positive magis odisset attritus gehennam, si positive paratus esset, potius eligere peccatum, quam gehennam: & hoc utique inordinatum esset. At vero attritus non est, nec esse debet ita animo comparatus; quia prius quidem odio habet gehennam; sed ab hoc odio determinatur ad odio habendum etiam peccatum: seu fugam culpæ hic, & nunc ordinat ad fugam pœnæ; ab eo autem, quid faceret, si unum præ altero eligendum foret, omnino præscindit; in quo nihil inordinatum est.

529. Objicies tertio. Qui dolet de peccatis propter metum gehennæ, ordinat majus bonum ad minus bonum, nempe evitationem culpæ ad evitationem pœnæ: sed hoc pugnat contra ordinem rectæ rationis; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Ordinat majus bonum ad minus bonum, tanquam ad finem ultimatum, neg. tanquam ad finem inultimatum, & intermedium præcise, con. maj. Dist. etiam min. Sed hoc, id est, primum, pugnat contra ordinem rectæ rationis, con. secundum, neg. min. & conf. Qui dolet de peccatis ex metu gehennæ, non ordinat suum dolorem ad evitationem gehennæ, tanquam ad finem ultimatum, sed ulterius respicit Deum ut supremum Judicem, ac Vindicem peccatorum, quem hoc ipso indirecte saltem timet, quod timeat gehennam, ea ejusdem ordinatione a peccatoribus impœnitentibus æternum sustinendam. Quod autem ordinare bonum majus ad bonum minus, tanquam ad finem inultimatum, nihil præposteri, aut inordinati contineat, patet in exemplis: sic Mysterium Incarnationis ordinatum fuit ad redimendos, & salvandos peccatores; sic Angeli Custodes ordinantur ad protegendos homines: sic Augustissimum Missæ Sacrificium non raro ordinatur ad reconvalescentiam infirmorum, etiam animalium &c.

530. Objicies quarto. Ea, quæ fiunt ex metu, sunt mixta ex voluntario, & involuntario; prout eum communi docuimus *part. 1. numer. 596.* atqui mixta ex voluntario, & involuntario non excludunt omnem affectum, & voluntatem oppositi, saltem conditionatam & inefficacem; veluti patet in eo, qui metu naufragii abjicit pretiosas merces, quin una abjiciat omnem affectum ad illas, nec ipsas abjecturus, nisi amittendi majoris boni, nimirum vitæ, periculum urgeret: consequenter etiam attritio de peccatis, ex metu gehennæ, aliarumve pœnarum concepta, non excludit omnem una affectum, voluntatem peccandi.

Respondetur explic. & dist. maj. Ea, quæ fiunt ex metu, sunt mixta ex voluntario, & involuntario, quando voluntas conditionata non impedit assecutionem finis, per medium ex metu assumptum intenti; ut in allato exemplo, ubi solæ merces, non autem affectus, & amor earum, aggravant navem, ac impediunt evasionem naufragii, mortisque temporalis, con. quando ipse etiam affectus, & voluntas conditionata impedit assecutionem finis; quemadmodum in nostro casu solus quoque affectus, & voluntas conditionata, peccandi evasionem gehennæ, aliarumve pœnarum, ceu eisdem æque obnoxia, ac affectus, & voluntas absoluta, neg. maj. &, distinctione aplicata minori, conf. Sicuti ergo si affectus quoque ad merces, & sola voluntas conditionata, aut inefficax illas servandi, impediret evasionem naufragii, & causaret, vel promoveret submersionem, mortemque temporalem mercatoris, dubium nullum foret, quin metus ejusdem etiam affectum ad illas sufficienter excluderet; ita pariter cum affectus quoque, & sola voluntas inefficax adhuc peccandi impediat evasionem gehennæ, & causet pœnam, mortemque æternam, metus ejusdem, & attritio inde concepta, sufficienter excludet, aut excludere poterit omnem una affectum, & voluntatem peccandi.

531. Colliges primo, attritionem conceptam ex metu pœnarum etiam temporalium esse actum honestum, & supernaturalem, si attritus doleat propter hujusmodi pœnas, ut a Deo justo Judice in vindictam scelerum infligi solitas. Ita DD. communiter, & in specie Suarez, Ariaga, Lugo, Tamburinus, Sporer *num.* 242. Reiffenstuel *in Theol. Moral. tr.* 14. *disp.* 6. *n.* 42. Illsung *tr.* 6. *disp.* 6. *n.* 39. Elbel *n.* 59. Ratio est: quia Conc. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. dicit, attritionem, quæ ad justificationem obtinendam disponit, esse illam, quæ vel ex turpitudinis peccati considerationem, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu concipitur: ubi per *ly pœnarum*, ne dicere debeamus esse superste adjectum, significantur pœnæ, a gehennæ pœnis diversæ, adeoque temporales. Nec refert, quod forte tales pœnæ non sint specialiter a Deo inflictæ huic peccatori, v. g. Sempronio, in vindictam scelerum. Non inquam, refert: siquidem attritus non tam dolet propter pœnas ut hic, & nunc inflictas, quam propter easdem ut infligi solitas a Deo; sicque potius dolet, quia apprehendit, & metuit Deum, qui peccata, per hujusmodi pœnas ut plurimum vindicare consuevit: id quod semper verum manet, & solo lumine fidei Divinæ innotescit. Doctrina hæc, sic intellecta, a PP. Gobat, & Elbel pronunciatur moraliter certa; quibus & ego astipulor: quidquid nonnulli contra sentiant plane sine solido fundamento.

532. Colliges secundo, illam quoque attritionem, quæ ex metu amittendæ beatitudinis elicitur, esse actum supernaturalem, & utilem ad salutem. P. Viva *super prop. ord.* 15. *ab Alexandro VIII. damnatam, num.* 13. & alii communiter. Ratio est: quia etiam hoc tale motivum proponitur per fidem Divinam, estque motivum dignius, quam motivum ex metu pœnarum; sicut dignior est mercenarius, qui ad operandum movetur spe mercedis, quam servus, qui metu pœnæ: prout advertit prælaudatus Author *loc. cit. n.* 10.

§. II.

Utrum Attritio intra Sacramentum Pœnitentiæ sit sufficiens dispositio ad justificationem?

SUMMARIUM.

533. *Mera Attritio per se, & extra Sacramentum non est sufficiens dispositio ad justificationem.* 534. *Referuntur sententiæ DD. circa præsentem quæstionem.* 535. *Ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, sufficit mera Attritio &c.* 536. *&c. seqq. Solvuntur objectiones.* 543. *Subditur corollarium.* 544. *& seqq. Ad justificationem intra Sacramentum Pœnitentiæ sufficit, etiam in articulo mortis, mera Attritio cognita qua talis: ubi etiam solvitur objectio.*

533. PRænotandum primo, & supponendum tanquam indubitabile meram Attritionem per se, & extra Sacramentum nunquam esse dispositionem sufficientem ad justificationem. Ita expresse Tridentinum *Sess.* 14. *de Pœnitent. capitul.* 4. docens, *illam contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, sine Sacramento Pœnitentiæ* (quamvis honesta, & supernaturalis sit; prout ostensum §. *præced.*) *per se ad justificationem producere peccatorem haud posse.* Ratio quoque est: quia major utique, ac perfectior dispositio ad justificationem peccatores convenienter requiritur extra, quam intra Sacramentum; siquidem alias

illud nihil haberet peculiare, nec ita foret necessarium ad illam: atqui si attritio per se, & extra Sacramentum sufficeret ad justificationem peccatoris, tunc plane non requireretur major, ac perfectior dispositio extra, quam intra Sacramentum, ut patet; ergo attritio per se, & extra Sacramentum non est sufficiens dispositio ad justificationem peccatoris, sed requiritur vel perfecta contritio, vel actus charitatis. Hoc supposito tanquam certo,

534. Prænotandum secundo, quatuor fuisse respective, & esse DD. sententias circa quæstionem *in* §. propositam. Una erat quorundam Theologorum, Concilio Tridentino antiquiorum, docens, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ requiri perfectam contritionem, & non sufficere imperfectam, seu attritionem. Altera est Petri Lamberti le Drou, Palavicini, & aliorum, quæ contendit, illam duntaxat Attritionem sufficere in Sacramento, quæ adjunctam habeat formalem aliquam dilectionem Dei, seu amorem benevolentiæ erga Ipsum, non quidem intensum, & perfectum, sed remissum, debilem, & imperfectum; quocum proinde Attritionem sub ratione contritionis imperfectæ consistere posse autumant hujus sententiæ Defensores. Tertia est Sod, Navarri, & aliorum, censentium, non quidem requiri contritionem reapse perfectam, vel formalem aliquam dilectionem Dei; requiri tamen contritionem perfectam existimatam, ita ut pœnitens existimet, se esse perfecte contritum, & non sufficiat, si judicet, se esse duntaxat attritum: quia putant hi Authores, conatum eliciendi perfectam contritionem in suscipiente Sacramentum esse de præcepto. Quarta denique sentit, non esse necessariam contritionem perfectam, nec attritionem, quæ adjunctam habeat aliquam dilectionem Dei, sed sufficere ad justificationem pœnitentis intra Sacramentum contritionem imperfectam, & attritionem elicitam ex motivo turpitudinis peccati, gehennæ, aut pœnarum, etiam ut talem cognitam. Adhærendo huic ultimæ sententiæ,

535. Dico primo. Ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, sufficit mera attritio, ex consideratione turpitudinia peccati, aut metu gehennæ, aliove consimili motivo supernaturali concepta: adeoque non requiritur contritio perfecta, neque attritio elicita ex motivo charitatis, & formali aliquo actu dilectionis Dei. Atque hæc conclusio, præsertim post Tridentinum, merito pronunciatur moraliter certa; prout infra *n.* 542. ostendemus, postquam hic prius illam simpliciter, id est, a morali certitudine præscindendo, probatum iverimus.

Probatur igitur conclusio primo ex Concilio Tridentino, quod *Sess.* 14. *capit.* 4. de mera illa attritione sic habet: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem producere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*; ergo ejusmodi attritio ex mente Concilii est sufficiens dispositio ad gratiam, & justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Prob. cons. Concilium *in proœmio citatæ Sessionis* ait de Sacramento Pœnitentiæ, quod *non parum utilitatis retulerit, de eo exactiorem, & pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis, & convulsis, Spiritus Sancti præsidio, universis erroribus, Catholica veritas perspicua & illustris fieret*: atqui, si Concilium verbis supra recitatis non intendisset docere sufficientiam meræ illiusmodi attritionis ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, non fuisset perspicua reddita Catholica veritas, aut convulsi errores; cum in errorem inducti fuissent Theologi passim, utpote qui post Tridentinum communissime docent, & ex citato textu se rite inferre existimant, prædictam attritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam, & justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtineddam; ergo &c.

Respondent Authores adversi 1. Concilium Tridentinum tantum dicere, quod attritio sit dispositio, non autem, quod sit dispositio proxima. Salvatur proinde textus Concilii, si attritio dicatur dispositio remota, seu mediata ad gratiam, quatenus immediate disponit ad dolorem aliquem alium perfectiorem (sive dein hic sit perfecta contritio, sive attritio procedens ex aliquo amore benevolentiæ erga Deum) & mediate solum, mediante videlicet tali dolore, ad gratiam justificationis impetrandam. Sed

Contra est 1. Concilium docet, attritionem esse dispositionem, majori causalitate, & efficacia præditam intra Sacramentum, quam extra illud; hoc enim clare colligitur ex particulis: *quamvis: tamen*: ibi insertis; ergo non tribuit eidem rationem dispositionis remotæ tantum ad gratiam justificationis intra Sacramentum impetrandam (cum remote ad eam gratiam disponat extra Sacramentum, quatenus disponit ad contritionem perfectam) sed rationem dispositionis proximæ.

Contra est 2. Concilium tribuit attritioni talem vim disponendi ad gratiam cum Sacramento, qualem tribuit contritioni sine Sacramento; ut patet legenti contextum: sed tribuit contritioni vim proxime disponendi ad gratiam sine Sacramento; ergo attritioni cum Sacramento.

Contra est 3. Illud est proxima dispositio ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendum, juxta Tridentinum, quod est materia, vel quasi materia ejusdem Sacramenti; quia esse materia Sacramenti Pœnitentiæ, aut partem materialem (essentialem) & esse proximam dispositionem, sunt prorsus inter se convertibilia; ut ex textu Tridentini mox elucescet; atqui contritio imperfecta, ex metu gehennæ concepta, est materia Sacramenti Pœnitentiæ; ergo est proxima dispositio ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Min. prob. Nam postquam, Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 3. ita dogmatizaverat: *Sunt autem quasi hujus Sacramenti* (Pœnitentiæ) *ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*: inchoat *capit* 4. altero dogmate: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*. Deinde, explicata magis contritionis essentia contra heterodoxos, descendit ad ejus divisionem in *perfectam*, & *imperfectam*; & sic utranque comprehendit sub materia, aut quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ; ergo hoc ipso utranque agnoscit pro proxima dispositione, & parte ejusdem Sacramenti.

Si dicas, ex hoc discursu sequi, quod etiam confessio, & satisfactio sint dispositio prima ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam; siquidem & ipsæ a Tridentino dicuntur materia, & pars dicti Sacramenti,

Respondetur, ita omnino esse. Quapropter contritio (perfecta, & imperfecta) est proxima dispositio in linea contritionis, seu doloris, adeo, ut non requiratur alius dolor, qui proxime disponat: confessio in linea confessionis, ut non requiratur alia confessio: satisfactio (in voto; sic enim, & non aliter, est materia, & pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, atque istud necessario præcedit) in linea satisfactionis, ut non requiratur alia similis satisfactio &c.

Respondent 2. Concilium loqui non de attritione ex puro metu gehennæ, consideratione turpitudinis peccati, aliove simili motivo concepta; sed de attritione concepta ex amore benevolentiæ erga Deum, remisso tamen, ac debili, adeoque imperfecto, ob quem illa adhuc dicatur attritio, seu contritio imperfecta. Sed iterum

Contra est 1. Concilium *loc. cit.* nullam facit mentionem de amore illo imperfecto, quem tamen haud dubie reticere non debuisset, sed potius recensere, & clare exprimere, si sola attritio, ex eo concepta, esset sufficiens dispositio ad justificationis gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam; alioquin manca, ac diminuta esset doctrina, quam idem Concilium tradit de dispositionibus ad valorem, & effectum hujus Sacramenti requisitis, si illam, quæ præcipua est, & (ut volunt Adversarii) omnino necessaria, non declaret; cum tamen Sacra Synodus, *in proœmio citatæ Sessionis*, promittat, quod de Sacramento Pœnitentiæ *exactiorem, & pleniorem definitionem* tradere velit, ut supra animadvertimus.

Contra est 2. De illa attritione loquitur Concilium, quam Lutherus dicebat facere hominem *hypocritam*, & magis

& *magis peccatorem*: sed Lutherus id dicebat de attritione, quæ ex metu gehennæ, turpitudine, vel damnis peccati concipitur; non vero de attritione, quæ concipitur ex amore benevolentiæ erga Deum, etiam remisso tantum, ac debili; ergo &c. Major pervia est legenti Concilium. Minor vero patet ex verbis Lutheri relatis a Bellarmino *tom. 3. controv. 4. de Sacram. Pœnit. lib. 1. c. 6.* Sic enim habet Lutherus *serm. de Pœnit. habito anno* 1217. *Contritio duplici via paratur. Primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (ut dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quæ possunt tristitiam, ac dolorem excitare. Hæc autem tristitia facit hypocritam imo magis peccatorem; quia solum timore præcepti, & dolore id fatit: & tales omnes indigne absolvuntur.*

Contra est 3. Concilium loquitur de illa attritione, quam nominavit donum, & impulsum Spiritus Sancti nondum inhabitantis, sed moventis: atqui ita nominavit attritionem, procedentem ex metu gehennæ, turpitudine, vel damnis peccati, sine interventu amoris benevolentiæ erga Deum; ergo &c. Nunc

Probatur conclusio secundo ratione. Sacramenta mortuorum, cujusmodi est Pœnitentia, per se causant vitam animæ, & primam gratiam; in hoc enim differunt a Sacramentis vivorum, quæ illam per se jam supponunt: sed nisi attritio, ex metu gehennæ &c. concepta, ad justificationem sufficeret intra Sacramentum Pœnitentiæ, istud per se non causaret primam gratiam, utpote quam semper jam supponeret causatam per contritionem perfectam, vel per attritionem, seu dolorem, elicitum ex motivo charitatis, & amore benevolentiæ erga Deum, atque sufficientem se solo ad justificationem peccatoris; ergo attritio, ex metu gehennæ &c. concepta, sufficit ad justificationem intra Sacramentum Pœnitentiæ.

Confirmatur, & simul declaratur probatio. Medicina principaliter ordinata ad depellendam v. g. febrem (vel aliam infirmitatem) non debet eam semper supponere jam depulsam; ut vel experientia testatur: sed Sacramentum Pœnitentiæ est medicina principaliter ordinata ad depellendam febrem peccati; quemadmodum passim habent SS. Canones; ergo non debet eam semper supponere jam depulsam. Atqui semper supponeretur depulsam, si pœnitenti, sua peccata ad Confessarium deferenti, necessaria foret perfecta contritio, vel dolor conceptus ex aliquo amore benevolentiæ erga Deum, & non sufficeret etiam dolor ex metu gehennæ &c. ergo &c.

Respondent Adversarii (contendentes nimirum, illum tantum attritionem, sive dolorem intra Sacramentum sufficere ad justificationem, qui concipitur ex motivo, & amore benevolentiæ erga Deum, remisso, & debili) se non impeti hoc nostro argumento: quia (inquiunt) amor ille, hoc ipso, quod ponatur solum esse remissus, debilis, ac imperfectus, non expellit peccatum ab anima pœnitentis, nec gratiam justificantem confert, sed relinquit eam conferendam Sacramento Pœnitentiæ; consequenter dolor ille solum cum Sacramento Pœnitentiæ est sufficiens ad justificationem, non vero sine eo.

Sed contra est. Vel talis amor remissus, & imperfectus est in specie charitatis, & verus amor amicitiæ erga Deum, vel in specie alterius virtutis, v. g. spei, adeo, ut amor concupiscentiæ, quo Deum ut nobis bonum, ac delectabilem diligimus, & concupiscimus? Si hoc secundum dicatur, habemus intentum, videlicet non requiri motivum charitatis, & amorem benevolentiæ erga Deum, ex quo procedat dolor ad justificationem cum Sacramento sufficiens. Si primum affirmetur, quale negatur, quod amor ille, ut ut remissus, & imperfectus, expellat peccatum, & conferat gratiam justificantem sine concursu Sacramenti; nam amor benevolentiæ erga Deum, sive ponatur esse remissus, sive intensus, est semper verus amor, seu dilectio Dei, & ejusdem speciei; adeoque semper ad justificationem sufficiens sine Sacramento re suscepto; ergo si aliqualis, sive remissus Dei amor requiritur in pœnitente, iste semper justificabitur, antequam Sacramentaliter absolvatur. Confirmatur: siquidem in S. Scriptura dilectioni Dei universim promittitur justificatio; ut *Joan. 14. Qui diliget me, diligetur a Patre meo:* & *Joan. 4. Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Et neutiquam ostendi potest, eam promissionem in sacro aliquo textu restringi ad dilectionem Dei cum tanta, vel tanta intensione elicitam: consequenter &c.

Neque dicant Adversarii, amorem benevolentiæ erga Deum, ut se solo ad justificationem sufficiat, debere esse ex toto corde, & non ex corde diviso; talem vero non esse, si sit aliqualis tantum, & debilis, aut compatiatur aliud motivum inferius bonitate Divina.

Contra enim est, quod per *ly ex toto corde* non significetur intensio physica amoris secundum gradus, & gradus, sed appretiatio moralis, secundum quam quis Deum præfert omni bono, quod Deus non est, prout cum communi aliorum explicavimus *part. 2. n. 135. in respons. 4. & solut. argumenti ibidem.* Talis autem appretiatio aperitur in omni amore benevolentiæ erga Deum, quantumvis debili, ac remisso; ut proinde omnis hic talis amor, etiam in infimo gradu intensionis constitutus, possit, ac debeat dici amor Dei ex toto corde, & super omnia appretiative, adeoque ad justificationem per se sufficiens, sicut sufficiens est amor Dei super omnia intensive, sive constans intensione graduum. Nec refert, quod illiusmodi amor ponatur procedere non ex solo motivo bonitatis Divinæ, sed etiam, ac simul ex metu, v. g. gehennæ, in quantum hic metus ad illum disponit: siquidem per hoc non desinit esse verus amor benevolentiæ erga Deum super omnia dilectum (alioquin esset hoc ipso dicendus merus amor concupiscentiæ, contra Adversarios) sicut non desinit esse verus amor benevolentiæ, si constet intensione graduum, ex eo, quod procedat non solum ex motivo Divinæ bonitatis, sed etiam, ac simul ex metu gehennæ, in quantum hic metus ad illum disponit.

Probatur conclusio tertio aliâ ratione. Ex contraria opinione plura sequeretur male sonantia: ut 1. In Lege novâ, & per Sacramentum Pœnitentiæ difficilius remitti peccata, quam in Lege veteri, aut extra illud; eo quod præter necessitatem contritionis se sola tunc sufficientis ad remissionem peccatorum, nunc insuper requiratur distincta, & ardua confessio eorum suique confusio apud Sacerdotem; cum tamen Christus ipse *jugum suum* (Legem nempe novam) dicat *suave, & onus leve. Matth. 11. v. 30.* 2. Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti vi contritionis, vel actus dilectionis Dei per se, & necessario prærequisiti: quod tamen sub anathemate damnat Concilium Tridentin. *Sess. 14. de Pœnit. can. 9.* inquiens: *Siquis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti .... anathema sit.* 3. Immerito ab Ecclesia tolerari nostram sententiam, quippe tot invalidarum confessionum causam, cum summo animarum discrimine, salutis æternæ jactura, & dispendio: quæ utique Concilium Tridentinum, aut SS. Pontifices debuissent impedire, declarando, meram attritionem, ex motivo inferiore, quam sit motivum charitatis, profectam, non sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem peccatoris: atqui nihil minus est factum. Imo (ut refert Platelius *part. 5. capit. 6. num. 719.*) nostra sententia fuit accusata apud Innocentium XI. at Pontifex, quamvis damnaverit propositionem asserentem, sufficere attritionem naturalem; non tamen damnavit nostram propositionem, seu sententiam, asserentem, sufficere attritionem supernaturalem ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam; licet sciret eam in praxim reduci: sicut sciverunt & alii Pontifices, quin unquam contradixerint. Quis autem credat, errorem summe noxium, tamdiu, id est, per plures centenos annos a Vicariis Christi permitti? imo quis credat, benignissimum Deum permittere, ut grassetur in Ecclesia sua pestilens falsitas cum pernicie innumerabilium Christianorum? Nunc præcipua Adversantium argumenta adducenda, & solvenda sunt.

536. Objicies igitur primo ex S. Scriptura *In epist. 1. S. Joan. cap. 3.* dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* Et *1. Cor. 13.* asserit S. Paulus Apostolus, nihil

prodesse absque charitate. Item *cap. ult.* dicit *anathema non amanti Dominum Jesum*. Ergo &c.

Respondetur ad 1. textum S. Joannis, *ly non diligit* sumi ibidem contrarie, ut sensus sit: siquis fratrem suum oderit, nihil posse illi ad salutem prodesse, quandiu in tali odio perstiterit. Atque hanc textus expositionem genuinam esse, colligitur ex ipsomet S. Joan. *v. seq.* subdit: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est: &; scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam in semetipso manentem*. Similiter explicandus est 1. textus S. Pauli: *Si charitatem non habeam &c.* nimirum contrarie, ut sit idem, ac dicere: si aliquem odio habeam, & in tali odio persistam &c. Vel dic, Apostolum fuisse locutum de charitate habituali, non actuali; & sic verum est, nihil posse ad salutem prodesse charitate habituali destituto, atque adeo in statu disgratiæ constituto. Juxta eandem explicationem intelligendus quoque est 2. textus ejusdem Apostoli.

537. Objicies secundo ex Trid. *Sess. 6. cap. 6.* ubi ad justificationem, in Baptismo obtinendam, requirit motivum charitatis, ex quo detestatio peccati procedat, hisce verbis: *Illumque* (scilicet Deum) *tanquam omnis justitia fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod &c.* Ergo etiam ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, similis motus charitatis requiritur: consequenter &c. Porro idem Concilium *ead. Sess. c. 7.* dicit, quod fides sine spe, & charitate vitam æternam præstare non valeat; ergo nec attritio, motu charitatis destituta.

Respondetur primo. Concilium tantum dicit, dilectionem illam elici: an autem semper necessario eliciatur, nec ne, haud definit, vel determinat. Ita Platelius *part. 5. seu posthuma, cap. 6. n. 673.* Et licet Concilium etiam dicat peccatorem moveri *adversus peccata--- per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet:* non tamen dicit, pœnitentiam agi oportere ex omnibus motivis ibi assignatis; nam si omnia ibi commemorata essent necessaria necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, vel ad fructum Baptismi, sequeretur, quod, siquis immemor pœnarum, ex solius beatitudinis desiderio, imo ex amore benevolentiæ erga Deum, vellet huic reconciliari, per neutrum Sacramentum cum ea dispositione justificaretur: quod admittere paradoxum esset. Itaque Concilium ibi assignat plura motiva, ex quibus disjunctive acceptis possit elici dolor sufficiens, hoc est, ex quolibet eorum, quin necesse sit, ut eliciatur ex omnibus. Et hæc responsio fundatur in ipsis Concilii verbis, per objicientes allatis: *Ac propterea moventur adversus peccata per odium* NB. *aliquod &c.* Nam per *to aliquod* satis indigitat Concilium, non determinate, sed indeterminate tantum requiri dolorem, qui ex aliquo illorum motivorum procedat. Unde neg. ant. & cons. vel utrunque distingui potest distinctione primum insinuata. Requiritur ad justificationem, in Baptismo, & Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, motivum, & motus charitatis determinate, neg. indeterminate tantum, con.

Respondetur secundo, neg. ant. Nec obstat textus Concilii. Nam Concilium (supposito, quod loquatur de aliqua determinata dilectione Dei) intelligendum venit de dilectione initiali, quæ est quidam actus spei, quo Deum amamus ut bonum nobis, puta ut Auxiliatorem, Remuneratorem &c. vocatique solet *amor concupiscentiæ*; ex tali quippe dilectione, seu amore ut plurimum justificatio nostra initium sumit: non vero de dilectione, quæ est actus charitatis, quo amamus Deum ut bonum in se; & solet appellari *amor amicitiæ*, seu *benevolentiæ*. Sed contra hanc responsionem

Dices. Concilium *Sess. & cap. citt.* distinguit dilectionem a spe; cum prius dicat: *in spem eriguntur*: & postea: *diligere incipiunt*; ergo non est verisimile, quod Concilium sit intelligendum de dilectione sumpta pro actu spei.

Confirmatur. Vox *diligere*, simpliciter posita, significat idem, ac *diligere super omnia*; ergo cum Concilium illam vocem simpliciter ponat, censendum est loqui de amore Justitiæ super omnia, seu de amore amicitiæ, & benevolentiæ erga Deum; non vero de amore concupiscentiæ erga nos ipsos.

Respondetur, neg. cons. Neque obstat modus ille loquendi, quo utitur Concilium: siquidem, cum spes involvat & fiduciam, & amorem, Concilio eo loquendi modo indicat, requiri tam illam, quam istum; nam per voces: *in spem eriguntur*: significantur fiducia per voces autem: *Diligere incipiunt*; intelligitur amor, seu desiderium. Verbo. Concilium indicat, non requiri tantum qualemcunque spem, sed eam, quæ & in misericordia Dei fiduciam habeat, & simul sit amor, seu desiderium Dei ut nobis boni. Patet legenti contextum.

Ad confirmat. omisso antecedente, neg. cons. & suppositum, quod Concilium vocem *diligere* simpliciter ponat; ponit enim cum addito: *Incipiunt*: quod significat amorem initialem tantum. Deinde potest distingui ant. Nisi sit efficax ratio eam vocem restringendi, transeat. si sit talis ratio, uti est in casu nostro, neg. ant. & cons.

Dixi: *omisso antecedente*: & *transeat*. Non enim est verum, quod vox *diligere*, etiam simpliciter, & sine addito, aut ratione restringente, posita, vel accepta, semper significet *diligere super omnia*; nam dicimur simpliciter, & absolute diligere pecunias, voluptates, mundum, prout 1. *Joan. 2. v. 15.* indigitatur, ubi dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt:* quæ tamen omnia amore concupiscentiæ tantum seu ut nobis bona, amamus.

538. Objicies tertio ibidem ex Tridentino, quod *cit. Sess. 6. cap. 7.* ait: *Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque* (homo). *corporis ejus vivum membrum efficitur*; ergo non datur justificatio sine charitate: consequenter &c.

Confirmatur. Idem Concilium *ead. Sess. & cap.* docet: quod *justificatio sit renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*: sed, qui non amat Deum, non suscepit voluntarie gratiam, & dona Dei; ergo &c.

Respondetur ad object. textum Concilii exaudiendum esse, non de actibus, sed de habitibus fidei, spei, & charitatis: id quod colligitur, imo liquet ex ipsis Concilii verbis, ibidem immediate præmissis: *Hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*: atqui non actus, sed habitus tantum dicuntur infundi; ergo &c. Quare dist. cons. Ergo non datur justificatio sine charitate habituali, con. sine charitate actuali, formaliter tali, neg. cons. Qui attritus confitetur, eo ipso acquirit habitum charitatis, & justificatur; atque in hoc sensu fit ex attrito contritus, virtualiter nempe, & æquivalenter, prout explicatum habes *n. 519. in respons. ad 2. argum.*

Ad confirmat. neg. min. Nam qui libere atteritur ea intentione, ut accedente confessione recuperet gratiam, & amicitiam Dei, utique libere eas recipit.

539. Objicies quarto rursus ex Tridentino, quod *Sess. 14. de Pœnit cap. 4.* tradit, talem solummodo timorem, & contritionem *disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam*, quali *utiliter concussi Ninivitæ misericordiam a Domino impetrarunt*: sed timor Ninivitarum erat conjunctus cum actu charitatis, eorumque contritio perfecta; siquidem alias neutiquam sufficeisset ad illorum justificationem, utpote extra Sacramentum factam; ergo pariter de facto ad Dei gratiam, & justificationem peccatoris, in Sacramento impetrandam, non sufficienter disponit, nisi timor conjunctus cum actu charitatis, & contritio perfecta.

Respondetur primo, explic. & dist. maj. Quali *utiliter concussi Ninivitæ misericordiam a Domino impetrarunt*, consistentem duntaxat in revocatione sententiæ de subvertenda urbe juxta Prophetæ Jonæ comminationem, con. consistentem etiam in justificatione animæ, & Dei gratia, mortalium remissiva, quam forte nonnulli insuper, aut plerique eorum debite dispositi obtinuerunt, neg. maj. Dist. etiam min. Sed timor Ninivitarum, & contritio, qua hanc posteriorem insuper misericordiam a Domino impetrarunt, erat timor conjunctus cum actu charitatis, & contritio perfecta, con. qua illam priorem præcise misericordiam impetrarunt, neg. min. & cons. Vult igitur Sacra Synodus, quod sicut Ninivitæ per pœnitentiam ex solo timore subversionis, a Deo sibi intentatæ, susceptam, ab eo *misericordiam* (non dicit *Dei gratiam*, quemadmodum de attritione in Sacramento loquens) & conversationem urbis impetrarunt; ita pariter nos per contritionem quoque imperfectam, meramque attritionem, ex solo

ex solo

ex solo metu gehennæ, & pœnarum conceptam, ad *Dei gratiam*, & *justificationem animæ* disponamur.

Instabis. Catechismus Tridentini *de Sacramento Pœnitentiæ tit. Contritionis propria vis, & efficacia*, ait de Ninivitis, Davide, muliere peccatrice, & S. Petro simul: *Qui omnes plurimis lacrymis, Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt*; ergo Ninivitæ omnes impetrarunt misericordiam, consistentem etiam in justificatione animæ, & Dei gratia, mortalium remissiva, sicut David, Magdalena, & Petrus similem misericordiam consecuti sunt; ergo timor Ninivitarum, & contritio, erat timor conjunctus cum actu charitatis, & contritio perfecta &c.

Respondetur, quod vel *ly omnes* non debeat accipi in sensu distributivo absoluto, sed accommodo, non de omnibus, sed de pluribus; vel per *veniam* non intelligatur respectu omnium, ac singulorum justificatio animæ, sed respectu aliquorum remissio quædam pœnarum duntaxat; cum vix sit credibile, omnes omnino Ninivitas impetrasse insuper misericordiam, in gratia justificante sitam. Quod si tamen quis contendat, Ninivitas omnes talem quoque misericordiam consecutos, dicere consequenter debebit, eos postea progressos fuisse ad actum perfectæ contritionis, ad quem metus pœnarum, velut inchoatio quædam extrinseca, disponebat; ut supra insinuatum. Non tamen ideo Concilium ad Sacramentum Pœnitentiæ, valide, & fructuose percipiendum, requisivisse censendum est hunc dolorem perfectum; alias esset necessarius ad Sacramentum Pœnitentiæ talis dolor, qualis jam extra Sacramentum per se, & semper justificaret (nam Ninivitæ extra Sacramentum justificati fuissent) quod est procul a veritate, ex dictis supra *in probat.* 3.

Respondetur ad object. secundo, exemplum Ninivitarum non esse a Tridentino *cit.* assumptum, & appositum in comprobationem ultimi puncti, seu immediate antea assertæ dispositionis, quæ inest attritioni, ad gratiam Sacramentalem: alia quippe intentio Concilii fuit, nimirum, ut, postquam circa attritionem omnia constituisset, quasi regrederetur ad principium, & redderet tam de eo, quam de reliquis rationem hoc modo: Ninivitæ isto timore utiliter concussi misericordiam a Deo impetrarunt; ergo dolor, ex eo timore conceptus, est utilis, & bonus, neque hominem facit hypocritam. Hoc ipso autem, quod sit utilis, & bonus, falso criminantur, quicunque criminantur (prout subinfert ibidem Concilium) Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipi, quamvis communiter suscipiatur cum sola, seu mera attritione. Porro quia actus hominis non est utilis ad salutem, nisi sit liber, falso docent (prout itidem subinfert, & subjungit Concilium) qui docent, quod contritio sit extorta, & coacta, non libera, & voluntaria. Atque hæc secunda responsio, ceu verior, & menti Sacræ Synodi conformior, omnino præferenda videtur primæ; eamque reddunt Herinex *de Sacram. Pœnit. disp.* 2. *n.* 42. *&* 43. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 886. Michel *fol.* 470. *n.* 20.

540. Objicies quinto. Odium Dei, & aversio ab ipso, ut ultimo fine, non potest sufficienter tolli, præterquam per amorem Dei, & conversionem ad ipsum, ut ultimum finem; *unumquodque enim tollitur per suum oppositum*: sed peccatum mortale est quoddam odium Dei, aversioque ab ipso, ut ultimo fine, juxta illud *Psalm.* 108. *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*; ergo peccatum mortale non potest tolli, præterquam per amorem Dei, & conversionem ad ipsum, ut ultimum finem, neque adeo per meram attritionem, verb. gr. ex metu gehennæ conceptam.

Respondetur, dist. maj. Odium Dei, & aversio ab ipso &c. non potest sufficienter tolli, præterquam per amorem Dei vel formalem, vel virtualem; vel signate, vel exercite talem, con. semper formalem, & signate talem, subdist. Extra Sacramentum, transeat (tollitur enim extra Sacramentum etiam per contritionem perfectam, quæ solum est amor virtualis Dei, ex dictis *num.* 514.) intra Sacramentum, neg. maj. & concessa minore, eodem modo distinguendum est cons. Cum enim Sacramenta mortuorum ex attrito faciant contritum, ac eundem præstent effectum, quem contritio perfecta, & amor Dei; hinc contritio imperfecta, seu attritio in & cum Sacramento Pœnitentiæ æquivalet contritioni perfectæ, & amori Dei; importatque adeo conversionem ad ipsum, ut ultimum finem, virtualiter, ac exercite talem, aut ex fine operis quodammodo, præsertim a Christo operati, & elevati.

541. Objicies sexto. Pallavicinus *in Historia Concilii Tridentini lib.* 12. *cap.* 10. agens *de Sess.* 14. refert *num.* 26. Decretum circa attritionem prius ita fuisse formatum: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solum, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit hæc Sancta Synodus, & declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Verum, ut tradit *loc. citat.* Pallavicinus, Joannes Æmilianus Episcopus Tudertanus monuit, variare circa vim attritionis cum Sacramento Doctorum sententias, & hinc Decretum mutatum est, inque eam formam redactum, quæ de facto in Tridentino extat. Itaque deleta sunt in primis ea verba: *& solum*, 2. ista: *qui servilis timor dicitur*, 3. illa: *verum etiam sufficere ad Sacramenti constitutionem*. Ergo attritio ex metu gehennæ non sufficit sine aliqua dilectione Dei; vel saltem nostræ sententiæ ex Tridentino, in quo tamen eam supra *num.* 535. præcipue fundavimus, nihil præsidii suppetit.

Respondetur primo, etiam alia omissa, & addita esse quæ nostræ sententiæ favent. 1. Omissum est: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat*: ne scilicet quis ansam arriperet dicendi, non posse sine actu charitatis elici illum timorem, nec hunc sine illo ad gratiam intra Sacramentum disponere. 2. Omissum est: *facilius*; ergo simpliciter, & absolute attritio disponit ad gratiam. 3. Addita est antithesis illa particularum: *quamvis, tamen*: de quibus diximus supra *n.* 535. *in refutatione responsionis ab Adversariis reddita ad nostram primam probat*. Ergo mutatio magis nobis favet, quam nocet.

Ut autem horum omissio respective, & additio clarescant, textum Tridentini *Sess.* 13. *cap.* 4. extantem, & superius per partes adductum, juvat hic repetere integrum, in quantum facit ad præsens institutum. Itaque Concilium, postquam *loc. cit.* de contritione perfecta pronunciasset, illam reconciliare hominem Deo absque Sacramento re suscepto, modo habitum fuerit ejus votum, subjungit: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat* (S. Synodus) *non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.* Nunc ad objectionem

Respondetur secundo, neg. cons. Nam verba: *& solum*: deleta sunt: quoniam ex aliis etiam motivis, motivo Charitatis inferioribus, e. g. ex motivo Gratitudinis, Religionis &c. potest elici attritio: quæ motiva, licet forte reduci possint suo modo ad turpitudinem peccati (nam oppositio ad illas virtutes est aliqua turpitudo) quia tamen hoc non immediate patet, & multi intelligunt tantum aliquam turpitudinem genericam, seu difformitatem cum natura rationali; hinc Concilium recte voluit verba: *& solum*: omitti.

Porro verba: *qui servilis timor dicitur*: rejecta sunt; quia sæpe per timorem servilem intelligitur ille, qui non excludit affectum peccandi; & hinc illa verba: *servilis timor*; &: *si voluntatem peccandi excludat*: poterant videri opposita. Ut ergo constaret, de quo timore Concilium petat intelligi, omissis verbis: *servilis timor*: retinuit verba: *si voluntatem peccandi excludat*.

cludat. Nec opus erat ulteriori mentione timoris servilis; cum hic ex motivo facile intelligatur.

Tandem verba: *verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*: omissa sunt ex duplici præcipue causa. Primo: quia modus ille loquendi ex se erat valde improprius; cum una pars non dici soleat sufficere ad constitutionem totius, utpote quod componitur ex omnibus partibus simul sumptis. Secundo, & principalius: quia Concilium voluit intactam relinquere Sententiam (quæ a plerisque Scotistis, & aliis fere universis, nec abs fundamento, tribuitur Scoto, licet non pauci Scotistæ, quibuscum & nos fecimus *n.* 477. probabiliter contra sentiant) asserentem, essentiam Sacramenti Pœnitentiæ in sola absolutione consistere, dolorem vero de peccatis, eorumque confessionem esse tantum conditiones, necessario tamen ad valorem ejusdem Sacramenti exactas. Innuunt hoc aperte verba Pallavicini, quæ sunt: *Nec parum disceptatum, qua ratione actus pœnitentis declarandi essent partes Sacramenti, nihil ob id perstricta Scoti sententia, cui neque pariter officere voluerat Synodus Florentina: ac postremo ea ratio fuit adhibita, quæ habetur in c.* 3. *Doctrinæ, & can.* 4. Ex quibus veluti illative ad objectionem.

Respondetur tertio, itidem neg. conf. ex isto capite; quia nihil de substantia doctrinæ, in priori Decreto contentæ, in posteriori immutatum, aut expunctum est, sed solus proponendi modus clarior, & emendatior redditus: sicut nihil de substantia legati immutatur, aut expungitur, quando ambiguus verborum modus tollitur, & subrogatur dilucidus. Quis enim sibi prudenter persuadeat, quod Sacra Synodus, postquam causam attritionis in medium produxerat, seria deliberatione discusserat, desuper Patrum vota collegerat, Decreti substantiam communi calculo concluserat (quemadmodum omni procul dubio jam factum fuerat) recesserit a substantiali doctrina Decreti cum turpissima confessione erroris, quem dedocta esset ab uno Episcopo, solum monente, variare circa vim attritionis cum Sacramento Doctorum sententias? Profecto ne privatus quidem Theologus cederet conclusione a se mature statuta, eo præcise, quod sibi objiceretur, circa illam variare DD. sententias. Et qua fronte id cogitari poterit de toto Cœtu Illustrissimorum Patrum?

542. Objicies septimo. *Non esse illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem, & minus tutam, relicta tutiore &c.* est prima inter propositiones ab Innoc. XI. proscriptas: sed opinio, seu sententia nostra, quæ meram attritionem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere asserit, est minus tuta, ac requirens perfectam contritionem, vel attritionem procedentem ex amore benevolo erga Deum; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Est minus tuta &c. moraliter tamen certa, con. probabilis solum, neg. min. & similiter distinguendum est conf. Sententiam moraliter certam, qualis est nostra, omnino sequi licet in praxi, etiam quando agitur de valore alicujus Sacramenti conficiendi, quamvis sit minus tuta (subintellige: comparative) nam propositio præallegata loquitur de sententia *mere probabili, & minus tuta*: prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *tr.* 1. *de Conscientia*.

Instabis contra hanc respons. Sententia asserens, ad justificationem in Sacramento non sufficere attritionem sine aliquali dilectione Dei, est probabilis; cum pro ea stent & rationes, & authoritas gravium DD. ut proinde Alexander VII. per Decretum, *die* 5. *Maji* 1667. editum, & a nobis infra in Appendice exhibendum, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, & S. Pontifici reservata, prohibeat, ne quis alterutram opinionem, sive affirmantem, sive negantem, meram attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ sufficere ad justificationem peccatoris, censura aliqua Theologica afficiat; ergo nostra sententia, in quantum illi sententiæ opposita, non est moraliter certa; cum probabilitas unius sententiæ non compatiatur certitudinem moralem alterius, sibi oppositæ, de, & in eadem materia.

Respondetur, dist. ant. Sententia illa est probabilis speculative, idque tenuiter tantum, transeat: practice, & solide, neg. ant. & conf. Ad rationem hujus probativam ajo, eam solum procedere de practica, & solida probabilitate alicujus sententiæ, non autem de probabilitate speculativa tantum, & tenui: cum enim certitudo moralis non consistat in indivisibili, sed suos gradus habeat, dari potest in una sententia, tametsi opposita circa eandemmet materiam sit speculative, & tenuiter probabilis: sicut sententia docens, in contritione non requiri determinatum gradum intensionis reputatur moraliter certa, licet opposita possit dici speculative, & tenuiter probabilis; cum pro ea stent & rationes, & graves DD. relati a Dicastillo, & aliis. Neque responsioni nostræ obstat præallegata prohibitio Alexandri VII. utpote qui non intendit sua authoritate utrique sententiæ veram tribuere probabilitatem, sed inter fideles vinculum pacis conservare, omnemque scissuræ fomitem extinguere; veluti memoratur in Decreto.

Dixi in respons. *transeat*. Siquidem permulti Authores, nostræ sententiæ Defensores, oppositam pronunciant absolute improbabilem, & falsam. Neque idcirco dicendi sunt huic tali sententiæ inferre censuram Theologicam (id quod in *citat.* Decreto prohibetur) quia inter censuras Theologicas non computatur falsitas, & improbabilitas; cum evidens sit, alterutram ex prædictis opinionibus extreme oppositis, quas Pontifex censurari prohibet, esse falsam; eo quod duæ propositiones, tali modo, & contradictorie oppositæ, non possint simul veræ consistere: ut recte notat P. Viva *part.* 3. *damnat. Thesium propos.* 15. *numer.* 33. quem vide.

Urgebis. Esto sententiæ, contendenti, ad justificationem peccatoris etiam in Sacramento Pœnitentiæ requiri perfectam contritionem (quæ sententia erat aliquorum DD. Concilio Tridentino antiquiorum; prout *n.* 534. retulimus) vera, & solida probabilitas (saltem post Tridentinum) merito, & recte denegetur; haud tamen sic (etiam post Tridentinum, & hujus authoritati insistendo) vera, & solida probabilitas denegari potest sententiæ, contendenti, requiri ad justificationem peccatoris intra idem Sacramentum talem attritionem, quæ procedat ex amore quodam benevolentiæ erga Deum, seu ex aliquali dilectione Dei; ergo nostra sententia, in quantum huic posteriori sententiæ opposita, nequit dici moraliter certa: consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. & conf. Nam illa sententia debet censeri moraliter certa (adeoque consistere nequiens cum vera, & solida probabilitate sententiæ sibi oppositæ) quæ ex Ecclesiæ doctrina, ac praxi, aliisque principiis certis, ita deducitur per discursum Theologicum, ut ostendatur, hæc principia stare non posse, quin sententia illa subsistat; & maxime si ipsa simul rite solvat argumenta adversæ sententiæ: atqui ita se habet sententia nostra, etiam in quantum opposita illi posteriori sententiæ; ergo &c. Maj. videtur innegabilis; cum talis sententia excludat prudens, & rationabile dubium. Min. autem prob. Nam in primis praxis communissima Ecclesiæ in Germania, Hispania, Italia, aliisque regionibus nostræ sententiæ est conformis; estque eadem sententia a Pontificibus tanto jam tempore tolerata; adeoque hoc ipso implicite saltem, & tacite approbata, cum, ut supra *in probat.* 3. dictum, debuissent se ei opponere, si judicassent subesse morale periculum tot sacrilegarum confessionum, & perdendarum animarum. Accedit, quod Pat. Josephus Mayr in suis doctissimis Thesibus *de Contritione q.* 9. *n.* 56. *&* 58. referat, P. Martinum Esparzam, Societatis Jesu Theologum Romanum, qui jussu Innocentii XI. una cum aliis Consultoribus, examini 65. propositionum interfuit, in epistola quadam, Roma in Belgium data, testari, quod *apud Censores prædictarum propositionum actum fuerit in terminis propriis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderant, sententia communis manserit incolumis*: quod est signum, eam fuisse agnitam pro moraliter certa; alioquin debuisset taxari, ejusque sequela proclamari illicita; quandoquidem (ut supra animadversum) non licet sententiam mere probabilem, si sit minus tuta, in praxim deducere (extra casum necessitatis) ubi agitur de valore, uti hic, Sacramenti conficiendi.

Dein ex Tridentino, & aliis rationibus, adductis etiam, & sufficientissime refutatis Adversariorum responsionibus, ita stabilivimus nostram sententiam, ut probaverimus, doctrinam altefati Concilii absque nostra conclusione stare non posse. Hoc roboratur insuper ex eo, quod Authores communissime doctrinam

Tri-

Ttidentini ad nostrum modum explicandam judicent; nec Authores tantum privati, sed Concilia Provincialia, Catechismi editi jussu Episcoporum, & Cardinalium, ipsius Gregorii XV. ante Pontificatum; item Inquisitio Hispana &c. Tandem quod rite solverimus argumenta, quibus præcipue innititur adversa sententia, judicium esto penes quemcunque, opposita opinione non præoccupatum. Quid ni igitur cum Pat. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 20. sect. 1. num. 10.* P. Cardena *in 2. Cris. Theolog. dissert. 2, cap. 6, art. 2. quest. 1. num. 61.* P. Gormaz *de Pœnit. numer.* 472. P. Viva *part. 2. trut. Theol. in prop. 1. n. 22.* & iterum *part. 3. in prop. 15. num. 31. ac num. 33.* P. Herinex *disp. 2. num. 41.* P. La Croix *lib. 6. pars. 2. num.* 873. & aliis plurimis, asseramus, sententiam nostram esse certam, saltem moraliter, & practice, adeo, ut non subsit morali periculo falsitatis, sed periculo tantum valde remoto, quod cavere in humanis actionibus est moraliter impossibile?

Replicabis. Sententia opposita est tutior, ac nostra, & nondum est rejecta ab Ecclesia; ergo nostra non est certa: consequenter neque licita in prasi, cum agatur hic de valore Sacramenti conficiendi,

Respondetur, omissa secunda parte antecedentis, explicando, & dist. cons. Nostra sententia non est certa certitudine authentica, con. certitudine privata, neg. cons. Certitudine authentica est certa illa sententia, cujus opposita non potest absque censura defendi: at hoc non requiritur ad sententiam privatim certam; sed ad hanc tantum requiritur id, quod indicavimus *in respons. immediate præcedenti*. Atque talis certitudo privata sententiæ sufficit ad licitam praxim, etiam quando agitur de valore Sacramenti conficiendi; cum Innocentius XI. tantum damnet usum sententiarum probabilium, non vero certarum: prout jam supra advertimus. Imo talis certitudo debet sufficere; alias enim vix ulla sententia, nisi per Ecclesiam definita, posset in praxim licite deduci, quando agitur de valore alicujus Sacramenti; nam vix est sententia, cui non sit opposita aliqua opinio, necdum damnata, adeoque non censurabilis. Sed pro hujus responsionis, & doctrinæ ex Tridentino per decursum deptomptæ pleniori intelligentia,

543. Colliges, Concilium quidem nihil asseruisse authentice per explicitam definitionem, in aliquo Canone contentam, circa sufficientiam meræ attritionis; bene vero dogmatice per doctrinam *in 4. præsertim capite Sessionis* 14. traditam, ex qua moraliter certo liceat mediante discursu Theologico inferre sufficientiam dictæ attritionis: prout in prima probatione, & alias intulimus, nervose etiam, & clare (uti factum esse confidimus) solutis Adversariorum responsionibus, ac argumentis. Hoc autem sufficit ad conciliandam nostræ sententiæ certitudinem privatam, vi cujus licite in praxim deducatur, esto agatur de valore Sacramenti. P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 876.* Sed

Dices cum Palavicino, Patres Tridentini *in cap. 4. Sess.* 14. cui nostra sententia præcipue innititur, solum intenderunt docere, & declarare contra hæreticos, timorem pœnæ non semper esse inhonestum, nihil determinando circa sufficientiam meræ attritionis; ergo hæc ex *loc. cit.* Tridentini non potest mediante discursu Theologico inferri, præsertim certo.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Solum intenderunt &c. intentione primaria, directa, & immediata, transeat intentione etiam secundaria, indirecta, & mediata, neg. ant. & cons. Licet Patres Tridentini primario, & directe ponantur solum ibi agere contra hæreticos, ac docere, atque declarare in allegato *cap.* timorem pœnæ non esse semper inhonestum (quod postmodum *can. 5. ead. Sess.* etiam explicite definitur) secundario tamen, indirecte, & occasionaliter saltem, ibidem etiam tradunt, ex quibus sufficientiæ meræ attritionis (quamvis ea per nullum *can.* explicite definiatur) mediante discursu Theologico inferri queat; & quidem moraliter certo, ut ostensum *num. præced.* Videatur La Croix *loc. cit. n.* 839.

Instabis. Non est credibile, Patres Tridentini voluisse determinare aliquid contrarium sententiis DD. Catholicorum, etiam secundario, indirecte, & occasionaliter tantum; ergo nulla responsio.

Respondetur, neg. ant. Cum enim Patres Concilii voluerint convellere errores hæreticorum, debuerunt etiam diruere aliquas sententias Catholicorum, quæ habebant quandam connexionem cum illis. Certe si effugium istud valeret, nunquam ex Tridentino, ubi agit contra hæreticos, posset ulla sententia Doctoris Catholici impugnari; cum semper parata esset responsio, Concilii intentionem non fuisse, sententiis Catholicorum contrarium quiddam determinare, vel definire.

Urgebis. Saltem Concilia non solent attingere quæstiones scholasticas inter ipsos præcise Catholicos controversas; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Quæstiones scholasticas pure theoricas, & minoris momenti, ad substantiam fidei, vel regulas morum parum, aut nihil facientes, omitto; quæstiones practicas, & majoris momenti, ad substantiam fidei, aut regulas morum facientes, de quarum classe est controversia circa sufficientiam meræ attritionis, neg. ant. & cons. Quod Concilia quæstiones scholasticas posterioris generis attingere consueverint, etiam directe, & ex intentione primaria, argumento sunt Viennense, & alia Concilia plura, in quibus graviora Religionis dubia inter Scholasticos Catholicos definita fuere. Sed (ut insistamus ipsi Tridentino) aliqua ex eo exempla afferamus. Nulla *circa propositum non peccandi de cetero* erat Catholicis cum Luthero controversia, cum ad Pœnitentiam novæ vitæ propositum, & inchoationem requireret ipse Lutherus; & tamen illud necessarium esse non una vice ex directa, & primaria intentione statuit Concilium. Nec controversia erat cum hæreticis, an contritio perfecta eliri debeat ex motivo charitatis, vel an sine Sacramento re suscepto hominem Deo reconciliet? & tamen ista quoque idem Concilium directe attigit, atque decidit: quia nimirum erant dogmatica, & circa justificationem impii in praxi summopere scitu necessaria. Atque ita de aliis. Idem proinde judicium esto de attritione: quamvis enim de ejus substantiali bonitate tantum esset disceptatio cum novatoribus hæreticis; erat tamen ardua quoque, & summe momentosa disputatio de illa (videlicet attritione) inter DD. Catholicos, utrum sufficiat ad justificationem hominis, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam? & ab hujus disputationis decisione dependebat continuo, valida, aut non valida, administratio Sacramenti; dependebat æterna salus populi Christiani, quæ dimanatura esset ex valido, non dimanatura ex invalido Sacramento; ut sic Concilium sine gravissima nota neglectæ salutis Christianæ, ac neglecti valoris Sacramenti, non potuerit hanc rem relinquere intactam, dubiam &c. in certissimam perniciem animarum, & irreverentiam Sacramenti. Siquis ergo dixerit, Concilium circa decisionem hujus disputationis nihil sibi sumpsisse negotii, etiam ex directa intentione (ob quod supra *in respons. ad argum.* dixi: *transeat*) atrocem ei injuriam irrogat. Ita Augustinus Michel hic *fol.* 468. *n.* 15. quem utiliter leges.

His ita (fuse quidem, non tamen nimis fuse) deductis, & ventilatis,

544. Dico jam secundo veluti illative. Ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, sufficit mera attritio cognita qua talis; adeoque non requiritur necessario, etiam necessitate præcepti tantum, contritio perfecta existimata.

Probatur primo ex Tridentino, quod in sæpe *citat. Sess.* 14. *de Pœnit. capit.* 4. docet, *illam* quoque *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur &c. ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponere*; & (prout inde intulimus, atque in præcedentibus probatum ivimus) sufficere: atqui talis contritio non potest prudenter existimari contritio perfecta: veluti patet intuenti motiva, ex quorum aliquo elici ponitur; ergo &c.

Probatur secundo ex ratione. Ideo Eucharistia, & alia Sacramenta vivorum ad fructuosam sui receptionem prærequirunt in homine, peccati mortalis sibi conscio, perfectam contritionem *ut* minimum æstimatam (subintellige: *extra Sacramentum Pœnitentiæ*) quia per se jam præsupponunt, subjectum esse vivum vita gratiæ; quam proinde peccator sibi per contritionem

nem perfectam saltem in prudenti existimatione sua, prius procurare debet: hæc autem ratio non militat in Sacramentis mortuorum, quale est Sacramentum Pœnitentiæ: consequenter ad fructuosam eorum receptionem non requiritur necessario, etiam necessitate præcepti tantum, contritio perfecta existimata, sed sufficit contritio imperfecta, seu attritio cognita ut talis.

545. Objicies. Non est moraliter certum, quod sufficiat attritio cognita qua talis; ergo saltem cum hac non licet accedere ad confessionem, ob *propos.* 1. *ex damnatis* ab Innocentio XI. cujus meminimus *numer.* 542.

Respondetur, transmisso interim antecedente, neg. conf. & suppositum, quod hæc quæstio versetur circa valorem Sacramenti; nam juxta ipsosmet Authores, hic nobis adversantes, contritio perfecta existimata non requiritur necessario necessitate Sacramenti, sed præcepti tantum; prout annotavimus *num.* 534. & ostenditur: si enim contritio perfecta existimata requireretur necessario necessitate Sacramenti, existimatio illa (esto excusaret a formali transgressione præcepti, si quod extaret) non tamen redderet Sacramentum validum; sicut non redderet Sacramentum validum existimatio, qua quis existimaret se esse supernaturaliter attritum, & reipsa non nisi naturaliter attritus esset. Videatur Cardenas *in crisi* 2. *dissert.* 2. *cap.* 6. *artic.* 2. *quæst.* 1. *numer.* 68.

Respondetur secundo, neg. ant. quod nempe non sit moraliter certum, sufficere attritionem cognitam qua talem; adeoque haud requiri necessario, etiam necessitate præcepti tantum, illam existimationem, vel illum conatum eliciendi contritionem perfectam. Ratio id negandi est: siquidem sententia, docens, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam non requiri, etiam de præcepto tantum, contritionem reipsa perfectam, est moraliter certa; prout ostensum *n.* 542. ergo etiam sententia, docens, non requiri in eum finem contritionem perfectam existimatam; cum nullum prorsus extet vestigium præcepti alicujus de tali existimatione habenda, unde hæc sententia a morali certitudine illius, seu prioris sententiæ deturbaretur.

546. Colliges, etiam in articulo mortis ad Sacramentum Pœnitentiæ, tam (1) valide, quam (2) licite, & fructuose recipiendum, sufficere attritionem cognitam ut talem. Illsung *tr. disp.* 6. *num.* 32. & apud eum Fagundez, Salas, Turrianus, Lugo, Dicastillo, Laymann &c. Sumitur utraque pars ex Trident. supra allato *num.* 544. ubi; dum innuit, attritionem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam sufficere, nullum determinat, aut excipit tempus. Ratio præterea primæ partis est: quia materia valida, & sufficiens: cum ergo (ex probatis) attritio, cognita ut talis, sit materia valida, & sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ extra articulum mortis, etiam talis erit intra illum. Ratio secundæ quoque partis est: quia etiam in articulo mortis sufficit amplecti medium, moraliter certo conjunctum cum justificatione, & salute; atqui tale medium est attritio, cognita ut talis, intra Sacramentum Pœnitentiæ: prout constat ex dictis; ergo &c.

Dices. Homo in articulo mortis tenetur elicere actum amoris Dei super omnia; prout tradidimus *part.* 2. *num.* 141. ergo etiam actum perfectæ contritionis.

Respondetur, neg. conf. & parit. Nam de priore actu extat, vel saltem extare colligitur præceptum, ex dictis *citat. part.* 2. *num.* 139. *& seqq.* non autem de actu posteriore: prout relinquitur ex hucusque dictis; præsertim quia attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, faciente ex attrito contritum, præstat eundem effectum (ex dictis *num.* 519.) quem contritio. Unde siquis in articulo mortis solitarie eliciat actum dilectionis Dei super omnia (sive ante, sive post confessionem) & confiteatur sua peccata cum attritione, etiam cognita ut tali, valide, & fructuose Sacramentum recipit.

CAPUT II.

De Confessione.

DE Præcepto Confessionis actum est *part.* 3. *disp.* 2. *per tot.* hic vero de ipsa Confessione agendum venit. Non tamen erimus admodum prolixi; quoniam pleraque, quæ huc reduci possent, jam pertractavimus, partim *loc. immediate cit.* partim *disp. præced. cap.* 2. *art.* 1. partim alibi; prout per decursum insinuabimus. Sit nunc

ARTICULUS I.

De Conditionibus requisitis ad Confessionem recte instituendam.

QUalitates, seu conditiones, pertinentes ad recte instituendam Confessionem Sacramentalem (quæ est *accusatio sui de peccatis propriis, post Baptismum commissis, facta coram Sacerdote vero, vel probabiliter existimato in ordine ad absolutionem obtinendam*) sexdecim omnino numerantur, & sequentibus versiculis comprehenduntur:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Singulas breviter explano. Itaque 1. Confessio debet esse *simplex*, id est, talis, ut careat verbis superfluis, fucatis, & obscuris. 2. *Humilis* quoad intellectum, & affectum, recognoscendo propriam ad quidquam boni, sine gratia Dei, operandum imbecillitatem; proclivitatem ad peccandum, & ob commissa peccata miserabilem statum, indeque natam vilitatem. 3. *Pura*, ut fiat ex fine bono, sive recta intentione. 4. *Fidelis*, seu *verax*, sine fallacia, deceptione, & mendacio. 5. *Frequens*, ut sæpe fiat. 6. *Nuda*, id est, clara, & aperta, non palliata, aut vestita coloribus, quibus peccata ita obscurentur, ut a Confessario debite percipi non valeant. 7. *Discreta*, seu *prudens*: qualis erit, si pœnitens caveat, ne quenquam in confessione afficiat dedecore, vel infamia, detegendo ejus crimina, ad propriorum explicationem non facientia. 8. *Libens*, id est, *voluntaria*; quia in adultis requiritur propria voluntas, & intentio ad susceptionem, etiam validam, Sacramentorum: prout relinquitur ex dictis *n.* 34. 9. *Verecunda*, ut pœnitens in confitendo utatur verbis, quantum fieri potest, modestis. 10. *Integra*, ut nihil subticeatur, quod necessario exprimendum est. 11. *Secreta*, ut non fiat publice coram aliis audientibus, sed coram solo Sacerdote, seu ad hujus solius aurem: unde & *auricularis* dicitur. 12. *Lacrymabilis*, id est, *dolorosa*, seu debito dolore, & proposito affecta 13. *Accelerata*, ut non diu differatur. 14. *Fortis*, ut pœnitens constans sit, nec sinat se aliqua tentatione, aut humano respectu superari ad negligendam, vel omittendam confessionem, vel ad aliud quidpiam, præ pudore, & timore, prætermittendum, quod alioquin necessario dicendum esset. 15. *Accusans*, ut pœnitens sibimetipsi imputet peccata, & non aliis causis, v. gr. dæmoni impugnanti, carni blandienti, homini incitanti &c. item ut non extenuet sua delicta, prætexendo v. g. causas, ob quas ea, quæ certo novit mortalia, appareant dubia, vel venialia. 16. *Parere parata*: id est, pœnitens debet ita animo esse dispositus, ut paratus sit obedire in his, quæ ei Confessarius imponit, præscribit &c. Aliquæ recensitarum, & hucusque explanatarum conditionum ita necessariæ sunt ad confessionem, ut hæc sine illis, vel aliqua illarum non possit valida consistere: aliæ a diverso, & pleræque, solum ut utiles, ad confessionem rectius, & fructuosius instituendam deserviunt: veluti patebit consideranti. Porro aliquæ continent, aut involvunt difficultates (majores, minoresve) a Moralistis enodari solitas; aliquæ non. Hujus posterioris generis sunt itidem pleræque: prioris autem generis sunt conditiones *lachrymabilis*, seu *dolorosa*, *integra*, *fidelis*, *secreta*, & *accusans* adeoque *vocalis*. De prima ex his quinque conditionibus disseruimus *in cap. præced.* de aliis quatuor modo, & impræsentiarum ut disseramus, superest, ac oportet.

§. I.

§. I.

Qualiter Confessio debeat esse integra?

S U M M A R I U M.

547. *Integritas confessionis alia est* materialis, *alia* formalis. 548. & 549. *Integritas formalis est necessaria necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, materialis vero necessitate præcepti Divini.* 550. *Recensentur causæ excusantes ab integritate materiali confessionis.* 551. *Quænam ad hanc integritatem spectent?* 552. *Quænam in ordine ad procurandam integritatem confessionis observanda sint pœnitenti, examen conscientiæ instituenti?*

547. PRænotandum, duplicem esse integritatem Confessionis, nempe *materialem*, & *formalem*. Materialis tunc datur, quando pœnitens omnia omnino peccata sua mortalia, nondum clavibus subjecta, & legitime dimissa, tam quoad numerum, quam quoad speciem, etiam ex circumstantiis ortam, Confessario manifestat. Formalis est, quando pœnitens confitetur omnia, quæ hic, & nunc tenetur confiteri; licet ex justa causa aliqua omittat. Hoc prænotato,

548. Dico primo. Formalis integritas Confessionis est necessaria necessitate Sacramenti Pœnitentiæ. DD. communiter: imo conclusio est definita a Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7.

Probatur insuper ratione. Implicat, pœnitentem accedere dispositum ad Sacramentum Pœnitentiæ, si non accedat cum voluntate confitendi omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt, & quæ prudenter hic, & nunc potest, ac tenetur confiteri; prout sumitur ex natura, & institutione hujus Sacramenti: sed si pœnitens non accedat dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, istud validum consistere nequit, quippe dispositionem pœnitentis essentialiter includens; ergo &c.

Confirmatur. Ad sententiam perfecte remissivam culpæ requiritur, ut omnia delicta, ex quibus reatus culpæ consurgit, manifestentur Judici absolventi a culpa; maxime si unum delictum non possit remitti sine altero, veluti contingit in præsenti: sed absolutio Sacramentalis est sententia perfecte remissiva culpæ; ergo ad eam, ejusque, & ipsius adeo Sacramenti Pœnitentiæ, valorem requiritur, ut omnia delicta (videlicet mortalia, memoriæ occurrentia &c.) manifestentur Confessario tanquam Judici.

549. Dico secundo. Materialis integritas Confessionis non est necessaria (1) necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, quasi hoc sine illa nunquam possit validum consistere; sed (2) necessitate præcepti Divini. Est itidem communis DD. fundata Trid. pro *conclus. præced.* relato.

Probatur prima pars. Quia Confessio materialiter integra pœnitenti sæpe est impossibilis vel physice, vel saltem moraliter; prout infra patebit; ergo non est credibile, quod a Christo fuerit instituta tanquam necessaria necessitate Sacramenti.

Probatur etiam secunda pars ex verbis Tridentini *cit. Sess.* 14. *cap.* 5. quæ sunt: *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere.* Ex quibus liquet, integritatem materialem Confessionis per se esse necessariam necessitate præcepti Divini. Attamen hujus ipsius præcepti voluntaria transgressio (cum scilicet posses, ac deberes, non tamen exprimis omnia tua mortalia, sed unum, vel plura culpabiliter omittis) quia eo ipso tollit etiam integritatem formalem, indirecte redundat in defectum essentialem Sacramenti, ut nimirum valide non suscipiatur ob novum peccatum mortale sacrilegii: quemadmodum recte notant Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 8. *num.* 2. Sporer *de Pœnit.* *n.* 357. & alii passim.

550. Quæres primo, quænam sint justæ causæ, quibus pœnitens excusatur a materiali integritate Confessionis, ut tunc sufficiat integritas formalis?

Respondetur, assignari posse sequentes, in impossibilitate physica, vel morali fundatas. 1. Si pœnitens sit mutus, surdus, blæsus, alterius idiomatis a Confessario, & alio linguæ suæ gnaro destitutus. 2. Si recensens aliqua peccata subito alteretur, ut vel omnino non, vel non nisi cum summa difficultate reliqua peccata recensere possit. 3. Si sit infirmus, ut peccata exprimere non valeat, sed sola exhibere signa doloris. 4 Si Confessario, integram confessionem excepturo, vitæ periculum immineat; ut evenire solet tempore pestis. Item si pœnitenti, vel Confessario grave damnum, seu corporis, seu animæ, proprium, vel alienum, impendeat; ut si confessio nequeat fieri secreto. 5. Si prudenter timeatur, peccatum a Confessario revelatum iri; nec in confitendi necessitate alius Confessarius haberi possit. 6. Si pœnites rationabiliter metuat infamiam apud alios, quam apud Confessarium, nam detrimentum famæ apud alios incurrendum, cum sit Sacramento extrinsecum, omnino excusare censetur ab integritate materiali confessionis; non item detrimentum famæ incurrendum apud solum Confessarium, utpote quod est intrinsecum Sacramento, sequens ex ipsa peccati manifestatione. 7. Si instet conflictus, vel periculum naufragii. 8. Si peccatum, vel circumstantia manifestari nequeat, nisi violando sigillum Sacramentale, quod evenire potest in ipso Confessario confitente. 9. Si pœnitens sit valde scrupulosus de peccatis forte oblivioni datis. 10. Si pœnitens debilis sit memoriæ, recorderturque, se quidem peccasse mortaliter, nesciat autem peccatum in specie. 11. Si pœnitens bona fide judicet, se nullo alio peccato gravatum, vel hoc, aut illud non esse confitendum, cum tamen de se confitendum sit. Et quidem circa has causas conveniunt Authores, easque ab integritate materiali Confessionis excusare communiter admittunt: remanente tamen onere, peccata omissa postmodum confitendi, quando causa excusans cessaverit; siquidem Alexander VII. proscripsit istam *prop. ord.* 11. *Peccata, in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Prætecensitis causis adhuc alias tres superaddere nonnulli solent, vel saltem solebant olim. Sic Gobat *Theol. Experim. tr.* 6. *n.* 479. probabile censuit, illis accenseri posse magnum concursum pœnitentium. Sed hujus opinionis probabilitas elisa est ab Innoc. XI. qui confixit hanc *prop. ord.* 59. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* Tradit idem Author *loc. cit. n.* 462. cum plerisque aliis, causam insuper a materiali integritate Confessionis excusantem esse, quando femina prudenter formidat, Confessarium (cui tamen necessario confiteri debet, alio non suppetente) ex narratione peccatorum carnalium v. g. occasionem spiritualis ruinæ accepturum. Sed cum Sanct Gallensibus contrarium tenuimus *part.* 2. *n.* 232. Revide, & pondera. Tandem nonnulli assignant casum, quo pœnitens peccatum explicare nequit, nisi manifestet complicem. Sed neque his subscribere possumus; imo oppositum exprese tradituri sumus infra *num.* 592. quando scilicet nullum aliud incommodum, aut damnum expectandum est præter solam notitiam Confessarii ad sigillum arctissime servandum obligati.

551. Quæres secundo, quænam in confessione, ut censeatur integra, necessario exprimenda sint per se loquendo?

Respondetur, exprimenda esse 1. peccata mortalia certa (post Baptismum commissa) quoad numerum, & speciem, ex dictis *num.* 453. non item dubia sive positive, sive negative, ex dictis *nu.* 458. *& seq.* nisi dubium (positivum) sie unilaterale in sensu exposito *n.* 466. vel nisi dubium (seu positivum, seu negativum) solum versetur circa aliquid accessorium in sensu exposito *n.* 467. Quænam vero peccata distinguantur numero, & quænam specie, sat late deduximus *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 2. *cap.* 2. ubi etiam varia exempla attulimus. 2. Exprimendæ sunt circumstantiæ mortaliter mutantes peccati speciem, secundum dicta *num.* 470. non item aggravantes tantum, secundum dicta *n.* 471. Explicationem harum circumstantiarum in specie dedimus, etiam addocendo exempla, *part.* 1. *a num.* 608.

552. Quæres tertio, quænam in ordine ad procu-

randam

randam integritatem confessionis observanda sint pœnitenti, examen conscientiæ instituenti?

Respondetur primo. Tenetur in examine conscientiæ instituendo, & confessioni præmittendo circa investigandum numerum, & speciem peccatorum mortalium adhibere debitam diligentiam, nempe moralem, mediocrem, ac ordinariam, qualem in re gravi, & momentosa homines prudentes adhibere solent; summa enim, seu extraordinaria non requiritur. Ratio est: quia cum Christus ad functiones Sacramentales assumpserit actiones humanas, consequens est, ad illas rite obeundas sufficere diligentiam humanam, moralem, mediocrem, & ordinariam; non vero requiri summam, ac extraordinariam. Ex quo fit, ut pœnitens, cui debilis est memoria, non sit obligatus ad peccata scripto annotandum, esto timeat, ne alioquin in confessione quorundam obliviscatur: quia similis annotatio denotat diligentiam extraordinariam. Bonacina, Filliucius, Coninch, Sporer *numer.* 366. Ex eodem capite non tenetur post peccata commissa statim confiteri, etiamsi prævideat, fore, ut lapsu temporis aliqua mortalia excidant memoriæ, neque eorum recordari facile possit, dum conscientiam pro facienda confessione discutiet. Bonacina, Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disput.* 5. *art.* 2. *num.* 8. & alii passim.

Respondetur secundo. Si pœnitens, adhibita morali diligentia, certum peccatorum mortalium numerum (idem cogita de specie) deprehenderit, tenetur illum exprimere, nihil addendo, & nihil demendo. Ratio est: quia peccata sunt Confessario aperienda, prout relucent in conscientia pœnitentis. Si vero numerum certum, ac determinatum non deprehendit, tenetur exprimere verisimiliorem, seu talem, qui magis ad numerum certum accedit, addendo *circiter*, *plus minus*. Ratio est: quia sic, & non aliter, tunc facit, quod factu moraliter possibile. Quod si nec certum, nec probabilem numerum deprehenderit, satisfaciet, exprimendo consuetudinem, & tempus persistentiæ in tali statu, nec non modum frequentiæ per dies, ac septimanas, quoad fieri potest. Unde meretrix, v. g. quæ passim se prostituit, si non possit certum, aut probabilem numerum suarum turpitudinem invenire, tenetur dicere tempus, quo ab ultima confessione in eo statu vixit, & simul quam frequenter circiter solita sit peccare intra septimanam; item cum qualibus personis, v. g. an cum solutis, conjugatis, voto ligatis &c.? & cum quibus earum (*præter propter*) frequentius. Ratio itidem est: quia in tali quoque casu fit, quantum moraliter fieri potest &c. DD. communiter.

§. II.

Qualiter Confessio debeat esse fidelis, seu verax?

SUMMARIUM.

553. Confessio in materia substantiali, & necessaria, essentialiter debet esse verax. 554. Pœnitens, qui in tali materia mentitur, duplicis peccati mortalis se reum constituit. 555. Confessio in materia non necessaria, non debet esse verax essentialiter, per se loquendo. 556. Qualiter peccet, qui intra Confessionem mentitur in materia ad confessionem non pertinente, v. g. allegando falsum nomen, aut patriam?

553. Dico primo. Confessio in materia substantiali, & necessaria, essentialiter debet esse verax. DD. communiter.

Probatur. Quia alioquin pœnitens mentitur circa illam materiam, quod semper est peccatum mortale, & Sacramenti irritativum; ergo &c. Prob. ant. Vel enim pœnitens negat, se fecisse mortale, quod tamen fecit; vel affirmat, se fecisse, quod non fecit? Si primum; mentitur, & graviter præjudicat integritati Confessionis. Si secundum; itidem mentitur, & graviter decipit Confessarium, ejusque judicium in materia necessaria notabiliter immutat.

554. Colliges, pœnitentem alterutro modo mentientem intra confessionem, duplicis peccati mortalis reum fieri. Ratio est: quia peccat peccato mendacii graviter perniciosi contra virtutem Veracitatis; & peccato gravis sacrilegii contra virtutem Religionis, vi cujus Sacramenta valide, & digne suscipienda sunt, Sporer ubi supra *n.* 482, & alii passim.

555. Dico secundo. Confessio in materia non necessaria, non debet esse verax essentialiter, per se loquendo. Ita rursus DD. communiter.

Probatur. Quia licet etiam tunc, seu in tali quoque materia mentiatur, dicendo, se fecisse veniale (vel mortale jam legitime remissum) quod non fecit, vel non fecisse, quod fecit, haud tamen mortaliter peccat, cum nec judicium Sacramentale in materia necessaria notabiliter immutet, nec integritati Confessionis graviter præjudicet, utpote quæ adhuc salva consistit quoad substantialia: adeoque nec Sacramentum reddit irritum; ergo &c. Peccat proinde pœnitens hoc tali modo mentiens venialiter solum, peccato tamen duplici, quorum unum virtuti Veracitatis, alterum virtuti Religionis leviter adversatur.

Dixi in conclus. *per se loquendo*. Posset enim pœnitentes per accidens etiam mortaliter peccare, *v. g.* si nullam aliam materiam afferret præter veniale falso allegatum: hoc quippe casu Sacramentum, ob defectum materiæ, foret irritum, & nullum; adeoque committeretur grave sacrilegium. Geminum argumentum, quod contra conclus. hic opponi posset, solutum invenies infra *cap. & seq.*

556. Quæres, qualiter peccet, qui intra confessionem mentitur in materia ad confessionem non pertinente, *v.* g. allegando falsum nomen, aut patriam?

Respondetur. Si mendacium de se sit leve, etiam dictum intra confessionem, manet leve; neque circumstantia confessionalis, aut confessionis affricat illi aliquam pravitatem sacrilegii, sive mortalem, sive venialem. Filliucius *tr.* 7. *c.* 4. *n.* 111. Gobat *tr.* 6. *n.* 545. & alii. Ratio est: quia tale mendacium nec decipit Confessarium qua talem, nec ejus judicium alterat, etiam leviter tantum, hoc ipso, quod fiat in re ad confessionem non pertinente; multo minus invalidat Sacramentum; veluti fluit ex dictis *n. præced.* ergo &c. Non tamen videtur negandum, illud mendacium aliqualiter aggravari ex circumstantia confessionis, cui a pœnitente voluntarie conjungitur. Quod si mendacium ponatur de se esse grave, manet similiter & ipsum tale, esto intra confessionem sit dictum; neque ex circumstantia confessionis, quatenus intra hanc profertur, attrahit sibi aliquam malitiam sacrilegii; esto inde aggravetur. Ratio itidem: quia hujusmodi quoque mendacium non decipit Confessarium qua talem, neque ejus judicium alterat, ob fundamentum proxime allatum. Interim quia pœnitens sic mentiendo novum peccatum mortale committit, idque in eadem confessione clavibus non subjicit, Sacramentum Pœnitentiæ irritum reddit; atque ex hoc capite sacrilegium committit: veluti de se patet. Authores *cit.* & alii, quamvis hoc in puncto non sint satis clari.

§. III.

Qualiter Confessio debeat esse vocalis, & secreta?

SUMMARIUM.

557. Exponitur status quæstionis. 558. Confessio solum debet esse vocalis de necessitate præcepti Ecclesiastici non scripti. 559. Recensentur casus, in quibus aliter, quam ore, fieri potest. 560. Eadem necessitate debet esse secreta. 561. & seq. Nemo per se loquendo tenetur confiteri publice, aut per interpretem.

557. PRænotandum; & quidem circa primam quæstionis partem, hanc conditionem, ut confessio sit *vocalis*, signate, explicite, & formaliter non connumerari inter conditiones supra recensitas, atque expositas; contineri tamen inter illas implicite, virtualiter, & deductive, quatenus comprehenditur sub conditione *accusans*: siquidem accusatio ut plurimum fieri voce solet. Circa alteram vero quæstionis partem, secretum confessionis aliud esse, quod facta confessione obstringit Confessarium, de quo *disputat.* 4. agemus; aliud, quod concernit pœnitentem in facienda confessione coram solo Sacerdote, remotis arbitris. Hoc præmisso,

558. Dico primo, Confessio non debet esse vocalis (1) necessario necessitate Sacramenti; neque (2) necessitate præcepti Divini; sed (3) necessitate præcepti Ecclesiastici non scripti, seu consuetudinarii. Ratio primi est: quia natura Judicii non postulat certum

modum

modum accusationis, dummodo delicta Judici satis innotescant: id quod absolute fieri etiam per scripturam, aut nutus potest. Ratio secundi est; quia Christus Sacramentum Pœnitentiæ per modum Judicii instituendo nullibi legitur præscripsisse voces pro confessione facienda. Ratio tertii est: quia Ecclesiæ traditio, & universalis consuetudo, fideliumque praxis declarat, confessionem debere fieri propriæ vocis sermone; hic enim modus est omnium optimus: & quoniam communi Ecclesiæ usu, ut dixi, receptus est, obtinet vim præcepti graviter obligantis pœnitentes, loquendi facultate pollentes. Sporer *a n.* 488. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *n.* 83. Michel *fol.* 500. *n.* 14. *& seq.*

559. Quæres, an nulli dentur casus, in quibus pœnitens, etsi facultate loquendi præditus, per scripturam confiteri, & Confessarius ipsum sic confessum absolvere possit?

Respondetur, dari aliquos, & esse sequentes. 1. Si puella aliqua v. g. ob maximam verecundiam peccatum suum ore promere nolit, & sic moraliter quasi non valeat; poterit enim tunc prudens Confessarius connivere, illius confessionem in scripto acceptare, & præsentem absolvere: modo ante absolutionem coram Confessario proferat hæc verba; *Accuso me de his peccatis, quæ ego scripsi, & R. V. legit*. Neque hic confitendi modus adversatur Decreto Clementis VIII. Eo quippe solum prohibetur, ne absenti fiat confessio per scripturam, & ab absente absolutio obtineatur: id quod non evenit in nostro casu, utpote in quo & confessio, & absolutio fit per præsentem, ut patet. 2. Si ægrotus ex gutture laborans absolute quidem ore confiteri valeat, at non nisi ægre, & difficulter, si peccata scribere possit, urgendus non erit ad confessionem ore faciendam; modo & hic, si fieri queat, in ordine ad absolutionem obtinendam proferat ore hæc verba: *Accuso me de istis peccatis, quæ ego scripsi, & R. V. legit*. 3. Si Confessarius animadvertat, se subito obsurdescere, ut pœnitentem, qui peccata sua ex scripto legit, intelligere nequeat, nisi etiam adstantes audiant; quo casu poterit scriptum a confitente oblatum legere, & pœnitentem (præmissis ab eo illis vocibus supra *Accuso me &c.*) postea absolvere. Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 6. *n.* 3. Sporer *n.* 490. Stoz ubi supra *n.* 82.

560. Dico secundo, Confessio similiter non debet esse secreta (1) necessario necessitate Sacramenti; neque (2) necessario necessitate præcepti Divini, sed (3) necessario necessitate præcepti Ecclesiastici non scripti, seu consuetudinarii. Ratio primi, & secundi est: quia cum natura, seu institutione Sacramenti pœnitentiæ, & Præcepto Divino Confessionis non pugnat, siquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta publice confiteatur (prout habet Trident. *Sess.* 14. *cap.* 5.) idque (ut addunt Laymann *loc. citat. num.* 1. Sporer *num.* 484. & alii) etiam in ordine ad Sacramentalem absolutionem accipiendam: consequenter &c. Ratio tertii est: quia enim præstat, & rationi magis consentaneum est, confiteri secreto, ideo hic confitendi modus communi Ecclesiæ usu, & consuetudine, vim legis habente, receptus est, itaque invaluit, ut extra casum necessitatis, aut extraordinariæ utilitatis, publice Sacramentalem facere confessionem graviter illicitum sit. Michel *fol.* 500. *n.* 12. & alii passim.

561. Colliges primo, neminem per se loquendo obligatum esse ad confessionem publicam, etiam in articulo mortis. Suarez *disp.* 36. *sect.* 4. *n.* 5. Vasquez *q.* 91. *art.* 4. *dub.* 3. & alii communiter. Ratio est: quia licet Christus non vetuerit (ut notat Trid. supra) tamen sub præcepto ponere noluit confessionem publicam ob enormem gravitatem talis oneris, ac varia incommoda infamiæ, & scandali inde oritura: ob quæ (ut tradit idem Trid.) confessio ab Ecclesia ne quidem præcipi posset. Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens fieri potest, ut quis ad confessionem publicam obstringatur, ut si sit constitutus in articulo mortis, & advertat, se non posse perfectam de peccatis gravibus, a quibus nunquam fuit, sive directe, sive indirecte absolutus, contritionem elicere. Hoc quippe casu non quidem positiva lex Christi, sed naturalis lex Charitatis, ne anima æternæ damnationis periculo exponatur, obligat, neglecto famæ dispendio, ad confitendum publice, seu coram aliis, qui removeri non possunt, veluti in hospitali pestiferorum, naufragio &c. sic tamen, ut pœnitens non teneatur omnia peccata recensere, sed graviora possit reticere, imo scandalosa reticere debeat: uti monet Fagundez *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 8.

562. Colliges secundo, etiam neminem per se loquendo obligatum esse ad confessionem faciendam per interpretem. Navarrus *in Manual. cap.* 2. *n.* 5. Hetinck *de Confess. n.* 90. & alii communiter. Ratio est: quia & iste confitendi modus est publicus, ac obnoxius valde magno incommodo, quod quis subire cogeretur, si prius alteri, quam ipsimet Confessario teneretur sua detegere peccata; ergo non debet censeri præceptus a Christo, utpote cujus jugum suave est, & onus leve. Dixi itidem: *per se loquendo*. Siquidem & hic fieri per accidens potest, ut pœnitens teneatur confiteri publice tali modo, id est, per interpretem; & quidem a potiori, cum modus confitendi per interpretem sit, vel esse possit minus publicus, ac modus confitendi coram aliis, præsertim pluribus. Ponatur casus *n. præced.* allatus, nempe quod pœnitens sit constitutus in articulo, seu periculo mortis, & peccatis mortalibus, needum per absolutionem Sacramentalem directe, aut indirecte remissis, gravatus, super quibus contritionem perfectam se elicere posse diffidit, copiaque Confessarii, suam linguam callentis, destitutus: talis enim pœnitens omnino tenebitur ex charitate erga seipsum confiteri per interpretem, saltem peccata, quæ minus probrosa sunt, & cum limitatione *num. præced.* adhibita.

ARTICULUS II.

Quæsita, & Responsa circa invaliditatem, & revalidationem Confessionis.

SUMMARIUM.

563. Quid hic observandum, si pœnitens peccata gravia fuerit confessus uni Confessario, & levia alteri? 564 & 565. Quid si sit confessus Confessario dormitanti, surdastro, distracto, vel ita indocto, ut nesciat discernere inter lepram, & lepram? 566. Quid si Confessarius, ob debilitatem memoriæ v. g. sit oblitus statum pœnitentis confessi &c.? 567. Quomodo se gerere debeat pœnitens, in præcedenti confessione circumstantiæ, peccati speciem mortaliter mutantis, oblitus? 568. Item quomodo se gerere debeat Confessarius, si pœnitens simpliciter fateatur, se hactenus non esse recte confessum? 599. Proponitur praxis facilitandi repetitionem confessionum.

563. QUæres primo, an pœnitens mortaliter peccet, adeoque invalide confiteatur, & Confessionem revalidare debeat, si prius confiteatur peccata gravia uni Confessario, & levia alteri, aut vicissim?

Respondetur, quod sic confitendo prius gravia non peccet mortaliter, per se loquendo; imo nec venialiter. Ratio est: quia pœnitens nullatenus agit contra præceptum de servanda integritate confessionis, neque contra aliud præceptum; cum ipsi integrum, liberumque sit, peccata gravia prius deferre ad unum Confessarium, v. g. ignotum, quam levia deferat ad alterum, v. g. notum, aut ordinarium. Unde Confessarius improbare non debet, quod pœnitens suus ordinarius quandoque alteri confiteatur; sed illi permittere suam libertatem, ne, si secus fiat, ansam sumat peccata graviora apud ordinarium Confessarium præ verecundia sacrilege reticendi. Dixi: *per se loquendo*. Nam per accidens contingere potest, ut mortaliter peccet, invalide confiteatur, & per consequens confessionem revalidare debeat; uti fieret, si taliter confitendo pœnitens exponeretur periculo gravia peccata non emendandi: vel venialiter, & citra invaliditatem confessionis (uti fieret, si pœnitens ita confiteretur ex fine leviter malo. Quod si pœnitens (ut etiam ad alterum quæsiti membrum respondeatur) suo Confessario (aut cuicunque alteri) confiteretur prius peccata levia, & gravia reticeret, postmodum deferenda ad alium Confessarium, peccaret mortaliter contra præceptum de integra confessione præstanda, priorem confessionem, utpote indispositus, invalidam redderet, & repetere, ac revalidare teneretur: id quod per se patet. Ita cum communi P. Herzig *in Manual. part.* 2. *num.* 29.

564. Quæ-

564. Quæres secundo, an sit valida, & idcirco non revalidanda confessio, quæ fit Sacerdoti dormitanti, surdastro, vel ita distracto, ut peccata etiam graviora non rite percipiat?

Respondetur affirmative: modo pœnitens bona fide procedat, & Confessarius unum saltem, vel alterum peccatum percipiat. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 5. Laymann ubi supra *cap.* 9. *n.* 5. Sporer *n.* 497. Leonardelli *n.* 52. Ratio est: quia essentia, & effectus Sacramenti consistere potest absque materialiter integra, & specifica explicatione, ac perceptione peccatorum, utpote quæ non est necessaria necessitate Sacramenti, sed solum necessitate præcepti Divini, a cujus observatione pœnitens ob bonam fidem excusatur; nec in casu posito peccat, aut Sacramentum irritat; cum faciat confessionem formaliter integram, quæ sola est de necessitate Sacramenti. Quare pœnitens sic confessus non tenetur suam confessionem revalidare, sed sola peccata gravia, a Confessario non percepta, in sequenti confessione repetere; sicut alias fieri debet quoad peccata, nondum directe remissa. Dixi, *modo pœnitens bona fide procedat*. Si enim procedat mala fide, puta si studio, & data opera accedat illiusmodi Confessarium, cum posset habere alium, munere suo rite functurum, graviter delinquit contra præceptum de servanda integritate confessionis: & consequenter tanquam indispositus confessionem invalidam facit, eamque totam repetere, ac revalidare debet.

565. Quæres tertio, an sit valida, & ideo non repetenda confessio, quæ fit Confessario, ita indocto, ut nesciat discernere inter leoram, & lepram, id est, inter peccatum mortale, & veniale, inter speciem, & speciem peccatorum, inter unitatem, & pluralitatem eorum, ne quidem in casibus frequenter occurrentibus?

Respondetur itidem affirmative, si pœnitens bona fide procedat. Lessius *V. Confessio cas.* 5. Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *pun.* 4. Palao *tr.* 23. *disp. unic. pun.* 12. Ratio est: siquidem, esto Christus præceperit Confessariis, ut, quoad fieri possit, peccatorum gravitatem, speciem, ac numerum intelligant, non tamen censendus est eorum intelligentiæ valorem Sacramenti alligasse, fere sicut valorem Sacramenti non alligavit probitati Ministri. Dixi autem rursus: *si pœnitens bona fide procedat*. Nam si mala, & ex industria Confessario tam rudi confiteatur, graviter delinquit, facit confessionem sacrilegam, ac invalidam, proindeque necessario repetendam, secundum dicta *n. præced.* in simili.

§66. Quæres quarto, an Confessarius, ob debilitatem memoriæ, aut aliam ejusmodi causam, statum pœnitentis oblitus, obligeretur, antequam absolvat, exigere aliquam repetitionem confessionis? Eadem quæstio moveri potest circa pœnitentem, qui confitetur illi Confessario, cui antea confessus est invalide, an nimirum ejusmodi pœnitens teneatur omnia peccata mortalia in specie repetere, vel vero sufficiat, si in confuso per confirmationem præcedentis confessionis se accuset?

Respondetur. Quando Confessarius jam ante ejusmodi oblivionem injunxit pœnitentiam, valide, & licite potest absolvere pœnitentem, modo recordetur, illum absolutione dignum fuisse judicatum, & pœnitentiam esse impositam. Ratio est: quia hoc ipso, quod Confessarius imposuerit pœnitentiam (eamque proportionatam; ut supponitur) & hujus recordetur, prudenter præsumere potest, se peccata pœnitentis sufficienter percepisse, licet de facto eorum in specie non amplius recordetur; siquidem, ut observat Dicastillo *disp.* 3. *dub.* 6. non est legitima hæc illatio Confessarii: *fui distractus, & ignoro nunc, quid dixerit pœnitens; ergo non intellixi, vel non percepi peccatum*. Persæpe enim contingit, ut distractio ad alia objecta sit valde tenuis, nec impediat sufficientem perceptionem peccatorum, sed solum faciat, ut brevi, vel etiam statim effluat memoria eorum. P. Leonardelli *part.* 1. *de Pœnit. n.* 52. & alii communiter. Quando autem Confessarius ante illiusmodi oblivionem nondum injunxit pœnitentiam, distinguendum est. Vel enim Confessarius est ita oblitus statum pœnitentis, ut eum nec in confuso sciat; vel non est ita oblitus, quin illius saltem confusam notitiam habeat. In priore casu talis saltem repetitio exigenda est, quæ sufficiat ad revocandam priorem notitiam in confuso, & ad imponendam porportionatam pœnitentiam; alioqui absolutio erit quidem valida, sed non licita. Ratio hujus est: quia licet specifica, & particularis peccatorum cognitio, etiam confusa tantum, non sit necessaria necessitate Sacramenti; est tamen necessaria necessitate præcepti Divini; præsertim cum alias proportionata delictis pœna imponi non possit. In posteriore casu nihil repetitionis expetendum. Ratio est: quia talis recordatio, & notitia confusa est, vel potius supponit debitam perceptionem peccatorum (ut mox supra notatum, & explanatum est) & sufficit ad imponendam pœnitentiam proportionatam. S. Antoninus, Navarrus, Toletus, Laymann, Sa quos refert, & sequitur Sporer *loc. cit. num.* 503. aliique communiter. Ex quibus plures requirunt, ut in posteriore casu pœnitens se in genere accuset de peccatis antea ennarratis. Sed non subscribo, nisi confessio, prima facta, fuerit extra-Sacramentalis, aut invalida. Ratio est: quia si confessio jam antea fuerit Sacramentalis, nec fiat novum compositum Sacramentale, non apparet, quare fieri debeat nova accusatio, etiam generica tantum. Requiritur tamen ejusmodi accusatio, si confessio antea non fuerit Sacramentalis; quoniam ista per illam fieri Sacramentalis; debet: vel quando prior confessio fuit sacrilega, & nulla; tunc enim constitui debet novum compositum Sacramentali validum, ad quod requiritur nova confessio valida (nempe confusa saltem, ac generica, si confessio repetatur apud eundem Confessarium; distincta vero, si apud diversum) quæ sit pars constitutiva talis compositi.

567. Quæres quinto, an, qui in præcedenti confessione oblitus est circumstantiæ speciem mortaliter mutantis, satisfaciat, si in subsequenti confessione aperiat solam ejusmodi circumstantiam, & peccatum ipsum dissimulet?

Respondetur, quod satisfaciat, si circumstantia sit declarabilis, quin aperiatur, sive de novo declaretur ipsum peccatum: secus, si circumstantia non sit ita declarabilis. Res patet in exemplis. Ponamus enim, quod Cajus, voto castitatis ligatus, fornicationem commiserit, & in confessione expresserit solum peccatum fornicationis, omissa inculpabiliter circumstantia sacrilegii, non tenebitur in altera, seu subsequenti confessione peccatum fornicationis repetere, sed satisfaciet dicendo: *violavi graviter votum*; quia videlicet omnia peccata, votis opposita, si considerentur, in quantum præcise sunt violationes votorum, pugnantes contra secundum præceptum Decalogi, existunt ejusdem speciei. Ponamus e diverso, quod idem Cajus Cajam per gravem violentiam adegerit ad fornicandum, & in confessione meminerit solius fornicationis, per inculpabielm oblivionem omissa circumstantia violentiæ, non satisfaciet in sequenti confessione, si, reticito peccato fornicationis, solitarie se accuset circumstantia violentiæ, dicendo: *adhibui gravem violentiam*: quia non omnia peccata contra Justitiam, contra quam militat quoque violentia, existunt ejusdem speciei, cum speciem suam accipiant a damno, quod alteri per violentiam infertur, quodque est alterius speciei relate ad bonum castitatis, quam ad bonum fortunæ &c. consequenter circumstantia violentiæ secundum suam speciem (subintellige infimam) explicari non potest, nisi etiam explicetur ipsum peccatum, ad quod perpetrandum adhibita fuit. P. Gobat *tr.* 6. *n.* 573. P. Leonardelli *n.* 57. & alii communiter. Videri præterea potest P. Gobat *n. seq.*

568. Quæres sexto, quomodo Confessarius se gerere debeat, si pœnitens simpliciter confiteatur, se hactenus non recte confessum esse, aliquod peccatum omisisse, vel reticuisse, gravari adhuc peccato antiquo, in juventute, adolescentia, aut pueritia commisso?

Respondetur, quod Confessarius ad duo respicere debeat, nempe *ad ipsum peccatum omissum*, & *ad omissionem ejus*. Respiciendo præcipue *ad ipsum peccatum*, interroget pœnitentem, an tunc, quando illud peccatum (vel peccata) commisit, jam sciverit, aut putaverit esse grave, seu mortale peccatum; vel postea primum, v. g. in concione, in catechesi &c. audierit esse tale? Si hoc secundum, confessiones hucusque factæ omnes valuerunt: & consequenter repetendæ non sunt; nisi forte pœnitens erronee existimaverit, illud

illud peccatum, post acquisitam ejus notitiam, esse necessario confitendum, & tamen scienter reticuerit; aut peccatum, post eandem notitiam, denuo perpetratis, & voluntarie, ac scienter omiserit: tunc quippe confessione, a tempore acquisitæ notitiæ peractæ, non valuerunt; proindeque repetendæ sunt. Si primum; sciscitetur ex pœnitente, an a tempore illius peccati commissi, id scienter, & malitiose reticuerit in singulis confessionibus? Si ita esse fateatur, adigendus erit ad repetitionem omnium confessionum, ab eo tempore depositarum, seu sacrilegarum, & irritarum. Si ita esse neget; dicatque, se illud semper omisisse inculpate, eo quod v. g. ejus nunquam in examine conscientiæ sit recordatus; vel putaverit, non esse modo confitendum, sed tempore Jubilæi, in loco celebris alicujus peregrinationis &c. nullam confessionem repetere tenebitur, eum omnes fuerint validæ. Quod si asserat pœnitens, se quidem aliquanto tempore, v. g. sex annis, peccatum malitiose reticuisse; reliquo autem tempore, & annis subsecutis per inculpatam oblivionem omisisse, animo tamen præparatus confitendi omnia peccata, modo occurrerent: In hoc casu repetendæ quidem sunt confessiones illæ priores, mala fide peractæ, utpote invalidæ; non autem posteriores, peractæ bona fide, utpote quæ fuerunt validæ. Gobat *tr. 6. n. 571.* La Croix *lib. 6. p. 2. n. 1223. & seq.* Sporer *n. 505. & seq.*

Respiciendo præcipue *ad omissionem peccati*, quando pœnitens rotunde fatetur, se aliquod peccatum grave, cognitum ut tale, semper mala fide in confessionibus præcedentibus reticuisse, non illico Confessarius eum urgeat, necesse est, ad repetitionem illarum confessionum; sed interroget prius, an scîverit (vel saltem dubitaverit) esse peccatum mortale in confessione reticere hujusmodi peccatum, & propter ejus reticentiam confessiones suo valore destitui? Si affirmet, urgendus est ad repetitionem: secus, si neget; in hoc quippe casu posteriore, cum confessiones (supposito dolore universali de omnibus peccatis) fuerint validæ, omnia peccata præter omissum directe remissa sunt; adeoque solum omissum (vel omissa) adhuc clavibus necessario subjiciendum restat. Quod si Confessarius advertat, vel pœnitens ipse fateatur, se in actione, quam exercuit, ejusque coram Confessario reticentia apprehendisse quidem peccatum aliquod, non tamen cogitasse (vel dubitasse, aut suspicionem habuisse) essetne mortale, vel veniale, repetitione confessionum opus haud erit; quia juxta probabilem, vel etiam probabiliorem sententiam (a nobis traditam *part. 1. n. 58.*) pœnitens tali casu (qui tamen rarus est; ut *loc. immediate cit.* prænotavimus) non deliquit, nisi venialiter: consequenter &c. Sporer *a n. 507.* & La Croix ubi supra.

569. Quæres septimo, qualiter Confessarius repetitionem confessionum dirigere, & facilitare possit, vel etiam debeat?

Respondetur, id fieri posse sequenti fere modo. Sciscitetur inprimis ex pœnitente, quanto tempore a prima confessione tale peccatum reticuerit? & quoties ab illo tempore Confessionem, ac Communionem obierit? Postea inquirat species peccatorum, habita ratione status, in quo pœnitens versatur, aut versabatur, quando peccavit; ac præterea numerum, in quantum fieri moraliter potest, proponendo prius magnum, deinde parvum, & denique medium, si pœnitens magnum, & parvum fuisse, aut esse neget. Quod si pœnitens hic, & nunc peccatorum suorum species, aut numerum, ne verisimiliter quidem, edicere possit, per se loquendo dimittendus esset, ut se examinaret, & præpararet ad confessionem rite instituendam; per accidens tamen (puta ob periculum sat frequens non revertendi ad te, vel alium Confessarium) illum (nisi de situ sis moraliter certus) dimittere non debes, præsertim quando urget necessitas confitendi verb. gr. ante sumptionem Communionis Paschalis: tali igitur casu auditis peccatis, a proxima confessione patratis, cum aliqua, moraliter tunc possibili, notitia status, & peccatorum antea patratorum, & pœnitentem, de omnibus peccatis suis vere dolentem, absolvere poteris, tanquam formaliter integre confessum; addita tamen monitione, & insinuatione obligationis, quam adhuc habeat ad conscientiam exactius discutiendam, & confessionem peccatorum, penitius cognitorum, iterandam. Allaborandum insuper, & vel maxime, est Confessario, ut pœnitentem excitet ad debitum dolorem de peccatis, & propositum ea posthac evitandi, suggerendo motiva ipsius statui accommodata. Gobat *tr. 7. a n. 261.* Sporer *a n. 513.* La Croix ubi supra *num. 1226. & seqq.*

CAPUT III.

De Absolutione.

PEr præcedentia duo capita expedivimus, quæ geminam Partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ, Contritionem scilicet, ac Confessionem, concernunt; modo, & in hoc tertio capite expedienda veniunt, quæ ejusdem Sacramenti Partem formalem, nempe Formam Absolutionis, concernunt. Et quidem, quænam sit hæc Forma, qualemque faciat sensum, relinquitur ex dictis *disp. 1. cap. 2. art. 3.* Restat tamen decidendum, 1. An eadem Forma debeat necessario necessitate Sacramenti esse vocalis? 2. An possit proferri in absentem? 3. Quando danda, vel neganda sit absolutio pœnitenti versanti in occasione proxima, aut consuetudine peccandi moraliter? Esto proinde

ARTICULUS I.

Utrum Absolutio necessario necessitate Sacramenti debet esse vocalis?

SUMMARIUM.

570. Absolutio a peccatis debet esse vocalis necessario necessitate Sacramenti. 571. & seq. Solvuntur objectiones.

570. DIco. Absolutio a peccatis necessario necessitate Sacramenti debet esse vocalis, adeo, ut nunquam valeat impensa per scripturam, aut nutus. DD. communissime.

Probatur. Siquidem Christus Sacramentum Pœnitentiæ ita instituit, ut ejus formam noluerit consistere in scriptura, aut nutibus, sed in verbis: veluti aperte colligitur tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, volentis, ut absolutio a peccatis semper proferatur ore; tum ex Concil. Florent. quod in Decreto Eugenii ait, *formam hujus Sacramenti esse verba, quæ Sacerdos profert, &c.* Ergo &c.

571. Objicies primo. In Judicio sufficit sententia lata per scripturam, vel nutus; ergo etiam in Sacramento Pœnitentiæ, utpote quod obtinet rationem, & formam Judicii.

Respondetur conc. ant. & neg. cons. Ad rationem hujus probativam ajo, Sacramentum Pœnitentiæ esse quidem institutum in forma Judicii, non tamen ita, quin Christus Dominus in illius institutione aliquas conditiones potuerit præscribere, & ipsa præscripserit, quæ non serventur in aliis Judiciis: id quod nobis innotescit ex unanimi sensu, & continua praxi Ecclesiæ, cui vel maxime inniti, atque insistere debemus: sensus autem, & praxis Ecclesiæ exposcit, ut in Judicio Sacramentali Pœnitentiæ sententia, seu absolutio a peccatis proferatur ore; etsi id non requiratur in aliis Judiciis.

Dices. Quia Matrimonium habet rationem contractus, ad ejus valorem non minus, ac in aliis contractibus, sufficit mutuus consensus contrahentium, scripto, vel nutibus expressus; ergo a pari, quia Sacramentum Pœnitentiæ habet rationem Judicii, ad ejus valorem non minus, ac in aliis Judiciis, sufficiet sententia Judicis, seu absolutio Sacerdotis, scripto, vel nutibus expressa.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est; quia Christus contractum matrimonialem elevando ad rationem, & dignitatem Sacramenti, illum reliquit in suo esse, quod jam antea, & ab exordio mundi habebat, intrinsece immutatum; prout explicatius dicturi sumus *part. seq. tract. 2. disput. 2.* Unde sicut antea valide celebrari potuit per scripturam, aut nutus; ita & modo potest. E diverso dum Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit in forma Judicii, istud intrinsece immutavit, & voluit, ut, quatenus Sacramentale

est, vestitetur, & perficeretur nonnullis aliis conditionibus, quibus non indiget; quatenus est extra Sacramentale; inter has autem conditiones vel maxime computanda venit, quod absolutio a peccatis debeat ore, seu voce humana Sacerdotis proferri.

572. Objicies secundo. Non invalidatur Sacramentum Pœnitentiæ, quando pœnitens scripto, vel nutibus aperit sua peccata Sacerdoti præsenti, & hic simili modo pœnitentiam injungit; ergo nec invalidabitur, quando Sacerdos scripto, vel nutibus absolvit a peccatis sine interventu vocis oretenus prolatæ.

Respondetur, neg. conf. Disparitas petenda est ex voluntate Christi, Sacramentorum Institutoris, cujus sensus nobis innotescit ex traditione, & praxi Ecclesiæ, juxta quam absolutio a peccatis semper debuit, & debet fieri vocibus, seu verbis ore prolatis; non item confessio, aut Pœnitentiæ impositio. Rationes congruentiæ, ob quas Christus aliter disposuit, & Ecclesia utcunque practicavit circa unum, ac alterum sunt 1. quia convenit formam esse magis expressam, & determinatam, ac sit materia, ad quam pertinent confessio, & pœnitentiæ impositio. 2. Quia frequenter accidit, ut pœnitens non possit aliter confiteri, vel percipere impositionem pœnitentiæ, nisi per scripturam, aut nutus: e diverso rarissime contingit, ut Confessarius nequeat aliter absolvere, ac per scripturam, aut nutus.

ARTICULUS II.

Utrum Absolutio a peccatis, impertiri possit absenti?

SUMMARIUM.

573. Absolutio a peccatis illicite, & invalide datur pœnitenti tam physice, quam moraliter absenti. 574. & seqq. Solvuntur objectiones. 577. Exponitur Decretum Clementinum. 578. Valida, quamvis extra casum necessitatis illicita, est confessio illius, qui sua peccata in scripto transmisit, & postmodum coram Sacerdote præsente se desuper accusat &c.

NEmo est, qui unquam in dubium revocaverit, aut de facto revocet, quin Christus Dominus Sacramentum hoc potuisset ita instituere, ut absolutio a peccatis tam licite, quam valide impertiri posset absenti. An autem de facto sic instituerit? olim sub Judice lis erat; quam tamen Romanum Tribunal modo diremit, ut statim videbimus. Quare

573. Dico: Non solum illicite, sed etiam invalide absolutio a peccatis impertitur pœnitenti, tam physice, quam moraliter absenti. Ita hodie communissima, & certa DD. sententia.

Probatur. Quia superiore seculo, videlicet *an.* 1602. *die* 20. *Junii*, emanavit aliqua Bulla (quæ est 87. *ex Clementinis*) hujus tenoris: *S. D. N.* (nempe Clemens VIII.) *re mature, ac diligenter considerata hanc propositionem (scilicet licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere) ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit: præcepitque, ne deinceps ista propositio publicis, privatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam, tanquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*: addendo excommunicationem ipso facto incurrendam, & sibi reservatam contra violantes hoc Decretum, præter alias pœnas a Judicibus infligendas. Unde sic licet arguere: Absolutio a peccatis pœnitenti, tam physice, quam moraliter absenti, impertitur illicite in quovis, etiam extremæ necessitatis casu; ergo etiam impertitur invalide. Ant. liquet ex præallegato Decreto. Cons. ostenditur: siquidem Ecclesia nunquam prohibet fieri aliquid in casu necessitatis, quod est homini necessarium ad salutem, nisi id judicet simul invalidum (prout cum communi DD. recte advertit P. Viva *supra cit. prop. fol.* 351. atqui posset contingere casus necessitatis, in quo absolutio a peccatis pœnitenti, tam physice, quam moraliter absenti, foret necessaria ad salutem: quemadmodum rem vel obiter consideranti patebit; ergo Ecclesia illam non prohiberet in tali casu, nisi simul invalidam judicaret: consequenter &c.

Confirmatur. Ecclesia in nullo unquam, etsi extremæ necessitatis, casu consuevit dare absolutionem a peccatis pœnitenti, tam physice, quam moraliter absenti; ergo signum est, quod Christus Dominus pro forma hujus Sacramenti non instituerit, nisi absolutionem præsenti conferendam; & consequenter alia non valeat. Ant. enim constat ex praxi. Conf. ostenditur a pari: quia enim Ecclesia non consuevit dare absolutionem a peccatis per scripturam, aut nutus, in ullo casu, legitime infertur, quod Christus Dominus pro forma hujus Sacramenti non instituerit, nisi absolutionem vocalem: & consequenter alia non valeat; prout relinquitur ex dictis *art. præced.* ergo pariter &c. nam universim constans Ecclesiæ praxis in materia Sacramentorum indicat nobis Christi Domini institutionem quoad necessaria ad valorem eorum.

Dixi in conclus: *pœnitenti, tam physice, quam moraliter absenti*. Si enim pœnitens non ita physice absens sit, quin adhuc censeatur moraliter præsens, absolvi haud dubie poterit: veluti bene notant Sporer *n.* 610. Stoz *lib.* 2. *n.* 100. & alii. Ceterum illa absentia, seu distantia physica adhuc compatitur cum præsentia morali, & sufficienti ad impertiendam absolutionem a peccatis, intra quam homines cum hominibus communi voce loqui solent, dum colloquia instituunt. Tamburinus *lib.* 3. *de Pœnit. cap.* 2. *n.* 11. quem referunt, & sequuntur Authores proxime *citt.* Unde si pœnitens ante perceptam absolutionem a confessionali elapsus sit (prout contingere non raro solet) valide, imo & licite, a Confessario absolvitur, tametsi propter adstantes, vel aliud obstaculum ab eo non amplius videatur; nam intra tam modicum temporis spatium (intra quod Sacerdos absolutionem perficit, de quo casu ista illatio intelligenda venit) non potuit ita se absentare physice, quin adhuc præsens sit moraliter. Sic etiam lethaliter vulneratus in platea ad ædes Confessarii, ab hoc valide, & licite absolvitur per fenestras, si istæ non longius, quam dictum est, distent, & periculum in mora sit. Sic denique Confessarius absolvere potest intus jacentem in conclavi pestiferum v.g. vel alium infirmum, periculose decumbentem, ad quem ob periculum infectionis, aut aliam causam moraliter, vel physice non potest intrare; quia ejusmodi pœnitens licet sit physice disjunctus, & distet a Confessario, foris v.g. ad januam stante (de quali distantia intelligendi sumus) censetur tamen moraliter conjunctus, & indistans P. Stoz *loc. & num. citt.* aliique passim.

574. Objicies nunc contra conclus. primo. Verba absolutionis non exposcunt necessario præsentiam absolvendi; ergo valide, & cum effectu proferri supra absentem possunt.

Respondetur, dist. ant. Verba absolutionis extra-Sacramentalis, con. verba absolutionis Sacramentalis, neg. ant. & conf. de verbis posterioris generis. Ratio discriminis est, quod verba prioris generis non habeant aliam significationem præter illam, quam sortita sunt ex institutione hominum; vi cujus proinde non necessario postulant præsentiam personæ absolvendæ, sed cadere etiam supra absentem queunt; uti patet in absolutione forensi, in absolutione a censuris, quæ datur extra Sacramentum Pœnitentiæ &c. E diverso verba posterioris generis duplicem significationem habent, unam ex institutione hominum, alteram ex institutione Christi; prout relinquitur ex dictis *n.* 483. Unde esto vi primæ significationis non exposcant necessario præsentiam personæ absolvendæ; exposcunt tamen vi secundæ: prout hactenus ostensum.

575. Objicies secundo. S. Thom. Cantuariensis (prout habet Baronius *ad ann.* 1164.) in Anglia carceri mancipatus misit Romam ad Alexandrum III. pro absolutione, quam etiam ab eodem Pontifice obtinuit in scriptis; ergo absolutio, in scriptis obtenta, valet.

Respondetur, dist. cons. Absolutio extra Sacramentalis, con. Sacramentalis, neg. cons. Et ad ant. dico, quod S. Thomas petierit, & obtinuerit in scriptis absolutionem a pœna suspensionis, quam a se forte incursam formidabat propter quandam connivientiam, quatenus Regi Angliæ, etsi bona fide, & recto fine, promiserat aliquid, ex quo periculum poterat imminere libertati Ecclesiasticæ; secutus illud Bernardi: *Bonæ*

mentis

mentis est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est, Fuit proinde illa absolutio extra-Sacramentalis, data ad cautelam, ut Vir Sanctus absque ullo conscientiæ remorsu Missam celebrare posset.

576. Objicies tertio. In casu necessitatis valet confessio facta Sacerdoti absenti; ergo etiam valebit tunc absolutio impertita pœnitenti absenti. Ant. prob. ex alia quadam declaratione Clementis VIII. ubi interrogatus, an moribundus, qui ante adventum Sacerdotis signa contritionis ostendit, si deinde obmutescat, a Sacerdote superveniente absolvi debeat? respondit, debere absolvi.

Respondetur, neg. ant. Ad prob. veneror Responsum Pontificis tanquam indubitatum, & frequentissima praxi confirmatum: sed nego suppositum, quod in ejusmodi casu confessio, in quantum est valida relate ad absolutionem percipiendam, fieri censeatur Sacerdoti absenti; neque enim pœnitens absolvitur propter illa signa contritionis, quatenus absente Sacerdote edita, sed quatenus moraliter continuata usque ad illius adventum, & per circumstantes, veluti quosdam Interpretes, notificata.

577. Colliges primo, Decretum Clementis VIII. *in probat. conclus.* recitatum, non solum esse intelligendum in sensu copulativo, sed etiam in sensu disjunctivo, ita, ut neque liceat, aut valeat absolutio in absentia, quamvis confessio fuerit facta in præsentia Sacerdotis, neque liceat, aut valeat confessio in absentia, quamvis deinde absolutio conferatur in præsentia pœnitentis, P. Viva *super tit. prop. fol.* 351. P. Babenstuber *tr.8. part.6. disp.3. art.3. n.5.* & alii communiter. Constat ex Declaratione super hoc facta a Paulo V. *die* 14. *Julii ann.* 1605. in Congregatione S. Officii: veluti refert, & testatur P. Viva *loc. cit.* imo etiam ex mente ipsiusmet Clementis VIII. contrariam interpretationem reprobantis: prout (teste P. Babenstuber) referunt Gonet, Reding, & alii. Nec interest, quod Pontifex in memorato Decreto usus sit particula *Et*, non vero particula *Vel*: siquidem etiam particula *Et* non raro facit sensum disjunctivum: atque in hoc sensu ibidem a Pontifice usurpatam esse constat ex propria Ipsius Declaratione, uti & ex Declaratione Pauli V. quarum immediate meminimus.

578. Colliges secundo, validam esse, licet extra casum necessitatis, & sine justa causa illicitam, confessionem illius, qui sua peccata in scripto transmisit, & postmodum coram Sacerdote præsente se desuper accusat, dolet &c. dicendo: *de peccatis R. V. in scripto communicatis me accuso, doleo &c.* Ratio est: quia sic confessio revera fit Sacerdoti præsenti, in quantum pœnitens sua peccata, prius absenti notificata; modo coram præsente clavibus subjicit in ordine ad absolutionem desuper obtinendam. Dixi; *extra casum necessitatis, & sine justa causa, illiusmodi confessionem esse illicitam*: quia confessio ordinarie facienda est oretenus, & vocaliter: prout relinquitur ex dictis *n.* 558. Sporer *n.*609. Babenstuber ubi supra *n.6.* & alii passim.

ARTICULUS III.

Quando danda, vel neganda sit absolutio pœnitenti versanti in occasione proxima, aut consuetudine peccandi mortaliter?

GEminum præcipue discrimen est inter occasionem proximam, & consuetudinem peccandi. Nam 1. occasio proxima præter periculum formale peccandi dicit aliquam circumstantiam extrinsecam, ad peccatum impellentem; non item consuetudo, quæ contrahi potest ex sola fragilitate intrinseca peccatoris: ut patet in consuetudine jurandi, blasphemandi &c. 2. Consuetudo oritur ex relapsibus frequentatis, qui sane necessarii non sunt ad occasionem proximam: quis enim neget, juvenem fragilem, & vehementer tentatum posse versari in occasione proxima, dum vadit ad domum, vel personam admodum periculosam, etiamsi cum illa ante non peccaverit? Quapropter duos statuemus §§. in quorum primo de pœnitente versante in occasione proxima, & in altero de pœnitente versante in consuetudine peccandi disseremus.

§. I.

Quando danda, vel neganda sit absolutio pœnitenti versanti in occasione proxima peccandi?

SUMMARIUM.

579. *Aperitur status quæstionis, & ostenditur, occasionem peccandi adæquate constitui per circumstantiam extrinsecam, & periculum formale peccandi.* 580. *Non est absolvendus pœnitens, qui, cum possit, non vult relinquere occasionem proximam peccandi mortaliter.* 581. *& seqq. Deducuntur corollaria.* 584. *Potest tamen absolvi semel, & iterum, antequam illiusmodi occasionem reipsa tollat, quando ostendit efficax propositum eam postea statim tollendi.* 585. *Solvitur objectio.* 586. *E diverso jam semel, & iterum illam tollere pollicitus, sed promissum non executus, cum tamen potuisset, regulariter non amplius est absolvendus, donec actu tollat.*

579. PRænotandum, & recolendum ex dictis *n.*500. quid occasio peccandi ut sic? item quod dividatur in *remotam*, & *proximam*: cujus etiam utriusque explicatio ibidem habetur. De remota nullum hic nobis negotium, utpote quam vitare non tenemur, secundum dicta *n.* 505. sed de proxima tantum, quam, ut *eod. n.* decisum extat, vitare obligamur. Pro hujus pleniori intelligentia advertere juvat, quod essentialiter constituatur per duo prædicta, nempe per circumstantiam extrinsecam, & per periculum formale peccandi; prout immediate ante positionem paragraphi insinuavimus. Ratio est: quia sola circumstantia extrinseca, v. g. mala societas, nondum sufficit, ut dicatur occasio proxima peccandi, nisi ei accedat periculum formale incidendi in peccatum. Unde sequitur, omnem quidem occasionem peccati afferre periculum illius: non tamen vicissim omne periculum eo ipso dicere occasionem, nam qui ex propria fragilitate intrinseca habet diuturnam consuetudinem consentiendi e. g. tentationibus pravis, is certe constitutus est in periculo, & quidem proximo, peccati; stricte tamen loquendo non habet occasionem proximam peccati: quia hæc præter periculum dicit aliquam circumstantiam extrinsecam loci, personæ &c. P. Cardenas *in 2. crisi differt.40. cap.1.* & nos jam insinuavimus supra.

580. Dico jam primo. Non est absolvendus pœnitens, qui non vult relinquere occasionem proximam peccandi mortaliter, quam physice, & moraliter potest relinquere, esto dicat, se habere firmissimum propositum non peccandi amplius in illa. Communissima, & certa DD. sententia.

Probatur tum ex ratione; tum *ex prop. damnata* mox referenda. Ex ratione quidem: quia ejusmodi pœnitens, esto dicat, se habere firmum propositum non amplius peccandi in illa occasione, reipsa tamen tale non habet, imo nec habere potest, nisi occasionem peccandi tollere velit, cum ipsum non velle tollere sit grave peccatum, & enervet efficaciam propositi; atque adeo pœnitentem reddat indispositum ad percipiendam absolutionem. Ex *prop.* damnata vero (inter damnatas ab Innoc. XI. *ord.61.*) utpote quæ sic sonat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Ubi recte advertit Cardenas *in cit. 2. crisi differt.40. cap.5. art.4. n.*114. eas duas partes propositionis accipi divisim, & seorsim, ita, ut damnetur propositio, sive loquatur de illo, qui *directe quærit, & se ingerit*, sive de illo, qui *non vult omittere occasionem*, quam antea habebat; quia particulæ, *quin imo*, tantum exprimunt casum magis dubitabilem, id est, majoris difficultatis, scilicet quod absolvatur, qui se ingerit occasioni; quamvis absolvendus pariter non sit, qui vult retinere occasionem.

Dixi tamen: *quam physice, & moraliter relinquere potest.* Si enim relinquere non possit, etiam moraliter tantum, puta quia inde oriretur grave scandalum; subeunda esset gravis infamia; incurrendum grave damnum, seu spirituale, seu temporale; non est privandus beneficio absolutionis: modo habeat, & a

Confessario cognoscatur habere propositum adhibendi omnia media ad avertendum periculum formale peccati idonea. Ratio est: quia tunc pœnitens facit, quidquid facere moraliter potest, ac debet, & aliunde non peccat actualiter, cum sic non sponte maneat in occasione peccandi, nec ultro ei se ingerat, sed potius in illa hæreat invitus: veluti præclare tradit S. Basilius *in Constit. Monastic. c. 4.* ubi sic inquit: *Qui urgente aliqua causa, & necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire; & ideo magis Deus providebit, ne in illo pereat.* Ergo non apparet, cur pœnitens in simili eventu habere haud valeat propositum efficax non peccandi de cetero; cum pie confidere possit, se interventu Divinæ gratiæ, & opportunorum mediorum tentationes, ex tali occasione peccandi oriundas, superaturum: consequenter nec apparet, cur beneficio absolutionis privandus sit. Accedit, quod concurrentibus duobus, morali videlicet impossibilitate deserendi occasionem, & adhibitione mediorum opportunorum occasio peccandi, alias de se proxima, migret in remotam. Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 4. num. 9.* Card. de Lugo *disp. 13. de Pœnit. sect. 10. n. 152.* Tamburinus *de Confess. lib. 3. cap. 3. n. 8.* & alii passim.

581. Colliges ex hucusque dictis primo, quod deneganda sit absolutio concubinario etiam occulto, nisi promittat, se concubinam quamprimum ejecturum: idque verum est, licet prætendat, eam sibi valde utilem, ac proficuam fuisse, esse, & fore in gerenda re domestica &c. Ita DD. communissime. Ratio est: quia non lucrum captandum, sed damnum (& hoc admodum grave) incurrendum censetur inducere moralem necessitatem in proxime peccandi occasione veluti materialiter persistendi: qualis tamen necessitas (ex proxime dictis) requiritur ad ejusmodi persistentiam. Liquet hoc assertum *ex triplici prop. damnata.* Prima (quæ inter damnatas ab Alexandro VII. *ord. 41.* est) sic sonat: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Secunda (ex damnatis ab Innoc. XI. *ord. 62.*) ita habet: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Tertia (quæ inter damnatas ab eodem Innoc. XI *ord. 63.*) hujus est tenoris. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Quod si concubina concubinario non solum utilis, sed etiam necessaria esset; ut si is, gravi infirmitate detentus, non posset facile habere alium hominem, qui necessaria, puta victum, medicinas &c. ministret, præter concubinam; poterit Confessarius eundem absolvere (si concubinatus sit occultus, adeoque absit scandalum) concubina in ædibus manente: modo absolvendus non gerat affectum carnalem actualem erga illam, & confidat, se ex tali consortio non amplius relapsurum, ac insuper promittat, quod, cessante necessitate, sive ubi convaluerit, illico dimittere velit dæmonium hoc meridianum. Ratio est: quia nulla ex propositionibus damnatis loquitur de casu ejusmodi necessitatis, & damni evitandi; sed de casu utilitatis tantum, & lucri comparandi: neque aliunde suppetit fundamentum, ob quod in tali casu deneganda infirmo sit absolutio; veluti colligetur ex ratione probativa corollarii *seq.* Layman *lib. 5. tr. 6. cap. 4. n. 11.* Sporer *n. 319.* Babenstuber *tr. 8. part. 6. disp. 4. art. 1. n. 24.* Videri etiam potest P. Stoz *lib. 2. q. 3. n. 106. prope fin.*

582. Colliges secundo, posse absolvi mulierem habitantem in domo, in qua est proxima occasio peccandi, si inde discedere nequeat sine dispendio propriæ famæ, aut necessariæ sustentationis. Idem dicendum de filiofamilias frequenter peccante cum procaci famula, vel etiam sorore, quam paternis ædibus excludere non potest. Ratio utriusque est: quia periculum peccandi neque in se est peccatum, neque tollit libertatem evitandi peccatum; ergo compatitur verum dolorem de peccatis commissis, verumque propositum de non amplius committendis in tali occasione: consequenter non apparet, cur pœnitens ob moralem impossibilitatem, qualem constituit dispendium famæ, aut necessariæ sustentationis, relinqui non possit in occasione peccandi, & tamen absolvi: modo paratus sit adhibere media ad cavendos relapsus idonea, inter quæ vel maxime computanda veniunt frequens Confessio, & Communio; temperantia in potu; evitatio nimiæ familiaritatis cum complice &c. Layman ubi supra *num. 9.* Reding *tom. 7. quæst. 6. art. 2. controv. 3. n. 16.* Mezger *tr. 18. disp. 44. art. 3. n. 6.* Sporer *n. 326. & seq.*

583. Sed quid si ejusmodi pœnitens, etiam adhibitis remediis idoneis, identidem relabatur in eadem peccata?

Respondetur, quod nihilominus adhuc absolvi possit; imo semper, per se loquendo. Layman *num. 10.* Reding *n. 17.* Mezger *n. 7.* Babenstuber ubi supra *n. 23.* & ostenditur inde, quod non sit major ratio, cur talis semel potuerit absolvi, & cur non sæpius, aut semper possit; cum supponatur semper adesse occasio proxima, & moralis impossibilitas illam relinquendi, ac serium emendationis propositum &c. Dixi autem: *per se loquendo*, Nam si ejusmodi pœnitens post duas, vel tres confessiones idem specie peccatum, numero nihil imminuto, vel etiam aucto, afferat, nec ullum emendationis conatum adhibuisse videatur, merito suspicabitur, imo præsumet Confessarius, illum destitui vero proposito; & consequenter ob hujus defectum (non ratione proximæ occasionis) absolutionem prudenter denegare poterit, ac debebit; vel saltem differre, designato aliquo temporis spatio, intra quod pœnitens emendare conetur, postea reversurus, & absolutionem recepturus, Authores *citt.* Quod si tamen pœnitens in præsenti confessione extraordinaria, & specialia doloris signa ederet, qualia non ediderat in confessionibus præcedentibus, adhuc beneficio absolutionis donandus esset: quia hujusmodi signa, suspicionem, & præsumptionem de insufficienti proposito, ac dispositione illius formatam eliderent, viribusque cassam redderent: prout recte advertit P. Layman *cit.*

584. Dico secundo. Pœnitens, in occasione proxima mortaliter peccandi constitutus, etiam ante sublatam talem occasionem, & extra casum necessitatis, absolvi potest semel, ac iterum, si, spectatis circumstantiis, appareant hic, & nunc vera signa doloris, & propositi efficacis illam postea statim tollendi, Suarez, Lugo, Tamburinus, Dicastillo, Viva *super prop. 41. ab Alexandr. VII. damnat. num. 16.* & alii communius.

Probatur: quia potuit pœnitens, aut immediate ante, e. g. audiendo concionem, aut ferventi adhortatione Confessarii excitari ad verum, & efficax propositum non amplius peccandi: quo casu est sufficienter dispositus ad absolutionem percipiendam; ergo absolvi potest, antequam actu tollat occasionem proximam peccandi, modo eam postea statim tollere promittat.

585. Objicies. Qui solum promittit occasionem peccandi tollere de futuro, & non tollit modo, censetur illam de præsenti velle: sed qui de præsenti vult occasionem peccandi, quam potest tollere, non potest absolvi, cum sic volendo peccet; imo incidat *in prop. 61. ab Innoc. XI. confixam*, quæ habet, quod absolvi possit, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Sicut enim qui rem alienam non restituit ante confessionem, nunc autem mutato in melius animo restituere proponit, non censetur amplius, & de præsenti formaliter velle retentionem rei alienæ (alias nec talis absolvi posset, contra communem praxim Confessariorum) ita neque censetur amplius, & de præsenti formaliter velle occasionem proximam peccandi, quam quidem ante confessionem non sustulit, nunc autem, meliora cogitans, sincere, & efficaciter proponit tollere. Potest tamen maj. sic dist. Censetur de præsenti velle occasionem proximam quasi materialiter, & quoad circumstantiam extrinsecam, ex qua illa partialiter constituitur, transf. formaliter, & quoad periculum formale peccati, neg. maj. Hoc quippe posteriori modo occasionem proximam de præsenti ablatam cupit; imo actu destruit, quatenus periculum formale, & proximum peccandi, per quod illa inadæquate, & formaliter consti-

constituitur, exterminat per efficax propositum non amplius peccandi, & occasionem, quæ hactenus in peccata induxerat, quamprimum removendi.

Monet tamen P. Viva *cit.* caute hic procedendum esse Confessario, eo quod hujusmodi propositum non raro sit inefficax, quando pœnitens occasionem peccati antecedenter potuit tollere, & non sustulit. Unde non raro expediet, si absolutio differatur, donec occasio illa, etiam materialiter sumpta, removeatur; id quod relinquitur prudentiæ, ac judicio Confessarii, cui incumbit ex circumstantiis arbitrari, quale hic, & nunc sit pœnitentis propositum, ac utrum expediat, ipsi dare, vel differre absolutionem.

586. Dico tertio. Non est absolvendus pœnitens, qui jam semel, & iterum jussus relinquere, vel tollere occasionem proximam mortaliter peccandi, idque se facturum pollicitus, non obedivit, nec stetit promissis, cum tamen & physice, & moraliter id facere potuisset: nisi forte in præsenti confessione edat specialia signa doloris, qualia in præcedentibus confessionibus nunquam edidit. Salmaoticenses *tr.6. de Pœnit.c.5.pun.4. n.69.* Sporer *n.325.* Babenstuber ubi supra *n.21*, & alii apud ipsos.

Probatur: quia adversus ejusmodi pœnitentem militat fortis præsumptio, quod in præcedentibus confessionibus caruerit, & in præsenti careat vero, & efficaci proposito tollendi occasionem peccati, seque emendandi; ergo licet rursus asseveret, ac promittat occasionem tollere, & se emendare, fides adhibenda non est, nec impertienda absolutio, antequam occasionem reipsa tollat, vel relinquat &c.

Dixi: *nisi forte in præsenti confessione edat specialia signa doloris &c.* Hæc quippe, cum præsumptionem de indispositione pœnitentis elidant, faciunt, ut is judicandus sit sufficienter dispositus, & absolutionis beneficio dignus: prout Authores, pro conclusione stantes, advertunt passim.

§. I.

Quando danda, vel neganda sit absolutio pœnitenti versanti in consuetudine peccandi?

S U M M A R I U M.

587. Pœnitenti, licet in consuetudine mortaliter peccandi versanti, nunquam deneganda esse absolutio, quando rite confitetur, & prudenter judicatur vero dolore, & proposito instructus. 588. Credendum est consuetudinario, asserenti, se vere dolere, vereque proponere &c. nisi ejus assertum evertat præsumptio in contrarium. 589. Datur disparitas, quæ hic intercedit inter consuetudinarium, & versantem in occasione proxima peccandi: item 590. inter consuetudinarium, & recidivum.

587. Dico. Pœnitenti, licet in consuetudine peccandi mortaliter versanti, nunquam tamen est neganda absolutio, quando peccata sua rite confitetur, & prudenter judicatur habere verum dolorem, & propositum. P. Sporer *n.330.* &, ipso teste, alii communissime.

Probatur. Ad impertiendam absolutionem ex parte pœnitentis plus non requiritur, quam legitima confessio, cum serio dolore, ac proposito; ex parte vero Confessarii prudens judicium de horum præsentia; prout Theologi docent communissime: si ergo ista omnia adsint, & concurrant (prout fieri supponitur in casu conclusionis) non est neganda absolutio.

Confirmatur. Pœnitens in casu conclusionis obtinet jus ad absolutionem, & Confessarius cognita causa tum ex voluntate Christi, tum ex tacito contractu, tanquam Judex, proferre debet sententiam; nec obligare potest pœnitentem, ut eadem peccata denuo confiteatur alteri; ergo ejusmodi pœnitens absolutione privari licite, & citra injuriam non potest.

Dixi in conclus. *Nunquam neganda est absolutio &c.* Poterit enim quandoque, vel etiam debebit absolutio ad tempus differri, quamvis ad eam recipiendam pœnitens videatur dispositus. Ita cum communi P. La Croix *lib.6. part.2. n.1764.* contra Joan. Sanchez. Ratio est: quia dilationem absolutionis quandoque suadet, quandoque imperat non tantum utilitas pœnitentis, sed etiam officium Confessarii qua Medici, cui incumbit ea usurpare media, quæ novit, magis expedire ad sanitatem peccatoris: atqui inter hujusmodi media præstantissimum quandoque est temporaria dilatio absolutionis, utpote qua firmior efficitur constantia propositi, peccator vivacius apprehendit miserum conscientiæ statum, cautius incedit, & per dolorem, prolixiorem orationem, ac alia bona opera melius disponitur ad Sacramenti fructum, vitæque emendationem. Esto itaque, quod pœnitens, seu dispositus (nam absolutio differretur ut disposito, non ut indisposito) habeat (secundum proxime dicta) jus ad absolutionem, non tamen habet in istis circumstantiis jus ad illam statim obtinendam, sicut catechumenus petens Baptismum, jus habet ad illum, non tamen ad illum statim impetrandum; cum ab ejusdem receptione, ut melius instruatur, & majori cum dispositione recipiat, passim retardari soleat: veluti recte advertit P. Viva *super prop. 60. inter damnat. ab Innoc. XI. n.50.* Porro si absolutionis dilatio sit præcise necessaria ad pœnitentis emendationem, cadit sub præceptum; sub consilium vero, si mere sit utilis, & non præcise necessaria, eo quod possit aliis mediis sperari emendatio. P. Viva *loc. cit. n.13.* Sed

588. Quæres primo, an consuetudinario, asserenti, se serio dolere de peccatis, & serio proponere ea emendare, prudenter credi possit, atque adeo impertiri absolutio?

Respondetur, posse, nisi ejus assertum evertat præsumptio in oppositum. Ita DD. communiter cum D. Thoma *in 4. dist. 17. q. 3. art. 2. quæstiunc. 7. ad 2.* ubi inquit: *In foro conscientiæ creditur homini & pro se, & contra se: non autem in foro exterioris judicii.* Ratio quoque suffragatur: quia a Christo ita erectum est sacrum Pœnitentiæ Tribunal, ut in eo idem sit reus, & accusator; ergo sicut ipse se accusanti de delictis, ita & testificanti de dolore, ac proposito credi potest, & debet. Confirmatur. Pœnitenti in aliis pro se loquenti credere potest, & debet Confessarius, ut dicenti, se restituisse, inimico reconciliatum esse, occasionem peccandi deseruisse &c. ergo etiam dicenti, se vere dolere de peccatis, & proponere emendationem.

589. Dices. Confessarius non potest prudenter credere pœnitenti, versanti in occasione proxima peccandi, quam semel, & iterum tollere jussus non sustulit, cum tamen facile potuisset, licet asserat, se modo vere dolere de peccatis, habereque firmum propositum & occasionem peccatorum, & peccata ipsa evitandi; ergo nec prudenter credere poterit pœnitenti, versanti in consuetudine peccandi: consequenter &c.

Respondetur, neg. consf. Disparitas est, quia occasio peccandi uno quasi ictu, neque ita difficulter, consuetudo autem non nisi per multos actus contrarios, longo tempore exercitos, & difficillime tolli potest; unde infidelitas, vel potius infirmitas pœnitentis, versantis in consuetudine peccandi non sic arguit defectum doloris, & propositi, sicut infidelitas pœnitentis, versantis in proxima occasione peccandi. Accedit, quod pœnitens, existens in consuetudine peccandi, quam ex intrinseca fragilitate contraxit, solum gerat obligationem illius vincendæ per proprios actus supernaturales: at pœnitens, existens in occasione proxima peccandi, non solum gerit obligationem eliciendi ejusmodi actus, sed etiam dimittendi occasionem, ubi, & quamprimum potest; quod facere dum omittit, gravem contra se præsumptionem habet (regulariter loquendo) quod non serio proponat illam deserere.

Dixi in respons. ad quæsit. *nisi ejus assertum evertat præsumptio in oppositum*: qualis præsumptio formanda foret, si pœnitens, ob neglectum mediorum a Confessario præscriptorum, identidem rediret cum iisdem gravibus peccatis, numero non imminuto, vel etiam aucto: simili quippe casu pœnitenti, simpliciter asserenti, se vere dolere, vereque emendationem proponere, non est adhibenda fides, nec impertienda absolutio. Ratio est: quia de tali pœnitente non potest prudenter concipi spes emendationis; nec credi asserto simplici, ob facta contraria, per quæ eliditur. Unde subintrat hic *prop. 40. damnata ab Innoc. XI.* quæ sic sonat: *Pœnitenti, habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere*

emendationem. Ita cum Coninck, Suarezio, & Lugone Augustinus Michel *fol.583.num.11.* Viva *supra cit. prop. n.14.* aliique passim. Quod si tamen ejusmodi pœnitens non tantum simpliciter asserat, se dolere, proponere &c. sed assertum hoc suum insuper confirmet specialibus signis, v.g. magnis singultibus, suspiriis, lacrymis, expetitione remediorum contra relapsum &c. fides ei adhibenda erit, & impertienda absolutio: quia id genus signa præsumptionem, quæ alioquin contra illiusmodi pœnitentem formanda esset, præveniunt, & debellant. Neque de tali casu loquitur propositio damnata; veluti colligitur ex verbis: *dummodo ore proferat*. Michel *cit.*

590. Quæres secundo, an, & quodnam sit discrimen inter consuetudinarium, & recidivum?

Respondetur, esse discrimen, & in eo situm, quod omnis consuetudinarius semper etiam sit, & dici valeat recidivus, non tamen vicissim. Ratio est: quia ut pœnitens sit, & dicatur recidivus, sufficit, quod post pœnitentiam reiteraverit peccata, licet non frequenter, & quasi per habitum; quod tamen requiritur, ut pœnitens dicatur consuetudinarius. E. g. Qui singulis mensibus confiteri solet, & qualibet vice affert tres, vel quatuor polluriones, est, & dicitur recidivus; non vero consuetudinarius in mollitiei vitio, cum consuetudo importet majorem frequentiam actuum peccaminosorum, puta quod quis lapsus sit quotidie, vel aliquoties per septimanam. Quare recidivo, qua præcise tali, & qui non est simul consuetudinarius, neganda, vel differenda non est absolutio, nisi id forte suadeant circumstantiæ, aut conjecturæ, ex quibus suspecta efficaciter ipsius dispositio: hoc quippe si non fiat, recidivus obtinet jus ad absolutionem, præceptam a Christo Domino, qui voluit peccatores absolvi non tantum septies, sed septuagies septies; prout legere est *Matth.* 18. *v.* 22. Michel ubi supra *n.* 19. & alii apud ipsum.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

591. Xaverius ex inferiore motivo, quam Charitatis sua peccata detestans non elicit perfectam contritionem. 592. Xaveria, de sua salute aterna a Deo certificata, ex metu gehenna de peccatis dolens, efficaciter, & legitime non dolet. 593. Xantrophius circumstantiam incestus, cum propria sorore commissi, reticere non potest in confessione, etiamsi Confessario, cui hic, & hic nunc necessario confitetur, soror sit nota. 594. Xystus, quem constat, christiane vixisse, in mortis articulo constitutus, sub conditione absolvi potest, & debet, etiamsi nec signum doloris edere, nec voluntatem confitendi sensibiliter ostendere valeat. 595. Ximenius Sacerdos potest absolvere moribundum, qui dicit, se peccasse, & ob impotentiam nequit aliquod peccatum in specie, aut individuo exprimere: uti & illum, qui ante ipsius adventum coram adstantibus signa doloris dedit, manifestavitque desiderium confitendi. 596. Ximenez edoceri cupit, quid censendus sit de eo pacto, quod quidam morituri cum Confessario ineunt, ut in agone absolvantur? Item an aliquando neganda sit absolutio identidem confitentibus eadem venialia? 597. Qui commisit plura venialia, eaque confitetur, sed sine expressione numeri, absolvitur ab omnibus, si de omnibus doleat?

CASUS I.

591. *Xaverius inquit: ego doleo, & detestor peccatum propter ipsum Deum maxime, seu quatenus est offensa Dei: sed vel 1. ex motivo* Religionis, *quatenus continet inhonorationem Dei contra cultum Ipsi, tanquam supremo vita, mortisque Domino, debitum: vel 2. ex motivo* Obedientiæ, *quatenus continet inobedientiam erga Deum, tanquam supremum Legislatorem nostrum, vel 3. ex motivo* Gratitudinis, *quatenus continet horrendam ingratitudinem contra Deum, supremum Benefactorem nostrum: vel denique 4. ex motivo proprio* Pœnitentiæ, ac Justitiæ, *quatenus continet offensam, ac injuriam contra Deum, supremum Dominum actionum nostrarum; atque sic apprehendo peccatum ut summum malum, & majus omni alio modo. An non elicio perfectam contritionem, tametsi hec ex motivo Charitatis non procedat? Quid Xaverio dicendum?*

Respondetur. Xaverio dicendum, quod nullum ex allegatis motivis sufficiat ad perfectam contritionem eliciendam, sed necessarium sit privative motivum Charitatis. Ita communis, &, si non certa, saltem omnino probabilior sententia, quam tenent Scotus *in 4. dist.14. q.2. §. Ad ult. dico.* Sporer *n.*117. & iterum *n.*130. La Croix *lib.6. part.2. n.*722. & alii ab ipso relati. Sumitur 1. ex S. Script. in qua *Deut.* 4. *v.*29. & *Jerem.*29. *v.*13. testatur Deus: *Quaretis me, & invenietis, cum quasieritis me in toto corde vestro &c.* sed Deus toto corde quæsitus, & summe appretiatus est motivum Charitatis; ergo &c. Sumitur 2. ex Trident. quod *Sess.*14. *de Pœnit. cap.*4. diserte ait, *contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*. Nec dicas, Concil. non excludere idcirco omnem aliam contritionem, ex inferiore motivo profectam. Contra enim est, quod S. Synodus *loc. cit. contritionem charitate perfectam* in hoc discriminet *a contritione imperfecta*, seu attritione, quæ *sine Sacramento Pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequit*; ergo Concil. diminute, imo sinistre procederet, si ulla alia contritio præter conceptam ex motivo Charitatis, per se, ac sine Sacramento sufficeret ad justificationem. Confirmatur ex Catechismo altefati Concilii, qui *part.2. hic n.*35. inquit: *Quam ob causam Deum summe diligendum confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium nos capiat, necesse est*; ad perfectam nempe contritionem, & justificationem ea mediante procurandam, ut ex contextu liquet: sed Deus est summe diligendus ob summam suam Bonitatem, quæ est motivum Charitatis; ergo ob eandem quoque, aut ex eodem motivo concipienda est perfecta contritio &c.

Dices. Vera, & proprie dicta pœnitentia est per se sufficiens ad justificationem peccatoris; ut passim testantur SS. Literæ, Concilia, & Patres: sed contritio de peccatis ex motivo etiam inferiore, quam Charitatis, v. g. proprio tantum virtutis Pœnitentiæ, Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis &c. procedens, est vera, & proprie dicta pœnitentia; ergo &c.

Respondetur, etiam contritionem imperfectam, seu attritionem esse veram, & proprie dictam pœnitentiam, juxta Trid. ejusque Catechismum supra; & tamen &c. Deinde explico, ac dist. maj. Vera, & proprie dicta pœnitentia, ex *toto* corde profecta, *charitate perfecta*, perfecteque conversiva hominis in Deum, ut summum Bonum, & ultimum finem, con. qualiscunque, neg. maj. &, sub data distinctione, neg. min. & cons.

CASUS II.

592. *Xaveria, postquam ultra quadriennium in omni turpitudine versata erat, resipiscit, & ad meliora convertitur, in solitudinem secedit, & vitam adeo austeram ducit, per quadraginta circiter annos continuatam, ut tandem a Christo Domino audire mereatur, chirographum peccatorum suorum, ut ut multorum, esse abolitum, nomenque suum in libro vita scriptum. Quo nuntio, & revelatione erigitur quidem, recreaturque Xaveria animus, non tamen ab omni omnino metu gehenna, hactenus sibi tam vivaciter impresso, revocatur. Unde fit, ut, copiam Confessarii nacta, & eodem metu compuncta, omnium totius vita peccatorum confessionem faciat. Quaritur, an Xaveria confessio sit legitime dolorosa?*

Respondetur ad Casum (quem hypothetice intellectum volo) & quæstionem inde formatam, negative. P. La Croix *lib. 6. part.2. num.*830. & videtur esse communis DD. sensus. Ratio est: quia cum Xaveria per Divinam revelationem reddita sit certa, se salvatam iri (veluti exprimitur in Casu) non potest amplius, etiam probabiliter tantum, credere, se damnatam iri; ergo non potest metuere metu efficaci pœnas gehennæ, qualis tamen metus requiritur, ut

attritio,

attritio, inde concepta, excludat voluntatem peccandi, & sit intra Sacramentum Pœnitentiæ dolor sufficiens, ac legitimus. Vide, si placet, Authorem *cit.*

CASUS III.

593. *Xantrophius, Juvenis petulans, & Veneri perdite deditus, cum ancilla domestica singulis fere diebus carnaliter congreditur: cumque subinde ancilla præsto non est, propriam sororem solicitat, quæ & consentit. Interim advenit tempus Paschale, quo Xantrophius ad confessionem, & quidem proprio Parocho (quoniam commode habere non potest alium Confessarium) faciendam, cui tamen sororem suam, quam unicam habet, perbene notam esse non ignorat. Quæritur jam, an Xantrophius, esto prævideat, sororem suam apud Parochum infamandam, possit nihilominus, vel etiam teneatur turpitudines cum illa peractas, integre, id est, etiam exprimendo circumstantiam incestus, in confessione aperire?*

Respondetur. Potest, & tenetur, præter infamiam, apud Parochum tanquam Confessarium incurrendam, nullum aliud damnum sequatur. Ita Doctor Mellifluus *in Formula honestæ vitæ*. Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. Suarez, Vasquez, Mastrius, Bosco, & alii satis communiter. Sumitur 1. ex Doctore Mellifluo, qui *in cit. Formul.* sic habet: *De nullo prorsus sinistre loqueris, quantumcunque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione: & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Sumitur 2. ex ratione, quam Doctor Subtilis *loc. cit.* suppeditat; quia Xantrophius idem, imo majus habet jus ad conservandam famam suam, ac habeat soror, ut sua sibi fama conservetur a Xantrophio: sed jus, quod habet Xantrophius ad conservandam famam suam, non efficit, ut is teneatur, vel possit cavere infamationem suiipsius apud Confessarium; ergo neque &c. Accedit, quod infamatio, sive sui ipsius, sive complicis, apud Confessarium per se connexa sit cum obligatione integre confitendi, & ex natura confessionis sequatur, non vero aliunde, seu ab extrinseco.

Dices. Præceptum de non infamando proximo est Juris naturalis; ergo prævalet præcepto de servanda integritate confessionis, utpote quod est Juris Divini positivi tantum.

Respondetur, dist. ant. Præceptum de non infamando proximo directe, & formaliter, est Juris naturalis, con. præceptum de non infamando proximo indirecte tantum, & materialiter, neg. ant. Revelans in confessione peccatum complicis ex motivo servandi integritatem confessionis non infamat complicem directe; quia non intendit istius infamationem, sed confessionis integritatem: nec formaliter; quia id non facit sine legitima, & stringente causa, qualis est integritas confessionis procuranda. Unde non agit contra præceptum naturale de non infamando proximo, cum tale solum detur, & obliget ad non infamandum proximum ex intentione, & absque legitima causa, adeoque directe, & formaliter; qualiter non infamatur complex in Casu nostro, aliisque similibus, ut constat ex immediate dictis.

Colliges, ad integre manifestandum peccatum veniale non posse manifestari complicem. Unde si puella judicet, se venialem negligentiam admisisse in resistendo fratri, vel patri ad turpia solicitanti, non potest confiteri ejusmodi negligentiam Confessario, cui frater, aut pater est notus, sed omittere debet, si alium Confessarium habere nequeat. Idem pronunciandum de peccato mortali, clavibus jam semel ligitime subjecto. Lugo *disp.* 16. *sect.* 17. *n.* 441. & alii passim. Ratio est: quia quilibet tenetur consulere famæ proximi, quantum commode potest: sed pœnitens tunc commode potest consulere famæ proximi, nempe complicis; cum veniale, & mortale clavibus jam semel legitime subjecta, non sint materia necessaria Confessionis, neque ad integritatem pertineant; ergo &c. Et hæc ratio etiam probat, complicem similiter manifestari non posse, si pœnitens (Xantrophius in Casu) commode valeat habere alium Confessarium, cui ille, seu complex, ignotus est.

CASUS IV.

594. *Xystus, homo senex, subito morbi impetu in eum statum conjicitur, ut nec signum doloris edere, nec Sacramentum ullum petere valeat. Vocatur nihilominus a familiaribus Parochus loci, rogaturque, ut cum morte luctantem beneficio absolutionis donare velit. Comparet sine mora Parochus; sed negat, se familiarium petito annuere posse, cum Xystus nec ante signum doloris dederit (prout ipsimet familiares ultro fatentur) nec modo dare queat; ut ut alias tanquam bonus Christianus vixerit. Quæritur, utrum Parochus Xysto absolutionem recte negaverit?*

Respondetur, quod Parochus absolutionem non recte negaverit Xysto; sed potuisset, & debuisset eam impertiisse sub conditione. Petrus Marchant *tom.* 1. *tr.* 4. *tit.* 4. *q.* 3. *dub.* 7. Herincx *de Pœnit. disput.* 3. *n.* 77. Joannes Pontius *disp.* 46. *q.* 5. *n.* 95. Sporer *num.* 648. Reiffenstuel *in Theol. Moral. dist.* 7. *q.* 4. Bosco *disp.* 7. *sect.* 9. *conclus.* 6. Panger *lib.* 4. *de Confess. disp.* 3. *num.* 19. & alii contra alios, speculative, & ex principiis directis se opponentes. Fundatur nostra responsio 1. in authoritate Sacerdotalis Romani, in quo ex S. Antonino sic traditur: *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, quamvis non petierit Sacramenta, debet præsupponi contritus, & Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato.* Atque ex hoc loco nostram sententiam probavit, & observari præcepit Alexander Ludovisius Archiepiscopus Bononiensis, postea S. Pontifex, dictus Gregorius XV. in Memoriali Confessariorum edito Bononiæ *cap.* 1. *de Forma Sacramenti Pœnitentiæ*: prout refert, ac testatur P. Herincx *loc. & n. cit.* Fundatur responsio 2. in hac ratione; quia in tali extrema necessitate administrandum etiam est Sacramentum Pœnitentiæ, quando prudenter dubitatur de requisita dispositione pœnitentis, prout omnes fatentur: sed in Casu prudenter dubitatur de requisita dispositione pœnitentis, sive an non forte Xystus sit sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem; ergo ipsi administrandum est Sacramentum Pœnitentiæ, dando absolutionem, non quidem absolute, sed conditionate, ut sic præcaveatur irreverentia erga Sacramentum, de cujus valore agitur. Min. prob. Nam potest esse, quod Xystus non solum intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam sua suspiria, gemitus, respirationes, apertiones oculorum &c. ordinet ad significandum dolorem de peccatis, & voluntatem confitendi; quemadmodum Marchantius, in simili rerum articulo constitutus, se fecisse testatur, & alii Catholici plures, imo plurimi, idipsum fecisse merito præsumuntur; ergo prudenter dubitatur, an non forte Xystus sit sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem: consequenter &c.

Dices primo. Suspiria, gemitus &c. morituriensis proficiscuntur ex angustia pectoris, & vehementia morbi; ergo non significant dolorem de peccatis, & voluntatem confitendi: consequenter &c.

Respondetur, omisso antecedente, dist. cons. Si a moriturientе non referantur ad illa significanda, trans. si referantur, neg. cons. Prudenter autem dubitatur, an non a moriturientе, qui christiane mori desiderat, sic eleventur, & referantur: consequenter &c.

Instabis. Esto illa signa a moriturientе referantur ad significandum dolorem, & voluntatem confitendi, nondum tamen habetur confessio; ergo nec potest dari absolutio etiam sub conditione tantum.

Respondetur, dist. ant. Nondum habetur confessio formalis, con. virtualis, neg. ant. & cons. Confessio formalis est actualis expositio peccatorum in ordine ad absolutionem obtinendam, verbis, vel signis æquivalentibus facta: confessio autem virtualis est prompta voluntas exponendi peccata in prædictum finem; hic, & nunc tamen ab exponendo impedita. Confessio formalis per se semper requiritur, ut impertiri absolutio possit: per accidens vero, v. g. in articulo mortis, etiam sufficere potest confessio virtualis. Videatur Sporer *a n.* 347.

Dices secundo. A libris, & scholis Societatis Jesu exulat hæc propositio: *Moribundus etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo, ut Sacerdos nec*

sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest: prout videre est apud P. Gobat *tr.7. n.602.* ergo nostra sententia non videtur probabilis; cum non sit credibile, a tota Societate proscribi sententiam vere probabilem, maxime talem, per cujus sequelam unice animarum salus intenditur, & procuratur.

Respondetur, neg. cons. & suppositum, quod nostra sententia coincidat cum *cit. prop.* eo quod nos requiramus, ut Confessarius, esto non sciat, prudenter tamen putet, moribundum forte dedisse, aut dare signum contritionis, ostendisse, vel ostendere voluntatem confitendi, quæ (ut proxime diximus, ac exposuimus) est confessio virtualis: id quod constat ex hucusque dictis.

Fluit proinde, Parochum, Xysto in suprema illa necessitate denegando absolutionem, peccasse graviter (per se loquendo) & contra Charitatem (sicut quilibet Confessarius, etiam non Parochus, peccaret) & contra Justitiam, ex cujus obligatione quilibet Parochus tenetur, si possit, suis Parochianis Sacramenta administrare &c. prout bene notat P. Stoz *lib.2.num.97.* Et hoc ipsi etiam Adversarii, qui nostram sententiam speculative, & ex principiis directis impugnant; practice, & ex principio (ut ipsi nominant) reflexo admittunt, dum fatentur, quod Sacerdos non solum possit, sed etiam teneatur talem moribundum absolvere, ob eam scilicet rationem, quia lex Charitatis (vel etiam Justitiæ, respectu Parochi) graviter obligat ad succurrendum proximo (vel simul Parochiano) in tanta necessitate constituto, per media saltem dubia, quando desunt certa. Ita Salmanticenses, Layman, Mezger, Illsung, Viva, & Cardenas, quos refert, & sequitur Babenstuber *tr.8, part.6. disp.5. art.2. n.57.* Item Gormaz *de Sacram. Pœnit. n.262.* La Croix *lib.6. part.2. n.1102.* aliique passim.

Sed nunquid doctrina hucusque tradita extendi quoque potest ad moribundum Catholicum, antea male viventem; vel etiam ad confossum in duello, aut adulterio?

Respondetur, posse extendi, regulariter loquendo. Ratio est: quia etiam de talibus non est certum, quod careant dispositione necessaria ad recipiendam absolutionem; sed potius merito dubitari potest, an non & ipsi, in mortis articulo positi, & per Dei Misericordiam adjuti, salutem animæ per pœnitentiam quærant, signa doloris edant, voluntatem confitendi habeant, & per sua suspiria, gemitus, respirationes &c. manifestare conentur. Ita Tamburinus, Cardenas, Stoz, Gormaz, & alii apud La Croix *loc. cit. n. 1163.* Quibus consentit P. Panger ubi supra *n.127.*

Aliter practicandum censeo cum hæreticis: hi enim, etiam in articulo mortis, non facile sub conditione absolvendi sunt. Ratio est opposita: quia cum hæretici plerumque absolute nolint confessionem Sacramentalem, præsumi prudenter non potest, quod signa doloris, quæ forte edant, ad talem confessionem, & absolutionem percipiendam ordinent.

CASUS V.

595. *Ximenius Sacerdos, proxime pro exercenda animarum cura exponendus, interrogatur in examine (dissimulato dubio* n. præced. *ventilato)* 1. *An absolvi possit moribundus, qui dicit, se peccasse, & ob impotentiam, undecunque demum ortam, nullum in specie, aut individuo peccatum exprimit?* 2. *An eodem absolutionis beneficis donandus sit ægrotus, si dederit signa doloris, & ostenderit desiderium confessionis, ac absolutionis, in absentia Confessarii, & postea hic superveniens inveniat eum ita sensibus destitutum, ut confiteri nullatenus amplius posse, testes autem affirment, illum habuisse desiderium confitendi, ac Confessarium petiisse, nec petitionem suam retractasse? Quid Ximenius ad geminum hoc dubium reponet?*

Respondetur primo. Ad primum dubium Ximenius reponet, ejusmodi moribundum omnino absolvi posse, ac debere. Ita Lugo, Bosco, Mastrius, Panger ubi supra *n.108.* & alii communiter. Sumitur responsio ex Rituali Romano, quod *de Sacram. Pœnit. tit. ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, sub finem sic habet: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur* (Sacerdos) *quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere: quibus utcunque, vel in genere, vel in specie, cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Ratio præterea est: quia sic confiteri in genere est vere se accusare, nec aliter fieri potest in præsenti casu; ergo est confiteri integre integritate formali; quod sufficit, quando adest causa (uti adest in proposito) excusans ab integritate materiali confessionis. Revide dicta *n.550.* Monet tamen P. Panger *cit.* & alii passim, quod moribundus, si sit in statu peccati mortali, debeat id exprimere, si possit, dicendo: *peccavi mortaliter: sum gravis peccator* &c.

Dices primo. Non potest dari sententia Judicis, etiam Sacramentalis, nisi hic in particulari cognoscat aliquod delictum: atqui hoc non fit in Casu; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. saltem de sententia Judicis Sacramentalis, quæ est absolutoria, & idcirco favorabilis, ac gratiosa. Quod autem Judex Sacramentalis judicare possit, & sententiam ferre de peccato etiam in genere exposito, patet in casu, quo pœnitens recordatur, se graviter peccasse, & ignorat, in qua specie. Talis quippe pœnitens juxta communem DD. tenetur suum peccatum in generali confiteri; ergo Sacerdos debet posse judicare, & sententiam ferre super peccato etiam generatim duntaxat manifestato; alioquin obligatio illud confitendi frustranea, & inutilis foret.

Dices secundo. Absolutio Sacramentalis debet respicere objectum, ad quod directe terminetur: sed hoc non fieret in Casu; ergo &c. Min. prob. Nullum quippe peccatum in illo directe remitteretur; ergo &c. Ant. hujus enthymematis prob. Moribundus, si postea usum loquelæ v.g. & sensuum recuperet, suaque peccata jam distincte confiteri valeat secundum speciem, & numerum, tenetur sic confiteri; ergo signum est, quod ab illis non fuerit directe absolutus; nam pœnitens peccata, a quibus jam semel fuit directe absolutus, non tenetur amplius confiteri.

Respondetur, neg. min. Ad cujus probat. neg. ant. & ad hujus probat. cons. Rationem vero probativam dist. Pœnitens peccata, a quibus jam semel fuit directe absolutus, non tenetur amplius confiteri, si ea quoad speciem, & numerum jam exposuerit in alia præcedenti confessione, con. si nondum sic exposuerit, neg. Itaque quamvis moribundo in Casu remittantur directe omnia peccata mortalia, etiam secundum rationes particulares, adhuc tamen obligatus manet ad eadem secundum speciem, & numerum clavibus subjicienda, si status impotentiæ cesset; eo quod præceptum Christi de iis, hoc tali modo confitendis, necdum impleverit.

Dices tertio. Sacerdos celebrans Missam, recitato *Confiteor* syncope oppressus, non debet, nec potest Sacramentaliter absolvi (juxta Laymannum, Antonium a Spiritu S. Sporerum, & alios passim) esto videatur fecisse confessionem generalem, & sua peccata exposuisse generatim; ergo neque moribundus in Casu.

Respondetur, concesso antecedente, seu quod Sacerdos, vi illius confessionis generalis præcise, non sit absolvendus, neg. cons. Disparitas est: quia confessio illa generalis, quam Sacerdos celebrans, recitando *Confiteor*, facit, non dirigitur ad accipiendam absolutionem in foro Pœnitentiæ: consequenter non est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, supra quam forma Sacramentalis cadere possit: secus e diametro per omnia se habet confessio generalis moribundi &c.

Respondetur secundo ad Casum. Ximenius ad alterum dubium reponet, talem quoque moribundum absolvi posse, ac debere. Ita denuo P. Panger *loc. cit. n.114.* & alii communiter, Idque a potiori verum est, quando moribundus illa signa prodit coram ipso Sacerdote, seu Confessario. Sumitur & hæc responsio 1. ex Rituali Romano, cujus textum pro responsione præcedenti attulimus; utpote in quo Paulus V. istam quoque sententiam ab Ecclesia secure, & obligatorie practicandam proponit. Sumitur 2. Ex *can.7. caus. 26. quæst. 6.* ibi: *Subito obmutescens, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Quæ verba ex Concil. Arausicano I. in *citat. can.* relato, de-

prom-

prompta sunt. Accedit ratio: quia dolor, & petitio Confessarii, signo exteriore manifestata, jam est confessio quædam inchoata, quæ per testificationem præsentium, velut interpretum, postea coram Sacerdote superveniente perficitur.

Dices nostræ responsioni videtur refragari Decretum Clementis VIII. damnantis illam propositionem, qua asseritur, *licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absenti absolutionem obtinere*. Nam in nostro hoc casu moribundus exhibet signa doloris, voluntatemque confitendi, quando Confessarius non adest.

Respondetur. Esto id fiat in absentia Confessarii, & sic confessio quodammodo inchoetur; ea tamen postmodum perficitur, ac completur in præsentia Confessarii, opera circumstantium, qui gerunt vices interpretis: prout immediate insinuatum.

Petes, an in utroque Casus membro danda sit absolutio absolute, vel conditionate?

Respondetur, dandam esse absolute in primo membro Casus; quia accusatio illa generica certo est vera, & in tali rerum articulo sufficiens accusatio: imo etiam in altero membro Casus, quando signa, quæ moribundus exhibet coram Sacerdote, vel aliis adstantibus, postmodum desuper testimonium perhibentibus, sunt certa (certitudine morali absoluta, vel saltem respectiva; prout explanatum extat *part. 1. n. 189.*) quia & tunc certo fit dolorosa, ac sufficiens accusatio: si vero illa signa sint mere probabilia, aut dubia, adhibenda est in absolvendo conditio ad præcavendam irreverentiam erga Sacramentum, de cujus valore agitur.

CASUS VI.

596. Ximenez, per plures jam annos Confessarius, duas proponit difficultates circa absolutionem Sacramentalem, sibique enodari cupit. Prima est, quid censendum sit de eo pacto, quod quidam morituri cum Confessario ineunt, ut in agone absolvantur? Secunda, an etiam aliquando neganda sit absolutio identidem confitentibus eadem venialia, & quidem numerose commissa? Quomodo hæ difficultates Ximenezio sunt enodandæ?

RESpondetur primo ad primam difficultatem, Si illud pactum ita ineatur, ut absolvatur æger absque omni novo signo, aliter utilitas talis pacti defendi non potest, quam dicendo, quod ipsum inire hoc pactum, sit aliqualis confessio, quam non statim sequatur absolutio, sed juxta voluntatem ægri differatur usque ad agonem. Verum quia æger, quando hoc pactum init, confessionem longe exactiorem instituere potest, e. g. post peractam tire confessionem, & receptam absolutionem eadem peccata generatim repetendo, novum dolorem eliciendo, & absolutionem in agone dandam petendo, instituere tenetur, si absolvi velit. Accedit, quod forte æger interea commiserit novum peccatum mortale: quo casu nec illud pactum (imo nec illa confessio, quantumvis de se exactior) posset dici confessio peccati primum subsequentis; nec posset novum dolorem, qui iterum necessarius est, reddere sensibilem: consequenter neque esset sufficiens ad absolutionem. Si dicas, supponi posse, quod æger nullum novum mortale admiserit; repono ego, quod hoc supposito æger non indigeat absolutione. Ubi proinde neque in praxim deduci posset doctrina *n. 594.* tradita, utpote quæ necessitatem absolutionis præexigit. His ita ob oculos positis, censeo, ægrum ad illud pactum, quod cum Confessario init, prudenter, & secure executioni mandandum, universaliter sic dirigi posse, ac debere, ut nempe post factam confessionem, & acceptam absolutionem, peccata, quorum in confitendo meminit, generatim repetat, dicendo: *de peccatis, quæ modo confessus fui, iterum doleo, iterumque me accuso pro iterata absolutione in agone obtinenda*; ac insuper (si forte postmodum mortaliter peccaverit) denuo novum eliciat dolorem, eumque in agone manifestet per aliquod signum, e. g. levando suam manum, vel premendo manum Confessarii, vel hunc fixe aspiciendo, vel qualecunque tandem signum exhibendo. Hæc si fiant, tuto absolvitur agonizans. Vel enim is ponitur post absolutionem immediate præcedentem graviter deliquisse, vel non? Si non; adest præter dolorem confessio formalis, quæ sufficit ad impertiendam absolutionem etiam non necessariam. Si sic; adest præter dolorem confessio virtualis, quæ & ipsa sufficit ad dandum in articulo mortis absolutionem, quando hæc, ut impræsentiarum, necessaria est; quemadmodum relinquitur ex dictis *n. 594. in respons. ad instantiam*. Ita hanc difficultatem ventilat, & magna ex parte enucleat P. Antonius Mayr *tr. 12. disp. 2. n. 562.*

Respondetur secundo ad secundam difficultatem. Non est neganda absolutio identidem confitentibus eadem venialia, quantumvis numerose commissa. Ita P. Viva *post 3. part. damnat. Thesium pag. 251. num. 12.* aliique communiter. Ratio est: tum quia frequentes sunt occasiones relabendi in venialia; tum quia, cum pœnitentes non teneantur ea clavibus subjicere, dum subjiciunt, satis ostendunt, se de iis dolere, eorumque emendationem proponere: tum denique quia relapsi in venialia non ferunt fatale nocumentum animæ, sicut relapsi in mortalia. Unde licet frequenter relapsis in eadem mortalia quandoque neganda, vel saltem differenda sit absolutio; non tamen sequitur, negandam quoque, vel differendam esse frequenter relapsis in eadem venialia. Nihilominus quo securius, vel saltem fructuosius, etiam cum taliter relapsis, procedat Confessarius, suadebit ipsis, ut specialiter doleant de certis venialibus, e. g. de illis, quibus magis gravantur, eaque speciali conatu extirpare proponant. Videatur P. Sporer *n. 339.*

597. Petes hic veluti occasionaliter, an pœnitens, qui multa commisit venialia, e. g. quinquagiota mendacia jocosa, & de iis se accusat, non exprimendo quantitatem numeri, sed tantum quasi generatim, & confuse dicendo, e. g. *sæpe mentitus sum*, absolvatur ab omnibus, vel solum ab aliquibus?

Respondetur, quod probabilius absolvatur ab omnibus, si de omnibus doleat. Ita Dicastillo apud Sporerum *num. 337.* & alii communius. Ratio est: quia ex una parte pœnitens, cum ad quantitatem numeri exprimendam hic non teneatur, censetur se de omnibus sufficienter accusasse; ex altera vero parte Confessarius supponitur habere intentionem absolvendi ab omnibus; ergo &c.

DISPUTATIO III.

De Satisfactione.

SAtisfactio alia est *in voto*, alia *in re*: illa præcedere debet formam absolutionis, ceu materia partialis essentialiter constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ: ista vero, licet præmitti possit absolutioni, ordinarie tamen quoad sui executionem postponi solet; idque citra absurdum, cum non ad essentiam, sed solum ad integritatem Sacramenti pertineat: quod totum relinquitur ex dictis *n. 477.* Unde, quoniam impræsentiarum de sola fere satisfactione reali disserendum est, congrua methodo procedimus, dum eandem absolutioni etiam ordine doctrinæ postponimus: & quidem speciali disputationi reservatam, quo commodius de Satisfactione per Indulgentias una agamus, more Casuistis passim usitato. Sit proinde

---

CAPUT I.

De Satisfactione, quæ imponitur a Confessario.

HÆc Satisfactio semper est Sacramentalis, hoc ipso, quod in Sacro Tribunali a Sacerdote injungatur virtute clavium ad persolvendam pœnam temporalem pro remissis peccatis adhuc debitam (ut mox dicetur) & ordinetur ad Sacramentum Pœnitentiæ integraliter perficiendum.

ARTICULUS I.

An Confessarius imponere, & pœnitens acceptare, ac exequi satisfactionem debeat?

SUMMARIUM.

598. *Definitur satisfactio Sacramentalis.* 599. & 600. *Aliqua regulariter imponenda est, & quidem sub obligatione gravi pro mortalibus, sub levi pro venialibus.* 601. *Quam etiam pœnitens tenetur acceptare, & exequi.* 602. & *seq. Solvuntur objectiones.* 604. *Qualiter peccet pœnitens penitentiam non acceptando, vel non exequendo?* 605. *Utrum eandem possit implere per alium, & quando implere teneatur?*

598. PRænotandum, *satisfactionem Sacramentalem* (de qua sola in hoc capite sermo erit, & quæ etiam *Pœnitentia Sacramentalis* vocari solet) esse *bonum aliquod opus a Confessario virtute clavium injunctum pœnitenti ad persolvendam pœnam temporalem, pro peccatis personalibus remissis adhuc debitam.* Certum quippe est (ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 8.) quod post dimissam culpam peccati, & pœnam æternam communiter remaneat pœna aliqua temporalis, in hoc, vel altero seculo luenda; pro qua proinde in præsenti seculo melius expianda Christus instituit satisfactionem Sacramentalem, a Confessario in S. Tribunali pœnitenti injungendam. Hoc prænotato,

599. Dico primo. Tenetur Confessarius, per se, & regulariter loquendo, imponere pœnitenti aliquam satisfactionem, seu pœnitentiam. Communis.

Probatur ex Trid. *Sess.* & *cap. citt.* ubi ita habet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere*; ergo &c.

Confirmatur primo. Minister Sacramenti Pœnitentiæ, qualis est Confessarius, tenetur procurare ejus integritatem; ergo tenetur imponere aliquam satisfactionem, utpote quæ est pars integralis dicti Sacramenti, juxta Trid. *cit. Sess.* 14. *cap.* 3.

Confirmatur secundo. Confessarius, tanquam Judex, tenetur debitam pro delictis pœnam exigere, &, ut Medicus, præscribere medicinas reparativas, ac præservativas; ergo tenetur imponere aliqua opera pia satisfactoria pœnitenti, seu aliquam satisfactionem.

Dixi autem: *per se, & regulariter loquendo.* Nam per accidens, quando e. g. moribundus, ob ministerium sensuum amissum, nullam pœnitentiam amplius peragere potest, nulla imponi debet; cum frustra imponeretur. Quod si non penitus careat usu sensuum, imponendum est vel aliquod opus leve tantum; ut percussio pectoris; brevis aspiratio ad Deum; invocatio sanctissimorum Nominum Jesu, & Mariæ; devotus aspectus, aut osculum Crucifixi &c. vel insuper addendum opus grave, (quando moribundus attulit peccata mortalia) ut illud persolvat, si forte convaluerit. P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disp.* 5. *art.* 3. *num.* 3. & alii passim. Alium casum, in quo Confessarius nullam teneatur imponere pœnitentiam, haud admitto præter proxime memoratum. Unde licet pœnitens videatur valde contritus, aut velit lucrari Jubilæum, aliamve indulgentiam plenariam, aut etiam subire Martyrium, adhuc pœnitentia aliqua saltem parva illi imponenda erit, quando eam peragendi moralis possibilitas adest. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1238. Ratio est: quia licet talis pœnitens vel jam satisfecerit, vel satisfacturus prævideatur pro pœnis temporalibus, adhuc tamen retinet obligationem integrandi Sacramentum, qua se exolvere non potest, nisi peragendo satisfactionem Sacramentalem, virtute clavium a Confessario sibi impositam: consequenter &c.

600. Quæres, sub quanta obligatione teneatur Confessarius pœnitenti imponere satisfactionem?

Respondetur. Pro peccatis mortalibus, necdum rite expiatis, tenetur imponere satisfactionem (1) sub obligatione gravi; at pro peccatis venialibus, sive mortalibus, jam antea rite expiatis (2) non nisi sub obligatione levi. Prima pars est communis. Alteram tenent Lugo, Tamburinus, Diana, quos refert, & cum communiori sequitur P. Stoz *lib.* 2. *n.* 1. & 10. contra Palao, Michel, plures alios. Ratio utriusque partis est: quia Judex forensis gravium delictorum reis tenetur sub gravi obligatione pœnam imponere: reis vero delictorum levium sub obligatione levi tantum; ergo & Judex Sacramentalis.

Dices contra secundam partem. Omittere ritum, a Christo institutum, & universali Ecclesiæ usu receptum, qualis est impositio satisfactionis, censetur mortale; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Censetur mortale ex genere suo, ita nimirum, ut admittat parvitatem materiæ, con. ex toto suo genere, ut respuat parvitatem materiæ, neg. ant. & conf. Intelligentia responsionis colligitur partim ex dictis *in part.* 1. *n.* 682. partim ex dictis *in hac part. n.* 164.

Instabis. Confessarius ut Judex tenetur ex sua parte procurare integritatem Judicii Sacramentalis, & quidquid ad eandem pertinet, sive audiat confessionem venialium, sive mortalium; ergo dum omittit imponere pœnitentiam, quæ pertinet ad integritatem Judicii Sacramentalis, & Sacramenti Pœnitentiæ, semper mortaliter peccat.

Respondetur, dist. ant. Tenetur &c. sub obligatione æquali, neg. sub obligatione inæquali, con. ant. & neg. conf. Sub gravi obligatione tenetur Confessarius procurare prædictam integritatem, quando audit confessionem mortalium, pro quibus in pœnitentiam imponi regulariter debet opus magnum; sub obligatione levi autem, quando audit confessionem venialium tantum, pro quibus imponitur in pœnitentiam opus parvum. Etiam pœnitens ut reus ex sua parte tenetur procurare integritatem Judicii Sacramentalis, & tamen si non procuret omittendo pœnitentiam levem, haud peccat plus, quam venialiter: prout videbimus infra *num.* 604. & ipsimet Adversarii admittunt; ergo &c.

Urgebis. Esto pœnitens solum venialiter peccet non exequendo pœnitentiam levem, peccat tamen mortaliter eandem non acceptando, ex dicendis infra *cit. n.* 604. ergo etiam Confessarius non imponendo.

Respondetur neg. conf. Disparitas est: quia pœnitens non acceptando pœnitentiam, etsi levem, destituitur satisfactione in voto, quæ est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; adeoque si absolvi nihilominus desideret, vel etiam actu absolvatur, intendit facere, vel reipsa facit Sacramentum invalidum, non sine grandi sacrilegio. E diverso Confessarius non imponendo pœnitentiam (sive gravem, sive levem) Sacramentum haud irritat, sed tantum relinquit integraliter incompletum; sicque incurrit peccatum mortale, vel veniale secundum proportionem pœnitentiæ imponendæ. Neque est in causa, ut pœnitens destituatur satisfactione in voto. Nam pœnitens hanc habere adhuc potest, quatenus potest habere voluntatem acceptandi pœnitentiam, si imponatur.

601. Dico secundo. Pœnitens tenetur acceptare, & exequi satisfactionem, seu pœnitentiam sibi injunctam, si sit justa. Ita Thomistæ, & Recentiores communiter: item ex Scotistis Brancatus, Bosco, Mastrius, Henricx, Sporer *n.* 547. Panger *lib.* 4. *disp.* 4. *de Pœnit. num.* 18. Elbel *num.* 227. & alii itidem satis communiter.

Probatur. Confessarius authoritative potest, imo tenetur pœnitenti injungere satisfactionem: prout relinquitur ex dictis; ergo pœnitens tenetur eam acceptare, & exequi; cum potestas præcipiendi, & obligatio obediendi sint correlativæ.

Confirmatur. Si pœnitens non acceptaret satisfactionem, Sacramentum esset nullum; cum deesset satisfactio in voto, quæ est de essentia Sacramenti: si vero satisfactionem acceptatam non exequeretur, Sacramentum maneret incompletum, & integraliter imperfectum; cum deesset satisfactio in re, quæ est pars integralis ejusdem Sacramenti; ergo, ne Sacramentum frustretur suo valore, vel saltem integritate, pœnitens tenetur satisfactionem sibi injunctam acceptare, & acceptatam exequi.

Dixi: *si sit justa &c.* Nam si satisfactio, quam Confessarius injunxit, videatur pœnitenti injusta, aut nimium gravis, vel statui suo non accommodata, poterit rogare Confessarium, ut eam mitiget, vel aliam imponat. Qua in re Confessarius non debet esse difficilis. Quod si tamen contrarium faciat, & rationabi-

li pe-

li petito confitentis annuere nolit, poterit iste inabsolutus recedere, & alteri Sacerdoti sua peccata exponere, mitiorem, magisque accommodatam ab eo pœnitentiam suscepturus. Laymann *lib. 5. tr. 6. cap. 15. n. 6.* Sporer *n.* 550. Elbel *n.* 228. Imo licet pœnitens acceptaverit pœnitentiam, & idcirco absolutus fuerit, eam implere non tenebitur (nec ejus commutationem sive ab eodem, sive ab alio Confessario petere, quamvis id merito suadeatur) quando certo deprehendit, esse irrationabilem, aut impossibilem; cum ad impossibile, etiam moraliter tale, nemo obligetur. Sporer & Elbel *cittat.*

602. Objicies primo. Scotus pluribus in locis, ut *in 4. dist. 15. q. 1.* item *dist. 19. q. unic.* & alibi, docet contrarium conclusioni nostræ, ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Doctor enim solummodo vult, pœnitentem non obligari ad acceptandam, & exequendam pœnitentiam, quando hæc est nimium gravis, nec ejus statui accommodata: item non obligari ad pœnitentiam *totalem*, quando nimirum Confessarius partem pœnitentiæ imponit (sicut tenetur semper aliquam saltem imponere) sub præcepto, & partem (sicut potest) sub consilio: id quod patet ex verbis ejusdem Doctoris, quæ habet *citat. dist.* 19. & sunt: *Quantum ad susceptionem pœnæ totalis correspondentis* &c. Ubi incidenter, & occasionaliter nota, partem pœnitentiæ, sub consilio additam, non esse pœnitentiam stricte dictam, sed tantum remedium aliquod, vel simile quid, suadendo indicatum (ut loquitur P. Antonius Mayr *tr. 12. disp. 2. n.* 742.) & consequenter suum effectum non sortiri ex opere operato; sicut suum sortitur pars pœnitentiæ imposita sub præcepto. Ceterum quod Doctor Subtilis positive stet pro conclusione nostra (& idcirco perperam allegetur pro opposita) patet ex *citat. dist.* 15. ubi ait, saltem laborem imponendum esse in satisfactionem; & ex *distin.* 16. ubi satisfactionem asserit esse necessariam, eo quod Sacerdos nedum potestate solvendi, sed & ligandi polleat.

603. Objicies secundo. Judicium Sacramentale Pœnitentiæ est voluntarium, & liberum pœnitenti; ergo hic non tenetur Judici Sacramentali, seu Confessario, parere acceptando, & exequendo satisfactionem impositam.

Respondetur, dist. ant. Est voluntarium, & liberum pœnitenti, ut hunc, vel illum Judicem Sacramentalem, seu Confessarium, accedat, aut ut isto, vel alio tempore confessionem peragat, & absolutionem petat (abstrahendo a præcepto hic, & nunc confitendi) con. Ut nullum omnino Judicem Sacramentalem, seu Confessarium, accedat, aut ut absolvatur a culpa, & non ligetur ad pœnam temporalem, remissa culpa, & pœna æterna, adhuc restantem, neg. ant. & cons. Ex suppositione, quod reus, seu pœnitens huic Judici Sacramentali se subjecerit, debet, prout ratio Judicii postulat, sententiæ, quippe a legitima potestate ligandi profectæ, omnino parere: & consequenter pœnitentiam obligatorie injunctam acceptare, atque peragere.

Dices. Confessarius, remissa culpa, & pœna æterna, obligando pœnitentem ad pœnam temporalem, sive in hac vita, sive in purgatorio persolvendam, adhuc exercet potestatem ligandi; ergo pœnitens non obligatur ad pœnitentiam, seu pœnam temporalem determinate in hac vita persolvendam, sed poterit illius persolutionem differre ad purgatorium, si velit.

Respondetur, dist. ant. Adhuc exercet potestatem ligandi modo præscripto, & debito, neg. secus, transf. ant. & neg. cons. Confessarius, ut potestatem ligandi modo debito exerceat, obliget, necesse est, ad aliquod bonum opus, seu satisfactionem in hac vita præstandam, ne alioqui Sacramentum sua integritate destituatur, & incompletum remaneat. Accedit, quod sufferentia pœnæ in purgatorio sit solum passio, sive satispassio; adeoque non possit sortiri rationem satisfactionis Sacramentalis (qualem imponere debet Confessarius) cum hæc consistat in actione, seu sit actus pœnitentis, ex definitione Tridentini *Session.* 14. *capit.* 3.

604. Quæres primo, an pœnitens, pœnitentiam justam non acceptando, & non exequendo, semper mortaliter peccet?

Respondetur. Pœnitens, qui absolvi desiderat, & justam pœnitentiam, sive levem, sive gravem, (1) recusat, seu non acceptat, semper mortaliter peccat: secus (2) qui acceptatam non exequitur. Palao ubi supra *num.* 9. Babenstuber *tr. 8. part. 6. disp. 5. artic. 3. n.* 23. & alii. Ratio primi est: quia acceptatio pœnitentiæ nihil est aliud, quam satisfactio in voto, vel saltem hæc sine illa consistere non potest, ut patet consideranti; ergo non acceptans pœnitentiam destituitur satisfactione in voto, quæ ingreditur essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, ex dictis *n.* 412. & irritat, vel irritare intendit tale Sacramentum, si absolvatur, vel absolvi desideret. Ratio secundi est quasi opposita: siquidem satisfactio in re non ad essentiam, sed solum ad integritatem Sacramenti pertinet; nec proinde illius defectus Sacramentum irritat, sed solum aliquo modo, nimirum integraliter, incompletum relinquit; ergo nihil obstat, quin obligatio hujusce satisfactionis mensuretur ex gravitate, & levitate materiæ, seu pœnitentiæ impositæ; sitque proinde gravis, si pœnitentia sit gravis, & levis, si pœnitentia (sive pro venialibus, sive pro mortalibus imposita) sit levis: consequenter &c.

605. Quæres secundo, an pœnitens teneatur implere pœnitentiam (1) per seipsum, & (2) quando?

Respondetur primo ad primum membrum quæsiti, quod pœnitens ipse personaliter obligetur ad implendam pœnitentiam, nec possit substituere alium, qui loco sui impleat. Patet ex *prop. 15. ab Alexandro VII. confixa*, quæ est: *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Ratio insuper est: quia ex Trid. *Sess. 14. cap. 3. & can.* 4. constat, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse tres illos actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem; ergo sicut contritio, & confessio nequit peragi per alium, ita nec satisfactio. Confirmatur. Juxta idem Trid. *Sess. cit. cap.* 8. pœnitentia imponitur ad novæ vitæ custodiam, & ad præteritorum peccatorum vindictam, ac castigationem; ergo personaliter poni debet ab ipsmet pœnitente, qui peccavit.

Dices. *Qui per alium facit, est perinde, ac si faceret per seipsum*; ut habet *Reg. 72. Juris in 6.* Deinde potest laico pro pœnitentia imponi, ut curet Sacra legi. Item pœnitens, cui Confessarius injunxit dationem eleemosynæ, satisfacit, dando per alium, e. g. per suum famulum; ergo non requiritur actio personalis ipsiusmet pœnitentis ad persolvendam satisfactionem Sacramentalem.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, in primis *cit. Reg.* non obtinere, quando ex speciali ratione exigitur actio personalis; ut in proposito. Vide super *cit. prop. n.* 4. Deinde non lectio Sacrorum, quæ fit a Sacerdote, sed procuratio lectionis, quæ fit a pœnitente, rationem satisfactionis Sacramentalis habet. Sporer *n.* 573. Denique datio eleemosynæ, dum fit ex ære proprio pœnitentis, e. g. domini, ipsi principaliter adscribitur, & servo non nisi instrumentaliter; imo morali æstimatione simpliciter censetur actio personalis domini, cum parum intersit, an quis propria, vel aliena manu eleemosynam largiatur. P. Antonius Mayr ubi supra *n.* 744.

Respondetur nunc secundo ad secundum membrum quæsiti. Quando Confessarius tempus implendæ pœnitentiæ determinavit, illud omnino a pœnitente servandum est. Palao *tr.* 23. *disp. unic. pun.* 21. §. 4. *n.* 13. & alii communissime. Ratio est: siquidem reus sicut quoad mulctam, ita quoad tempus exolvendæ mulctæ subjectus est potestati Judicis. Si tale tempus fuerit prætermissum sive ex causa, sive ex incuria pœnitentis, non idcirco expirat, saltem ordinarie, obligatio implendi pœnitentiam, sed ista alio postmodum tempore supplenda erit. Suarez *disp. 38. sect. 7. num.* 6. & alii passim. Ratio est: quia ordinarie tempus a Confessario non præfigitur ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Dixi: *ordinarie.* Nam quandoque contrarium ex circumstantiis colligitur, videlicet obligationem persolvendæ pœnitentiæ affici certo diei, mensi, anno &c. quo proin elapso expiret: ut si Confessarius pœnitenti injungat jejunium, in honorem B. Virginis singulis currentis anni, mensis &c. diebus Sabbatinis observandum. Palao *loc. cit. n.* 14. Gobat *tr. 7. n.* 767. & alii. Quando autem Confessarius tempus

pus

pus implendæ pœnitentiæ non designavit, ea erit implenda, quamprimum fieri mortaliter poterit. La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 1287. Elbel *n.* 229. & alii communiter. Ratio est: quia *in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti die* (idest, primo quoque tempore) *debetur*. Eapropter magna dilatio gravis pœnitentiæ mortalem, parva venialem culpam inducet. Quæ autem sit magna, aut parva dilatio, prudentis arbitrio relinquitur. Neque enim pœnitens, ad communicandum singulis mensibus ex præcepto Confessarii obligatus, mortaliter delinquet, tametsi sex, vel octo dies Communionem differat post lapsum mensis. Suarez *loc. & n. citt.* Palao. Coninch, & alii.

ARTICULUS II.

Qualis, & quanta sit imponenda Satisfactio?

SUMMARIUM.

606. *Opus, quod pro pœnitentia imponitur, debet esse pœnale*. 608. *Potest tamen imponi jam aliunde debitum: vel* 608. *peragendum pro animabus purgatorii*. 609. *An etiam, & quando imponi possit opus publicum?* 610. *Per illam clausulam;* quidquid boni feceris &c. *opera pœnitentis elevari possunt in satisfactionem Sacramentalem*, 611. *Per se imponenda est satisfactio, peccatis proportionata*. 612. *In quibus casibus possit fieri oppositum?* 613. *Quænam pœnitentiæ sint utiliores?*

606. Dico primo. Opus, quod a Confessario in satisfactionem imponitur, debet esse pœnale, hoc est, aliquo modo afflictivum. Communis.

Probatur; quia id, quod tendere debet ad criminis vindictam, & affectus exorbitantis refrænationem, debet esse pœnale: sed ad ista tendere debet opus, a Confessario in satisfactionem imponendum; ergo debet esse pœnale, seu aliquo modo afflictivum.

Ceterum hanc pœnalitatis conditionem inesse omnibus operibus bonis non solum ex-sed etiam internis, saltem de facto, & in statu naturæ lapsæ, docent Valentia, Palao, & alii passim. Ratio est: quia in tali statu opera quoque interna, ut meditationes de Dei præsentia; de extremo Judicio; de pœnis inferni; vel contritio, & propositum aliquoties repetendum &c. sunt aliquo modo laboriosa, & sic afflictiva pœnitentis. Nec refert, quod opera interna non sint sensibilia. Esto enim non sint sensibilia in se, sunt tamen sensibilia in alio, nimirum in impositione Confessarii, & acceptatione pœnitentis; quod sufficit: prout cum communi recte notat P. Stoz *lib. 2. n.* 112. Plerunque tamen, præsertim hominibus plebeis, injungenda esse opera externa, monent DD. passim: tum quod sint magis afflictiva, adeoque, ceteris paribus, magis satisfactoria: tum quod, ceu per se sensibilia, sint magis proportionata Sacramento tanquam signo sensibili.

607. Quæres primo, an in satisfactionem injungi possit opus, ex aliquo præcepto, voto, aliove titulo jam debitum?

Respondetur cum communi affirmative. Ratio est: quia ex una parte titulus ille obligatorius non obstat, quo minus tale opus adhuc sit pœnale, & satisfactorium; ex altera vero parte nihil absurdi, aut implicatorii est, opus, uno jam titulo debitum, nova affici obligatione. Imo expedit quandoque, ut imponatur opus jam alias debitum; quando nimirum Confessarius prævidet, vel timet, ne pœnitens e. g. Horas Canonicas, ad quarum recitationem obstringitur, intermittat; in Quadragesima non jejunet &c. nisi ad hæc opera peragenda insuper adstringatur præcepto Confessarii. Quod si autem pœnitens etiam postea adhuc omittat, v. grat. jejunium, committet duplex specie peccatum, unum contra virtutem Temperantiæ, sive Abstinentiæ, propter violatum præceptum Ecclesiæ, & alterum contra virtutem Pœnitentiæ propter violatum præceptum Confessarii. Stoz *loc. cit. n.* 113. Michel *de Sacramen. Pœnit. fol.* 342. *n.* 27. & alii passim. Communiter tamen Confessarii debent injungere pro pœnitentia opus, quod non jam ante est sub aliqua peccati obligatione debitum, ut homines magis a peccatis absterreantur, perfectiusque pro iis satisfaciant. Atque sic velle, & facere præsumendi sunt, nisi oppositum exprimant, vel colligatur ex circumstantiis: quia ex communiter contingentibus fit præsumptio. Revide dicta *part. 1. num.* 272.

608. Quæres secundo, an in satisfactionem injungi possit opus, pro animabus purgatorii peragendum?

Respondetur itidem cum communi contra Joannem Sanchez affirmative. Ratio est: quia idem opus bonum in Sacramento potest esse satisfactorium tam ex opere operato, quam ex opere operantis; ergo nihil obstat, quin, ut est satisfactorium ex opere operato, & pars integralis Sacramenti, prosit pœnitenti in satisfactionem pro pœna temporali; ut vero est satisfactorium ex opere operantis applicetur in eundem finem pro defunctis, seu animabus purgatorii.

609. Quæres tertio, an in satisfactionem imponi possit opus publicum, seu tale, quod pœnitens nequeat peragere, nisi advertentibus aliis?

Respondetur, pro peccatis cum publico aliorum scandalo factis posse, imo debere imponi, quando scandalum aliter tolli nequit. Ita post alios Stoz ubi supra *n.* 112. La Croix *loc. cit. n.* 1264. Michel *num.* 27. habeturque in Trid. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.* Ratio insuper est; quia tale opus peccatis proportionatum est, nec ejus impositio præjudicat sigillo Sacramentali; cum fiat de consensu, & quidem debito, pœnitentis absolvi desiderantis. Pro peccatis vero occultis imponenda non est pœnitentia publica; quia foret nimium difficilis, & Sacramentum redderet odiosum: veluti notant AA. *citt.* & alii passim.

610. Quæres quarto, an per illam clausulam generalem: *quidquid boni feceris, vel mali sustinueris:* eleventur, vel saltem elevari possint opera pœnitentis ad satisfactionem?

Respondetur affirmative, si Confessarius verba illa proferat cum explicita, vel saltem implicita intentione elevandi ad satisfactionem. Navarrus *in Manual. cap.* 26. *num.* 24. Reginaldus *lib.* 7. *num.* 23. Filliucius *tr.* 8. *cap.* 2. Stoz *lib.* 2. *a num.* 113. cum multis aliis a se relatis. Ratio est: quia, licet illa verba solum sint instituta, & addantur ex ordinatione Ecclesiæ, atque ut sic obtineant solum rationem deprecationis, possunt nihilominus a Confessario, virtute clavium instructo, proferri etiam authoritative, ad satisfactionem elevari, & acquirere vim remittendi pœnam temporalem ex opere operato (quid enim obstet?) ergo &c.

Ubi tamen plura sunt advertenda. 1. Non requiri, ut Confessarius habeat intentionem explicitam opera sic elevandi: quia Confessarius volendo per memoratorum verborum prolationem prodesse pœnitenti, opera illa sufficienter ad finem dictum elevat intentione implicita; cum hic vel maxime censeantur esse eadem vis impliciti, & expliciti. Nec 2. requiri, ut verba memorata pœnitens intelligat: cum hoc nec ad acceptandam, nec ad exequendam pœnitentiam necesse sit. Non enim ad acceptandam; quia ad eam pœnitens non potest esse rationabiliter invitus; cum cedat in magnum illius bonum: neque ad exequendam; quia pœnitens implere potest pœnitentiam, dummodo opus injunctum præstet, etsi non præstet ex intentione implendi pœnitentiam: prout colligitur ex dictis *part. 1. num.* 269. 3. Opera injuncta solum referri ad remissionem pœnæ pro peccatis, tunc, seu in illa confessione remissis, debitæ. 4. Per generalem illum terminum: *quidquid boni &c.* non injungi, seu ad satisfactionem elevari omnia bona opera, quæ pœnitens per totius vitæ suæ decursum facturus est (prout nonnulli male putant) sed ea duntaxat, quæ ad totam temporalem pœnam, peccatis tunc remissis persolvendam sunt necessaria. Ratio horum duorum est: quia potestas clavium, qua Confessarius pollet, ad majorem elevationem se porrigere nequit; ut patet consideranti. 5. Præter illa opera pro satisfactione ordinarie, & regulariter etiam injungendum esse aliquod opus particulare, & determinatum. Ratio est: quia sicut materia remota Sacramenti Pœnitentiæ ordinarie, & regulariter non debet esse indeterminata, v. g. peccatum mortale in genere; ita nec pœnitentia tota, quæ est pars integralis ejusdem Sacramenti, & (si, ac in quantum imponitur sub præcepto) ex opere operato remissiva pœnæ temporalis: consequenter &c.

Aliud est (ut solvatur argumentum adversæ sententiæ) de meritis B. Virginis, & Sanctorum, de quibus in ea-

in eadem oratione Confeſſarius mentionem facit. Nam hæc merita, quia nemo poteſt alteri in ſatisfactionem pro peccatis, eorumque pœna delenda applicare, niſi qui poſſit, & velit ei indulgentiam concedere; ideo Confeſſarius ſic orando aliud non vult, nec velle, aut petere poteſt, quam ut per merita B. Virginis, & Sanctorum impetret pœnitenti gratiam ad pœnitentiam injunctam digne peragendam, applicetque ei merita illa quoad fructum impetratorium tantum, non item quoad fructum ſatisfactorium. Ita in terminis P. Stoz *n.* 117. Adverſariorum argumento obviat.

611. Dico ſecundo. Confeſſarius tenetur per ſe loquendo imponere ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam, peccatis proportionatam; adeoque pro peccatis gravibus gravem, & pro levibus levem &c. DD. communiſſime.

Probatur tum ex Trid. quod *Seſſ.* 14. *cap.* 8. ſic habet; *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Tum ex officio Confeſſarii qua Judicis, & qua Medici. Nam Judici incumbit infligere pœnas delictis commenſuratas, & Medico præſcribere pharmaca non ſolum curandis, ſed etiam evitandis impoſterum morbis idonea: qualia ordinarie non ſunt leves pœnitentiæ pro gravioribus delictis impoſitæ. Ergo &c.

612. Dixi: *per ſe loquendo*, ut indigitarem, per accidens pro peccatis gravibus injungi poſſe pœnitentias leves; idque ex ſequentibus cauſis. 1. Quando pœnitens videtur minore pœnitentia alliciendus ad frequentiorem confeſſionem ipſi valde utilem. 2. Quando pœnitens graviorem pœnitentiam implere non poteſt; vel ob compertam fragilitatem non impleturus videtur (vel ſaltem de hoc dubitatur) *tutius enim eſt* (ait Gerſon 2. *part. oper. in reg. moral.*) *cum parva pœnitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, & veriſimiliter adimpletur, ducere confeſſos ad purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum.* 3. Quando pœnitens obſervatur valde contritus. 4. Quando pœnitens eſt lucraturus indulgentiam, præſertim plenariam, Medicinalis tamen, a relapſu præſervativa, tali caſu non eſt prætermittenda. 5. Quando Confeſſarius vult poſt abſolutionem dicere orationem; *Paſſio Domini &c.* ac per illud: *quidquid boni feceris, vel mali ſuſtinueris &c.* opera a pœnitente præſtanda elevare ad ſatisfactionem Sacramentalem, ſecundum dicta *n. præced.* Stoz *lib.* 2. *n.* 121. 6. Denique (juxta Sporerum *numer.* 558.) quando pœnitens prævidetur ſuapte ſponte ſatisfacturus, præſtando multa bona opera. Monent tamen DD. paſſim Confeſſarium, ut, quando pœnitentiam leviorem pœnitenti, etiam mortalia confeſſo, ex juſta cauſa imponit, id ipſi ſignificet, ſi prudenter timeat, ne levis pœnitentia alioquin præbeat anſam parvipendendi, & idcirco iterandi tranſgreſſiones &c.

613. Quæres, quænam pœnitentiæ ſint utiliores?

Reſpondetur, illas eſſe utiliores, ſeu utilius injungi, quæ magis aptæ exiſtunt ad pœnitentem tum diſcrete affligendum, tum efficaciter emendandum. Hinc 1. utiliſſimæ pœnitentiæ ſunt, quibus imponitur uſus remediorum, quæ adverſus peccata a DD. adduci ſolent, & pleraque a nobis adducta ſunt *part.* 1. *numer.* 750. ac *part.* 2. *n.* 691. 2. Valde utiles pœnitentiæ ſunt, quæ directe peccatis, in confeſſione expoſitis, opponuntur; ut ſi avaro imponatur eleemoſyna; peccato carnali, ebrietati, gulæ deditis maceratio corporis, jejunia, aliaque incommoda; obnoxiis peccato odii, iræ, invidiæ, ſuperbiæ, opera charitatis erga proximum, & humiliationis. 3. Eo utilius eſt, atque utilius injungitur opus, quo magis meritorium eſt: ſic enim magis etiam ſatisfactorium eſt. Unde actus fidei, ſpei, & charitatis, utpote maxime meritorii, utiliſſime injunguntur. 4. Magna quoque, & utilis pœnitentiæ pars eſt diſcreta increpatio, & peccatorum moderata exaggeratio; quoniam excitant in pœnitente confuſionem non parum oneroſam, quæ ſi patienter, & prompte excipiatur, medium eſt admodum efficax contra relapſum: conſequenter &c. Ita P. Herzig *in Manual. part.* 2. *n.* 467.

ARTICULUS III.

An, a quo, & quomodo Satisfactio commutari poſſit?

SUMMARIUM.

614. Pœnitens non poteſt propria authoritate pœnitentiam commutare in aliud opus, ut ut melius. 615. Solvuntur oppoſita. 616. Confeſſarius ex rationabili cauſa poteſt commutare pœnitentiam, ſive a ſe, ſive ab alio æqualis poteſtatis Confeſſario impoſitam, modo prior confeſſio repetatur. 617. Quid agendum pœnitenti, pœnitentia impoſita oblito?

614. Dico primo. Pœnitens non poteſt authoritate propria ſatisfactionem commutare in aliud opus, licet evidenter melius. DD. communiter.

Probatur. Opus, quod a Confeſſario in ſatisfactionem imponitur, virtute clavium elevatur, ut ſit Sacramentale, & ſatisfactorium ex opere operato; ergo pœnitens illud commutare non poteſt in aliud, etſi evidenter melius. Ant. eſt decantatum. Conſ. ſimiliter conſtat: quia pœnitens, qua talis, nihil poteſt virtute clavium; ergo non poteſt facere, ut opus, quod ſibimet imponit, fiat Sacramentale, & ſatisfactorium ex opere operato: conſequenter &c.

Confirmatur. Pœnitens non poteſt reſpectu ſuiipſius agere Judicem Sacramentalem; ergo non poteſt ſatisfactionem Sacramentalem commutare, ſicut eam non poteſt ſibi imponere; cum non minus commutatio, quam impoſitio ſatisfactionis Sacramentalis privative competat Judici Sacramentali.

615. Objicies. Qui abundantiorem ſolutionem offert pro debito, quam eſſet ex lege obligatus, non ſolvit legem, ſed abundantius implet: atqui hoc facit pœnitens, dum, v. g. Litanias Lauretanas, ſibi pro pœnitentia injunctas, commutat in Roſarium; ergo &c.

Reſpondetur, majorem ſolummodo veram eſſe, quando ſolutio eſt abundantior in eodem genere, in quo eſt obligatoria. Sic qui die feſto audit ſolemne Miſſæ Sacrificium, ad horam, vel ultra protractum, utique abundantius ſatisfacit, ac ſi intereſſet Miſſæ privatæ, per ſemihoram duranti. Aſt qui loco Miſſæ, de feſto audiendæ, obiret duas Communiones, non idcirco impleret legem: quoniam obire duas Communiones, licet ſecundum ſe ſit quid præſtantius, ſeu majus quid in genere rei præceptæ, utpote in quo unice voluntas Legiſlatoris, & præcipientis reſpicitur.

Dices. Confeſſarius cenſetur in ſubrogationem operis melioris; conſentire; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. imo nec poteſt conſentire; cum Confeſſario æque, vel magis, ac pœnitenti, illicitum ſit, Sacramentum Pœnitentiæ incompletum relinquere; prout tamen eveniret, ſi pœnitens, etiam de conſenſu Confeſſarii, pœnitentiam, virtute clavium ſibi injunctam, non perageret, ſed aliam ſubſtitueret; nam hæc Sacramentalis non eſſet, adeoque nec Sacramentum integraret, contra inſtitutionem, & præceptum Chriſti.

Inſtabis. Saltem Deum ejuſmodi commutationem acceptare præſumendus eſt; ſicut præſumitur conſentire in commutationem voti, cui ſubrogatur opus evidenter melius.

Reſpondetur, neg. aſſumptum. Contrarium quippe promitur ex Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 8. *& can.* 4. ubi Sacerdos jubetur imponere pœnitenti ſatisfactionem pro peccatis, quæ virtute clavium elevetur ad eſſe Sacramentale, & ſatisfactorium ex opere operato, ſitque pars Sacramenti Pœnitentiæ: quod verificari nequaquam poteſt de opere, per propriam pœnitentis authoritatem ſubrogato. Requiritur ergo hic authoritas Superioris, nempe Confeſſarii, qua ſatisfactio, prius impoſita, commutetur in aliam, ſecundum ea, quæ mox concludemus. Paritas de voto non tenet. Diſparitas enim eſt, quod obligatio voti oriatur a voluntate ipſiuſmet voventis, ſitque implicite conditionata, niſi vovens ſubſtitueret opus melius, Deoque gratius. Ubi proin Deus recte præſumitur conſentire in commutationem, etſi hæc propria voluntate voventis, & abſque authoritate Superioris, fiat: id quod non obſcure colligitur ex *capitul.* 3. *Jure jur.* ibi: *Non enim*

propoſi

propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. In quo textu nulla, ut vides, fit mentio de authoritate Superioris, sed sola denotatur voluntas voventis. Contra obligatio persolvendi pœnitentiam oritur ex voluntate aliena, nempe Confessarii, eique absoluta, sicut obligatio aliorum præceptorum; nec dependet a voluntate pœnitentis: adeoque, ut commutetur, opus est authoritate Superioris, seu Confessarii, sine cujus interventu Deus præsumi non potest commutationem, etsi in opus de se præstantius factam, approbare.

616. Dico secundo. Confessarius ex rationabili causa potest commutare satisfactionem; sive a se, sive ab alio æqualis potestatis Confessario, impositam: modo prior confessio repetatur. Ita Suarez, Coninch, Sanct-Gallenses, Platelius, quos refert, & cum aliis sequitur Augustinus Michel *fol.* 340. *n.* 15.

Probatur: quia pœnitens potest eadem peccata, a quibus jam semel absolutus est, iterum subjicere judicio sive ejusdem, sive alterius Confessarii, ab iisque denuo absolvi; ergo poterit ipsi etiam imponi nova satisfactio, in qua prior commutetur, & qua peracta utrunque Sacramentum compleatur, inquit La Croix *lib. 6. part. 2. num.* 1294. Nihilominus pro securiore praxi suadeo, ut Confessarius duplicem tunc satisfactionem injungat; unam, in quam commutet pœnitentiam antea impositam, & per quam compleatur primum Sacramentum; & alteram (parvam tamen, nisi una cum peccatis antiquis afferantur nova, eaque gravia) per quam compleatur secundum Sacramentum. Sic enim prospicietur integritati utriusque numero Sacramenti, & pœnitens, cum iterato absolvatur, rationabiliter invitus esse non poterit circa acceptationem, ac persolutionem iteratæ pœnitentiæ; sicut invitus esse non potest, quando peccata, jam clavibus subjecta, iterum confitetur, &, imposita iterata pœnitentia, de novo absolvitur, nec pœnitentiæ, in priori confessione injunctæ, commutationem petit, utpote quam vel jam peregit, vel adhuc peragere intendit.

Dixi in conclus. *sive ab alio æqualis potestatis Confessario.* Nam Confessarius inferior non potest mutare pœnitentiam, a Confessario superiore impositam propter reservata. Ratio est: quia sicut imponere pœnitentiam est actus jurisdictionis, ita & illam mutare; ergo sicut inferior Confessarius, carens potestate jurisdictionis in reservata, pro his non potest imponere pœnitentiam Sacramentalem, ita nec impositam mutare. Neque dicas, Confessarium, alias inferiorem, habere in tali casu, in quo reservatio per absolutionem a Confessario superiorem impensam supponitur ablata, plenam potestatem. Nam licet hoc verum sit quantum ad absolutionem a peccatis, utpote non amplius reservatis; falsum tamen est relate ad mutationem sententiæ, quam superior Confessarius circa peccata protulit imponendo satisfactionem: & consequenter hanc inferior Confessarius immutare non potest.

Dixi præterea: *modo prior confessio repetatur.* Ratio est: tum quia Confessarius extra sacrum Tribunal nullam obtinet jurisdictionem; cujus tamen exercitium est commutatio pœnitentiæ: tum quia extra confessionem non potest subrogari pœnitentia, quæ sit Sacramentalis, suique effectus causativa ex opere operato. Ita Suarez, Coninch, Averſa, Joannes Sanchez, Dicastillo (apud P. La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 1298) & Augustinus Michel *fol.* 340. *num.* 16. In hac proin sententia (quam Michel *cit.* veriorem pronunciat, etiamsi Confessarius mutaturus pœnitentiam sit idem, qui injunxit, & statum pœnitentis adhuc memoria retineat) tenetur pœnitens, commutationem pœnitentiæ desiderans, alteri Confessario (imo & eidem, sed statum pœnitentis oblito) iterato manifestare saltem præcipua peccata in forma confessionis. Si vero Confessarius & sit idem, & prioris confessionis adhuc sufficientem habeat notitiam, omnino satisfaciet pœnitens se generatim accusando, & dicendo: *de illis peccatis, quæ nuper confessus sum, me iterum accuso.* Imo tunc nullam requiri confessionem docent Authores quam plurimi, quorum sententiam si sequi velis, per me licet; veriorem tamen, & securiorem censeo nostram cum Augustino Michel supra, & aliis DD. pro conclusione relatis. Similiter nullam requiri confessionem, quando Confessarius est alius, vel idem, sed non amplius memor peccatorum in priori confessione sibi expositorum, probabile putant Navarrus, Toletus, Henriquez, & alii, quos refert & sequitur Sporer n. 589. quando non agitur de justitia, vel injustitia pœnitentiæ impositæ; sed solum de pœnitentis infirmitate, difficultate &c. Vide Sporerum n. *cit. & præced.*

617. Quæres, quid agendum pœnitenti, injunctæ pœnitentiæ oblito?

Respondetur, consultum quidem esse, ut (præsertim quando pœnitentia fuit gravis) in proxima confessione sibi petat injungi aliam; non tamen obligatorium, Lugo, Tamburinus, Laymann, Salmanticenses, quos refert, & cum aliis sequitur Babenstuber *tr. 8. part. 6. disp. 5. art.* 3. n. 35. Ratio est: quia nemo tenetur implere præceptum aliquod, quando hoc (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) ignorat, & de facto scire amplius non potest. ergo &c. Quod si tamen memorata oblivio pœnitentiæ ortum traxerit ex culpa mortali, hanc; sicut alias culpas mortales, confiteatur pœnitens, necesse est.

CAPUT II.

De Satisfactione, quæ fit per Indulgentias; sive de Indulgentiis.

HÆc Satisfactio potest esse vel *Sacramentalis*, vel *Extra-Sacramentalis*. Sacramentalis est, quando ipsæ Indulgentiæ, vel aliquod opus, pro iis lucrandis præscriptum, in pœnitentiam a Confessario præceptive injungitur. Extra-Sacramentalis est, quando fit per Indulgentias secundum se spectatas, & non injunctas a Confessario in pœnitentiam. De Satisfactione hujus posterioris generis, atque adeo de Indulgentiis, secundum se spectatis, in præsenti capite acturi sumus. Esto igitur

ARTICULUS I.

De Indulgentiis in genere.

§. I.

Quid sit Indulgentia, quotuplex, & a quo concedi possit?

SUMMARIUM.

618. *Definitur Indulgentia, &* 619. *dividitur.* 620. *S. Pontifex potest concedere quascunque indulgentias.* 621. *Solvitur argumentum contrarium.* 622. *Requiritur ad indulgentias, etiam valide concedendas, justa causa.* 623. *An etiam Episcopi &c. possint concedere indulgentias?*

618. DIco primo, Indulgentia est *relaxatio pœnæ temporalis, pro peccatis personalibus remissis debitæ, ex Thesauro Ecclesiæ desumpta.* Adeoque per indulgentiam non remittitur illud peccatum quoad reatum culpæ, sed solum quoad reatum pœnæ temporalis, post culpam dimissam adhuc residuæ, & vel sustinendæ in purgatorio, vel delendæ in hac vita per opera pœnitentiæ, aut per ærumnas patienter toleratas. Per *Thesaurum Ecclesiæ* intelliguntur præcipue opera Christi qua satisfactoria, quorum valor est infinitus; dein B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quibus ipsi ad satisfaciendum pro suis peccatis non indiguerunt.

619. Dico secundo. Indulgentia dividitur in *plenariam*, seu *totalem*, & *non plenariam*, seu *partialem*: in *perpetuam*, & *temporalem*: in *personalem*, *localem*, & *realem*.

Explicantur membra divisionis. Indulgentia plenaria dicitur, & est, quæ tollit omnem pœnam, in hac, vel altera vita exolvendam. Non plenaria est, quæ solum tollit partem ejusmodi pœnæ: & subdividitur in *indeterminatam*, & *determinatam*. Indeterminata est, quæ tollit partem pœnæ indeterminatam, verb. grat. tertiam, aut quartam; nam cum in diversis subjectis debita sint inæqualia, pro qualitate istorum effectus remissionis inæqualis erit, & respectu unius major, respectu alterius minor. Determinata est, quæ

quæ tollit partem pœnæ determinatam, v. g. viginti, quadraginta dierum, septem, decem, centum, mille annorum &c. Si indulgentia isthæc sit quadraginta dierum, vocatur *Quadragena*, qua deletur tantum pœnæ, quantum fuisset exolutum per jejunium quadraginta dierum, in solo pane, & aqua secundum antiquos Canones Pœnitentiales tempore Quadragesimæ exantlatum; vel *Carena*, qua deletur tantum pœnæ, quantum fuisset exsolutum per jejunium quadraginta dierum, in solo pane, & aqua secundum præfatos Canones extra tempus Quadragesimæ exantlatum. Si sit indulgentia septem annorum, dicitur *Septena*, per quam remittitur tantum pœnæ, quantum deleri potuisset per jejunium septem annorum ab iisdem Canonibus injunctum. Siquidem sensus concessionis indulgentiarum determinatarum est, quod per illas tanta deleatur pœna, quanta fuisset deleta per opera pœnitentiæ, juxta præscriptum memoratorum Canonum peracta. Ubi proin corrigenda est opinio putantium, per indulgentiam v. g. quadraginta annorum deleri tantum pœnæ, quantum deleretur in purgatorio per hujusmodi tempus. P. Pichler *lib.* 5. *tit.* 38. *n.* 20. & alii passim.

Indulgentia perpetua est, quæ semper durat, donec a concedente, vel alio, revocandi potestatem habente, revocetur. Unde, cum imitetur naturam privilgii, non expirat, etiamsi concedens, sive civili, sive naturali morte moriatur. Temporalis est, quæ solum durat ad tempus, cui a concedente alligatum est; & post lapsum præfixi temporis cessat, P. Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 38. *n.* 4.

Indulgentia personalis est, quæ per se, & directe personis conceditur absque determinatione ad certum locum, vel rem materialem. Localis est, quæ certo loco, v. g. Ecclesiæ, Altari, &c. affixa est. Realis est, quæ certæ rei, puta rosario, numismati, cruci &c. affixa est. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1313.

620. Dico tertio. S. Pontifex concedere potest indulgentias quascunque omnibus Christi fidelibus. Communissima DD. Catholicorum. Constat ex *c. Unigenitus* 2. *de Pænit. & Remiss. int. Extravag. Commun.* & ex illo *Matth.* 16. ubi Christus ad D. Petrum (ejusque in Apostolica Cathedra Successores) dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Ex quo etiam patet, potestatem concedendi indulgentias inexistere S. Pontifici immediate Jure Divino, quippe ab ipsomet Christo Domino tributam. Revide, quæ in simili diximus *part.* 1. *num.* 282.

621. Objicies Si S. Pontifici competeret potestas concedendi indulgentias, & quidem illimitata respectu omnium indulgentiarum, omniumque Christi fidelium, posset concedere indulgentias etiam pro defunctis, & quas concedit pro vivis, sibi ipsi obtinere: sed neutrum dici valeat; ergo &c. Min. prob. Non enim primum; cum nec Pontifex habeat jurisdictionem, cujus portio est potestas concedendi indulgentias, in defunctos, quoniam ipsi solum tradita est potestas solvendi, & ligandi *super terram*. Neque secundum; quia nemo in seipsum exercere actum jurisdictionis valet: quod tamen deberet fieri, si Pontifex concederet indulgentias pro vivis, quas & ipse lucrari posset.

Respondetur, neg. min. Ad primum probationis membrum ajo, quod licet Pontifex non habeat jurisdictionem in defunctos, & consequenter pro iis non possit concedere indulgentias eo concessionis modo, quo concedit pro vivis, in quos jurisdictionem obtinet; possit tamen concedere alio concessionis modo. Quocirca pro vivis Pontifex indulgentias concedit tum per modum solutionis, quatenus iis applicat satisfactiones Christi, in Thesauro Ecclesiæ, cujus ipse est Dispensator, repositas, atque ita solvit eorundem debitum; tum per modum absolutionis, quatenus ex potestate ligandi, & solvendi, quam habet ut Vicarius Christi, præfatam solutionem nomine Dei acceptans, illos a reatu pœnæ debitæ absolvit. Contra vero, cum relate ad defunctos nullam habeat potestatem judiciariam ligandi, & solvendi, quam absolutio in absolvente prærequirit, nullatenus eos absolvit, sed solum pro iisdem solvit, offerendo pretium de Thesauro Ecclesiæ pro illorum debitis, quin possit nomine Dei talem solutionem acceptare in ordine ad eos absolvendos. Viva *de Jubileo q.* 5. *artic.* 3. *num.* 2. & La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1315. Nec dicas. Ergo dum Pontifex concedit indulgentias pro defunctis, non exercet actum jurisdictionis. Respondetur enim, dist. illatum. Non exercet actum jurisdictionis relate ad defunctos, pro quibus largitur indulgentias, conc. relate ad Thesaurum Ecclesiæ, ex quo, seu Dispensator, largitur indulgentias, neg. illatum. Esto enim Pontifex non obtineat jurisdictionem in defunctos, obtinet tamen in Thesaurum Ecclesiæ, quem dispensare potest, & dispensat, dum indulgentias largitur. Ad alterum probationis membrum dico, quod quidem nemo in seipsum exercere valeat actum jurisdictionis contentiosæ; bene tamen jurisdictionis voluntariæ in iis casibus, in quibus non exigitur specialiter distinctio personalis inter illum, qui exercet, & inter illum, erga quem exercetur hujusmodi jurisdictio, qualis distinctio non requiritur in præsenti; ubi proinde sufficit distinctio rationis, & connotativa, qua Pontifex, in quantum concedit indulgentias, consideretur tanquam Caput Ecclesiæ; &, in quantum illas lucratur, tanquam membrum. Videantur, quæ diximus *part.* 1. *à num.* 494.

622. Quæres primo, an S. Pontifex, ut indulgentias concedere possit, indigeat justa, & rationabili causa?

Respondetur affirmative. Et hoc adeo verum est, ut concedendo indulgentias absque interventu ejusmodi causæ non solum illicitè, sed etiam invalide ageret. Ita S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 20. *part.* 2. *artic.* 1. *q.* 6. & alii communiter. Ratio est: quia Pontifex non est dominus, sed tantum dispensator Thesauri Ecclesiæ; merus autem dispensator non solum illicitè, sed etiam invalide disponit de rebus sui Domini sine justa causa. Porro causa hæc non debet esse præcise ipsa liberatio a pœna temporali, sed insuper aliquid aliud ab illa diversum; nam alias semper adesset causa sufficiens concedendi quasvis indulgentias, cuivis, quovis momento; id quod dicere paradoxum esset. Hujusmodi causæ concedendi indulgentias (præter liberationem a pœna temporali) sunt exaltatio Ecclesiæ, conversio infidelium, hæresum extirpatio, propagatio Fidei Christianæ, concordia Principum Christianorum, reformatio vitæ, morumque emendatio, excitatio ad studium devotionis, & virtutis, obsequiorum, & meritorum remuneratio, spirituale solatium animarum, & similes aliæ, non solum publicum, sed privatum etiam bonum spectantes. Ita cum Palao, & aliis passim P. Schmalzgrueber ubi supra *n.* 31. Sed contra responsionem, ad Quæsitum redditam.

Dices. Papa valide dispensat in lege jejunii; valide item absolvit ab excommunicatione, & alias pœnarum remissiones facit, etiamsi absque justa causa procedat; ergo etiam, saltem valide, concedet indulgentias absque interventu justæ causæ.

Respondetur, neg. conf. & parit. Nam in casibus antecedentis Papa agit tanquam dominus, cum relaxet obligationem, & pœnas a se statutas: e diverso in casu consequentis non agit tanquam dominus, sed tanquam merus dispensator applicando satisfactiones alienas, Christi nempe, & Sanctorum &c. Revide dicta *in part.* 1. *n.* 523.

623. Quæres secundo, an etiam Episcopi, Archiepiscopi, & Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possint concedere indulgentias?

Respondetur; quod non possint concedere 1. indulgentias plenarias, etiam pro suis duntaxat subditis, seclusa speciali delegatione, & privilegio Papæ. *cap.* 1. *& fin. de Pænit. & Remiss. in* 6. Neque 2. pro defunctis etiam partiales tantum. *arg. capit.* 4. *de Pænit. & Remiss.* Possunt tamen Episcopi 3. (non item Capitulum Cathedrale, Sede vacante, nec Vicarius Generalis, juxta communem DD.) in Dedicationibus Ecclesiarum suæ Diœceseos dare indulgentias unius anni, & in earum anniversariis quadraginta dierum. *capit.* 14. *de Pænit. & Remiss.* Archiepiscopi 4. idem possunt in sua Diœcesi; ac præterea in sua Provincia, seu in Ecclesiis Suffraganeorum suorum, etiam extra visitationis tempus, & dum extra Diœceses ipsorum existunt (quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis voluntariæ, ut *num.* 550. dictum) concedere possunt quadraginta alios dies præter concessos a proprio Episcopo, ita, ut Ecclesias has in Dedicatio-

num

rum anniversariis visitantes octoginta dierum indulgentias simul lucrentur. Colligitur ex *cap.* 15. *cit. hic*, & docetur a Suarez, Palao, VViestner, La Croix ubi supra *n.* 1321. Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 120. Ex quo patet, hanc potestatem concedendi indulgentias residere in Episcopis, & Archiepiscopis immediate Jure Humano, nimirum Pontificio. Est nihilominus eadem potestas ordinaria; quippe concessa Jure communi, & Dignitati Episcopali, atque Archiepiscopali annexa. Alii Prælati Ecclesiastici, sive Seculares, sive Regulares, licet jurisdictionem quasi Episcopalem habeant, si tamen Episcopi non sint, de Jure communi, saltem scripto, nullam obtinent potestatem concedendi indulgentias: quia præfata potestas dignitati Episcopali, & Archiepiscopali specialiter est annexa. Unde si alii Prælati aliqua potestate concedendi indulgentias gaudeant, ex privilegio, vel consuetudine eam accepisse dicendi sunt: Sic nostri Provinciales ex privilegio Leonis X. in Visitatione suis Religiosis concedere indulgentias plenarias possunt, & solent &c. P. Herinck *de Pœnit. disp.* 4. *q.* 7. *a n.* 58. P. Schmalzgrueber *loc. & n. cit.* P. Pichler *lib.* 5. *tit.* 38. *n.* 33.

§. II.

Expediuntur nonnulle alia Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

624. *Quid notandum circa publicationem indulgentiarum?* 625. *An translato Festo, etiam transferatur indulgentia?* 626. *An quis possit uno opere lucrari plures indulgentias?*

624. Quæres primo, quid notandum circa publicationem indulgentiarum?

Respondetur, quod publicari non debeant primo sine licentia, & approbatione Ordinarii; ut habet textus, & Declarat. Cardd. in Trid. *Sess.* 21. *c.* 9. *de Reformat.*. Dixi: *primo*; nam indulgentias, jam olim sibi concessas a S. Pontifice, & Religiosi, & alii, quibus concessæ sunt, publicare possunt, irrequisito Ordinario, Gallemart *ad Trid. loc. cit. V. Indulgentias*.

625. Quæres secundo, an si Festum, in cujus die conceditur indulgentia, transferatur, etiam transferatur indulgentia?

Respondetur negative, si ejusmodi Festum transferatur quoad Chorum duntaxat, ac quasi per accidens, puta ob concurrentiam alterius Festi, & temporaliter, nimirum hoc tantum, vel illo anno &c. Ita enim declaravit Sacra Rituum Congregatio *die* 10. *Junii an.* 1690. *in Decreto* 298. quod refertur a P. La Croix *tomul.* 7. *part.* 2. *pag.* 1343. a nobis relatum est supra *n.* 389. atque ita sonat: *Translato Festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali.* Unde quando Festum S. Antonii Paduani, v. g. incidit in diem Pentecostes, & consequenter transferri debet in alium diem post Dominicam Trinitatis, indulgentia non transfertur, sed manet affixa diei 13. Junii, quo tale Festum cadit, & per se, ac regulariter celebrari solet, & debet.

Dixi in respons. 1. *quoad Chorum duntaxat*. Si enim transferatur etiam quoad forum, adhuc obtinet doctrina opposita, videlicet transferri indulgentiam: prout ostendit P. Gobat *in Quinario part.* 2. *tr.* 4. *cap.* 7. *n.* 324. *& seq.* idque exemplificat de Festo Annunciationis B. Virginis, & indulgentia Sodalibus Congregationis Rosarii Virginis Annunciatæ concessa &c.

Dixi 2. *quasi per accidens, & temporaliter*. Si enim Festum aliquod sit quasi per se, & perpetuo translatum in aliud diem, adeo, ut his talis dies sit fixus, omnino censendum, etiam transferri indulgentiam; cum ista alioquin fere frustranea foret, utpote quæ pro die, in quo antea Festum cadebat, non amplius promulgatur, sed pro die, quo nunc cadit, & celebrari debet. Ita denuo P. Gobat *loc. cit. n.* 330. Neque Decretum Congregationis hunc, & præcedentem Festa transferendi modum voluisse comprehendere credendum est, ob rationem proxime insinuatam.

626. Quæres tertio, an quis possit uno opere lucrari plures indulgentias, e. g. pluribus numismatis affixas?

Respondetur negative. Suarez *disp.* 52. *sect.* 8. *n.* 10. Laymann *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 6. *num.* 6. Herincx *de Pœnit. disp.* 4. *q.* 11. *num.* 82. & alii satis communiter. Ratio est: quia hæc censetur esse mens concedentis, ut, sicut ad unam indulgentiam requiritur opus unum, ita ad plures requirantur opera plura. Excipiunt tamen Laymann, Herincx, & alii: nisi opus sit tale, quale eodem die iterari non possit; ut jejunium, Communio &c. & huic operi indulgentiæ plures ob diversas causas, vel pro diversis, puta pro vivis, & defunctis, sint annexæ: dummodo opus illod tanto fervore ponatur, ut fini, a concedente intento, cooperari sit censendum. Sibi vero, & simul alteri easdem indulgentias lucrari nemo potest. Ita cum aliis P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1366. Ratio est: quia censetur concedi sub disjunctione: *vel pro se, vel pro aliis.*

Resolutiones aliarum adhuc quæstionum, quæ impræsentiarum moveri possent, colligentur ex dicendis *in art. seqq.*

ARTICULUS II.

De Jubilæo.

§. I.

Quid sit Jubilæum, quotuplex, & quasnam indulgentias suspendat?

SUMMARIUM.

627. *Jubilæum definitur.* 628. *Quare Jubilæum soleat appellari* indulgentia plenissima? 629. *Quid intelligatur per indulgentiam*, in forma Jubilæi *concessam?* 630. *Qualiter Bulla Jubilaris sit interpretanda?* 631. *Jubilæum dividitur.* 632. *Quare annus, quo conceditur Jubilæum ordinarium, appelletur* Annus Sanctus, *ipsumque hoc Jubilæum vocetur* Jubilæum Anni Sancti? 633. *Quænam indulgentia tempore Jubilæi ordinarii suspendantur?*

627. Dico primo. Jubilæum est *indulgentia plenaria, a S. Pontifice certas Ecclesias visitantibus, & certa pia opera peragentibus concessa, cum facultate absolvendi a casibus reservatis, & a censuris, vota commutandi &c.*

628. Quæres primo, quare Jubilæum in Bulla Jubilari soleat appellari indulgentia *plenissima*?

Respondetur, ideo sic appellari; quia præter remissionem omnis pœnæ temporalis pro peccatis debitæ (qualis remissio fit per quamcunque indulgentiam plenariam) continet adhuc alios favores, & gratias, quales sunt electio Confessarii; absolutio a peccatis reservatis, ac censuris; commutatio votorum &c. Ita post Suarez, Palao, & alios P. VViestner *lib* 5. *tit.* 38. *numer.* 178.

629. Quæres secundo, quid intelligatur per indulgentiam *in forma Jubilæi* concessam?

Respondetur, quod talis indulgentia non sortiatur rationem Jubilæi, adæquate sumpti, id est, prout hoc complectitur etiam favores proxime commemoratos, eligendi Confessarium, absolvendi a reservatis, commutandi vota; sed habeat solum rationem Jubilæi veluti inadæquate accepti, id est, pro indulgentia plenaria, importante remissionem omnis pœnæ pro peccatis debitæ, non autem alios favores immediate recensitos. Ita Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 7. *sect.* 5. Gobat *in Quinario tr.* 4. *cap.* 5. *quasi per tot.* Viva *de Jubilæo q.* 1. *art.* 1. & alii apud ipsos. Ratio hujus interpretationis, & responsionis est: quia Pontifices in Bullis Jubilæorum extra-ordinariorum (nunc expresse, nunc implicite) profiteri sæpe solent, se *præter indulgentiam in forma Jubilæi* impertiri potestatem eligendi Confessarium, qui a reservatis absolvat, & vota commutet; ergo signum est, quod *indulgentia, in forma Jubilæi concessa*, ejusmodi potestatem non involvat: consequenter &c.

Dices: Ergo omnis indulgentia plenaria a parte rei est indulgentia *in forma Jubilæi*.

Respondetur, con. illatum, quatenus indulgentia plenaria, sive concedatur in forma Jubilæi, sive non, reipsa idem importat: Attamen Pontifices nonnullas indulgentias *nomine indulgentiarum in forma Jubilæi concessarum* decorant, ut ostendant majorem non effectus, sed affectus abundantiam, & in hominibus majus erga

jus erga illas studium excitent. Qua de causa etiam indulgentias plenarias quandoque vocant *plenissimas*; esto reipsa sola indulgentia Jubilæi hanc nuncupationem sibi vendicet, ob rationem *n. præced.* allatam. Hujusmodi igitur appellationes honorificæ non tam desumuntur ex natura rei, seu indulgentiarum, quam ex voluntate Pontificum, in ratione congrua se fundantium. Vide, si placet, Gobat *loc. cit. num.* 311.

630. Quæres tertio, an Bulla Jubilæi stricte; vel late interpretanda sit?

Respondetur, esse interpretandam late (quando nimirum verba Jubilæi, aut alterius indulgentiæ, sunt dubia) tam (1) relate ad remissionem pœnæ, quam (2) relate ad facultates in ea contentas; stricte vero (3) relate ad opera injuncta, suspensionem indulgentiarum in Anno Sancto &c. Ita quoad primum, & secundum P. Viva *loc. cit. q.* 2. *art.* 1. & 2. aliique apud ipsum. Quoad tertium vero Gobat ubi supra *tr.* 5. *cap.* 5. *numer.* 27. & alii passim. Ratio primi est: quia remissio pœnæ, quæ per Jubilæum (vel aliam indulgentiam) confertur, est gratia, & beneficium supremi cœli, terræque Principis (nempe Dei) beneficium autem Principis late interpretandum est *l. ult. ff. de constitut. Princip.* Ratio secundi est: quia licet earum facultatum concessio sit relaxatio Juris communis; est tamen & ipsa favorabilis, cum principaliter, & per se respiciant Communitatem, animarumque favorem; & tanquam beneficium supremi Ecclesiæ Principis, seu Pontificis, amplianda. Ratio tertii est opposita: siquidem opera injuncta, suspensio indulgentiarum &c. sunt onerosa, sive odiosa; adeoque restringenda, & stricte interpretanda, de se loquendo, & nisi praxis in casu aliquo particulari sit contraria, veluti limitat Gobat *cit.*

Dices primo contra primum. Indulgentia, in quantum dicit remissionem pœnæ, est dispensatio, nimirum in jure a Deo acquisito ad injuriam vindicandam: dispensatio autem stricte interpretanda venit; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Siquidem per indulgentiam non fit dispensatio, sed obtinetur remissio pœnæ per solutionem pretii, ex Thesauro Ecclesiæ deprompti: unde indulgentia privilegium potius est, quam dispensatio.

Dices secundo contra secundum. Beneficium Principis late interpretandum est, quando id fieri potest sine præjudicio tertii, ex *cit. lib. ult. de Constit. Princip.* hic autem lata Interpretatio facultatum Jubilæi cederet in præjudicium Episcoporum relate ad casus ab ipsis reservatos, ut patet; ergo &c.

Respondetur. Quamvis afferatur aliquale præjudicium Episcopis, non tamen propterea favores illi, tanquam odiosi, stricte interpretandi sunt; tum quia Pontifex suo exemplo docet, debere alios Superiores libenter cedere suo juri in reservata; tum quia hujusmodi præjudicium est admodum leve, & utilitas universalis, quæ ex ampla favorum interpretatione dimanat, abunde illud compensat: veluti cum Gobato bene notat P. Viva *loc. cit. art.* 2. *numer.* 2.

631. Dico secundo. Jubilæum dividitur, in *universale*, quod datur Ecclesiæ universali; & *particulare*, quod alicui Ecclesiæ particulari conceditur. Universale subdividitur in *ordinarium*; & *extraordinarium*. Jubilæum ordinarium est, quod hodie quovis anno vigesimo quinto conceditur, & durat a primis Vesperis Nativitatis Christi usque ad Vesperas primas ejusdem Festi anni sequentis, adeo, ut Romæ per integrum annum celebretur, omnibusque, & singulis ad limina Apostolorum venientibus tribuatur plena remissio omnium pœnarum, pro peccatis quoad culpam remissis debitarum, una cum gratiis, & favoribus supra commemoratis. Finito hoc anno etiam extra Urbem, & per reliquum Orbem Christianum solet ex indulgentia Pontificis idem Jubilæum concedi, & ab Episcopis promulgari, qui ad obtinendas ejus gratias certum tempus unius, vel plurium mensium, & apud nos fere duarum hebdomadum, intra quas præscripta opera fieri debent, designant. Jubilæum extraordinarium est, quod tam in Urbe, quam extra illam conceditur alio tempore, & durat quindecim diebus, tribus nempe Dominicis, & duodecim Ferialibus. Non est autem opus, ut simul, & semel promulgetur per totas Diœceses; sed ex rationabili causa, quæ vix

unquam deest, publicari prius potest in Metropolitana, deinde in Urbibus, postea in pagis &c. Solet concedi post Coronationem Neo electi Pontificis pro felici Ecclesiæ gubernatione impetranda; vel quando alia gravis, & publica causa id exposcit, v. g. pax inter Christianos Principes conservanda, vel reparanda; periculum a Turcis, vel aliis infidelibus avertendum &c.

632. Quæres, quare annus, quo conceditur Jubilæum ordinarium, *Annus Sanctus*; ipsumque hoc Jubilæum appelletur *Jubilæum Anni Sancti*?

Respondetur, ideo sic appellari; quia *Jubilæi*, sive *Jobelæi* nomine Hebræi denotabant *annum remissionis* (qui apud ipsos, & in Lege veteri erat quivis annus quinquagesimus) quo populus vacabat ab agricultura, & possessiones, seu prædia, agri, vineæ venditæ &c. ad pristinos dominos sine pretio revertebantur, remittebantur debita, & delicta, exules in patriam, & servi in pristinam libertatem redibant. *Levit.* 25. *vers.* 80. & *Numer.* 36. *vers.* 4. Unde in Lege nova ad veteris imitationem nomine *Jubilæi ordinarii* denotatur annus gratiæ (qui hodie, ex dictis *numer. præced.* est quivis annus vigesimus quintus) visitantibus limina Apostolorum Petri, & Pauli concessus cum plenissima peccatorum, & pœnæ ob ea promeritæ remissione, aliisque favoribus. Palao *tr.* 24. *disp. unic. punct.* 12. 4. *num.* 1. & alii passim. Porro antequam Annus Sanctus incipiat, videlicet ante primas Vesperas Nativitatis Domini, S. Pontifex se confert ad Ecclesiam S. Petri clausam, ejusque portam muratam (quæ appellatur *Porta Sancta*) malleo argenteo ter percutit: quo facto, fabri murarii murum Ecclesiæ S. Petri oppansum dejiciunt, cujus lapides, & cæmentum populus Romanus, & peregrini magna cum devotione accipiunt, & secum asportant. Videatur P. Viva *de Jubilæo quæst.* 1. *art.* 2. *numer.* 3.

633. Dico tertio. Durante Jubilæo ordinario, seu Anni Sancti, aliæ indulgentiæ plenariæ, pro vivis concessæ, fere omnes suspenduntur extra Urbem. Patet ex *Extravag.* 4. *de Pœnit. & Remiss. int. comm.* Ratio quoque ejusmodi suspensionis est, ut fidelis populi affluxus ad Urbem copiosior sit, & Annus Jubilæus majori cum celebritate ibidem agatur.

Dixi 1. *Durante Jubilæo ordinario*. Nam durante Jubilæo extraordinario nullæ indulgentiæ suspenduntur: quia de tali suspensione nec præallegata Constitutio (aut quæcunque alia) nec ratio loquitur, aut militat.

Dixi 2. *Indulgentiæ plenariæ*. Nam non plenariæ, seu partiales non suspenduntur; prout liquet ex *citat. Extravag.* & aliis veteribus Bullis. Nec refert, quod in Bullis recentioribus dicantur suspendi *indulgentiæ omnes, & singulæ*: quia ejusmodi Bullæ intelligendæ veniunt juxta tenorem Bullarum veterum, ex generali principio, vi cujus, quidquid in posteriori Lege non fuit expressum specialiter, id veterum Legum, Constitutionumque Regulis relictum intelligitur. *l. fin. C. de Appellat.* Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 38. *numer.* 166. & alii apud ipsum.

Dixi 3. *pro vivis concessæ*. Nam concessæ pro defunctis non suspenduntur: nisi sint immediate concessæ vivis, ut per modum suffragii queant applicari defunctis: has enim suspensas declaravit Clemens X. (ut videre est apud P. Viva *de Jubil. q. ult. art.* 2.) & iterum Innoc. XII. in Jubilæo, quod egimus initio præsentis seculi.

Dixi 4. *fere omnes*, ut denotarem, etiam aliquas indulgentias plenarias, pro vivis concessas, excipi, seu non suspendi. Sunt ex, indulgentiæ concessæ S. Domui Lauretanæ; Ecclesiæ B. Virginis Einsidlensis; Ecclesiæ S. Jacobi Compostellæ; Ecclesiæ Portiunculæ prope Assisium (in aliis tamen locis regulariter, & ordinarie contrarium obtinet); item concessæ moribundis, id est, constitutis in articulo, vel probabili periculo mortis. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1401. Schmalzgrueber ubi supra *n.* 168. & 171. aliique apud ipsos.

Dixi tandem 5. *extra Urbem*, sive Romam: siquidem indulgentiæ concessæ Ecclesiis, & Basilicis Urbis Romanæ, etiam extra illius mœnia sitis, non suspenduntur in talibus Ecclesiis, esto suspendantur in aliis Ecclesiis extra Romam existentibus, & earundem indulgentiarum communicationem habentibus: quia in Ecclesiis prioris generis cessat, in Ecclesiis vero posterioris

generis non cessat motivum suspensionis supra allegatum, ne scilicet fideles a peregrinatione Romana retrahantur, si indulgentias Romæ propositas consequi possent domi. Schmalzgrueber *loc. cit. num.* 167. Gobat, VViestner, & alii passim.

§. II.

De Facultatibus, quæ in Jubilæo concedi solent.

SUMMARIUM.

634. Proponuntur observanda circa eligendum Confessarium 635. *Confessarius approbatus limitate tantum, v. g. ad certum genus personarum &c. non est universim eligibilis.* 636. *Qualem Confessarium sibi eligere possint Moniales; &* 637. *qualem Religiosi?* 638. *Proponuntur observanda circa facultatem absolvendi a peccatis reservatis, censuris, aliisque sententiis Ecclesiasticis.* 639. *& seqq. Confessarius Jubilaris potest (saltem in Germania) absolvere hæreticum; uti & (pro foro interno) nominatim, ac publice excommunicatum; non vero dispensare in aliqua irregularitate &c.* 642. *Proponuntur observanda circa commutationem votorum.* 643. *& seqq. Confessarius Jubilaris potest etiam commutare pœnam, ratione voti pœnalis subeundam: item juramenta; nec requiritur causa specialis: non tamen in prædictis dispensare, nisi in Bulla Jubilari facultas dispensandi exprimatur.*

INter favores, qui in Jubilæo præstantur, & quorum primus est remissio totius pœnæ temporalis pro peccatis adhuc debitæ (de quo favore satis constat ex dictis §. *praced.*) numerantur tres facultates; nempe *eligendi Confessarium; absolvendi a peccatis reservatis, ac censuris, aliisque sententiis Ecclesiasticis*; & *commutandi vota*. Prima directe conceditur pœnitenti lucraturo Jubilæum; secunda vero, & tertia directe dantur Confessario Jubilari: quod intellige, si præfatæ facultates accipiantur active, & in quantum nomine facultatum proprie dictarum veniunt. Nunc

634. Dico primo: *circa facultatem eligendi Confessarium* observanda veniunt sequentia. 1. Confessarius, ut eligi etiam in Jubilæo possit, non debet esse degradatus, depositus, excommunicatus, suspensus (ab exercitio jurisdictionis) irregularis (irregularitate, quæ sit talis respectu jurisdictionis) &c. Ratio est: quia censuræ, irregularitas, & pleræque reliquæ inhabilitates, quæ licitæ, aut validæ administrationi Sacramenti Pœnitentiæ suapte natura obsunt, ex SS. Canonum Decretis tolli solent, ac debent per sententiam Judicis in foro interno, vel externo; Pontifices autem promulgando Bullas Jubilares non exercent Officium Judicum; ergo illas non tollunt: consequenter &c. P. Gobat *in Quinario, tr.* 3. *num.* 236. *& seq.*

2. Idem Confessarius (sive Secularis, sive Regularis) debet esse approbatus ab Ordinario Loci, seu Diœcesis, in qua fit confessio. Ita innuitur in Bulla Jubilari. Ratio insuper est: quia Confessarius Jubilaris debet esse approbatus ab illo Ordinario, a quo Confessarius non Jubilaris; prout a nemine negatum iri existimo; atqui non Jubilaris debet esse approbatus ab Ordinario Loci, seu Diœcesis, in qua fit confessio; veluti cum veriori sententia dicemus, atque ostensum ibimus infra *num.* 673. ergo & Jubilaris.

635. Quæres primo, an Confessarius, limitate tantum, v. g. ad certum genus personarum, ad certam civitatem &c. approbatus, sit universim eligibilis tempore Jubilæi?

Respondetur negative. Diana *part.* 5. *tr.* 12. *Resol.* 48. Gobat ubi supra *n.* 233. & alii satis communiter. Ratio est: quia limitate approbatus, v. g. ad audiendas duntaxat confessiones virorum, relate ad audiendas confessiones mulierum perinde se habet, ac si nullatenus, seu ne limitate quidem, esset approbatus: sed nullatenus, seu ne limitate quidem, approbatus, a nemine potest eligi ne quidem tempore Jubilæi; ut dictum *n. praced.* ergo limitate approbatus ad audiendas confessiones virorum, non potest eligi a mulieribus &c.

636. Quæres secundo, qualem Confessarium tempore Jubilæi eligere possint Religiosæ, seu Moniales?

Respondetur, quod Moniales professæ sine licentia Episcopi, & per se loquendo eligere nullum alium possint, quam pro se specialiter ab Episcopo approbatum; sive dein ille alius Confessarius sit Secularis, sive Regularis, sive sui, sive alterius Ordinis, vel etiam ab Episcopo approbatus pro Monialibus alterius Monasterii. Ita Faustus *lib.* 4. *quæst.* 78. Pellizarius *de Monial. cap.* 4. *quæsito* 3. Viva *quæs.* 9. *art.* 2. *num.* 3. Ratio est: quia ut Confessarius sit eligibilis tempore Jubilæi, non sufficit quæcunque ejusdem approbatio ab Episcopo facta, sed requiritur approbatio relate ad personas, a quibus est eligendus; quemadmodum fluit ex dictis *numer. praced.* ergo Moniales non possunt eligere alium Confessarium (quemcunque demum) nisi pro se, & tali Monasterio, in quo degunt, sive ad quod pertinent, specialiter ab Episcopo approbatum. Fundatur hæc doctrina in communi dogmate, quod Confessarii, in aliqua Diœcesi generaliter approbati, non censeantur idcirco approbati etiam pro Monialibus, sed relate ad audiendas harum confessiones, per se loquendo, approbatione speciali indigeant; prout videbimus *disp. seq. numer.* 673. Confirmatur ex Decreto S. Congreg. Episcop. & Regular, edito 4. *Martii* 1643. (prout videre est apud Lanzusca *V. Jubilæum numer.* 20, & Felicem Potestas *in Exam. Eccles. numer.* 1448.) quo ordinatur, ut tempore Jubilæi, pro Monialibus plures Confessarii Regulares, vel Seculares approbentur, quos ipsæ exoptaverint, & ad majus suum spirituale solatium pro facienda confessione eligere valeant; ergo signum est, quod Moniales id non possint vi Bullæ Jubilaris præcise, sed requiratur insuper licentia, & consensus (adeoque approbatio saltem tacita) Episcopi, uti & licentia Superioris, ac Prælati Regularis relate ad Moniales exemptas.

Dixi 1. *Moniales professæ*. Nam oppositum sentio cum Pellizario *cit.* & aliis de Novitiis, utpote quæ cum Professis communicant quidem in privilegiis, & favoribus; non autem censentur comprehensæ in Constitutionibus odiosis &c.

Dixi 2. *per se loquendo*. Nam si alicubi vigeat consuetudo, ut illi ipsi Confessarii censeantur approbati specialiter ab Episcopo pro Monialibus, qui constituuntur, aut deputantur pro iis a Superioribus Ordinis, poterunt Moniales de licentia hujusmodi Superiorum quemcunque Confessarium, etiam Secularem (ab Episcopo generaliter, seu communiter approbatum) ad effectum Jubilæi lucrandi eligere; cum sic faciant satis intentioni Bullæ Jubilaris.

Dices tamen contra respons. Urbanus VIII. in Bulla *Pontificia sollicitudo:* §. 5. *tom.* 4. *Bullarii Constit.* 16. expresse concessit Monialibus, ut possint in Jubilæo eligere quemcunque Confessarium ex approbatis ab Ordinario; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam in ea Constitutione expresse dicitur, quod Moniales possint eligere Confessarium *ad id probatum*, id est (ut DD. explicant) Confessarium ad confessiones Monialium audiendas approbatum. Videatur Viva ubi supra *numer.* 3. *prop. fin.* Unde prævallegata Constitutio nostræ responsioni nullum præjudicium, sed potius præsidium affert. Superaddimus Declarationem S. Congreg. Concil. Trid, 3. *Octob.* 1671, factam (ut refert Cassianus a S. Elia *tom.* 4. *V. Jubilæum n.* 21.) in qua absolute deciditur, non posse Moniales in Jubilæo eligere Confessarium, etiam Regularem, pro ipsis non approbatum ab Ordinario; ideo videlicet, ne tempore Jubilæi Confessariis ad Monasteria Monialium pro audiendis harum confessionibus convolandi ansa præbeatur; sic enim aperiretur ostium laxitatis, & plus destrueretur, quam ædificaretur.

637. Quæres tertio, qualem Confessarium tempore Jubilæi eligere possint Religiosi?

Respondetur primo, Cum licentia, & consensu sui Superioris possunt eligere quemcunque Confessarium ab Ordinario communiter approbatum, sive Regularem, sive Secularem. Hæc responsio videtur certa. Ratio est: quia saltem hoc evincunt verba Bullæ Jubilaris, expresse concedentis etiam *Regularibus cujusvis Ordinis* facultatem eligendi quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario. Unde disparitas est Religiosos inter, & Moniales: siquidem quivis Confessarius, communiter approbatus, censetur appro-

batus

batus respectu Religiosorum; non autem respectu Monialium: unde illis, non vero istis (nisi accedat insuper licentia, adeoque tacita saltem approbatio, Episcopi) a Superioribus sui Ordinis permitti potest, ut tempore Jubilæi eligant quemcunque Confessarium, generaliter tantum, & communiter approbatum; id quod ex dictis liquet.

Respondetur secundo. Religiosi etiam sine licentia, & consensu sui Superioris possunt eligere quemcunque Confessarium ab Ordinario communiter approbatum, sive Regularem, sive Secularem. Ita communior, mihique probabilior sententia, quam tenent Suarez, Navarrus, Filliucius, Pellizarius, Tamburinus, Lugo *disp. 20. de Pœnit. num. 187.* Abreu *in Speculo Paroch. lib. 10. n. 488.* Kerckove *in Statuta nostra General. cap. 6. §. 22. n. 110.* & alii innumeri contra P. Viva, & alios. Ratio est: quia Bulla Jubilaris *Regularibus cujusvis Ordinis* concedit facultatem eligendi quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario, quin ullam faciat mentionem de consensu Superiorum Regularium requirendo; neque hujusmodi consensus necessitas pro tempore Jubilæi evincitur ex aliquo privilegio, statuto, aut consuetudine; cum memorata Bulla deroget omnibus privilegiis, statutis, consuetudinibus &c. *etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia expressa forma ad hoc servanda foret*: quemadmodum sonant clausulæ Bullares; ergo sicut Regulares possunt eligere quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario, si præhabeant consensum suorum Superiorum, ita etiam, si non præhabeant. Accedit, & robur rationi nostræ non modicum addit, Declaratio, edita a Gregorio XIII. *die 19. Decembris an.* 1581. & ex Rodriquezio adducta a P. Kerckove *loc. & numer. citt.* cui hæc verba inserta sunt: *Tempore Jubilæi possunt omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus, etiam Secularibus, approbatis ad Confessiones.*

Argumentis adversæ sententiæ facile obviatur, si bene ponderentur clausulæ Bullares tam energice, tamque specifice, & individue expressivæ relate ad facultatem eligendi Confessarium; prout retulimus in ratione probativa.

Dices tamen. Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*, edita *die 23. Novembris an.* 1599. & Urbanus VIII. in Bulla, quæ incipit; *In specula*, edita *die 19. Julii an.* 1630. decreverunt, & declararunt, concessionem Bullæ Cruciatæ, aliorumque hujusmodi indultorum, quoad articulum eligendi Confessarium, Religiosis quorumcunque Ordinum nullo modo suffragari posse (idem habent nostra Statuta Generalia *cap. 6. §. 42. numer.* 14. relate ad Nostrates) atqui, nomine aliorum hujusmodi indultorum comprehenditur etiam Jubilæum; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam indultum Jubilæi non est simile indulto Bullæ Cruciatæ. Siquidem Jubilæum tantum datur pro uno actu, & est quid transiens, ac extraordinarium, ex quo tantum damnum Religionibus oriri natum non est; imo sæpe cum fructu fieri solet ad subveniendum forte alicui, qui ob nimiam verecundiam, aut pravam consuetudinem, oneratam conscientiam intra Ordinem exonerare non audet. Bulla autem Cruciatæ est quid permanens, & perpetuum (nam singulis annis renovari solet), ex cujus proinde usu daretur proxima occasio dissolutionis, & relaxationis vitæ religiosæ; atque ideo declararunt SS. Pontifices mentem suam non esse, ut Regulares ex indulto Cruciatæ eligant Confessarium, vel a reservatis absolvantur. Ita verbatim P. Kerckove *loc. cit. numer.* 109. Quare etiam Statuta nostra Generalia *loc. cit. n.* 15. declarant, esse in viridi observantia prohibitionem Clementis VIII, ne liceat Regularibus uti Bullæ Cruciatæ privilegio, nullam facientia mentionem de aliqua prohibitione concernente usum Bullarum Jubilarium.

638. Dico secundo. *Circa facultatem absolvendi a peccatis reservatis*, censuris, aliisque sententiis Ecclesiasticis, observanda veniunt sequentia. 1. Confessarius Jubilaris absolvere potest a prædictis omnibus, sive contineantur, ac reserventur Pontifici in Bulla Cœnæ, sive in aliquo Jure; quando scilicet (uti plerumque fieri solet) Bulla Jubilaris facultatem etiam a reservatis in Bulla Cœnæ expresse impertitur; nam facultas absolvendi a reservatis, generaliter solum indulta, se non porrigit ad casus reservatos in Bulla Cœnæ, quippe utpote speciali dignos: ut notant DD. passim. 2. Idem Confessarius absolvere quoque potest a peccatis, seu casibus Episcopo reservatis, etiamsi de istis in Bulla Jubilari nulla fiat expressa mentio. Ratio est: quia S. Pontifex ipse obtinet potestatem ordinariam absolvendi a casibus cuicunque Episcopo reservatis; ergo dum concedit (uti concedit in Bulla Jubilari) potestatem delegatam absolvendi ab omnibus casibus, a quibus ipse potestate ordinaria absolvere potest, etiam comprehendere censetur casus Episcopales, licet hos non exprimat; modo non excipiat, ut fit in privilegio Mendicantium, quo conceditur potestas absolvendi a casibus Pontificiis, Jure communi reservatis, quin ea (juxta Declarationem Alexandri VII. referendam infra *num. 689. in fin.*) se extendat ad casus Episcopales. Suarez, Vasquez, Laymann, Viva *h. 11. art. 2.* & alii communiter. 3. Quod decisum de casibus Episcopalibus, etiam intellectum esto de casibus Regularibus, seu qui in Religionibus reservantur: licet de istis quoque in Bulla Jubilæi mentio non fiat; siquidem eadem ratio & hic militat. Accedit, quod id exposcat finis Jubilæi, cui de conditione Religiosorum, quæ in hoc passu non debet esse deterior, ac conditio Secularium.

639. Quæres primo, an Confessarius Jubilaris etiam ab hæresi, & annexa censura absolvere valeat?

Respondetur affirmative, saltem in Germania, supposito, quod casus hæreseos non expresse, ac specifice excipiatur. Azorius, Filliucius, Lugo, Sotus, Corduba, Reginaldus, Fagundez, Gobat *in Quinario tractat. 3. cap. 33. & numer. 208.* Tannerus *disputat. 6. numer. 123.* & alii quam plurimi contra P. Viva, & alios. Ratio est: quia quamvis regulariter in concessionibus generalibus non includatur hæresis; tamen, cum Jubilæum sit privilegium extraordinarium procedens a summa benignitate Pontificis ad universales necessitates Ecclesiæ, verisimillimum est, velle Pontificem etiam hæresim includere, nisi illam expresse excludat. Unde sic arguitur. Postquam Pontificibus constitit de hac controversia inter DD. professione Confessarii virtute Jubilæi absolvere ab hæresi; ut quæstionem dirimerent, expresse aliquando exceperunt crimen hæresis; ergo si postea in aliquo Jubilæo concedunt generalem facultatem absolvendi ab omnibus casibus, in Bulla Cœnæ contentis, nulla exceptione facta, credendi sunt ex industria exceptionem non fecisse, voluisseque indiscriminatim inter alios casus, Bulla prædicta clausos, etiam hæresim comprehendere, ac impertiri facultatem absolvendi ab illa. Atque ita fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria an. 1617. occasione Jubilæi promulgati a Paulo V. refert, & testatur Filliucius *tractat. 8. numer.* 265. Romæ eo tempore existens, & de eodem Jubilæo scribens. Confirmatur. Pontifices a generali concessione commutandi vota quæcunque, ex reservatis specialiter, excipiunt vota Castitatis, & Religionis; ergo etiam specialiter exciperent hæresim, si exceptam vellent: consequenter &c.

Dixi in respons. *saltem in Germania*: ob Decretum Congreg. S. Officii, quod allegat P. Marchantius *de Claustra Confessarii lib. 1. cap. 34. n. 29.* & ita *fundat Sanctiss. D. N. Alex. Papæ VII. sub die 13. Maii an. 1656. cum crimen hæresis, pro rebus gravissimis specialis nota dignum sit, declarat, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi præcisis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.* Huic namque Decreto (si tamen revera emanaverit, de quo quis dubitare non sine fundamento potest, cum P. Viva, in Italia, post prætensam illius emanationem, de Jubilæo scribens, & oppositæ nobis sententiæ propugnator acerrimus, nullam de eo mentionem faciat), omnino assurgendum esse censeo in locis, ad quæ missum, & ubi acceptatum, usque receptum est; at esse missum ad partes Germaniæ non constat; vel certe in iisdem acceptatum, usque receptum non est, cum consuetudo, & praxis Doctorum, ac timoratorum Confessariorum plane contraria sit, hæreticos tempore Jubilæi, modo præfato illimitate concessi, sine scrupulo absolventium. Accedit, quod alias finis Jubilæi,

tam gratiose, & illimitate induSti, in Germania, ubi pecatum hæreseos plus æquo grassatur, & præter id vix ullus alius Casus Bullæ Cœnæ occurrere solet, non obtineretur, cum multi dessiituti essent necessaria facultate ad se disponendos pro illius perceptione: prout recte insinuat P. La Croix *tom. 7. numero* 1616. Quare sine hæsitatione subscribo P. Tannero *cit.* quiait, non esse dubitandum Germanis, quod facultas illimitate concessa ad absolvendos casus Bullæ Cœnæ, intelligatur etiam concessa ad absolvendum casum hæreseos; cum illius facultatis usus in Germania sit maxime necessarius, & ferme unicus.

Dices tamen cum P. Viva contra nostram responsionem, & rationem ejus probativam, Facultas absolvendi a reservatis generaliter solum indulta, se non porrigit ad casus reservatos in Bulla Cœnæ, quia hi speciali nota digni sunt; ut *num. præced.* ratiocinati fuimus; ergo nec facultas absolvendi a reservatis in Bulla Cœnæ generaliter solum indulta, se porrigit ad casum reservatum hæresis, quia hic inter ejusmodi casus est speciali nota dignus.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas sumitur ex ipsa causali addita, utpote quæ aliter se habet in antecedente, & aliter in consequente. Nam Casus Bullæ Cœnæ speciali nota digni sunt, præ aliis casibus reservatis, cum distractione, & ampliatione quasi specifica ad diversam lineam casuum reservatorum; ut proinde non sit credibile, potestatem absolvendi a casibus reservatis generaliter concessam, etiam porrigi ad casus Bullæ Cœnæ, peculiari, & strictiori jure reservatos. E diverso casus hæresis speciali nota dignus est inter reliquos casus Bullæ Cœnæ cum aliqua solum aggravatione intra eandem lineam casuum reservatorum; unde merito facultas absolvendi ab istis creditur etiam porrigi ad illum, saltem tempore Jubilæi, quod est privilegium extraordinarium, procedens a summa benignitate Pontificis, & idcirco tam late, quam ratio, ac proprietas verborum permittunt, interpretandum in favorem fidelium, quorum omnium, & singulorum necessitatibus Papa per adeo illimitatam concessionem prospicere intendit.

640. Quæres secundo, an Confessarius Jubilaris possit insuper absolvere publice, vel nominatim excommunicatos, suspensos &c?

Respondetur affirmative, loquendo de absolutione in & pro foro interno. Ita Gobat ubi supra *a numer.* 251. La Croix *lib. 6. part. 2.* 1457. & alii apud ipsos. Ratio est: quia Jubilæum est privilegium extraordinarium, & Pontifex illud concedens non distinguit inter censuras occultas, & publicas, nec facultatem absolvendi restringit ad illas duntaxat; ergo nec nos distinguere, aut restringere debemus. Unde Confessarius Jubilaris absolvere poterit notorium percussorem Clerici, vel alium excommunicatum (licet is sit simul hæreticus, ut notat Gobat *cit.* & fluit ex dictis *numer. præced.*) publice, & nominatim denunciatum &c. Quid intelligatur per sic excommunicatum, explicavimus *part.* 3. *numer.* 262.

Dixi in respons. *loquendo de absolutione in, & pro foro interno.* Nam hanc duntaxat Bulla Jubilaris concedit, ut legenti perspicuum fiet. Quid sit absolutio pro foro interno, & quantum absoluta prosit, itidem constat ex *part.* 3. *num.* 302. Sed contra responsionem, & rationem ejus probativam.

Dices. Licet Paulus III. illimitate, ac sine distinctione concesserit Confessariis Societatis Jesu (& consequenter aliorum Ordinum habentium communicationem privilegiorum) in Bulla: *Cum inter cunctas:* facultatem absolvendi ab omnibus peccatis, censuris, & sententiis, Pontifici extra Bullam Cœnæ reservatis, tamen Authores communiter excipiunt sententias particulariter inflictas, secundum dicta *part.* 3. *numer.* 224. ergo similiter hic &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia distinctionem, seu exceptionem illam, in antecedente allegatam, postulat ratio, ne alioquin pateretur authoritas Judicum Ecclesiasticorum; prout revera accideret, si eorum fulmina a quovis Religioso privilegiato, & quovis tempore tolli possent: sic quippe parum curarentur, cum dispendio, & enervatione disciplinæ Ecclesiasticæ. Qualem tamen distinctionem, seu exceptionem nulla similis ratio poscit in præsenti, ubi agitur de Jubilæo, quod est privilegium extraordinarium, & transiens, ac pro una tantum vice absolutionem a præfatis censuris indulgens. Ex modo allata disparitatis ratione pariter fit, ut ab illo privilegio Mendicantium DD. passim excipiant casus Episcopis reservatos; non item a privilegio Jubilari.

Utrum autem ante absolutionem a censuris, & qualiter parti læsæ satisfaciendum sit, decisum extat *part.* 3. *num.* 135. quod totum in præsenti quoque applicandum venit. Ubi etiam *num.* 140. forma, & ritus, in absolutione a censuris servandus adstruitur. Revide ibi dicta: & alia plura huc facientia, quæ habentur *cit. part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 1. *cap.* 3. *per tot.* Hic vero

641. Quæres tertio, an Confessarius Jubilaris possit dispensare in irregularitate, vel aliqua alia inhabilitate Canonica?

Respondetur cum communi, & certe sententia negative. Ratio probativa sumitur ex ipsis verbis Bullæ Jubilaris, quæ ordinarie sunt hujus tenoris: *Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ &c.* Imo licet Bulla non contineret verba tam expresse, & positive exclusiva relate ad potestatem dispensandi super irregularitatibus &c. adhuc non censenda esset concedere hanc talem facultatem dispensandi; hoc ipso, quod mentionem faceret (sicut facere consuevit) de sola facultate absolvendi; ista quippe exercetur tantum circa peccata, & censuras, aliasque pœnas Ecclesiasticas, quæ absolutione tolluntur, non vero circa irregularitates, etiam ex delicto ortas, utpote quæ & ipsæ ex ratione sua primaria inhabilitates sunt, non absolutione, sed dispensatione duntaxat relaxabiles; prout animadvertimus in simili *part.* 3. *num.* 336. Ubi etiam ostensum ivimus, quod per verba: *& aliis pœnis Ecclesiasticis, sententiis &c.* non denotentur irregularitates, aliæve inhabilitates; sed pœnæ quædam personales, jurisdictionem fori interni, & conscientiæ respicientes, quas imponere solent pœnitentes sibimetipsis, vel eis injunguntur a Confessario; vel quæ inveniuntur in sacris Canonibus pœnitentialibus, queis fideles per aliquod tempus arcentur ab usu Sacramentorum. Quo notato, solvitur argumentum, quod hic opponi posset. Relege dicta *loc. cit.*

642. Dico tertio: *Circa facultatem commutandi vota*, observanda veniunt sequentia. 1. Confessarius Jubilaris commutare potest omnia, & singula vota non excepta; sive ea sint proprie, sive solum improprie talia; siquidem & hæc in æstimatione vulgi vota sunt, consequenter ob latam favorum Jubilarium interpretationem sub commutationem cadunt. 2. Etiam vota edita post publicationem Bullæ Jubilaris, aut spe commutationis obtinendæ: quoniam in Bulla non excipiuntur. Gobat ubi supra *cap.* 38. *n.* 291. Item 3. votum non petendi commutationem: quia privatus non potest præjudicare juri Superioris. Author *cit.* 4. Vota renovata, vel etiam juramento confirmata, seu jurata; quia per hoc Deo non acquiritur majus jus, ac per primo, vel simpliciter edita. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 14. *numer.* 6. *&* 19. Tandem 5. vota reservata, quæ non excipiuntur; quia præterquam quod Bulla Jubilaris sit latæ interpretationis, exceptio firmat regulam in contrarium. Excipiuntur autem ex votis reservatis aliqua vel tacite, vel expresse. Tacite saltem excipiuntur inprimis vota solemnia (de quibus *part.* 2. *n.* 415.) quia horum relaxationem S. Pontifex sibi privative reservat; veluti ex praxi constat; deinde vota edita in favorem tertii, & ab hoc acceptata; cum nolit Pontifex, nec semper possit lædere jus tertii. P. Viva q. 12. *numer.* 3. Expresse excipiuntur in ipsa Bulla Jubilæi vota etiam simplicia Religionis, & Castitatis, si sint undequaque perfecta; nam si ab omnimoda perfectione in aliquo deficiant, sicut non sunt reservata, ita nec intelliguntur excepta, ut habet communis, & videri possunt, quæ tradidimus *part.* 2, *n.* 416. Unde votum ingrediendi solum Religionem, non vero in ea perseverandi, omnino commutari potest; sicut & votum Castitatis pœnale, vel conditionale, vel temporale: quia sic reservata non sunt &c. Quomodo autem vota ea, quæ commutari valent, commu-

tatio

tatio instituenda sit, liquet ex dictis *part.* 2. *num.* 467. In præsenti vero

643. Quæres adhucprimo, an etiam pœna, ob violationem voti pœnalis subeunda, commutari possit?

Respondetur affirmative. Suarez *lib.* 6. *de voto. cap.* 20. *num.* 19. & alii passim. Ratio est: quia obligatio voti ad ipsam materiam, directe promissam, strictior est, quam ad pœnam, indirecte solum promissam; ergo si votum commutari possit quoad materiam, poterit etiam quoad pœnam; ut proinde hic subintret regula: cui concessum est majus, intelligitur concessum & minus.

644. Quæres secundo, an etiam juramenta (promissoria nempe, quæ sola producunt obligationem permanentem, nisi ea cesset, aut tollatur) in Jubilæo commutari valeant?

Respondetur itidem affirmative. Suarez ubi supra *cap.* 24. *n.* 6. Viva *q.* 11. *art.* 1. *n.* 1. & alii communius. Ratio est: quia per juramenta idem jus acquiritur Deo, quod per vota; ergo cum Pontifex in Jubilæo jus Deo acquisitum intendit nomine Dei relaxare per Confessarios Jubilares, id intendere convincitur dando facultatem commutandi tam juramenta, quam vota.

645. Quæres tertio, an ad commutationem votorum (vel juramentorum) requiratur, etiam in Jubilæo, aliqua causa?

Respondetur, nullam aliam requiri præter rationem boni communis, quam Pontifex, quando tunc vota commutandi facultatem indulget, generaliter pro causa assumit. Ita DD. communiter cum Suaresio ubi supra *cap.* 19. *n.* 10. & nos jam insinuavimus *part.* 2. *n.* 466. Ratio est: quia ratio boni communis, quæ a Pontifice in Jubilæo pro causa assumitur, obit vices causæ peculiaris, ad commutationem votorum extra Jubilæum requisitæ.

646. Quæres quarto, an Confessarius Jubilaris, vi Jubilæi, in votis (vel juramentis) possit etiam dispensare?

Respondetur negative: nisi facultas dispensandi exprimatur in Bulla. Gobat *loc. cit. cap.* 37. *num.* 284. Viva *q.* 12. *art.* 1. *num.* 2. & alii communiter contra paucos. Ratio est: quia commutare minus est, quam dispensare, & ex concessione minoris privilegii non deducitur concessio majoris: si ergo in Bulla Jubilari solum exprimatur facultas commutandi vota, non sequitur, etiam concedi facultatem in iis dispensandi.

§. III.

De Operibus, quæ pro lucrando Jubilæo injungi solent.

SUMMARIUM.

647. Quænam observanda sint circa visitationem Ecclesiæ? 648. Quænam circa orationem fundendam? 649. Quænam circa jejunium trium dierum? 650. Etsi Jubilæum celebraretur tempore Paschali, nihilominus jejunandum esse illud lucraturis: 651. Quænam observanda circa largitionem eleemosynæ? 652. Solvitur objectio. 653. Satisfacit in ordine ad effectum Jubilæi consequendum, qui dat eleemosynam pauperi existimato; non vero 654. qui dat per famulum, mandatum non exequentem. 655. & 656. Proponuntur observanda circa confessionem, & communionem.

SEx Opera, cum suis debitis circumstantiis, ac conditionibus, communiter injungi solent pro Jubilæo lucrando. Primum est, *visitatio Ecclesiæ assignatæ*. Secundum, *oratio ad præscriptam intentionem fundenda*. Tertium, *jejunium trium dierum*. Quartum, *largitio eleemosynæ*. Quintum, *confessio Sacramentalis*. Sextum, *communio*. Processiones vero, quæ institui solent, non requiruntur, ita, ut necesse sit, illis interesse ad consequendum Jubilæum; quamvis, qui intersunt, excusentur a visitatione Ecclesiæ, si id, ut fieri solet, in Bulla exprimatur: quemadmodum advertit P. Abreu *in Specul. Paroch. lib.* 10. *de Jubil. numer.* 463. Nunc

647. Dico primo. *Circa visitationem Ecclesiæ* observanda veniunt sequentia. 1. Lucraturus Jubilæum tenetur visitare Ecclesiam assignatam ab Ordinario Loci, vel ejus Vicario, seu Officiali; aut (de totum mandato) ab illis, qui ibi curam animarum exercent: veluti Bullæ Jubilares sonare, ac indigitare solent. Et licet plures Ecclesiæ designentur; id tamen solummodo fit pro majori populi commoditate, aut devotione; nec (extra Urbem Romanam) est de necessitate Jubilæi lucrandi; nisi visitatio omnius, & una vice instituenda. Ita DD. communiter. 2. Visitatio Ecclesiæ debet esse *personalis*, id est, peragi debet ab ipsomet Jubilæum lucraturo, non autem ab alio per ipsum substituto; sicut & alia opera personalia esse oportet, juxta communem DD. 3. Eadem visitatio debet esse *physica* per se loquendo: id est, lucraturus Jubilæum debet reipsa se præsentem sistere in Ecclesia, vel Choro, Sacristia &c. nam per hanc solam talem præsentiam fieri potest visitatio proprie dicta. Per accidens tamen sufficere quoque potest præsentia, & visitatio moralis ut si quis ob nimiam populi frequentiam non potens Ecclesiam intrare, cogatur subsistere in ostio, vel etiam extra illud; aut si ostium sit clausum, & ad illud oret &c. P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1433. Tandem 4. ea ipsa visitatio debet esse *devota*, id est, conjuncta cum intentione, ac voluntate colendi Deum, eique obsequium aliquod pium præstandi. Unde non sufficit præsentia in loco, quam quis exhibet ex motivo curiositatis, aut alio fine impertinente. Cui tamen devotioni non præjudicat, qui in una ad Ecclesiam impertinentia tractat, e. g. cum aliis confabulatur, jocatur, ridet &c. modo, dum in Ecclesia versatur, devote se gerat: quia devotio solum præscribitur exhibenda in Ecclesia, non vero in itu ad illam. Viva *q.* 8. *art.* 5. *num.* 3. circa. Hinc etiam ad effectum obtinendi Jubilæi non refert, sive quis pedes, sive curru, aut equo utens, ad Ecclesiam se conferat. La Croix ubi supra *num.* 1433.

648. Dico secundo. *Circa orationem fundendam* observanda veniunt sequentia. 1. Ea oratio debet fundi ab ipsomet Jubilæum lucraturo, & non a substituto; uti *n. præced.* dictum de visitatione Ecclesiæ. 2. Eadem oratio debet esse *devota*, id est, instructa requisitis ad veram orationem (cujusmodi sunt intentio, & attentio; prout advertimus, ac exposuimus *part.* 2. *a num.* 268.) ut sic obtineatur finis per Bullam Jubilarem intentus; quem non obtineret; ideoque nec Jubilæi se participem faceret, qui cum voluntariis distractionibus oraret. Filliucius *tr.* 8. *numer.* 126. La Croix *loc. cit. num.* 1421. aliique passim. 3. Debet esse *vocalis*, juxta communiorem, & tutiorem sententiam: siquidem Ecclesia, dum imponit orationem sub nomine fundendam (quemadmodum etiam in Jubilæo imponit) intendit orationem sensibilem, qualis est sola oratio vocalis. Exemplo sunt Horæ Canonicæ, quas Ecclesia suo nomine persolvendas præscribit Clericis. Nihilominus sufficere etiam orationem mentalem, docent cum multis aliis Gobat ubi supra *cap.* 21. *num.* 137. Viva *quæst.* 8. *art.* 5. *numer.* 7. La Croix *loc. cit. numer.* 1421. Nam & oratio mentalis est vera, ac proprie dicta oratio; censeturque catenus fundi nomine Ecclesiæ, quatenus ab ipsa imponitur tanquam sufficiens, sicut verisimiliter imponitur; cum alioquin muti a consequendo Jubilæo excluderentur. 4. Debet esse *aliquo modo notabilis*: veluti denotatur in Bulla, ubi dicitur; qui *per aliquod temporis spatium* preces effuderint. Dixi: *aliquo modo notabilis*: non enim requiritur oratio simpliciter, & absolute notabilis, e. g. recitatio Rosarii; sed sufficit notabilis aliquo modo, & respective ad finem in Bulla intentum; cujusmodi est recitatio precum consuetarum, videlicet 7. *Pater noster*, & 7. *Ave Maria*; vel aliarum in quantitate æquivalentium; nam certæ, & determinatæ in specie non præscribuntur. La Croix *loc. cit. numer.* 1420. & alii passim. 5. Oratio debet fundi in Ecclesiis designatis, vel saltem in una illarum: quoniam in Bulla Jubilæi communiter habetur: *ibique oraverint*. 6. Debet fundi ad intentionem in Bulla assignatam, e. g. pro pacificatione Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione S. Matris Ecclesiæ &c. Non tamen est necesse, ut orans hanc talem intentionem in specie cognoscat, & juxta eam sic cognitam preces persolvat; sed satis est, quod oret juxta intentionem, seu finem in Bulla præscriptum, sive deinde hujus qualitatem sibi perspectam habeat, sive non. P. Viva *quæst.* 8. *art.* 5. *num.* 6. & alii passim.

649. Dico tertio. *Circa jejunium trium dierum, observanda veniunt sequentia.* 1. Hoc jejunium regulandum, atque servandum est juxta normam jejunii Ecclesiastici, tempore Quadragesimæ, aut in certis Festorum Vigiliis per annum a fidelibus ex præscripto Ecclesiæ servandi. Situm proinde est in abstinentia a carnibus, & a secunda refectione, adeo, ut solum permittatur una refectio, & collatio vespertina, quæ fiat utraque per cibos esuriales. DD. communiter. 2. Servandum est idem jejunium Feriis quarta, & sexta, ac Sabbato alterutrius ex duabus hebdomadis, ut loquuntur Bullæ Jubilares. Posset tamen Ordinarius loci ex rationabili causa, e. g. si jejunium incideret in Festum Nativitatis Domini, aut aliud valde solemne, deputare pro jejunio alium diem, aut Feriam ejusdem Hebdomadæ; non tamen jejunium commutare in aliud opus ob talem causam præcise spectatam; quia respectu hujus commutationis illa sufficiens non foret, P. Viva *cit. quæst. 8. art. ult. num.* 3. & alii apud ipsum. 3. Omnes, & singuli, Jubilæum lucraturi, ad prædictum jejunium adstringuntur; adeoque etiam pueri, adolescentes, & juvenes, quamvis annum vigesimum primum nondum egressi; item senes, annum sexagesimum, septuagesimum &c. jam supergressi; duris laboribus addicti, aut ex quacumque causa alias a jejunando exempti. La Croix *loc. cit. numer.* 1425. cum communi aliorum. Ratio est: quia Jubilæum est favor indultus sub conditione; ergo hanc adimpleant, necesse est, qui illum percipere cupiunt. Per quod tamen non negaverimus, etiam opus jejunii a Confessario Jubilari in aliud opus commutari posse, si justa commutandi causa adsit, e. g. tenera naturæ complexio, nimia stomachi debilitas &c. Sed de hoc ex professo infra *numer.* 662. In præsenti autem adhuc

650. Quæres, an si Jubilæum celebraretur tempore Paschali, nihilominus jejunandum esset illud lucraturis?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia, ut proxime dictum, favor Jubilæi est conditionatus; ergo ut obtineatur, conditio ponenda est, quando poni licite potest. Atqui potest licite poni etiam tempore Paschali, utpote quo jejunium non vetatur, sed tantum datur facultas non jejunandi, nisi jejunium aliunde imponatur, *v. g.* a Confessario pro pœnitentia, a Superiore ex obedientia, & in proposito a Pontifice pro Jubilæo obtinendo; ergo &c. Confirmatur primo. Licet juvenes ante annum vigesimum primum, & senes post sexagesimum alias a jejunio sint exempti, tenentur nihilominus jejunare jejunium præscriptum tempore Jubilæi, si hoc lucrari velint: prout itidem constat ex dictis; ergo etiam licet fideles universim exempti sint a jejunando pro tempore Paschali, tenebuntur nihilominus & ipsi jejunare eo tempore idem jejunium, si Jubilæum obtinere velint. Confirmatur secundo ex facto Urbani VIII qui (sic refert, & testatur P. Viva *q. 8. art. ult. num.* 1.) dum indixit Jubilæum pro tempore Paschali *an.* 1634. consuetum jejunium præscripsit.

651. Dico quarto. *Circa largitionem eleemosynæ, observanda veniunt sequentia:* 1. Tametsi eleemosyna, tempore Jubilæi danda, non necessario debeat esse absolute commensa facultatibus dantium (quemadmodum colligitur ex Bullis, volentibus, dari eleemosynam, *prout suggesserit devotio*) debet tamen esse commensa, seu proportionata respective, adeo, ut major detur a divitibus, quam a pauperibus: id quod *suggerit* ratio prudentialis, & *devotio*. Unde dives dando eleemosynam modicissimam non satisfaceret fini per Bullam Jubilarem intento; sicut non satisfaceret, qui funderet orationem modicissimam, ex dictis *n.* 579. Viva *q. 8. art. 6. n. 1.* & alii communiter. 2. Omnes, & singuli, Jubilæum obtinere cupientes, tenentur largiri eleemosynam: quia, ut *supra* dictum, favores Jubilæi conceduntur sub conditione, & onere operum præscriptorum, de quorum classe est largitio eleemosynæ. Ex quo fluit, etiam pauperes, imo pauperrimos adstringi ad dandam eleemosynam, *v. g.* obulum, frustillum panis, vel quid simile, licet modicissimum, quod haud dubie habent, aut mendicare prius possunt, ut alteri dare queant. Nec satisfacerent, si darent eleemosynam duntaxat spiritualem, præstando aliquod opus Misericordiæ spiritualis: quia Bulla Jubilæi requirit largitionem eleemosynæ, prout hæc communiter accipitur, nempe pro opere externo Misericordiæ corporalis. Videri possunt, quæ habentur *part. 2. numero* 168. *& seq.* ac Gobat *in Quinar. tr. 3. cap. 29. numer.* 218. estque communis DD. Fluit præterea, etiam filiosfamilias, uxores, pupillos, servos &c. attineri ad faciendam eleemosynam, sive per se, sive per suos parentes, maritos, tutores, dominos &c. Nam licet largitio eleemosynæ sit actio personalis; non tamen est talis in eo rigore, ut nequeat exerceri per substitutum, modo inferius exponendo. Ita DD. passim. Fluit denique, nec Religiosos eximi a dispensanda eleemosyna: siquidem & ipsi dispensare possunt cum licentia suorum Superiorum; prout advertimus *cit. part. 2. numer.* 180. Praxis obtinet, ut ipsimet Superiores eleemosynam dispensari curent nomine Communitatis Religiosæ sibi subjectæ: quod sufficit, modo Subditis id insinuent: quia largitio eleemosynæ debet esse actio moralis, & consequenter procedere ex cognitione, & voluntate illius, cujus nomine exercetur. La Croix *lib. 6. part. 2. numer.* 1428. Quod si Superior aliquis Subditos desuper præmonere intermisisset, sufficeret, juxta Cordubam, Lugonem, Suarezium, & alios a *cit.* P. La Croix relatos, quod Subditi expostfacto, attamen adhuc intra tempus Jubilæi, vel (ut expressius loquar) intra spatium illius hebdomadæ, qua Jubilæum lucrari intendunt, largitionem eleemosynæ, tanquam actionem suo nomine gestam, ratificarent: sic quippe adhuc moraliter suam efficerent; consequenter &c. 3. Eleemosyna danda est pauperibus, corporaliter indigentibus: quia sic innuunt Bullæ Jubilæi, & sumitur ex ipsa descriptione eleemosynæ corporalis (qualis, secundum dicta, pro lucrando Jubilæo erogari debet) est enim *opus, quo datur aliquid corporaliter indigenti ex compassione propter Deum*, secundum dicta *part. 2. num.* 169. Ceterum nomine *pauperum* veniunt etiam illi, quibus deficiunt necessaria ad vivendum juxta conditionem, & qualitatem sui status. Item Monasteria, Hospitalia, Ecclesiæ, & alia Loca pia. P. Gobat. ubi supra *cap. 30. n.* 222. cum communi aliorum.

652. Objicies contra *num.* 2. quod omnes, & singuli, ut Jubilæum obtinere valeant, teneantur dare eleemosynam. Nemo potest facere eleemosynam, nisi habeat propria bona, & liberam eorum administrationem; veluti tradidimus *part. 2. n.* 180. atqui plures ex ibi recensitis vel bona propria, vel liberam eorum administrationem non habent; ergo &c.

Respondetur, majorem solummodo esse veram, si non accedat consensus, vel expressus, vel tacitus, vel saltem rationabiliter præsumptus, illorum, penes quos est dominium, & libera administratio rerum: qualis tamen consensus impræsentiarum supponitur adesse. Revide dicta *part. & num. cit.*

Instabis. In Religione FFr. Minorum de Observantia, & Capucinorum, nec Communitates Religiosæ, nec Superiores earum bona propria, & liberam rerum administrationem obtinent; ergo nec Communitates Religiosæ, vel Superiores, nec de ipsorum consensu Subditi eleemosynam erogare queunt.

Respondetur, dist. cons. quoad primum membrum, Communitates Religiosæ, & Superiores in dicta Religione non possunt erogare eleemosynam authoritate propria, & independenter a consensu Pontificis, aut Benefactorum, penes quos residet rerum erogandarum dominium, & libera administratio, con. authoritate aliena, & dependenter a tali consensu, neg. cons. Dist. idem cons. etiam quoad alterum membrum: Subditi nequeunt erogare eleemosynam de consensu suorum Superiorum innixo authoritati propriæ, & independente a consensu S. Pontificis, vel Benefactorum, con. innixo authoritati alienæ, & dependente a consensu S. Pontificis, aut Benefactorum, neg. cons. Revide, si placet, quæ tradidimus *part. 4. numer.* 170. *& seqq.*

653. Quæres primo, an satisfaciat in ordine ad effectum Jubilæi obtinendum, qui erogat eleemosynam pauperi existimato?

Respondetur affirmative. Gobat *in Quinar. tract. 3. capit. 30. numer.* 232. Viva *quæst. 8. art. 6. numer.* 3. La Croix *loc. cit. n.* 1428. & alii passim. Ratio est:

quia

quia licet ejusmodi eleemosynarius non sublevet verum pauperem, adhuc tamen facit opus eleemosynæ ob conscientiam invincibiliter erroneam, qua prudenter existimat, accipientem esse verum pauperem; ergo satisfacit intentioni Pontificis in ordine ad effectum Jubilæi obtinendum; sicut satisfaceret præcepto, vel voto, quo ad dandam eleemosynam obstringeretur. Cons. fluit. Ant. ostenditur: nam actus virtutis moralis specificatur ab objecto, non prout hoc est a parte rei, sed prout proponitur ab intellectu; veluti dictum, & stabilitum est *part. 1. n. 50.* atqui largitio eleemosynæ est actus virtutis moralis, videlicet Misericordiæ; ergo specificatur ab objecto, non prout hoc est a parte rei, sed prout proponitur ab intellectu: cum igitur ab intellectu proponatur verus pauper, verique pauperis sublevatio, ab hac actus eleemosynæ specificatur; consequenter &c. Videri etiam possunt, quæ habentur *part. 2. n. 183.*

654. Quæres secundo, an etiam satisfaciat in ordine ad Jubilæum lucrandum Herus v. g. qui ex suo ære dat pecuniam famulo inter pauperes distribuendam, quando mandatarius, sive famulus illam non distribuit?

Respondetur negative. Ita mihi verior sententia, quam tenent Lugo, Corduba, Rodriquez, Sanctarellus, & alii, quos refert, ac sequitur P. Viva *loc. & n. citt.* Ratio est: quia tali casu nihil exercite datur pauperi, sive vero, sive ficto; sed tantum committitur dandum; ergo non ponitur substantia eleemosynæ; sicut tamen ponitur *in praced. cas.* consequenter &c. Confirmatur. Non contrahit Matrimonium, qui tantum committit alteri, ut suo nomine contrahat, quando mandatarius exercite contrahere intermittit; ergo neque Herus in casu dat eleemosynam, dum famulo committit pecuniam pauperibus distribuendam, quam famulus exercite non distribuit. Oppositam tamen sententiam post Gobatum, & alios, probabilem censet ipse P. Viva, quem vide.

655. Dico quinto. *Circa confessionem Sacramentalem* notanda veniunt sequentia. 1. Si lucraturus Jubilæum nullius peccati mortalis sibi conscius sit; non requiritur ad effectum Jubilæi consequendum confessio. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Diana *part. 3. tr. 4. resol.* 126. Aversa *q. 10. sect. 2.* Viva *q. 8. art. 3. n. 2. & 3.* VViestner *lib. 5. tit. 38. n. 186.* & alii communius. Ratio fundamentalis est: quia Ecclesia, cum præscribit confessionem, eam exigere non solet ab habentibus sola venialia, ut patet de confessione Paschali; ergo nec in Bulla Jubilari illam exigere censenda est. E diverso si lucraturus Jubilæum peccati mortalis sibi conscius sit, omnino ad confessionem obstringitur, nec sufficit contritio ut ut perfecta. Ita Bellarminus, Sanctarellus, VViestner, quos refert, & sequitur P. Schmalzgrueber *lib. 5. tit. 38. n. 149.* Ratio est: quia Ecclesia, cum præscribit confessionem, eam exigit ab habentibus mortalia, adeo ut tales non satisfaciant, si solum conterantur, prout itidem patet de confessione Paschali; ergo idem facere censenda est in Bulla Jubilari, in qua & confessionem, & communionem copulative præscribit. Confirmatur. Communio, eaque digne obeunda, absolute requiritur ad obtinendum Jubilæum, prout cum communissima DD. dicemus infra; ergo etiam confessio respectu illorum, qui mortalibus gravantur; cum illa sine ista digne obiri nequeat. Neque dicas, saltem in casu, quo deest copia Confessarii, communionem digne obiri posse a perfecte contrito: & consequenter Jubilæum obtineri. Contra enim est, assumptum solummodo tenere in casu necessitatis, seu quando communio necessario sumenda est v. g. ad evitandum scandalum, dispendium famæ &c. non item in casu Jubilæi obtinendi, in quo simile incommodum evitandum non occurreret, ut supponitur: & si occurreret, adhuc, redeunte potentia confitendi, confessio supplenda foret, saltem probabilius; sicut suppleri debet confessio Paschalis, si in casu impotentiæ fuerit omissa ab habente mortalia. Unde negatur, quod Jubilæum obtineri valeat ab habente mortalia, nisi saltem semel confiteatur. Dico: *saltem semel.* Nam notandum 2. per se loquendo sufficere unam confessionem: quia Bulla non præscribit plures. Unde siquis post confessionem præscriptam, peracta jam communione relabatur in peccatum mortale, non tenebitur iterum confiteri; quia intentioni Bullæ per primam confessionem jam satisfecit. Tenebitur tamen elicere perfectam contritionem, si reliqua opera necdum perfecerit; ut sic, in statum gratiæ restitutus, ultimum opus peragat: id quod juxta omnes ad obtinendum Jubilæum requiritur. P. Gobat *loc. cit. cap. 32. n. 157.* Sed hanc doctrinam intellige, si pœnitens in prima confessione attulerit materiam necessariam, videlicet unum, vel plura mortalia; nam si solum attulerit materiam liberam, nempe mera venialia, aut mortalia per absolutionem Sacramentalem jam legitime remissa, tenebitur adhuc confiteri mortale, postea commissum, intra eandem septimanam; ut recte notat P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1415.* & admittere omnes debent, qui nobiscum docent, confessionem ad lucrandum Jubilæum non requiri, si quis mera venialia habeat. Ratio hujus exceptionis, ac limitationis est: quia per primam confessionem, quippe libere factam, nondum impleta est conditio per Bullam præscripta, videlicet confessio materiæ necessariæ, utpote antea non habitæ; ergo cum modo habeatur, confitenda erit intra eandem septimanam, intra quam pœnitens Jubilæum lucrifacere intendit, ut sic antefata conditio impleatur. Confirmatur. Qui tempore Paschali attulit materiam liberam, & intra idem tempus delinquit mortaliter, tenetur adhuc semel pro Paschate confiteri: quia præcepto Ecclesiastico confessionis Paschalis nondum satisfecit; veluti cum communi tradidimus *part. 3. num. 40.* ergo similiter &c. Dixi supra: *per se loquendo.* Nam per accidens talis recidivus omnino obligatur ad iteratam confessionem, quando relapsus contigit ante communionem pro obtinendo Jubilæo peragendam; eo quod ad hanc digne obeundam non sufficiat prævia contritio, sed requiratur confessio ab habente materiam necessariam: prout in confesso est apud omnes. 3. Confessio Jubilaris debet esse valida; adeo, ut non sufficiat sacrilega, sive dein hæc voluntarie, sive involuntarie fiat. Ita P. Abreu ubi supra *num. 468.* & alii passim. Ratio est: quia Pontifex ad lucrandum Jubilæum postulat veram confessionem, per quam peccator reconcilietur cum Deo, & recuperet Divinam amicitiam per peccatum mortale dissolutam: atqui confessio sacrilega, & invalida non est talis, ut patet; ergo &c. Confirmatur itidem a pari de Confessione Paschali; nam ei jam per hanc, si sacrilega sit, aut undecunque invalida, non satisfit præcepto confitendi; prout ostensum manet *part. 3. num. 34.* ergo neque &c.

656. Dico sexto. *Circa Communionem* notanda veniunt sequentia. 1. Communio omni homini, saltem adulto, Jubilæum lucraturo, necessaria est, juxta communem DD. Ratio est: quia per Bullas Jubilares absolute præscribitur; nec aliunde colligitur aliqua exceptio, aut limitatio relate ad homines adultos. Unde siquis adultus ob periculum vomitus, vel aliud impedimentum non possit Eucharistiam sumere, neque Jubilæum obtinere potest, nisi communione in aliud opus pium commutata. P. Schmalzgrueber *lib. 5. tit. 38. n. 150.* Dixi: *saltem adulto.* Nam pueris, communionis necdum capacibus, ea haud videtur necessaria ad Jubilæum obtinendum. Ratio est; quia ex una parte Pontifex a consecutione Jubilæi non excludit pueros; ex altera scit, eos de Jure, vel consuetudine non admitti ad S. Communionem; ergo hanc non videtur ab ipsis exigere ad consequendum Jubilæum, modo cetera, sibi præstitu possibilia, non intermittant. Unde respectu ejusmodi puerorum conditio Communionis obeundæ habenda est pro non apposita. Ex quo eruitur, nulla hic opus esse commutatione Communionis in aliud opus: quia pueri per se, seu Jure a sumenda S. Synaxi impediuntur, secus, ac alii, qui propter periculum vomitus, aut aliam similem causam Eucharistiæ Sacramentum recipere non possunt, & sic accidentaliter, ac casualiter solum impediuntur: unde licet istis, ut Jubilæum lucrari valeant, juxta tenorem Bullæ sit commutanda Communio; non tamen necessario commutanda erit etiam illis. Ita Authores multi omnino probabiliter. Interim negari non potest, tutius esse, si etiam pueris commutetur Communio; cum id necessarium esse contendat P. Gobat *loc. citat. cap. 26. numer. 176.* & alii quam plurimi: vel (si ita visum fuerit) ad ipsam Communionem admittantur, licet extra Jubilæum non admitterentur; nam ipsa consecutio Jubilæi

non admitterentur; nam ipsa consecutio Jubilæi videtur causa sufficiens, ut citius, ac alias, admitti possint. Ita cum aliis P. Schmalzgrueber ubi supra n. 150.

§. IV.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

657. *An Indulgentia Jubilæi semper plenarie obtineatur? 658. An valeat obtineri bis? 659. An omnia opera præscripta peragi debeant in eadem hebdomade, &* 660. *in eodem loco? 661. An ad illam lucrandam sufficiant opera, jam aliunde debita? 662. Quanam notanda sint de commutatione, & prorogatione operum? 663. Quaniam observanda circa infirmos, captivos, & ignorantes?*

657. **Q**Uæres primo, an indulgentia Jubilæi semper plenarie obtineatur?

Respondetur affirmative; si illam obtinere volens omnes conditiones præscriptas rite adimpleat, & insuper nullum affectum ad aliquod peccatum, etiam veniale, retineat. Gobat ubi supra *tr. 4. cap. 2. n. 278.* La Croix *loc. cit. n. 1406.* & alii. Ratio est ipsa concessio S. Pontificis, & natura indulgentiæ: Quod si illam obtinere volens omnes quidem conditiones ceteras adimpleret, sed affectum ad aliquod peccatum veniale retineret, non obtineret prædictam indulgentiam plenarie in suppositione absoluta; quoniam pœna illi veniali, utpote quoad culpam non dimisso, debita haud remitteretur: sed in suppositione accommoda, quatenus omnis pœna reliquis peccatis, quoad reatum culpæ deletis, debita relaxaretur; cui tali relaxationi affectus ad veniale obicem non poneret.

658. Quæres secundo, an, qui prima hebdomade Jubilæum lucratus est, possit illud iterum lucrari in secunda, si opera præscripta repetat?

Respondetur negative. Ita cum satis communi Palao *tr. 24. disp. unic. punt. 12. §. 3. n. 4.* Laymann *lib. 5. tr. 7. cap. 8. n. 8.* Schmalzgrueber ubi supra *n. 154.* & Herincx *de Pœnit. disp. 4. q. 13. n. 98.* Ratio responsionis est: quia nec in Bulla Jubilæi, nec alibi ulla fit mentio de tali privilegio, seu quod quis bina vice lucrari Jubilæum possit: imo in Bulla satis aperte indigitatur contrarium; utpote in qua Pontifex utitur verbis disjunctivis: *in prima, vel sequenti hebdomade:* prout notat P. Schmalzgrueber *cit.* Interim tamen laudabiliter, & provide agunt, qui opera præscripta iterant in altera hebdomade, non ut Jubilæum iterum lucrentur, si in prima jam lucrati sint; sed ut lucrentur, si forte in prima, ob quemcunque tandem defectum, lucrati non sint: vel etiam, ut iterum lucrentur, si forte possint; prout plurium magni nominis Authorum fert opinio, quæ non videtur omnino improbabilis. Porro nostra responsio intelligenda venit de uno, eodemque Loco, vel Diœcesi; nam in duobus diversis Locis, ac Diœcesibus utique Jubilæum obtineri bis potest, quando quis ex illo Loco, in quo se jam fecit Jubilæi participem, transmigrat in alium, ibique opera præscripta iterat, ut Jubilæum ibidem vigens rursus consequatur.

659. Quæres tertio, an præscripta opera peragenda sint omnia in una, eademque hebdomada?

Respondetur affirmative. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 11. n. 2.* Lugo *disp. 27. n. 105.* Gobat *in Quinar. tr. 3. cap. 28. n. 212.* & alij passim. Ratio est: quia sic præscribitur in Bulla concessionis per hæc verba: *intra hoc tempus prima, vel secunda hebdomada.* Confirmatur ex consuetudine, seu praxi fidelium, opera præscripta sollicite omnia peragentium in una hebdomada, ita, ut credant, se aliter Jubilæum non obtenturos. Ubi tamen notandum, Dominicam intermediam trahi posse ad hebdomadem primam præcedentem tanquam hujus complementum, sicut & Dominicam ultimam ad hebdomadam secundam præcedentem: ut notat P. Abreu *in Specul. Parochor. lib. 20. de Jubil. n. 478.* & constat iterum ex praxi fidelium. Porro Dominicam intermediam pertinere etiam ad hebdomadam secundam, patet: quia est ejus principium. Notandum præterea, Confessionem (& consequenter Communionem) peragi posse uno, vel altero die ante Jubilæum (sicut & ante alias indulgentias) prout denuo obtinet praxis fidelium, & extra controversiam esse testatur P. Laymann *lib. 5. tr. 7. cap. 8. n. 6.* Imo Confessio (idem rursus tenendum de Communione) etiam peragi, vel potius perfici potest, & absolutio impertiri post tempus Jubilæi: ut si pœnitens ultimo, vel penultimo die temporis Jubilaris venit ad Confessionem constitutus in occasione proxima peccandi, & Confessarius prudenter dubitat, an, si illum absolvat, sit permansurus in tali occasione, poterit absolutionem differre per unam, alteramve septimanam, aut ultra, ut pœnitentem interea eruat a statu occasionis proximæ, & postmodum absolvat. Ita Gobat ubi supra *cap. 17. n. 114.* Idem dicendum, si pœnitens ultimo die Jubilæi in confessione afferat casus valde intricatos, super quibus Confessarius legitimum judicium ferre, aut resolutionem dare nescit, antequam illos melius perpenderit, libros, vel alios Confessarios, doctiores se, consuluerit &c. Gobat *cit.* Ratio utriusque est: quia Pontifex in ejusmodi dilationem consentire rationabilissime præsumitur, ex eo præsertim, quod causam, intuitu Jubilæi jam cœptam, utique velit perfici intuitu ejusdem Jubilæi, non vero indecisam, ac imperfectam relinqui.

660. Quæres quarto, an omnia opera præscripta debeant peragi in uno, eodemque loco?

Respondetur negative: modo in loco (sive dein hic sit locus proprii domicilii, sive alius, etiam extra Diœcesin situs) in, & pro quo Jubilæum jam promulgatum, atque indictum est, fiat visitatio Ecclesiæ (vel Ecclesiarum) ibique peragatur oratio præscripta: hæc quippe utraque peragenda est in Ecclesia ab Ordinario Loci pro obtinendo Jubilæo designata, ex dictis n. 647. & 648. Ratio responsionis est: quia per ipsam præsentiam in loco publicati Jubilæi quilibet in eo existens, aut ad eum veniens acquirit jus percipiendi indulgentiam plenariam, hoc ipso, quod omnibus, & singulis, qui Jubilæi durantis tempore præsentes sunt, conceditur: quo jure semel quæsito non privatur per egressum, sed id, ceu personale, secum fert, *arg. Reg. 7. in 6.* Ita Laymann ubi supra *n. 11.* Herincx *de Pœnit. disp. 4. n. 100.* La Croix *loc. cit. n. 1434.* & alii communiter.

Sed dubitari hic potest, an lucraturus Jubilæum debeat visitare Ecclesiam, ab Ordinario Loci, in quo promulgatum est Jubilæum, designatam, ibique preces fundere, antequam exeat in alium Locum, ad reliqua opera ibidem perficienda?

Respondetur negative. Ratio fluit ex dictis; quia talis per ipsam Jubilæi promulgationem acquisivit jus ad illud lucrandum, si in eo loco, in quo promulgatio facta est, & in Ecclesia, per Ordinarium ibi designata, preces fundat, sive dein id fiat ante egressum, sive post regressum; modo hic contingat intra eandem hebdomadem, intra quam peregit alia opera præscripta. Nec dicas, alia opera, prius alibi peracta, habere se impertinenter relate ad Jubilæum, in Loco promulgationis obtinendum. Contra enim est, neg. assumptum. Hoc ipso enim, quod a peragente fuerint ordinata ad Jubilæum, ex jure, per promulgationem quæsito, obtinendum, debitam cum ejusmodi fine connexionem sortita sunt.

661. Quæres quinto, an ad obtinendum Jubilæum sufficiant opera, jam aliunde debita?

Respondetur negative, per se loquendo, & nisi de mente Pontificis oppositum colligatur ex circumstantiis. DD. communiter. Ratio est: quia per opus ex titulo oneroso ponendum non satisfit alicui alteri obligationi, nisi de mente illud opus imponentis oppositum colligatur ex circumstantiis: sed opera Jubilæi ponenda sunt ex titulo oneroso, sive sub conditione onerosa, siquis nempe Jubilæum obtinere velit; ergo &c. Min. constat. Maj. ostenditur in exemplo. Nam si tibi a Confessario in pœnitentiam esset injuncta recitatio rosarii, utque fores obstrictus voto quotidie rosarium recitandi, non satisfaceres præcepto Confessarii recitatione debita ex voto: quia Confessarius, nisi oppositum exprimat, vel colligi possit (quorum in tali casu neutrum fieri supponitur) ad rem non debitam obligare intendit; veluti cum communi aliorum sensimus, ac tradidimus *part. 1. n. 275.* ergo similiter &c. Itaque quamvis non implicet, rem debitam uno titulo, etsi oneroso, deberi præterea alio, & uno actu duabus obligationibus (nisi ambæ sint in

materia

materia justitiæ) satisfieri; attamen per se loquendo, & nisi oppositum colligatur, aut constet de mente illas obligationes, vel alterutram earum imponentis, non satisfit: prout relinquitur ex dictis tum hic, tum *in part.1. n.272. citt.*

Ut autem ad opera Jubilæi in specie, & particulari descendamus, censeo, visitationem Ecclesiæ, orationem, & eleemosynam, ex voto, pœnitentia, vel aliunde debitas, non sufficere ad obtinendum Jubilæum: quia ex una parte non sufficiunt, per se loquendo, ut ostensum; ex altera vero parte non colligitur, ut constat de mente Pontificis, quod illas sufficere velit. Contra existimo sufficere opera jejunii, Confessionis, & Communionis, aliunde jam debita: quia ex una parte non implicat illa sufficere; & ex altera parte, quod sufficiant, colligitur de mente Pontificum, quippe Jubilæa pro tempore Quadragesimali, vel etiam Paschali, ubi memoratorum operum obligatio alias stringit, non raro indicentium.

662. Quæres sexto, quænam notanda sint de commutatione, & prorogatione operum pro lucrando Jubilæo præscriptorum?

Respondetur primo. Per *commutationem* 1. intelligitur substitutio unius operis boni loco alterius, in Jubilari Bulla præscripti, ac ob impedimentum quoddam legitimum hic, & nunc non ponibilis, vi Jubilæi a Confessario approbato facta illi, qui Jubilæum lucrari intendit. 2. Hæc commutatio fieri potest non solum a Confessario, cui quis confitetur; sed etiam ab alio approbato: quia non solum intra, sed etiam extra Confessionem; imo & pœnitenti absenti impertiri valet, sicut commutatio votorum. La Croix *loc. cit. n. 1439.* & 1460. aliique passim. 3. Omnia opera præscripta, adeoque etiam Confessio, sunt commutabilia; esto in Bulla non semper omnia exprimantur tanquam commutabilia, modo non expresse excipiantur. Ratio est: quia Urbanus VIII. in Bulla *ann.* 1629. edita, uti & anteriores Pontifices ita loquuntur: *Qui supra expressa, vel eorum aliqua implere nequiverint, Confessarius omnia, & singula commutare poterit.* Quæ verba, cum tangant materiam favorabilem, videntur satis innuere, mentem aliorum etiam Pontificum, in Bullis facultatem aliqua opera commutandi quandoque exprimentium, esse, ut nihilominus omnia commutari valeant, si justa commutandi causa interveniat: ut de Communione puerorum, ejus needum satis capacium, constat ex dictis *n.656.* Videatur Gobat *loc. cit. cap.16. n.* 106. Ceterum justa commutandi causa censetur intervenire, quando adest impedimentum illa opera ponendi, in physica, vel morali saltem impotentia (sub qua comprehenditur etiam gravis ponendi difficultas) situm. Talis causa si desit, & deesse cognoscatur, commutatio non solum illicita, sed etiam invalida est, & pro Jubilæo obtinendo insufficiens: quia facultas commutandi opera injuncta est coarctata ad existentiam legitimæ causæ; qua proin deficiente, deficit facultas: prout cum aliis a se relatis notat P. Viva *q.8. art. ult. n.3.* & fluit ex dictis *part.1. n.510.* Quod si causa justa commutandi a parte rei quidem desit, sed non cognoscatur deesse, quatenus Confessarius, errore invincibili ductus, causam insufficientem pro sufficiente agnoscit, commutatio & licita, & valida erit; alioquin conscientiæ tam Confessariorum, quam pœnitentium, nunquam possent quietari. Viva *loc. cit.* Gobat ubi supra *cap.15. n.103.* La Croix *num.1443.* & iterum fluit ex dictis *cit. cap.3. n.510.* Quod tamen intellige, nisi ille error Confessario commutanti fuerit suggestus a petente commutationem: tunc enim commutatio seu subreptitia, vel obreptitia, esset, vel saltem esse posset invalida, conformiter dictis *part.1. num.513. & seq.* 4. Commutatio fieri debet in opus moraliter æquale. Ratio est: quia si fieret in opus moraliter inæquale, id est, minus bonum, non foret pura commutatio, sed partialis dispensatio; quæ tamen fieri non potest, nisi facultas dispensandi in Bulla exprimatur, ex dictis *n.646.* Gobat *cap.17. n.109.* Interim æqualitas operis, in quod fit commutatio, spectanda est non tam absolute, id est, attendendo ad præstantiam, & pœnalitatem operis, quam respective, seu attendendo ad finem Papæ, & circumstantias pœnitentis: prout advertit, & ostendit itidem Gobat *loc. cit.* ac La Croix *num.* 1444.

Respondetur secundo. *Per prorogationem* operum 1. intelligitur facultas a Confessario approbato facta lucraturo Jubilæum, ab operibus tamen præscriptis, hic, & nunc intra tempus Jubilare peragendis, legitime impedito, vi cujus, elapso etiam Jubilæi tempore, eadem peragere, atque ita Jubilæum obtinere possit, & valeat. 2. Sicut commutatio, ita & prorogatio operum fieri potest non solum a Confessario, cui lucraturus Jubilæum confitetur, sed etiam ab alio approbato; idque rursus tam extra, quam intra confessionem, tam pœnitenti absenti, quam præsenti. 3. Prorogari possunt omnia opera præscripta: & hoc a fortiori tenet, ac de operum commutatione dictum. 4. Requiritur tamen etiam ad prorogationem justa causa, seu legitimum impedimentum, sicut ad commutationem. 5. Licet Confessariis in Bulla Jubilari relinquatur liberum, malintne opera præscripta pœnitentibus commutare, vel prorogare, saltem in septimanam, tempus Jubilæi immediate sequentem (prout indigitat P. Herincx *de Pœnit. disp. 4. q. 13. n. 101.*) melius tamen facient (per se loquendo, & nisi aliud disponatur, ut de itinerantibus &c.) commutando, quam prorogando: quia melius esse videtur, quod subrogentur alia opera statim perficienda, quam quod præscripta protelentur, ac peragantur seriori tempore. La Croix *n.1443.* & alii.

Quod autem Confessarii opera Jubilæi modis hucusque dictis commutare, vel prorogare possint, liquet ex Bullis Jubilaribus, quibus hæc, vel his similia verba inseri solent: *Quocunque impedimento detentis, qui supra expressa opera, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex approbatis a Locorum Ordinariis; eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit; eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.*

663. Colliges ex dictis in gemina responsione ad Quæsitum reddita, quænam sint observanda circa *infirmos, captivos, & itinerantes.* Nam *infirmis* possunt, (& debent, ut Jubilæum lucrari valeant) vi Bullæ Jubilaris opera omnia, vel aliqua, quorum executio ipsis est impossibilis, commutari in alia præstitu possibilia, vel prorogari in proximum tempus sanitatis recuperandæ: nisi infirmitas adhuc esset Jubilæi durante tempore; quod tamen, in ordine ad omnia, & singula opera peragenda, vix, aut raro eveniet. DD. communiter. Porro nomine *infirmorum* veniunt omnes valetudinarii; qui absque notabili difficultate, aut detrimento opera injuncta præstare nequeunt: quibus accenseri quoque possunt senes; cum senectus ipsa sit morbus, & in Jure sæpe senes, atque infirmi æquiparentur; ut *in cap.26. de sent. excom.* & *cap.8. de Testib.* P. Viva *q.9. art.2. n.2.* & alii apud ipsum.

Etiam *captivis* opera, quæ præstare nequeunt, vi Jubilæi commutari valent, aut prorogari in proximum tempus dimissionis obtinendæ. Est itidem communis DD. Per *captivos* autem in præsenti intelliguntur, quicunque contra propriam voluntatem ita detinentur in aliquo loco, ut sui juris non existant, nec ire possint, quo velint, *l. succurritur, ff. ex quibus causis*, ut carcere clausis; in aliqua arce, vel civitate jussu Magistratus a militibus, aut aliter custoditi; ad triremes damnati; dimissi cum fidejussione, ut redeant &c. Videatur P. Viva *loc. cit. n.1.*

Itinerantibus, id est, iter terra, marive facientibus, & idcirco pro tunc a consecutione Jubilæi impeditis, opera injuncta usque post reditum prorogantur in ipsis Bullis Jubilaribus per verba sequentis tenoris: *Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant.* Nec tenetur quis suum iter differre in aliud tempus ratione Jubilæi; quia præinsinuatus favor absolute, & sine distinctione conceditur itinerantibus; ut notat Gobat ubi supra *cap. 13. n. 90.* Quod verum censet P. La Croix *loc. cit. n. 1444.* cum aliis, a se relatis, etiam de illo, qui prima Jubilæi hebdomade indulgentiam non est lucratus: vult ergo & talem posse frui prorogatione operum per Bullam concessa; nec teneri differre iter altera hebdomade suscipiendum. Quod si iter agentes domum revertantur ultimo primum, vel penultimo die temporis Jubilaris, poterunt operum præ-

scripto-

scriptorum commutationem petere, sicut alii impediti; nisi malint favore prorogationis frui.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

664. Zenobius non peccavit mortaliter, sive pœnitentiam per septendecim dies differendo; sive aliter, ac imperatum erat, exequendo, puta non genuflectendo in templo coram Imagine miraculosa B. Virginis (uti facere jussus erat) sed obambulando domi in suo horto. 665. Zoticus perficiendo pœnitentiam in statu gratiæ recepit augmentum gratiæ habitualis; perficiendo item alia vice pœnitentiam in statu disgratiæ & satisfecit suæ obligationi, & remissionem pœnæ temporalis, alias satisfactioni Sacramentali, debito modo præstita, ex opere operato correspondentem, est consecutus. 666. Zachæo resolvitur, qui sit indulgentias animabus in purgatorio concedi per modum suffragii? qui fieri possit, ut quis, extra statum gratiæ positus, obtineat indulgentiam pro defuncto? an uberiorem pœnarum remissionem recipiat, qui ad lucrandam indulgentiam melius est dispositus? quid sit facere compositionem super male ablatis incertis? & quid sit Bulla Cruciata? 667. Zacharias, dum confitetur peccata reservata, in confidentiam Jubilæi lucrandi commissa, ab iis absolvi potest, modo habeat animum reliqua etiam opera ad Jubilæum præscripta peragendi; manetque absolutus, etiamsi postmodum illa opera præstare negligat: neque per talem negligentiam peccat, saltem mortaliter.

CASUS I.

664. Zenobius, civis Augustanus, in Festo Scapularis, seu B. Virginis de Monte Carmelo, Campolycium Religionis causa profectus, confessionem ibi peccatorum suorum peregit. Confessarius illi pro satisfactione injunxit recitationem unius rosarii, & quidem in S. Æde coram Imagine miraculosa B. Virginis persolvendam flexis genibus. At Zenobius nihil horum fecit, atque etiam domum reversus pœnitentiæ sibi impositæ executionem ex negligentia distulit usque ad Festum Portiunculæ; quo die iterum confessurus recitavit mane rosarium a Confessario Campolyciano injunctum, obambulans in suo horto. Quæritur, qualiter peccarit Zenobius tam differendo, quam alio loco, & situ, ac imperatum erat, pœnitentiam peragendo?

RESpondetur, Zenobium non peccasse mortaliter, sive (1.) pœnitentiam differendo; sive (2.) aliter, ac imperatum erat, illam exequendo. (Colligitur ex P. Sporer *de Pœnit. cap. 4. n. 578.* ac P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1280.* & 1288. Ratio primi est: quia dilatio pœnitentiæ, præsertim vindicativæ (qualis, saltem præcipue, videtur fuisse pœnitentia Zenobio imposita) per tantillum temporis spatium, sedecim, vel septendecim diebus comprehensum, non censetur magna, sed solum parva, judicio prudentum, ex quo magnitudo, & parvitas dilationis mensuranda est, secundum dicta *num. 605. in respons. 2. sub fin.* atqui dilatio parva pœnitentiæ, licet gravis (pro quali reputatur recitatio rosarii) non inducit culpam mortalem, sed venialem duntaxat (& hanc, quando nulla intervenit causa differendi) ergo &c. Ratio secundi est: quia modus ille recitandi rosarium, nempe coram Imagine Thaumaturgæ Virginis, & flexis genibus, censetur solum circumstantia levis, seu non talis, ut executionem pœnitentiæ notabiliter immutet, operis injuncti difficultatem, ac bonitatem diminuendo; nam rosarium sive in hoc, sive in alio loco, sive genuflectendo, sive obambulando persolvatur, modo rite persolvatur, erit fere æquale, vel saltem non notabiliter inæquale B. Virginis obsequium. Nec dicas. Qui rosarium pro pœnitentia impositum jubetur recitare expansis brachiis, & non sic recitat, mortaliter peccat, esto ceteroquin rite recitet; ergo similiter peccat mortaliter, qui rosarium jubetur recitare flexis genibus, & non sic recitat &c. Contra enim est, transmisso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia extendere brachia per spatium temporis, quo persolvitur rosarium, longe majoris est difficultatis, & molestiæ, ac interea flectere genua, prout experientia docet; proindeque illius circumstantiæ omissio facilius immutat, seu diminuit notabiliter pœnitentiam, & mortalem inducit culpam, ac omissio istius. Videatur La Croix *cit. n. 1280.*

CASUS II.

665. Zoticus intra mensem bis confessus est, utraque vice peccatis gravibus oneratus. Unde & utraque vice pœnitentiam gravem, seu peccatis proportionatam, a Confessario dictatam accepit, & prompta voluntate acceptavit. Sed non nisi unam in statu gratiæ perfecit; alteram vero, jam in nova mortalia relapsus, quin per contritionem desuper elicitam se prævie reponeret in statum gratiæ. Quæritur 1. an Zoticus, perficiendo illam pœnitentiam in statu gratiæ receperit augmentum gratiæ, videlicet habitualis? 2. An peragendo alteram in statu disgratiæ nihilominus satisfecerit suæ obligationi? & 3. remissionem pœnæ temporalis, alias satisfactioni Sacramentali, debito modo præstitæ, ex opere operato correspondentem, sit consecutus?

RESpondetur primo ad primum Quæsiti membrum affirmative. Ita S. Thomas 3. *part. q. 99. artic. 2. ad 2.* ubi sic ait: *Satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, & auget eam, prout est in executione &c.* Doctorem Angelicum sequuntur Suarez *tom. 3. in 3. part. dispu. 38. sect. 2. n. 3.* Martinus Perez *de Pœnit. disp. 56. sect. 2. n. 6.* Paulus Mezger *tr. 18. disp. 47. art. 2. n. 13.* Gonet *tom. 5. tr. 5. disp. 13. art. 3. n. 31.* Antonius Mayr *tract. 12. num. 747.* & alii plures contra alios. Ratio est; quia omnis pars concurrit ad significandam gratiam sanctificantem, proindeque ad eam causandam ex opere operato; atqui satisfactio, etiam de qua loquimur, est pars Sacramenti Pœnitentiæ, nempe integralis; ergo concurrit, sive significat, & causat ex opere operato gratiam sanctificantem. Nec obstat, quod satisfactio sit solum pars integralis. Sicut enim partes essentiales, eo quod sint tales, producunt ex opere operato gratiam essentialem; ita pars integralis, eo quod sit talis, debet producere gratiam integralem, seu augmentum gratiæ essentialis. Confirmatur. Satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ etiam significat potentiam evitandi, vel evitationem peccatorum in futurum: prout tradit Tridentinum *Sess. 14. c. 8.* ibi: *Procul dubio enim magnopere a peccatis revocant, & quasi freno coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt;* ergo significat, & consequenter causat ex opere operato gratias actuales, in eum finem conferendas; ergo & causat ex opere operato gratiam habitualem, seu radicem actualium, sine qua istæ in Sacramentis non conferuntur. Neque dicas. Etiam per Sacrificium Missæ conferuntur gratiæ actuales ex opere operato, quin conferatur gratia habitualis; ergo idem potest dici de satisfactione. Contra enim est, neg. conf. Aliud quippe est de actionibus Sacramentalibus, causantibus gratias actuales in recipiente Sacramenta: aliud de actione sacrificandi, causante gratiam actualem in alio. Non omnis gratia actualis necessario præsupponit gratiam habitualem; quia potest quis alteri, imo peccator sibi ipsi impetrare gratiam aliquam actualem, & auxiliatricem, quin statim possit impetrare gratiam habitualem: sed tantum gratiæ actuales, collatæ vi Sacramentorum, supponunt gratiam habitualem; cum Sacramenta hanc causent non quomodocunque spectatam, sed ut conjunctam cum jure ad gratias actuales, prout constat ex dictis *n. 6.* & habet communis DD. Sed contra respons. ad Quæsitum redditam

Dices primo. Non debet Sacramentis, eorumve partibus attribui effectus aliquis supernaturalis ex opere operato, nisi is sufficienter probetur ex S. Scriptura, vel Conciliis, vel SS. Patribus: atqui effectus gratiæ integralis, qui conferatur ex opere operato per satisfactionem Sacramentalem re exhibitam, non sufficienter probatur ex tali aliquo capite; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. (distinctione ad simile ar-

gum.

gum. adhibitis n.66. & iterum n.85.) Nisi is probetur sufficienter, hoc est, certo, & evidenter, neg. saltem valde probabiliter, aut probabilius, con. maj. dist. etiam min. Atqui effectus gratiæ integralis &c. ex tali aliquo capite non probatur sufficienter, idest, certo, aut evidenter, con. valde probabiliter, aut probabilius, neg. min. & cons. Ratio probativa nostræ sententiæ, ejusque confirmatio fundantur in Conciliis, præsertim Tridentino; & prædictum effectum Satisfactioni Sacramentali attribuendum esse, valde probabiliter suadent. Quidni igitur attribuamus, cum cedat in majorem commendationem Sacramenti? Fundatur eadem sententia in luculento textu S. Thomæ, Doctoris Angelici, supra adducto.

Dices secundo. Unum Sacramentum tantum causat unam gratiam, quam Sacramentum Pœnitentiæ causat in instanti absolutionis, antequam peragi solent satisfactio; ergo nullam amplius causat ratione satisfactionis, quando hæc peragitur.

Confirmatur. Eucharistia, recepta sub duplici specie, non causat plus gratiæ, quam recepta sub una, quamvis ambæ species sint partes Sacramenti; prout tradidimus n.294. ergo neque Sacramentum Pœnitentiæ causat plus, sive augmentum gratiæ, quando reliquis partibus superadditur satisfactio, licet hæc sit pars Sacramenti.

Respondetur ad argum. dist. ant. Unum Sacramentum tantum causat unam gratiam, unam moraliter, con. unam physice, neg. ant. universaliter intellectum de quolibet Sacramento; & cons. Gratia, quam satisfactio causat, coalescit, & censetur moraliter una, eademque cum gratia, in instanti absolutionis causata, quatenus est ejus complementum.

Ad confirm. neg. cons. & parit. Disparitas est: quia species Eucharisticæ non habent significationes diversas diversitate rei significatæ, sed solum diversitate modi, quo significant; nam in Sacramento Eucharistiæ species panis, & species vini significant eandem refectionem spiritualem, licet diverso modo, priores nempe per modum cibi, & posteriores per modum potus. At vero in Sacramento Pœnitentiæ, partes essentiales, & pars integralis, nimirum satisfactio, habent significationes diversas diversitate rei significatæ; siquidem partes essentiales ex institutione Christi significant remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, utique diversam a remissione pœnæ temporalis, & per satisfactionem significata: consequenter &c.

Instabis. Si Sacramentum Pœnitentiæ conferat duas gratias dualitate physica, quarum una causetur per satisfactionem, sequitur, pœnitentem, qui in statu disgratiæ exequitur pœnitentiam injunctam, mortaliter peccaturum, quoniam poneret obicem gratiæ sanctificanti: sequela autem est contra communem, & reprobabitur mox infra; ergo &c. Sequitur præterea, Sacramentum Pœnitentiæ esse accensendum Sacramenti vivorum, saltem secundum aliquam sui partem, utpote secundum quam conferret augmentum gratiæ præsupponens primæ gratiæ infusionem; quod tamen est contra omnes.

Respondetur ad primum neg. seq. maj. Siquidem licet satisfactio Sacramentalis novum gradum gratiæ ex opere operato conferat; eo tamen ipso, quod talis gradus non sit gratia essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantum ejus complementum, & perfectio integralis, non peccat mortaliter, qui ei obicem ponit, sed solum qui ponit obicem gratiæ essentiali. Ad alterum neg. rursus seq. Nam natura, & denominatio Sacramenti vivorum, vel mortuorum attenditur, & desumitur a gratia primario significata, qualis est gratia essentialis; non autem a gratia secundario significata, qualis est gratia integralis, per satisfactionem causata.

Respondetur secundo ad secundum Quæsiti membrum itidem affirmative. Herincx *de Pœnit. disput.4. n.33.* Panger *lib.4. disput.4. n.43.* Elbel *n.230.* & alii communiter. Ratio est: quia ad alia præcepta, e. g. audiendi Missam, servandi jejunium &c. implenda non requiritur status gratiæ, sed satisfit, si peragatur opus injunctum; ergo idem dicendum de impletione præcepti, quod tulit Confessarius, dum pœnitentiam imposuit. Confirmatur. Si pœnitens implendo pœnitentiam in statu disgratiæ non satisfaceret, gereret specialem obligationem ad non peccandum mortaliter, antequam pœnitentiam impleset; teneretque in eventu, quo antea sic peccasset, se accusare tanquam prævaricatorem illiusmodi obligationis: hoc autem est contra communem persuasionem, & praxim; ergo &c.

Dices. Qui pœnitentiam peragit in statu peccati mortalis, impedit duplicem effectum Sacramenti Pœnitentiæ, sive Satisfactionis Sacramentalis, videlicet collationem gratiæ integralis, & remissionem pœnæ temporalis; ergo mortaliter peccat, neque obligationi suæ facit satis.

Respondetur, transmisso ant. (nam de remissione pœnæ temporalis oppositum statim dicemus) neg. cons. Quia uterque ille effectus solum est secundarius, quem impedire quis citra mortale est; prout supra *in respons. ad instant.* insinuatum: esto a veniali non sit excusandus. Secus esset, si quis impediret effectum aliquem primarium, quales sunt gratia essentialis, & remissio culpæ, ac pœnæ æternæ.

Respondetur tertio ad tertium Quæsiti membrum rursus affirmative. Ita Scotus *in 4. dist.15. q.1. num. 18.* Brancatus, Bosco, Hermano, Mastrius *in 4. disput.5. n.580.* Panger ubi supra *n.34.* & alii Scotistæ passim, quibus multi Extranei, a Mastrio relati, adstipulantur; ut Diana, Medina, Corduba, Vasquez, Amicus &c. contra alios. Ratio est: quia satisfactio Sacramentalis remissionem pœnæ temporalis, pro peccatis quoad culpam, & pœnam æternam remissis debitæ, causat ex opere operato; prout fatentur Adversarii, & inde constat, quod sit pars Sacramenti, ab ipsomet Christo Domino ad talem effectum causandum instituta, & ordinata; ergo illam causat, quotiescunque in subjecto non invenit obicem; cum sicut Sacramentum, ita & pars Sacramenti, imitetur modum causandi, causis naturalibus proprium. Atqui non invenit obicem in peccatore, per absolutionem Sacerdotis justificato, & postmodum in mortale relapso; ergo &c. Subsumpt. ostenditur: siquidem peccatum mortale non opponitur remissioni pœnæ temporalis, pro peccatis jam dimissis adhuc debitæ, veluti opponitur recipiendi gratiæ habitualis; cum similis oppositio nec ex S. Scriptura, nec ex aliquo Concilio, nec aliunde constet, aut colligatur, prout patebit ex solutione argumentorum; ergo licet per illud ponatur obex gratiæ habituali recipiendæ, non tamen ponitur obex prædictæ remissioni obtinendæ; alias eodem jure dicam (quod Adversariis non placet) per mortale peccatum poni obicem impressioni characteris Sacramentalis.

Dices tamen primo. In S. Script. 1. *ad Corinth.* 13. dicitur: *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Et *Ecclesiastici* 35. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Ergo opera, extra charitatem, & in statu disgratiæ facta, non prosunt, nec a Deo acceptantur &c.

Respondetur, dist. cons. Non prosunt, nec a Deo acceptantur, tanquam de condigno meritoria vitæ æternæ, con. tanquam ex opere operato satisfactoria pro pœna temporali peccatis, quoad culpam, & pœnam æternam remissis adhuc debita, neg. cons. & ad ant. ajo, textus S. Scripturæ esse intelligendos relate ad opera de condigno meritoria vitæ æternæ.

Dices secundo. Ut quis satisfaciat, debet vivere in Christo, juxta Trid. *Sess.14. c.8.* atqui peccator, mortali gravatus, non vivit in Christo; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. maj. Ut quis satisfaciat ex opere operantis, & remissionem pœnæ temporalis merendo, con. ex opere operato, & remissionem talis pœnæ ex meritis Christi obtinendo, neg. maj. vel dist. debet vivere in Christo, ab eodem accipiendo influxum gratiæ actualis, con. debet vivere in Christo per gratiam habitualem, neg. maj. Responsio colligitur ex ipso textu Concilii bene perpenso; qui est: *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.*

Dices tertio. Remissio pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, præparat ad bonum gloriæ, cum removeat impedimenta a consecutione talis boni retardantia; ergo non conceditur peccatori, extra statum gratiæ constituto.

Respondetur, dist. ant. Præparat ad bonum gloriæ remote, & mediate, con. proxime, & immediate, neg. ant. cum cons. Siquidem etiam auxilia gratiæ actualis

remote

remote præparant ad bonum gloriæ, & tamen peccatoribus conceduntur.

Dices quarto. Etiam indulgentiæ à Deo sunt ordinatæ ad remissionem pœnæ temporalis, & tamen requirunt statum gratiæ; ergo idem dicendum de satisfactione Sacramentali.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas petitur a voluntate Pontificis, indulgentias non concedentis nisi *contritis, & confessis*: prout habetur *in Extravag. Unigenitus de Indulgentiis*, simile quid non constat, nec ostendi ex ullo capite potest de satisfactione Sacramentali.

Dixi: *transmisso antecedente*. Nam in illo, qui lucratur indulgentiam pro defuncto, non requiritur status gratiæ; veluti ostendemus *n. seq.*

CASUS III.

666. *Zachæus, Theologiæ Moralis Studiosus, ait, se quidem pluries audivisse 1. concedi indulgentias animabus in purgatorio* per modum suffragii *applicandas; hos tamen terminos non legisse alicubi expositos. 2. Se non capere, qui fieri possit, ut quis, extra statum gratiæ positus, obtineat indulgentiam pro defuncto; cum tamen id communiter tanquam indubitate concedatur a DD. & immediate a nobis infirmatum sit. 3. An pro mensura dispositionis subjecti Indulgentia conferat effectum suum, vel vero uberiorem pœnarum remissionem recipiat, qui ad indulgentiam lucrandam melius est dispositus? Addit Zachæus, quod tertium hoc dubium conceperit ex verbis* in Extravag. Antiquorum de Pœnit. & Remiss. *contentis: quæ sunt:* Unusquisque plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas amplius, & devotius frequentabit. *4. Quid sit facere compositionem super male ablatis incertis; prout in Jubilæo per Bullam nonnunquam conceditur Confessariis? 5. Quid sit Bulla Cruciatæ, cujus meminimus n. 637. in argument. Qualiter Zachæo quoad singula puncta allata satisfaciendum?*

Respondetur primo, ut Zachæo satisfiat quoad primum punctum. Concedere indulgentias animabus in purgatorio *per modum suffragii* applicandas, est ejusmodi animas liberare a pœnis, applicando solum satisfactiones aliorum ex Thesauro Ecclesiæ. Unde sicut si aliquis esset in carcere ex Judicis authoritate ob debitum aliquod, & amicus procuraret, ut ex thesauro publico offerretur pro ipso satisfactio, vere diceretur illum e carcere liberare, aliter tamen, ac Judex; nam iste liberaret juridice per modum absolventis, ad quod requiritur potestas jurisdictionis, qua Judex pollet; amicus vero per modum suffragantis, adjuvantis, & offerentis pretium liberationis, ad quod non requiritur potestas jurisdictionis in illum, qui adjuvatur, & liberatur; ita Pontifex concedendo indulgentias pro defunctis, eos liberat per modum suffragantis, adjuvantis, & offerentis id, quod illi aliquin solvere tenentur; quod facere potest, etiamsi jurisdictione in defunctos careat; Christus autem Judex, acceptans satisfactiones oblatas, liberat per modum absolventis, exercendo potestatem jurisdictionis, quam etiam defunctos obtinet. Et hoc est liberare animas e purgatorio ex parte Pontificis concedentis indulgentias *per modum suffragii*, sive (quod in idem recidit) *per modum puræ solutionis*: quos posteriores terminos adhibuimus, & exposuimus jam supra *n.* 621. Porro ob aliam adhuc causam dicitur concedi indulgentia defunctis *per modum suffragii*; quia nempe vivi faciunt opera illa, quæ imponuntur ad consequendam indulgentiam; & quoniam causa, pro qua conceditur vivis, etiam se porrigit ad mortuos, vivi suffragantur mortuis & in opere, & in causa, quantum ad consecutionem indulgentiæ. Neque existimes, indulgentias respectu mortuorum esse incertas, eo quod Ecclesia illas applicet per modum suffragii tantum. Nam Deus semper eas acceptat, sicut pro vivis, ex pacto Divino, seu meritis satisfactionum Christi, & Sanctorum volentis, & statuentis, ut prosiot membris ejus indigentibus. P. Abreu *in Specul. Parochor. lib.* 10. *n.* 446. *& seq.* aliique passim.

Respondetur secundo, ut Zachæo satisfiat quoad secundum punctum. Fieri omnino potest, ut quis, extra statum gratiæ positus, obtineat indulgentiam pro defuncto. Nam ratio satisfactionis, seu pretium pro pœnis, non est opus illius, qui forte est in statu peccati, sed est indulgentia ipsa, ex Thesauro Ecclesiæ, seu meritorum Christi, & Sanctorum, deprompta; illud vero opus particulare, per quod indulgentia applicatur, fit ab illo homine nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia. Atqui opus, cum ab aliquo fit nomine alterius, non perdit valorem, quamvis, qui immediate facit, non sit in gratia; ut patet in opere eleemosynæ, quod immediate fit a servo peccatore nomine Heri, in gratia existentis; ergo cum Ecclesia sit, quæ constituit vivos, ut indulgentias lucrentur pro defunctis, opera vivorum non perdunt valorem pro mortuis, licet instrumenta, per quæ fiunt, mala sint. Aliud dicendum de eo, qui indulgentiam pro se lucrari intendit: talis quippe in statu gratiæ existat, necesse est, quando illam percipit; cujus signum est, quod id genus indulgentia non concedatur, nisi contrito, & confesso: veluti insinuatum *numer. præced. ad finem*. Ubi tamen haud requiritur, ut omnia opera præscripta peragantur in statu gratiæ; sed sufficit, quod ultimum sic peragatur: cum enim indulgentia non obtineatur, antequam ultimum opus perficiatur, satis est ad effectum indulgentiæ consequendum, subjectum esse dispositum, seu gratia informatum, quando ultimum opus ponit. Unde dum datur indulgentia (ut dari solet indulgentia Jubilæi) ter jejunantibus in hebdomada, facientibus eleemosynam, visitantibus Ecclesias &c. esto illam lucraturi hæc opera peragant in statu disgratiæ, si tamen ultimum opus faciant in statu gratiæ constituti, effectum indulgentiæ consequuntur. Abreu *loc. cit. a n.* 448. & alii communiter.

Respondetur tertio, ut Zachæo satisfiat quoad tertium punctum. Indulgentia non confert suum effectum juxta mensuram dispositionis subjecti, ita, ut uberiorem pœnæ remissionem consequatur, qui est magis, quam qui est minus dispositus, modo sit dispositus. Ita cum S. Thoma, Suarezio, & aliis P. Viva *quæst.* 6. *art.* 3. Ratio est: quia tam magis, quam minus dispositus, si ponant opera injuncta, ponunt conditiones requisitas ad lucrandam indulgentiam; ergo eandem indulgentiam, & eodem modo lucrantur; cum mensura majoris, vel minoris dispositionis, seu devotionis non apponatur a Pontifice tanquam conditio requisita. Confirmatur proinde in hunc modum. Effectus indulgentiæ, nempe remissio pœnæ temporalis, unice mensurari debet a taxatione Pontificis, ex Thesauro Ecclesiæ indulgentiam concedentis; ut proinde subintrent: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*: & quod habetur *in Decretali de Indulgentiis*, ibi: *Omnes a tanta temporali pœna liberantur, quanta concessa, & acquisita indulgentia æquivalet*; ergo major, vel minor dispositio subjecti relate ad effectum indulgentiæ, ex opere operato consequendum, per accidens se habet; nec potest efficere, ut crescat, vel decrescat id, quod a Pontifice concessum est: esto ex opere operantis plus mereatur, qui magis, quam, qui minus est dispositus.

Ad rationem dubitandi a Zachæo allatam, respondetur, Pontificem *in Extravag. Antiquorum* optime quidem asserere, quod efficacius indulgentiam consequatur, qui amplius, & devotius Basilicas frequentat; sed id intelligendum venit in hoc duntaxat sensu, quatenus talis non modo obtinet remissionem pœnæ debitæ mortalibus, & venialibus jam remissis, verum etiam remissionem pœnæ debitæ venialibus, quæ nondum erant remissa, sed vi illius majoris devotionis remittuntur. Etenim cum sæpe in nostris actionibus aliquod veniale interveniat, quo non remisso, pœna illi respondens remitti non potest, qui diutius, & devotius orat, efficacius Jubilæum, vel aliam indulgentiam plenariam consequitur; quia ad omnium venialium remissionem se disponit, & sic ad omnis omnino pœnæ remissionem obtinendam. Ita fere in terminis P. Viva *loc. cit. num.* 4. Sed

Dices adhuc. Sacramenta conferunt effectum gratiæ juxta mensuram dispositionis subjecti, ea recipientis; ergo etiam indulgentiæ conferent effectum remissionis pœnæ temporalis juxta mensuram dispositionis subjecti, illas lucrantis.

Respondetur, neg. cons. Ratio disparitatis a priori est vo-

est voluntas Christi Sacramenta sic instituentis, & voluntas Pontificis non sic concedentis indulgentias, esto sic concedere posset. Ratio disparitatis à posteriori, & congruentiæ est; quia cum gratia sit forma intrinseca perficiens subjectum, congruum fuit, ut uberius perficeret subjectum melius dispositum: qualis tamen congruitas non reperitur in indulgentia relate ad suum subjectum; eo quod ipsa tantum sit forma (vel quasi forma) extrinseca, utpote meram importans remissionem pœnæ temporalis. Author *cit. n.5.*

Respondetur quarto; ut Zachæo satisfiat quoad quartum punctum. Facultas faciendi compositionem super ablatis incertis (quando in Jubilæo conceditur) sic intelligenda venit, ut, si pœnitens per usuram, rapinam, furtum, aliove modo illicito contraxit debita, & absolute ignorat, quibus creditoribus idcirco sit obstrictus, ac obligatus, possit a Confessario Jubilari impetrare remissionem, seu condonationem illorum debitorum, vel totalem, vel partialem, prout Confessarius ejus animæ saluti expedire judicaverit; cum alioqui ex dispositione *cap.5. de Usuris* tantundem teneretur dare pauperibus, quantum debet creditoribus. Ratio hujus implicationis est: quia eam satis indicant verba *Extravag. Quemadmodum*, in quantum exprimunt, in anno sancto extra Urbem suspendi *facultates super male ablatis incertis, aut per usurariam pravitatem, vel alium illicitum modum extortis, componendi, aut illa sub certo modo remittendi.* Ita quasi verbatim Pater Gobat *in Quinar. tr.3. n.14.* Dixi supra: *& absolute ignorat &c.* si enim debitor creditores sciat, vel in eorum notitiam, morali diligentia adhibita, venire possit, tenetur inquirere, & cognitis restitutionem facere; prout omnes fatentur; & patet ex eo, quod Pontifex non velit, imo nec possit per concessionem Jubilæi tales creditores suis rebus, aut juribus privare. Nihilominus adhuc dabilem esse casum censet P. Gobat *cit. n.15.* in quo Confessarius Jubilaris prædictam compositionem facere possit, etiamsi creditor sciatur; quando scilicet adest impotentia physica, vel saltem moralis, ipsi, aut ejus hæredibus, rem ablatam, vel aliunde debitam restituendi, v.g. ob distantiam loci, aut justum metum gravis infamiæ: quia in casu talis impotentiæ videtur esse eadem ratio, quæ in casu ignorantiæ; ergo etiam eadem dispositio: præsertim circa materiam favorabilem, circa qualem hic versamur.

Respondetur quinto, ut Zachæo satisfiat quoad quintum punctum. Bulla Cruciata est quoddam diploma Pontificium, in quo plura privilegia, & indulgentiæ conceduntur opem, & auxilium reale, vel personale præbentibus Regi Hispaniarum contra Turcas, & alios Infideles. Vocatur autem *Cruciata*: quia privilegia in ea contenta similia sunt illis, quæ olim Cruce signatis pro recuperatione Terræ Sanctæ concedebantur. Ita refert, & testatur P. Kerckove *super nostra Statuta Generalia cap.6. §.22. n.111.* Ubi etiam recenset præcipua privilegia, per præfatam Bullam concessa. Vide desuper memoratum Authorem: vel Dianam *part.1.tr.11.* vel Lezanam *V. Bulla Cruciata.* Ego recensere supersedeo; quia antefata Bulla in nostris partibus non est in usu, & tantum deservit pro Regnis Hispaniarum, ac insulis adjacentibus, ac in Regnis Siciliæ, & Sardiniæ, & ibi commorantibus: prout iisdem refert, ac testatur P. Kerckove *loc. & n. cit.*

C A S U S IV.

667. *Zacharias, cum sciat instare Jubilæum, & summam peccatorum, quibus se jam oneratum sentit, confessionem differt, & in nova, partim reservata, partim reservata, quasi sine freno ruit, eorum servans simul depositurus apud Confessarium Jubilarem: quod & facit primo statim die Jubilæi cœpti, ut, in statum gratiæ repositus, cætera opera injuncta eo fructuosius peragat. Sed propositi inconstans, nihil reliquorum operum præstat. Quæritur jam 1. An Zacharias possit absolvi a peccatis reservatis in confidentiam Jubilæi lucrandi commissis? 2. An debeat censeri ab illis absolutus, non obstante omissione reliquorum operum? 3. An, & qualiter ista ex negligentia omittendo peccet?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus affirmative. Ita Suarez, Sanchez, Henriquez, Abreu ubi supra *n.495.* Viva *q.11. art.5. num. 1.* & alii communissime. Ratio est: quia Zacharias posset absolvi a peccatis aliis reservatis, si ea commisisset quidem, at non in confidentiam lucrandi Jubilæi; ut si hujus indicendi notitia adhuc caruisset; ergo etiam potuit absolvi, dum commisit in confidentiam lucrandi Jubilæi. Ant. supponitur. Cons. facile prob. Nam peccata, quod sint commissa in confidentiam lucrandi Jubilæi, nec aliam speciem, nec augmentum malitiæ, saltem notabile, attraxere (prout relinquitur ex dictis *part. 2. n.126.*) & esto attraxissent, non tamen idcirco Jubilæi tempore inabsolubilia evasissent; cum tunc detur facultas absolvendi ab omnibus peccatis quantumcunque gravibus, & enormibus; nec excipiantur peccata in hujusmodi confidentiam commissa; ergo &c. Ubi incidenter nota cum P. Abreu *cit.* aliud esse peccare præhabita præcise notitia Jubilæi, & aliud peccare in confidentiam Jubilæi: nisi enim notitia aliquo modo influat in peccatum, non transit in confidentiam; in quam tamen transiisse videtur notitia Jubilæi præhabita a Zacharia in Casu formato. Sed

Dices. Saltem Zacharias non posset absolvi a reservatis, siqua commisisset, Jubilæo jam publicato; siquidem absolutio, quæ conceditur, respicit solum peccata commissa.

Respondetur, neg. assumpt. Ad rationem probativam dico, id esse verum de absolutione in actu secundo, & exercite sumpta; hæc enim necessario supponit peccata jam facta, nec cadere super facienda potest: non autem de absolutione in actu primo, & signate sumpta, prout importat ipsam facultatem absolvendi; hæc quippe non solum peccata facta, sed & facienda respicit: veluti plus, quam certum esse, nemo ignorat: consequenter &c.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, itidem affirmative. Ita P. La Croix *lib.6. part. 2. n.1448.* & alii communiter. Ratio est: quia Zacharias ex una parte habuit animum lucrandi Jubilæum (prout significatur in specie facti) consequenter potuit absolvi a Confessario Jubilari; ex altera vero parte, antequam animum mutaret, fuit actu absolutus non conditionate, vel ad reincidentiam, sed absolute: ergo manet absolutus, tametsi postea animum mutaverit. Oppositum procul dubio dicendum foret, si Zacharias jam tunc confessionem instituisset animo cætera opera non implendi: siquidem tunc, cum consequenter non habuisset intentionem consequendi Jubilæum, illius favores percipere non potuisset, adeoque nec virtute illius absolvi a reservatis.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus, quod Zacharias omittendo reliqua opera, adeoque consecutionem Jubilæi negligendo, non peccaverit, saltem mortaliter. Bonacina *disp.5. de Sacram. quæst.ult. punct.* Herincx *de Pœnit. disp.4. n.102.* & alii contra alios. Ratio est: quia non est imponenda obligatio, præsertim gravis, nisi constet de lege, vel præcepto, unde oriatur talis obligatio; prout DD. sentiunt unanimiter: sed non constat de lege, vel præcepto, unde Zacharias in Casu graviter obligatur ad reliqua opera perficienda; ergo &c. Min. ostenditur: siquidem nec constat de lege, vel præcepto naturali, nec de lege, vel præcepto positivo, quod feratur v.g. a Pontifice Jubilæum concedente, aut a Confessario Jubilari, cum hic non supponatur, illa opera injunxisse pro pœnitentia (si enim sic injunxisset, oppositum haud dubie tenendum esset) ergo &c.

Dices nihilominus cum P. Viva *q.11. art.5. n.2.* & aliis Adversariis, obligationem illam gravem oriri ex pacto tacito inter Pontificem, & pœnitentem, quatenus nempe Pontifex concedit Confessario facultatem absolvendi a reservatis, sub conditione, ut onera cætera opera adimplendi, sicque Jubilæum lucrandi, quam conditionem, & onus censetur acceptasse pœnitens hoc ipso, quod petierit, ac impetraverit beneficium absolutionis a reservatis; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam de simili pacto non constat, nec sufficienter probatur ab Adversariis; unde ex illo certa, eaque gravis, obligatio oriri, ut asseri non potest; ut proinde subintret commune dogma Theologorum, & Juristarum, obligationem incertam esse nullam obligationem, seu non stringere.

Dixi in respons. *saltem mortaliter.* Nam venialiter peccas-

peccasse Zachariam, putant plures ex Patronis nostræ sententiæ. Verum & hic contrarium sentio cum aliis, Ratio est: tum quia nec respectu levis hujusmodi obligationis certa radix assignari potest; imo nullam talem extare radicem evincitur ex eo, quod non teneamur uti privilegio: tum quia mutatio boni propositi (quando hoc aliunde obligatorium non est) nullam importat culpam; prout ostensum ivimus *part.2.n.499.* Revide ibi dicta.

Sed quid si Zacharias animo ad meliora converso, altera hebdomade Jubilæi vellet lucrari indulgentiam, atque ideo proponeret omnia opera præscripta reapse, & rite perficere? possetne denuo absolvi a novis reservatis, præcedenti septimana forte commissis? Ratio dubitandi est: partim quia Zacharias jam semel beneficium absolutionis a reservatis percepit; partim quia in Bulla Jubilæi solet addi ista clausula *Pro hac vice tantum.*

Respondetur nihilominus, quod Zacharias posset denuo absolvi &c. Ita DD. communissime. Ratio patens est: quia cuilibet promissum est saltem semel (prima videlicet, vel secunda hebdomade) lucrifacere Jubilæum, omnesque, ac singulos ejus favores percipere, si opera injuncta peragere velit; ergo & Zachariæ: consequenter &c. Nec obstat ratio dubitandi adducta; nam licet jam semel perceperit beneficium absolutionis a reservatis, non tamen lucratus est illa hebdomade Jubilæum; cum non præstiterit opera præscripta: consequenter adhuc lucrari potest. Clausula porro *Pro hac vice tantum* non refertur ad actum absolvendi, sed ad tempus, pro quo est concessa facultas absolvendi; ita, ut sensus sit: pro hac vice datur facultas, ut possit quilibet toto tempore Jubilæi absolvi ab omnibus reservatis quandocunque commissis, P. Viva *q.11. art.3. n.2.*

DISPUTATIO IV,

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, sive de Confessario,

De Subjecto Sacramenti Pœnitentiæ disseruimus *n.3.* & 27. de Effectibus vero satis constat ex dictis per decursum in hoc Tractatu; quod nempe ii sint collatio gratiæ, remissio peccatorum quoad reatum culpæ, ac pœnæ æternæ, & relaxatio quoad reatum alicujus saltem pœnæ temporalis, si satisfactio Sacramentalis impleatur. Unde tantummodo superest, ut in præsenti agamus de Ministro ejusdem Sacramenti, qualis est Confessarius, seu Sacerdos, approbatione, & jurisdictione ad audiendas confessiones munitus. Et quidem hæc tria, nempe Sacerdotium, Approbatio, & Jurisdictio requiruntur, ut Minister hujus Sacramenti, seu Confessarius suo munere fungatur valide; ut etiam eodem munere fungatur licite, tenetur præterea servare Sigillum Confessionis, & debita probitate, scientia, ac prudentia esse instructus. De Sacerdotio hic nihil dicendum. De probitate satis patet ex dictis *num. 23. & seqq.* De aliis ut ordinate, ac distincte discurramus, hanc disputationem in quatuor capita dispescemus. Sit igitur

CAPUT I,

De Approbatione Confessarii,

SUMMARIUM.

668. Definitur Approbatio, & ostenditur, quod petenda sit ab Episcopo. 669. & seq. Adstruitur ejus necessitas. 671. Sacerdos pro audiendis confessionibus approbatus in una Diœcesi, non censetur etiam approbatus in alia. 672. Approbatio dividitur in expressam, & tacitam, 673. Petenda, & obtinenda est ab Episcopo illius Diœceseos, intra cujus limites Sacerdos approbandus cogitat se exponere pro excipiendis confessionibus. 674. Ad audiendas confessiones Monialium requiritur a per se loquendo, approbatio specialis. 675. Episcopus facit injuriam Sacerdoti, quem, in examine pro exercenda cura animarum habilem repertum, non approbat.

668. Dico primo. Approbatio, prout huc pertinet est *authenticum quoddam testimonium Episcopi de aptitudine, & capacitate Sacerdotis ad audiendas confessiones.* Unde includit duos actus ex parte approbantis: unum internum, nempe judicium de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones; & alterum externum, videlicet manifestationem illius judicii per signum aliquod externum factam. Porro approbatio petenda est ab Episcopo: id quod patet, tum ex Trid. infra referendo: tum ex ratione; siquidem soli Episcopi possunt designare subditos absolvendos: & consequenter ipsi soli præfulgent potestate approbandi Confessarios. Nomine autem Episcopi intelliguntur hic etiam Prælati, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in Seculares: non item Provinciales, aut Generales Ordinum, relate ad approbandos Confessarios pro Secularibus, Stoz *lib.2. n.34.* & alii apud ipsum.

669. Colliges primo, hanc approbationem ita necessariam esse, ut, ea etiam injuste negata, confessiones excipi nequeant. Id quod colligitur *ex prop. 13.* ab Alexandro VII. damnata, quæ sic habet: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Ex quo patet, non sufficere, quod approbatio præcise sit petita, sed requiri, ut reipsa, & actu sit obtenta: prout etiam aperte innuit Trid. in Decreto mox referendo per verba: *Et approbationem, quæ gratis detur, obtineant*, Stoz *lib. 2. num. 37.* Elbel *num. 284.* & alii passim.

670. Colliges secundo, approbationem Episcopi esse necessariam cuilibet Confessario, saltem si confessiones Secularium audire velit, & extra articulum mortis. Ita perspicue tradit Trid. *Sess.23.c.15. de Reform.* ibi: *Decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium; aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemoriali, non obstantibus.* Confirmatur ex *prop.* 16. ab Alexandro VII. damnata sequentis tenoris: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

Dixi: *saltem si confessiones secularium audire velit*; Nam circa Regulares Concil. nihil immutavit, sed solum circa seculares, etiam Sacerdotes: prout adductum textum vel obiter legenti patebit. Unde (veluti cum aliis recte infert Layman *lib.5. tr.6. cap.11. n.1.*) Regulares, de licentia sui Superioris, possunt etiamnum confiteri Sacerdoti non approbato ab Episcopo; sicut poterant ante Tridentinum, Quod tamen intelligendum *de Regularibus Viris*. Nam circa *Moniales* aliud statuit Clemens X. in sua Constitutione: *Superna magni Patrisfamilias*, prout dicemus *n.673.* Dixi præterea: *& extra articulum* (vel probabile periculum) *mortis*: in hoc quippe etiam simplex Sacerdos, saltem in absentia curati, confessionem infirmi audire, & absolvere a quibuscunque peccatis valet, prout ostensum *part.3. n.126.* Revideri etiam possunt, quæ habentur *ead. part. n.150.*

671. Colliges tertio, Sacerdotem pro audiendis confessionibus approbatum in una Diœcesi, non esse hoc ipso approbatum in alia. Ita hodie communissima DD. Colligitur ex Trid. *loc. cit.* ubi requirit approbationem ab *Episcopis* in plurali; proindeque satis indicat, non sufficere approbationem factam ab uno Episcopo, quando Sacerdos approbatus, mutato domicilio, migrat in aliam Diœcesim; sed exigi novam approbationem ab Episcopo, seu Ordinario talis Diœceseos; & sic consequenter &c. Porro corollarium etiam verum est de Sacerdotibus Regularibus. Sumitur tum ex Trid. quod *loc. cit.* nullam facit distinctionem inter Sacerdotes Seculares, & Regulares relate ad confessiones audiendas; tum ex Constitutione Clementis X. supra mentionata, in qua expresse continetur, quod Regulares, approbati in una Diœcesi, non censeantur approbati in alia: ut videbimus infra *n.673.*

672. Dico secundo. Approbatio Confessarii duplex est, nimirum *expressa*, & *tacita*. Prior est, quæ fit verbis, vel Rescripto aliquo, quo Episcopus declarat idoneitatem Sacerdotis ad confessiones excipiendas. Et

hæc

hæc præcipue, magisque explicite comprehenditur in definitione superius allata. Posterior est, quæ fit aliquo facto, aut facti conniventia: ut si Episcopus alicui Sacerdoti (quem novit esse simplicem, seu oondum approbatum) suam confessionem deponat; censetur quippe talem ipso facto pro eo actu (non item pro aliis) approbare. Sic etiam ipso facto approbatur ille, cui confertur Beneficium Parochiale; ut proinde approbatione expressa non indigeat, juxta Trid. *Sess.*23. *cap.*15. *de Reform.* supra relatum. Item si Episcopus sciat, hos, vel illos Sacerdotes in sua Diœcesi, pro qua expresse approbati non sunt, solere confessiones excipere, & tamen dissimulet, cum posset contradicere, conniventia facti illos approbat. Exempla hujus, in nostra præsertim Germania, sunt obvia. Sic enim Confessarii, tam Seculares, quam Regulares, in locis conterminis diversarum Diœcesium, sublevare se mutuo solent, unitis viribus portantes onera pœnitentium, illuc confluentium ob lucrandas v.g. indulgentias, ad concelebrandam Solemnitatem, peregrinationis causa &c. licet aliqui illorum Confessariorum in illa Diœcesi, in cujus territorio confessiones excipiunt, non sint expresse approbati. Sic Parochi, Capellani, Cooperatores &c. unius Diœcesis confiteri non raro solent Parochis vicinis alterius Diœcesis, & vicissim &c, Episcopis similem praxim scientibus, & non reclamantibus; adeoque tacite consentientibus &c. P. Elbel *n.*380, & iterum *n.*399. aliique passim. Neque contra hæc, quippe quæ in legitima praxi, & consuetudine, per tacitum Episcoporum consensum approbata, fundantur, difficultas moveri potest. Sed aliquot adhuc quæstiones, antequam hoc Caput claudatur, resolvendæ sunt.

673. Quæres igitur primo, a quonam Episcopo petenda, & obtinenda sit approbatio?

Respondetur, petendam, & obtinendam esse ab Episcopo, seu Ordinario illius Diœceseos, intra cujus limites Sacerdos approbandus cogitat se exponere pro confessionibus excipiendis. Ita mihi probabilior sententia, quam confirmat hodierna praxis, & tenent Filliucius *tr.*7. *cap.*9. *n.*26. Henriquez *de Pœnit. disp.*5. *n.*43. *ad fin.* Cardenas *in* 2. *crisi differt.*2. *n.*271. Stoz *lib.*2. *n.*36, La Croix *lib.*6. *part.*2. *n.*1516. Elbel *n.*283. & alii quam plurimi contra alios, in diversas opiniones, ac beneplacita abeuntes. Responsionem plerique nostræ sententiæ Defensores eliciunt ex Constitut. Clementis X, *Superna Magni Patrisfamilias* (cujus supra meminimus) ubi decernitur, *Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati*; ergo (inferunt) idem sentiendum de Sacerdotibus non Religiosis ob paritatem rationis. Sed hæc extensio non approbatur a P. La Croix *lib.*6. *part,* 2. *n.* 1516. siquidem in positivis (inquit hic Author) non valet illatio a pari; imo nec a majori ad minus, aut vicissim; alias liceret ita arguere: *Hic Episcopus reservat blasphemiam; ergo etiam odium Dei: Pontifex reservat lectionem libri heretici; ergo etiam desperationem &c.* Itaque quam illiusmodi Authores ex allegata Constitutione suum evincant intentum relate ad approbationem Sacerdotum Regularium; non autem illud evincant universaliter, & relate ad approbationem Sacerdotum etiam Secularium: prout opinatur La Croix. Sed contra est. Quamvis illatio a pari non valeat, quando non est necessaria ad evitandum aliquod absurdum (ut in exemplis a *cit.* Authore allatis) valet tamen, quando in finem præfatum est necessaria, uti hic, utpote ubi tollerentur limites Diœcesium, aliaque absurda, ex mox dicendis cognoscenda, sequerentur, nisi præmemorata extensio ob paritatem rationis fieret ad Sacerdotes Seculares. Ratio præterea nostræ responsionis est: quia cujuslibet Episcopi plurimum interest, ne quis ab ipso non approbatus in sua Diœcesi audiat confessiones; cum fieri possit, ut Sacerdos, pro uno loco judicatur idoneus, pro alio loco propter diversitatem circumstantiarum sit inidoneus; ergo ad Episcopum spectat, Sacerdotes, in sua Diœcesi confessiones secularium audire volentes, judicare idoneos, & approbare; sicut ad Magistratum urbis spectat, Medicos in tali urbe ægrotis assistere cupientes, pro artis suæ peritis reputare, Confirmatur. Non sufficit approbatio facta ab Episcopo pœnitentis; ita, ut Sacerdos sic approbatus possit confessiones talis pœnitentis excipere in quocunque loco; neque approbatio facta ab Episcopo solius Confessarii; neque approbatio facta a quocunque, sive cujuscunque Diœcesis, Episcopo; ergo requiritur approbatio facta ab Episcopo illius Diœcesis, in qua Sacerdos cogitat audire confessiones. Conf. fluit. Ant. ostenditur in primis quoad 1. membrum. Confessarius relate ad pœnitentem non subditum Episcopo approbanti habet se perinde, ac si non esset approbatus: sed pœnitens, qua talis, extra suam Diœcesim existens; suo Episcopo Diœcesano non est subditus (scilicet actu) prout relinquitur ex dictis *part.*1. *n.*411. & specialiter *n.*414. ergo Confessarius approbatus ab Episcopo pœnitentis relate ad eum, extra Diœcesim existentem, habet se perinde, ac si non esset approbatus: consequenter &c. Ostenditur idem ant. etiam quoad 2. membrum. Nam universim approbatio, quæ fit ab Episcopo, fit relate ad suos subditos; ergo relate ad pœnitentes non subditos Episcopo approbanti Confessarius perinde se habet, ac si non esset approbatus. Porro ad solum Pastorem spectat consulere suis ovibus; ergo approbatio non debet fieri, nisi relate ad oves proprias, aut quæ ratione loci fiunt propriæ, & Episcopo subjectæ. Ita P. Viva *de Jubilæo q.*9. *art.*3. *n.*4. cum aliis a se relatis. Ostenditur denique idem ant. quoad tertium quoque membrum. Siquidem, juxta decantatum principium, approbatus pro una Diœcesi, non censetur hoc ipso approbatus pro alia, ut in ea confessiones excipiat: censeretur autem sic approbatus, si sufficeret approbatio facta a quocunque, seu cujuscunque Diœcesis, Episcopo, ut patet; ergo &c.

Dices primo. Confessarius obit vices Christi, cujus jurisdictio loco non circumscribitur. Item jurisdictio voluntaria, qualem accipit Confessarius, extra territorium concedentis exerceri potest; ergo Confessarius ab Episcopo pœnitentis, vel suo, vel quocunque alio, approbatus, ubique locorum excipere confessiones potest.

Respondetur, neg. conf. alias approbatus in una Diœcesi, censeretur etiam approbatus in omni alia; quod est procul a veritate, & communi DD. sensu. Ad 1. membrum antecedentis ajo, quod Confessarius quidem obeat vices Christi; sed cum subordinatione, & dependentia ab approbatione Episcopi, quæ ultra Diœcesim, tali Episcopo subjectam, protendi non potest; cum alioquin tollerentur limites Diœcesium. Ex quo fit, ut etiam jurisdictio Confessarii, quatenus respicit absolutionem a peccatis, circumscribatur loco, & coarctetur ad Diœcesim, Episcopo approbanti subditam; cum jurisdictio cum respectu illo considerata, approbationem necessario præsupponat, eique, quoad limites territorii, commensuretur, nec ultra extendi valeat. Unde ad 2. membrum antecedentis admitto, jurisdictionem voluntariam per se loquendo, & quando aliunde nihil obstat, exerceri posse extra territorium concedentis; secus, quando aliunde aliquid obstat, ut in proposito, ubi agitur de jurisdictione Confessarii; obstat enim defectus approbationis, quæ (ut supra probatum) concedi non potest, nisi ab Ordinario loci, in quo fit Confessio. Quare Confessarius quicunque, sive Secularis, sive Regularis, a suo, & pœnitentis Episcopo approbatus, non potest jurisdictionem in ejusmodi pœnitentem exercere Sacramentaliter, & a peccatis absolvendo extra territorium talis Episcopi, cum hujus approbatio, exercitio jurisdictionis in foro Sacramentali Pœnitentiæ necessario præsupposita, ad alienum territorium se protendere non valeat. Dixi: *Sacramentaliter, & a peccatis absolvendo*. Non enim inficias eo, etiam Confessarium posse jurisdictionem suam erga præfatum pœnitentem exercere in alieno territorio extra-Sacramentaliter, puta eidem commutando vota, cum ipso dispensando &c. quando id potest in propria Diœcesi; nam exercitium jurisdictionis, ut operativæ hujusmodi effectuum, non dicit necessariam habitudinem ad approbationem, nec eam necessario præsupponit; prout fluit ex definitione approbationis *n.*668. definitur enim ibi, quod sit *authenticum testimonium Episcopi de capacitate Sacerdotis NB. ad audiendas confessiones*.

Dices secundo. Confessarii Principum, & Magna-

tum,

sum, quandò hos per varias Diœceses comitantur, fine scrupulo excipiunt confessiones eorum, quamvis in illis Diœcesibus non sint approbati. Item Parochi, quando cum suis parochianis in alienam Diœcesim peregrinatum eunt, non raro eorum confessiones audire solent, quin ab Episcopo talis Diœceseos approbationem præhabeant. Ergo &c.

Respondetur, similia fieri dependenter ab approbatione tacita illorum Episcoporum, in quorum Diœcesibus præmemorati Confessarii, & Parochi confessiones excipere perhibentur. Cum enim similes Episcopi hanc praxim sciant, & non contradicant, factum, vel (ut rectius loquar) ipsos ejusmodi Confessarios ad illos actus exercendos tacite approbare convincuntur. Relege, quæ habentur supra *n.* 672, & conclude, nullum nostræ responsioni præjudicium creari ex recensitis, aliisque id genus casibus.

674. Quæres secundo, qualis requiratur approbatio pro excipiendis confessionibus Monialium?

Respondetur, requiri specialem relate ad excipiendas confessiones ipsarum Monialium, & non sufficere, per se loquendo, approbationem communem, & generalem, concessam pro audiendis confessionibus Secularium, vel etiam Religiosorum. Ita cum communi Pellizarius *tr. de Monialib. cap.* 10. *sect.* 3. *n.* 163. ubi ex Constitutione Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili*, sequens refert Decretum: *Confessores vero, sive Regulares, sive Seculares, quomodocunque exempti, tam Ordinarii, quam Extraordinarii, ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Idem decernitur, & declaratur in Constit. Clementis X. *Superna Magni Patrisfamilias*, quam exhibebimus infra *in Appendice*: ubi etiam habetur, Confessarium deputatum ab Episcopo ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii, nequaquam censeri approbatum ad audiendas confessiones Monialium alterius Monasterii. Vide bis modo allegatam Constitutionem §. 4.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam si alicubi vigeat consuetudo, ut illi ipsi Confessarii censeantur approbati specialiter ab Episcopo pro Monialibus, qui a Superioribus Ordinis constituuntur, aut deputantur, poterunt Moniales de licentia hujusmodi Superiorum confiteri cuicunque Sacerdoti, etiam Seculari, ad audiendas confessiones ceteroquin generaliter, seu communiter tantum per Episcopum approbato: veluti annotavimus *n.* 636.

675. Quæres tertio, an Episcopus faciat injuriam Sacerdoti, quem, in examine pro exercenda animarum cura habilem repertum, rejicit, sive non approbat?

Respondetur affirmative. Lugo, Bosco, Gormaz, La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1491. Elbel *n.* 285. & alii communiter. Ratio est: quia dum examen instituitur, tacite initur contractus innominatus; *facio, ut facias: submitto me examini, ut approber, si habilis inveniar.* In quod etiam censetur consentire Episcopus, dum examinat, vel examinari curat ejusmodi Sacerdotem, tacite quasi respondendo: *approbabo te, si habilem reperero*; ergo non approbando prævaricatur obligationem Justitiæ, ex contractu ortam: consequenter &c.

Possent hic plures adhuc quæstiones moveri: sed earum resolutiones colligentur ex dicendis *cap. sequent. art.* 1.

CAPUT II.

De Jurisdictione Confessarii.

Jurisdictio Confessarii, vel spectari potest secundum se, vel quatenus restricta per reservationem casuum. Unde duos hic articulos statuemus, in quorum uno de Jurisdictione prioris considerationis, & in altero de Jurisdictione posterioris considerationis scitu necessaria afferemus. Sit proinde

ARTICULUS I.

De Jurisdictione Confessarii secundum se spectata.

SUMMARIUM.

676. *Definitur Jurisdictio Confessarii.* 677. *& seqq. Astruitur ejus necessitas ad absolvendum, & diversitas tam ab Approbatione, quam a potestate Ordinis.* 680. *Dividitur in* ordinariam, & delegatam. 681. *Sacerdos simplex extra articulum mortis non amplius absolvere, saltem licite, potest a venialibus, aut mortalibus jam semel per confessionem legitime expiatis.* 682. *& seq. Non licet quempiam absolvere cum jurisdictione dubia, aut tenuiter probabili; imo nec cum jurisdictione de se vere probabili, nisi una concurrat titulus coloratus, vel necessitas aliqua.* 684. *In errore communi conjuncto cum titulo colorato Ecclesia certo confert jurisdictionem: non item, si titulus coloratus absit.*

676. Dico primo. Jurisdictio (prout de ea impræsentiarum agitur) est *potestas causa cognita dicendi jus, & ferendi sententiam in foro interno, ad peccata solvenda, vel liganda.* Ita in terminis Pater Stoz *lib.* 2. *num.* 42. & alii reipsa communiter. Porro jurisdictio hæc petenda, & obtinenda est ab Episcopo (nisi habeatur aliunde: quod addo propter dicenda inferius *num.* 678.) sicut approbatio. Quinam autem & hic veniant nomine Episcopi, dictum manet *numero* 668.

677. Colliges primo, sicut approbationem, ita & jurisdictionem tam esse necessariam, ut sine ea Sacerdos ne quidem valide absolvere possit. Est communis, & certa DD. sententia. Patet ex Trident. *Sess.* 14. *c.* 7. ubi dicit: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ratio insuper est: quia potestas absolvendi a peccatis est judiciaria: hæc autem, ut valide exerceatur, requirit jurisdictionem in eum, in quem exercetur. Ex quo fluit, non sufficere, quod jurisdictio præcise sit petita, sed requiratur, ut reipsa, & actu sit obtenta; nam qui jurisdictionem præcise petiit, & reipsa non obtinuit, dici haud potest illam habere. Deducitur quoque ex *cap. Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur: *Si quis alteri Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, licentiam prius postulet, & obtineat.* Fluit præterea, non sufficere jurisdictionem præsumptam, id est, quæ daretur, si peteretur: sed requiri, vel expresse, vel tacite concessam: siquidem nec ille, qui, utut prudenter, præsumit, dandam sibi fore jurisdictionem, si eam petat, dici valet eandem habere: prout tamen juxta Trid. proxime allegatum ad absolvendum requiritur. Multo minus sufficit ratihabitio de futuro, hoc est, quod, potens dare jurisdictionem ad absolvendum, absolutionem jam impertitam ratihabeat: quia absolutio in absolvente præsupponit jurisdictionem, quæ tamen non præsupponitur, ubi tantum sequitur ratihabitio. Nec obstat *Reg.* 10. *Jur. in* 6. ibi: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari.* Nam intelligitur solum de iis, quæ possunt dependere a consensu futuro: quod de absolutione asseri nequit, utpote quæ a nutu futuro Superioris dependere, & suspensa esse non potest. P. Herinck *de Pænit. disp.* 5. *num.* 29. Sporer *n.* 710. & alii passim.

678. Colliges secundo, jurisdictionem esse multum diversam ab approbatione. Nam in primis jurisdictio est facultas absolvendi: approbatio est testimonium de idoneitate Sacerdotis, ad excipiendas confessiones: jurisdictio confertur per actum voluntatis: approbatio fit per actum intellectus, externe manifestatum: id quod totum liquet ex dictis. Unde collatio jurisdictionis, & approbatio sunt actus separabiles, & quandoque reipsa separantur. Quod sint actus separabiles, patet: quia Superior posset aliquem judicare, vel etiam pronuncia-

nunciare idoneum ad excipiendas confessiones, & tamen nolle eidem tribuere jurisdictionem. Quod memorati actus quandoque reipsa separentur, argumento sunt Regulares exempti, utpote qui approbationem pro excipiendis confessionibus Secularium accipere debent ab Episcopo; at jurisdictionem, supposita approbatione, ac accedente insuper consensu proprii Superioris Regularis, obtinent statim, & immediate ab ipsomet S. Pontifice: prout desumitur *ex Clement. Dudum. §. statuimus, de Sepultur.* ac cum communi aliorum tradunt Gobat, Sporer, Sbogar, Mastrius, Reiffenstuel *in Theolog. Moral. tract.* 14. *distinct.* 8. *num.* 15. Elbel *num.* 279. & declaratum esse a S. Congreg. Concil. testatur Faganus *in c. Omnis utriusque sexus de Pœnit. & Remiss. num.* 79. Nec deest ratio: siquidem Episcopus, seu Ordinarius Diœcesanus jurisdictionem absolvendi a casibus Papæ (etiam Jure communi tantum, & extra Bullam Cœnæ reservatis dare non potest: qualem tamen Regulares exempti obtinent; ergo eam obtineant, necesse est, ab ipsomet S. Pontifice: consequenter approbatio, & collatio jurisdictionis proficiscuntur hoc tali casu a diversis causis, atque reipsa, seu actu separantur.

679. Colliges tertio, potestatem jurisdictionis etiam esse diversam a potestate Ordinis. Laymann *lib.* 5, *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 1. & 2. Henriox *de Pœnitent. disp.* 5. *a num.* 9. Illsung *tract.* 6. *disp.* 6. *num.* 182, La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1549. & alii passim. Ratio est: quia Sacerdos in ipsa sui ordinatione accipit potestatem Ordinis, quæ est Juris Divini, eique inauferibilis; non autem accipit tunc potestatem jurisdictionis, utpote quæ primum postea confertur ab Ecclesia, adeoque est Juris Ecclesiastici tantum, potestque habenti iterum auferri; ergo &c. Confirmatur ex Trident. supra allegato, quod *Sess.* 14. *cap.* 7. supponit, simplicem Sacerdotem nullam habere jurisdictionem, dum ait, *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*; ergo &c. Itaque potestas jurisdictionis necessario quidem supponit potestatem Ordinis, non tamen cum ista identificatur; neque simul confertur, sed tunc primum, quando Sacerdoti ab Ecclesia assignantur subditi, sine quali assignatione formalis potestas jurisdictionis nec esse, nec concipi valet.

Dices primo. Sacerdotibus in ipsa ordinatione dicitur illud *Joan.* 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo in ipsa ordinatione accipiunt potestatem remittendi peccata. Atqui hæc potestas non potest dari sine jurisdictione; ergo etiam istam accipiunt.

Confirmatur. Episcopus in sui ordinatione accipit potestatem confirmandi, & ordinandi, saltem valide, quoscunque etiam non subditos; ergo idem dicendum de Sacerdote quoad potestatem absolvendi a peccatis.

Respondetur ad argument. distinct. conseq. Sacerdotes accipiunt ibi potestatem remittendi peccata radicalem, & remotam, concedo, formalem, & proximam, cujusmodi est jurisdictio, neg. conseq. Distinct. etiam subsumptum. Potestas formalis, & proxima non potest dari sine jurisdictione, concedo radicalis, & remota, nego subsumpt. & conseq. Potestatem formalem, & proximam absolvendi a peccatis Sacerdotes tunc primum accipiunt, quando eis assignantur ab Ecclesia subditi, circa quos illam exerceant; ut supra annotatum.

Ad confirmat. neg. conf. & parit. Nam aliorum Sacramentorum administratio non exercetur per modum Judicii, sicut Sacramenti Pœnitentiæ. Quo fit, ut illa valide etiam circa non subditos exerceatur; secus ista. Sed

Instabis. Sacerdotes in ordinatione accipiunt potestatem judiciariam, & constituuntur Judices; ergo acquirunt jurisdictionem.

Respondetur, dist. ant. Accipiunt potestatem judiciariam formalem, & proximam, per quam constituantur Judices formaliter, & proxime, neg. radicalem, & remotam, per quam constituantur Judices radicaliter, & remote, con. ant. & conf. Cape rem in exemplo communiter afferri solito de illo, qui in Universitate aliqua creatur Doctor Juris; nam is, dum ita creatur, accipit potestatem judicandi de rebus, in Jure controversis; item docendi publice ex cathedra; sed remotam duntaxat, quam in actum redigere nequit, donec, accepta cathedra, Professor constituatur. Sicut autem nemo dicit, quod tali novo Doctori per collationem Gradus conferatur etiam jurisdictio; ita neque dici debet, quod novo Sacerdoti per collationem Ordinis jam conferatur jurisdictio.

Urgebis. Apostoli per supra commemorata verba: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis* &c. acceperunt jurisdictionem, & constituti sunt Judices formaliter, ac proxime; ergo etiam Sacerdotes.

Respondetur, omisso antecedente, nego conseq. Disparitas est; tum quia Apostoli jam ante prolationem illorum verborum, videlicet in Cœna Domini, fuerant ordinati Sacerdotes, & acceperant potestatem sacrificandi; quæ tamen verba modo dicuntur in ipsa ordinatione Sacerdotum: tum quia si Christus contulerit præmemoratis verbis jurisdictionem, seu potestatem formalem, & proximam judicandi, id fecit per potestatem excellentiæ, & per privilegium, aliis non concessum, neque ad eos extendendum; prout abunde ostendit praxis, & consuetudo Ecclesiæ universalis.

Dices secundo. Quilibet simplex Sacerdos potest in articulo mortis, saltem quando Sacerdos curatus, aut privilegiatus præsto non est, nec haberi potest, absolvere quemvis fidelem ab omnibus peccatis: talis autem Sacerdos post sui ordinationem nullam accepit jurisdictionem ab Ecclesia; ergo illam accepisse censendus est in & per ipsam ordinationem.

Respondetur, neg. min. Nam Sacerdos simplex, ubi primum ordinatus est, & accepit potestatem sacrificandi, una accepit ex perpetua consuetudine, legitime per Ecclesiam approbata, imo a Jure scripto Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 7. adeoque ab ipsa Ecclesia, jurisdictionem pro simili casu, & eventu, & ut moribundo, juxta mentem ejusdem Ecclesiæ, modo meliore, quo fieri potest, succurratur, & ne, defectu absolutionis a peccatis, æternæ damnationis periculo exponatur. Aliud adhuc argumentum de Sacerdote simplici hic opponi posset: sed resolutio patebit ex dicendis *num.* 681.

680. Dico secundo. Jurisdictio dividitur in *ordinariam*, & *delegatam*. DD. communiter.

Explicatur. Jurisdictio ordinaria est, quæ alicui competit ratione proprii officii, quod gerit; & confertur hoc ipso, quod ei officium, cui est annexa, committatur tanquam proprium. Hæc jurisdictio residet in S. Pontifice relate ad omnes Christianos, toto orbe dispersos. 2. In Summo Pœnitentiario Pontificis, itidem relate ad omnes fideles. 3. In Episcopo, ejusque Vicario Generali, relate ad Subditos Diœcesanos; uti & in Pœnitentiario, ubi Pœnitentiaria est in Officium erecta. 4. Parochis relate ad suos Parochianos; uti & in Vicariis, quorum Vicariæ in Officium, aut Beneficium seorsim institutæ sunt: quemadmodum se habent Vicariæ Capitulorum, Monasteriorum &c. Huc etiam reducitur, & spectat Jurisdictio Superiorum Regularium relate ad suos Religiosos; nam Superiores majores, & mediati, videlicet Generales, Provinciales &c. si sint exempti, obtinent in suos Subditos Regulares jurisdictionem quasi Episcopalem; Superiores autem immediati & locales, ut Guardiani, Rectores &c. jurisdictionem quasi Parochialem in Religiosos sibi subjectos. Herinex *disput.* 5. *a num.* 23. Sporea *num.* 688. Stoz *lib.* 2. *num.* 44. Elbel *num.* 304. Et talis jurisdictio, quippe ordinaria, alteri delegabilis est; veluti omnes fatentur.

Jurisdictio delegata est, quæ alicui non ex proprio suo officio, sed tantum ex commissione alterius competit. Hæc porro commissio fieri potest directe, vel indirecte. Directe fit, cum immediate ipsi Sacerdoti tribuitur jurisdictio: indirecte vero, cum quidem tribuitur Sacerdoti jurisdictio, sed tantum mediante designatione, facta a pœnitente; ut si Episcopus alicui dicat: elige tibi Confessarium ex meis Diœcesanis, quemcunque volueris; & electus habeat potestatem te absolvendi a peccatis, etiam reservatis in mea Diœcesi. Stoz *loc. cit. num.* 43. & alii passim.

Jurisdictio delegata reperitur in Capellanis simplicibus, qui ab Episcopis ad audiendas Confessiones exponuntur: item in Religiosis Mendicantibus, qui, supposita approbatione Ordinarii Loci, seu Diœceseos, intra cujus territorium existunt, obtinent a S. Pontifice jurisdictionem absolvendi quoscunque fideles seculares, ad se venientes, ab omnibus peccatis, Papæ (extra Bullam Cœnæ) reservatis. Elbel *num.* 305. cum communi aliorum. Revideantur, quæ habentur *part.* 3. *num.* 224. Qui delegatam duntaxat habent jurisdictionem ad audiendas confessiones, regulariter eam subdelegare alteri non possunt: quia delegatus nihil potest, nisi quod, & quantum ipsi a delegante conceditur: regulariter autem conceditur tantum, ut ipse possit delegatam jurisdictionem exercere, & non ut possit eandem committere, ac subdelegare alteri: consequenter &c. Henricx ubi supra *num.* 27. & Stoz *loc. cit. num.* 48. quem vide. Nunc resolvendæ veniunt aliquot ad hunc quæstiones. Igitur

681. Quæres primo, an Sacerdos simplex possit absolvere a venialibus, & mortalibus jam semel per confessionem rite expiatis?

Respondetur, non posse (subintellige; extra articulum mortis) saltem licite. Ratio est: Siquidem Sacra Congregatio Concilii Tridentini edidit *an.* 1679. *die* 12. *Febr.* Decretum Innocentii XII. authoritate firmatum, circa Communionem quotidianam (quod videre est apud P. Viva *part.* 2. *trut. Theolog. post propos.* 56. *ab Innocentio XI. damnatam*; & inferius in nostra Appendice) in quo sub finem Ordinariis sic præcipit: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, aut Confessarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes, secus egerint, sciant, se Deo optimo maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum, justam, & rigorosam animadversionem, in contra facientes.* Ergo talis absolutio post hoc Decretum, saltem est illicita, quanquam ante illud passim licita reputabatur a DD. & adhuc reputatur a compluribus, forte præallegati Decreti notitiam non habentibus.

An autem illiusmodi absolutio hodie sit etiam invalida, incertum est, inquit La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1489. Platelius cum quibusdam aliis contendit esse invalidam. Contra Cardenas *in* 2. *crisi dissert.* 2. *cap.* 6. *art.* 9. *num.* 418. & alii affirmant, esse validam: quod La Croix *loc. cit.* censet probabilius (& ego cum ipso) quia ex eo, quod Pontifex prohibeat talem confessionem, & absolutionem, non illico sequitur, quod etiam irritet: neque in materia odiosa fieri debeat extensio ultra verborum rigorem. Sed contra hoc

Dices. Ad valide absolvendum, etiam a venialibus, requiritur jurisdictio; sed Sacerdos simplex non habet jurisdictionem; ergo &c. Minor probatur. Vel enim haberet illam ex Jure Divino, & vi ordinationis, vel ex Jure Ecclesiastico: neutrum potest dici; ergo &c.

Respondetur, neg. min. relate ad absolvendum a venialibus, & mortalibus jam rite expiatis. Ad prob. itidem neg. min. Habet enim jurisdictionem ex Jure Ecclesiastico consuetudinario; quia consuetudine introductum erat, ut fideles, sola venialia, & mortalia jam rite per confessionem expiata, confiterentur Sacerdoti simplici; idque licite ante editionem Decreti Innocentiani supra memorati; consuetudo autem tribuit jurisdictionem, quæ per idem Decretum probatur quidem restricta, ut licite redigi in actum nequeat, non vero adempta: veluti patet ex dictis. Quod autem ea jurisdictio non sit Juris Divini (quemadmodum aliqui volunt) constat a posteriori; quoniam Ecclesia illam auferre potest, & aufert de facto excommunicatis non toleratis.

682. Quæres secundo, an liceat quempiam absolvere cum jurisdictione dubia, aut tenuiter probabili?

Respondetur, non licere, extra casum necessitatis. Augustinus Michael *de Pœnitent. fol.* 559. *num.* 18. Elbel *num.* 326. & alii communiter. Ratio est: quia extra casum necessitatis non licet Sacramentum exponere periculo nullitatis; sic enim ageretur imprudenter, & temere contra reverentiam Sacramento debitam, adeoque committeretur peccatum sacrilegii: sed absolvens cum jurisdictione dubia, aut tenuiter probabili exponeret Sacramentum periculo nullitatis: cum Ecclesia in simili casu non suppleat jurisdictionem, si ipsa desit; ergo non licet sic absolvere extra casum necessitatis. Secus est in casu necessitatis, dum non adest Sacerdos jurisdictione certa, aut vere probabili instructus: siquidem necessitas facit, ut Sacramentum non imprudenter, & temere tractetur; appositaque conditio (sub qua absolutio impendenda est) irreverentiam Sacramenti tunc præcavet, & excludit. Porro casus necessitatis esset, si pœnitens versaretur in articulo, vel probabili periculo mortis; si celebrare, aut alias communicare deberet sine confessione; si urgeret præceptum annuæ confessionis; vel confessio præter consuetudinem cum aliqua nota infamiæ differenda foret. Babenstuber *tract.* 8. *part.* 6. *artic.* 3. *num.* 9. Elbel ubi supra, & alii. In quo tamen tali casu pœnitens, sub conditione absolutus, & postmodum extra necessitatem positus, teneretur confessionem illorum peccatorum repetere apud Sacerdotem, jurisdictione certa pollentem.

683. Quæres tertio, an liceat quempiam absolvere cum jurisdictione de se vere probabili?

Respondetur, licere, si (1) una concurrat titulus coloratus; vel (2) necessitas aliqua saltem congrua: secus (3) non licere. Ita Petrus Marchant, *tom.* 1. *titul.* 3. *quæstion.* 4. & 5. Gobat *in Theolog. Experiment. tract.* 7. *num.* 115. Sporer *num.* 717. cum aliis a se relatis. Ratio primi est; quia opinio de se vere probabilis, qua Sacerdos existimat, se habere jurisdictionem, vel est a parte rei vera; vel falsa? Si vera; tunc vere conficit Sacramentum; quia vere habet potestatem absolvendi. Si falsa; tunc est error communis tam doctis, qui illam communiter admittunt ut probabilem, quam indoctis, qui, quod docti asserunt, credunt. Atqui in errore communi, quando una concurrit titulus coloratus, Ecclesia certo supplet, seu confert jurisdictionem; prout ostensum ibimus *numer. seq.* ergo &c. Ratio secundi est: siquidem & tali casu Ecclesia certo confert jurisdictionem Sacerdoti, eam forte non habenti; cum ejusmodi collatio ad providentiam, & curam Ecclesiæ spectet, ne alioquin animæ pœnitentium in discrimen æternæ damnationis adducantur, vel aliud notabile detrimentum subeant. Ceterum necessitas congrua censetur intervenire. 1. Quando pœnitens indiget consilio, adjutorio, doctrina, solatio spirituali, singulari secreto, non expedit, ut Sacerdos, certa jurisdictione præditus, in ejus notitiam veniat. 2. Si complex criminis notus sit, nec occultari possit apud Confessarium, certa jurisdictione pollentem; non autem sit notus, vel occultari possit apud Confessarium, jurisdictione duntaxat probabili instructum. 3. Si pœnitens prævidet, vel saltem prudenter timeat, se in notabilem aversionem, aut damnosam suspicionem Confessarii, certam jurisdictionem habentis, incisurum. 4. Si pœnitens forte non sit facturus confessionem integram alteri Confessario, quam probabilem jurisdictionem habenti &c. Ex quibus patet, quod hic, utpote ubi quæstio movetur de usu jurisdictionis vere probabilis, etiam minor necessitas sufficere possit, ac *in num. præcedent.* ubi agitur de usu jurisdictionis dubiæ, vel probabilis quidem, sed tenuiter tantum. Ratio tertii est; quia jurisdictio requiritur ad valorem absolutionis, & Sacramenti; ergo ut illius exercitium sit licitum, debet esse moraliter certa, & non solum probabilis, per se loquendo, & nisi vel titulus coloratus, vel congrua aliqua necessitas accedat &c. Revide, quæ diximus *part.* 1. *a num.* 154. Sed

Dices primo. Si non licet absolvere cum jurisdictione probabili, quando non concurrit titulus coloratus, vel necessitas aliqua, neque in horum concursu licebit absolvere.

Respondetur, neg. assumptum, & seq. Nam si concurrat titulus coloratus, aut necessitas, Ecclesia certo supplet, seu confert jurisdictionem, ut proinde Confessarius tunc non absolvat ex opinione solum probabili de jurisdictione, & valore, ac honestate absolutionis; sed ex sententia, & conscientia practice certa, formanda mo-

da modo indicato *part.* 1. *num.* 157. Oppositum contingit, si titulus coloratus, & necessitas absint.

Dices secundò. Non peccat Sacerdos, potestate in reservata destitutus, quando absolvit pœnitentem a peccato, quod probabiliter judicat non esse reservatum; esto etiam probabiliter judicet esse reservatum; ergo licet absolvere, saltem tali casu, & similibus, cum jurisdictione solum probabili.

Respondetur, neg. cons. & parit. Siquidem in casu antecedentis Sacerdos absolvit cum jurisdictione certa, saltem reflexe, & moraliter. Obtinet enim certo (uti supponitur) jurisdictionem absolvendi pœnitentem ab omnibus peccatis non reservatis: atqui peccatum, probabiliter duntaxat reservatum, censetur unum ex non reservatis; ergo &c. Min. prob. Vel enim probabilitas reservationis præsupponit, & fundatur in dubio Juris, quo dubitetur, num lex reservans (aut præceptum) sit lata, valeat &c. vel in dubio facti, quo dubitetur, an revera peccatum sit patratum, aut vestitum omnibus circumstantiis, a lege reservante requisiti? Si primum; Confessarius manet in possessione suæ jurisdictionis etiam relate ad peccatum tali genere dubii, & probabilitatis reservatum; quod proin recte censet sibi non reservatum. Si secundum; idem ferre judicium potest, eo quod reservatio sit odiosa, adeoque restringenda ad casus certos, non vero amplianda ad dubios, & probabiles tantum. Aliud est in casu consequentis, utpote in quo Sacerdos absolveret cum jurisdictione probabili solum, & de cujus collatione non constaret certo &c.

Dices tertio. Vel pœnitens a Confessario, probabili duntaxat jurisdictione prædito; absolveretur etiam invalide, & teneretur confessiones, aut confessionem repetere, vel non? neutrum potest dici; ergo &c.

Respondetur ad primum membrum antecedentis, quod absolvatur valide, si opinio, quam Sacerdos habet de sua jurisdictione, a parte rei sit vera; invalide autem, si ea opinio a parte rei sit falsa; quoniam Ecclesia hic jurisdictionem supplere non comprobatur, juxta nostra principia. Nihilominus (ut respondeam quoque ad alterum antecedentis membrum) confessiones, per se loquendo, non necessario, repetendæ sunt, quamdiu non constat fuisse invalidas. Ratio est: quia actu semel posito, in dubio præsumendum, & standum est pro valore potius, quam nullitate illius: atqui impræsentiarum est dubium, an confessiones illæ fuerint validæ, vel invalidæ, etiam supposito, quod opinio Sacerdotis de possessione jurisdictionis suæ fuerit a parte rei falsa; cum probabile sit, insistendo principiis oppositæ sententiæ, quod Ecclesia & hic suppleat jurisdictionem; ergo &c.

684. Quæres quarto, an in errore communi versante circa jurisdictionem Sacerdotis, ita, ut talis Sacerdos reipsa nec jurisdictionem ordinariam, nec delegatam habeat, ab Ecclesia jurisdictio suppleatur; seu conferatur?

Antequam respondeatur, notandum errorem communem esse, quando Sacerdos, qui exercet actum jurisdictionis in aliquo loco, ab omnibus, vel plerisque ibi existentibus creditur habere jurisdictionem; cum tamen non habeat ob aliquod occultum impedimentum, e. g. quia est suspensus; vel dotatus Beneficio, sed invalide collato &c. Hic talis error est aliquando conjunctus cum titulo colorato, aliquando non. Conjunctus est, quando Sacerdos existimatur esse Parochus e. g. cum tamen reipsa non sit; eo quod Beneficium Parochiale ipsi fuerit (ex quacunque demum causa) illegitime, & nulliter collatum. Non conjunctus est, quando Sacerdos existimatur habere jurisdictionem, quia e. g. falsis literis, aut testibus probavit, se illam habere, non prætendendo collationem Beneficii, aut Officii curati. Nunc

Respondetur ad quæsitum. In errore communi (1) conjuncto cum titulo colorato (id est, apparente, ac putatitio; adeoque non vero) Ecclesia certo supplet, seu confert Sacerdoti jurisdictionem in gratiam pœnitentium, ne alicua malitia, vel ignorantia ipsis noceat ad interitum animarum; consequenter talis Sacerdos valide absolvit: at in errore communi (2) non conjuncto cum titulo colorato Ecclesia non certo confert jurisdictionem; consequenter absolutio, a Sacerdote sic impertita, non est certo valida. Primum responsionis membrum communissime admittitur a DD. Alterum docent Mezger *tract.* 18. *disp.* 49. *art.* 1. *num.* 24. Babenstuber *tract.* 8. *part.* 6. *articul.* 3. *num.* 15. & alii plurimi, quos allegat P. Cardenas *in* 2. *crisi dissert.* 2. *cap.* 6. *artic.* 5. Ratio autem primi membri est: quia licet in Jure Canonico id non reperiatur expresse, & specialiter statutum, deducitur tamen ex illo generali principio, quod SS. Canones, ubi ipsi nihil determinant; *Principum constitutionibus adjuventur*; veluti habetur *cap.* 1. *de novi oper. nunt.* statuitur vero in Famosa illa *l. Barbarius* 3. *ff. de Offic. Prætor.* acta, & decreta ejus, qui per communem errorem putabatur habere potestatem prætoriam, cum tamen reipsa non haberet, haud esse reprobanda; idque propterea, quoniam populus Romanus potuit ei dare illam potestatem, & propter utilitatem, vel potius necessitatem eorum, qui apud ipsum lege, vel alio Jure egerunt, censetur voluisse dare. Cum ergo in foro Pœnitentiæ quoque primum intersit, confessiones, bona fide factas, non esse ex solo defectu jurisdictionis in Ministro invalidas; Ecclesia autem possit Confessario dare jurisdictionem, quam is in illo tali loco putatur habere, merito censetur etiam velle dare. Quod tamen cum hac quadruplici limitatione intelligendum venit, 1. Ut omnes, vel saltem plerique in illo loco ignorent defectum jurisdictionis in Confessario; nam si pauci tantum ignorent, non est propter eos tam extraordinarium remedium adhibendum. 2. Ut hæc jurisdictio non stabiliter, sed pro singulis tantum actibus quasi de novo censeatur concessa. 3. Ut non censeatur esse amplior, quam requirit titulus, v. g. parochialis, quem Confessarius præsefert. 4. Ut propterea ipse Confessarius, conscius sui defectus, non excusetur a peccato, si Sacramentum Pœnitentiæ administret; nam Ecclesia non in ipsius, sed pœnitentium, communi errore inculpabili laborantium, gratiam supplet jurisdictionem. Suarez *de Censur. disput.* 11. *sect.* 3. *num.* 13. Sporer *lib.* 2. *num.* 53. Michel *de Pœnitent. fol.* 560. *num.* 19. Ratio secundi membri est: quia cit. Lex *Barbarius*, cui, ceu fundamento primum responsionis membrum innititur, tantum loquitur de errore communi, conjunctum habente titulum coloratum: cumque inclusio unius sit exclusio alterius, hoc ipso error communis, a titulo colorato separatus, videtur excludi, quod memorata lex solum faciat mentionem erroris communis cum titulo colorato conjuncti. Confirmatur. Sententia opposita, contendens, quod Ecclesia etiam in tali casu jurisdictionem conferat, solum est probabilis, & simul minus tuta; ergo ejus sequela hic, ubi agitur de valore Sacramenti, est illicita. Facit tamen, ut neque tunc confessiones, bona fide factæ, quamdiu non constat fuisse invalidas, repeti debeant, ob rationem redditam *num. præced. in respons. ad* 3. *argument.*

Dices. Haud pauciora sequerentur incommoda, si Ecclesia non suppleret jurisdictionem in casu erroris communis, a titulo colorato separati, ac si non suppleret in casu erroris communis, cum titulo colorato conjuncti; ergo æque supplet in uno, ac in altero.

Respondetur, neg. ant. Nam raro auditur contigisse ejusmodi error, cui non accesserit titulus coloratus, vel ex Officio, & Beneficio; vel saltem ex approbatione, expositione ad excipiendas confessiones, aut etiam ex privilegio &c. Unde neg. quoque cons.

ARTICULUS II.

De Jurisdictione Confessarii ut restricta per Reservationem Casuum; sive de Reservatione Casuum.

HÆc materia de Reservatione Casuum fat ampla est, & liberali calamo pertractari a Moralistis solet. Sed quoniam complura, huc pertinentia, anticipato ventilatum ivimus *part.* 2. *n.* 7. per decursum allegandis, opus hic non erit prolixiore calamo; sed quæ dicenda restant, per duos §§. moderata brevitate expediemus.

§. I.

Quid sit Reservatio Casuum, quotuplex, a quo, & circa quam materia fieri possit?

S U M M A R I U M.

685. & 686. Definitur Reservatio Casuum, & dividitur in pœnalem, medicinalem, ac mixtam. *677. Ignorans incurrit reservationem, etiamsi ea pœnalis sit. 688. A quibus reservatio casuum fieri possit? 689. Quinam casus sint reservati S. Pontifici, & quis possit ab iis absolvere? 690. Quinam casus sint reservati Episcopis, & quis ab iis absolvere possit? 691. Quinam casu sint reservabiles, vel etiam de facto reservati Prælatis Regularibus, & quis valeat ab illis absolvere? 692. Qualia peccata reservari possint, & soleant. Conclusio illustratur per subjunctum corollarium.*

685. Dico primo. Reservatio casuum est *restrictio jurisdictionis; a Superiore pendentis, ad absolvendum in foro conscientiæ quoad nonnulla peccata.* Sensus, & bonitas hujus definitionis, communiter dari solitæ, colligetur ex dicendis. Duo tamen hic advertenda veniunt. Primum est, quod restrictio jurisdictionis fieri possit, ita, ut Superior alicui inferiori vel non concedat jurisdictionem in aliqua peccata; vel auferat jam concessam. Secundum est, quod Casus reservatus aliud non sit, quam *tale aliquod peccatum, a quo inferior Confessarius nequit absolvere ob defectum jurisdictionis, sibi a Superiore in illud non concessæ, vel iterum ablatæ.*

686. Dico secundo. Reservatio dividitur in *pœnalem, medicinalem, & mixtam*: Ita P. Antonius VVech *in suis Thesib. de Reservat. Cas. a num. 22.*

Explicatur. Reservatio pœnalis est, quæ fit ex motivo vindicandi delictum. Medicinalis est, quæ fit ex motivo præservandi a delicto. Mixta est, quæ fit ex utroque præfato motivo. Ut in praxi discernere valeas, sitne reservatio aliqua pœnalis, medicinalis, aut mixta? attendas, oportet, ac pensites verba, in Decreto reservationis contenta; nam ex illorum tenore poteris colligere mentem reservantis, unde qualitas reservationis dependet. Quare si reservans in suo reservationis decreto asserat, se reservare talia delicta, v. g. *in pœnam, aut punitionem eorum*, reticito, seu non addito alio motivo, reservatio mere pœnalis erit. Si vero significet, se reservare hæc, aut illa delicta, v. g. *in terrorem suorum subditorum*, ut istorum proclivitatem ad eam committenda refrenet, ac cohibeat, suppresso alio motivo, reservatio pure medicinalis erit. Si denique exprimat utrumque motivum, & indicet, se reservare delicta *in horum punitionem, & suorum subditorum terrorem*, reservatio mixta erit. P. VVech *loc. cit. num. 30.*

687. Quæres hic opportune, an incurrat casum reservatum, qui ignorat peccatum, quod committit, esse reservatum, cum tamen reipsa sit reservatum?

Respondetur primo, quod incurrat, si peccatum sit reservatum reservatione medicinali, quamvis hoc, etiam invincibiliter, ignoret. Ista responsio est communis, & habet pro se praxim Confessariorum qua Regularium, qua aliorum. Ratio insuper est: siquidem Lex, statuens impedimentum, seu inhabilitatem aliquam, producit suum effectum, tametsi ignoretur, ut patet de Legibus, statuentibus impedimenta, seu inhabilitates ad suscipiendos SS. Ordines, ad contrahendum matrimonium &c. atqui Lex, statuens reservationem medicinalem, est hujusmodi, ut patet consideranti; ergo &c.

Respondetur secundo. Ignorans etiam incurrit casum reservatum, quando peccatum, quod committit, est reservatum (1) reservatione pœnali, aut (2) mixta. Primam partem tanquam probabiliorem docet P. VVech ubi supra num. 136. & alteram tanquam absolute veram tenet P. La Croix *lib. 6. part. 2. num. 1608.* & itidem P. VVech *n. cit.* aliique communiter. Ratio probativa utriusque partis hæc esto, ferme similis rationi datæ pro responsione præcedenti; siquidem etiam Lex, statuens inhabilitatem pœnalem, quando ratio inhabilitatis est primaria, & ratio pœnalitatis secundaria tantum, operatur suum effectum, licet ignoretur; atqui Lex, statuens reservationem pœnalem, & mixtam, est talis; ergo &c. Maj. constat: sic enim Leges, statuentes impedimenta pœnalia Matrimonii, quæ ex ratione primaria important inhabilitatem ad ineundum Matrimonium, & ex ratione secundaria pœnam, suum effectum pariunt in ignorantibus &c. Min. prob. Nam in primis reservatio pœnalis, & mixta, importet principaliter inhabilitatem in Confessario ad absolvendum a peccato reservato; cum in ipso, seu relate ad ipsum neutra reservatio sortiatur, ne quidem minus principaliter, rationem pœnæ, quippe necessario supponentis culpam, qualem hic cogitare, aut reperire non est in Confessario. Deinde etiam in pœnitente importat principaliter inhabilitatem ad obtinendam peccati reservati absolutionem a simili Confessario; & tantum minus principaliter obtinet rationem pœnæ; quod ostendo. Ideo reservatio pœnalis (vel mixta) principaliter, respectu pœnitentis, sortiretur rationem pœnæ; quia statuitur ex motivo vindicandi delictum: atqui hæc causalis probat intentum; cum alioquin etiam impedimenta pœnalia matrimonii, utpote quæ & ipsa statuuntur ex motivo vindicandi delicta, principaliter sortirentur rationem pœnæ, contra Adversarios, saltem plerosque; ergo &c. Porro licet reservatio medicinalis fiat ex motivo præservandi a delicto, non tamen importat principaliter rationem medicinæ, sed inhabilitatis; ergo a pari &c.

Supponitur autem in utraque responsione 1. Quod delinquens ignoret ipsam delicti gravitatem. Hanc quippe si invincibiliter, seu inculpabiliter ignoret, casum reservatum non incurrit. Ratio est: quia causa excusans (cujusmodi est ignorantia inculpabilis) a delicto gravi, etiam excusat ab incursione reservationis, utpote solum delicto gravi, formaliter tali, annexæ: prout infra videbimus.

Supponitur 2. Quod delinquens non ignoret censuram, propter quam forte statuta est delicti reservatio. Ratio hujus limitationis est; quia ignorantia, saltem inculpabilis, censuræ, excusat ab incursione censuræ; & consequenter ab incursione reservationis, propter illam factæ. Revide, quod diximus *part. 1. num. 277.*

Supponitur 3. Quod in Decreto reservatorio non requiratur expresse scientia reservationis. Ratio istius limitationis est: quia alioquin deficeret conditio, ad incurrendam relevationem exacta; ob cujus proin defectum ignorantia delinquentis, non modo inculpabilis, sed etiam culpabilis (crassa, supina, & probabilius quoque affectata) ab incursione reservationis excusat. Relege dicta *part. 1. num. 277. cit.* His suppositis, contra utranque respons.

Dices primo. Bonifacius VIII. *cap. 2. de Constit. in 6.* ita determinat: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes; dummodo tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina*; ergo inculpabiliter ignorantes reservationem peccatorum, per sententias saltem Ordinariorum, seu Episcoporum constitutam non incurrunt.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, allatum textum exaudiendum esse de censuris; quæ sunt pœnæ medicinales, & principaliter tales; prout cum communi aliorum exposuimus *part. 1. num. 277. in respons. ad 2. argument.* a quarum incursione utique excusat ignorantia, saltem inculpabilis. Secus est de reservatione peccatorum; nam ista vel omnino non est pœna, si sit medicinalis; vel est quidem pœna, sed minus principaliter, si sit pœnalis, aut mixta.

Dices secundo contra 1. membrum 2. respons. Reservatio pœnalis dicitur pure pœnalis; ergo vel pœnam tantum, vel saltem principaliter importat.

Respondetur, explic. & dist. ant. Dicitur pure pœnalis, quatenus opponitur reservationi medicinali, ac mixtæ, qua talibus, & qua membris secum condividentibus reservationem ut sic, con. secus, neg. ant. & cons. Etiam reservatio medicinalis dicitur pure medicinalis; & tamen non solam importat rationem medicinæ, sed etiam, & principaliter, rationem inhabilitatis: consequenter &c.

688. Dico tertio. Reservatio Casuum fieri potest ab omnibus, & solis, qui jurisdictione Episcopali,

vel

vel quasi Episcopali pollentes, alteri conferre valent approbationem, & jurisdictionem, ordinariam, vel delegatam, in foro Sacramentali Pœnitentiæ. Augustinus Michel *fol.* 576. *num.* 6. Antonius VVech ubi supra *num.* 32. referens Clericatum; & videtur ipsa esse communis DD. saltem de facto, spectataque hodierna praxi.

Probatur. S. Congreg. Concilii Trident. interpres, consulta: *An inferior aliquis ab Ordinario, in ea parte Diœcesis, quæ jurisdictioni suæ subjecta est, possit sibi reservare aliquos casus?* Respondit (veluti refert, & testatur Fagnanus *in cap. cum olim de Præscript. n.* 24.) *posse sibi reservare aliquos casus, quemadmodum Ordinariis licet in suis Diœcesibus, si tamen NB. habeat quasi jurisdictionem Episcopalem in eo loco, & nulli Diœcesano subsit nec ipse, nec ejus subditi*; ergo omnibus, & solis competit potestas reservandi casus, sive peccata, qui Ordinarii Diœcesani existunt; & jurisdictione Episcopali gaudent, vel qui jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent, & nulli Ordinario Diœcesano subsunt; nec ipsi, nec eorum subditi.

Unde Papa, qui est Summus Episcopus, seu Episcopus Episcoporum, reservare peccata valet in tota Ecclesia: Episcopi Diœcesani in suis Diœcesibus: Abbates Exempti in suis quasi Diœcesibus tam respectu Secularium sibi subjectorum, quam respectu Regularium: Generales, & Provinciales, sed respectu suorum duntaxat Religiosorum, & cum limitatione inferius *num.* 691. assignanda, E diverso peccata reservare nulla valent Parochi, ne quidem respectu suorum Parochianorum; & Superiores Locales Monasteriorum, v. g. Guardiani, respectu Religiosorum suæ curæ concreditorum; nam priores Parochialem, & posteriores quasi Parochialem duntaxat potestatem in suos respective subditos habent. Et licet complures Authorum contendant, Parochis competere de Jure scripto potestatem reservandi peccata respectu suorum Parochianorum; contrarium tamen satis aperte colligitur ex Trident. quod *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Sacram. Pœnit.* ait: *Sanctissimis Patribus visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur*: atqui Parochi non veniunt nomine Summorum Sacerdotum; sed soli Episcopi, vel quasi Episcopi, uti ostendit Clericatus *discord. forens. p.* 3. *discord.* 26. ergo Parochi ab illiusmodi criminibus absolvere non possunt, potestate scilicet ordinaria; qualis tamen potestas absolvendi necessario in ipsis resideret, si ea peccata reservandi jurisdictione pollerent. Deinde dato, quod de Jure scripto (quale tamen non facile assignaveris) potestatem reservandi habeant; hæc tamen per contrariam consuetudinem modo ipsis sublata est: prout recte advertit Michel ubi supra *num.* 9. & alii plures. Circa Superiores Locales Regularium nullam esse potestatem ulla peccata directe reservandi, conveniunt Authores. Dissident tamen, an non possint aliqua peccata reservare indirecte, annectendo eis censuram reservatam, v. g. excommunicationis, cum, saltem spectato Jure communi, censuram statuere valeant, secundum dicta *part.* 3. *num.* 88. Videtur eundem in sententiam negantium. Dianæ *part.* 3. *tract.* 2. *de dub. regul. resolut.* 49. Lugonis *de Pœnit. disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 47. Sanchezii *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 15. & aliorum. Ratio est: quia alias favor, Religiosis subditis factus a Clemente VIII. in speciali Bulla, edita *die* 16. *Maij an.* 1593. prohibente Generalibus, & Provincialibus, ne absque consensu Generalis, aut Provincialis Capituli alium casum reservent præter undecim infra recensendos, redderetur omnino inutilis; cum sic, quod Pontifex directe prohibuit, & una via salubriter denegavit Superioribus Majoribus; intelligeretur altera concessum iisdem Superioribus, uti & Superioribus Minoribus, seu Localibus; quod pugnat contra *Reg.* 84. *in* 6. ita sonantem: *Cum quod una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Videri etiam potest Glossa *in c.* 26. *de Privileg.*

689. Quæres primo, quinam casus sint reservati S. Pontifici; & quis possit ab iis absolvere?

Respondetur, resolutionem hujus quæsiti quoad utrumque membrum haberi *part.* 3. *n.* 216. *&* *n.* 221. Ubi recensuimus excommunicationes Papæ reservatas, & in numeris respective subsequentibus opportune addidimus corollariis animadversiones circa potestatem absolvendi ab illis excommunicationibus: sicut enim discurrebamus ibidi de potestate absolvendi ab excommunicationibus Pontifici reservatis; ita similiter discurrendum de potestate absolvendi a casibus, sive peccatis eidem reservatis: cum Pontifex nullum peccatum sibi reservet, cui non sit annexa excommunicatio, aliave censura: & hinc qui ob ignorantiam, vel aliam causam non incurrit censuram, neque reservationi redditur obnoxius, ex dictis supra *n.* 618. *in suppos.* 2.

690. Quæres secundo, quinam casus sint reservati Episcopis; & quis ab iis absolvere possit?

Respondetur; resolutionem quæsiti quoad primum membrum petendam esse ex Constitutionibus singularum Diœcesium, per Ritualia Diœcesana prodi solitis. In Diœcesi Augustana, in qua scribo, reservati sunt casus, & peccata sequentia. 1. Homicidium voluntarium. 2. Casus habens majorem excommunicationem annexam. 3. Incestus, cum Moniali professa, cum cognata, vel affine in primo, & secundo gradu. 4. Veneficium, incantationes magicæ, maleficium, abusus SS. Eucharistiæ, & Sacrarum Reliquiarum ad artes magicas. 5. Violatio sigilli confessionis Sacramentalis. Horum Casuum eruditam expositionem biennio abhinc in lucem dedit P. Antonius VVech per Theses Augustæ impressas, & tempore nostri Capituli Provincialis ibidem disputatas: quas complures Parochi, & Confessarii hujus Diœceseos obtinuerunt, ac reliqui facile comparare valent. Ubi notandum, Episcoporum potestatem in reservandis casibus non esse quidem a Pontifice limitatam (sicut limitata est potestas Superiorum Regularium; veluti dicemus: *numer. sequent.*) nihilominus tam Trid. *Sess.* 14. *capit.* 7. quam rationem ipsam jubere, ut potestate reservandi utantur in ædificationem, non in destructionem. Unde si facerent reservationem nimiam, & indiscretam; mortaliter peccarent: quia Sacramentum Pœnitentiæ redderent nimis grave, & præberent ansam sacrilege confitendi: prout advertit Tamburinus *tr. de Casib. reservat. cap.* 2. *n.* 3. & alii passim. Imo nonnulli volunt, talem Episcoporum reservationem esse etiam invalidam: sed melius negat cum aliis Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *n.* 5. Quem vide.

Ad alterum quæsiti membrum ajo, quod a casibus Episcopalibus absolvere potestate ordinaria possint ipsimet Episcopi reservantes; eorum in Officio Successores; & in jurisdictione Superior: potestate delegata vero omnes illi, quibus a memoratis facultas absolvendi est concessa. Totum hoc assertum explicavimus, & probavimus in simili *part.* 3. *numer.* 126. *&* 128. Revide, & applica. Hic autem porro adverte, Regulares, etiam Mendicantes, de facto non amplius absolvere posse (quidquid potuerint olim) a casibus Ordinario loci reservatis; nisi ad id potestatem delegatam acceperint. Liquet *ex prop. ord.* 12. *inter damnat. ab Alexandro VII.* quæ sequentis est tenoris: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

691. Quæres tertio, quinam casus sint reservabiles, vel etiam de facto, saltem communiter, reservati Prælatis Regularibus; & quis ab illis absolvere possit?

Respondetur ad primum quæsiti membrum, quod sint undecim sequentes. 1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.* 2. *Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.* 3. *Nocturna, ac furtiva e Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.* 4. *Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale.* 5. *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.* 6. *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.* 7. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, vel apertio litterarum, a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.* 8. *Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo.* 9. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.* 10. *Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus.* 11. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.* Hi, inquam, undecim casus ex permissione Clementis VIII. facta per Bullam (cujus supra mini-

minimus) reservabiles sunt Prælatis Regularibus Majoribus (id est, ab ipsis pro suis Religiosis subditis reservari possunt) vel etiam de facto reservati sunt. Quod si præter illos judicet Prælatus Regularis, esse prætereà unum, aut plures alios pro Religionis conservatione, vel conscientiæ puritate reservandos, id aliter fieri, licite, & valide non potest, quam (sunt verba Bullæ Clementinæ) *cum matura discussione, & consensu Capituli Generalis pro toto Ordine* (vel parte) *& Capituli Provincialis pro tota Provincia* (vel parte) P. Stoz *lib.* 2. *n.* 62. & alii passim. In nostro Ordine per Capitulum Generale duo adhuc præter undecim præmemoratos casus reservati, & superadditi sunt; nempe *pollutio voluntarie procurata*; & *inobedientia contumax*, qua quis post trinam admonitionem per diem naturalem inobediens persistit. Tredecim hosce casus late, & solide exponit P. Kerckove *super nostra Statuta Generalia cap.* 6. §. 22. *per tot.*

Ad alterum quæsiti membrum ajo, Generalem potestate ordinaria omnes Religiosos sui Ordinis a casibus, in tali Ordine reservatis, absolvere posse; Provincialem Religiosos suæ Provinciæ, aut per eam transeuntes; Superiores Locales, v. g. Guardianos (& in horum absentia Vicarios) Religiosos suorum Conventuum, aut illuc venientes. Hæc tamen absolvendi potestas in Superioribus Localibus non est pure, & formaliter ordinaria, sed etiam delegata, & æquivalenter tantum ordinaria, sive delegata, quæ quasi trahitur in ordinariam, quatenus illis committitur ratione officii, quod gerunt. Ratio hujus est: quia Superiores Locales non possunt sibi sive directe, sive indirecte, reservare casus præmemoratos, veluti ostendit Kerckove *loc. cit. num.* 2. *&* 77. & nos supra *num.* 688. ergo neque possunt ab illis absolvere præcise vi sui officii, & nisi id ipsis committatur ab habente potestatem &c. sicut in nostris Statutis Generalibus committitur, Kerckove *num.* 81. Nihilominus cum hæc potestas delegata sit generalis, ipsique annexa officio, æquivalet respective potestati ordinariæ, & passim ordinaria dici solet, potestque delegari, seu subdelegari, non quidem universaliter, & stabiliter (sicut potestas Generalis, aut Provincialis) sed particulariter, & transeunter tantum, puta pro hac, aut illa facti contingentia. Porro potestatem pure delegatam, & non subdelegabilem, absolvendi a casibus reservatis in Religione, obtinent, qui ad id munus a Superioribus Majoribus (vel etiam a Minoribus, & Localibus, cum præinsinuata limitatione) deputantur.

692. Dico jam quarto. Ut peccatum aliquod sit materia obnoxia reservationi, debet esse *mortale*, nondum clavibus subjectum, & directe, sive legitime remissum; nam venialia, & mortalia, per absolutionem Sacramentalem jam legitime remissa, esto reservari possent, quatenus jurisdictio Confessarii circa eorum absolutionem limitari posset; non tamen reservari solent; imo frustra reservarentur, cum non sint materia necessaria Confessionis. 2. *Externum*; nam licet etiam peccata interna reservari possent (conformiter dictis *part.* 1. *num.* 314.) non tamen de facto, & actu reservari solent; quoniam bono Ecclesiæ satis prospicitur per reservationem peccatorum externorum, utpote quæ aperti, & fortiori marte, quam interna, militant adversus pacem, & disciplinam Ecclesiasticam: veluti advertimus in simili *part.* 1. *num.* 319. 3. *Admodum grave*, seu habens gravitatem extraordinariam, quæ talem rigorem exigat; cum alioquin reservatio nimium accideret difficilis. 4. *In suo genere consummatum* (nisi expresse etiam alii actus reserventur) eoque modo perfectum, sicut in lege reservante exprimitur, v. g. *temere, scienter, præsumptuose &c. commissum* &c. quia, cum versemur in materia odiosa, verba legis stricte accipienda sunt 5. *Certo, & manifeste mortale*: si enim de peccato sit dubium, sive *Juris*, quo dubitatur, an illud sit mortale, an reservatum? sive *Facti*, quo dubitetur de commissione peccati, an scilicet sit commissum, & quidem eo modo, quem exigit lex reservans? non censetur reservatum saltem regulariter (id est, nisi oppositum in ipsa reservatione exprimatur) partim quia alias ob ejusmodi dubiorum frequentiam Sacramentum Pœnitentiæ pœnitentibus, & ejus administratio Confessariis nimis onerosa, ac exosa foret; partim quia reservatio odiosa, ac proin restringenda potius est, quam amplianda: prout immediate insinuatum. Ita Authores passim, Sporer a *num.* 730. Stoz *lib.* 2. *num.* 58. Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 48.

693. Colliges, si reservatur peccatum carnis in actum externum prodiens, ejusmodi actum debere esse per se graviter provocativum ad Venerem, qualis v. g. non est aspectus faciei, tactus manuum &c. etiam alterius sexus: unde licet hos cum Venerea delectatione interna graviter peccaminosa, non tamen constituit peccatum reservatum. Similiter si peccatum furti alicubi sit reservatum, non sufficit ad incursionem casus reservati auferre rem alienam parvi pretii cum animo auferendi rem magni pretii. Ratio utriusque est: quia dum peccatum aliquod reservatur, intelligitur, & esse debet mortale ratione ipsius actus externi: prout cum communi aliorum tradit P. Stoz *loc. & num. cit.* Porro si reservetur homicidium, non satis est ad incurrendum casum reservatum inflictio lethalis vulneris, quando mors reipsa non subsequitur, licet miraculose tantum impediatur. Ratio est: quia actio inflictiva vulneris, ut ut de se lethalis, eo casu non est peccatum consummatum in ratione homicidii, sub reservatione prohibiti. Author *cit.* & alii communiter.

§. II.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

694. *An Superior possit, auditis solis peccatis reservatis, Sacramentaliter absolvere pœnitentem remittendo eundem ad alium Confessarium pro impetranda absolutione a reliquis peccatis mortalibus non reservatis?* 695. *Qui se gerere debeat pœnitens, peccato reservato gravatus, dum Confessarium, a reservatis absolvere potentem, nancisci haud valet, & urgetur necessitate celebrandi, vel communicandi?* 696. *& seq. An pœnitens liberetur a reservatione, quando confitetur Confessario, habenti potestatem absolvendi a reservatis, peccata reservata, sed invalide, v. g. ob defectum legitimi doloris, & propositi; vel etiam valide, v. g. inculpabiliter obliviscendo peccati reservati, aut tale omittendo ex legitima causa?* 698. *Parochus, qui ab Episcopo generalem accepit potestatem absolvendi suos parochianos a casibus reservatis Episcopalibus, potest & ipse, si in casum reservatum incidat, illam committere alteri, ut ab eo absolvatur.* 699. *Fit hujus doctrinæ extensio ad Confessarium in Conventu Regularium &c.*

694. QUæres primo, an Superior possit, auditis solis peccatis reservatis, Sacramentaliter absolvere pœnitentem, remittendo eundem ad alium Confessarium pro impetranda absolutione a reliquis peccatis mortalibus non reservatis?

Respondetur negative: nisi adsit causa excusans ab integritate materiali confessionis, Suarez, Vasquez, Bonacina, Amicus, & alii, quos refert, ac sequitur Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 21. *n.* 538. Henricx *de Pœnit. disp.* 6. *n.* 22. Stoz *lib.* 2. *n.* 70. VVech ubi supra *num.* 120. Ratio est: quia licet materialis integritas confessionis non sit de essentia Sacramenti Pœnitentiæ; est tamen de præcepto Divino (secundum dicta *num.* 549.) ergo a Superiore procurari, ac servari debet, quando non intervenit aliqua ex causis excusantibus, quas recensuimus *num.* 550. Confirmatur, Superior non potest absolvere pœnitentem ab uno, vel pluribus mortalibus non reservatis, eumque remittere ad alium Confessarium pro impetranda absolutione a reliquis mortalibus, itidem non reservatis, quando nulla suppetit causa dimidiandæ confessionis; ergo neque &c. Certe disparitas assignari haud potest; cum æque in uno, ac altero casu urgeat præceptum Divinum de servanda integritate materiali confessionis. Superest ergo, ut Superior in casu quæstionato omnium peccatorum mortalium tam reservatorum, quam non reservatorum confessionem audiat; & pœnitentem sic integre confessum Sacramentaliter absolvat; vel, si id ob temporis angustias, aut nimias occupationes v. g. non possit, reservationem, sine absolutione Sacramentali, tollat vel immediate, & per seipsum, eaque sublata pœnitentem mittat ad Confessarium

infe-

inferiorem; vel mediate, & per talem Confessarium, eidem delegando jurisdictionem in reservata, illam sublationem, vel hanc delegationem Confessario per ipsummet pœnitentem (hæc quippe via, & forte sola, secura est) intimando. Interim ejusmodi pœnitens tenetur Confessario electo, vel deputato omnia peccata mortalia, etiam illa, quæ Superiori jam aperuit, confiteri; hoc ipso, quod adhuc a neutris fuerit sacramentaliter absolutus.

695. Quæres secundo, qui se gerere debeat pœnitens, peccato reservato gravatus, dum Confessarium, a reservatis absolvere potentem, nancisci haud valet, & urgetur necessitate celebrandi, vel communicandi?

Respondetur cum distinctione. Vel enim præter peccatum reservatum adhuc aliud mortale non reservatum habet, vel non? Si primum, tenetur prævie confiteri, (supposito, quod habeat copiam Confessarii, nempe inferioris) saltem mortale non reservatum; adeo, ut non satisfaciat, si solum contritionem eliciat. Sporer *num.* 757. Elbel *num.* 384. & alii satis communiter. Ratio promitur ex Trid. quod *Sess.* 13. *cap.* 7. ait, nullum, peccati mortalis sibi conscium, absque præmissa Sacramentali confessione, si copiam Confessarii habeat, ad S. Eucharistiam accedere debere, quantumvis sibi contritus videatur: atqui pœnitens supponitur peccati mortalis sibi conscius, & habere copiam Confessarii, videlicet inferioris, a mortalibus non reservatis directe absolvere potentis; ergo &c. Confirmatur. Quando quis pluribus peccatis mortalibus est oneratus, quorum tamen unum, vel alterum ob legitimam causam reticere potest, vel etiam debet; tenetur nihilominus ante celebrationem, aut Communionem confiteri reliqua, si copiam Confessarii habeat, juxta communem DD. ergo similiter &c. Si secundum; confiteri non tenetur per se loquendo: modo eliciat contritionem perfectam. Ita præter Authores relatos Suarez, Laymann, & alii, mihi probabilius. Ratio est: quia pœnitens tunc non habet materiam necessariam confessionis, a qua directe absolvatur; cum peccata venialia sint materia libera, & mortale reservatum directe remitti nequeat a Confessario, potestate in reservata destituto; ergo non apparet, unde ad confessionem obstringatur, per se loquendo. Per accidens autem obstringeretur, si diffideret, fore, ut perfectam contritionem eliciat: hoc quippe casu teneretur clavibus subjicere materiam, alias, & per se loquendo liberam, v. g. unum, vel alterum veniale, ut ab hoc directe, & a reservato indirecte absolveretur; sicque ex attrito contritus evaderet, & amissam gratiam sanctificantem recuperaret. Neque pœnitens, ad confitenda Confessario communi non reservata sive per se, sive per accidens obligatus, tenetur una aperire reservatum. Ita cum Dicastillo, & aliis P. Stoz *libro* 2. *numer.* 72. Ratio hujus est; partim quia ad indirectam remissionem talis peccati id non requiritur; ut patet in remissione indirecta peccatorum ex inculpabili oblivione omissorum, aut ob legitimam causam reticitorum; partim quia pœnitens destituitur copia Confessarii in ordine ad obtinendam a reservato absolutionem directam. Confirmatur. Ideo pœnitens teneretur in dictis casibus peccatum reservatum confiteri, quia alias Confessarius non posset recte cognoscere ipsius statum, neque de ejus dispositione convenienter judicare, prout volunt Authores contrarii: sed hæc ratio non est efficax, neque obligationem, seu onus tam grave evincit; siquidem Confessario, per se loquendo, solum incumbit judicare de peccatis in confessione expositis, indeque statum pœnitentis cognoscere; non vero de peccatis, ex legitima causa reticitis, qualiter reticetur peccatum reservatum, quando reticetur ob defectum competentis, & a reservatis directe absolvere valentis, Confessarii; ergo &c.

Dices. Ponamus, pœnitentem gravari peccato reservato propter censuram v. g. excommunicationis similiter reservatam. Hoc tali casu pœnitens, etsi urgeat necessitas celebrandi, aut alias communicandi ad declinandam infamiam, avertendum scandalum &c. non potest confiteri Confessario communi; cum ejusmodi censura arceat innodatum ab usu Sacramentorum, nec valeat tolli, sive directe, sive indirecte, per absolutionem a tali Confessario dandam; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Potest enim, vel etiam (conformiter ad resolutiones Quæsiti) tenetur confiteri ejusmodi Confessario. Ad rationem oppositi probativam ajo, quod, esto censura entitative (ut ita dicam) spectata, non tollatur, sive directe, sive indirecte, in memorato casu, haud tamen impediat ab usu Sacramentorum ob interventum prædictæ necessitatis: si enim tunc cesset, seu cedat præceptum Divinum de servanda integritate materiali confessionis, & procuranda directa absolutione ab omnibus omnino mortalibus (sicut cedit juxta unanimem DD.) quidni, & a potiori cesset, aut cedat præceptum Ecclesiasticum, vi cujus aliàs seu extra casum necessitatis, prohibetur excommunicato usus Sacramentorum? Videri potest Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *n.* 10. Stoz *lib.* 2. *n.* 72.

Instabis. Censura excommunicationis in casu posito nec directe, nec indirecte tollitur; esto cesset illius obligatio; ergo neque tolletur; etiam indirecte saltem, peccatum reservatum; utpote quod a censura, ceu suo fundamento dependet.

Respondetur, dist. cons. Ergo neque tolletur peccatum reservatum, reduplicative sumptum, & qua reservatum est, ita ut ipsa quoque reservatio cesset, con. specificative sumptum, & quod reservatum est, ita ut reservatio ipsa, in onere comparendi coram Superiore &c. remaneat, solumque relaxetur peccati, seu culpæ reatus, neg. cons. Et rationem ejus probativam eadem dist. Peccatum reservatum, reduplicative sumptum &c. a censura, ceu suo fundamento, dependet, trans. Peccatum reservatum, specificative sumptum, neg. Dixi: *transeat*: quia licet id verum sit in fieri; non tamen simpliciter verum est in conservari, ita, ut peccatum reservatum reduplicative, aut (si malis) concretive sumptum, una cum reservatione (censura in suo esse relicta) tolli nequeat absolute, puta per absolutionem sacramentalem, vel ab ipsomet Superiore, vel alio Confessario, ejus in hoc passu vices gerente, valide, impertiendam; non enim inter permanentiam unius, & alterius est tam necessaria, & indispensabilis connexio, ut permanente uno, permanere debeat, seu tolli nequeat & alterum, sicut non est adeo necessaria, & absoluta connexio inter censuras ipsas, quin una tolli, & altera in suo esse relinqui valeat. Revide dicta *part.* 3. *n.* 142.

Urgebis. Non apparet, quare in supra memoratis casibus dicatur indirecte remitti peccatum reservatum, & non etiam censura reservata.

Respondetur, neg. assumptum. Siquidem peccatum reservatum, cum sit mortale, compati, seu stare non potest cum gratia sanctificante, quæ per absolutionem Sacramentalem confertur; ergo, hac adveniente, illud recedat, seu tollatur, saltem indirecte, necesse est. E diverso censura similem repugnantiam, aut incompossibilitatem cum peccato, licet mortali, non habet; sed cum eodem componi, seu consistere valet: uti patet, si censura inretitus de peccato perfecte conteratur, antequam ab illa absolvatur; recuperat quippe is tunc gratiam, & simul retinet adhuc censuram. Revide dicta *part.* 3. *n.* 394.

696. Objicies tertio, an pœnitens, qui Confessario, habenti potestatem sive ordinariam, sive delegatam absolvendi a reservatis, confitetur peccata reservata, sed invalide, v. g. ob defectum legitimi doloris, vel propositi, liberetur a reservatione, adeo, ut postmodum ab illis peccatis absolvi valeat per Confessarium communem?

Respondetur primo. Si pœnitens mala fide, puta conscius insufficientis doloris, aut propositi, procedat, & faciat confessionem invalidam, non liberatur a reservatione. Viva *de Jubil.* q. 11. *art.* 2. *n.* 10. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1475. & alii contra alios. Ratio est; quia fraus non debet cuiquam suffragari, nec debet lucrum e formali sacrilegio reportari; quod tamen contingeret, si pœnitens, voluntarie faciens confessionem invalidam, liberaretur a reservatione; ergo &c. Confirmatur. Non potest in tali casu prudenter præsumi, quod Confessarius pœnitentem liberare intendat a reservatione; ergo is non liberatur.

Respondetur secundo. Si pœnitens bona fide, nimirum invincibiliter existimans, se esse legitimo dolore, & proposito instructum, procedat, atque ita faciat confessionem materialiter solum invalidam; probabiliter liberatur a reservatione, licet non liberetur a

peccatis ipsis. Palao *tr.* 23. *disp. un. pun.* 15. §. 26. *n.* 2. Salmanticenses *tr.* 6. *cap.* 13. *pun.* 2. *n.* 41. Bosco *part.* 4. *disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 70. & alii satis communiter. Ratio est: quia per ejusmodi confessionem satisfit fini reservationis, qui est se sistere Superiori, vel ejus delegato, pro accipienda ab eo fructuosiori directione, magisque salutari pœnitentia: ergo non apparet, cur Confessarius reservationem retentam velit; imo oppositum ob bonam pœnitentis fidem de illius mente merito præsumitur. Tali proinde casu absolutio Sacramentalis est quidem invalida quoad tollendam culpam, valida vero quoad tollendam reservationem; in quo nulla est implicantia; siquidem actio aliqua potest esse inefficax respectu unius effectus, respectu cujus causandi opponitur obex, & efficax respectu alterius effectus, respectu cujus causandi non opponitur obex; veluti noverunt etiam Philosophi. Quare licet pœnitens, cognita postmodum nullitate confessionis, teneatur iterum clavibus subjicere eadem peccata, utpote a quibus valide absolutus antea non fuit; haud tamen tenetur adire amplius Confessarium, potestate in reservata pollentem, sed absolvi a Confessario communi potest, cum reservatio jam sit sublata per absolutionem præcedentem, a Superiore, vel ejus delegato impertitam.

697. Quæres quarto, an etiam tollatur reservatio, si pœnitens confiteatur Confessario, potestate in reservata prædito, & inculpabiliter obliviscatur peccati reservati; aut tale omittat ex legitima causa?

Respondetur itidem affirmative cum benigna, & probabili sententia, quam tenent Coninch., Reginaldus, & alii, quos refert, & sequitur P. Viva ubi supra *art.* 4. *numer.* 9. Ratio est: quia quilibet Confessarius censetur pœnitentem recte dispositum, & confessum velle liberare ab omni vinculo peccatorum, a quo potest: sed in casu pœnitens est recte dispositus, recteque confitetur, cum faciat confessionem formaliter integram: ergo Confessarius censetur ipsum velle liberare ab omni vinculo peccatorum, a quo potest; ergo etiam a vinculo, seu onere reservationis, cum & ab isto illum liberare valeat. Confirmari hoc potest ex formula, absolutioni Sacramentali præmitti solita: *Dominus noster &c. & ego authoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis &c. in quantum possum, & tu indiges.* Tenetur tamen pœnitens etiam in isto casu illud peccatum, cum postea in ejus memoriam redierit, aut cessaverit causa, ob quam reticuit, adhuc confiteri, ut ab eo directe absolvatur; qualiter jam absolvi poterit a communi Confessario, secundum dicta *n. præced.* Sed contra hoc, ipsamque adeo respons.

Dices primo. Peccatum ipsum secundum se debet in casu adhuc subjici clavibus, ut directe judicetur, ac remittatur: ergo etiam peccatum, quatenus reservatum, debet adhuc subjici clavibus, ut, qua tale, directe judicetur, & remittatur, sicque tollatur reservatio: id quod præstari non poterit per Confessarium communem.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Confessarius obligationem illud peccatum adhuc confitendi relaxare non potuit, quippe ex Jure Divino promanantem: potuit autem auferre, & censetur implicite saltem, voluisse auferre reservationem; cujus ablatione supposita corruit obligatio subjiciendi clavibus peccatum qua reservatum, solumque remanet obligatio subjiciendi clavibus peccatum secundum se, ut directe remittatur: quod fieri valet per absolutionem, a Confessario communi impensam.

Dices secundo. Tali casu pœnitens non satisfacit fini legis reservantis, qui est, ut peccatum reservatum Superiori (vel ejus delegato) declaretur ad obtinendum ab ipso salubrius remedium: ergo non est credibile, quod Superior (vel ejus delegatus) intendat reservationem tollere: consequenter &c. Hoc argumentum (ut verum fatear) sententiam negativam reddit valde probabilem, & forte probabiliorem affirmativa. Nihilominus, ut affirmativa, tanquam vere probabilis, manuteneatur:

Respondetur: neg. cons. Licet enim pœnitens non satisfaciat effective, & reipsa fini legis reservantis, neque hanc impleat, sicut per se loquendo impleri postulat; quia tamen & bona fide procedit, & comparet coram Superiore reservante (vel ejus delegato) is rationabiliter, & pie creditur reservationem tollere velle, sicut tollere potest; sicque remittere illi obligationem denuo adeundi vel se, vel suum delegatum. Exempla pro favorabili hac interpretatione plura possent. Sufficiat adduxisse unum. Si Clericus Officium ordinarium unius diei ex inculpabili inadvertentia commutet in Officium ordinarium alterius diei, non satisfacit effective, & reipsa præcepto Ecclesiastico (juxta veriorem sententiam, a nobis traditam *part.* 3. *num.* 466. *in respons.* 2.) nec tamen, errore animadverso, tenetur ad repetitionem, recitationem scilicet Officii ordinarii, in eum diem incidentis (etiam ex suppositione præmemoratæ sententiæ) juxta communem Doctorum sensum; siquidem Ecclesia, sicut, seu Legislatrix, potest, ita, ceu benigna Mater, censetur ejusmodi repetitionem, seu suppletionem remittere illi, qui bona fide Officium Canonicum pro tali die persolvit, quamvis aliter, ac reipsa fieri debuisset (veluti *loc. citat.* discurrebamus) ergo etiam impræsentiarum Superior reservans, sicut ceu Legislator, potest (per seipsum, vel suum delegatum) ita, ceu benignus Pater, censetur remittere iterationem recursus ad se, vel suum delegatum pœnitenti, qui ipsum, vel ejus delegatum jam semel bona fide adiit pro impetranda sublatione reservationis, quamvis aliter, ac reipsa fieri debuisset. Illa autem remissio recursus commodius, & congruentius fieri nequit, quam si reservatio tollatur per primam absolutionem Sacramentalem: consequenter &c. Accedit in Confirmationem nostræ responsionis, quod si pœnitens, declaratis peccatis, quorum recordabatur, & quæ confiteri obligabatur, explicite peteret absolvi ab omni vinculo peccatorum, forte memoriæ non occurrentium &c. Superior (vel ejus delegatus) procul dubio illius petito annueret, & reservationem peccati ex inculpabili inadvertentia omissi, aut ex rationabili causa reticiti, tolleret per absolutionem Sacramentalem, licet neque tunc reipsa satisfieret fini reservationis; ergo etiam illam sic tollere prudenter præsumitur; quando pœnitens id petit implicite, & interpretative, qualiter petere censetur hoc ipso, quod confessionem fidelem, & sinceram suorum peccatorum deponat apud ipsum Superiorem, ejusve delegatum.

Ubi adverte, etiam Adversarios nostram admittere sententiam circa peccata reservata ratione excommunicationis, qualiter reservati sunt universi casus Papales. Nam licet Confessarius, potestate in reservata instructus, absolute, id est; valide posset peccata (una cum reservatione, vel absque ea) per absolutionem Sacramentalem tollere, non sublata excommunicatione; id tamen haud potest licite; siquidem excommunicato, extra casum necessitatis, illicite impenditur beneficium absolutionis a peccatis, non prius sublata excommunicatione. Quare ejusmodi Confessarius, cum non præsumatur velle peccare, eo ipso præsumendus est velle prius tollere censuram excommunicationis, antequam absolvat a peccatis: sublata autem censura, ceu fundamento, cessat & reservatio, nisi hæc specialiter retineatur; quod fieri impræsentiarum non est credibile. Ita P. Leonardelli *de Pænit.* q. 14. *n.* 253. *ad fin.* Videri etiam possunt, quæ diximus supra 695. *in respons. ad instans.*

698. Quæres quinto, an si Parochus v. g. ab Episcopo generalem accipiat facultatem absolvendi suos parochianos a casibus reservatis Episcopalibus, & ipse postea casum reservatum incurrat, possit illam committere alteri Confessario, a quo ipse absolvatur.

Respondetur affirmative. Ita Rodriquez *lib.* 1. *QQ. Regular.* q. 21. *artic.* 8. Sanchez *lib* 8. *de Matrimon. disp.* 3. *n.* 10. & *lib.* 4. *Moral. c.* 37. *n.* 41. Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 17. & alii satis communiter. Sumitur ex declaratione Cardinalium, quæ extat apud P. Suarez *disput.* 30. *sect.* 2. sic respondentium: *Si Episcopus in aliquod delictorum (de quibus Trident. Sess. 24. cap. 6.) lapsus sit, licitum esse, ad se absolvendum proprium Confessarium deputare cum eadem authoritate, quam ipse possit ex eo capite in sibi subditos exercere.* Quæ Declaratio nititur hac æquitate: quoniam non decet Episcopum esse deterioris conditionis, ac sint ejus subditi. Atqui eadem ratio æquitatis militat, & urget in casu, quo Episcopus Parocho confert generalem facultatem parochianos absolvendi a casibus Episcopalibus:

bus: quoniam similiter non decet Parochum esse deterioris conditionis, ac sint ejus subditi, seu parochiani: veluti rectè subsumit, & ratiocinatur P. Laymann ubi supra; ergo &c. Accedit, quod versemur in re favorabili, & concernente beneficium Principis; ubi non stricta, sed lata interpretatio est facienda.

Jura, quæ dicunt, jurisdictionem delegatam non extendi ultra personas in delegatione expressas, veniunt intelligenda de casu, quo delegatur jurisdictio respectu hujus, aut illius personæ, vel respectu certarum quarundam personarum; non autem de casu, quo delegatur jurisdictio respectu omnium subditorum, vel totius alicujus Communitatis: prout iterum exponit prælaudatur Author.

699. Petes hic veluti occasionaliter, an Confessarius Communitatis, seu Conventus Regularium, cui a Superiore Majori, seu Ministro Provinciali committitur (uti fieri solet in nostra, & aliis Provinciis Ordinis Seraphici) potestas absolvendi a reservatis, possit ejusmodi potestatem communicare alteri Confessario ejusdem Communitatis, a quo ipse, si forte in casum reservatum inciderit, absolvi vellet?

Respondetur affirmative; nisi oppositum constet, aut colligatur ex consuetudine, statuto, vel mente Superioris delegantis. Ita Peyrinis, quem refert, & sequitur P. Kerckove *super nostra Statuta Generalia cap. 6. §. 13. n. 99.* ubi (cum relatione ad aliud Quæsitum ibi resolutum) sic loquitur: *Idem a fortiori dicendum de Confessariis Communitatis, quibus confertur potestas absolvendi a reservatis (ut in aliquibus Provinciis fit) posse scilicet tales potestatem suam delegatam alteri Confessario Communitatis committere, qui ipsos a reservatis absolvat? idque ex præsumpta voluntate Prælati delegantis, qui sciens hanc doctrinam, eam tolerando censetur approbare: & merito; cum æquum non sit, ut sitiat, qui potum aliis tribuit.* Ita præclarus ille Commentator in terminis: cui & ego adstipulor, supposito, quod loquatur (uti eum loqui non dubito) de Confessariis delegatis pro tota Communitate Religiosa, vel saltem pro omnibus Sacerdotibus, ex quibus illa Communitas præcipue constituitur; nam isti solum habentur, & nuncupari solent Confessarii Communitatis, seu Conventus, atque respectu eorum deesset, qui sitientibus potum tribueret; non vero de Confessariis delegatis pro solis FF. Clericis, & Laicis; nam tales non reputantur simpliciter pro Confessariis Communitatis, seu Conventus, & habent, qui sitientibus potum tribuat, nempe Confessarium pro aliis Sacerdotibus delegatum.

Sed quid si Petrus, v. g. sit deputatus Confessarius Religiosæ Communitatis, & præter ipsum adhuc unus (vel duo) possitne nihilominus eligere alium ex Communitate ab isto (vel istis) distinctum, a quo, forte sitiens, potum petat, seu a reservatis absolvatur? Censeo equidem (salvo altiori judicio, & authoritate Superiorum) quod etiam tunc possit. Ratio est: quia licet eo casu haberet absolute loquendo, a quo potum peteret, esset tamen minoris, magisque arctatæ libertatis, ac alii Sacerdotes, in eadem Communitate degentes; adeoque deterioris conditionis, ac isti, cum ipse, nisi sibi adhuc alium eligere Confessarium posset, non haberet, nisi unum (vel duos) a quo potum peteret, isti vero duos (vel tres) consequenter &c. Revide & perpende rationem responsionis, mox supra ad quæsitum redditæ, probativam.

CAPUT III.

De Obligatione Confessarii ad Sigillum Confessionis.

CUm Sigillum Confessionis Sacramentalis sit sanctissimum, neque tamen ab omnibus semper sanctissime custodiatur, sive ob effrenatam oris intemperantiam, sive ob ignorantiam, vel inadvertentiam, de eo pluribus tractandum venit, ut Confessarii ubique tanto cautius, & pœnitentes tanto securius in Confessione sibi agendum esse intelligant. Distincte, & clare ut procedamus, sit

ARTICULUS I.

Ex quo Jure oriatur Sigillum Confessionis?

SUMMARIUM.

700. Quid sit Sigillum proprie, & quid metaphorice intellectum: quo posteriore modo acceptum dividitur in mere naturale, & Sacramentale. 701. Obligatio Sigilli Sacramentalis est strictissima, nec in ullo casu cessat. 702. Oritur ex Jure naturali, Divino, & Ecclesiastico. 703. Afficit solum audita in confessione, vel in ordine ad illam: id quod dilucidatur exemplis. 704. Sigillum frangi potest directe, vel indirecte: ubi itidem afferuntur exempla. 705. Qualiter peccet fractor illius?

700. PRænotandum primo, Sigillum proprie esse id, quo præter alia etiam litteras claudimus, ut contenta in iis a nemine, quam a quo volumus, cognoscantur; metaphorice vero esse obligationem servandi secrete, quod ab alio cognovimus. In hac metaphorica acceptione aliud est, & dicitur *mere naturale*, aliud *etiam Sacramentale*. Prius est obligatio servandi secrete ea, quæ aliunde, quam ex Confessione Sacramentali cognovimus. Posterius est obligatio servandi secrete ea, quæ ex Confessione Sacramentali, vel in ordine ad istam sunt cognita.

701. Prænotandum secundo, obligationem Sigilli Confessionis, seu Sacramentalis esse strictissimam, adeo, ut eam prævaricari nunquam liceat in ullo, sive directe, sive indirecte, sive ante, sive post mortem pœnitentis: quia cum Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit tanquam medium ad salutem necessarium omnibus iis, qui post Baptismum mortaliter peccarunt; hinc ita tractari debet, ut fideles ab illius usu non absterreantur; sed absterrerentur, si fas esset, ob aliqua causa, vel in aliquo casu Sigillum violare; sic enim semper metuerent, ne forte vel ante, vel post suam mortem similis aliqua causa, vel casus emergeret, quo Confessarius detegeret quæ in Confessione audivisset: consequenter &c. His præmissis, in quæstionem venit, ex quo Jure oriatur tam stricta hujus Sigilli obligatio?

702. Dico: Sigillum Confessionis, ejusque obligatio oritur ex Jure naturali, Divino, & Ecclesiastico, DD. communiter.

Probatur, & declaratur: Oritur enim 1. *ex Jure naturali* tam in materia Justitiæ, quam in materia Religionis. Nam in materia Justitiæ Jus naturale præcipit, ut nemo alterius famam, & honorem lædat, manifestando occultum ejus delictum; item ut nemo contra datam fidem violet justum suum pactum, etiam implicitum; quale censetur quilibet cum altero (adeoque, & præsertim pœnitens quoque cum Confessario) inire hoc ipso, quod suum arcanum illi aperiat sub fidem accipiendi ab eo consilium, auxilium, solatium &c. In materia Religionis Jus naturale dictat, ut nemo sicut alias res sacras, ita & Sacramentum Pœnitentiæ irreverenter tractet: quod fieret, si Confessarius audita in confessione detegeret; cum sic Sacramentum redderet odiosum, hominesque ab ejus usu absterreret. Oritur 2. *ex Jure Divino*: quia enim Christus, qui suum jugum suave esse dixit, & tamen Sacramentum Pœnitentiæ cum integra omnium peccatorum mortalium confessione, per se satis difficile, & grave, voluit omnibus fidelibus, post Baptismum in mortalia lapsis, esse summe necessarium ad salutem; utique non voluit simul ab illius usu, & frequentatione homines absterrere, sed potius allicere, onus confessionis alleviando per impositionem silentii a Confessario super auditis in Confessione servandi. Id quod constat ex perpetua praxi, & traditione Ecclesiæ, quæ Divinæ voluntatis optima interpres est; ad quam proinde confugiendum in iis, in quibus (uti hic) Deus suam voluntatem non signate, & expresse manifestavit. Porro præceptum Christi de servando sigillo Confessionis fundatur, ac continetur, saltem virtualiter, & implicite, in præcepto Divino de servanda materiali integritate Confessionis, prout cum Dicastillo notat Sporer *lib. 2. numer. 184.* & colligitur ex immediate dictis. Atqui huic Juri præcipue adscribendus est maximus ille rigor Secreti Sacramentalis; adeo, ut ex

nulla,

nulla, etiam gravissima, & publicæ necessitatis, vel utilitatis causa liceat (conformiter dictis *n. praecd.*) Sacerdoti prodere, quæ ipsi in confessione Sacramentali detecta sunt: quo modo nullum Sigillum naturale obligat. Suarez, Vasquez, Layman, & alii, quos refert, & sequitur Sporer *de Pœnit. n.* 811. quem vide. Oritur 5. *ex Jure Ecclesiastico*. Patet ex *cap. 12. de Pœnit. & Remiss.* ibi: *Caveat* (Sacerdos) *omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.* Quæ tamen gemina pœna non incurritur ipso facto: siquidem verba *deponendum*, & *detrudendum* satis denotant, illam infligi debere per Judicem; observata nimirum via Juris, & prævia causæ cognitione, ac legitima criminis probatione: veluti advertit Michel *de Pœnit. fol. 592. n. 3.* & alii passim.

703. Colliges primo, quod obligatio servandi Sigillum non afficiat, nisi audita Confessione Sacramentali facta, vel relate ad eam faciendam Ministro Pœnitentiæ saltem existimato, Ita DD. communiter. Ratio est: quia Christus illam obligationem soli Confessioni Sacramentali annexuit. Unde fit 1. ut non inducatur obligatio Sigilli, quando quis extra Confessionem aliqua in re consulit Confessarium, & addit, se hoc ei dicere sub Sigillo Confessionis: neque enim homo potest obligare ad Sigillum, quando Christus non obligat. Spectant tamen sic concredita ad secretum naturale, quod in tali casu magna districtione obligat; cum alioquin homines averterentur a petendis consiliis; quod vergeret in maximum detrimentum Ecclesiæ. Fit 2. ut similiter non inducatur obligatio Sigilli, cum quis confitetur animo solum illudendi Confessario, vel eundem ad malum pelliciendi, quin ipse habeat intentionem super suis peccatis absolutionem obtinendi: quia talis confessio nullo modo, id est, nec ex se, nec intentione confitentis, dici Sacramentalis potest; cum ad Sacramentum conficiendum nullatenus dirigatur. Fit e diverso 3. ad inducendam obligationem Sigilli sufficere, quod confessio fiat animo obtinendi absolutionem, licet hæc reipsa non subsequatur; imo quamvis pœnitens nondum desideret absolvi, sed primum postea, ubi melius fuerit dispositus: quia omnis quoque talis Confessio Sacramentalis est, saltem inchoate, imperfecte, & ex intentione confitentis; & nisi induceret obligationem Sigilli, Sacramentum Pœnitentiæ redderetur omnino odiosum, quatenus pœnitentes timere sæpenumero possent, sibi denegatum iri absolutionem; sicque Confessario licitam fore detectionem peccatorum auditorum in confessione facta, vel relate ad eam faciendam, sive perficiendam. Fit 4. ad inducendam obligationem Sigilli itidem sufficere, quod confessio fiat bona fide Sacerdoti existimato, licet hic reipsa sit Laicus: quia & talis confessio est Sacramentalis, non quidem ex se, suaque natura, sed ex intentione confitentis. Atque ista, quæ in hoc corollario dicta sunt, excerpsi, ac congessi ex PP. Layman, Sporer, Stoz, & Babenstuber.

704. Colliges secundo, Sigillum Confessionis dupliciter frangi posse, nimirum *directe*, & *indirecte*. Priore modo frangitur, quando Confessarius peccatum sibi in Confessione Sacramentali (aut in ordine ad illam) detectum, vel aliquid aliud, sub Sigillum cadens, propalat. Posteriore modo frangitur, quando Confessarius nihil quidem aperte revelat, ita tamen verbis, vel signis se gerit, ut alter possit devenire in notitiam peccati, vel alterius materiæ, sub Sigillum cadentis. Ex his posterior modus frangendi Sigillum periculosior est, & facilius contingere potest. Unde omnino cautum oportet esse Confessarium, ne immemor sui, modo istam, modo aliam circumstantiam aperiendo hominibus, præsertim astutioribus, præbeat occasionem veniendi in notitiam peccatoris: sicut accidit illi Sacerdoti, qui dixerat, primam mulierem in Oppido sibi confessam fuisse adulterium, aliquanto autem post, prioris dicti immemor, marito edixit, uxorem ejus fuisse primam, quæ sibi confessa fuisset: ex horum quippe dictorum connexione maritus facile conjecit, suam uxorem adulterium perpetrasse. Quod erat indirecte frangere Sigillum. Augustinus Michel *de Pœnit. fol. 594. n. 14.* & alii passim. Simili fere modo Sigillum violaret Confessarius, si plurium confessiones exciperet, & inde unum nimis laudaret, v. g. si Magister decem Novitiorum, quorum confessiones excepit, de uno eorum assereret, quod in seculo nunquam aliquod peccatum carnale commiserit, innocentiam conservarit &c. Tali namque loquendi modo præbere audientibus ansam judicandi, vel saltem suspicandi, reliquos peccatis carnalibus fuisse inquinatos, perdidisse innocentiam &c. Idem foret, si illiusmodi Confessarius de uno singulariter affirmaret, & diceret: hic non nisi venialia confessus est. Nam & ista singularitas daret ansam audientibus suspicandi, ceteros graviora fuisse confessos. Sporer *n. 831.* & alii communiter. Quando tamen de uno pœnitente seorsim sermo esset, nihil fieret contra Sigillum, si laudaretur, dicendo v. g. quod sit homo pius, excelsarum virtutum apprime studiosus &c. Cum enim tunc nulla interveniret comparatio inter ipsum, & alios, horum facta omnino intacta relinquerentur, nec audientibus præberetur ansa male de iis suspicandi: consequenter &c. Author immediate nominatus cum communi aliorum. Itidem Sigillum violaret Confessarius, si ad audita gravia crimina alte ingemisceret, vel pœnitentem impetuose reprehenderet, ut adstantes gemitum, aut impetum adverterent; vel erumperet in has, aut similes voces: *Jesus Maria &c.* Siquidem id genus factis, aut verbis sat aperte proderet, pœnitentem sibi confessum esse gravia crimina. Sporer *n. 825.* & alii passim.

705. Colliges tertio, eum, qui violat Sigillum (sive directe, sive indirecte) peccare tum (1.) contra Religionem; tum (2.) contra Justitiam. Bonacina *de Pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. pun. 1. n. 4.* Stoz *lib. 2. n. 186.* & alii communiter. Ratio primi est: quia agit contra reverentiam, & bonum Sacramenti. Ratio secundi est: quia lædit Jus naturale Secreti (commissi, &, saltem tacite, promissi simul) ad quod servandum quilibet ex Justitia obligatur, etiam seclusa ratione Sacramenti. Revide dicta *part. 2. n. 646.* Atque hæc duo peccata, (quorum prius est peccatum sacrilegii, & posterius peccatum injustitiæ) eo ipso, quod adversentur diversis specie virtutibus, inter se specifice differunt. Ambo insuper sunt mortalia; aliter tamen, & aliter. Nam peccatum sacrilegii est mortale *ex toto suo genere*, omnem respuens parvitatem materiæ (esto ob imperfectionem actus extenuari ad veniale possit) quia in quacunque materia æqualiter præjudicat fini legis (qui est, *ne Sacramentum Pœnitentiæ reddatur odiosum*) gravissime vetantis non solum revelationem peccatorum mortalium, sed etiam venialium, defectuum naturalium, saltem occultorum &c. prout dicemus *art. seq.* Si enim homines scirent, Confessarium citra gravem noxam posse sigillum frangere in materia de se levi, propalando v. g. hoc, vel illud specificum veniale, merito metuerent, ne etiam frangeret in materia gravi, propalando mortalia &c. E diverso peccatum injustitiæ solum est mortale *ex suo genere simpliciter, & communiter*, admittens parvitatem materiæ; sicut admittunt alia peccata, adversus virtutem Justitiæ militantia. Videantur, quæ habentur *part. 2. n. 682. & n. 693.* Unde oportet in confessione explicari, quando intervenit malitia gravis contra Justitiam; imo etiam quando non intervenit nisi levis; ne forte Confessarius credat fuisse solommodo levem, cum tamen fuerit gravis, aut vicissim. Sporer *n. 814.* Stoz *lib. 2. n. 188.* Babenstuber *tr. 8. part. 6. disp. 6. art. 5. n. 4.*

ARTICULUS II.

Quænam cadant sub Sigillum Confessionis?

SUMMARIUM.

706. Sub Sigillum Confessionis cadunt omnia, & singula, in Confessione audita, quorum revelatio Sacramentum Pœnitentiæ rationabiliter redderet odiosum. 707. & seqq. Afferuntur varia exempla, & casus, quibus Sigillum frangitur.

706. Di-

706. Dico. Sub Sigillum Confessionis cadunt omnia & singula, in Confessione audita, quorum revelatio Sacramentum Pœnitentiæ rationabiliter redderet odiosum. Est regula generalis, universim recepta a DD.

Explicatur, & applicatur particulatim. Itaque sub Sigillum cadunt 1. peccata mortalia tam in genere, quam in specie, non modo ipsius pœnitentis, sed etiam manifestatio complicis, & peccatorum ejus, spectat ad integritatem confessionis, hæc redderetur omnino odiosa, & pœnitentes ab integre confitendo retraherentur, si sua, suorumve complicum peccata mortalia, sive in genere, sive in specie, per confessionem detecta, a Confessario prodi posse rescirent. Stoz *lib.* 2. *num.* 191. & alii communissime.

2. Sub Sigillum cadunt peccata venialia in specie, vel etiam in genere, si cum aliqua circumstantia aggravante conjuncta sint. Ita cum Cardinale de Lugo P. Babenstuber ubi supra *num.* 16. & alii passim. Hinc Sigillum frangeret Confessarius, dicendo: *Cajus mihi confessus est mendacium jocosum*; vel *venialia grandiuscula, aut multa*; vel *venialia nova*. Ratio est: quia non eo ipso, quod Cajus sit confessus, supponi potest hæc talia esse confessus: unde si dicatur ea confessus, ægre ferret: idque rationabiliter; ergo confessio ipsi, & aliis redditur odiosa. Aliud est de peccatis venialibus in genere, & a quacunque circumstantia aggravante sejunctis: hæc enim sub Sigillum non cadunt. Unde non frangit Sigillum Confessarius, si dicat: *Cajus mihi confessus est veniale*; vel *venialia, præscindendo, an ea fuerint grandiuscula, vel omnino levia; multa, vel pauca; antiqua, vel nova*. Ratio est: quia Confessarius sic dicendo plus non dicit, quam Cajum sibi esse confessum; ut patet consideranti: atqui citra fractionem Sigilli dicere hoc posterius potest (per se loquendo; quod addo propter dicenda inferius *num.* 708.) ergo & prius. Nihilominus consultum est tali quoque loquendi modo supersedere: partim quia non potest ejusmodi additionis (quod scilicet pœnitens *veniale*, *aut venialia confessus sit*) esse necessitas; sed sufficit, si dicatur *confessus*: partim quia se facile immiscet periculum indirecte frangendi Sigillum; veluti recte insinuat, & monet P. Stoz *lib.* 2. *num.* 224. *ad finem*.

3. Sub Sigillum cadunt circumstantiæ peccatorum, quæ ad eorum confessionem quadantenus spectant; sive dein se teneant ex parte ipsius pœnitentis, sive ex parte complicis. Unde quando pœnitens confessus est, quod illegitime natus Sacros Ordines susceperit; quod infamibus parentibus ortus Generis nobilitatem jactaverit; quod voto castitatis obstrictus debitum conjugale petiverit &c. non potest Confessarius citra fractionem Sigilli dicere; ipsum esse illegitimum; infamibus parentibus ortum; voto Castitatis obstrictum &c. Ratio est: quia etiam similium manifestatio confessionem redderet odiosam, prout nemo facile negaverit. Secus est de illis circumstantiis, quæ ad confessionem nullum ordinem, aut connexionem habent; sed a pœnitente per accidens duntaxat interseruntur; cujusmodi sunt propositum intrandi Religionem, dandi eleemosynam, aliæque, virtutes, gratiæ, & dona tam naturalia, quam supernaturalia: hæc enim sub Sigillum confessionis, seu Sacramentale non cadunt; esto cadant sub obligationem Secreti naturalis, quando pœnitens eorum reticentiam exposcit. Laymann *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 4. Babenstuber ubi supra *num.* 19. & alii passim.

4. Sub Sigillum cadunt scrupuli, aliique defectus tam naturales, quam morales. Unde Sigillum violaret Confessarius, si diceret, pœnitentem suum esse scrupulosum, rudem, irresolutæ naturæ, hebetis ingenii &c. Sporer *num.* 841. Michel *fol.* 609. *num.* 35. & alii apud istum. Ratio est: quia etiam talium manifestatio hominibus ingrata accidit, & Sacramentum Pœnitentiæ odiosum reddit; ac subinde quoque damnosum, veluti eveniret in casu, quo illiusmodi prædicata, alioquin ignota, & per solam confessionem cognita, coram aliis attribuerentur pœnitenti, ad Beneficium, vel Dignitatem aliquam aspiranti. Distinctione tamen hic utitur P. Sporer *num.* 842. & vult, ejusmodi defectus sub Sigillum cadere, si alii sint ignoti; secus, si sint noti. Veruntamen hæc distinctio videtur solum evincere, manifestatione illorum defectuum, si jam sint noti, non fore pœnitenti damnosam; haud vero, non fore odiosam: siquidem omnino ingratum sonaret in auribus pœnitentis, si intelligeret, se scrupulosum, rudem &c. appellari a suo Confessario, vi factæ confessionis, & modi, quem in ea faciendi adhibuit; licet tales defectus jam alias essent noti. Quod si tamen Confessarius etiam ipse extra confessionem noverit, suum pœnitentem esse scrupulosum, rudem &c. poterit haud dubie ea notitia uti, dummodo pure utatur, prout mox dicemus *numer. seq.* de notitia ipsorum peccatorum.

707. Colliges primo, concessum non esse Confessario peccata publica, quatenus per confessionem cognita, edicere. Unde peccaret, & Sigillum frangeret, dicendo v. g. *homo iste publice condemnatus, sua Latrocinia, furta, rapinas &c. mihi confessus est*, vel *sua mendacia jocosa, nuper coram vobis prolata &c.* Herinquez *lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 4. & alii communiter. Ratio est: quia si talis facultas Confessariis esset concessa, eadem sæpe abuterentur, seu minus publica evulgando, seu minus certa confirmando; quod utique confessionem pœnitentibus exosam redderet. Similiter non est concessum Confessario loqui de peccatis sui pœnitentis cum illis, quibus ea, quocunque demum modo, cognita sunt: siquidem & hoc ingratum solet accidere pœnitentibus, eosque retrahere ab usu Sacramenti Pœnitentiæ. Quod si tamen ipse quoque Confessarius, sive in priore, sive in posteriore casu, notitiam aliunde, quam ex confessione, acceptam habeat, eadem, sive ante, sive post confessionem acquisita, uti non prohibetur, modo utatur pure, & non ut confirmata ex auditis in confessione, prout fatentur DD. universim. Unde Confessarius potest suum famulum, vel alium propter furtum, verb. grat. domo expellere, aut civiliter apud Judicem accusare, si id ex confessione, & insuper etiam aliunde cognovit. Laymann ubi supra *numer.* 3. Sed observatis his cautelis 1. ut si delictum jam cognovit ante confessionem, dirigat, si commode possit, pœnitentem in primo statim accessu, & antequam is confiteri incipiat, ad alium Confessarium. 2. ut si ejus confessionem audierit, nullo modo significet, se delictum ex confessione scire. 3. ut ad evitandum scandalum indicet modum, quo delictum illud extra confessionem rescivit. 4. ut notitia confessionis in prædictum finem nullatenus utatur, prout immediate supra insinuatum est. Ita cum aliis a se relatis P. Stoz *lib.* 2. *num.* 222.

708. Colliges secundo, quod Confessarius in certis circumstantiis frangere etiam Sigillum possit, dicendo, hunc, vel illum sibi esse confessum; ut contingeret, si pœnitens occulte, & tempore alias non consueto accessisset Confessarium, præsertim potestate in reservata prædictum. Ratio est: quia Confessarius, tali casu dicens, hunc, vel illum sibi esse confessum, auscultantibus ingereret suspicionem de gravi, vel etiam reservato crimine pœnitentis. Laymann *loc. cit. n.* 6. Sporer *numer.* 825. & alii. Itidem frangeret Sigillum Confessarius, si de quopiam pœnitente determinato assereret, quod eum sine absolutione dimiserit. Ratio est: quia licet dentur causæ, ob quas Confessarius pœnitentem, citra hujus culpam, sine absolutione dimittere possit, vel etiam debeat, eæ tamen non sufficiunt ad impediendam in audientibus suspicionem, quod hic talis pœnitens debuerit inabsolutus recedere ob culpabilem sui indispositionem, utpote ob quam ordinarie denegari absolutio solet. Quare si contingeret, Confessarium interrogari, an pœnitentem, sibi confessum, absolverit? & ad respondendum urgeri, apte responderet, se functum fuisse suo officio. Quod si interrogans, tali responsione non contentus, acquiescere nolit, remittat eum ad ipsummet pœnitentem &c. Bonacina *disputat.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *numer.* 6. Babenstuber *loc. cit. numer.* 21. & alii passim. Pariter frangit Sigillum Confessarius, dum schedam, factæ confessionis testem, quam passim aliis dat, negat pœnitenti, ob aliquam sui indispositionem absolutionis incapaci, Sacramentaliter tamen confesso, & idcirco, more aliorum, schedam petenti. Ita Laymann ubi supra *n.* 8. Diana *part.* 9. *tr.* 11. *resol.* 22. Stoz *lib.* 2. *n.* 235. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1944. & alii quam plurimi contra Henriquez, Bonacinam, Lugonem, Dicastillo, Gormaz &c. Ratio est; nam omnes, qui sciunt,

Confessa-

Confessarium passim suis pœnitentibus dare ejusmodi schedam, & simul sciunt, Cajum v. g. ipsi etiam esse confessum, schedamque petiisse, sed Confessarium ei negasse, ex hac ipsa negatione, in id genus circumstantiis facta, colligunt, vel certe merito suspicantur, Cajum ob gravem suam culpam absolutionis beneficio judicatum fuisse indignum, & ideo ab accipienda contesta confessionis scheda repulsum: consequenter &c. Dando autem schedam Confessionis Confessarius non approbat Confessionem, nec mentitur; quia solum testatur, Cajum esse confessum; quod verum est: nec adoperatur peccata pœnitentis, si hic, tali testimonio munitus, ad Sanctam Eucharistiam accedat, alias forte non accessurus; modo eum dehortetur, ne accedat: tali quippe dehortatione præmissa, Confessarius suo functus est officio, & culpa sacrilegi accessus jam non ipsi, sed soli accedenti imputabitur: velut recte notant Laymann, & Stoz cit. quorum posterior addit, quod Confessarius possit; ac debeat dare schedam publico quoque peccatori, etiam perseveranti in suo malo statu, si tamen is dicto modo confessus sit; nam alias, & hic præberet videntibus ansam suspicandi, vel potius judicandi, ejusmodi peccatorem non esse absolutum ob multiplicata crimina, & perversam voluntatem pergendi in illis frequentandis; quod itidem sine abusu scientiæ per confessionem acquisitæ, & violatione Sigilli facere Confessarius nequit. Quod si forte alicubi vigeat consuetudo, ut in scheda scribi debeat, pœnitentem esse absolutum, vel idem administratum Sacramentum Pœnitentiæ, accommodare se poterunt, & debebunt Confessarii sententiæ contrariæ, quæ non videtur improbabilis, saltem in tali casu necessitatis; ubi vel mentiendum (quod nunquam licet) vel scheda deneganda est.

709. Colliges tertio, quod Confessarius Sigillum frangat, quando pœnitentiam, a se personæ determinatæ impositam, revelat, saltem si ea gravis sit. Diana *part.* 5. *tract.* 11. *resol.* 31. Sporer *num.* 837. & alii communiter, Ratio est: quia per ejusmodi revelationem præberur audientibus occasio, imo causa judicandi, pœnitentem gravi peccato oneratum fuisse; cum pœnitentia gravis non soleat imponi nisi pro culpa gravi. Hinc Diana *loc. cit.* merito pro fractore Sigilli habuit Sacerdotem, qui dixit de certo aliquo homine, se illi pro pœnitentia injunxisse recitationem Coronæ Beatæ Virginis. Similiter frangit Sigillum Confessarius, qui alicui injungit pœnitentiam gravem, quam is peragere non valet, nisi coram aliis. Ratio est eadem, quæ supra. Quare (inquit P. Sporer) imprudenter agunt Confessarii, dum famulis, & opificibus imponunt jejunia, quæ alios latere non possunt, & a Confessario esse injuncta facile advertuntur. Dixi: *saltem si ea sit gravis*: Nam revelare pœnitentiam, omni ex parte levem, & qualis imponi solet etiam pro uno, alterove veniali antiquo, noviter clavibus subjecto, non est contra Sigillum: quia ex tali revelatione pœnitens nullam prorsus infamiam, aut odium subit, ut patet. Unde non peccat, nec Sigillum violat Confessarius, si dicat, se alicui pro pœnitentia injunxisse recitationem trium, vel etiam quinque *Pater*, & *Ave*: talis namque pœnitentia a Confessariis imponitur pro uno, aut altero veniali, etsi hoc novum non sit, sed tantum in confessione repetitum. Oppositum censeo (contra Dianam) si Confessarius diceret, se huic determinato pœnitenti in satisfactionem imposuisse Psalmum *Miserere*: Ratio est opposita; nam licet recitatio hujus Psalmi brevior sit, seu citius peragi valeat, ac recitatio quinque *Pater*, & *Ave*, illa tamen a Confessario non facile imponi solet, nisi forte pro venialibus grandiusculis, aut multiplicatis; vel pro mortalibus, de novo subjectis; aut saltem, cum reflexione ad ea: consequenter &c.

710. Colliges quarto, non esse immunem a fractione Sigilli Confessarium, qui de suo pœnitente dicit, quod non sit confessus hoc, aut illud peccatum, de cujus tamen perpetratione constat, aut constare poterit. Palao *de Pœnitent. disp. unic. pun.* 19. §. 3. *n.* 2. Laymann ubi supra *num.* 6. Stoz *lib.* 2. *num.* 238. Ratio est: quia reddit pœnitentem suspectum de non servata integritate confessionis; quod redundat in ejus vituperium, & infamiam. Unde quando ex duobus pœnitentibus, v. g. sponsis, ille, qui prius confitetur, se non accusat de peccato, quod posterior fatetur se cum illo commisisse, violati Sigilli reus erit Confessarius, si verbo, vel facto ostendat, priorem id non fuisse confessum. Sic etiam accidere potest, ut Confessarii Officialium, mercatorum, conjugum &c. impingant contra Sigillum, quando edicunt, id genus personas non confiteri, vel non esse confessas peccata, in ejusmodi statibus commitii solita, præsertim dum alii coram iisdem Confessariis illas redarguunt ut talium peccatorum reas.

711. Colliges quinto, quamvis Sigillum non violetur, si Confessarius, nulla nominata persona, generatim dicat, se in confessione audivisse hoc, vel illud peccatum v. g. stupri, adulterii, bestialitatis &c. consultissimum tamen esse, ut omnino taceatur, & de peccatis in confessione auditis nulla omnino mentio fiat, nisi ob causam magnæ utilitatis, vel consilii capiendi a Viro docto, & cum tali, tantaque cautela, ut in pœnitentis notitiam nullo modo deveniri possit. Vel enim Confessarius de auditis in confessione loquitur coram hominibus rudibus, vel coram hominibus sagacibus; si coram rudibus, vel saltem in Theologia Morali non versatis, facile præbebit iis scandalum: cum enim hi tales inter locutionem genericam, & specificam de peccatis in confessione auditis, sufficienter distinguere nesciant, facile existimabunt, Confessarium in posito casu agere contra Sigillum, vel hujus fractionem non esse tam stricte prohibitam, quam esse communiter asseritur: sicque a frequentanda confessione retrahentur, suorum quoque peccatorum propalationem, & infamiam (vel etiam damnum) inde oriri natam, metuentes; si coram sagacibus, concurrere poterunt circumstantiæ, ex quibus simul junctis ii aliquando in notitiam pœnitentis deveniant. Schmalzgrueber *lib.* 5. *Decretal. tit.* 38. *num.* 75. & *seqq.* aliique communiter. Superaddo in confirmationem hujus doctrinæ verba Augustini Michael *de Pœnitent. fol.* 598. *num.* 30. ubi sic habet: Stultissime agunt illi Sacerdotes, qui postquam in celebri concursu pœnitentium Confessionibus audiendis dederunt operam, deinde in conviviis, quibus plerumque pro aliqua refocillatione illi, qui confessionali insudarunt, recreantur; totum discursum instruunt de auditis in Confessione. Ita cit. Author in terminis, rationem addens; quia id, præsertim, si seculares præsto sint, cedit in grandem irreverentiam, & odium tam salutaris Sacramenti. Infert præterea cum Palao, & Laymanno, gravissimum violandi Sigilli periculum esse, siquis de aliquo oppido, aut pago forte non admodum populoso, ubi paulo ante Confessiones excepit, affirmet, plura gravia peccata ibi grassari; vel (quod adhuc deterius est) eadem peccata etiam specificet: præterquam quod Communitas ipsa non leviter aut de novo infametur, aut si infamata aliunde jam fuerit, ejus infamia per authoritatem Confessarii firmetur, & augeatur.

ARTICULUS III.

Quinam teneantur obligatione Sigilli?

SUMMARIUM.

712. & seq. Recensentur personæ, præter Confessarium ad Sigillum obligatæ. 714. Iis accenseri non debet, qui scriptam alicujus confessionem reperit, ac legit: sicut nec 715. ipse pœnitens. 716. Quænam pœnæ statutæ sint in violatores Sigilli, & a quibus incurrantur?

712. Dico. Præter Confessarium, cui per se, ac directe peccatorum Confessio fit, quique proinde Sigillo principaliter obstringitur, ad idem Sigillum obligantur omnes illi, ad quos notitia Confessionis quomodocunque, immediate, vel mediate, vel indirecte, licite, vel illicite, pervenit. Doctor Angelicus *in* 5. *distinct.* 21. *quæst.* 4. *articul.* 1. *quæstiuncu.* 3. Doctor Subtilis *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 1. & *dist.* 21. *quæst.* 2. aliique communiter. Imo conclusio est generalis, & certa regula omnium Theologorum. Ratio ejus est: quia alias Christus Dominus non satis prospexisset pœnitentibus, si obligationem Sigilli non annexuisset

nexuisset Confessioni, quomodocunque exceptæ, & redderetur Confessio odiosa, ut homines facile ab ejusdem usu averterentur; quandoquidem vix contingere potest, quin pluries deveniat etiam in aliorum quorundam, a Confessario distinctorum, noti iam. Confirmatur. Res transit cum suo onere *cap.* 28. *de Decimis*; notitia autem ex Confessione Sacramentali hausta adjunctum habet onus Sigilli; ergo cum hoc tali onere transit, ad quemcunque pervenit.

713. Explicatur porro, & applicatur particulatim eadem regula, ad personas Sigillo obligatas. Prima est ille, cui pœnitens bona fide confitetur, existimans esse Sacerdotem, cum non sit; vel esse potestate absolvendi præditum, cum ea careat. Laymann ubi supra *num.* 17. Palao *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 19. §. 2. *num.* 1. Bonacina *disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *punct.* 2. *num.* 2. & alii communiter. Ratio est; quia ejusmodi confessio saltem ex intentione pœnitentis est Sacramentalis; ergo inductiva obligationis ad Sigillum Sacramentale in Confessario existimato. Revide dicta superius *num.* 703. Contrarium videtur dicendum, videlicet non resultare obligationem Sigilli Sacramentalis in Laico, vel Clerico non Sacerdote, cui quis confitetur, sciens, non esse Sacerdotem, sed erronee existimans, etiam Laicum, in absentia Sacerdotis, absolvere posse. Ratio est; quia talis confessio nullo modo est Sacramentalis, ne quidem ex intentione confitentis, nisi valde erronea errore Juris crassissimo, qui confitenti non suffragatur in ordine ad inducendam obligationem Sigilli Sacramentalis: esto nullus ambigas, etiam sic erronee existimatum Confessarium stringi arctissima obligatione secreti naturalis. Laymann *num.* 19. *in fine*. Sporer *num.* 849. & alii satis communiter.

Secunda est interpres, quo interdum utitur pœnitens ad confitendum. Ratio est: quia licet interpres se non tam teneat ex parte Confessarii, quam pœnitentis, accipit tamen notitiam peccatorum ex Confessione Sacramentali inchoata, quæ ipso mediante perficitur, ac completur apud Confessarium. Bonacina *loc. cit. punct.* 3. *num.* 5. Salmaticenses *tract.* 6. *cap.* 14. *punct.* 4. *num.* 59. Babenstuber *tract.* 8. *part.* 6. *disp.* 6. *art.* 5. *num.* 25. & alii passim.

Tertia est Vir doctus, quem Confessarius de licentia pœnitentis debite petita, & obtenta (de qua inferius *num.* 719.) consulit, quo rectius in aliquo casu procedere, pœnitentem instruere, aut quomodolibet juvare valeat. Ratio est; quia notitia, quam tunc Confessarius communicat Consiliario, est eadem, quam ipse habet; ergo sicut in Confessario parit obligationem Sigilli Sacramentalis, ita & Consiliario; quia res transit cum suo onere, ut supra animadversum est. Bonacina *loc. cit. num.* 4. Cardinalis de Lugo *disput.* 23. *sect.* 2. *a num.* 25. Sporer *num.* 854. aliique satis communiter.

Quarta est Prælatus, seu Superior, quem Confessarius solicitat pro concedenda facultate absolvendi v. g. a casu reservato. Ratio est: quia notitia illa, quam Prælatus accipit Confessario, absolvendi facultatem petente, oritur ex notitia, quam idem Confessarius hausit ex inchoata confessione pœnitentis; censenturque ambæ eadem moraliter notitia; ergo in utroque subjecto, Confessario scilicet, ac Prælato, eandem obligationem Sigilli Sacramentalis pariunt. Quod idem dicendum, quando pœnitens personaliter adit Prælatum, & memoratam facultatem petit: siquidem hæc ipsa petitio est quædam inchoata confessio, ordinata ad absolutionem recipiendam a Confessario per Prælatum delegato. Cardinalis de Lugo ubi supra *a n.* 34. Salmaticenses *num.* 66. & alii passim.

Quinta denique est omnis ille, cui Confessarius audita in Confessione sacrilege manifestavit. Item omnis, qui, sive casu, sive ex industria, cum adstaret ad S. Tribunal, aut aliter Confessionem pœnitentis audivit vel immediate, & per se ipsum, vel mediate, & ab aliis audientibus narratam. Ratio est: quia notitia, suam trahens originem ex Confessione Sacramentali, annexum habet onus Sigilli Sacramentalis; atqui notitia, in memoratis casibus acquisita, est hujusmodi; ergo &c. Sporer *num.* 851. Michel *de Pœnit. fol.* 602. *num.* 39. & alii ab ipsis relati.

714. Quæres primo, an ille, qui scriptam alicujus Confessionem reperit, ac legit, obstringatur Sigillo Sacramentali?

Respondetur negative. Ita verior sententia, quam tenent Cardinalis de Lugo *disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 47. Laymann ubi supra *num.* 24. Elbel *de Pœnit. n.* 503. & alii quam plurimi contra alios. Ratio est: siquidem talis scriptura, nec ante, nec post Confessionem peractam, obtinet intrinsece, & formaliter rationem Confessionis Sacramentalis, etiam inchoatæ tantum; sed solum exhibet materiam Confessionis Sacramentalis, a qua proinde, ceu suo fine, extrinsece tantum, & materialiter denominatur *confessio*; ergo in legente non parit obligationem Sigilli Sacramentalis (quippe ex sola Confessione Sacramentali, intrinsece, & formaliter tali, oriundam) sed secreti naturalis tantum; adeo tamen arcte ad tacendum lecta adstringentis, ut Judex, si ipse legeret, vel lectorum ab alio notitiam acquisierit, non possit ad inquisitionem, aut punitionem procedere, sed teneatur lecta perpetuo silentio tegere; quoniam reverentia Sacramento debita postulat, ut instrumenta Confessionis non deducantur ad forum externum cum periculo odii, & onere ipsius Confessionis: veluti cum aliis a se relatis bene tradit Michael ubi supra *num.* 40. Ubi etiam notat cum communi aliorum, quod mortaliter peccet, qui Confessionem scriptam, forte repertam, scienter, & voluntarie legit; cum gravem inferat injuriam pœnitenti, cujus, utique inviti, occulta facta scrutatur: nisi moraliter certus sit, leviuscula duntaxat peccata in scriptura contineri; quo casu a mortali culpa excusari posset legens.

Ceterum responsio principalis ad quæsitum intelligi debet de scriptura secundum se sumpta, & quatenus est quid permanens; non vero de scriptura ut tradita v. g. Confessario, vel per pœnitentem prælegi cœpta in ordine ad absolutionem Sacramentalem obtinendam; adeoque ut est quid transiens. Si enim hoc posteriore modo sumatur scriptura, omnino rationem Confessionis Sacramentalis obtinet, & audientem perlegi ad Sigillum Sacramentale obstringit. Idem dicendum foret in casu, quo quis per literas petivisset a Superiore licentiam, ut absolvi posset a peccato reservato quod in iisdem literis expressisset; tunc enim qui legeret peccatum reservatum scriptoris, obligaretur Sigillo Sacramentali, non minus, ac iste, qui casu audiret verba petentis hanc talem licentiam; cum Confessio Sacramentalis censeatur inchoari per petitionem illius licentiæ, sive scriptotenus, sive oretenus factam. Videatur Babenstuber *loc. cit. num.* 30.

715. Quæres secundo, an etiam pœnitens Sigillo Sacramentali adstringatur ad tacendum audita e Confessario?

Respondetur negative. Suarez *disput.* 33. *sect.* 4. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 1. Gobat *in Theolog. Experiment. tract.* 7. *num.* 862. & alii communiter. Ratio est: quia cum Sigillum Sacramentale in favorem pœnitentium a Christo institutum sit, ut secure peccata Sacerdoti absque periculo revelationis aperire valeant; ideo fit, ut ea duntaxat, quæ ipsi pandunt, sub illud cadant, non quæ a Confessario audiunt; siquidem ex horum revelatione pœnitentibus Confessio exosa reddi non potest. De cetero omnes fatentur, pœnitentem attineri vinculo secreti naturalis ad servandum silentium de dictis, vel factis Confessarii, quorum propalatio eidem infamiam, aliudve incommodum consciscere posset: nisi eorum detectio judicetur necessaria ad avertendum majus malum; sicut Gregorius XV. constituit, ut pœnitens ad Inquisitores, aut Episcopum deferat Confessarium, a quo ad turpem aliquem luxuriæ actum in Confessionali, vel occasione Confessionis, aut sub hujus prætextu solicitatus, sive (intelligendum quippe venit de pœnitente mare, & fœmina) solicitata fuit. Revide super hoc, quæ diximus *part.* 2. *num.* 669.

716. Quæres tertio, quænam pœnæ statutæ sint in violatores Sigilli Sacramentalis, & num ab omnibus violatoribus incurrantur?

Respondetur primo ad primum membrum quæsiti, Jure scripto *cap.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* statutas esse pœnas depositionis ab Officio Sacerdotali, & detrusionis in arctum Monasterium ad peragendam ibi perpetuam pœnitentiam, non ipso facto incurrendas, sed per sententiam Judicis infligendas: prout annotavimus *num.* 702. *prope fin.* ubi etiam allegati *cap.* verba attulimus. At

Jure

Jure consuetudinario hodie; postquam detrusio in monasterium a Curiarum Ecclesiasticarum usu recessit, loco illius suffecta est detrusio in perpetuos carceres, perstante tamen pœna depositionis a Sacerdotali Officio. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 38. *n.* 3. & 4. VViestner *ibid. n.* 116. ac alii passim.

Respondetur secundo ad secundum membrum quæsiti, negative: sed solus Sacerdos, qui Confessionem excepit, & Sigillum fregit, pœnis præmemoratis subjacet. Ratio est: quia textus *cit. cap.* 12. loquitur de solo tali Sacerdote; ergo cum sit pœnalis, non venit extendendus ad alios. Unde quicunque alii violatores Sigilli non ordinariæ, sed arbitrariæ pœnæ, quæ tamen secundum qualitatem excessus exasperari potest, obnoxii sunt, Reiffenstuel *loc. cit. n.* 5. VViestner *n.* 118. Stoz *lib.* 2. *n.* 277. & alii communiter. Imo etiam ut Sacerdos Sigillifragus pœnas illas Jure constitutas incurrat, tria requiruntur. 1. *Ut revelet peccatum.* Ratio itidem est: quia textus *iterato cit. cap.* 12. loquitur de Sacerdote revelante peccatum. Unde si is aliud quidpiam, quod sub Sigillum cadit, revelet, e. g. defectum naturalium, vel aliud quid simile, in Confessione sibi detectum, arbitraria solum, multo tamen graviore pœna, quam violator secreti naturalis, puniendus est. Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 38. *n.* 80. Reiffenstuel ubi supra *n.* 6. & alii passim. 2. *Ut peccatum revelet præsumptuosè*. Ratio rursus promitur ex textu *cit. cap.* 12. ubi dicitur: *qui præsumpserit revelare.* Quapropter si id faciat ex ignorantia, vel inadvertentia (uti facere fere solent, qui animi secreta produnt in delirio, somno, vel ebrietate) cum talis locutio plerumque non sit humana, aut sufficienter deliberata, loquens non erit ulli, vel saltem non ordinariæ fracti Sigilli pœnæ obnoxius, Reiffenstuel ubi supra *n.* 7. VViestner *n.* 121. Schmalzgrueber *loc. & n. citt.* 3. *Ut peccatum manifestet personæ, a pœnitente distinctæ.* Ratio est: quia *cit. cap.* utitur verbo *revelare*; atqui Sacerdos objiciendo peccatum ipsimet pœnitenti, quamvis Sigillum frangat, si id extra Confessionem faciat, non tamen censetur proprie revelare peccatum: consequenter non subjicitur pœnæ ordinariæ, Jure constitutæ, sed extraordinaria, & arbitraria afficiendus est, Stoz *loc. & n. citt.* Reiffenstuel *n.* 8. & alii passim.

ARTICULUS IV.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

717. *An Confessario aliquando licitus sit usus notitiæ ex Confessione comparatæ?* 718. *An Confessario liceat loqui cum pœnitente de peracta Confessione?* 719. *Quo sensu verum sit, pœnitentem posse Confessario dare licentiam loquendi extra Confessionem de auditis in Confessione?* 720. *Licentia pœnitentis debet esse expressa, & libera.* 721. *Qui se gerere debeat Confessarius, quando pœnitentis peccatum extra ipsius Confessionem cognovit, de quo tamen is se non accusat?* 722. *Quid faciendum Confessario, si jurato interrogetur de auditis in Confessione?*

717. QUæres primo, an Confessario aliquando licitus sit usus notitiæ ex Confessione comparatæ?

Antequam ad quæsitum respondeatur, notandum venit, aliud esse violationem Sigilli Sacramentalis, aliud usum scientiæ ex Confessione haustæ: nam potest quis ista scientia uti, quin violet Sigillum; veluti liquebit ex dicendis. Ceterum circa usum prædictæ scientiæ editum est *an.* 1682. *die* 18. *Novemb.* decretum Sacræ Congregationis, in quo judicium fertur de sequenti propositione: *Scientia, ex confessione acquisita, uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Addita postea est explicatio, seu limitatio, quod propositio sit intelligenda de usu scientiæ illius, cum gravamine pœnitentis, seclusa quacunque revelatione, atque in casu, quo multo majus gravamen ejusdem pœnitentis sequeretur ex non usu. Statutum est autem a Sacra Congregatione, recitatam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam ut modificatam præfata explicatione, sive limitatione. Prius autem, seu *anno* 1594. *die* 26. *Maii* Clemens VIII. *in Decreto de casibus reservatis pro omnibus Religiosis caput.* 4. sic præcipit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Hoc per modum præambuli notato, ad quæsitum.

Respondetur primo. Illicitum est uti notitia Confessionis, quoties vel periculum violandi Sigillum, vel incommodum aliquod pœnitentis intervenit. Hæc responsio, seu sententia hodie post Decretum Clementis VIII. immediate relatum, & universalem prohibitionem propositionis supra recitatæ, est certa; uti advertunt Viva *in Appendice ad propos. damnatas* §. 9. *dub.* 1. *prope fin.* La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1977. & alii. Ratio est: siquidem omnis ille usus notitiæ, ex Confessione haustæ, est illicitus, qui Sacramentum Pœnitentiæ reddit odiosum, & difficilius, quam per se est: atqui hoc facit usus ejusdem notitiæ, quoties per eum violatur Sigillum, vel incommodum affertur pœnitenti; ergo &c.

Hinc contra reverentiam Sacramenti peccat 1. Episcopus auferens alicui Officium a nutu suo pendens, Collator non conferens Beneficium, Patronus non præsentans, Elector non eligens ad Prælaturam, cujus administrationem Ecclesiæ, vel Monasterio damnosam, aut animabus periculosam fore prævidet ex notitia per solam Confessionem comparata. 2. Superior Regularis ad impediendam continuationem peccati, a suo Subdito patrati, seris muniens fores, obstruens fenestram, diligentius visitans locum, per quem eum e Monasterio furtive egredi consuevisse, vi solius Confessionis novit. 3. Parochus S. Eucharistiam, vel assistentiam, aut benedictionem nuptialem etiam privatim negans ei, quem ex sola Confessione novit indignum, inhabilem &c. 4. Sacerdos dimittens furacem famulum, peccandi materiam, aut occasionem eidem subtrahens; vel etiam ad timorem Dei, vitiorum fugam &c. ferventius exhortans eum, quem vitiis deditum ex sola Confessione cognovit. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 16. *n.* 3. & 4. Laymann ubi supra *a n.* 14. Stoz *lib.* 2. *a n.* 250. La Croix *loc. cit. n.* 1963. 1976. & 1977. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disp.* 6. *art.* 5. *n.* 38. aliique passim. Nec dicas, Decretum Clementis VIII. solum loqui de Superioribus Regularium; non item de Episcopis, Sacerdotibus secularibus &c. ergo saltem istos non afficit prohibitio, in illo contenta. Respondetur enim, neg. cons. Quamvis enim Decretum loquatur de solis Regularibus, prohibitio tamen illa ad omnes omnino Confessarios porrigitur; tum ob paritatem rationis, quæ universalis est (ne scilicet Confessio reddatur odiosa) tum, & præsertim, ob evitandum absurdum, quod sequeretur, nisi prohibitio Decreti Clementini extenderetur ad universos Confessarios; hoc quippe si non fieret, argui posset, sive arguitive inferri, quod Confessarii seculares Sacramentum Pœnitentiæ odiosum reddere licite possint, saltem quantum est de mente Pontificis. Accedit, quod prohibitio altera (de qua *in vibrando* supra) sit expresse universalis. Revide, & perpende.

Respondetur jam ad quæsitum secundo. Licitum e diverso est uti notitia Confessionis, quoties id & sine omni periculo revelandi Sigillum, & sine omni pœnitentis incommodo fieri potest. Sanchez ubi supra *n.* 4. Card. de Lugo *disp.* 23. *sect.* 5. *numer.* 102. Sporer *numer.* 861. Stoz. *lib.* 2. *numer.* 27. & alii communiter. Ratio est opposita: quia ex dictis ille solum usus notitiæ, per Confessionem acquisitæ, est illicitus, qui Sacramentum Pœnitentiæ reddit odiosum, aut difficilius, quam per se est: sed hoc non facit usus, de quo loquimur; ergo non est illicitus.

Et hinc Confessarius notitia per Confessionem comparata moveri potest, 1. ad fundendas preces, & pia opera peragenda pro conversione, & salute pœnitentis. 2. ad investiganda media, & modos juvandi, & dirigendi in via salutis tam pœnitentem ipsum, quam alios. 3. ad vitandum pericula, & occasiones tam peccandi, tum damnorum in bonis corporis, fortunæ &c.

&c. in quibus pœnitentem fuisse ex Confessione novit. 4. ad concionandum de peccatis, & sola Confessione cognitis, coram Communitate aliqua ampla: modo non dicat, ea peccata ex Confessione sibi esse nota; talis quippe dictio non vacaret periculo revelationis, & scandali. Dixi: *coram Communitate aliqua ampla*, cujusmodi est, e. g. aliqua civitas. Nam si Cœtus, coram quo concionatur, sit valde parvus, e. g. Monasterium, vel Collegium aliquod, magnum periculum est violandi Sigillum. Ita cum aliis a se relatis P. Stoz *lib. 2. num.* 248. & seq. ubi adhuc plures ejusmodi casus affert, & ventilat.

718. Quæres secundo, an Confessario licitum sit loqui cum pœnitente de peracta Confessione?

Respondetur primo; esse licitum non modo ante, sed etiam post impertitam absolutionem, quando pœnitens adhuc in Confessionali existit. Lugo *disput.* 23. *de Pœnit. sect.* 5. *num.* 129. Salmanticenses *tract.* 6. *cap.* 14. *punct.* 3. *num.* 43. Illsung *tract.* 6. *disputat.* 6. *quæstion.* 6. *articul.* 5. *num.* 250. Stoz *lib.* 2. *num.* 194. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1980. & alii passim. Ratio est: quia licet, impertita jam absolutione, Sacramentum Pœnitentiæ, seu Judicium Sacramentale sit finitum essentialiter, nondum tamen omnino finitum est integraliter, quando pœnitens adhuc in Confessionali hæret: sicut enim prædictum Judicium essentialiter constituitur confessione, & absolutione; ita integraliter alios adhuc actus involvit, puta impositionem pœnitentiæ; instructionem de obligatione, & modo restitutionis faciendæ; admonitionem de vitandis peccatis, peccandique periculis, &c. quos proinde Confessarius, si ante oblitus fuerit, adhuc supplere, & suggerere, sine pœnitentis licentia, potest, ac debet: modo, ut dictum, id faciat incontinenti, & antequam pœnitens e S. Tribunali recedat.

Respondetur secundo, etiam in posteriore Confessione licitum esse Confessario loqui de illis, quæ a pœnitente audivit in Confessione, vel Confessionibus prioribus, Salmanticenses ubi supra *num.* 42. Illsung *num.* 251. Stoz *num.* 195. & alii passim. Ratio est: quia Confessario incumbit modo meliore, quo fieri potest, emolumentum, & salutem pœnitentis procurare, quando in eodem Tribunali sedet, eodemque Officio fungitur; atqui hoc præstare non posset, nisi liceret uti notitia, ex Confessionibus præcedentibus ejusdem pœnitentis hausta; nam dependenter ab ista perspectum sibi habet statum pœnitentis, quem meliorare, vel conservare debet; ergo &c. Ex quo fit, ut Confessarius, quando in priori Confessione erravit, v. g. non interrogando de specie, vel numero peccatorum mortalium, possit, licentia non petita, vel etiam debeat (si aliunde nihil obstet) de iis interrogare in posteriori Confessione: veluti advertit P. Stoz *loc. & num. cit.*

Respondetur tertio, non esse licitum Confessario extra Confessionem loqui de sibi concreditis in Confessione, ne quidem cum ipso pœnitente, absque ejus licentia. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disput.* 16. *num.* 3. Palao *tract.* 23. *disput. unic. punct.* 19. §. 3. *num.* 14. Salmanticenses ubi supra *num.* 39. & alii communiter. Ratio est: quia Sigillum Sacramentale non modo obligat ad non infamandum pœnitentem, sed etiam ad non reddendum Sacramentum Pœnitentiæ odiosum: atqui istud redderetur odiosum, si licitum esse Confessario de auditis in Confessione loqui extra ipsam, etiam cum solo pœnitente, absque ejus licentia; cum talis locutio pœnitentem plerumque aliqua confusione, rubore, ac pudore suffunderet; ergo &c. Atque hinc arctius est Sigillum Sacramentale, quam naturale; hoc quippe posterius locutione cum eo, qui illud concredidit, non violatur: prout cum communi aliorum recte notat P. Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 67. Ex dictis in hac tertia responsione fluit, quod Confessarius, quando deprehendit, in Confessione errorem a se, vel defectum esse commissum, non possit pœnitentem monere extra Confessionem, absque ejusdem licentia, ob rationem immediate allatam. Salmanticenses *loc. cit. n.* 44. Palao *num.* 15. & alii passim. Nec dicas, illam monitionem non vere, seu proprie fieri extra Confessionem; cum suppleat ea, quæ ad Confessionem pertinent. Contra enim est, quod ipso pœnitentis post absolutionem bene, vel male impensam recessu a Sacro Tribunali Judicium Sacramentale omnino finiatur, & cesset Officium Judicis in foro interno; consequenter memorata locutio Confessarii cum pœnitente censetur vere fieri in foro externo, & extra Confessionem; veluti bene advertit cum aliis Babenstuber *tract.* 8. *part.* 6. *disp.* 6. *art.* 5. *num.* 32.

719. Quæres tertio, quo sensu verum sit, pœnitentem posse (uti hactenus supponebamus) Confessario dare licentiam loquendi extra Confessionem de auditis in Confessione?

Respondetur primo, non esse verum in sensu composito, quasi pœnitens, cedendo suo juri, quo relate ad obligationem Sigilli Sacramentalis obtinet, possit permittere Confessario, ut extra Confessionem loquatur de actis, & dictis in Confessione, quatenus reduplicative in Confessione acta, & dicta sunt. Ita Petrus Marchant. *tract.* 4. *titul.* 6. *quæst.* 6. *in appendice* 2. *conclus.* signate, & terminis: estque reipsa doctrina Scoti *in* 4. *distinct.* 21. *quæstion.* 2. *a num.* 18. Hicquæi, Brancati, Mastrii, & aliorum Scotistarum. Ratio est; quia Sigillum principaliter est introductum in reverentiam Sacramenti, esto etiam respiciat favorem pœnitentis; ergo licet pœnitens cedat suo juri, quod relate ad obligationem Sigilli obtinet, non tamen hæc idcirco stringere cessat, Ant. communiter admittitur. Conf. inde ostenditur, quod cessio illa juris sit inefficax, & reipsa nihil operetur, quippe fundata in consensu inefficaci, quo pœnitens in deobligationem Sigilli consentit: sicut inefficax est consensus Clerici, quo is in sui percussionem consentit; nec facit, quin Lex prohibens percussionem Clerici adhuc obliget, etiam relate ad consentientem non percutiendum, quippe principaliter sancita in favorem totius Status Clericalis. Relege, quæ tradidimus *part.* 4. *a num.* 326. Confirmatur, Pœnitens non potest proprie, formaliter, & directe dispensare super obligatione Sigilli: prout omnes ultro fatentur; sed Confessario dare licentiam loquendi extra Confessionem de auditis in Confessione, quatenus in hac audita sunt, esset dispensare proprie, formaliter, & directe super obligatione Sigilli; veluti colligitur ex dictis *part.* 1. *num.* 472. & 477. cum obligatione Sigilli combinatis; ergo &c.

Respondetur secundo, esse verum (pœnitentem posse Confessario dare licentiam loquendi extra Confessionem de auditis in Confessione), hoc sensu, quod pœnitens notitiam Confessario in Confessione communicatam, sive notitiam Sacramentalem etiam communicare possit extra Confessionem, sicque transferre in extra-Sacramentalem, eo fine, & consilio, ut Confessarius vel cum ipso pœnitente, vel cum tertio in illius, vel istius bonum, libere loqui possit de actis, & dictis in Confessione, non quatenus in Confessione acta, & dicta sunt, sed quatenus extra eam repetita sunt. Quod sine dubio, servatis debitis conditionibus, a pœnitente fieri potest, inquit P. Marchant. *loc. cit.* Ratio est: quia cum similis communicatio notitiæ, & confessio licentiæ fiant extra Sacramentum, nulla huic irrogatur irreverentia: uti neque contingit proprie dicta dispensatio; sed solum mutatur materia, quatenus res nota in Sacramento, extra hoc de novo manifestatur. Ubi recte infert prælaudatus Marchant. Confessarium vi notitiæ, sibi extra Confessionem communicatæ, non obligari ad Sigillum Sacramentale, sed naturale. Ratio hujus est: quia sicut materia communicata mutat conditionem suam, quatenus ab esse Sacramentali transit ad esse extra-Sacramentale, ita & mutatur ratio Secreti &c.

Sed emergit hic difficultas, an sufficiat, si pœnitens in casu ventilato det Confessario notitiam implicitam, dicendo generatim: *quæ tibi in Confessione communicavi, extra eam de novo communico, deque iis loquendi mecum, vel cum altero licentiam impertior:* aut requiratur, ut det notitiam explicitam, & distinctam, speciatim repetendo singula puncta, in Confessione aperta, super quibus loquendi facultatem indulget.

Primum sufficere putant P. Marchant. *cit.* Henriquez *de Pœnit. disp.* 8. *quæst.* 5. *num.* 34. Elbel *num.* 482. Ratio ipsorum est: quia sicut Confessario scienti peccata pœnitentis extra Confessionem potest ingeri cognitio Sacramentalis, dicendo: *confiteor peccata tibi nota, vel quæ antea retuli:* ita etiam scienti peccata intra Confessionem potest ingeri cognitio extra-Sacramentalis,

lis, dicendo: *quæ tibi in Confessione aperui, etiam extra eam, & de novo aperta sunto &c.* Alterum requiri contendit P. Panger *lib. 4. disp. 5. n. 124.* ex triplici ratione. Prima est: quia alias poneretur in usu notitia prohibita poni in usu, scilicet ipsa notitia accepta in Confessione: non enim Confessarius sic acquireret novam notitiam, sed solum excitaretur notitia prius habita ex Confessione. Secunda est: quia notitia, quatenus est data in Confessionali, ex institutione tantum est ordinata ad Judicium Sacramentale, cum sit objectum clavium; & ideo omnino inutilis est ad alia. Tertia est: quia Confessarius dando notitiam peccatorum alicui alteri, dat explicitam; ergo utitur ea ipsa, quam hausit explicite in Confessionali, si alia ipsi extra illud non detur, quam implicita. Ita *cit.* Author in terminis. Et hanc posteriorem sententiam omnino præferendam censeo, tum ob rationes modo allatas; tum ob ejus majorem cum doctrina Scoti, *in respons. 1.* tradita, conformitatem. Ad fundamentum oppositæ sententiæ facilis est responsio. Nego quippe parit. Nam cognitio extra-Sacramentalis trahi licite potest ad Sacramentum, atque ita fieri Sacramentalis per solam cognitorum repetitionem implicitam, in Confessione factam. E diverso notitia Sacramentalis illicite trahitur, & applicatur extra Sacramentum; quod tamen fieret, si solum implicite repeteretur extra Confessionem: veluti patet consideranti rationes, posterioris sententiæ probativas.

Respondetur jam ad Quæsit. tertio, verum præterea esse (quod pœnitens Confessario dare possit licentiam loquendi extra Confessionem de actis, & auditis in Confessione) prout ly *extra Confessionem* tantum excludit actualem Confessionem, quam pœnitens primo fecit; non vero secundum colloquium, quod permittit Confessario, tanquam complementum, vel supplementum Confessionis factæ, v. g. dicit pœnitens Confessario: *ne diutius in Confessionali hærere cogar cum tua, & pœnitentium adstantium molestia, impertior tibi licentiam de auditis in Confessione postea mecum conferendi, ut ab hac, vel illa difficultate, qua (quemadmodum ex meo confitentis ore excepisti, aut advertere potuisti) premor, tuo consilio, vel auxilio relever.* Item est, si pœnitens, postquam e Confessionali jam egressus est, sive statim, siva post aliquod temporis intervallum Confessario suo dicat: *permitto tibi, ut mecum, vel cum alio loqui possis de auditis in mea confessione, ut tuo, alteriusve consilio mihi succurratur,* Marchant. ubi supra, Stoz *lib. 2. a n. 199.* & alii passim. Atque hoc modo semper pœnitentes, si licentiam dent de auditis in confessione loquendi, eandem dare censendi sunt, nisi certo aliud constet: ut recte advertit P. Stoz *cit.* Ratio autem responsionis est: quia secundum illud colloquium ex voluntate pœnitentis retrotrahitur ad priorem confessionem, ceu aliquod ejus supplementum, cum qua proinde moraliter coalescit, & celandum venit sub eodem Sigillo Sacramentali, sub quo ipsa confessio: in quo nulla videtur esse difficultas, quasi nimirum id transcendat activitatem pœnitentis, licentiam tali modo tribuentis. Neque in isto casu requiritur; ut pœnitens det notitiam explicitam, & distinctam, sicut in casu responsionis præcedentis; sed sufficit implicita. Ratio discriminis est: quia notitia, quam pœnitens tribuit in casu responsionis præcedentis, non est Sacramentalis, nec Sigillo Sacramentali tegenda venit, sed extra Sacramentalis, & Sigillo duntaxat naturali tegenda: unde non coalescit cum notitia confessionis, sed ab hac adæquate distinguitur; consequenter debet esse simpliciter nova, distincta, & explicita &c. At vero notitia, quam pœnitens tribuit in casu præsentis responsionis, est Sacramentalis, & sub idem Sigillum cadit, sub quod ipsa notitia confessionis, cumque ista moraliter coalescit: consequenter non est opus, ut sit nova, distincta, & explicita, sed sufficit, quod sit implicita, & veluti resuscitativa notitiæ antiquæ, seu per confessionem communicatæ.

Dices. Juxta primam responsionem ad quæsitum; pœnitens non potest permittere Confessario, ut extra Confessionem loquatur de actis, & dictis in Confessione, quatenus reduplicative in Confessione acta, & dicta sunt; atqui juxta præsentem, seu tertiam responsionem pœnitens id faceret; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Siquidem pœnitens in casu præsentis responsionis permittit quidem Confessario, ut de actis, & dictis in Confessione, quatenus reduplicative in Confessione acta, & dicta sunt, loqui possit, sed intra Confessionem, hanc sumendo integraliter, seu una cum secundo illo colloquio, quocum moraliter coalescit; ut dictum, atque expositum est. Neque hic pœnitens cedit suo juri, quod obtinet ad obligationem Sigilli Sacramentalis, cum sub istud æque cadat permissum illud colloquium, ac primo facta Confessio. At in casu primæ responsionis pœnitens Confessario permitteret, ut posset loqui extra Confessionem, etiam integraliter sumptam, de actis, & dictis in Confessione, quatenus reduplicative in Confessione acta, & dicta sunt (neque enim ipsi daret novam notitiam eorum; ut in casu secundæ responsionis) cederetque suo juri, quod obtinet ad Sigillum Sacramentale, cum Confessarium ab ejus observatione directe deobligaret: neutrum autem facere potest; prout ex ibi dictis probatum manet.

720. Petes, an licentia pœnitentis in prædictis casibus, in quibus, ne frangatur Sigillum, sufficit, debeat esse (1) expressa, & (2) libera?

Respondetur ad utrumque quæsiti membrum affirmative. Ratio primi est: quia si sufficeret licentia præsumpta, multiplices abusus orirentur circa laxationem Sigilli, & odium Sacramenti (ut vel obiter considetanti patebit) existimante multoties Confessario, pœnitenti ingratum non fore, si loquatur, saltem cum ipso solo, de auditis in Confessione; cum tamen id omnino ingratum accideret. Reginaldus *lib. 3. numer. 59.* & alii communiter. Ratio secundi est: quia alias pœnitens non esset securus de Sigillo Sacramentali, si ipse quoquo metu, etiam reverentiali duntaxat (aut dolo) cogi posset ad dandam Confessario licentiam loquendi ex Confessione: quæ sequela procul dubio absurda esset, & fideles ab usu tam salutiferi Sacramenti retraheret. Navarrus *in Summ. cap. 8. num. 15.* Fagundez *lib. 6. cap. 1. num. 20.* & alii passim. Circa licentiam tamen expressam advertunt Authores, eam non tantum consistere in verbis, quibus formaliter, & signate conceditur, dum v. g. pœnitens ad Confessarium dicit: *tribuo tibi licentiam loquendi de auditis in Confessione:* sed etiam in verbis, quibus conceditur æquivalenter; & exercite; ut si pœnitens cum Confessario extra Confessionem de rebus in Confessione dictis discursum ordiatur: hoc ipso enim offert Confessario licentiam de iisdem colloquendi &c.

721. Quæres quarto, qui se gerere debeat Confessarius, ne Sigillum violet, aut aliter contra reverentiam Sacramenti impingat, quando pœnitentis alicujus peccatum extra ipsius Confessionem cognovit, de quo tamen is se non accusat?

Respondetur primo. Quando Confessarius novit illud peccatum ex sola Confessione complicis, tunc de eo ne quidem interrogare potest pœnitentem, nisi generatim, v. g. an nihil aliud habeat, quod conscientiam gravet. Laymann. *lib. 5. tr. 6. cap. 14. num. 30.* Stoz *lib. 2. num. 104.* Sporer *n. 802.* & alii passim. Ratio est: quia speciatim interrogando se objiceret periculo revelandi peccatum a complice expositum. Excipiunt tamen Authores relati 1. nisi peccatum illud sit, de quo alii ejusdem conditionis pœnitentes interrogari solent: tunc enim periculum præfatum cessat. Vel 2. Confessarius acceperit debito modo licentiam à complice de illo peccato speciatim loquendi cum socio, seu altero complice, & absit scandalum.

Respondetur secundo. Quando Confessarius extra Confessionem complicis ex aliorum fideli relatione cognovit peccatum pœnitentis; vel ipse suis oculis vidit, e. g. furantem, turpiter agentem &c. aut suis auribus audivit falso jurantem, blasphemias effundentem &c. tunc eundem speciatim interrogare potest, & debet. Authores allegati ubi supra. Illsung. *tr. 6. disp. 6. q. 4. art. 7. numer. 127.* & alii communiter. Ratio est: quia ex una parte non prohibetur Confessarius uti notitia illa extra-Sacramentali ad utilitatem pœnitentis; & ex altera parte tenetur ex officio procurare integritatem Confessionis, quando moraliter, & licite potest; quod tamen non faceret, nisi pœnitentem speciatim interrogaret: consequenter &c. Sed quid si pœnitens peccatum constanter neget, deberne nihilominus absolvi? Respondetur, plerumque debere. Ratio hujus

est; quia

est: quia Confessarius in foro Pœnitentiæ magis debet credere pœnitenti, quippe tam contra se, quam pro se loquenti, ac aliis, vel etiam sibiipsi, suisque oculis, & auribus; ergo eundem in possessione suæ innocentiæ, seu immunitatis ab illo peccato, ejusve gravitate, aut ab obligatione illud hic, & nunc confitendi relinquere, & consequenter (si aliunde nihil obstet) absolvere tenetur, sic cogitando: *forte pœnitens peccatum hoc jam fuit aliers confessus, vel omnino oblitus; vel non reputavit pro peccato, saltem mortali; vel, qui mihi retulerunt, falsum dixerunt &c.* Dixi: *plerumque*. Quod si enim quandoque, consideratis omnibus circumstantiis, certo constaret, pœnitentem peccatum mortale commisisse, idque eundem malitiose, & mendaciter negare, utique sine absolutione dimittendus esset, seu indispositus; & Confessarius eum absolvendo ageret invalide juxta, ac illicite contra reverentiam Sacramenti, peccaretque peccato sacrilegii, quemadmodum & ipse pœnitens. Authores *citt.* Lugo *de Pœnit. disp.*22. *sect.*2. *n.*21. Tamburinus *de Confess. lib.*3. *cap.*9. *a n.*5.

722. Quæres quinto, quid facere debeat Confessarius, a Magistratu forte sub juramento interrogatus, an hoc, vel illud in Confessione audierit?

Respondetur cum communi, quod id negare debeat, etiamsi audierit, non quidem mentiendo (hoc quippe nunquam licet) sed æquivocando, id est, dicendo, se non audivisse, & non scire, ac in mente subintelligendo, *auditione*, & *scientia aliis communicabili*. Quod si Confessarius jubeatur loqui sine æquivocatione, putant complures, magni nominis Authores, non esse amplius locum æquivocationi, sed increpandum ita interrogantem, & redarguendum impiæ interrogationis. Verum his merito se opponit Augustinus Michel *de Pœnit. fol.*504. *n.*11. Ratio ipsius est: quia hoc ipso, quod Confessarius antea negaverit, & jam arctius interrogatus respondere tergiversetur, suspectum reddit pœnitentem. Quare censet prælaudatus Author, nulla interrogatione excludi posse omnem justam, ac necessariam æquivocationem; quoniam hæc est multiplicabilis in infinitum. Neget proinde Confessarius audacter, quod jam antea negavit, interroganti reponendo hæc (vel similia) verba: *sine omni æquivocatione* (subintelligendo in mente, *quam ego emittere debeam respondendo, & tu excludere possis interrogando*) *dico, me hoc non audivisse in Confessione, non scire &c.*

CAPUT IV.

De Scientia, & Prudentia Confessarii.

NOn abs ratione prius pertractanda censui, quæ concernunt obligationem Confessarii ad Sigillum, quam pertractarem, quæ concernunt ejusdem Scientiam, & Prudentiam; licet non ignorarem, alios Moralistas plerosque ordinem servare contrarium, ratione itidem congrua, & non improbanda ductos. Sed quidquid sit de hoc (cum parum, aut nihil intersit, sive hic, sive ille ordo servetur) ut ad rem progrediamur, & dilucide ponamus ob oculos, quæ circa Scientiam, & Prudentiam Confessarii notanda occurrunt, statuitur

ARTICULUS I.

Quanta debeat esse Scientia Confessarii?

SUMMARIUM.

723. Graviter peccat Sacerdos, qui sufficienti scientia destitutus, curam animarum suscipit. Indiget autem 724. triplici scientia 725. & seqq. Quænam scire debeat, & qualiter? 727. Non tenetur ferre judicium determinatum de qualibet pœnitentis peccato in individuo, sitne mortale, vel veniale? 728. Debet habere scientiam majorem, vel minorem pro diversitate locorum, & personarum confitentium. 729. Ille Confessarius censetur sufficienter instructus, & ad debite excipiendas Confessiones idoneus, qui in integra Summa Casuum saltem unius Doctoris Catholici bene versatus est.

723. PRænotandum, graviter peccare Sacerdotem, qui absque scientia, seu doctrina sufficienti curam animarum suscipit, etiamsi ab Episcopo sit approbatus. Ratio est: si enim Medicus, vel Advocatus imperitus (licet a Magistratu fuerit judicatus habilis ad illud munus rite obeundum) graviter peccet, morbi, vel causæ alicujus temporalis curam suscipiendo, atque ita hominem in periculum vitæ, aut facultatum, conjiciendo (prout graviter peccat secundum omnes) quanto magis graviter peccabit Sacerdos, qui absque competenti scientia animarum curam suscipit, easque in discrimen æternæ salutis adducit. Hinc constat, etiam Episcopos graviter delinquere, si Sacerdotes, debita scientia carentes, pro excipiendis confessionibus exponant, vel jam expositos non amoveant: cum enim vi sui Officii teneantur subditis providere de idoneis Pastoribus, censentur secus faciendo, se participes reddere errorum, a Pastoribus injdoneis commissorum. Ita DD. universim. Nunc ad quæstionem in *artic.* propositam

724. Dico primo. Quoniam Confessarius in hoc Sacramento ministrando triplex Officium gerit, nimirum Judicis, Medici, & Doctoris, triplici scientia instructus sit, oportet: siquidem qua Judex dijudicare debet conscientiam pœnitentis, in quo statu hactenus fuerit, & modo sit: qua Medicus præscribere spiritualia medicamenta, curandis vitiis, & superandis tentationibus idonea: qua Doctor instruere pœnitentem, si indigeat, in rebus scitu necessariis, sive ad fidem, sive ad mores pertineant. Ita DD. passim. Sed ut ad magis particularia descendamus,

725. Dico secundo. Confessarius scire debet, quæ sit materia necessaria, aut sufficiens; quæ forma hujus Sacramenti; quæ partes illius essentiales, & integrales; quæ peccata saltem ex genere suo sint mortalia, aut venialia; quæ circumstantiæ mutent speciem peccati; quæ peccata secum ferant obligationem restituendi; quæ Pontifici, aut Episcopis sint reservata; quæ habeant annexam excommunicationem, aliamve censuram, aut irregularitatem; qualis ex parte pœnitentis requiratur dispositio ad absolutionem recipiendam; an non hæc forte differenda, vel neganda sit, v. gr. ob consuetudinem, vel occasionem proximam peccandi, in qua pœnitens versatur; quæ sint impedimenta Matrimonii, & obligationes conjugum; quæ obligationes Clericorum, Religiosorum &c. Sporer *a num.*778. Elbel *a num.* 394. & alii passim. Ratio est eadem, quæ supra; quia nimirum Confessarius debet agere Judicem, Medicum, & Doctorem pœnitentis, quo trino munere fungi rite non posset, nisi recensitorum scientia imbutus esset.

726. Interim fatentur Authores universi, non esse simpliciter necessarium, ut Confessarius omnia prædicta, aliave similia sigillatim, & exacte cognoscat, ac proprio marte dijudicare, decernere, & expedire valeat; sed satis esse, quod præfato modo sciat puncta faciliora, & frequentius occurrentia; in difficilioribus vero, aut rarius occurrentibus saltem difficultatem apprehendat, ut orto dubio, ad consulendos libros, & Viros peritiores confugere possit: quod fiet, si saltem aliquid audierit, vel legerit de punctis illis difficilioribus, etsi distincte non recordetur, quid dicendum. Palao *tr.*23. *disp. unic. pun.*16. *n.*3. Stoz *lib.*2. *num.*15. Michel *de Pœnit. fol.*532. *& seq. a num.*4. Ratio autem est: quia non apparet credibile, quod Christus plus scientiæ in Confessario requisierit; cum etiam in aliis Officiis Magistratuum tam Civilium, quam Ecclesiasticorum non requiratur exacta scientia omnium punctorum in illorum administratione occurrentium: alioqui vix reperire esset idoneum Confessarium, vel Officialem.

727. Colliges ex dictis primo, non esse necessarium, ut Confessarius ferat judicium determinatum de quolibet pœnitentis peccato in individuo, sitne mortale, vel veniale. Sporer *n.*783. & alii communiter. Ratio est: quia cum contingat, casus peccatorum in individuo modis pene innumeris alterari ob diversissimas tam actuum, quam objectorum circumstantias, id sæpissime etiam emeritissimo Theologo impossibile foret. Sufficit ergo, quod Confessarius percipiat speciem peccati, quam hoc sortitur ex objecto, & circumstantiis specificis &c.

728. Colliges secundo, in Confessario requiri scientiam majorem, vel minorem pro diversitate locorum, & personarum confitentium. Palao ubi supra *num. 4.* Babenstuber *tr.8. part.6. disp.6. art.6. n.8.* & alii passim. Ratio est: quia Confessarius vi sui Officii tenetur saltem ea scire, quæ a pœnitentibus illius loci, in quo Confessiones excipit, communiter afferri solent: hæc autem in diversis locis, & respectu diversorum pœnitentium exposcunt in Confessario scientiam majorem, vel minorem. Sic in urbibus, præsertim maritimis, difficiliores contractus, & magis ardua negotia fervent, quam in pagis: si Judices, & Advocati casus gravioris momenti afferre solent, ac homines plebei, & simplices &c.

729. Colliges tertio, illum Confessarium censeri sufficienter instructum, & ad debite excipiendas Confessiones idoneum, qui in integra Summa Casuum saltem unius Doctoris Catholici bene versatus est, Stoz *lib.2. n.16.* Michel *fol.533. n.6.* & alii. Ratio est: quia in hujusmodi Summis omnes materiæ Casisticæ, quantum fieri potest, tractari solent. Quod si Confessarius dubitet de sufficientia suæ doctrinæ, dubium deponere poterit acquiescendo arbitrio Viri docti, & prudentis, aut judicio Prælati, qui ipsum ad audiendas Confessiones exposuit. Palao ubi supra *n.5.* Stoz *n.17.* & alii passim.

ARTICULUS II.

Quanta debeat esse Prudentia Confessarii?

SUMMARIUM.

730. Etiam graviter peccat Confessarius, qui, debita prudentia carens, excipere Confessiones præsumit. 731. Indiget prudentia ad examinandum, & juvandum pœnitentem pro integre facienda Confessione. 732. & seqq. De quibus, qualiter, & quando interrogandus sit pœnitens? 735. Indiget insuper prudentia Confessarius ad instruendum, & erudiendum pœnitentem, quando hic instructione, & eruditione opus habet. 736. Quid agendum Confessario, si interrogetur a pœnitente, an hoc, vel illud liceat?

730. PRæsupponendum, Scientiæ, seu doctrinæ in Confessario requisitæ accedere debere Prudentiam, ne is scientia abutatur, ut sæpe contingit; quoniam scientia tradit, sive versatur præcipue circa generalia duntaxat præcepta, varie variis casibus accommodanda pro diversitate circumstantiarum adjunctarum, quas considerare ad prudentiam spectat. Quod enim per se absolute bonum est, mutatis circumstantiis, evadit malum, & vicissim. Unde graviter peccat Sacerdos, qui, debita prudentia destitutus, Confessiones excipere præsumit; sicut & Episcopus eundem in hunc finem approbans. Ratio liquet ex dictis *n.723.* etiam hic vel maxime valitura, utpote ubi præcipue verum est effatum illud S. Gregorii in Pastorali: *Ars est artium regimen animarum.* Nunc inquiritur, quanta debeat esse, seu ad quænam puncta se extendere Prudentia Confessarii?

731. Dico primo. Confessarius prudentia indiget ad examinandum, & juvandum pœnitentem, quando opus est, pro integre facienda Confessione. Ratio est: quia Confessario ex Officio incumbit modo discreto procurare integritatem, etiam materialem, Confessionis. Neque persuadeat sibi Confessarius, quod onus examinandi a se amoliri, & rejicere in pœnitentem possit, si hunc dimittat, ut seipsum examinet, & postliminio revertatur. Licet enim id quandoque facere possit, & consulto faciat, vel etiam facere debeat, ne v. g. in examinando uno pœnitente longiorem nectendo moram alios a Confessione retardet, vel omnino impediat; non tamen semper practicari potest, vel saltem non expedit. Unde si Confessarius rationabiliter dubitet, an pœnitens, multiplici peccatorum onere pressus, sit reversurus, si pro instituendo accuratiori examine dimittatur, vel potius a se examinando absterritus, iturus in antiquam silvam; examinare ipsum debet, quantum integritas Confessionis exegerit, & tempus, ac occasio permiserint. Examinare præterea debet, saltem ordinarie, homines rusticanos, aliosque plebeios, & rudes, ac sufficienti ad se debite examinandos capacitate carentes; nam etsi id genus homines dimittantur, ut se melius præparent, vix tamen, aut ne vix quidem paratiores unquam redibunt; imo ob difficultates, in discussione conscientiæ apprehensas, a frequentanda Confessione nonnunquam omnino absterrebuntur. Babenstuber *tr.8. part.6. disp.6. art.6. n.10.* & alii passim.

732. Quæres primo, de quibus pœnitens sit interrogandus in examinatione, si hæc videatur necessaria, vel saltem expediens?

Respondetur, quod non sit interrogandus de peccatis a suo statu, & conditione alienis; unde Confessarius ad ea indaganda non descendat, ne pœnitenti noceat ingerendo notitiam malorum forte ignoratorum; sed solum ad alia, quibus talis status, in quali versatur pœnitens, solet esse obnoxius; vel quorum pœnitens aliquod in confitendo indicium præbuit, v. g. si dixerit, se voluntarie immoratum fuisse cogitationibus lascivis, jure merito interrogatur, utrum non etiam prava desideria ipso opere peccandi conceperit? &, si fateatur, se concepisse; utrum non ad obscœnos sermones, oscula, tactus, aut ipsum quoque opus processerit &c. Quidam enim pœnitentes verecundi sponte talia non produnt, officio suo se satisfacere rati, si occasionem interrogandi præbeant, atque interrogati respondeant, & fateantur, Stoz *lib.2. n.20.* Michel *fol.540. n.5.* & alii. Quod si pœnitens nullum præbeat indicium de peccatis in certo aliquo genere admissis, ut si se non accuset de peccatis internis, seu cordis, v. g. de delectationibus, aut desideriis lascivis, interrogandus non erit de peccatis externis, sive operis; nisi forte is sit tam rudis (cujusmodi in plebe rusticana plures reperiuntur) ut existimet, vix dari alia peccata, saltem gravia, quam externa, sive operis. Babenstuber ubi supra *n.10.* & alii passim. Quod idem Confessarius indagare etiam debeat speciem, & numerum peccatorum mortalium, constat jam ex alibi dictis; id enim exigit Confessionis integritas. Expiscari præterea debet, an non pœnitens versetur in consuetudine, vel occasione proxima peccandi mortaliter? Assequi hoc poterit, si diuturnitatem temporis ab ultima Confessione elapsi exquirat, & eum numero, ac specie peccatorum, sic, vel sic intra illud tempus patratorum, combinet. Author *cit.*

733. Quæres secundo, qualiter, seu quo modo in examine sit interrogandus pœnitens?

Respondetur, Confessarius in interrogando semper memor sit, oportet, studeatque, ut etiam in exquirendo turpia, dum id necesse est, utatur verbis honestis, & decentibus, quoad fieri potest. Maxime autem caveat, ne peccatorum, præsertim carnalium, nimium particulares, easque impertinentes, vel saltem cognitu non necessarias circumstantias indaget; sicque pœnitenti præbeat scandalum, seu occasionem ruinæ spiritualis, suggerendo ei notitiam, vel memoriam illorum, quæ antea ignoravit, vel non recogitavit. Cum enim universim nihil faciendum sit cum scandalo, *cap.2. de Præscription.* id vel maxime cavendum est, quando spirituale animæ negotium tractatur. Accedit, quod Confessarius, citra causam necessitatis, aut utilitatis, sese exponat periculo morose, & male delectandi super ita interrogatis; vel saltem pœnitentem veniat in suspicionem ejusmodi delectationis desuper habitæ. Layman *lib.5. tract.6. cap.13. num.8.* Spoter *de Pœnit. num.793.* & alii passim. Quare si puella aliqua confiteatur carnalem congressum v. g. cum soluto exercitum, tenetur quidem Confessarius modeste, quantum fieri poterit, interrogare, fueritne copula perfecta, vel imperfecta? hoc, vel simili modo, an mas recesserit, & copulam abruperit, nec ne? regulariter tamen non est necesse (imo nec expediens, aut permissum) ut interroget de osculis, tactibus, amplexibus, gesticulationibus pudendis, ante, vel in congressu exercitis; siquidem hæc talia cum ipso opere principali moraliter coalescant, & unum numero peccatum constituant; prout relinquitur ex alibi dictis. Neque vero quis dicat, pœnitentem puraturam, se non satisfecisse, & ideo mœstam, omnique consolatione vacuam e Confessionali abituram; Poterit quippe Confessarius, ubi id adverterit, ipsam informare, ac docere, quod peccatum satis perceperit, neque opus sit, ut [illegible] peccandi modos, una intervenientes, expri-

exprimat &c. P. Stoz *lib.* 2. *num.* 21. cum aliis ibi relatis. Dixi: *regulariter*. Nam si Confessarius advertat, vel prudenter suspicetur, præcessisse tactus, oscula &c. exercita sine intentione perveniendi ad copulam, utique desuper interrogare debet; cum sic exercita cum actu principali non coalescant. Porro si adolescens quispiam se accuset de turpi sui corporis tactu, non illico interrogandus est, an tactus ille extiterit causa effusionis? ne ipsi præbeatur ansa attentandi novum tactum in ordine ad effusionem, forte hactenus ignoratam, vel procuratu adhuc impossibilem, mala curiositate extorquendam. Prius igitur interrogandus est, quantæ sit ætatis, & considerandus, quantæ existat proceritatis (si hoc commode fieri possit) item an vehementiorem ex tactu delectationem perceperit &c. His enim intellectis, & pensatis, primum ferri prudens judicium poterit, sitne de sequela effusionis indagandum, vel potius tacendum? Atque ita de aliis.

734. Quæres tertio, quandonam interrogationes necessariæ sint faciendæ, an inter confitendum, prout occasio se offert, post absolutam Confessionem?

Respondetur, posteriorem interrogandi methodum indicari in Pastorali Romano *tit. de Sacram. Pœnit, can.* 9. hisce verbis: *Sacerdos pœnitentem, sua enumerantem peccata, patienter audiat usque ad finem, ne interpellatus turbetur, & aliorum obliviscatur*. Verum hæc methodus duplex adjunctum incommodum habet. Unum est periculum, ne Confessarius obliviscatur eorum, quæ interrogatu necessaria erant. Alterum est molestia pœnitentis, qui sua peccata quasi bis confiteri cogitur, semel ultro, seu non interrogatus, deinde interrogatus. Quare multo securius, & suavius est, siquis se accuset v. g. de detractionibus non explicata gravitate, nec expressa specie, nec addito numero, statim interrogare, utrum materia detractionis extiterit gravis, & quidem falsa? quoties detraxerit &c. quam expectato fine Confessionis dicta peccata detractionis repetere per modum quasi exprobantis, ad pœnitentem dicendo: *accusasti te de quibusdam detractionibus, non tamen exposuisti gravitatem, nec speciem, nec numerum, sicut exponere tenebaris: igitur suppleas, seu adhuc exponas, oportet*. Hanc proinde molestiam, ac confusionem pœnitentis ut Confessarius antevertat, & amoliatur, seque ipsum servet immunem a periculo obliviscendi puncta interrogatu necessaria, statim audito uno peccato, non tamen debite explicato, indaganda indaget, antequam ad enarranda alia pœnitentem pergere sinat. Neque talis interpolatio, saltem si sit brevis, communiter esse solet causa perturbationis in pœnitente, esto peccata sua memoriter recensente: & si nonnunquam eum perturbari contingat, & in enarrandis peccatis reliquis hærere, suaviter juvandus est in revocanda eorum memoria. Ita ego processi hucusque cum pœnitentibus ultra triginta jam annos, & expertus sum hunc procedendi modum mihi, ac pœnitentibus commodum, suavemque. Quod si tamen prævideo, circa unum, alterumve casum opus esse prolixiori examine, hoc rejicio in tempus finitæ Confessionis: de quo intelligi potest Pastorale supra (veluti sentit Augustinus Michel *fol.* 588. *n.* 28.) præterquam quod illius verba, secundum se spectata, & nisi aliunde lex quædam accedat, non sint præceptiva, sed directiva solum, ut advertit immediate nominatus Author.

735. Dico secundo. Confessarius indiget quoque prudentia ad instruendum, & erudiendum pœnitentem, quando hic instructione, & eruditione opus habet. Ratio patens est: siquidem Confessarius gerit Officium Doctoris, vel etiam Pastoris, quod exigit (sicut & lex Charitatis) ut pœnitentem, si opus habeat, instruat, & erudiat, docendo, quæ eidem scitu necessaria, vel utilia judicaverit. In qua tamen instructione accurate attendere debet Confessarius, ne plus damni, quam commodi afferat pœnitenti: multi enim per ignorantiam excusantur a formali peccato, qua depulsa formaliter peccant. Ponamus enim, quod rusticus quispiam solitus hucusque fuerit superstitiosa quadam precatiuncula mederi pecoribus, existimans esse pium, & bonum remedium: hanc opinionem si illi eripere coneris vix, aut ne vix quidem efficies, ut ab usu amuleti toties proficui desistat: imo potius perget uti jam cum formali peccato: a quo antea ob bonam fidem, & inculpabilem ignorantiam excusabatur. Hoc proin si prævideas, errorem prudenter dissimula, ne alioqui plus noceas, quam prosis, præbendo nimirum occasionem peccati formalis perpetrandi, & tollendo occasionem peccati materialis. Michel *fol.* 540. *n.* 6. & alii passim. Recole, quæ tradidimus *part.* 1. *n.* 53. Sed impræsentiarum

736. Quæres, quid agendum Confessario, si interrogetur a pœnitente, num hoc, vel illud liceat?

Respondetur, quod sine elusione, ac positive veritatem (saltem si hæc profutura speretur) pandere obligetur. Ratio est: quia pœnitens obtinet jus veritatem exquirendi a Confessario, ceu Doctore suo, eamque exquirere ponitur; ergo Confessario incumbit obligatio eandem sincere aperiendi; cum illius jus, & istius obligatio sint correlativa. Quare si Titius v. g. dubitans de valore sui Matrimonii, de jure petendi debitum, de obligatione restituendi &c. desuper interroget Confessarium, hic veritatem edicere omnino obligatur: tum quia Titius laborat ignorantia vincibili, in qua Confessarius eum relinquere non potest, secundum dicta *part.* 1. *num.* 53. Tum quia Titius silentium Confessarii, aut dissimulationem facile interpretaretur in suum favorem, existimaretque, errorem, quo ipse laborat, a Confessario tacite approbari: id quod sine justa causa, qualis hic non suppetit, licite non potest permittere Confessarius, Laymann. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 13. *n.* 6. *conclus.* 4. Sporer *de Pœnit. nu.* 795. Babenstuber. *tr.* 8. *part.* 6. *disp.* 6. *art.* 6. *n.* 13. Recte tamen hic Confessarium monent Stoz *lib.* 2. *n.* 23. Michel *fol.* 539. *n.* 2. & Babenstuber ubi immediate supra, ne sit præceps in resolutionibus casuum sibi a pœnitente propositorum, sed rem diligenter expendat, antequam ad resolutiones procedat, sumpto etiam spatio deliberandi, libros consulendi &c. si clare verum non perspiciat. Monent præterea Laymann, & Sporer *cit.* eundem Confessarium, ne plus in responsione dicat, quam fuerit interrogatus, quando nimirum responsionis super erogatio potest esse occasio peccati, aut quomodolibet damnifera. Unde si pœnitens interroget, v. g. an Matrimonium, post votum Castitatis contractum valeat, liceatque in eo reddere debitum alteri conjugi, votum Castitatis non habenti? respondeat ad utrunque affirmative, prudenter tacendo obligationem non petendi, quando cum fundamento timet (sicut timere plerumque potest) ne pœnitens, illam edoctus, nihilominus petat, sicque formaliter peccet, alioqui solum materialiter peccaturus.

Dixi in respons. per parenthesin: *saltem si hæc* (nempe veritas) *profutura speretur*. Nam si prævideatur notabiliter obfutura, sive spiritualiter, sive temporaliter, Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 9. *n.* 103. Dicastillo *disp.* 10. *n.* 540. Stoz *lib.* 2. *num.* 131. Michel *fol.* 541. *n.* 7. censent, Confessarium non teneri pœnitenti dubitanti, & interroganti aperire veritatem, sed posse dissimulare, & generali, aut æquivoco aliquo responso interrogantem expedire, dicendo v. g. illum talia inutiliter quærere, tales cogitationes, & curas esse valde damnosas &c. jubendo, ut sua sorte a Deo data vivat contentus &c. Ponamus casum, ut res particularius pateat. Quærit maritus, an liceat uti conjugio, de cujus valore dubitat? si impedimentum difficulter sit curabile per dispensationem S. Pontificis, vel per dissolutionem, in quarum neutram pœnitens, seu maritus videatur consensurus, sed, cognita veritate nullitatis, nihilominus in usum conjugii peccaminose perrecturus: tunc præstat (inquiunt prænominati Authores) interrogantem eludere, v. g. dicendo, quid dubitas? utique conjuges licite utuntur conjugio; quam veritatem aperiendo, & urgendo præbere occasionem gravibus peccatis committendis. Ratio autem hujus doctrinæ est: quia tali pœnitenti veritas, ejusque cognitio est, sicut gladius homini, qui isto prævidetur vel seipsum, vel alium occisurus, aliudve grave damnum illaturus: atqui nemo tenetur dare ejusmodi homini gladium, etiamsi alioquin, & per se loquendo is habeat jus petendi gladium, utpote suum; ergo neque &c. Ita P. Stoz *cit.* Revideri etiam possunt, quæ habentur *part.* 4. *n.* 508. & 510.

Sed ut hæc sententia (qualis qualis est) ab argumentis, quæ contra eam, plane difficilia, possunt opponi, pro viribus vindicetur,

Dices primo. Pœnitens dubitans obtinet jus discendi veritatem a Confessario; ergo huic incumbit obligatio eam absque elusione, & sincere docendi; cum illius jus, & istius obligatio sint correlativa: velut ipsimet supra in respons. arguebamus.

Respondetur, dist. ant. Pœnitens obtinet jus discendi veritatem, per se loquendo, con. per accidens, & quando prævidetur veritate cognita abusurus in suum, suive proximi notabile damnum, neg. ant. vel subdist. obtinet jus, attamen impeditum quoad vim obligandi, & suspensum per obligationem Charitatis, vel etiam Justitiæ, exigentem, ut Confessarius a suo pœnitente, & tertio damna tam spiritualia, quam temporalia avertat, quantum moraliter potest, con. secus, neg. ant. & cons. Hujus vero rationem probativam dist. Jus expeditum pœnitentis, & obligatio Confessarii sunt correlativa, ut in casu responsionis supra, con. Jus impeditum pœnitentis, & Confessarii; ut in præsenti, neg. loquendo de obligatione actuali.

Dices secundo, Pœnitens dubitans laborat ignorantia vincibili; ergo Confessarius tenetur illum ab ea liberare, dicendo aperte veritatem; prout itidem supra arguebamus.

Respondetur, dist. ant. Laborat ignorantia vincibili, & simul culpabili, neg. ignorantia vincibili, sed non culpabili, con. ant. & dist. etiam cons. Confessarius tenetur illum ab ea liberare, si sit ignorantia prioris generis, con. si posterioris generis, subdist. tenetur illum liberare per se loquendo, ut in casu responsionis supra, con. etiam per accidens, ut hic, neg. cons. Pœnitentem, ignorantia vincibili, & simul culpabili laborantem Confessarius tenetur semper informare; eo quod operatio, ex tali ignorantia exercita, semper sit peccaminosa: laborantem vero ignorantia vincibili, sed non culpabili tunc solum informare tenetur, quando informationem prudenter sperat profuturam; ut in casu responsionis supra; non item, si prævideat obfuturam; ut in præsenti.

Instabis, Ignorantia illa pœnitentis est vincibilis, & culpabilis simul; ergo nulla responsio.

Respondetur, neg. ant. Talis nanque ut esset, deberet & ignorantia, sive error, & effectus inde secutus culpam involvere; id quod non evenit in præsenti. Revide dicta *part.* 1. *n.* 38.

Dices tertio. Nunquam licet operari (contra legem) cum conscientia practice dubia; prout cum communi tradidimus *part.* 1. *n.* 77. sed pœnitens in præsenti dubitans operaretur cum conscientia practice dubia, nisi a Confessario veritatem edoceretur; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Pœnitens enim, a Confessario responsione superius commemorata elusus, dubium practicum, siquod habuit, aut habet, deponit, & format sibi conscientiam rectam, non quidem rectitudine speculativa, & physica, sed practica, & theologica, secum in hunc modum, virtualiter saltem, discurrendo: *quod Confessarius interrogatus non improbat, id mihi, & nunc licet: sed Confessarius interrogatus, num usus matrimonii v. g. sit mihi licitus? non improbat, aut interdicit mihi usum matrimonii; ergo is hic, & nunc est mihi licitus &c.* Revide dicta *p.* 1. *n.* 30. & pro pleniori intelligentia junge, quod habetur *ead. part. n.* 40. *in advertendo.*

Instabis. Non licet Confessario pœnitentem decipere: atqui imprœsentiarum id faceret; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Sed pœnitens deciperet semetipsum, responsionem elusoriam, a Confessario redditam, existimans esse tacite approbativam sui erroris. Ad quam proinde deceptionem Confessarius solum permissive se habet: id quod licite facit, quando justa suffragatur causa, ut in præsenti. Istis ita discussis, non audeo hanc sententiam pronunciare improbabilem; sicut nec improbabilem pronunciat P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1759. ubi testatur præterea, in illam re ipsa etiam consentire Aversam, Sanchezium, Lugonem &c.

Interim tamen idcirco ab altera sententia longe communiori, solidiori, & veriori, quæ docet, pœnitenti dubitanti, & quærenti in casu veritatem categorice aperiendam esse, etiamsi talis apertio obfutura prævideatur, nolim recedere. Ratio fundamentalis est: siquidem sinceri Doctoris (qualis utique est Confessarius) officium fert, ut veritatem dubitantibus, & quærentibus plane, & genuine aperiat, non autem æquivocationibus, vel elusionibus involvat. Ad rationem oppositæ sententiæ probativam supra adductam ajo, non esse paritatem. Nam homo, cogitans seipsum, vel alterum occidere &c. ob passionis, qua exagitatur, vehementiam quasi similis est phrenetico, ideoque veluti necessitatus ad occidendum, porrecto gladio; qui proinde merito ipsi denegari potest, ac debet. At vero pœnitens supra non versatur in tali necessitate, ut, ubi sibi, jam aliis propter dubitationem extra statum bonæ fidei constituto, pandatur veritas peccati, istud moraliter evitare non possit; adeoque si postea non evitet, plena libertate non evitet: consequenter &c.

ARTICULUS III.

Expediuntur alia Quæstiones huc pertinentes, aut reducibiles.

SUMMARIUM.

737. *Qualem Confessarius debeat habere attentionem in audienda Confessione?* & 738. *quale ferre judicium de peccatis auditis?* 739. *An pœnitenti semper credendum?* 740. *Qualiter cum eo procedendum in varietate sententiarum probabilium?* 741. *Quænam insuper principia attendere oporteat Confessarium?* 742. *Qualiter emendare possit, ac debeat errores in administratione Sacramenti Pœnitentiæ commissos?*

737. QUæres primo, qualis, & quanta requiratur attentio in Confessario audiente Confessiones?

Respondetur, talem, & tantam requiri, ut nullum peccatum mortale ejus auditum subterfugiat: id quod accidere posset vel propter malam pronunciationem confitentis, aut nimis celeriter, ac submisse loquentis, vel propter clamorem Musicorum, aut Concionatorum; vel propter alium strepitum in templo excitatum; vel propter distractionem Confessarii super uno peccato audito reflexe cogitantis; adstantes Confessionali aspicientis; Concioni, vel Musicæ attendentis &c. Itaque, animadverso auditionis defectu, jubeat Confessarius repeti, quod non bene percepit, nullo habito respectu ad dignitatem personæ confitentis, quoniam ipse Dei personam sustinet; nisi ob aliunde sibi perspectam pœnitentis integritatem præsumere possit, non fuisse mortale, quod aures prætervolavit. Ne autem tota Confessio repeti debeat, notet ultimum peccatum a se rite perceptum, & inde jubeat repeti, v. g. quærendo, quid dixerit post illud peccatum? donec veniatur ad aliud denuo rite perceptum; vel (quod facilius, suavius, & securius est) quærat statim post animadversam insufficientiam perceptionis, & antequam pœnitens ad alia peccata recensenda procedat. Ita cum communi aliorum Augustinus Michel *fol.* 581. & *seq. n.* 1.

738. Quæres secundo, quale judicium debeat ferre Confessarius de peccatis auditis?

Respondetur, Triplex. 1. Particulare de quolibet peccato audito, an sit mortale, vel veniale? 2. Generale de toto statu pœnitentis, sitne valde improbus, mediocris, vel bonus? 3. De dispositione pœnitentis, an debito dolore, & proposito instructus sit, integram peccatorum suorum mortalium Confessionem fecerit &c. Primum judicium non est simpliciter, & semper necessarium; prout constat ex dictis *n.* 727. Secundum e diverso semper necessarium est, non quidem ad valorem, sed ad licitam administrationem hujus Sacramenti; cum alioquin nec congrua pœnitentia imponi, nec utilis medicina præscribi posset contra relapsum. Tertium quoque judicium omnino, & semper necessarium est; cum Confessario dijudicare incumbat, utrum pœnitens sit capax absolutionis, ne Sacramentum administret forte indisposito, atque ideo illud exponat periculo nullitatis. Quare nisi vel ex modo confitendi, vel aliunde pœnitentis dispositionem cognoscat, aut sibi perspectam habeat, quærat expresse, an vere doleat; an serio proponat abstinere a mortalibus; an diligenter se præparaverit ad Confessionem; an nihil grave in ea reticuerit &c. Author proxime *cit. fol.* 582. *n.* 3. & *seqq.*

739. Quæ-

739. Quæres tertio, an Confessarius pœnitenti semper credere possit, vel etiam debeat?

Respondetur negative. Ratio est: quia licet juxta receptam doctrinam D. Thomæ *Quodlib.* 1. *art.* 2. & *Opusc.* 26. *art.* 6. ut plurimum pœnitenti credendum sit, tam pro se, quam contra se loquenti, cum Rei simul, & Testis personam sustineat; tamen si ex moraliter certis conjecturis deprehendatur mendacium, fides illi adhibenda non est: uti docent Suarez *tom.* 4. *disp.* 32. *sect.* 3. *n.* 9. Bonacina *de Pœnit. disp.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 1. *n.* 8. Stoz *lib.* 2. *n.* 24. alliique communiter, & sumitur *ex prop.* 60. *inter damnatas ab Innoc. XI.* quæ sic sonat: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo NB. ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Revideri etiam possunt, quæ diximus supra *n.* 721. *ad fin.*

740. Quæres quarto, qualiter Confessarius se gerere debeat cum pœnitente quoad varietatem sententiarum probabilium?

Respondetur, quod propriæ opinioni non debeat æquo tenacius adhærere, nec pœnitentem cogere ad ejus sequelam, quando iste reluctatur, & mavult amplecti aliam sententiam vere, licet minus probabilem, minusque tutam ubi agitur de sola honestate operationis. S. Antoninus *in* 3. *part. tit.* 17. *cap.* 16. §. 2. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 5. Navarrus *in Manual. cap.* 26. *n.* 4. & alii passim. Ratio est: quia pœnitens obtinet jus amplectendi suam ejusmodi sententiam; quo privari a Confessario non debet; imo nec potest per se loquendo. Quare Confessarium oportet esse variis opinionibus vere, & practice probabilibus instructum, ut non succedente una, alia in promptu sit; sicut Medicus corporalis plura scire pharmaca tenetur, ut, si unum ægro non profecerit, applicet aliud. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 7. *n.* 321. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1791. & alii. Ceterum tametsi Confessarium suavem, & benignum esse oporteat, juxta monitum Apostoli *ad Galat.* 6. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*; nihilominus in delectu sententiarum non debet (si suæ libertati relinquatur) semper, & respectu omnium pœnitentium benigniores sequi; sed respectu eorum duntaxat, quos sententiæ benigniores quasi manuducunt ad legis observationem: quando autem per illas difficulter præcepto satisfieri potest, suadendæ non sunt, ne animæ, quæ maxima solicitudine a veterno suo liberandæ sunt, dulci velut soporifero accepto consopiantur, inquit P. Herzig *in Manual. Confess. part.* 2. *n.* 20.

741. Quæres quinto, quænam insuper principia sibi ob oculus ponere, & observare debeat Confessarius, ut munere suo prudenter, ac laudabiliter fungatur?

Respondetur. Debet esse 1. tolerans molestiarum, & fastidiorum, quæ pœnitens affert, ac meminisse, quod is, qui nihil molestiæ in hoc ministerio ferre vult, plane se ineptum ad illud ostendat, nec magnum inde fructum reportaturus sit; sicut parum colliget mellis ex alveari, qui apium aculeos formidat, & sentire recusat. Signa proinde intolerantiæ non prodat assidendo, & auscultando cum nausea, se jam huc, jam illuc torquendo, jubendo importune pœnitentem abrumpere, interpellando etiam, cum res non postulat; aspere interrogando, increpando; vel (quod adhuc pejus est) contumeliis, scommatis &c. onerando. Ratio est: quia his facile moveri potest pœnitens, ut sacrilege reticeat, quod commisit, aut abrumpat, vel excuset, quod addendum fuit, & fatendum; sicque Confessarius ei fiat causa perditionis, qui debuisset esse causa salutis. Cogitet ergo Confessarius, se gerere personam Christi, qui pœnitentes nullo verbo asperiore unquam objurgasse legitur. Unde, cum duri, & laxi reprehendendi sunt, id fiat confessione jam finita, & pariter in spiritu charitatis, lenitatis, ac mansuetudinis. Segneri *Instit. Parochi cap.* 22. §. 3. Stoz *lib.* 2. *num.* 25. Herzig ubi supra *num.* 12. *& seqq.*

2. Si pœnitens utatur superfluis circumlocutionibus, & historiis in declaratione suorum peccatorum, Confessarius cum debita lenitate illas rescindat, dicendo, enarrationem ejusmodi circumstantiarum non esse necessariam, sed peccatorum duntaxat. Quandoque juvabit sermonem alio divertere, petendo, an non hoc, vel illud aliud peccatum admiserit? ut sic impertinentem, aut superfluum pœnitentis discursum interrumpat, & avertat. Si confitens dicat: non juravi; non commisi furtum; neminem in fama, vel honore læsi; meis inimicis libenter ignovi &c. reponendum est, hæc non esse peccata; adeoque in Confessione non recensenda. Si incipiat aliorum peccata detegere, statim jubeatur tacere, & propria duntaxat peccata enarrare: nisi forte hæc sine illis debite explicari nequeant &c. Ratio horum est: quia alioquin Confessarius inutiliter molestaretur, non sine, saltem aliquali, irreverentia Sacramenti; vel etiam proximus absque causa necessitatis infamaretur &c. Herzig *loc. cit. n.* 18. & alii passim.

3. Confessarius non nimis cito deproperet Confessiones eo fine, ut plures audiat. De quo sapienter Gerson apud La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1719. *Eligibilius est* (inquit) *paucos audire complete, quam multos imperfecte ---- mallem namque, si Curatus essem, multorum differre Confessiones post Pascha etiam, ubi quidam non redirent, quam quod cæcus cæcum seducerem, dum pro vere absolutis ipsi non recte absoluti se gererent.* Vult proin piissimus juxta, ac doctissimus Gerson, præceptum Divinum de integritate Confessionis Confessario potioris esse debere, & anteferendum præcepto Ecclesiastico de annua Confessione, quando ambo concurrunt, & simul observari nequeunt. Sic etiam S. Xaverius (ut testatur Tursellinus in ejus vita *lib.* 6. *cap.* 17.) confitentibus non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut Confessarii præoptarent Confessiones paucas rite audire, quam multas temere properatas. Excipitur casus necessitatis; ut in naufragio, prælio, morbo periculoso &c.

4. Satagat Confessarius corrigere defectum in pœnitentibus, qui dum ab ipso post enarrata peccata adiguntur ad eliciendum verum dolorem, & propositum, ac salutarem pœnitentiam accipiunt, non attendunt, magis soliciti, ne forte in Confessione aliquid omiserint, aut non satis expresserint &c. Corrigendi, inquam, sunt, & admonendi, ut præposteram illam solicitudinem (utpote quæ debuit præcessisse, & præcessisse supponitur in examine conscientiæ præparatorio ad Confessionem) modo seponant, & potius attendant ad puncta, sibi suggesta, ac dictata a Confessario, ceu præponderantia. Ratio est: quia alioquin fieri facile posset, ut Sacramentum suo valore, vel saltem integritate destitueretur. La Croix *loc. cit. n.* 1718.

Hæ præcipue sunt regulæ prudentiales, ac principia, Confessario (præter jam hucusque tradita) accurate observanda, ut suo officio rite fungatur. Sed adhuc

742. Quæres sexto, qualiter Confessarius emendare possit, ac debeat defectus, seu errores, siquos ipse forte commisit in administratione Sacramenti Pœnitentiæ?

Antequam ad hoc quæsitum respondeatur; notandum est, quod Confessarius errasse potuerit vel in admonitione, vel in absolutione pœnitentis. Porro in admonitione pœnitentis potuit errasse, vel debitam admonitionem omittendo, v. g. de restitutione facienda, de Matrimonio omittendo propter impedimentum dirimens, de vitanda occasione proxima peccandi, de sistendo se Superiori propter excommunicationem, de repetenda Confessione casuum reservatorum &c. vel falsum suggerendo, verb. grat. pœnitentem non teneri ad restitutionem, posse inire Matrimonium &c. Pariter in absolutione pœnitentis potuit errasse, vel eam penitus omittendo, vel invalide impertiendo. Nunc

Respondetur primo. Si Confessarius solum omiserit absolutionem a censura v. g. excommunicationis, suspensionis &c. poterit illam impertiri pœnitenti etiam absenti, & ignoranti; imo in mortali peccato existenti. Idem aget, si absolverit invalide ob defectum jurisdictionis, impetrata prius facultate absolvendi. Ratio est: quia nec pœnitentis absentia, nec ignorantia, nec existentia in peccato mortali huic tali absolutioni, validè, & licite impertiendæ, obicem ponit: prout tradunt Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *pun.* 6. *n.* 1.

Coninch *de Sacram. disp.8. q.141.* & alii DD. communiter.

Respondetur secundo. Si Confessarius omiserit absolutionem a peccatis, distinguendum est. Vel enim pœnitens, paulo ante confessus, versatur adhuc in conspectu Confessarii, & parum ab eo distat; vel longius abiit. Si primum; potest adhuc, & debet absolvi: quia Sacramentale judicium, quod cœptum est, perfici debet, & pœnitenti tribui suum jus, quod per Confessionem acquisivit ad recipiendam absolutionem, & gratiam sanctificantem. Bonacina *loc. cit. n.2.* Reginaldus *lib.8. n.30.* & alii communiter. Si secundum; suaviter monendus, ac inducendus est, ut brevi redeat ad Confessionem; &, hoc obtento, absolvatur simul a peccatis in præcedenti Confessione expositis, nulla facta mentione erroris ante commissi; modo Confessarius adhuc, saltem in confuso, recordetur status, in quo pœnitens tunc versabatur, & pœnitentiæ injunctæ, simulque curet, ut idem pœnitens se accuset de peccatis etiam antiquis, & jam alias subjectis; per hujusmodi namque accusationem censentur sufficienter illa peccata iterato confiteri. Bonacina *loc. cit. n.3.* Coninch *disp.8. dub.17. num.141.* & alii passim. Quod si induci non valeat ad denuo confitendum, petatur ab eo licentia aliquid ex nupera Confessione, ad ipsius salutem pertinens, insinuandi; illaque data admoneatur de defectu prioris absolutionis; modo id sine scandalo, & offensa ejusdem, nempe pœnitentis, fieri queat: alioquin potius omittenda esset admonitio (nisi pœnitens sit moribundus) quippe non simpliciter necessaria ad salutem, cum illa peccata remittantur indirecte in proxima Confessione. Stoz *lib.2. n.176.* Babenstuber *tract.8. part.6. disp.6. art.6. num.14.* & alii. Dixi: *nisi pœnitens sit moribundus*: tunc quippe neglecta offensa, & irrationabili scandalo defectus absolutionis (præhabita loquendi licentia, ut supra) aperiendus est, & nova absolutio impertienda (saltem si pœnitens gravetur noxa lethali) ne alioquin æternæ damnationis periculo exponatur. Videatur Stoz *n.177.*

Respondetur tertio. Si data fuit absolutio invalida sive propter defectum jurisdictionis in Confessario, sive propter defectum doloris, & propositi in pœnitente; tunc prius illa non repetatur, quam ejusmodi defectus fuerit suppletus, scilicet jurisdictio impetrata, dolor excitatus, propositum conceptum: alioqui agetur in idipsum, rursus invalide, tametsi nova absolutio attentetur. Michel *fol. 590. num. 6.* aliique communiter.

Respondetur denique quarto. Si Confessarius erraverit in admonitione pœnitentis, & periculum sit in mora; quia interim grave damnum vel incurreret ipse pœnitens, v.g. invalidum contrahendo Matrimonium, quod a Confessario intellexerat fore validum; vel alteri inferret, eundem graviter lædendo v.g. in Judicio ex causa a Confessario approbata; error quamprimum, ac fieri poterit, corrigendus est intra, vel extra Confessionem, modo superius indicato. Si non sit periculum in mora; correctio differri poterit usque ad proximam Confessionem, si pœnitens sciatur, vel speretur reversurus: secus, prædicto modo instituenda, ac facienda erit. Bonacina, & Coninch *loc. cit.* Stoz *n.178.* Michel *n.7.* & alii passim. An vero, quando, & quomodo Confessarius propter errores, a se commissos, teneatur ad restitutionem, relinquitur ex doctrina tradita *part.4. tract.2. dispu. 1. & 2. in variis numeris.*

CAPUT V.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

743. *Apollonius Franciscanus, iter agens per Diœcesim, in qua non est approbatus, potest excipere Confessiones Sacerdotum Secularium, non autem Laicorum, uti nec Religiosorum, nisi ab horum Superiore habeat licentiam.* 744. *Antonius Antoniam suam in peccato complicem valide, & licite absolvit, per se loquendo, & nisi sit de Diœcesi, in qua ejusmodi absolutio per Statutum Synodale est prohibita.* 745. *Andreas, in Diœcesi Augustana approbatus pro excipiendis ibi Confessionibus, non tamen potestate absolvendi a reservatis præditus, absolvere non valet peregrinum Passaviensem a casu reservato per Episcopum Augustanum, tametsi non sit reservatus Episcopo Passaviensi; valet e diverso ejusmodi peregrinum absolvere a casu reservato per Episcopum Passaviensem, non item per Augustanum: modo peregrinus ille non advenerit in fraudem legis reservantis.* 746. *Anselmus Confessarius Sigillum frangit, dum defectus naturales, quos in suo pœnitente ex modo confitendi advertit, revelat.* 747. *Antigonus homicida puniri a Magistratu non potest, quando notitia homicidii ex Confessione Sacramentali originem traxit. Ubi etiam deciditur, quis sit Judex in causa fractionis Sigilli, & quomodo procedere possit, ac debeat.* 748. *Qui se gerere debeat Attilius Confessarius Regularis, cum ex Attilia confitente intelligit frequentiores lapsus carnis cum suo Confratre foris exposito?*

CASUS I.

743. *Apollonius Franciscanus, in Conventu Salisburgensi SS. Theologiæ Lector ordinarius, ex mandato A. R. P. Ministri Provincialis Augustam Vindelicorum tendit, publicam ex Theologia disputationem tempore Comitiorum Provincialium ibidem (ut in nostra Provincia moris est) exhibiturus. Cum medium iter haberet, pervenit mane in quendam pagum, intra Diœcesim Frisingensem situm, ad aram ibi litaturus. Insinuat proin se apud D. Parochum pro licentia sacrificandi, quam & impetrat. Sacro finito, rogatur, ut aliquot Parochianorum, & ipsius quoque D. Parochi Confessionem excipiat. Quæritur, an valeat gratificari?*

Respondetur primo. Apollonius non valet gratificari, excipiendo Confessiones parochianorum. Ratio est: quia Apollonius in Diœcesi Frisingensi non est approbatus pro excipiendis Confessionibus, ut supponitur; ergo Diœcesanorum, saltem secularium, Confessiones ibi audire non potest. Revide, quæ diximus *num. 670.* & *num. 673.* Confirmatur responsio. Vel Apollonius valeret gratificari excipiendo Confessiones illorum parochianorum, quatenus acciperet a D. Parocho licentiam excipiendi; vel quatenus esset munitus privilegio excipiendi, quale concessit Eugenius IV. Fratribus Minoribus, & Gregorius XIII. Patribus Societatis Jesu (consequenter per communicationem aliis quoque Religiosis Mendicantibus) vi cujus possint (si ab uno saltem Episcopo sint approbati) excipere in itinere Confessiones fidelium (etiamsi respectu horum alioquin approbati non sint) quando ibi non existit Episcopus Diœcesanus, nec commodus ad eum accessus patet: atqui ex neutro capite valet Apollonius gratificari; ergo &c. Min. prob. Non enim ex primo; quia Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 15. de Reformat.* universaliter decernit, ac pronunciat, non posse quenquam, etiam Regularem, audire Confessiones secularium, nisi vel Parochiale Beneficium obtineat, vel aliter sit approbatus ab Episcopo (illius nempe loci, in quo quis audire Confessiones intendit) ergo licentia Parochi in ordine ad Confessiones excipiendas Apollonio suffragari nequit; eo quod necessario præsupponat approbationem, saltem tacitam, Episcopi Diœcesani, qua tamen Apollonius caret. Neque ex secundo: quia præmemoratum privilegium revocavit Clemens X. (ut non commemorem alios Pontifices, puta Urbanum VIII. & Alexandrum VII. quos idipsum fecisse lego in Authoribus) per Bullam *Superna Magni Patrisfamilias* (cujus meminimus supra *num. 673.*) ubi §.4. sic decrevit: *Ad hæc Religiosos, ab Episcopo ad Confessiones Secularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati &c.* Atque ita censent Illsung *tr.6. disp.6. q.6. art.1. §.3. num.176.* La Croix *lib. 6. part. 2. num. 1513.* & alii hodie plerique. Neque dici potest, quod Decretum altefati Pontificis sit intelligendum de Religiosis stabiliter in aliqua Diœcesi permanen-

manentibus, non autem de solum transeuntibus. Contra enim est, hanc interpretationem esse mere divinatoriam, nulloque tibicine fultam; imo prorsus alienam a mente Pontificis: siquidem Pontifex simpliciter, & absolute requirit approbationem Episcopi, in cujus Diœcesi Religiosus Confessiones audit, revocando omnia qualitercunque data privilegia in contrarium; ergo Decretum Pontificis simpliciter, & absolute, adeoque etiam de Religiosis transeuntibus, intelligendum venit; maxime quia Decretum interpretationem contrariam nec explicite, nec implicite indigitat; neque colligi aliunde valet. Accedit, quod dicta interpretatio non sit consona fini, per Decretum intento, qui est, ut quilibet Episcopus recognoscat capacitatem Sacerdotum, intra suam Diœcesim Confessiones audientium; ergo, licet Religiosis esset favorabilis, non tamen est justa, sed contra mentem Pontificis, torta, & fundamento destituta. Unde P. La Croix *loc. cit.* censet, ab usu memorati privilegii hodie abstinendum esse. Idem judicat P. Elbel *de Pœnit. n.* 292. extra casum necessitatis &c. Quidquid nonnulli alii contra sentiant.

Respondetur ad Casum secundo. Apollonius valet gratificari, excipiendo Confessionem D. Parochi, Capellani, Cooperatoris, aut alterius Sacerdotis Secularis, non quidem virtute privilegii itinerantium, se vi tacitæ approbationis, quam obtinet ab Episcopo Frisingensi in ordine ad audiendam Confessionem D. Parochi &c. Ratio est: quia Episcopi sciunt, quod Parochi, Capellani &c. soleant passim confiteri Religiosis transeuntibus, alibi jam approbatis, esto non sint approbati in Diœcesibus, in quibus morantur Parochi; & non contradicunt, nec prohibent ejusmodi praxim; ergo censentur in eandem consentire *arg. Regula* 43. *Juris in* 6. adeoque Religiosos transeuntes tacite in prædictum finem approbare. Ita sentiunt DD. communiter.

Dices tamen. Regula Juris allegata (*Qui tacet, consentire videtur*) solum vera est in favorabilibus, non autem in præjudicialibus; ergo ex ea non formatur idoneum argumentum ad præsentem casum, utpote in quo agitur de præjudicio Episcopi.

Respondetur, neg. ant. ita universaliter propositum. Nam etiam qui tacet in præjudicialibus, consentire videtur, quando contradicendo, vel expresse dissentiendo facile potest impedire id, de quo agitur, & in contrarium nulla conjectura apparet, P. Reiffenstuel *in tr. de Regulis Juris separatim edito ann.* 1733. *cap.* 2. *in cit. Regulam n.* 4. *&* 5. cum aliis a se relatis. Promitur tum *ex l.* 2. *§. voluntatem, ff. de soluto Matrimon.* ibi: *Nisi evidenter contradicat, videtur consentire.* Tum *ex c.* 2. *de his, quæ fiunt a Prælat.* ubi Capitulum ex eo solo habetur pro consentiente; quia non contradixit, cum sciverit, & potuerit contradicere: *Si sciente, & non contradicente Conventu facta est* (concessio decimæ ab Abbatissa) *robur firmum debet habere*, cum concord. Tum ex ratione: quia quando quis præsens scit rem fieri, vel peti, & tacet, dum facile contradicere potest, sua taciturnitate facit, ut de Jure præsumatur idem sentire, adeoque consentire, consensu nimirum tacito, non in fictione, sed in præsumptione Juris fundato, nisi contraria conjectura appareat ex verbis, vel aliis signis. Ita prælaudatus Author, quem vide, si placet, & nobiscum nega ad propositum argumentum etiam cons.

Sed quid si Apollonius divertisset ad quoddam Monasterium, intra eandem Diœcesim situm, & Religiosus aliquis, ejusdem Monasterii, ei confiteri voluisset, potuissetne ipsum audire, & absolvere?

Respondetur, quod non potuisset, nisi de consensu Prælati expresso, vel tacito. Ita Palao *tr.* 23. *disp. unic. pun.* 14. *n.* 11. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 60. *art.* 6. *& q.* 62. *art.* 4. Petrus Marchant. *in Trib. tr.* 2. *tit.* 6. *q.* 4. *resol.* 2. *modificat.* 3. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10. *n.* 20. & alii communiter. Ratio est: quia licet Apollonius non indiguerit approbatione Episcopi Frisingensis ad excipiendam Confessionem Religiosi (illa nanque approbatio solum requiritur ad audiendas Confessiones Laicorum, & Clericorum Secularium talis Diœceseos; prout ostensum manet *n.* 670.) indiguit tamen consensu Prælati; ergo si hic non accesserit, audire, & absolvere Religiosum non potuit. Ant. prob. Etenim Ordinibus Religiosis, saltem plerisque, concessum est a Sede Apostolica speciale privilegium, ut ipsimet Regulares nulli alteri confiteri possint sine Prælati, sive Superioris sui consensu, alio; at Confessio aliter facta nulla, & invalida existat; quemadmodum ostendit Leonardelli *de Pœnit. n.* 187. recensendo privilegia variis Religionibus indulta; ergo &c. Nec refert, si dicas. Religiosi Mendicantes, de quorum classe Apollonius, obtinent privilegium absolvendi quoscunque fideles ad eos undecunque venientes; si ergo Religiosus ille venisset ad Apollonium, quidni virtute talis privilegii ipsum absolvere potuisset? Respondetur enim, Apollonium non potuisset; nam privilegio speciali non derogatur per privilegium generale, cujusmodi est immediate allegatum, Ordinibus Mendicantibus concessum: quod proinde valet relate ad Seculares duntaxat; non item relate ad Regulares, nisi horum Superior expresse, vel tacite consentiat.

CASUS II.

744. *Antonius, Sacerdos pius, & Zelosus Antoniam, Matronam itidem piam, invisere per annum sæpius, honestos cum ea discursus miscere, imo monita salutis eidem dare in more, & deliciis habuit. Ast semel vino largius hausto ad Venerem incitatus, in discurrendo ad sermones obscœnos declinavit tamdiu continuatos, donec ipsam tandem copiam corporis sibi concedi ab Antonia peteret, impetraretque: Peracta turpitudine, lamentari Antonia, & in hæc verba prorumpere:* Heu mihi, si modo, vel proxima nocte morerer, utique Orco addicerer, ob brevissimam voluptatem æternum cruciunda, nihil suffragantibus bonorum operum meritis, quæ, seu æternæ salutis semina, per tot annos congessi &c. *Lamentationi ut finem imponeret Antonius, & desolatam Antoniam in spem veniæ erigeret, modo meliore, quo potuit, laboravit. Specialiter vero adhortatus eandem est ad concipiendam de peccato perpetrato contritionem (qualem & ipse se statim eliciturum spopondit pro statu gratiæ recuperando) sibique desuper faciendam Confessionem Sacramentalem, ut, mediante absolutione, eo certius in amicitiam cum Deo rediret, ac merita, per mortalem lapsum mortificata, resuscitaret. Quæritur jam, utrum Antonius Antoniam, peccati complicem, licite, ac valide potuerit confitentem audire, & confessam absolvere?*

Respondetur, quod Antonius potuerit, per se loquendo, & nisi fuerit in Diœcesi, in qua per Legem Synodalem Sacerdoti prohibita est absolutio sui complicis. Ita Card. de Lugo *disp.* 16. *num.* 362. Diecastillo *disp.* 9. *num.* 610. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 7. *num.* 581. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1204. & alii communiter. Ratio est: quia ex una parte non extat Lex aliqua universalis, quæ talem absolutionem prohibeat; & ex altera parte uterque complex sincere doluit de peccato (veluti ponitur in Casu) neque, sive unus, sive alter credebatur idcirco subiturus periculum relabendi (prout itidem circumstantiæ Casus innuunt) ergo &c.

Dices. Esto ponatur abfuisse periculum relabendi; Antonia tamen minore cum verecundia confitebatur peccatum Antonio, seu complici, quam alteri Sacerdoti; ergo Antonius adhuc non potuit Antoniæ Confessionem audire saltem licite.

Respondetur, omisso antecedente, neg. cons. Nam minor verecundia pœnitentis, secluso relapsus periculo, Confessionem, hujusque exceptionem, non reddit illico illicitam, sed tantum aliquo modo minus frugiferam, quia minus difficilem: alias pœnitens illicite confiteretur Sacerdoti, cui sua peccata scit jam esse nota ex aliorum relatione, aliove cognitionis modo (cum ipsi utique confiteatur minore cum verecundia, quam alteri, nulla adhuc de iis peccatis notitiam habenti) quod tamen pugnat contra praxim, & communem sensum fidelium.

Dixi in respons. ad Cas. *per se loquendo, & nisi fuerit de Diœcesi &c.* Tunc quippe Antonius non solum illicite, sed etiam invalide absolvisset complicem Antoniam; eo quod relate ad eam non fuisset approbatus. Quapropter perinde est, sive per Statutum Synodale Sacerdoti relate ad absolutionem complicis adimatur potestas absolvendi, sive prohibeatur ipsa

absolutio; nam si primum; Sacerdoti denegatur jurisdictio (vel saltem restringitur usus, si jurisdictionem habeat a S. Pontifice, ut Religiosi Mendicantes); si secundum; denegatur approbatio: quæ tamen utraque ad valide absolvendum Sacerdoti necessaria est.

Ex modo dictis fluit resolutio hujus quæstionis, *an Confessarius, complex criminis, tempore Jubilæi a pœnitente eligi possit?* Respondetur enim, non posse in Diœcesi, in qua alias prohibetur absolutio complicis, quia tunc non est approbatus ab Ordinario Diœcesano relate ad complicem; cum tamen in Confessario Jubilæi prærequiratur approbatio relate ad eas personas, quarum vult Confessiones audire, secundum dicta *num. 635.* ergo &c. Viva *de Jubil. q. 11. art. 3. n. 4.* La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1468.* & alii apud ipsos.

Nec dicas, ejusmodi prohibitionem, Statuto Synodali factam, pertinere ad casuum reservationem, non ad limitandam approbationem; eo quod approbatio limitetur solum relate ad aliquod genus personarum, vel relate ad locum aliquem, aut ad certum tempus restringatur.

Contra enim est: siquidem illa prohibitio non respicit determinate ullum delictum, quod reservet, sed solum respicit determinate personam complicis; ergo relate ad istam fert defectum approbationis. Gratis autem omnino dicitur, quod approbatio limitari duntaxat possit relate ad genus aliquod personarum, & non relate ad personam determinatam, quando relate ad hanc datur sufficiens ratio illam limitandi, ut datur relate ad personam complicis. Ita fere in terminis prælaudatus P. Viva *loc. cit.*

CASUS III.

745. *Andreas, Sacerdos, & Confessarius, dum Augustæ Vindelicorum ad excipiendas Confessiones expositus in S. Tribunali sedet, nanciscitur duos pœnitentes peregrinos ex Diœcesi Passaviensi, quemlibet casu reservato gravatum, eo tamen discrimine, quod casus unius sit reservatus ab Episcopo Augustano, non item a Passaviensi; alterius e diverso ab Episcopo Passaviensi, non item ab Augustano. Quæritur jam, utrum Andreas, potestate in reservata destitutus, absolvere nihilominus utrumque pœnitentem a casu reservato valeat?*

RESpondetur primo. Andreas absolvere non valet pœnitentem peregrinum gravatum casu, qui est reservatus ab Episcopo Augustano, tametsi non sit reservatus ab Episcopo Passaviensi. Marchant., Lugo, Suarez, & Henno relati a P. Elbel *de Pœnit. n. 375.* Schmalzgrueber *lib. 5. Decretal. tit. 38. n. 58.* Leonardelli *de Pœnit. n. 225.* & plerique alii contra PP. Mezger, Babenstuber, & nonnullos alios, quorum fundamentum est, quod cum ejusmodi pœnitens peregrinus non sit subditus Episcopo Augustano, reservatio ab isto facta illum non tangat. Sed contra est (simulque adstruitur ratio probativa responsionis nostræ). quod, licet peregrinus ille alias non sit subditus Episcopo Augustano, debeat tamen judicari ut subditus, & incola Diœcesis Augustanæ, in qua judicari desiderat; cum hoc desiderando sese submittat in ordine ad sententiam percipiendam. Accedit, quod reservatio non tam pœnitentem, quam Confessarium tangat, cui tollit jurisdictionem in casum reservatum; ergo sufficit, quod iste sit subditus Episcopo reservanti, etiamsi non sit subditus ille, seu pœnitens. Opposita tamen sententia servire poterit Confessario in casu, quo advertit, pœnitentem sentire magnam difficultatem in adeundo alium Confessarium potestate in reservata præditum: prout judicat, & fatetur P. Elbel ubi supra; nec ego diffiteor.

Respondetur secundo. Andreas absolvere valet pœnitentem peregrinum gravatum casu, qui est reservatus ab Episcopo Passaviensi, non item ab Augustano, in cujus Diœcesi confitentem audit: modo ejusmodi peregrinus non advenerit in fraudem legis reservantis. Filliucius, Layman, & Tamburinus, quos refert, & cum communi sequitur P. Stoz *lib. 2. num. 64.* Sumitur responsio hæc primo ex ratione: quia Confessarii, etsi communiter tantum approbati, & communi jurisdictione muniti, obtinent potestatem absolvendi a peccatis, in sua Diœcesi non reservatis; ergo possunt eandem exercere, & pœnitentem judicare secundum Leges Loci, in quo hic, & nunc confitetur: cum igitur peregrinus ille pœnitens confiteatur Augustæ, ubi ejus casus non est reservatus, etsi alibi sit reservatus, judicandus est tanquam non habens casum reservatum: consequenter &c. Sumitur eadem responsio secundo ex Clementis X. sæpe allegata, & infra *n. 753.* in terminis integre adducenda Bulla, quæ incipit: *Superna Magni Patrisfamilias*, ubi §. 7. expresse habetur: *posse Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confitentes ex alia Diœcesi, a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Et quamvis hæc Bulla signate, & explicite loquatur de solis Confessariis Regularibus, ejus tamen dispositio merito etiam extenditur ad Confessarios Seculares, tum ob paritatem rationis; tum, & præsertim, quia alioquin Confessarii Seculares essent obligati ad sciendos casus in variis Diœcesibus reservatos, & sciscitandum ex pœnitentibus, de quanam Diœcesi sint: quod tamen paradoxum foret, & contra communem praxim Confessariorum, sensumque DD.

Dixi: *modo ejusmodi peregrinus non advenerit in fraudem legis reservantis*: hoc est: non ideo præcise, ut ibi a casu reservato absolvatur, sed ex alio motivo, v. g. mercaturam exercendi, amicos invisendi, hæreditatem capessendi &c. Nam primum (non item secundum) in allegata Bulla Clementina prohibetur; & merito; quia sic justa reservatio peccatorum fieret elusoria, & ejusmodi potestas absolvendi cederet in præjudicium boni communis. Stoz *loc. cit.* & alii passim. Revideantur etiam, quæ diximus *part. 1. num. 437. in respons. ad argum. & num. 440. in corolar. 2.*

CASUS IV.

746. *Anselmus Confessarius aliquoties excipit Confessionem Aproniani, Philosophiæ Studiosi, & singuli pene vicibus advertit, eum linguæ latinæ non esse bene gnarum, esse indoctum, & indocilem, hominem sui capitis, animique perplexi, & anxii, quatenus hos tales defectus in ipsa Confessione exercet, ac committit Apronianus, etsi eosdem non confiteatur, nec ullam desuper mentionem faciat inter confitendum. Quæritur, an ejusmodi defectus, sic patefacti, sub Sigillum cadant, & Anselmus illos revelando fracti Sigilli reum se constituat?*

RESpondetur affirmative. Ita Tamburinus *de Confess. lib. 5. cap. 3. §. 10. n. 18.* Stoz *lib. 2. n. 232.* La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1947.* & alii. Ratio est: quia omne id, quod Sacramentum Pœnitentiæ reddit odiosum, si reveletur ex Confessione, nequit revelari citra fractionem Sigilli: sed memorati defectus, præfata ratione inter confitendum ab Aproniano patefacti, reddunt Sacramentum Pœnitentiæ odiosum, si ab Anselmo revelentur ex Confessione; ergo nequeunt sic revelari citra fractionem Sigilli. Confirmatur, & declaratur: siquidem sicut ea, quæ pœnitens dicit in ordine ad sua peccata explicanda; ita & ea, quæ inter confitendum agit, & facit, vel alio modo detegit, quatenus nempe sine iis ob aliquam corporis, vel animæ indispositionem, consuetudinem &c. aliter non potest commode peccata enarrare, Sacramentum Pœnitentiæ faciunt odiosum; ergo a Confessario citra fractionem Sigilli tam parum ex Confessione revelari queunt ista, ac illa. Cum igitur juxta communem defectus naturales, quos pœnitens verbis aperuit in ordine ad sua peccata explicanda, a Confessario sine fractione Sigilli revelari ex Confessione nequeant; ita & nequibunt revelari similes defectus, quos pœnitens manifestavit factis &c.

CASUS V.

747. *Antigonus, certi cujusdam Oppidi inquilinus, & civis, ab Antoniano vicino suo graviter irritatus, odium erga hunc concepit, fovitque occultum in pectore odium integro fere anno, in omnem interea occasionem intentus, qua illud proderet: cumque inaudiisset, Antonianum ad nundinas, in aliqua civitate, quatuor inde leucis dissita, celebrandas, abiturum, observat diem*

abitus,

abitus, in via se abscondit. inimicum suum præstolatur, occurrentem ex insidiis stricto ense invadit, atque occidit. Quo facto, homicida latenter in Oppidum, & ædes suas regreditur. Cadavere reperto, & agnito, interfecti uxor, aliique domestici, & cognati in varias abeunt suspiciones; quarum tamen nullam conjiciunt in Antigonum, donec certo quopiam die festo videant eum dimidia fere hora in Confessionali hærentem, indeque tandem tristi præter morem vultu recedentem. Tum enim vero, abjectis suspicionibus aliis, in unum collimant Antigonum, eumque suspicantur, & pene judicant esse occisorem: utque idipsum certius comperiant, adeunt Confessarium, sciscitantes, an non Antigonus se in Confessione accusaverit de interfectione Antoniani. Et licet prima vice a Confessario insigniter reprehensi, ac repulsi sint (prout fieri debuit) impii sciscitatores; tamen alterum adhuc assultum tentant, Confessarium repetitis precibus adorientes, ut annuat petito, & fateatur, sitne Antigonus occisor Antoniani, ne ne? Spondent, se non propalaturos cognitum reum, neque quæsituros vindictam; adduntque, se non petere manifestationem homicidæ in alium finem, quam ut a molestissimis suspicionibus, modo adversus hunc, modo adversus alium conceptis, aut adhuc concipiendis, liberari valeant. His auditis, labefactata, & prostrata est constantia simplicis Confessarii; sacrilego edixit, non alium, ac Antigonum esse occisorem Antoniani. Extorta hac notitia, Cognati contra suum promissum rem deferunt ad Magistratum, Antigonum homicidii incusant, & satisfactionem petunt. Unde Magistratus, misso satellitio, ad carcerem trahi imperat accusatum, ut, si patrati facinoris reus fuerit inventus, promerita pœna mulctetur. Occasione hujus casus quæritur 1. Quis sit Judex in causa fractionis Sigilli? 2. An adversus violatorem Sigilli procedere Judex possit etiam sine pœnitentis licentia? 3. An, & qualis probatio sit necessaria, ut procedi possit adversus violatorem Sigilli? 4. An Antigonus ut homicida, aut quoquo modo puniri possit, vel potius e carcere dimitti liber, & sine pœna debeat?

RESpondetur primo ad primam quæstionem, occasione propositi Casus formatam, quod causa fracti Sigilli privative spectet ad Judicem Ecclesiasticum. Reiffenstuel *lib. 5. Decretal. tit. 38. n. 9.* & alii communiter. Ratio est; quia causa fracti Sigilli ex annexo Sacramento, adeoque ex natura sua spiritualis, & Ecclesiastica est; consequenter a Jurisdictione Judicis Secularis omnino eximitur, & subest jurisdictioni solius Judicis Ecclesiastici. *cap. 2. & 3. de Judiciis.*

Nec obstant exempla Jacobi I. Arragonum Regis, qui (ut testatur Adrete *lib. 2. Eccles. Discip. cap. 19. num. 2.*) Episcopo Gerundensi sacrilege linguato linguam extrahi; & Senatus Tolosani, qui (ut perhibet Raynaudus *Prat. Spirit. Histor. 13.*) Sacerdotem, violati Sigilli reum, in furcam agi, ejusque cadaver igne cremari jussit. Respondetur enim, id factum fuisse, vel quod hi Judices delegatam a Pontifice authoritatem habuerint; vel quod sacrilegi violatores Sigilli prius per potestatem Ecclesiasticam fuerint degradati, & postea Foro Seculari pro pœna exequenda traditi: aliter quippe si factum fuisset, cessisset in præjudicium, & injuriam Fori Ecclesiastici, utpote cujus Libertas læsa fuisset. Videatur *can. 2. & 3. caus. 11. q. 1.*

Respondetur secundo ad secundam quæstionem, quod Judex (nempe Ecclesiasticus) procedere possit sine licentia pœnitentis, Stoz *lib. 2. a num. 288.* Reiffenstuel ubi supra *n. 11.* VViestner *lib. 5. Decretal. n. 128.* Schmalzgrueber *ibid. n. 85.* Ratio est 1. Siquidem fractio Sigilli est crimen publicum (utpote sacrilegium, quod accensetur criminibus publicis, ut habet P. Reiffenstuel *cit.*) in publicam Sacramenti, & Ecclesiæ injuriam vergens; ergo publicæ discussioni, & punitioni subjacet, non attento assensu, vel dissensu hominis privati, qualis est pœnitens. Hinc *can. 2. de Pœnit. dist. 6. & cap. 12. de Pœnit. & Remiss.* ubi pœna depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ contra Sigillifragos statuitur, nulla fit mentio de consensu, seu licentia pœnitentium requirenda. Ratio est secundo: Per delationem, inquisitionem, & processum contra Sigillifragum tantum abest, ut reverentia Sacramenti lædatur, ut potius promoveatur tanquam per medium aptissimum, imo necessarium ad observantiam, & reparationem Sigilli Sacramentalis: nulla autem Lex excludit media, ad sui observantiam apta, aut necessaria, neque ejusmodi mediorum usum refert in arbitrium subditorum; ergo &c. Confirmatur. Si processus contra Sigillifragum instituendus foret dependenter ab arbitrio, & consensu pœnitentis, deberet omnino intermitti in casu, quo pœnitens non amplius viveret; cum a mortuo consensus obtineri non posset: sequela autem est absurda; cum sic Confessarii impune edicerent peccata mortuorum, ante in Confessione rescita; ergo &c.

Dices. Omnes illi obligantur Sigillo Sacramentali, ad quos notitia, ex Confessione Sacramentali derivata, pervenit immediate, vel mediate, licite, vel illicite; prout cum communi tradidimus supra *numer. 712.* ita, ut sine pœnitentis, cujus peccatum fit innotuit, licentia non possint uti ea notitia: uterentur autem in processu adversus Confessarium Sigillifragum, suoquisque modo, nempe delator denunciando, testes testificando, Judex examinando, & Confessarius ipse ultro, vel ad interrogationem Judicis crimen suum fatendo; ergo &c.

Respondetur, explicando majorem, & dicendo, quod dogmatis illius generalitas non comprehendat casum, quo usus notitiæ, ex Confessione Sacramentali derivatæ, est medium necessarium ad observantiam, & redintegrationem Sigilli Sacramentalis; prout evenit in proposito; ubi proin nihil fit contra Sigillum, ejusque obligationem, sed potius juxta illud, ejusque exigentiam peragitur, quidquid in processu peragitur: veluti notant P. Stoz *loco citat. numer. 396.* & P. Schmalzgrueber ubi supra *numer. 86.*

Respondetur tertio ad tertiam quæstionem. Si Confessarius Sigillifragus delictum hoc suum ultro fateatur, patens est, nulla opus fore alia probatione; cum propria confessio sit optima probatio. Si vero Confessarius crimen sibi impactum neget, accusatori, vel denunciatori incumbit onus probandi. Ubi tamen ad probationem sufficiunt testes singulares, ita, ut si unus testis deponat, hoc tempore, vel loco peccatum a Confessario revelatum, alius alio; aut si unus dicat, ab ipso revelatum hoc peccatum, alius aliud; fractio Sigilli censeatur satis probata, quando reus pro sui defensione nihil opponit, Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 9. numer. 122.* Stoz *lib. 2. numer. 281.* Reiffenstuel ubi supra *numer. 18.* & alii passim. Ratio est: quia fractio Sigilli, præterquam quod sit crimen prorsus enorme, summeque præjudiciosum, ordinarie difficilis est probationis; cum vix reperiundus sit Confessarius, qui peccatum pœnitentis, in Confessione auditum, revelet coram pluribus simul præsentibus.

Dixi tamen: *quando reus pro sui defensione nihil opponit.* Potest enim opponere, peccatum, de cujus revelatione accusatus est, sibi non in Confessione apertum, sed extra eam innotuisse; vel pœnitentem ad illud revelandum dedisse licentiam. Quando opponit priore modo, tenetur probare, qua occasione, & via id cognoverit; in cujus probatione si defecerit, præsumptio revelationis temere factæ contra ipsum militat in tantum, ut pœna extraordinaria plecti possit, non vero ordinaria, eo quod de sacrilega Sigilli fractione non sit convitus, Abbas *in capit. 12. de Pœnit. & Remiss. numer. 26.* Palao *tr. 23. disput. unic. punt. 19. §. 1. numer. 51.* Pignatelli *tom. 7. consult. 54. numer. 12.* Quando opponit posteriore modo, distinctione opus est, an nimirum accusator sit aliquis tertius, vel ipse pœnitens. Si primum; onus probandi, licentiam non esse datam a pœnitente, incumbit accusatori, ob præsumptionem militantem pro Confessario, qui tandiu præsumitur Vir bonus, & nihil deliquisse contra obligationem Sigilli, quandiu non probatur contrarium, *c. un. de Scrutin. c. fin. de Præsumpt. & l. 51. ff. pro Socio.* Si secundum; licentiam a pœnitente sibi datam probare debet Confessarius; quia est quæstio facti, cujus probatio incumbit alleganti. Quare tali casu ad licentiæ sibi datæ probationem, suique purgationem Confessario deferendum est juramentum, & hoc præstito acquiescendum. Lugo *disp. 23. numer. 151.*

Reiffen-

Reiffenstuel ubi supra *a num.* 13. Schmalzgrueber *loc. cit. num.* 89. *& seq.*

Respondetur quarto ad quartam quæstionem, quod Antigonus e cardere dimitti liber debeat, & nulla affici pœna. Ratio est: siquidem notitia, ex Confessione Sacramentali profecta, ad Judicium forense omnino inutilis est, & nullatenus illuc trahenda; prout fatentur omnes, & nos insinuavimus supra *num.* 701. ac alibi sæpius; ergo crimen Antigoni censetur in foro externo incognitum; atqui crimen incognitum puniri non potest per sententiam a Judice ferendam; ergo &c. Ejusmodi dimissionis exemplum affert Augustinus Michel *de Pœnit. fol.* 601. *n.* 38. quem vide, si placet.

CASUS VI.

748. *Attilius, Religiosus, & Confessarius, dum excipit Confessionem Attilia, intelligit, hanc pœnitentem sæpius lapsam in peccatum carnis cum Religioso ejusdem Ordinis, & Monasterii, cujus est Attilius, in Parochia administranda exposito: utque, juxta Officii sui exigentiam, deveniat in scitu necessariam peccatorum notitiam, unaque confusionem publicam, S. Ordini, & Monasterio forte impendentem, avertere, aut quoquo modo impedire valeat, sciscitatur, an opus carnale consummassent per exercitium perfecta copula, & inaudis, copulas, hucusque habitas, non fuisse perfectas, seu conjunctas cum immissione seminis, quamvis aliquoties non abfuerit periculum consummationis, & impregnationis inde consecutura. Quæritur, quomodo Attilius hic remederi possit, & debeat?*

Respondetur. Attilius ante omnia exstimulabit Attiliam ad verum dolorem de peccatis hactenus admissis, & firmum propositum de non amplius admittendis. Hoc habito, petat ab eadem licentiam (juxta normam petendi supra *num.* 719. & *num.* 740. præscriptam) complicem corrigendi, & ad meliorem frugem reducendi; eaque impetrata Confratrem errantem per literas (si oretenus non possit) caute sigillatas partim obsecrando, partim increpando, opportune, ac importune instando, adhortetur, & impellat ad resipiscendum; servato nimirum ordine fraternæ correctionis, quamvis addere minas possit, vel etiam debeat, rem, in eventum, quo fraterna hæc correctio frustratetur exoptato effectu, deferendam fore ad Superiorem, a quo & depositionem ab Officio, & alia incommoda experiri habeat. Quod si Attilius non libenter seipsum prodat, celet in literis suum nomen, easque tanquam a bono amico exaratas transmittat. Hic corrigendi modus forte proderit, & sic Attilius erit lucratus Fratem suum &c. Ut vero idipsum rescire valeat, suadeat Attiliæ, ut post duas circiter septimanas redeat, de sui complicis conversatione, & statu informationem datura. Ita judicat, & suadet P. Elbel *de Pœnit. n.* 490.

Quodsi hoc remedium non profuerit, res ad Ecclesiam, id est, ad Superiorem deferenda erit, non via judicialis accusationis, sed charitativæ, seu Evangelicæ denunciationis, ut Superior tanquam Pater Filium suum a semita erronea ad rectam debita discretione revocandi occasionem captare possit, ac valeat. Quæ denunciatio fieri poterit, & debebit vel ab ipsa Attilia, vel ab Attilio de voluntate, & licentia Attiliæ legitimo modo obtenta, statum Religiosi, malamque ejus conversationem quasi generice exponendo, & cum ejusdem minori, quantum tactu possibile erit, infamia. Ita Author *cit. num.* 489. quem lege, & simul recole, quæ diximus *part.* 2. *a num.* 193.

APPENDIX,

In qua recensentur varia Decreta, & passim subjunguntur Resolutiones Quæstionum, ad rem præsentem facientes.

Quemadmodum supra, postquam egeramus de Sacrificio Missæ, in quadam Appendice adduximus varia Decreta, idem Sacrificium concernentia; sic in præsenti, postquam disseruimus de Sacramento Pœnitentiæ, addimus Appendicem, in qua afferimus Decreta, tale Sacramentum quomodolibet concernentia; eadem, qua ibi, ratione impulsi, ac permoti; ne videlicet, si ejusmodi Decreta cum Resolutionibus Quæstionum sibi subjunctis allata fuissent per decursum Tractatus de dicto Sacramento, memoriæ Lectoris forte confusionem ingenerarent.

SUMMARIUM.

749. *Affertur Decretum Alexandri VII. prohibens censurari sententias DD. Catholicorum circa sufficientiam Attritionis &c.* 750. *Quid notandum circa hoc Decretum?* 751. *Affertur Decretum Innocentii XI. circa Communionem quotidianam &c.* 752. *Quid notandum circa istud Decretum, & quare in hac Appendice congrue adducatur?* 753. *Affertur Decretum Clementis X. concernens præcipue Regulares quoad Prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ Administrationem.* 754. *An valida sit approbatio Confessarii, quando non datur gratis, sed pro pretio, & simoniace?* 755. *Quamdiu duret approbatio Confessarii?* 756. *An revocari possit, & qualiter, approbatio Confessarii, semel illimitate concessa?* 757. *An Prælati Regulares per se vel per Sacerdotes Regulares sibi subditos, confessiones suorum familiarium Secularium audire possint absque approbatione Episcopi?* 758. *Affertur Forma Brevis Apostolici, quo Jurisdictio, & Facultas administrandi Sacramenta, una cum aliis Privilegiis, Exercituum Sac. Cæsareæ Majestatis Capellanis concedi solet.* 759. *Capellanus castrensis Sacramentum Pœnitentiæ, & alia (exceptis Confirmatione, & Ordine) administrare valet illis etiam militibus, quibus Legio, cui ipse in spiritualibus præfectus est, augetur, vel reparatur.* 760. *Idem Capellanus valet suæ Legioni Sacramenta administrare, quocunque locorum cum ea devenerit.* 761. *Valet etiam administrare (extra tempus Paschale) militibus, & personis alterius Legionis ad se venientibus, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; non item alia, nisi de consensu expresso, vel tacito proprii Capellani.* 762. *Affertur Constitutio S. Pii V. circa Libros ex Bibliothecis Monasteriorum, aut Domorum FF. Min. Ord. S. Francisci non subtrahendos.* 763. *Quid circa illam notandum?* 764. *Affertur Constitutio Gregorii XV. concedens Indulgentiam pro Festo Portiunculæ extra Assisium.* 765. *Unde famosa Indulgentia Portiunculæ suam traxerit originem?* 766. *Quid per Indulgentiam Portiunculæ, prout extensam ad alias Ecclesias extra Locum Portiunculæ sitas, intelligatur?* 767. *Ad quasnam Ecclesias extensa sit Indulgentia Portiunculæ?* 768. *Quænam Opera ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ peragi debeant; & quid circa singula notandum?* 769. *An etiam Opera, aliunde debita, ad illam lucrandam sufficere possint?* 770. *Quinam Indulgentiam Portiunculæ lucrari possint?* 771. *Adducitur Decretum Clementis VII. specialiter concedens nostris Syndicis, eorumque uxoribus, & liberis communicationem Indulgentiarum &c. quas Fratres Minores &c. lucrifacere queunt.* 772. *Quibusnam Indulgentia Portiunculæ applicari valeat?* 773. *Affertur Constitutio Innocentii XI. concessoria, ut præfata Indulgentia etiam defunctis applicari possit.* 774. *Potest hæc Indulgentia die secunda Augusti pro defunctis obtineri toties quoties &c.* 775. *Ostenditur ex Decreto Cardd. Concilii Tridentini Interpretum.* 776. *Circa quod Decretum aliqua notanda, & supponenda specificantur.* 777. *An Confessariis vi Indulgentiæ Portiunculæ competat facultas absolvendi a reservatis &c.?* 778. *An durante Jubilæo ordinario, seu Anni Sancti, Indulgentia Portiunculæ suspendatur?* 779. *Resolutio hujus quæstionis est negativa ex Decreto Innocentii XII. allato, quoad Indulgentiam in ipso Loco Portiunculæ concessam: affirmativa vero* 780. *quoad eandem Indulgentiam ad alia Loca extensam.* 781. *Affertur Indultum Benedicti XIII. vi cujus Indulgentia Portiunculæ ne quidem in Ecclesiis extra Assisium aliquando non fuit suspensa tempore Jubilei ordinarii.* 782. *Quasnam speciales prærogativas habeat Indulgentia Portiunculæ in ipso Loco, seu Ecclesia Portiunculæ?* 783. *Constitutio Innocentii XII. circa Indulgentias Viam Crucis obeuntibus concessas.* 784. *Constitutio Clementis X. confirmans Indulgentias &c. Locis Terræ Sanctæ hucusque concessas, & non revocatas.* 785. *Quid notandum circa nomenclaturam, & originem Indulgentiarum, Viam Crucis obeuntibus*

tibus

tibus concessarum? 786. *Quid per Viam Crucis, prout ad Loca, extra Jerusalem sita, extensam reipsa intelligatur, & quomodo erigenda sit?* 787. *Quibusnam competat facultas erigendi Viam Crucis?* 788. *Quænam Indulgentia Viam Crucis rite obeuntibus sint concessa?* 789. *Quinam præfatas Indulgentias lucrari possint, pro quibus, & quoties?* 790. *Qualis ab obeuntibus Viam Crucis exigatur visitatio Stationum? Item* 791. *qualis devotio, & quandiu hæc durare debeat? Item* 792. *qualis dispositio?* 793. *Forma Indulgentiarum in Brevi Innocentii XI. Rosariis, & Crucibus Jerosolymitanis annexarum.* 794. *Quid præterea notandum circa contenta in præmentionato Brevi?* 795. *Decretum S. Congregationis, Indulgentiis, & SS. Reliquiis præposita, declarans Indulgentias, Rosariis, ac Crucibus Jerosolymitanis, uti & Caravacensibus annexas.* 796. *Quid notandum circa contenta in eo Decreto?* 797. *An quis, ut illas Indulgentias lucrari valeat, debeat secum gestare & Rosarium, & Crucem, vel sufficiat gestare alterutrum?* 798. *Qualiter intelligenda veniat prohibitio, qua Decretum sub cassatione Indulgentiarum inhibet, ne Cruces, Corona, & Rosaria Jerosolymitana vendantur, aut quomodocunque commutentur?* 799. *Quid sibi alsefata S.Congregatio velit, dum in Decreto determinat, ac declarat, quod Cruces, & Rosaria Jerosolymitana Indulgentiis annexis priventur, quando transeunt personam illorum, quibus prima vice distribuuntur; vel quando aliqua res ex eis deperditur.* 800. *Summarium, & Forma Indulgentiarum, Rosariis Birgittanis, seu S. Birgitta, a SS. Pontificibus annexarum.* 801. *Quid circa has Indulgentias præterea notandum?* 802. *Origo, & Forma Indulgentiarum, Coronis de septem Gaudiis Beatissima Virginis MARIÆ annexarum.* 803. *Origo, & Forma Indulgentiarum annexarum Coronis, seu Rosariis D. N. JESU Christi.* 804. *Breve Apostolicum Benedicti XIII. concedens Indulgentias orantibus ad pulsum Salutationis Angelica.* 805. *Quid notandum circa voces:* flexis genibus &c. *Brevi insertas?* 806. *Constitutio Sixti V. concessoria Indulgentiarum propter reverentialem prolationem SS. Nominum, JESUS, & MARIA.* 807. *Consueta Formula Brevium Apostolicorum, quibus ordinario expediuntur Indulgentiâ pro Comprecatione quadraginta horarum.* 808. *Quænam notanda sint circa hanc Formulam?* 809. *Series plenariarum Indulgentiarum, & Prærogativarum, concessarum, & attributarum Inscriptis Archi-Confraternitati S. Scapularis.* 810. *Qualiter Bulla, talium Indulgentiarum, & Prærogativarum concessoria, veniant intelligenda?* 811. *Series Indulgentiarum concessarum Inscriptis Archi-Confraternitati Sacratissimi Rosarii S. P. Dominici.* 812. *Series Indulgentiarum concessarum Inscriptis Archi-Confraternitati Seraphici P. N. S. Francisci, seu Chordigeris.* 813. *Quænam circa Constitutionem harum Indulgentiarum concessoriam, ipsasque etiam Indulgentias lucrifaciendas sint notanda?* 814. *Bulla Pauli V. per quam Indulgentia, Regularibus in communi antea concessa, revocantur, & alia de novo conceduntur.* 815. *Quid præterea notandum circa Indulgentias Regularium?* 816. *Quid notandum circa revocationem Indulgentiarum in præallata Bulla factam?* 817. *Quid sint Indulgentia Stationum Urbis, & unde traxerint originem? Item quænam illa sint, & quibusnam diebus obtinibiles?* 818. *& seqq. Recensentur Indulgentia, tribus Ordinibus Seraphici P. N. Francisci speciatim concessa.* 821. *& seqq. De Indulgentiis Revocatis, atque Apocryphis.* 825. *Movetur quæstio occasionata de discrimine inter Bullam, & Breve Apostolicum.*

DECRETUM ALEXANDRI VII.

Editum feria 5. die 5. Maii 1667. prohibens censurari sententias DD. Catholicorum circa sufficientiam Attritionis &c.

SAnctissimus Dominus Noster ALEXANDER Papa VII. cum acceperit non sine gravi animi mœrore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo, inter se contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus: Sanctitas Sua enixe cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extinguere; auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, nec non DD. Consultorum, & Qualificatorum S. Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, huic Sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus, quocunque gradu, ac dignitate, etiam Episcopali, & majori, imo & Cardinalitia fulgentibus, ut, si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut Scholares, cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Refertur istud Decretum a P. Viva *part.* 3. *Thesium damnatarum prop.* 15. *numer.* 33. P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numer.* 875. & Augustino Michel *de Pœnit. fol.* 372. *num.* 3.

750. Quæres, quid notandum circa hoc Decretum?

Respondetur, nihil aliud notandum præter ea, quæ diximus, & inculcavimus *num.* 542. *in respons. ad instantiam*; nempe quod Pontifex per illud non intendat utrique sententiæ veram tribuere probabilitatem, sed solum conservare inter fideles vinculum pacis, & extinguere scissuræ fomitem. Quo fit, ut contra prohibitionem Decreti non impingat, qui sententiam asserentium, attritionem sine accessu dilectionis Dei non esse sufficientem dispositionem ad justificationem peccatoris, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, vocat speculative tantum, & tenuiter probabilem; vel etiam improbabilem, & falsam, cum hoc non sit sententiæ inferre censuram Theologicam (prout *cit. n.* ostensum) id quod vetat, & suo Decreto præcavere intendit Pontifex. Sed

Dices. Siquis illam sententiam pronunciaret temerariam, inferret ei censuram Theologicam, & impingeret contra prohibitionem Decreti; ergo etiam si pronunciaret improbabilem.

Respondetur cum P. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 875. concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia sententiam pronunciare improbabilem solum, est dicere, quod ea careat momentoso, & gravi fundamento, licet a Viro intelligente, & prudente adhuc tanquam vere probabilis, aut omnino vera defendi possit ob rationes apparentes, quas bona fide, & invincibiliter judicat esse vere probabiles, aut omnino veras. Ast sententiam pronunciare temerariam, est dicere, quod ea sic destituatur momentoso, & gravi fundamento, vel rationibus contrariis ita conquassetur, ac infirmetur, ut a Viro intelligente tanquam vere probabilis, aut vera ex invincibili ignorantia, & bona fide defendi nequeat. Temeritas enim (juxta D. Thomam 2. 2. *quæst.* 53. *art.* 3. *ad* 2.) denotat, vel ex parte intellectus inconsultam præcipitantiam, vel ex parte voluntatis inordinatum impetum, sive passionem; quarum tamen neutram denotat improbabilitas qua talis. **Unde siquis pronunciet sententiam alicujus Authoris temerariam, arguit ipsum inconsultæ præcipitantiæ, vel inordinatæ passionis intervenientis in tali sententia defendenda; quod plane est taxare censura Theologica. Secus, siquis alterius sententiam pronunciet præcise improbabilem.**

DECRETUM INNOCENTII XI.

Circa Communionem quotidianam &c.

751. CUm ad aures Sanctissimi Domini Nostri (Innocentii Papæ XI.) fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceve, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse a Jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes Seculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio prævia matura discussione super prædictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomatis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperent, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramenti Eucharistia perceptione communicarent:* Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad Negociatores attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus; qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant; tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales, quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus, ex earum Ordinis Instituto præstitutis, communicent. Siquæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive Conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum Officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, Divina præstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare eum timore, & charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno in præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam operam ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de Jure Divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu Privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam; nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos si ab Ecclesia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent tamen, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, neque consuetas, Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione; Sanctitas sua approbavit, & præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit.

In quorum &c. Datum Romæ 12. Februarii. 1679.

Decretum hoc exhibent Viva *part. 2. tract. Theol. post prop. 56. ab Innocentio XI. damnatam*, & Michel *ad fin. Tract. de Sacram. Euchar. fol.* 245.

752. Quæres, quid notandum circa istud Decretum?

Respondetur, quod, licet Decretum istud præcise inscribatur *de quotidiana Communione* (& idcirco a multis Authoribus adducatur, vel allegetur, ubi de S. Communione tractatur) nihilominus non abs ratione illius specificam, & de verbo ad verbum relationem distulerimus, & transtulerimus ad hunc de Sacramento Pœnitentiæ Tractatum, ubi agitur de Confessario, utpote cujus officium duplici in puncto tangit. Nam 1. instruit Confessarium, an, & quando pœnitenti respective permittere, aut etiam suadere possit quotidianam, vel frequentem saltem Communionem: de quo puncto revideri possunt, quæ diximus *part.* 3. *num.* 60. allegando idem Decretum. 2. Prohibet sub finem, ne Sacerdos simplex, non approbatus ab Episcopo, aut Ordinario, permittatur excipere confessionem venialium; ageret enim talis Sacerdos saltem illicite, ex dictis *num.* 681. Sed

Petes, an prædicta prohibitio etiam cadat in Sacerdotem pro una, alterave Diœcesi approbatum, non autem approbatum pro illa, in qua vellet confessionem venialium excipere?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia talis Sacerdos relate ad excipiendam confessionem venialium in Diœcesi, pro qua non est approbatus, perinde se habet, ac si nullatenus, seu nullibi esset approbatus; adeo-

adeoque ac si esset Sacerdos omnino simplex: atqui hunc tangit prædicta prohibitio; ergo & illum: qui proinde excipiendo confessionem venialium in Diœcesi, in qua non est approbatus, similiter ageret illicite. Revide dicta *num.* 635. *& seq.* atque huc cum grano salis applica.

DECRETUM,

SEU CONSTITUTIO CLEMENTIS X.

Concernens præcipue Regulares quoad Prædicationem Verbi Dei & Sacramenti Pœnitentiæ Administrationem.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei Memoriam,

753. SUperna magni Patrisfamilias præordinatione creditum nobis universalis Ecclesiæ mysticum Agrum circumspecta providentia custodire, atque excolere (quantum de alto conceditur) satagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi, ut quibus una fides, una Mater Ecclesia, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, & anima una; sic etenim evulsis opportune zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus; quo benedicente messis multa fructu centesimo cœleste in horreum congregabitur.

§. I.

Sane cum S. Concilii Tridentini Decretis provide statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; in Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam, gratis ab eo dandam, habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus Secularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis possit confessiones secularium etiam Sacerdotum audire: nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacunque non obstantibus, Innotuit nobis, dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, & defensiones permultæ in diem subsequi possent occasione Privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§. II.

Nos attendentes, quod aliis diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque Declarationibus definitæ fuerint, ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, & imposterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, Apostolatus officio, novis Apostolicis literis muniendas duximus, & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuo valitura Constitutione decernimus, & declaramus:

§. III.

Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. record. Gregorii XV. Prædecessoris nostri, incipientis: *Inscrutabili Dei providentia*: coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere; & hujus Benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium, eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis, & nullus secularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus & Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus, aut a Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi, semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

§. IV.

Ad hæc Religiosos, ab Episcopo ad confessiones secularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati; & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios, semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus contigerit. Ceterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Instituta vivitur, posse tam Prelatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum secularium, qui inibi sunt vere de Familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt; illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte absque aliqua limitatione temporis, ceterorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos; quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per Scripturam, apud ipsum infirmum relinquendam.

§. V.

Et eos, qui dictis Religiosis, simpliciter approbatis, Paschali tempore simpliciter confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus:* quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias

illis

illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec tam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

§. VI.

Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam onerata, tam esse volumus; cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere; ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbandos suspendere, aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus *per Mare magnum*, aliave Privilegia Regularibus uniuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi a casibus ab Episcopis sibi reservatis, & per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia, prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, siqua habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

§. VII.

Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus, Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum Privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere a censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiæ, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quin immo censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse, gerere se pro talibus, etiamsi a Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur, ipsa non suffragari casu, de quo agitur; si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout alias Constitutione Prædecessoris nostri fel. record. Clementis IV. statutum fuit, esse relinquendam.

§. VIII.

Decernentes, sic, & non alias, per quoscunque Judices, ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate, & dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, & Nuncios, & quosvis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, Irritum quoque, & inane, quidquid secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. IX.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & Confirmationibus in favorem quarumcunque Personarum, atque quorumvis Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, militarium etiam S. Joannis Jerosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, ac cujusvis alterius Instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tam secularium, quam regularium Locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in Corpore Juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam *Mari magno*, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis; Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Ceterum quia difficile foret, præsentes literas ad singula quæque Loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie campi floræ affigi, & publicari, volentes, quod earum præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in Judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, Declarationis, Derogationis, Mandati, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1670. die 21. Junii, & die 2. Augusti publicatum.

G. Dat. Visa de Curia P. Ciampinus, I. G. Slusius D. Ciampinus.

Hoc Decretum, seu Constitutio refertur a Joanne Maria Sbogar *in Theologia Radicali tr.* 140. *ad finem*, & a Claudio La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1502. multaque complectitur puncta admodum momentosa; de quibus, in quantum concernunt Sacramentum Pœnitentiæ, & ad nostrum Institutum pertinent, fere omnibus jam actum est per decursum hujusce Tractatus, præsertim *disp.* 4. *cap.* 1. Dixi: *fere omnibus*; nam aliqua, quæ hucusque intacta remansere, hic tangenda, & breviter expedienda sunt.

754. Quæres igitur primo, an valida sit approbatio Confessarii, quando non datur gratis, sed pretio, & simoniace? Ratio dubitandi promitur tum ex immediate adducto Decreto Clementino §. 1. tum ex ipso Concilio Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* ubi ejusmodi approbatio jubetur *gratis dari*.

Respondetur, nihilominus esse validam. Bonacina *disp.* 5. *q.* 7. *pun.* 4. §. 1. *num.* 33. Palao *tr.* 23. *disp. un. pun.* 17. §. 1. *n.* 6. Salmanticenses *tr.* 6. *cap.* 11. *pun.* 7. *num.* 91. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1488. Benedictus Schmier *tom.* 3. *Theol. tr.* 25. *q.* 34. *num.* 458. & alii satis communiter. Ratio est: quia pœnæ non debent extendi ultra casus expressos: atqui irritatio approbationis, de qua loquimur, pro pretio, & simoniace datæ, est pœna; nec exprimitur, sive in Decreto Clementino, sive in Concilio Tridentino, sive alibi; ergo &c. Quare (ut ad rationem dubitandi respondeatur) dum eadem approbatio jubetur *gratis dari*, non statuitur conditio necessaria ad valorem illius, sed solummodo imponitur præceptum Episcopis, ut eam Confessariis, quos idoneos repererint, dent gratis, nullo accepto pretio, vel lucro temporali. Sed

Dices, Pactum simoniacum est irritum: sed quando

datur,

datur, & obtinetur approbatio Confessarii pro pretio, intervenit pactum simoniacum; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Pactum simoniacum est irritum, in ratione pacti, conc. in ratione traditionis, neg. maj. &, distinctione applicata minori, cons. vel dist. etiam eodem modo cons. Irritum est pactum simoniacum in ratione pacti; quia res spirituales, & sacræ in humanum commercium venire nequeunt. *l.* 83, *§.* 5. *ff. de V. O.* & ad faciendum illicitum nemo obligari valet, scilicet ad dandum spirituale pro temporali, aut vicissim, spectato Jure naturali; tenet autem in ratione traditionis, id est, ipsa traditio rei, sive temporalis, sive spiritualis, absolute facta tenet, nisi ab Ecclesia irritetur; sicut non irritatur datio approbationis, facta Confessario pro pretio, Revide, quæ diximus *part.* 2. *num.* 376.

755. Quæres secundo, quandiu durat approbatio Confessarii?

Respondetur primo. Approbatio tacita, & virtualis, qualem recipiunt Parochi per commissionem animarum, dintius non durat, quam eorum officium; quo proinde dimisso, vel omisso exspirat. Ita cum Barbosa, & aliis Augustinus Michel *de Sacram. Pœnit. fol.* 349. *num.* 26. Ratio est: quia hæc talis approbatio censetur præcise concessa Parochis ratione Beneficii, & officii Parochialis, adeo, ut huic sit alligata; ergo ultra ejus perseverantiam se non porrigit. Quo fit, ut, si Parochus, dimissa Parochia, Religionem ingrediatur, rursus debeat approbari ab Episcopo, antequam secularium confessiones audiat, quando non aliter, ac tacite, & virtualiter, proque suo duntaxat officio Parochiali antea erat approbatus.

Respondetur secundo. Approbatio expressa, & formalis, si sit data ad tempus, v. g. ad duos, tres, aut quatuor annos (1) eo elapso expirat: data vero absolute, illimitate, & sine restrictione ad tempus (2) tandiu durat, quandiu non revocatur, adeo, ut nec ipsa morte concedentis, sive naturali, sive civili, expiret. Ita quoad utranque partem cum communi Augustinus Michel ubi supra *num.* 27. Ratio primæ partis est: siquidem approbatio dependet a voluntate concedentis non solum quoad suum esse simpliciter, seu ut quis eam acquirat, sed etiam quoad suum esse tantum, vel tantum, seu ut quis eam pro tanto, vel tanto tempore acquirat, & retineat: consequenter &c. Ratio secundæ partis est: quia jus, semel absolute, & sine limitatione obtentum, nec lapsu temporis, nec morte concedentis amittitur, nisi vel ipsomet concedente, vel alio modo legitime revocari possit, & reipsa revocetur: consequenter &c.

756. Petes, an ergo revocari possit, & qualiter, approbatio semel illimitate concessa?

Respondetur primo. Revocari potest non solum valide, sed etiam licite, quando justa revocandi causa suppetit. Laymann *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 11. *num.* 5. cum recepta aliorum sententia. Ratio est: quia fundamentum approbationis, videlicet scientia, prudentia, & probitas approbati, est mutabile, potestque tolli, vel deteriorari: quo proin fundamento mutato, sublato, vel deteriorato, approbatio poterit revocari non solum valide, sed etiam licite; cum illa mutatio existat justa causa revocandi. Porro si Episcopus approbationem revocet, præsumendus est justam habere causam, nisi certo constet de opposito: velut recte advertit Palao ubi supra §. 4. *num.* 6.

Respondetur secundo. Etiamsi nulla revocandi causa suppetat (1) Pontifex valide auferre potest approbationem cuilibet Sacerdoti sive Seculari (etiam Parocho) sive Regulari, sive a semetipso, sive ab Episcopo, sive a Jure communi concessam; Episcopus vero (2) eam adimere non potest, ne quidem valide, Sacerdoti Parocho, causa justa non suffragante, & quandiu Parochus manet; bene autem (3) cuilibet alteri Sacerdoti Seculari, vel Regulari, cui ipse, vel ejus Antecessor illam concessit. Ita quoad omnia tria membra Augustinus Michel *loc. cit. num.* 30. cum aliis a se relatis, asserens, priora duo membra esse indubitabilia; tertium vero sibi videri probabilius. Ratio autem primi membri est: quia si Pontifex ipse approbationem concesserit, subintrat illud axioma Juris: per quascunque causas res quævis nascitur, per easdem etiam dissolvitur: si vero Episcopus, vel Jus commune illam contulerit, suffragatur superioritas Pontificis supra omnes Episcopos, ipsumque etiam Jus commune. Ratio secundi membri est opposita: siquidem Episcopus inferior est Jure communi, a quo Parochus, eo ipso, quod Parochiam obtineat, approbationem acquirit, secundum dicta *num.* 672. Ratio tertii est; quia etiam hic subintrat præallegatum axioma Juris: per quas causas res nascitur &c.

757. Quæres tertio, an Prælati Regulares per se, vel per Sacerdotes Regulares sibi subditos, confessiones suorum familiarium Secularium audire possint absque approbatione Episcopi?

Respondetur affirmative, P. Elbel *de Pœnit. num.* 282. P. Schmier ubi supra *num.* 480. & alii communiter, habeturque expresse *in Constit. Clement. proxime recitata* §. 4. ibi: *Ceterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Instituta vivitur, possa tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum secularium, qui inibi sunt vere de Familia, & continui commensales.* Quod intelligendum de potestate audiendi confessiones id genus familiarium, etiam non præhabita approbatione Episcopi, utpote quæ solum requiritur ad excipiendas confessiones secularium, qui non sunt de Familia: prout elicitur ex verbis initialibus *in eod.* §. 4. *alteriae constit.* extantibus. Ratio quoque responsionis est; quia de familiaribus Regularium verificatur, quod, quæ Religiosis adhærent, Religiosa sint, per l. 43. *ff. de Religios. & Sumptib. funer.* Ergo sicut ad audiendas confessiones suorum Religiosorum (Professorum, vel adhuc Novitiorum) Prælati, aliique Confessores Regulares eorundem Monasteriorum &c. non indigent approbatione Episcopi; ita nec indigebunt ad audiendas confessiones prædictorum familiarium, & continuorum commensalium. Ex quo fit, ut Sacerdos Franciscanus, ab Ordine ad confessiones audiendas approbatus, sed nondum ab Episcopo, v. g. huc Lenzfiidam veniens, possit excipere confessiones Servitialis simpliciter dicti, & alterius quasi Servitialis, puta cooperatoris in coquenda cerevisia, pinsendo pane &c. quia uterque est continuus in nostro Conventu commensalis. Aliud eadem Constitutio *loc. cit.* pronunciat de operariis Regularium, qui non sunt continui commensales, nec Regularibus stabiliter commorantur, sed operas duntaxat suas ad tempus locant, v. g. pro extruenda fabrica &c. Hi enim tales veniunt absolute, & simpliciter nomine Secularium: unde sicut ad horum, ita & ad illorum confessiones excipiendas opus est Regularibus approbatione Episcopi; prout *in Constit. & §. cit.* subjungitur, & indicatur.

FORMA BREVIS APOSTOLICI,
Quo Jurisdictio, & Facultas administrandi Sacramenta, una cum aliis privilegiis, Exercituum Sac. Majestatis Capellanis Cæsareæ concessi solet.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

758. Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quoniam in Charissimi in Christo Filii nostri CAROLI Romanorum Regis in Imperatorem Electi Exercitibus, qui nunc, & pro tempore in Germania consistunt, aut inde in alias Regiones, Provincias, & Regna; ac etiam aliquando in Italiam, & Insulas adjacentes expediuntur, multa sæpe contingere possunt, in quibus pro recta Sacramentorum administratione, salubrique directione, & cura animarum illorum, qui in castris degunt, & versantur, nec non pro cognoscendis, & decidendis inter eos causis, & controversiis, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, opera, & industria unius, seu plurium personarum Ecclesiasticarum opus sit: propterea quod non facile ad proprios Parochos, & Locorum Ordinarios, aut ad Nos, & Sedem Apostolicam recursus haberi potest; idcirco Nos Fraternitati tuæ per præsentes concedimus, ut Capellano Majori Exercituum hujusmodi, a dicto Carolo Rege in Imperatorem Electo pro tempore deputato, infra scriptas facultates per se, vel alium, seu alios Sacerdotes probos, & idoneos, per ipsum Capellanum

Majorem

Majorem prævio diligenti, ac rigoroso examine repertos, & approbatos (quatenus jam ab aliquo seu Ordinario approbati non essent) & ab eodem Capellano Majore subdelegandos, erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos Exercitus (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) quomolibet spectantes tantum exercendas, videlicet

Administrandi omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ non nisi per Parochialium Ecclesiarum Rectores ministrari consueverunt, præter Confirmationem, & Ordinem, reliquasque functiones, & munia Parochialia obeunda: absolvendi ab hæresi, apostasia a fide, & schismate, intra Italiam quidem, & insulas adjacentes illos tantum, qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sint, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel S. R. E. reconciliati fuerint: extra Italiam vero, dictasque insulas adjacentes quoscunque etiam Ecclesiasticos, tam Seculares, quam Regulares, eadem castra sequentes; non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, nisi ibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur; neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint, nisi ibi nati sint, ubi similiter hæresis grassatur, &, post judicialem abjurationem illuc reversi, in hæresim fuerint relapsi: & hos in foro conscientiæ duntaxat. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in casibus Nobis, & eidem Apostolicæ Sedi specialiter reservatis, ac etiam contentis in Literis die Cœnæ Domini quotannis legi solitis. Retinendi, extra Italiam solummodo, & insulas adjacentes, & legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium, de eorum Religione tractantes, & alios quoscunque, ad effectum eos impugnandi, & hæreticos, seu infideles, in castris forte degentes, ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Caroli Molinæi, Nicolai Machiavelli, & libris de Astrologia judiciaria tractantibus, ac ita, ut dicti libri prohibiti ex Provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime efferantur. Celebrandi Missam una hora ante auroram, & alia post meridiem, &, si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocunque loco decenti, etiam sub dio, vel sub terra, &, gravi omnino urgendi necessitate, etiam bis in die (si tamen in priori Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit) nec non super Altari portatili etiam non integro, seu diffracto, aut læso, & sine Sanctorum Reliquiis: ac demum si aliter celebrari non possit, & absit periculum sacrilegii, scandali, & irreverentiæ; etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate, plenariam, aliis itidem quibuscunque utriusque sexus Christi fidelibus, ad præfatos exercitus pertinentibus, in articulo mortis (saltem contritis, si confiteri non potuerint) nec non in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Paschalis Resurrectionis, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ Festis diebus, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem; singulis autem Dominicis, & aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus interfuerint, decem annos de injunctis illis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta, easdemque Indulgentias sibi lucrandi. Singulis secundis feriis cujuslibet hebdomadæ, Officio novem Lectionum non impeditis, vel eis impeditis; die immediate sequenti, celebrandi Missam de Requiem in quocunque altari, etiam portatili, si aliter celebrari non possit, & per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii. Deferendi, si in locis versantur, ubi ab hæreticis, vel infidelibus periculum subsit sacrilegii, vel irreverentiæ. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter hæreticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent) vestes seculares, licet Sacerdotes, etiam Regulares, fuerint. Benedicendi quæcunque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, & ornamenta Ecclesiastica, aliaque ad Divinum cultum (pro servitio eorundem exercituum duntaxat) necessaria, & pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit. Reconciliandi Ecclesias, & Capellas, & Cœmeteria, & Oratoria, quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad Locorum Ordinarios commode non pateat accessus; aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta, imo etiam magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, & aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta.

Præterea eidem Capellano Majori per se pariter, vel alium, seu alios ab eo subdelegandos probos, & idoneos Sacerdotes in foro Ecclesiastico versatos, juxta attestationem, & informationem ab eorum Ordinario, aliisve personis fide dignis per ipsum Capellanum Majorem desuper exquirendam, omnem, & quamcunque jurisdictionem Ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus præfatis pro Sacramentorum administratione, nec non spirituali animarum cura, & directione pro tempore inservient, sive Clerici, sive Presbyteri Seculares, sive quorumcunque, etiam Mendicantium, Ordinum Regulares fuerint: perinde, ac si quoad Clericos Seculares eorum veri Præsules, & Pastores, quoad Regulares vero illorum Superiores Generales essent: Omnesque causas Ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, & mixtas inter seu contra prædictas, aliasque personas in exercitibus præfatis commorantes, ad forum Ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, ac fine debito terminandi: Contra inobedientes quoslibet ad censuras, & pœnas Ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam sæpius reaggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi. Eisdem insuper Christi fidelibus, in dictis exercitibus degentibus, concedendi licentiam ovis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis, ac etiam carnibus, Quadragesimæ, & aliis anni temporibus, & diebus, quibus eorum usus est prohibitus (Feria sexta, & Sabbato cujuslibet hebdomadæ, ac tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi; ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi, & absolvendi (respective prout, & quantum Episcopis Locorum Ordinariis juxta Sacros Canones, & Concilii Tridentini Decreta id facere licet, & permittitur) quoad vota, juramenta, irregularitates, & censuras Ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, & interdicta, nec non quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denunciationibus, quæ matrimoniis personarum, ad prædictos exercitus pertinentium, & cum illis commorantium, contrahendis præmitti deberent: Ad tuum, nostrumque, & dictæ Sedis beneplacitum, atque ad tempus sibi bene visum, dummodo septennium non excedat, auctoritate nostra Apostolica tribuere, & impertiri libere, & licite possis, & valeas. Volumus autem, ut iidem Sacerdotes, quos idem Capellanus Major pro Sacramentis etiam parochialibus, militibus, aliisque personis quibuscunque dictorum exercituum ministrandis (ut præfertur) deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga milites præsidiarios, qui continuæ arcium, seu aliorum locorum custodiæ adscripti sint, quos eorum locorum Parochis, & Ordinariis in omnibus, & per omnia subesse debere declaramus, sed duntaxat erga milites, & personas exercituum præfatorum, ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperientur, tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus, & temporaneis, sive hybernis, sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus pro tempore detinebuntur, ita tamen, ut statim, atque iidem Sacerdotes, quos Capellanus Major subdelegaverit, ad temporaneas illas stationes pervenerint, literas testimoniales tam super eorum Sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore præsentium con-

concessis pro ejusmodi munere exercendo Parochis Locorum exhibere debeant, quibus visis sic non impediant, quo minus Missam in suis Ecclesiis celebrare, aut in vim earundem facultatum Sacramenta etiam parochialia ministrare valeant: quod si eo tempore matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum prædictarum commoretur, altera vero Parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu nec Parochus sine Sacerdote hujusmodi, nec vicissim Sacerdos sine Parocho celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut Benedictionem impertiatur, sed ambo simul, atque æqualiter stolæ emolumenta (siquæ licite percipi scient) accipiant, ac inter se dividant.

Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, ac Synodalibus Conciliis, editi generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Ordinum, quorum personæ hujusmodi professæ fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quamvis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Ordinibus prædictis, vel eorum Superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, ac approbatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Dec. 1721. Pontificatus nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Venerabili Fratri Hieronymo, Archi-Episcopo Edessensi, apud Charissimum in Christo Filium nostrum Carolum, Romanorum Regem, in Imperatorem Electum, Nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio.

Inveniri præmissa omnia possunt apud P. Benedictum Schmier *Tom. 3. Theol. tr. 25. ad calcem:* ubi testatur, se eadem de verbo ad verbum descripsisse ex Joan. Kostkæ observationibus zu dem Kaiserlicoen Articluls Brieff LEOPOLDI I. Typis Viennensibus Andreæ Oeyingers Universiate Bucodrutern 1724. fol. 139. usque ad 146. in Quart.

Nunc Capellanus Major ad Capellanos Minores &c.

In Nomine Domini Exercituum.

CUm a Sanctiss. D. N. Innocentio Div. Providentia Papa XIII. & a Sancta Sede *per illustrissimum Reverendissimum D. Hieronymum Grimaldum, Edessæ Archi-Episcopum, Suæ Sanctitatis Prælatum Domesticum, & Assistentem, Ejusdemque, & Sanctæ Sedis apud Aulam Cæsaream cum Facultate Legati de Latere Nuncium, ad hoc specialiter delegatum*, Mihi Vito Georgio Tonnenmann e Soc. J. SS. Theol. Doctori, Exercituum Augustissimi Imperatoris p. t. Capellano Majori super dictis Exercitibus, eorundem Clero, Magistratu, populo, militibus ad vagas belli operationes destinatis, & copiis auxiliaribus, Jurisdictio quasi Episcopalis: item Superioritas super Capellanis aliis, nempe quasi Præsulis super Secularibus, & quasi Generalis super Regularibus; adhæc potestas tum dispensandi, & absolvendi, quoad vota, juramenta, irregularitates, excommunicationes, suspensiones, & interdicta, tum causas ad forum Ecclesiasticum quovis modo pertinentes audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi, tum etiam procedendi ad censuras, & pœnas Ecclesiasticas, illasve aggravandi, reaggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi &c. & aliæ Facultates hujusmodi in Forma Brevis concessæ fuerint; ita quidem, ut valere debeant, & valituræ sint, non tantum ubi milites in actuali expeditione reperientur, verum etiam cum in quibuslibet accidentalibus, & temporaneis, sive hibernis, sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus detinebuntur.

Tenore præsentium notum, & palam fit omnibus, quorum quomodolibet interest, quod in vim hujus Apostolicæ concessionis secundum seriem, & tenorem præfati Brevis a me ut Capellano Majore Reverendo Patri in Christo NN. Ord. S. Francisci &c. Inclytæ Legionis Equestris Cæsareæ N. Cataphractorum Capellano.

Ad biennium, si interea in hoc suo munere permanserit, communicatæ sunt sequentes Facultates.

Primo. Confirmatione, & Ordine exceptis, omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam ea, quæ nonnisi per Parochialium Ecclesiarum Rectores ministrari consueverunt, administrandi; reliquasque functiones, & munia parochialia obeundi.

Secundo. Absolvendi ab hæresi, Apostasia a fide, & Schismate, intra Italiam quidem, & Insulas adjacentes, illos tantum, qui in eis locis, ubi hæresis impune grassatur, nati sint, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliati fuerint: extra Italiam vero, dictasque Insulas adjacentes, quoscunque, etiam Ecclesiasticos, tam Seculares, quam Regulares, eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem; nisi inibi deliquerint, ubi hæresis impune grassatur; neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint; nisi isti nati sint, ubi similiter grassatur hæresis, & post judicialem abjurationem illuc reversi, in hæresim fuerint relapsi, & hoc in foro conscientiæ duntaxat.

Tertio. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in casibus Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, ac etiam contentis in Literis die Cœnæ Domini quotannis legi solitis.

Quarto. Retinendi (extra Italiam solummodo, & Insulas adjacentes) & legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos hæreticorum, vel infidelium de eorum Religione tractantes, & alios quoscunque, ad effectum eos impugnandi, & hæreticos, seu infideles, in castris forte degentes, ad orthodoxam fidem convertendi; exceptis tamen operibus Caroli Molinæi, Nicolai Machiavelli, & libris de Astrologia judiciaria tractantibus; ac ita, ut dictis libri prohibiti ex Provinciis, in quibus hæreses impune grassantur, minime efferantur.

Quinto. Celebrandi Missam una hora ante auroram, & alia post meridiem, &, si cogat necessitas, etiam extra Ecclesiam in quocunque loco decenti, etiam sub dio, vel sub terra; &, gravi omnino urgente necessitate, etiam bis in die (si tamen in priore Missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit) nec non super Altari portatili, etiam non integro, seum diffracto, aut læso, & sine Sanctorum Reliquiis; ac demum, si aliter celebrare non possit, & absit periculum sacrilegii, scandali, & irreverentiæ, etiam præsentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

Sexto. Concedendi primo conversis ab hæresi, vel schismate plenariam; aliis itidem quibuscunque utriusque sexus Christi fidelibus, ad prædictos exercitus pertinentibus, in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non potuerint, nec non in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Paschalis Resurrectionis, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ Festis diebus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis similiter plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem: singulis autem Dominicis, & aliis festivis diebus de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus interfuerint; decem annis de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta.

Septimo. Easdem indulgentias sibi lucrandi.

Octavo. Singulis secundis Feriis cujuslibet hebdomadæ, Officio novem Lectionum non impeditis, vel eis impeditis, die immediate sequenti celebrandi Missam de Requiem &c. in quocunque Altari, etiam portatili (si aliter celebrari non possit) & per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum Exercituum secundum celebrantis in-

sis intentionem a Purgatorii pœnis per modum suffragii.

Nono. Deferendi in Locis, ubi ab hæreticis, vel infidelibus subest periculum sacrilegii, vel irreverentiæ, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in prædictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti.

Decimo. Induendi in iis partibus, per quas propter hæreticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non licet, vestes seculares.

Undecimo. Benedicendi quæcunque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, & ornamenta Ecclesiastica, aliaque ad Divinum cultum pro servitio eorundem Exercituum duntaxat necessaria, & pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda est.

Duodecimo. Reconciliandi Ecclesias, Capellas, ac Cœmeteria, & Oratoria, quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipsi Exercitus consederint, si ad Locorum Ordinarios commodus non detur accessus; aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta; imo etiam, magna urgente necessitate, ut Missæ Dominicis, & aliis diebus Festis celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta.

Decimo tertio. Iis, quorum curam habet, concedendi licentiam, ovis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis, ac etiam carnibus Quadragesimæ, & aliis anni temporibus, & diebus, quibus eorum esus est prohibitus (Feria sexta, & Sabbato cujuslibet hebdomadæ, & tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi.

Decimo quarto. Demum dispensandi, si justa caussa adsit, quoad omissionem omnium, vel aliquarum ex denunciationibus, quæ matrimoniis personarum ad prædictos Exercitus pertinentium, & cum illis commorantium, præmitti deberent.

Decimo quinto. Etiam matrimonio, si ex sponsis contrahentibus altera persona militaris, & altera Parocho loci subdita sit, simul assistendi; prout ex præscripto supra dicti Apostolici Brevis nec Parochus loci sine Capellano militari, nec hic vicissim sine illo celebrationi ejusmodi matrimonii assistere, aut Benedictionem impertiri, sed uterque concurrere, & assistere debet, atque æqualiter stolæ emolumenta, si quæ licite percipi solent, inter se dividere.

Porro sicut in Summi Pontificis, Sanctæ Sedis, & mea, ut Apostolici Capellani Majoris, potestate est, & semper manet, has Facultates vel omnes, vel aliquas earum suspendere, & revocare; sic pro earundem recto, laudabili, proficuo, sacris Canonibus, & ritibus Ecclesiæ conformi usu visum fuit ordinare, quemadmodum hisce ordinatur. Nimirum,

Primo. Ut Capellani militares Capellano Majori, ejusque Subdelegatis, Superiori, & Vice-Superioribus, qui penes Exercitum majorem, aut minorem, aut etiam in Provincia fuerint, in Ecclesiasticis debite pareant; in politicis vero Magistratus Bellici justis Ordinationibus se conforment.

Secundo. Ut causas majores, nominatim matrimoniales, aliasque ad forum Ecclesiasticum spectantes, deferant ad Superiorem, aut Vice-Superiorem, si adsunt; si secus, ad ipsum Capellanum Majorem.

Tertio. Ut idem Capellano Majori, vel immediate, vel per Superiorem, aut Vice Superiorem, sub finem anni significent præprimis numerum eorum, qui ad fidem Catholicam conversi fuerint, & alia id genus, quæ Annalibus Ecclesiastico-Bellicis digna videbuntur.

Quarto. Ut Venerabile Sacramentum, sacros liquores, Chrisma, & Oleum infirmorum, paramenta quoque Altaris solicite, reverenterque asservent, & munda, ac bene disposita teneant, quæ pertinent ad Capellam; quam Superior, aut Vice-Superiores subinde visitabunt; & attendent, ne vagabundi Sacerdotes in cujuspiam Capella ad Sacrificium admittantur.

Quinto. Ut præter Sacra Biblia, Evangelia, Concordantias, Rituale Romanum, integrum Breviarium, Libros de Catechesi, Controversiis, Casibus, parandis Sermonibus, adjuvandis moribundis &c. habeant insuper, ac bene custodiant, specialem librum, cui nomina baptizatorum, Matrimonio junctorum, & mortuorum, cum exacta annotatione diei, mensis, & anni inscribenda sunt.

Sexto. Ut in dicendo quotidie Sacro, recitandis Litaniis, peragendis mane, & vesperi publicis precibus, habendis per dies Dominicos, & Festos concionibus, extinguendis odiis, componendis dissidiis, visitandis infirmis, & Hospitalibus, distribuendis eleemosynis &c. ejusmodi exemplum bonorum operum præbeant, ut, qui ex adverso est, nihil habeat malum dicere de illis.

Septimo. Ut tanquam rationem reddituri de animabus militarium personarum, Sacramentum Pœnitentiæ, præsertim morientibus, non denegent; sed ut fideles dispensatores mysteriorum Dei omnibus fideliter administrent, uti & alia Sacramenta; & quidem gratis, etiam stolæ nomine indiscrete nihil exigentes; quo palam fiat, quod intendant reportare finem fidei salutem animarum, non turpe lucrum sectari.

Octavo. Ut unanimes, uno ore honorificantes Deum, Dominum Exercituum, supportantes invicem in charitate, & honore invicem prævenientes, inter se amicitiam colant, &, suis terminis contenti, suam quisque Ecclesiam, & plebem sibi commissam, custodiant, & non mittant falcem in messem alienam, neque alienis militibus, nisi ab eorum Capellanis expresse, vel tacite requisiti, Sacramentum Pœnitentiæ, aliave administrent; neque vagos, & ignotos homines sine inquisitione, & licentia matrimonio jungant.

Nono. Ut tanquam Ecclesiæ, & Communitatis ambulantis Rectores, & Parochi, atque ideo de Jure Divino per Leges Canonicas, per Concilii Tridentini Decreta, per S. Pii V. Constitutiones, ad personalem assiduam præsentiam obligati, a grege sibi commisso per aliquot menses sine gravi causa, & sine licentia non absint, &, dum absunt, gregi provideant de substituto idoneo Vicario.

Decimo. Ut Episcopis Locorum Ordinariis debitam reverentiam exhibeant, & vivant in bona harmonia cum Parochis localibus; quibus, dum ad temporaneas stationes pervenerint, juxta tenorem Apostolici Brevis testimoniales super Sacerdotio, & has patentes ad statum vivendi exhibere, ac tum ab illis permitti debent intra, & extra illorum Ecclesias Missas celebrare, militibus Sacramenta, etiam parochialia, administrare, & reliquas parochiales functiones obire.

Undecimo. Ut siquæ inter milites publica scandala fiant, aut etiam alterius religionis conventicula fiant, rem deferant ad Magistratum Bellicum, &, si non sequatur remedium, ad Capellanum Majorem.

Duodecimo. Ut a jactantia, contemptu aliorum, susurratione, detractione, murmuratione, contentione, & militum concitatione, gravi crimine, prorsus abstineant, prout Sacerdotis est, domi, militiæque non peccare in pacem, vinculum charitatis.

Decimo tertio. Ut pariter a vanitate vestitus, levitate morum, turpi sermone, liberiore agendi, & vivendi modo, lusu, caupona, compotatione, omnique ansa malæ famæ abstinentes, & nemini dantes ullam offensionem, omnimodis caveant, ne dicantur ipsi Sacerdotes contemnere legem, polluere Sanctuaria, contaminare Sancta, inter Sanctum, & profanum non habere distantiam, non intelligere inter pollutum, & mundum.

Decimo quarto. Ut conscientiam sæpius expiatam, & semper bonam habentes, nunquam detrectent tempore contagionis, occasione obsidionis, aut prælii pro ovibus animas ponere, prout veri boni Pastores ponere tenentur; atque etiam orare, ut populus vincat.

Decimo quinto. Ut sicut in militia majus est periculum licentioris vitæ; sic ipsi ibidem plenius consulendum ducant, & sint exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, adeo, ut suo exemplo sint authores militibus ad observandam disciplinam Ecclesiasticam præter militarem, ut & hujus, & illius disciplinæ exercitium vigeat in Exercitu ab exercitatione dicto, ut tum militum Pastores, tum ipsi milites, postquam in vita, quæ est militia super terram, bonum certamen certaverint, a morte vocati ad immarcessibilem gloriæ coronam, mereantur annumerari Exercitibus, qui sunt in cœlo,

&c ibi

& ibi obtinere æternam præclaram hæreditatem Exercituum.

(L. S.) Vitus Georgius Tonnemann S. J. NB. A latere hujus Instructionis post concessas Facultates, positæ sunt citationes ex S. Scriptura, aliæque copiosæ. Ita rursus testatur P. Schmier ubi supra.

759. Quæres autem primo, an Capellanus castrensis Sacramentum Pœnitentiæ, & alia (exceptis Confirmatione, & Ordine) administrare valeat illis etiam militibus, quibus Legio, cui ipse in spiritualibus præfectus est, augetur, vel reparatur?

Respondetur affirmative. Ita insinuat P. Laymann *lib. 5. tr. 6. cap.* 10. *n.* 5. Ratio est: quia accessus ejusmodi militum non alterat, re moraliter æstimata, Legionem, in quam ii adsciscuntur; ergo cum Capellanus castrensis huic tali Legioni in spiritualibus præfectus sit cum facultate illi, seu militibus ejus præfata Sacramenta administrandi, poterit eadem administrare etiam novis militibus, in illam adscitis.

760. Quæres secundo, an Capellanus castrensis valeat suæ Legioni Sacramenta administrare, quocunque locorum cum illa devenerit?

Respondetur itidem affirmative. Ita sibi a duobus Doctoribus desuper interrogatis resolutum fuisse testatur P. La Croix *lib. 6. part. 2. num.* 1518. quamvis ipse nihil positive determinet. Ratio (quam *cit.* Author suppeditat) est: quia Capellanus castrensis est Parochus Legionis sibi concreditæ, & Legio habet se adinstar Parochiæ veluti vagæ, ac de loco in locum mobilis; ergo quocunque locorum una moveantur, & migrent, dictus Capellanus censetur esse intra suam Parochiam, utpote cujus est accola, seu incola, quatenus collocatur inter suæ curæ quoad animam commissos; prout notat Barbosa *de Jure Ecclef. l.* 1, *cap.* 1. *n.* 13. Unde patet disparitas inter Parochum, qui suos parochianos ducit secum extra Diœcesim v. g. peregrinatum; & inter Capellanum castrensem cum sua Legione huc, illucque commigrantem; nam prior non manet intra suam Diœcesim, & Parochiam: proindeque indiget approbatione, saltem tacita, Episcopi, in cujus Diœcesi cum suis parochianis transeunter existit, si eorum confessiones v. g. ibidem audire velit, secundum dicta *n.* 673. At posterior, in casu commigrationis cum sua Legione, censetur manere intra suam Parochiam, ut dictum: consequenter &c.

Dices. Ergo Capellanus castrensis potest excipere confessiones in territorio, sive Diœcesi, in qua non est approbatus.

Respondetur, explicando, & dist. illatum. In qua non est approbatus ab Episcopo Diœcesano, con. In qua non est approbatus a S. Pontifice, sive, de hujus voluntate, a Capellano Majore, neg. illatum. Si quis Sacerdos illimitate, id est, ad quamcunque pervenerit Diœcesim, sit approbatus a S. Pontifice, vel, ex hujus commissione, ab alio, utique potest in qualibet Diœcesi excipere confessiones illorum, respectu quorum est approbatus; sicut Capellanus castrensis est approbatus respectu militum, aliarumque personarum, ad suam Legionem pertinentium; secus, si solum sit approbatus ab aliquo Episcopo Diœcesano, ex dictis *n.* 671.

Instabis. Capellanus Major non videtur a S. Pontifice accipere potestatem sic approbandi saltem Capellanos castrenses, qui sunt Religiosi; cum respectu horum solum deputetur quasi Generalis, non potentis approbare pro excipiendis confessionibus personarum secularium; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam sicut a S. Pontifice accipit potestatem ordinariam, vel quasi ordinariam approbandi Capellanos Seculares, quorum instituitur Præsul, & quasi Episcopus; ita accipit potestatem delegatam (& subdelegabilem) approbandi Capellanos Regulares, quorum constituitur quasi Generalis. Dum autem additur in contrarium, Generalem non posse approbare pro excipiendis confessionibus personarum secularium, verum est de potestate ordinaria approbandi; non vero de delegata a S. Pontifice, qualem obtinet Capellanus Major.

761. Quæres tertio, an Capellanus castrensis possit administrare Sacramenta militibus, & personis alterius Legionis?

Respondetur, quod ipsis ad se venientibus possit administrare (extra tempus Paschale) Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; non item alia, nisi de consensu expresso, vel tacito proprii Capellani. Ratio est: quia Capellanus castrensis habet se adinstar Parochi; ergo sicut Parochus, in loco suæ Parochiæ existens, potest (extra tempus Paschale) administrare Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ (juxta communem, & usitatam praxim) parochianis alterius Parochi ad se venientibus; non item alia Sacramenta, nisi de consensu proprii Parochi: ita idem respective poterit, & non poterit Capellanus castrensis in loco suæ Legionis, seu Parochiæ, existens &c. Vide, si placet, P. La Croix *loc. & n. citt.*

DECRETUM,

SEU CONSTITUTIO S. PII V.

Circa Libros ex Bibliothecis Monasteriorum, aut Domorum FF. Min. Ord. S. Francisci non subtrahendos.

S. PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei Memoriam.

762. Cum sicut accepimus nonnulli conscientiæ suæ prodigi, & avaritiæ morbo laborantes, Libros ex Bibliothecis nonnullorum Monasteriorum, & Domorum Ordinis S. Francisci furto extrahere, & penes se pro eorum usu retinere non vereantur in animarum suarum periculum, & ipsarum Bibliothecarum, ac Fratrum ejusdem Ordinis non modicum præjudicium; Nos super his, prout Nostro incumbit Officio, de opportuno remedio providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra universis, & singulis personis Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus cujuscunque status, gradus, Ordinis, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali dignitate præfulgeant, tenore præsentium mandamus, ne ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua, Librum aliquem, aut quaternum furto subtrahere quoquo modo præsumant. Nos enim quoscunque subtrahentes excommunicationis sententiæ subjacere volumus, & decernimus ipso facto, a qua nullus ab alio, quam a Romano Pontifice possit, nisi duntaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus expediens foret, deferri, volumus, quod earum transumptis, manu alicujus Notarii publici inde rogati subscriptis, & Sigillo alicujus personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, prorsus in judicio, & extra, ac alias ubilibet, fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Novembris 1568. Pontificatus nostri Anno quarto.

Hæc Constitutio videri potest apud P. Gaudentium Kerckove *super nostra Statuta Generalia cap.* 3. §. 9. *n.* 2. Sed

763. Quæres, quid circa illam notandum?

Respondetur. Notandum est 1. Quod si quis subtrahat librum, vel libros ex Bibliotheca aliqua Franciscanorum non animo furandi, sed tantum legendi, & postmodum restituendi, non incurrat excommunicationem in illa latam, tametsi id absque Superioris localis licentia faciat. Ratio patens est: quia Pontifex illos duntaxat excommunicatione ferit, qui ex aliqua Nostratium Bibliotheca librum quempiam *furto subtrahere præsumpserint:* quod non verificatur de subtrahente librum non animo furandi, sed legendi tantum, & postmodum restituendi, quamvis & iste subtrahendi modus ponatur esse contra voluntatem Superioris; possitque esse graviter peccaminosus, si nimirum Superior justa ex causa graviter invitus sit.

Notandum est 2. quod prærecitata Constitutio etiam comprehendat Fratres nostri Ordinis, sive in eodem, in quo Bibliotheca existit, sive in alio Conventu, aut Loco degentes. Ratio est: siquidem ea Constitutio universim comprehendit omnes, & singulas personas, etiam Regulares, ergo & Fratres nostri Ordinis. Quare si Franciscanus quispiam librum, vel libros ex Bibliotheca extrahat, sibi approprìet, in cella, vel alibi abscondat, sic ut nullus eorum usum habeat, quam ipse, se reum constituit excommunicationis in præfata Constitutione illatæ; cum tali modo censeatur illos subtrahere furto, saltem usus. Idque a potiori verum est, quando libros transfert ad alium Conventum, vel etiam Extraneis, sive Secularibus, sive Regularibus, præbet, sic ut ad proprium Bibliothecam nunquam referantur, aut restituantur. Ita prælaudatus P. Kerckove *loc. cit. n.* 3.

Huic malo ut obvietur, ordinatur (teste Authore immediate relato) in Statutis Provinciæ Comitatus Flandriæ S. Josephi, §. 6. *capit.* 7. *ne ullus librum aliquem commodato concedat sine licentia P. Guardiani, accepta schedula ab eo, qui librum commodato accepit, quæ inter manus Bibliothecarii consignetur.* In Statutis vero nostræ Provinciæ *cap.* 7. §. 42. solicite sic cavetur: *Nemo nisi solus Superior audeat ullum librum commodare extra Conventum, & quidem non ultra trimestre, quo elapso teneatur libros concessos repetere.* Quod accurate observandum, ut a Bibliothecis damnosum præjudicium avertatur.

Allatis Decretis, & Constitutionibus, quæ præcipue concernunt doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ, superaddimus alia Decreta, & Constitutiones de variis Indulgentiis: idque merito; cum in hoc ipso Tractatu de Pœnitentia inscripto, etiam egerimus *disp.* 3. *cap.* 2. de Indulgentiis.

DECRETUM,

SEU CONSTITUTIO GREGORII XV.

Concedens Indulgentiam pro Festo Portiunculæ extra Assisium.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei Memoriam.

764. SPlendor Paternæ Gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili charitate, pia vota fidelium, de clementi ejus Majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volumus igitur omnes, & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, ubique existentes, aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis in secunda die mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Julii 1622. Pontificatus nostri Anno secundo.

S. Card. S. Susannæ.

Hanc Constitutionem referunt Angelus a Lantusca *in Theatro Regularium verb.* Indulgentiæ *n.* 5. & Engelbertus Pauck *in tertia Vinea Seraphica part.* 1. *capit.* 7. *num.* 27.

765. Quæres jam primo, unde famosa Indulgentia Portiunculæ suam traxerit originem?

Respondetur primo. Ea Indulgentia primævam originem traxit ab ipsomet Christo Domino, utpote qui illam S. P. N. Francisco ad intercessionem B. Virginis Mariæ per seipsum, & immediate vivæ vocis oraculo concessit in & pro Ecclesia S. Mariæ Angelorum, seu Portiunculæ, prope Assisium in Umbria, Honorio Papa III. eandem approbante, confirmante, & promulgante *n.* 1223. vi cujus omnes, & singuli fideles, vere pœnitentes, & confessi a Vesperis Calendarum Augusti usque Vesperas sequentis diei prædictam Ecclesiam religiose visitantes, plenissimam cunctorum peccatorum suorum remissionem consequi possint, ac valeant. Ex quo fluit, hanc Indulgentiam pro antefato Loco concessam, esse Juris Divini; cum pro suo Authore habeat ipsummet Christum Dominum. Ita P. Andreas Mohr *in sua Portiuncula Theologica pag.* 30. *a n.* 21. aliique Scriptores, præsertim Nostrates, passim. Ratio autem probativa nostræ responsionis est: quia Christus Dominus B. Francisco, hanc Indulgentiam petenti, respondit, *se petitionem ejus admittere* (juxta Pisanum, & VVaddingum) vel (juxta Breviarium Ordinis) *eam sibi placere*; atqui petitionem alicujus admittere, est ei concedere rem petitam; ut vel ex naturali linguæ proprietate, & communi usu constat: *placere* porro, seu *placitum Principis*, importat constitutionem, decretum, statutum, sententiam &c. pro conditione materiæ subjectæ; prout itidem constat ex communi, & usitato stylo, etiam in textibus Juris fundato, ut videre est apud Schardium *in Lexic Juridic. V. placere*; ergo &c. Confirmatur primo. B. Franciscus concessionis, & Indulgentiæ hujus a Pontifice non requisivit humanum instrumentum; imo oblatum recusavit, dicens, Christum Dominum jam manifestatutum Opus suum. prout Chronistæ passim referunt, & testantur; ergo B. Franciscus illam concessionem, & Indulgentiam credidit (ne dicam, scivit) esse Opus Divinum Christi Domini, non vero humanum Pontificis: consequenter &c. Confirmatur secundo. Nemo Pontificum hucusque ausus est, *os suum apponere* (ut utar verbis Joannis Papæ XXII.) adversus illam Indulgentiam, eam revocando, in Bullis Jubilaribus suspendendo, aut qualitercunque tangendo, vel infirmando; hujus autem ratio alia assignari non poterit, quam quod SS. Pontifices illam, ejusque concessionem habuerint pro Opere Divino Christi Domini, adeo, ut ab Ipsius authoritate immediate descenderit; non vero ab authoritate Pontificis, sicut descenderunt, & descendunt aliæ Indulgentiæ.

Dices, Christus, postquam dixerat, sibi placere B. Francisci petitionem, eum misit ad Pontificem, suum in terris Vicarium; ergo voluit, ut ab isto Indulgentia concederetur: consequenter &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Christus B. Franciscum misit ad Pontificem pro impetranda ab eo concessione Indulgentiæ, neg. pro impetranda Indulgentiæ jam concessæ approbatione, & promulgatione, con. ant. & neg. cons. Christus B. Franciscum misit ad Pontificem, ut ab eo, ceu visibili Capite, Indulgentia approbaretur, & promulgaretur; sicque Vicaria ejusdem authoritas tanto amplius honoraretur in terris, quanto magis etiam in cœlis divinitus respiceretur.

Instabis. Indulgentia Portiunculæ passim dicitur data, & concessa a Pontifice; ergo ab ipso, ejusque authoritate immediate descendit etiam quoad suam existentiam, & non tantum quoad approbationem, & promulgationem.

Respondetur, explicando rursus, & dist. ant. Indulgentia Portiunculæ, quatenus porrecta ad Ecclesias extra Assisium, seu Locum Portiunculæ sitas, con. quatenus affixa ipsi Ecclesiæ, seu Loco Portiunculæ, quem primitus, seu secundum suam primævam originem unice respiciebat, neg. ant. vel dist. dicitur data, & concessa a Pontifice, tanquam promulgatore, con. tanquam immediato Authore, neg. ant. & cons. Nam etiam Lex vetus dicitur data per Moysen, & tamen non descendit ab ipso immediate quoad suam existentiam, sed solum quoad promulgationem; qua de causa appellatur *Moysaica*: prout advertimus, & tradidimus *part.* 1. *n.* 229.

Respon-

Reſpondetur ad Quæſit. ſecundo. Indulgentia Portiunculæ ſuam originem quaſi ſecundariam, id eſt, ſui extenſionem ad Eccleſias extra Aſſiſium, ſeu Locum Portiunculæ ſitas, non traxit immediate ab authoritate Divina, ſed ab authoritate Pontificia. Ita communis DD. ſententia. Ratio eſt: quia S. Franciſcus præfatam Indulgentiam a Chriſto Domino petiit tantum pro Loco, ſeu Eccleſia Portiunculæ, non item pro aliis Eccleſiis per orbem diffuſis; nec Chriſtus aliter annuit petito, ac ſibi factum erat; veluti legere eſt in Breviario Ordinis, 2. Auguſti recitari ſolito; ergo præfata Indulgentia quoad illam ſui extenſionem non deſcendit immediate ab auctoritate Divina Chriſti, ſed ab authoritate humana Pontificis. Cujus ſignum ulterius eſt, quod prædicta Indulgentia, durante Jubilæo ordinario, ſeu Anni Sancti, regulariter, & ordinarie ſuſpendatur in Eccleſiis extra Locum Portiunculæ conſiſtentibus: prout annotavimus n. 633.

Dices. Chriſtus Seraphico Patri, Indulgentiam pro Eccleſia Portiunculæ petenti, in hæc verba reſpondit: *Grande ſatis eſt, frater Franciſce, quod poſtulaſti, veruntamen majora impetrabis*, haud dubie in eodem genere factæ petitionis; non quidem intenſive, quaſi aliquando aliam præſtantiorem Indulgentiam eſſet accepturus, ſed extenſive, quod Indulgentia, pro Eccleſia Portiunculæ petita, & impetrata, ad alias quoque Ordinis Eccleſias amplianda foret; ergo Chriſtus ipſe cenſetur conceſſiſſe illam extenſionem Indulgentiæ ad alias Eccleſias: conſequenter ea non eſt adſcribenda immediate authoritati Pontificiæ.

Reſpondetur, neg. conſ. Nam Chriſtus per præcitata verba non conceſſit ipſe extenſionem illam, ſed *impetrandam* prædixit, videlicet a Sede Apoſtolica; in cujus proinde authoritatem immediate referenda eſt; prout relinquitur ex dictis.

766. Quæres ſecundo, quid per Indulgentiam Portiunculæ, prout extenſam ad alias Eccleſias (ſub qua ratione de ea poſthac præcipue ſermo erit) intelligatur?

Reſpondetur, intelligi Indulgentiam plenariam, qua omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles vere pœnitentes, & confeſſi, ac S. Communione refecti, qui aliquam ex Eccleſiis (*n. ſeq.* ſpecificandis) 2. die Menſis Auguſti, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac exaltatione S. Matris Eccleſiæ pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem conſequantur. Ita liquet ex Conſtitutione Gregorii XV. adducta *num.* 764. Porro hanc Indulgentiam eſſe perpetuam, pateſcit ex verbis ejuſdem Conſtitutionis: *Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris*?

767. Quæres tertio, ad quaſnam Eccleſias extenſa ſit Indulgentia Portiunculæ?

Reſpondetur, extenſam eſſe ad omnes, & ubicunque exiſtentes, Eccleſias Franciſcanorum, Capucinorum, Conventualium, Clariſſarum, Tertiariorum, & Tertiariarum, clauſtraliter ſub triplici Religionis voto, & Ordinis Seraphici directione viventium. Ita promitur iterum ex Conſtitutione Gregorii XV. *n.* 764. adducta, juncta communicatione prædictarum Eccleſiarum, & Perſonarum in iſthoc Privilegio. Nec refert, quod Eccleſia forte ſit ſubjecta Ordinario Loci. Non, inquam, refert: ſiquidem & talis Eccleſia appellari poteſt *Eccleſia Ordinis Seraphici*, videlicet *quoad uſum*, quatenus Fratres, vel Sorores dicti Ordinis Divina Officia in illa peragere ſolent, ut ſupponitur: id quod ſufficit ad participandum ejuſmodi favorem, & prærogativam, ſuffragante *Regula* 15. *de R. J. in* 6. ibi: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*.

Porro nomine Eccleſiarum in præſenti non tantum veniunt Eccleſiæ majores, ſed etiam Oratoria, & Sacella minora, ſive amovibilia, ſive occulta ſint: prout notat P. Andreas Mohr *in ſua Portiuncula Theologica*, *pag.* 105. *n.* 12. rationem dans; quia juxta Breve Urbani VIII. *Cum ſicut*, an. 1639. die 13. Julii editum, quod (teſte Franciſco de Torano *in brevi Compendio V. de Indulgentiis n.* 4.) extat in Archivo Procuratoris Ordinis Aracœli *l.* 2. *n.* 52. omnes, & ſingulæ Indulgentiæ conceſſæ (& non revocatæ) ac concedendæ Eccleſiis Fratrum Minorum extenduntur ad eorum Oratoria, ſeu Sacella, ſive amovibilia, ſive occulta ſint. Ex quo ſequitur, Fratres (imo & Extraneos quoſcunque) poſſe lucrari Indulgentiam Portiunculæ (vel etiam aliis in Eccleſiis lucrabiles) in Sacellis infirmariæ Fratrum ordinarie annexis, ac conſimilibus.

Dices. In ſuperius adducta Conſtitutione Indulgentia Portiunculæ non extenditur ad Eccleſias Capucinorum, Conventualium, Clariſſarum, Tertiariorum, & Tertiariarum, etiam clauſtraliter ſub triplici Religionis voto, ac Ordinis Seraphici directione viventium; ſed ſolum ad Eccleſias Fratrum Minorum de Obſervantia, quorum nomine intelliguntur tantum Franciſcani, Regulam Seraphicam in ſua puritate profeſſi, ſive dein nuncupentur *Obſervantes* ſine addito, ſive cum addito *Recollecti*, *Reformati*, *Diſcalceati &c.* Ergo &c.

Reſpondetur, omiſſo antecedente, neg. conſ. Siquidem prædictæ Perſonæ, earumque Eccleſiæ communicant in Indulgentiis Portiunculæ, & aliis, quæ Fratribus Minoribus de Obſervantia conceſſæ ſunt: quam communicationem varii Pontifices illis indulſere; prout videre eſt apud P. Pauck, ſupra relatum, *capit.* 22. *&* comprobat praxis. Nec refert, quod forte Pontifices Capucinis, Conventualibus &c. prædictam Indulgentiam pro ſuis Eccleſiis conceſſerint per ſpecialia Brevia. Nam per id via communicationis non obſtruitur, aut quomodolibet præcluditur, vel nunquam patuiſſe probatur: cum nihil ſit novi, ſive inſoliti, Pontifices Indulgentiam, vel Privilegium, una via jam competens, de novo, & alia via concedere, etiam eiſdem Privilegiatis. Sed

Inſtabis, Ergo etiam alii Religioſi Mendicantes, puta Dominicani, Jeſuitæ &c. communicabunt in Indulgentia Portiunculæ, adeo, ut ad eorum quoque Eccleſias via communicationis ſe extendere cenſeatur, & ibidem a fidelibus lucrifieri, ſicut in noſtris Eccleſiis; eo quod Ordines Mendicantes habeant mutuam communicationem in ſuis Privilegiis.

Reſpondetur, neg. illatum, de via communi, & ordinaria communicationis in Privilegiis, ſeu niſi forte Ordo quiſpiam communicationis ſpecialis gratiam obtinuerit; de quo mihi non conſtat. Ad cauſalem, ſeu rationem probativam ajo, Mendicantes, etiam diverſarum Religionum, mutuo quidem communicare in ſuis Privilegiis, ſed ordinariis tantum (ſecundum dicta *part.* 3. *n.* 635.) non vero extraordinariis, quale eſt Indulgentia Portiunculæ, Indulgentia obtinibilis apud Dominicanos in Feſto S. Dominici, apud Franciſcanos in Feſto S. Franciſci, Antonii Paduani &c. apud Jeſuitas in Feſto S. Ignatii &c. In his proinde, & aliis id genus Indulgentiis, ac Privilegiis extraordinariis non communicant mutuo, niſi a Sede Apoſtolica habeant ſpecialem gratiam ejuſmodi communicationis; quemadmodum habere diximus Conventuales Capucinos &c. relate ad Indulgentiam Portiunculæ, & alias, pro noſtris Eccleſiis conceſſas: præter quod hi tales Religioſi ex communi uſu, & ſenſu, Summorumque Pontificum a P. Andrea Mohr *pag.* 101. *n.* 8. relatorum, æquiparationibus, & declarationibus veniant nomine Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci, unumque cum Fratribus Minoribus de Obſervantia Ordinem integrare cenſeantur, quatenus, licet diverſis ſubſint Capitibus, & Rectoribus, ab eodem tamen Inſtitutore (quanquam non eodem gradu, & ſucceſſionis methodo) deſcendunt: ut advertit, & loquitur P. Mohr *cit.* Videri quoque poteſt apud P. Reiffenſtuel *lib.* 5. *Decret. tit.* 33. *n.* 59. Privilegium ſpeciale communicationis mutuæ in certis Indulgentiis conceſſum a Julio II. FF. Prædicatoribus, & Minoribus.

Petes, an Indulgentia Portiunculæ conceſſa Eccleſiis Monialium, Seraphico Ordini ſubjectarum, æque obtineri poſſit a Chriſti fidelibus viſitantibus Eccleſias Monialium, poſtquam hæ gubernio Ordinis ſubtractæ, & Epiſcopis ſubjectæ ſunt?

Reſpondetur affirmative. Ita P. Engelbertus Pauck ubi ſupra *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 26. Ratio eſt: quia ſic de Indulgentiis præfato modo generatim conceſſis (ſub quibus comprehenditur, & eminet Indulgentia Portiunculæ) declaravit Sacra Congregatio, Reliquiis, & Indulgentiis præpoſita, *die* 27. *Februarii* 1673. (vide *Rubr. particul. Breviar. noſtri num.* 160.) Et iterum *an.* 1711. *die* 20. *Aprilis*, *ac ann.* 1716. *die* 28. ejuſdem menſis, addita etiam clauſula: *Quamvis nunquam gubernio Ordinis ſubjectæ fuiſſent* ejuſmodi Moniales: uti-

ego ipse (inquit prælaudatus Author) vidi affixum, & publicatum in Secret. Indulg. Romæ.

768. Quæres quarto, quænam Opera ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ peragi debeant; & quid circa singula notandum?

Respondetur primo, quatuor Opera esse peragenda. Primum est *visitatio Ecclesiæ*. Secundum, *oratio ad præscriptam intentionem fundenda*. Tertium, *Confessio Sacramentalis*. Quartum, *Communio*. Constat ex dictis *n.* 766.

Respondetur secundo. *Circa visitationem Ecclesiæ* notandum venit 1. Quod visitanda sit Ecclesia, Oratorium &c. Fratrum, vel Sororum Ordinis S. Francisci: siquidem Indulgentia Portiunculæ non est porrecta a Pontifice quopiam ad alias Ecclesias, sive Parochiales, sive Regulares ex dictis *n. præced.* 2. Visitatio Ecclesiæ debet esse *personalis*, id est, peragi debet ab ipsomet Indulgentiam obtenturo, & non ab alio per ipsum substituto. Sed hoc intellige: *extra Locum Portiunculæ*; nam ut quis Indulgentiam ibi obtineat, non est absolute necessaria personalis comparitio, & visitatio illius Ecclesiæ: prout infra annotabimus. 3. Eadem visitatio debet *esse physica* per se loquendo; quamvis per accidens possit sufficere moralis. Revide dicta *n.* 647. 4. Debet esse *devota*: prout *n. immediate citat.* exposuimus.

Respondetur tertio. *Circa orationem fundendam* notandum venit 1. non esse præscriptas preces aliquas certas, & determinatas; quapropter perinde est, sive recitentur Litaniæ Lauretanæ, sive aliæ preces. Ordinarie tamen, & recte imponi solent a Confessario, vel alias a lucraturo Indulgentiam recitari 7. *Pater*, & *Ave cum Symbolo Apostolico*; vel 6. *Pater*, & *Ave cum 6. Gloria Patri*, *ac uno Symbolo Apostolico*. Debet tamen ea oratio 2. esse devota. 3. Vocalis; quamvis non improbabiliter sufficiat etiam mentalis. 4. Aliquo modo notabilis. 5. Debet fundi in aliqua Ecclesia Ordinis S. P. N. Francisci, & 6. ad intentionem præfixam a Pontifice concedente, seu ampliante Indulgentiam &c. Et quidem intra tempus, quod incipit a primis Vesperis secundæ diei mensis Augusti, & terminatur ad solis occasum ejusdem diei. Sic enim exigitur in Constitutione Gregorii XV. supra. Revide *n.* 647, ubi has conditiones explanatas reperies.

Respondetur quarto. *Circa Confessionem Sacramentalem* notandum venit, quod ea non requiratur in volente lucrari Indulgentiam, si sola habeat venialia; bene vero, si etiam mortalibus, vel mortali gravatus sit. Utriusque membri rationem dedimus *n.* 655. pari modo hic quoque valituram. Relege, & applica, quæ ibi diximus.

Respondetur quinto. *Circa Communionem* venit notandum, quod ea omni homini, saltem adulto, Indulgentiam istam lucraturo in Ecclesia aliqua, extra Locum Portiunculæ sita, omnino sit necessaria. Ratio est: quia per Constitutionem Gregorianam supra allatam, & Indulgentiæ hujus ampliationem ad alias Ordinis Seraphici Ecclesias continentem, absolute præscribitur; nec aliunde aliqua exceptio, aut limitatio colligitur relate ad homines adultos; sicut tamen colligitur quoad confessionem relate ad adultos, sola venialia habentes. Revide dicta *n.* 655. & *seq.*

Ceterum Communio (idem cogita de Confessione, ubi hæc necessaria est) obiri potest, antequam Indulgentia incipiat, v. g. primo statim die Augusti, vel etiam ultimo die Julii: modo conservetur status gratiæ, donec visitata fuerit Ecclesia, & persolutæ preces tempore superius indicato.

Porro Communio (idem rursus judicium esto de Confessione) peragi potest in quacunque Ecclesia, & loco: quia nullibi ad Ecclesiam Ordinis constringitur. Unde si quis in Ecclesia, quæ non sit nostri Ordinis, etiam ad lucrandam ibi aliam Indulgentiam communicaverit, Communio valet ad obtinendam quoque Indulgentiam in aliqua Ecclesia Ordinis Seraphici; modo hanc intra præfixum tempus visitet, precesque ibidem persolvat. DD. communiter.

769. Petes, an hæc Opera, si jam aliunde sint debita, sufficere nihilominus possit ad Indulgentiam Portiunculæ obtinendam?

Respondetur, non sufficere, per se loquendo, & nisi de mente Pontificis oppositum colligatur ex circumstantiis. Unde visitatio Ecclesiæ, & fundendæ in ea preces, si aliunde sint debitæ, non sufficiunt; cum talis sufficientia de mente Pontificis non colligatur ex circumstantiis: sufficiunt autem Confessio, & Communio, aliunde debitæ; ob rationem oppositam. Id quod amplius probatum, & declaratum habes *n.* 661.

770. Quæres quinto, quinam Indulgentiam Portiunculæ lucrari possint?

Respondetur primo. Omnes utriusque sexus Christi fideles illam lucrari possunt, si adimpleant opera, & conditiones præscriptas in Constitutione Gregoriana supra. Liquet ex verbis ipsius Constitutionis.

Respondetur secundo. Ex speciali Privilegio Innocentii VIII. *in Compend. Cæsarub. V. Infirmi Fratres n.* 2. & *V. Itinerantes Fratres*, *n.* 5. relato, omnes Fratres, & Sorores trium Ordinum S. P. Francisci, infirmi, itinerantes, captivi, aut alias, quocunque demum modo, legitime impediti, quo minus aliquam Ordinis sui Ecclesiam visitare valeant, dictam Indulgentiam obtinere alibi possunt; infirmi quidem domi in suo lecto, camera &c. itinerantes in aliis Ecclesiis, ac locis quibusvis; captivi in carceribus &c. modo alias conditiones impleant. Idem dicendum de Tertiariis nostris Secularibus utriusque sexus, utpote qui, ceu vera Ordinis Seraphici membra, in præfato Privilegio communicant: prout videre est apud P. Pauck *loc. cit. cap.* 22. Item de Chordigeris, Albo Archi-Confraternitatis S. P. Francisci legitime inscriptis, & rite adimplentibus ea, quæ sic inscriptis adimplenda incumbunt; siquidem & istis, quamvis non sint vera Ordinis Seraphici membra (de quo vide P. Pauck *cap.* 11.) concessum est privilegium (per *Constit. Divina Charitatis*. Sixti V. (apud P. Emmanuelem Rodriguez *tom.* 1. *QQ. Regul. quæst.* 58. *art.* 1.) lucrandi Indulgentias ad eum modum, quo easdem lucrantur Fratres Minores. Nec obstat, si dicas: Clemens VIII. *in Constit. Quæcunque a Sede Apostolica*, edita 1604. & confirmata a Paulo V. per *Constit. Quæ salubriter* 1610. (uti testatur P. Andreas Mohr *pag.* 183. *n.* 36.) concedit Superioribus Ordinis facultatem communicandi Chordigeris Indulgentias, Ordini *in specie*, & *nominatim* concessas, de quarum classe vel maxime est Indulgentia Portiunculæ: cujus facultatis concessio in Superioribus nihil speciale operaretur (*contra c.* 25. *de V. S.* §. *contra &c.*) si Chordigeri vi præallegatæ generalis communicationis participarent Indulgentias *in specie*, & *nominatim* Ordini concessas. Opus ergo videtur speciali communicatione facienda Chordigeris per Superiores Ordinis &c. Hoc, inquam, non obstat; quandoquidem Superiores, hoc ipso, quod aliquem Archifraternitati Chordigerorum inscribant, vel inscribi curent, exercent præfatam facultatem communicandi (quæ proinde non potest reputari otiosa, aut frustranea) Indulgentias, Ordini Seraphico, etiam *in specie*, & *nominatim* concessas, easque taliter inscripto tunc reipsa, ac exercite communicant (esto verbis, & signate non exprimant) una cum privilegio easdem lucrandi ad modum, quo Fratres Minores lucrari possunt. Quare alia, particularior, nova, & iterata communicatio ex postfacto non amplius est necessaria, sed sufficit communicatio facta in ipsa inscriptione. Qualis tamen communicatio Indulgentiarum, quæ fiat a Superioribus Ordinis, non est necessaria relate ad Syndicos Apostolicos nostrorum Conventuum, quippe qui cum uxore, & liberis favore prædicto gaudent, sicut nos, vi communicationis, specialiter, & clementissime sibi factæ a Clemente VII. per *Constit. Dum consideramus*, editam 16. Aprilis 1526. quam adducit Matthæucci *in Officiali Curia Regul. c.* 31. & nos inde translatam verbatim (quatenus facit ad rem præsentem) referimus ex debito respectu erga præfatos Syndicos; estque sequentis tenoris;

CLEMENS VII. &c.

771. Dum consideramus assiduos labores, & vigilias, quas dilecti filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Monasteriorum Fratrum Minorum Sancti Francisci Regularis Observantiæ, & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, Annunciationis, Ordinum, & Sororum tertiæ Regulæ Sancti Francisci, sustinere non cessant, merito nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus . . .

Idcir-

Idcirco uni Syndico, & Procuratoribus hujusmodi; cum illius urbe, & liberis, præsenti, & futuro; singulæ Domui, & Monasterio prædictis; pro tempore servientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipsi, & eorum quilibet, omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, salvoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, gaudent, seu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere possint, & valeant - - - Auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus &c.

Volumus autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1526. Pontificatus Nostri Anno tertio.

772. Quæres sexto, quibusnam Indulgentia Portiunculæ applicari possit?

Respondetur primo. Quilibet Christi fidelis, qui præscripta opera debito modo adimplet, potest eam obtinere, & applicare sibiipsi. Fluit ex hucusque dictis, & conceditur a Scriptoribus universis. Putant quidem nonnulli, illam quoque applicabilem esse aliis vivis absentibus. Sed præterquam quod non suppetat solidum specialis hujus prærogativæ fundamentum, fidelium persuasio, & praxis oppositum commonstrat, extra Ecclesiam Portiunculæ, de qua inferius *num*. 782.

Respondetur secundo. Præfata Indulgentia etiam defunctis applicari potest. Ita concessit Innocentius XI. *in Constitut. Alias felic. Record.* quam P. Matthæucci *in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ cap.* 26. *n.* 7. exhibet; & ita sonat:

INNOCENTIUS PAPA XI.

773. Alias felic. Record. Greg. Papa XV, Prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, nuncupatorum, ubique existentium, die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, misericorditer in Domino concessit, & alias, prout in ipsius Gregorii Prædecessoris literis, desuper in simili forma Brevis die 4. Julii 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, ulterius continetur. Cum autem dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis, ut nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem, per dictum Gregorium Prædecessorem, ut præfertur, concessam, etiam animabus Christi fidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret.

Nos piis votis ejusdem Procuratoris Generalis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem Christi fidelibus præfatis, supradictas Ecclesias, Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia, & Reformatorum dictas, die secunda mensis Augusti, ut supra, visitantibus, & præmissa peragentibus, concessam, etiam Christi fidelium animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque &c.

Volumus autem &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Januarii 1687. Sed

774. Petes, an dicta Indulgentia pro defunctis obtineri possit toties, quoties secunda die mensis Augusti (a primis nempe Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei) visitatur Ecclesia, & peraguntur preces?

Respondetur affirmative. Sumitur ex sequenti Decreto Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quod reperiundum in *Officiali Curiæ Ecclesiasticæ* P. Matthæucci *cap.* 26. *n.* 5. atque sic sonat:

775. Quia in Decreto sub Innocentio XI. de Apocryphis Indulgentiis Sacra Congregatio Indulgentiarum declaraverat: *semel autem duntaxat in die Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri &c.* Dubitabatur, an Indulgentiam præfatam lucrarentur fideles toties, quoties Ecclesiam visitarent? Pro declaratione dubii fuerunt preces Sac. Rituum Congregationi exhibitæ, ut infra.

Episcopus Labacensis a parte Imperii Orator devotus Eminentiis vestris humiliter exponit, quod non obstante Decreto Innocentii XI. de Apocryphis Indulgentiis sub die 7. Martii 1678. quo declaravit semel duntaxat in die plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, lucrifieri, pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum Provinciæ Carnioliæ populo persuadere, Indulgentiam pro die secunda Augusti, de Portiuncula nuncupatam, eorum Ecclesiam visitantibus concessam, toties, quoties, eadem die lucrifieri posse.

Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat Sacr. Congregatio Concilii Tridentini *Sess.* 25. *de Reformat. cap.* 21. *in Decreto de Indulgentiis*.

Idcirco Orator quærit, & declarari petit, an præfata Indulgentia, de Portiuncula nuncupata, etiam comprehendatur sub Decreto, & Declaratione San. memor. Innocentii Undecimi supra dicta? Pro qua gratia &c.

Die 17. Julii 1700. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis, censuit, *servandum esse solitum*.

Ex quo sic arguitur: Patribus Franciscanis Provinciæ Carnioliæ (imo & aliarum Provinciarum) solitum, & consuetum erat populo persuadere, Indulgentiam Portiunculæ posse sæpius; imo toties, quoties quis Ecclesiam eorum visitaverit, precesque ad præscriptam intentionem fuderit, lucrifieri; ergo idem adhuc servandum est, populoque persuadendum, præfatam Indulgentiam posse sic lucrifieri; consequenter &c. Ita nostrum Martyrologium Franciscanum 2. *die Augusti*. P. Hermannus Horn *in Firmamento Seraphico, ad* 2. *diem Augusti*, & aliis, de prærogativis hujus Indulgentiæ scribentes, passim.

776. Ubi tamen tria puncta bene notanda veniunt, & supponenda tanquam certa. Primum est, quod quis prædictam Indulgentiam possit lucrari pro seipso; & aliis vicibus, non pro vivis (prout ex prima responsione constat) sed pro defunctis, non pluribus simul (cum nulla Indulgentia, semel obtenta, possit prodesse pluribus simul, juxta communem DD.) sed semel v. gr. pro Petro, postea pro Paulo, deinde pro Petronilla &c.

Secundum est, quod ad effectum sæpius obtinendi Indulgentiam requiratur semper, seu singulis vicibus nova visitatio sive ejusdem, sive alterius consimilis Ecclesiæ privilegiatæ. Porro per novam visitationem intelligitur visitatio a priore diversa; id est, non solum physice; sed etiam moraliter, juxta prudentem hominum æstimationem, sejuncta, & interrupta. Unde corrigenda hic est erronea persuasio simplicium, putantium, se de novo visitare Ecclesiam, si extra eam exeant, & continuo regrediantur: licet enim tales physice, non tamen moraliter censentur de novo visitare Ecclesiam; ad hoc enim exigitur aliqualis mora temporis, qua existant extra Ecclesiam, prudentum judicio aliam, seu novam visitationem constituens. Hic Lenzfridie suadeo, & inculco pœnitentibus, ut primo pro seipsis lucrentur Indulgentiam in nostra Ecclesia, deinde se conferant ad Ecclesiam Monialium nostræ adjacentem, & ibidem consequi satagant Indulgentiam pro aliqua anima in purgatorio; postmodum regrediantur ad nostram Ecclesiam, in ea obtenturi Indulgentiam pro alia anima: & sic consequenter &c. Hoc quippe modo censetur omni procul

dubio Ecclesiam (sive Ecclesias) de novo visitare.

Tertium est, quod quis etiam preces dum Ecclesiam de novo visitat in finem de novo lucrandi Indulgentiam, iterare debeat. Ratio hujus, & præcedentis requisiti est: tum quod (secundum dicta *num.* 626.) uno opere plures Indulgentias lucrari non valeamus: tum quod (secundum dicta *num.* 661.) visitatio Ecclesiæ, & persolutio precum sint de classe illorum operum, quæ eodem die iterari possunt; &c., si aliunde sint debita, ad lucrandam Indulgentiam non sufficiunt, nisi iterentur.

Dices. Non videtur verisimile, quod Petrus v. g. si nondum confessus sit, nec Sacra Communione refectus, post præptas primas Vesperas secundæ diei mensis Augusti, possit lucrari Indulgentiam Portiunculæ sive pro seipso, sive pro anima alicujus defuncti, vel defunctæ, in purgatorio detentæ, ergo &c.

Respondetur explicando, & dist. ant. Non videtur verisimile, quod Petrus in casu posito Indulgentiam Portiunculæ lucrari possit in actu secundo, & quæ pro tunc statim operetur suum effectum, con. in actu primo, & quæ postea operetur suum effectum, quando obita est Communio, seu opus ultimum eo casu, & una cum aliis operibus copulative ad effectum Indulgentiæ actualem requisitum; neg. ant. & cons.

Instabis. Si Petrus ponatur esse mortali gravatus, & in statu disgratiæ constitutus, ne quidem in actu primo, & veluti incomplete lucrari tunc Indulgentiam potest, saltem pro seipso, ergo nulla responsio.

Respondetur, neg. ant. Non enim requiritur ad lucrandam modo præfato Indulgentiam, ut opera illa præcedentia, nempe visitatio Ecclesiæ, & persolutio precum, peragantur in statu gratiæ (modo ceteroquin debita ratione peragantur) ut patet de operibus Jubilæi, quæ (juxta communiorem, & probabiliorem DD. sententiam, a nobis quoque supra *num.* 666. *in respons.* 2. traditam) etiam in statu disgratiæ peracta sufficiunt ad consequendam talem Indulgentiam, sui effectus in actu primo, & veluti incompleta operativam: licet, ut quis pro seipso eandem Indulgentiam in actu secundo, & complete obtineat, ultimum opus in statu gratiæ obire debeat; quemadmodum de se patet. Dixi: *pro seipso*. Nam pro defuncto, vel defuncta, potest quis etiam in actu secundo, & complete Indulgentiam obtinere, tametsi ultimum opus exequatur mortali gravatus; prout ostensum manet *num. & loc. proxime cit.* Unde Petrus, postquam secunda die mensis Augusti Confessionem, & Communionem rite obiit, Ecclesiam visitavit, preces persolvit in ordine ad Indulgentiam Portiunculæ pro seipso lucrandam, potest eandem lucrari pro defuncto, vel defuncta, si visitationem Ecclesiæ, & persolutionem precum reiteret, licet in statu malo, in quem forte, ubi domum rediit, prolapsus est.

Urgebis. Ex hoc discursu videtur inferri posse, quod sufficiat Communio Sacrilega ad obtinendam Indulgentiam pro defuncto, vel defuncta &c.

Respondetur, neg. illatum. Nam Pontifex, concedendo Indulgentiam etiam pro defunctis obtinendam, quando præscribit Communionem (idem respective judicium esto de Confessione) intelligit Communionem dignam, & vere talem, qualem imperat Ecclesia tempore Paschali obeundam; cui intentioni Pontificis non satisfit per Communionem indignam, sacrilegam, & (etiam materialiter tantum) invalidam; sicut per similem Communionem tempore Paschali non satisfit præcepto Ecclesiæ. Revide, quæ diximus *part.* 3. *num.* 54.

777. Quæres septimo, an Confessarii vi Indulgentiæ Portiunculæ competat facultas absolvendi a reservatis, commutandi vota &c. a quibus absolvere, & quæ commutare alioquin, seu aliunde nequeunt?

Respondetur negative, extra Ecclesiam Portiunculæ. Ita Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Regular. quæst.* 88. *art.* 6. & alii passim. Ratio est: Siquidem Indulgentia tantum valet, quantum ejus concessio sonat: sed hæc nullibi meminit hujusmodi facultatis, ergo &c. Confirmatur ex *Reg.* 81. *de R. J. in* 6. ibi: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*: atqui Apostolica Sedes non esset verisimiliter concessura prædictam facultatem, singulis annis 2. die Augusti a Confessariis per totum Christianum orbem in Ecclesiis Fratrum Minorum usurpandam, etiamsi in specie peteretur; cum ejusmodi prærogativa semper fuerit reservata, & reservari etiamnum soleat Jubilæo, quod ob publicam quandam necessitatem, & non ob meram devotionem, indicitur; ergo &c. Quare subinstat, quod habetur *Clement.* 1. *de Privileg.* videlicet Indulgentias indiscretas non esse pronunciandas, seu temere prædicandas, aut ampliandas.

778. Quæres octavo, an durante Jubilæo ordinario, seu Anni Sancti, Indulgentia Portiunculæ suspendatur?

Respondetur primo, eam non suspendi in Ecclesia Portiunculæ. Constat & Constitutione Innocentii XII. quam refert Matthæucci *in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ cap.* 26. *num.* 7. & ita sonat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

779. Cum ob sacri Jubilæi celebrationem a Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi proxime venturi anni inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis Locis piis, Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Regularibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessas, de Apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus, ac suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere decrevepimus; prout in nostris sub plumbo desuper expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro expressis habere volumus, plenius continetur.

Nos cupientes, ut Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, prope, & extra muros civitatis Assisii congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christi fideles lubentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore præsentium declaramus, mentis, & intentionis nostræ minime fuisse, nec esse, sub præfata indulgentiarum suspensione, Indulgentiam utriusque sexus Christi fidelibus, prædictam Ecclesiam die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi visitantibus, requisita, pro eadem Indulgentia consequenda, peragentibus concessam, comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse, in verbo Romani Pontificis, attestamur: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris. Die 21. Augusti 1699.

780. Respondetur secundo. In aliis Ecclesiis, extra Locum Portiunculæ sitis, eadem Indulgentia suspenditur, regulariter loquendo. Patet responsio ex praxi, hucusque visa. Ratio insuper est: quia Indulgentiæ in Jubilæo ordinario, seu Anni Sancti, suspendi solent eum in finem, ut fidelium affluxus ad Urbem copiosior sit, & annus Jubilæus majori cum celebritate ibidem agatur: qui affluxus, & celebritas facile impediretur, sive diminueretur, si Indulgentia Portiunculæ regulariter non suspenderetur in Ecclesiis trium Ordinum Sancti Francisci, per totum Christianum orbem diffusis: ut patet consideranti; ergo &c. Hinc Innocentius XII. in sua Constitutione, proxime adducta, signate a suspensione excipit Indulgentiam Portiunculæ, pro eo duntaxat loco concessam &c.

Dixi autem: *regulariter loquendo*: sive nisi per speciale Indultum consueta suspensio alicubi tollatur; quale Indultum an. 1725. (qui erat Annus Jubilæus) impetravit P. Joannes Thoni, nostræ Nationis Germano-Belgicæ in Curia Romana Agens, quod hic apponere libet.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ

In singulis Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Recollectorum, etiam Sanctimonialium, Nationis Germanico-Belgicæ.

SS. D. N. BENEDICTUS DIVINA PROVIDENTIA PAPA XIII.

781. SUpplicationibus P. Joannis Thoni, Fratrum Minorum Recollectorum Nationis Germanico-Belgicæ in Romana Curia Agentis (non obstante communi Indulgentiarum suspensione) pro Festis Sanctorum Antonii, & Francisci, ac Sanctæ Mariæ Angelorum Portiunculæ nuncupatæ, in singulis Ecclesiis Ordinis, & Nationis prædictorum, etiam Monialium, nec non Oratoriis Missionum prædicti Ordinis, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex supra dictis Ecclesiis, seu Oratoriis, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino consequi posse, benigne concessit. Hac die 4. Maii 1725.

Cosmus de Hieronymis Secret.

Loco ✠ Sigilli.

Romæ typis Reverendiss. Cameræ Apostolicæ 1725.

782. Quæres denique nono, quasnam speciales prærogativas habeat Indulgentia Portiunculæ in ipso Loco, seu Ecclesia Portiunculæ?

Respondetur, quod habeat sequentes. 1. Immediate concessa est ab ipsomet Christo Domino: prout relinquitur ex dictis *num.* 765. 2. Potest obtineri non solum ab & pro ipsomet visitante illam Ecclesiam, sed etiam pro aliis viventibus, quamvis absentibus; adeoque non requiritur necessario personalis visitatio dictæ Ecclesiæ, quæ scilicet peragatur ab obtenturo Indulgentiam. Ita testantur historiæ, & Chronica Fratrum Minorum, suffragante communi piorum fidelium consensu; adeo, ut Sacrista Ecclesiæ nonnunquam octo, novem, vel decem millia testimoniorum (præstitæ fidei) impressorum tradat iis, qui a Viris Principibus, & aliis, ad Indulgentiam pro ipsis lucrifaciendam illuc ablegati erant. P. Andreas Mohr ubi supra *pag.* 42. & ex eo P. Gobat *in Quinar. tract.* 4. *cap.* 9. *in Append.* 3. Non requiritur ad consequendam inibi Indulgentiam *Communio.* Colligitur ex nostro Breviario pro 2. die Augusti præscripto. Et quamvis Rodriquez apud Gobat *cit. cap.* 9. *num.* 352. id etiam extendat ad Indulgentiam in aliis Ecclesiis Fratrum Minorum, extra Locum Portiunculæ sitis, acquirendam; contrarium tamen liquet ex *Constit. Greg. XV. num.* 764. adducta. 4. Confessarii in Loco Portiunculæ obtinent potestatem absolvendi a reservatis, commutandi vota &c. P. Mohr *pag.* 63. *a n.* 31. & consentit P. Gobat *cap. & Append. citt.* Secus est de Confessariis extra Locum Portiunculæ existentibus; secundum dicta superius *num.* 777. quidquid contra sentiat P. Mohr *cit.* in hoc passu etiam a Nostratibus passim reformatus. 5. Eadem Indulgentia in dicto Loco obtineri potest quolibet anni die: prout videre est apud P. Felicem *Potestus in Exam. Confessar. part.* 1. *tom.* 4. *cap.* 8. *num.* 3797. allegantem, & in terminis adducentem Breve Innocentii XII. die 18. Augusti anno 1695. editum, & illiusmodi prærogativæ concessorium. Interim existimo, imo firmiter mihi persuasum habeo, has prærogativas (prima, & tertia exceptis) non esse immediate Juris Divini, sed Humani, seu Pontificii: siquidem ratio solida non est asseribilis, vi cujus immediate in Authoritatem, & Jus Divinum sint referendæ. Dixi: *prima, & tertia exceptis*: istas nanque esse immediate Juris Divini, ultro fateor: Et quidem de prima abunde constat ex *num.* 765. ubi ex professo ostendimus, ipsummet Christum Dominum esse Authorem, & Largitorem immediatum famosissimæ hujus Indulgentiæ, prout affixæ ipsi Loco, seu Ecclesiæ Portiunculæ. De tertia vero patet ex nostro Breviario proxime allegato, ubi legere est, quod Christus Dominus antefatam Indulgentiam pro Ecclesia Portiunculæ concesserit sine exactione Communionis.

DECRETUM,

SEU CONSTITUTIO INNOCENTII XII.

Circa Indulgentias, Viam Crucis, seu Montis Calvariæ obeuntibus concessas.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c. Salutem &c.

783. SUa nobis dilectus filius Frater Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Sacrarum Congregationum Indicis, Rituum, & super disciplina, seu reformatione Regularium Consultor, & Missionariorum diversarum Provinciarum Ordin. FF. Min. S. Francisci Familiæ Ultramontanæ Procurator, petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam a fel. record. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro Literæ in forma Brevis sub die 5. Septembris, de Anno Domini 1686. emanarint, in quibus confirmata reperitur communicatio Privilegiorum, & Indulgentiarum, etiam plenariarum, usque tunc non revocatarum, inter Ecclesias, Loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & Personas utriusque sexus, Obedientiæ, vel directioni Ministri Generalis Ordin. FF. Min. S. Francisci subjectas, a pluribus Romanis Pontificibus, ipsius Innocentii, & nostris etiam Prædecessoribus, eisdem per diversa Privilegia concessa, a qua communicatione, prout iteratis vicibus, a Sede Apostolica etiam declaratum, resultare dignoscitur, quod, quando decoratum reperitur Altare unius Loci, vel una Ecclesia, aut una Confraternitas, seu quævis Congregatio, Ordove aliquarum e dictis personis aliqua Indulgentia, sive plenaria, sive non, applicabili per modum suffragii, vel non applicabili pro animabus purgatorii, ad favorem earundem tantum personarum, vel omnium simul Christi fidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo Loco, Altari, vel Ecclesia Confraternitatum, in diebus in concessione expressis perfecerit, quod per eandem concessionem fuerit præscriptum, in omni Loco, Altari, vel Ecclesia Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, & Personarum præfatarum eadem Indulgentia ab omnibus respective acquiratur, qui iisdem diebus easdem ibi emiserint diligentias in concessione taxatas. Verum sicut eadem petitio subjungebat prætendentibus nonnullis scrupulosis, quod in præfata communicatione generali comprehensa non veniant Loca, & Ecclesiæ Terræ Sanctæ, aliarumque Partium Orientis, existentium extra Jerusalem, ad tollenda de medio quæcunque dubia fuit nobis pro parte præfati Ordinis humiliter supplicatum, quatenus, non esse exclusa præmemorata Loca, & Ecclesias Terræ Sanctæ, & multo minus aliarum Partium Orientis a communicatione mutua, & reciproca, quæ includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquuntur Privilegia, & Constitutiones Pontificiæ præfatæ, ad hoc, ut Indulgentiæ sæpe dictæ eisdem concessæ, & usque modo non revocatæ, obtineri valeant sine ullo dubio in aliis Ecclesiis, Altaribus, & Locis piis, ac devotis, spectantibus ad Personas præmemoratæ Obedientiæ, vel directioni subjectas, stante, quod Sanctæ Sedis mens fuerit semper, hæc omnia Loca reddere æqualiter condecorata, & a fidelibus venerata, ob meritum æquale, uniforme, & æquivalens, quod jam dictæ Personæ in Dei, & Sanctæ Ecclesiæ servitio peragunt de continuo, declarare de benignitate Apostolica dignaremur; Nos vero præfatam declarationem commisimus Congregationi dilectorum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, quæ sub die 16. mensis Julii currentis anni, perpensis prædictis literis dicti Innocentii XI. prædecessoris nostri, declaravit, prædicta Loca, & Ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque Partium Orientis extra Jerusalem esse comprehensa, sive comprehensas in dictis Privilegiis, Indultis, & Indulgentiis, & deinde sub die 27. ejusdem mensis sententiam prædictæ Congregationis approbavimus, ut in Decreto dictæ Congregationis desuper edito latius continetur.

Sed

Sed quia adhuc post prædictum Decretum dubitabant nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit, stabilire, quod pia Loca Viæ Crucis, seu Calvarii Montis, ad recolendam, seu meditandam Christi Passionem, a præmemoratis Personis, seu Ordinibus adinstar Stationum Calvarii Montis juxta diversa etiam Privilegia Sanctæ Sedis erecta, comprehensa sint in præfata mutua communicatione; eadem Congregatio sub die 12. mensis Novembris mox elapsi declaravit, etiam præfata pia Loca comprehendi in sæpe dictis literis Innocentii XI. Prædecessoris nostri, ac proinde frui, & gaudere posse Indulgentiis, & Privilegiis, in eisdem literis contentis, & expressis, ac Nos sententiam præmemoratæ Congregationis sub die 15. ejusdem mensis Novembris pariter benigne approbavimus, sicuti in Decreto præfatæ Congregationis, desuper similiter emanato, plenius continetur: Cum autem, sicut prædicta petitio etiam subjungebat, idem exponens pro majori tam præfatorum Missionariorum, quam ceterarum Personarum præmemoratarum quiete, cupiat, ut Literæ præfatæ, ac Declarationes, & Decreta, a memorata Congregatione cum nostra approbatione desuper emanata, suum ubique sortiantur effectum, non obstante forsan sinistra interpretatione, seu contradictione nonnullorum Religiosorum aliorum Ordinum Mendicantium in illis Partibus commorantium, Adversariorum, quod facere nequit absque speciali nostro Rescripto, ideo, ne Literæ, & Declarationes, ac Decreta hujusmodi suo debito careant effectu, Nobis humiliter supplicari fecit exponens prædictus, ut ei in præmissis opportune providere de simili benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsum exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis a Jure, vel ab homine, quavis occasione latis, si quibus quomolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus inclinati, Discretioni vestræ, attento, sicut dictus exponens asserit, quod agitur inter exemptos, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, vocatis dictis adversariis, & aliis, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum Literarum, ac Declarationum, nec non Decretorum hujusmodi, juxta illorum formam, & tenorem, prout de Jure, & dummodo Judicium, super præmissis alibi ceptum non sit, auctoritate nostra procedatis, procedique mandetis, & faciatis; Nos enim vobis, & cuilibet vestrum, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fuerit, citandi, illisque, & quibus videbitur, sub sententiis, censuris, & pœnis inhibendi, contradictores in illas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, nec non alia in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus facultatem: non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1695. decimo septimo Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno quinto.

Hæc Constitutio extat in Rubricis particularibus nostri Breviarii n. 182. & seqq.

DECRETUM,

SEU CONSTITUTIO CLEMENTIS X.

Confirmans Indulgentias, aliasque Gratias, Locis Terræ Sanctæ hucusque concessas, & non revocatas.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei Memoriam.

784. Piis Christi fidelium votis, ex quibus sacrorum Locorum venerationem, & animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, & illa, quantum Nobis ex alto conceditur, favoribus Apostolicis confovemus. Cum itaque sicut dilectus filius Jacobus a JESU MARIA Frater expresse professus Provinciæ Valentin. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Commissarius, & Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ, Nobis nuper exponi fecit, ipse ad ejusdem Terræ Sanctæ subsidium, eorundemque Fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium, sacraque Loca venerantium subventionem, nec non ad spiritualem Catholicorum in illis Partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum omnia, & singula, Gratias, Privilegia, Indulgentias, hucusque Terræ Sanctæ Locis Apostolica auctoritate concessa, & confirmata, per Nos eadem auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret; Nos desiderio hujusmodi annuere, ipsumque Jacobum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, omnia, & singula Privilegia, concessiones, facultates, indulta, Indulgentias, ceterasque gratias spirituales, & temporales eisdem Locis, & illa visitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis Partibus degentibus per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel specie, aut aliis quomodolibet concessa, quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini Decretis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus: Nec non insuper omnibus, & singulis eorundem Fratrum Interpretibus, nunc Jerosolymis, Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus, corde, devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur: non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

J. G. Slusius.

Hanc Constitutionem refert P. Angelus a Lantusca *in Supplem. Theatri Regularium. V. Indulgentiæ, n. 1.*

785. Quæres jam primo, quid notandum circa nomenclaturam, & originem Indulgentiarum, Viam Crucis, & Montis Calvariæ obeuntibus concessarum?

Respondetur primo, Cum Redemptor noster ultimum in carne passibili, & præprimis dolorosum iter perfecerit e Prætorio Pilati ad Montem Calvariæ, illud iter nuncupari cœpit, & nuncupatur hodiedum *Via dolorosa*, seu, vulgarius, *Via Crucis*. Atque hoc dolorosum iter, seu *Viam Crucis* B. Virgo Maria non solum peregit, quando cruenta sui Filii vestigia pressit, eundemque tanquam individua comes, usque ad Crucem sequendo; sed insuper post Dominicam Sepulturam frequenter repetiit ex tenerrimo devotionis, & compassionis erga suum, nostrumque Redemptorem affectu: prout legere est *in Civit. Mystica* Venerabilis Matris Mariæ de Agreda, præsertim *part. 3. lib. 7. cap. 13. n. 236. & lib. 8. cap. 18. n. 719.* ubi idipsum ab Apostolis, & Discipulis Christi Salvatoris nostri factitatum perhibetur. Sanctarum harum Personarum exempla postmodum imitati sunt alii Christi fideles, qui ex devotione erga Passionem Domini de variis orbis partibus in Palæstinam, seu Terram Sanctam confluxerunt,

runt, *Viam Crucis* (uti & alia Loca gressibus Redemptoris sacrata) relecturi, ac quasi in interrupta visitationis, & pietatis serie veneraturi. Unde cum tempore factum, ut *Via Crucis* divideretur in certas Stationes, quibus Dominicæ Passionis Mysteria sigillatim exprimerentur ad fovendam, vel etiam augendam fidelium devotionem: in quem finem varii SS. Pontifices easdem Stationes eximiis Indulgentiis condecoravere; prout ostendit noster P. Franciscus Quaresimus, olim Terræ Sanctæ Præses, & Commissarius Apostolicus, in sua *Elucidat. Terræ Sanctæ tom. 1. lib. 2. cap. 3. 4. & 5.* Cum vero post occupatam a Barbaris infidelibus Palæstinam, aliaque Loca, per quæ illorsum pertingendi occasio est, non amplius, vel saltem non sine maxima difficultate, ex infidelium insidiis, duris tractationibus, excessivis exactionibus &c. oriunda, detur aditus ad prædicta Terræ Sanctæ Loca invisenda, & impetrandas ibidem Indulgentias, Apostolica Sedes, huic impossibilitati, vel difficultati occurrere volens, concessit PP. Franciscanis Privilegium *Viam Crucis* cum universis Indulgentiis, & Privilegiis, *adinstar Viæ Crucis*, seu Montis Calvariæ in Jerusalem, ubique terrarum erigendi, ut sic populus fidelis, per orbem diffusus, magis, magisque accenderetur ad amorem, & sectanda vestigia Salvatoris: cujus Privilegii concessio liquet ex Constitutionibus Innocentii XII. & Clementis X. supra adductis, aliisque per alios Pontifices expeditis. His de præmemoratarum Indulgentiarum origine, & nomenclatura in vim responsi præmissis.

786. Quæres secundo circa *Viam Crucis* (prout extensam ad Loca extra Jerusalem sita, sub qua consideratione de ea impræsentiarum sermo est) quid reipsa per illam intelligatur, & qualiter erigenda sit?

Respondetur primo, per *Viam Crucis* (præfata ratione extensam) reipsa intelligi certas Stationes, adinstar Viæ Crucis Jerosolymitanæ, legitima authoritate alibi erectas, & præcipua Dominicæ Passionis Mysteria sigillatim repræsentantes, ex quarum devota, & debita visitatione fideles percipere queunt eas Indulgentias, & Privilegia, quibus potirentur, si Jerosolymis essent, & Stationes Jerosolymitanas visitarent. Responsio hæc patet ex supra præmissis binis Constitutionibus, & aliis id genus pluribus,

Respondetur secundo, *Via Crucis* sic erigenda est, ut ad minimum constet duodecim Stationibus, sigillatim, sic, & alii ordine inscriptis. Statio I. *Jesus ad mortem condemnatur*. II. *Crucem in humeros suscipit*. III. *Prima vice sub Cruce cadit*. IV. *Afflictissimæ Matri obviat*. V. *A Simone Cyrenensi adjuvatur*. VI. *A Veronica Sudarium accipit*. VII. *Secunda vice sub Cruce cadit*. VIII. *Flentes mulieres alloquitur*. IX. *Tertia vice sub Cruce cadit*. X. *Vestibus spoliatur, felle, & aceto potatur*. XI. *Cruci clavis affigitur*. XII. *In Cruce exaltatus moritur*. Ex his, inquam, duodecim Stationibus *Via Crucis* integratur, & constituitur; consequenter cum illis erigi debet, adeo, ut, vel unica earum omissa, nec Via Crucis complete, ac legitime institueretur, nec Indulgentias, & Privilegia consueta annexa haberet. Ratio a priori est voluntas Sedis Apostolicæ, volentis imitari normam, juxta quam eadem Via Jerosolymis erecta cernitur, ubi, a Prætorio Pilati usque ad summitatem Montis Calvariæ, totidem, eæque ipsæ Stationes extant.

Dixi: *ad minimum*. Nam prærecensitis duodecim Stationibus adhuc aliæ superaddi congrue possunt, & solent in hunc modum. XIII. *Jesus e Cruce deponitur in gremium Matris dolorosæ*. XIV. *In Sepulchro reponitur*. Ratio hujus congruæ superadditionis est: siquidem Via illa, per quam S. Christi Corpus, in comitatu mœstissimæ Matris, aliorumque Notorum, & Amicorum, deportatum fuit ad Sepulchrum convenienter *Via Crucis* dici valet. Addi quandoque, seu aliquibus in Locis insuper solet Statio XV. ubi repræsentatur *S. Helena cum Cruce*, ceu istius Inventrix: quia nimirum etiam Jerosolymis visitantes *Viam Crucis* divertere solent ad Ecclesiam Sanctæ Crucis, per S. Helenam inventæ. Interim cum hæc Statio non tam dolores, quam Triumphum exhibeat, non potest per se loquendo, & proprie accenseri Stationibus *Viæ Crucis*; sed per accidens solum, occasionaliter, & concomitanter; ob quod etiam primum post illas, & loco, ac ordine postrema collocari consuevit: sicut & Jerosolymis menesper accidens inter prædictas Stationes computatur, quatenus occurrit post Stationem X. & ita occasionaliter, & concomitanter visitatur ab obeuntibus Viam Crucis. P. Quaresimus, qui supra, *tom. 2. lib. 5. Peregr. 1. cap. 17.*

787. Quæres tertio, quibusnam competat facultas erigendi Viam Crucis, & ubinam?

Respondetur primo. Ea facultas solis Franciscanis (qui nimirum & Regulam S. Francisci in sua puritate profitentur, & subsunt Ministro Generali totius istius Ordinis) competit, privative ad alios quoscumque, tam intra latitudinem Ordinis Seraphici, quam extra existentes, seu extraneos. Ratio a priori est Clementissima voluntas Sedis Apostolicæ, Franciscanis speciale illud Privilegium per plures Constitutiones concedentis. Ratio autem a posteriori, & congruentiæ, quæ altefatam Sedem ad similem concessionem movit, est: quia soli Franciscani per plura jam secula Palæstinam inhabitant, ut tanquam Commissarii, & Missionarii sacra Loca, tam intra, quam extra Civitatem Jerusalem sita, inter injurias, & oppressiones Barbarorum infidelium custodiunt, venerantur, pro viribus honorant, & honorari faciunt, Missas ibidem celebrando, diu, noctuque psallendo, conciones ad fideles ibi commorantes, & illuc peregrinantes habendo, Viam Crucis fervida cum devotione ibi obeundo, alios ad idem pium Exercitium exhortando, excitando, manuducendo &c. Unde in hoc tali Privilegio, quippe ob specialem rationem concesso, & extraordinario non communicant alii Religiosi, etiam intra latitudinem Ordinis Seraphici consistentes; uti sunt Conventuales, & Capucini. Revide super hoc dicta *part. 3. n. 635.*

Porro Facultas illa erigendi de Jure residet in nostris Prælatis majoribus, uti sunt Generales, & Provinciales, non item in minoribus, cujusmodi sunt Superiores locales, ut Guardiani, Præsides &c. Ratio hoc dicendi est: quia Superiores locales de Jure solum obtinent potestatem pertractandi, & expediendi negotia, eaque respective minora, quæ concernunt observantiam disciplinæ Regularis, & ordinariam gubernationem Religiosorum suæ curæ commissorum: inter quæ computandum non venit negotium erigendi *Viam Crucis*, maxime pro Extraneis. Constat id ex praxi, qua Superiores locales nec per se, nec per suos Religiosos præfatum negotium suscipiunt; nisi de prærequisito, ac præhabito insuper consensu Ministri Provincialis &c. Videri potest P. Emmanuel Rodriquez *tom. 1. QQ. Regular. q. 17. art. 3.*

Respondetur nunc ad Quæsit. secundo. *Via Crucis* erigi potest in omnibus Monasteriis, Ecclesiis, Oratoriis, aliisque Locis piis, Ordini Franciscanorum subjectis, aut ab eo dependentibus: quia in Constitutionibus Pontificum ejusmodi Loca exprimuntur, vel saltem denotantur, ceu specialiter commoda, & idonea ad Privilegium Franciscanorum executioni mandandum. Erigi præterea potest eadem Via Crucis in aliis quoque Ecclesiis, & Locis piis, Ordini Franciscanorum non subjectis, nec ab eo dependentibus. Patet ex *Constit.* (ut ab aliis Constitutionibus Pontificiis præscindam) moderni S. D. N. Clementis XII. edita die 16. Januarii 1731. quæ incipit: *Exponi Nobis:* cui inserta sunt hæc verba: *Quod Loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii, in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis itidem piis Locis ipsi Ministro Generali non subjectis, nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, & imposterum erigenda, eisdem Indulgentiis, ac Privilegiis fruantur, & gaudeant, quibus fruuntur, & gaudent erecta in Ecclesiis, & Locis Ordinis præfati, authoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, ac, quatenus opus sit, de novo concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut, quoad illa sic deinceps erigenda, modus, & figura serventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis, & Locis Ordinis prædicti hactenus fieri consueverunt, & accedat Licentia Ordinarii Loci, ac consensus Parochi, & Superiorum Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, & Loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit &c.* Sed

Petes, an Via Crucis erigi possit (1) in cella, vel camera alicujus Religiosi; & (2) etiam in camera alicujus Secularis?

Respondetur primo ad primum, id probabiliter fieri posse. Ratio est; siquidem cella, vel camera Religiosi

ex eo,

ex eo, quod sit pars Monasterii, sortitur quodammodo rationem *Loci pii*, cum Monasterium, cujus est pars, veniat nomine *Loci pii*: sed Via Crucis erigi potest in *Loco pio*; veluti immediate percepimus; ergo &c. Itaque Franciscanorum Minister Generalis, Provincialis &c. potest alicui Religioso (vel Religiosæ) Franciscano, Capucino, Jesuitæ, Dominicano, Benedictino &c. facere copiam in sua cella, vel camera collocandi Stationes, v. g. depictas, juxta ordinem, & numerum supra indicatum, ex quibus *Via Crucis* conflatur, easque visitandi eodem fructu Indulgentiarum, quem perciperet, si Viam Crucis, pro tota Communitate Religiosa in Ecclesia, Oratorio, vel Choro erectam, obiret. Neque ad id videtur requiri consensus Prælati, seu Superioris Monasterii (vel respective licentia Ordinarii Loci) siquidem ejusmodi consensus (vel licentia) solum videtur prærequiri ad erigendam Viam Crucis pro usu communi, vel publico totius alicujus Communitatis, aut universi populi.

Respondetur secundo ad secundum, id legitime fieri non posse. Ratio est: quia Franciscanis solum competit facultas erigendi Viam Crucis in *Locis piis*; veluti constat *ex Constit. Innoc. XII. n.* 783. allata: atqui camera Secularis (sive hic sit Laicus, sive Clericus, sive etiam Tertiarius, aut Tertiaria in seculo degens) non est *Locus pius*, nec pars *Loci pii*, sed pars domus privatæ, & Loci profani, ut supponitur; ergo &c. Eapropter si aliqua ex prædictis Personis pro illo favore Franciscanis supplicet, ei denegandus est, allegando causam repulsæ, quod nempe in arbitrio, & potestate nullius Franciscani sit, Viam Crucis in tali Loco, Camera &c. erigere.

788. Quæres quarto, quænam Indulgentiæ Viam Crucis rite obeuntibus sint concessæ?

Respondetur, concessas esse omnes Indulgentias, quæ concessæ sunt obeuntibus Viam Crucis Originariam, seu Jerosolymitanam. Patet ex Constitutione Innocentii XII. supra.

Et licet nonnulli ceteroquin probati, & classici Scriptores Indulgentias specificent, & plenarias assignent sex Stationibus, videlicet *prima*, *undecima*, *duodecima*, *decima tertia*, *decima quarta*, & (ubi etiam hæc erecta est) *decima quinta*, singulas singulis; non plenarias vero, nempe septem annorum, & totidem quadragenarum, reliquis Stationibus, itidem singulas singulis: defacto tamen ab hujusmodi specificatione, & assignatione abstinendum est; quia sic ordinavit S. Congregatio, Indulgentiis, & SS. Reliquiis præposita, *anno* 1731. *die* 3. Aprilis, & voluit, ut generaliter solum doceatur, ad Stationes, extra Jerusalem erectas, posse lucrifieri easdem Indulgentias, quæ lucrifieri possunt ad Stationes Jerosolymis erectas. Ratio motiva S. Congregationis ad sic ordinandum erat: siquidem, cum valde credibile sit, adhuc plures concessas esse Indulgentias obeuntibus Viam Crucis Jerosolymitanam, quam a præfatis Scriptoribus sint specificatæ, & assignatæ, periculum est, ne in specificando, & assignando committatur error per defectum. Quod bene notandum in Via Crucis erigenda; non enim poni debet v. g. *Statio I. Indulgentia plenaria:* sed simpliciter *Statio I.* sine additione, & specificatione Indulgentiæ. Idem observandum quoad alias Stationes.

789. Quæres quinto, quinam præfatas Indulgentias lucrari possint, pro quibus, & quoties?

Respondetur primo ad primum. Præfatas Indulgentias lucrari possunt non solum omnes, & singulæ utriusque sexus Personæ, obedientiæ, & directioni nostri Ministri Generalis subjectæ, videlicet Franciscani, Moniales, Tertiarii, Chordigeri, prout expresse concessit Innocentius XII. in alia Constit. quæ incipit: *Ad ea, per quæ*, die 24. Decembris 1692. edita, & insuper habetur *in Rubricis particularibus nostri Breviarii*, ab eodem Pontifice approbatis, *a n.* 179. sed etiam omnes, & singuli utriusque sexus Christi fideles, juxta extensionem, & concessionem factam a Benedicto Papa XIII. in Constit. quæ incipit: *Inter plurima*, 1726. 5. Non. Mart. edita, cui hæc formalia inserta sunt: *Ne a participatione bonorum spiritualium, quæ ab Exercitio Viæ Crucis provenire speramus, ullus arceatur, Indulgentias superius expressas* (id est, in Constitutione Innocentii XII. immediate a nobis allegata, & huic Constitutioni Benedictinæ inserta) *ad quoscunque Christi fideles utriusque sexus, Ministro Generali nullo modo subjectos, qui exercitium Viæ Crucis pie, ac devote peragent, perpetuo extendimus, & ampliamus &c.*

Respondetur secundo ad secundum. Præfatas Indulgentias potest quis lucrari, & applicare cum sibi ipsi, tum animabus purgatorii. Colligitur hoc ex trina Constitutione: *Sua Nobis*: quam in terminis adduximus supra *num.* 783. *Ad ea, per quæ*, cujus meminimus *in respons. præced.* suntque ambæ Innocentii XII. & *Inter plurima*: quæ est Benedicti XIII. & similiter *in respons. præced.* commemorata, & respective relata est. Accedit, quod alias frustra Indulgentiæ adeo cumulatæ, & tot vicibus lucrabiles (ut dicemus *in respons. sequenti*) Viam Crucis obeuntibus fuissent concessæ; ut patet consideranti.

Respondetur tertio ad tertium. Ex præfatis Indulgentiis illas, quæ sunt plenariæ, potest quis pro seipso lucrari quotidie, sed eodem die, non nisi semel: at pro animabus in purgatorio toties, quoties Viam Crucis debite obierit. Prima pars responsionis promitur ex illo trito: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*; atqui Indulgentiæ, obeuntibus Viam Crucis concessæ, sonant nulla facta restrictione, aut limitatione ad hunc, vel illum diem; ergo valent sine tali restrictione, ac limitatione: consequenter pro singulis diebus, seu ut quotidie obtineri possint. Altera pars responsionis sumitur ex Decreto S. Congregationis, ab Innocentio XI. approbato, ad cujus finem dicitur: *Declarat* (Sacra Congregatio) *semel duntaxat in die plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus, aut aliud piam opus peragentibus concessam, lucrifieri*. Id quod saltem intelligendum venit, & verificari debet de Indulgentiis, quæ plenariæ sunt, & pro vivis concessæ. Tertia pars responsionis deducitur ex eo, quod, sicut quando Indulgentiæ conceduntur, non censentur concedi pro defunctis, nisi hoc in concessione exprimatur, ita quando Indulgentiæ revocantur, non censeantur revocari pro defunctis, seu quatenus continent favorem defunctis intentum, nisi hoc exprimatur: idque a fortiori; quoniam revocatio Indulgentiarum (secus, ac earum concessio) odiosa est, adeoque restringenda, veluti cum aliis notat P. Viva *de Jubil. in Append. Indulg.* §. 1. *n.* 8. atqui in allegato proxime Decreto revocatorio non exprimitur revocatio, aut restrictio Indulgentiarum, etsi plenariarum, pro defunctis, seu quatenus continent favorem defunctis intentum; ergo &c.

Dixi in respons. *quæ sunt plenariæ*. Nam Indulgentias non plenarias potest quis eodem die lucrari toties, quoties visitationem Stationum repetit, non tantum animabus purgatorii, sed etiam sibi ipsi applicandas; cum Decretum revocatorium supra loquatur de solis Indulgentiis plenariis; proindeque extendendum non sit ad Indulgentias non plenarias, per *Regulam* 15. *de R. J. in* 6. ibi: *Odia* (quale hic contineret extensio) *restringi, & favores* (qualem hic continet non extensio) *convenit ampliari*.

790. Quæres sexto, qualis ab obeuntibus Viam Crucis ad lucrandas Indulgentias exigatur visitatio Stationum?

Respondetur primo. Exigitur visitatio corporalis, & sensibilis, id est, talis actio, quæ exterius significet orationem, aut alium religiosum actum fieri. Ita cum Cardinale de Lugo P. Gobat in *Quinario tr.* 3. *cap.* 20. *n.* 131. loquens de visitatione 5. Altarium ad aliquam Indulgentiam lucrandam præscripta; cujus doctrina recte huc trahitur, & applicatur tanquam a simili ad simile. Ratio est: tum quia ipsum verbum *visitare*, quo utuntur Constitutiones Pontificiæ, denotat actionem externam, & sensibilem: tum quia cum in finem eriguntur Stationes materiales, & sensibiles, quarum erectio necessaria non foret, si visitatio pure mentalis, ac insensibilis sufficiens foret.

Respondetur secundo. Visitatio illa corporalis Stationum non necessario fit (etsi optime fiat) gradiendo pedibus ab una Statione ad aliam, sed fieri etiam potest manendo in eodem loco, seu parte loci, ubi Stationes erectæ sunt, dummodo visitans gestu aliquo sensibili, ut conversione corporis, capitis, aut saltem oculorum externe prodat internam animi conversionem ad singulas Stationes. Ratio est: quia sic singulæ Stationes censentur sensibiliter visitari; sicut censentur sen-

sibi-

sibiliter visitati Altaria ejusdem Ecclesiæ, pro lucrandis Indulgentiis forte præscripta.

Dixi tamen in respons. *dummodo visitans &c. externe prodat internam animi conversionem ad singulas Stationes*. Nam si visitans solo animo interno, & per nullum signum externum manifestato, ad Stationes convertatur, non censetur singulas sensibiliter (prout tamen requiritur ex dictis) visitare; sicut nec tunc censetur ita visitare singula Altaria &c. Ita rursus cum Cardinale de Lugo P. Gobat *loc. & n. cit.*

Respondetur tertio. Non est necesse (quamvis rectissime fiat) ut eodem moraliter continuato actu omnes, & singulæ Stationes visitentur; sed sufficit etiam, si visitentur actu interpolato, & moraliter interrupto: ut si quis post peractam visitationem unius, vel alterius, vel aliquarum Stationum, audiat ibi concionem, vel domum se conferat, & postmodum revertatur ad peragendam visitationem reliquarum Stationum. Ratio est: quia in Constitutionibus Pontificiis, circa has Indulgentias editis, nulla fit mentio de continuo actu visitationis; ergo signum est, quod talis non requiratur, sed sufficere possit actus interruptus. Confirmatur. Siquidem Constitutiones Pontificiæ, Indulgentiarum concessoriæ, relate ad opera injuncta sunt strictæ interpretationis; prout ostensum manet supra *n.* 630. & sumitur ex *cit. Regula* 15. *de R. J. in* 6. juxta quam odia convenit restringi; atqui visitatio Stationum est opus injunctum, seu præscriptum pro lucrandis hisce Indulgentiis; ergo Constitutiones Pontificiæ, eam in talem finem præscribentes, sunt strictæ interpretationis; adeoque stricte accipiendæ, ut non exigant determinate visitationem, seu actum visitationis continuum &c. Quapropter non venit improbanda, sed commendanda potius praxis fidelium, variis negotiis, & occupationibus distentorum, quando Viam Crucis ita obeunt, ut mane visitent aliquas Stationes, reliquas vero differant, dunec advesperascat, & negotia sua expedierint.

Sed quid si aliquis mane visitaverit unam, vel plures quidem Stationes, non tamen omnes, nec redeat (quamcumque demum ob causam) ad peragendas residuas, lucratusne est Indulgentias, Stationi, vel Stationibus jam visitatis correspondentes?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia Indulgentiæ singulæ affixæ sunt singulis Stationibus; prout animadvertimus supra *n.* 788. ergo dum visitatur una Statio, obtinetur statim Indulgentia, huic Stationi correspondens; & sic erit de aliis, tametsi non omnes (sive propter occupationem, sive ex negligentia) visitentur. Confirmatur. Qui recitat Rosarium Birgittanum, cujus singulis granis annexæ sunt Indulgentiæ centum annorum (prout dicemus, infra *n.* 800.) statim post recitationem, seu absolutionem singulorum granorum percipit Indulgentias correspondentes, & non primum post absolutionem totius Rosarii; veluti a nemine facile negatum iri existimo; ergo licet postmodum residuam Rosarii partem intermittat, non tamen idcirco privabitur fructu Indulgentiarum, granis jam recitatis annexarum, & correspondentium; ergo idem ob paritatem rationis judicandum in præsenti.

791. Quæres septimo, qualis ab obeuntibus Viam Crucis, ut consequantur Indulgentia, exigatur devotio; & quandiu durare debeat?

Respondetur primo ad primum. Talis generatim exigitur devotio, quali memoria Dominicæ Passionis pie recolatur, quoad illa præsertim Mysteria, quæ per singulas Stationes recolenda exhibentur. Ita habent Constitutiones Pontificiæ. Huic generali præscripto speciatim satisfieri potest duplici modo. 1. Siquis ad quamlibet Stationem peragat devotam aliquam (breviorem, aut proliziorem, prout tempus permiserit) meditationem Mysterii in tali Statione repræsentati. Et hæc praxis est optima, quippe menti SS. Pontificum apprime conformis; cum per eam memoria Dominicæ Passionis vel maxime recolatur. 2. Siquis ad quamlibet Stationem in honorem, seu memoriam Mysterij in tali Statione repræsentati dicat 3. vel 5. Pater noster, & Ave Maria. Atque hæc praxis similiter legitima, & sufficiens est (imo simplicioribus consulenda) cum per ipsam quoque memoria Dominicæ Passionis recolatur: id quod Pontifices intendunt. Ceterum quo corporis situ peragi prædicta devotio debeat, in Constitutionibus Pontificiis non determinatur. Sufficit ergo ad obtinendum effectum Indulgentiarum, quocunque corporis situ (modo is honestus, & decens sit) devotio peragatur: licet cuilibet suadeatur, ut æmuletur charismata meliora. Porro modos, & praxes particulares, Viam Crucis tam privatim, quam solemniter, seu processionaliter, obeundi, passim reperies in Libellis, per Nostrates hac super re conscriptis, & evulgatis.

Respondetur secundo ad secundum. Non exigitur determinata aliqua duratio devotionis, modo tanta sit, ut præscripta, & immediate exposita devotio debito modo fiat, & peragatur. Ratio est: quia Constitutiones SS. Pontificum nullam aliam durationem præscribunt, aut exigunt; licet & hic optime faciat, qui, æmulaturus charismata meliora, devotionem protrahit. Porro devotio institui potest, quocunque die libuerit; imo quacunque diei hora, sive ante, sive post meridiem; prout spiritus pietatis suggesserit, & aliæ occupationes permiserint.

792. Quæres octavo, qualis in obeuntibus Viam Crucis, ut obtineant Indulgentias, exigatur dispositio animi?

Respondetur, quod ad obtinendas Indulgentias, quotidie, & quavis diei hora lucrabiles (*supra n.* 788. *enumeratas*) duplex solum animi dispositio exigatur, nempe *status gratiæ*, ac *intentio debita*. Prima tamen dispositio solum necessaria est, ut quis percipere fructum Indulgentiæ pro seipso valeat: non item ut eundem impetret pro defunctis. Prius de se patet. Posterius relinquitur ex dictis *n.* 666. *in respons.* 2. Altera dispositio necessaria est ad Indulgentiam tam pro se, quam pro defunctis impetrandam: quia beneficium non confertur invito (quamvis absolute conferri posset) sed volenti. Ut autem in praxi rite quis intentionem formet, non sufficit, quod intendat lucrari omnes, & singulas Indulgentias, Stationibus, quas visitare molitur, affixas; sed requiritur, ut particulatim sic cogites, v. gr. Indulgentiam, primæ Stationi affixam, lucrabor, & applicatam volo pro memetipso; affixam secundæ, pro anima Petri in purgatorio forte existentis; affixam tertiæ, pro anima Pauli, & sic consequenter. Unde inaniter applicant prædictas Indulgentias, quando veluti generatim volunt lucrari Indulgentias Stationum, nihil in particulari determinantes, ad qualemnam Stationem velint Indulgentiam lucrari pro seipsis; & ad qualemnam pro hac, & illa anima purgatorii.

Dixi in respons. per parenthesim: *supra n.* 788. *enumeratas:* ut indigitarem, præter illas Indulgentias aliam prætera lucrabilem esse, videlicet ex concessione Innocentii XII. in Constitut. *Ad ea*, superius allegata; ad cujus consecutionem non sufficiat duplex illa dispositio animi, nimirum *status gratiæ*, & *intentio*, sed requirantur insuper *Confessio* (si illam consequi volens sit mortali gravatus) & *Communio*. Concessit enim alfatus Pontifex in præmemorata Constitutione plenariam Indulgentiam semel in quolibet mense lucrabilem, & alicui animæ in purgatorio per modum suffragii applicabilem, ab illo, qui singulis ejusmodi mensis diebus, saltem per quadrantem, exercitio Viæ Crucis operam dedit; nam in dicta Constitutione ad hanc talem Indulgentiam obtinendam signate, & expresse præscribuntur Confessio, & Communio: prout legere est in Rubricis particularibus nostri Breviarii *n.* 178, ab eodem Pontifice approbatis.

Forma Indulgentiarum, Rosariis, & Crucibus Jerosolymitanis annexarum.

793. Innocentius Papa XI. in Brevi: *Unigeniti Dei Filii:* dato 28. Jan. 1688. ad instantiam P. Marini Sormanni Ministri Generalis totius Ordinis Seraphici Minorum Observantium Sancti Francisci, concessit in perpetuum, annexuitque Crucibus, & Coronis, seu Rosariis, quæ tetigere Loca sacra Terræ Sanctæ, & sacras Reliquias ibi existentes, Indulgentias mox enumerandas, revocando, & annullando omnes alias Indulgentias, quæ prædictis Crucibus, & Coronis dicebantur concessæ a Summis Pontificibus Prædecessoribus.

Itaque 1. quicunque, secum habens illiusmodi Crucem, aut Coronam, seu Rosarium, saltem semel per septimanam Coronam Domini, vel B. Virginis, seu

Rosarium, aut tertiam ejus partem, aut Officium defunctorum, vel septem Psalmos pœnitentiales, aut graduales, recitare, vel ignorantes in fide Christiana erudire, vel captivos in carcere, aut infirmos in hospitalibus invisere, vel pauperibus eleemosyna, aut alio misericordiæ opere subvenire, vel Missam audire, vel, si Sacerdos sit, celebrare consueverit, quando vere pœnitens, confessus, & communicatus, ac sequentibus diebus, videlicet *Nativitatis Domini*, *Epiphaniæ*, *Ascensionis*, *& Pentecostes*, *SS. Trinitatis*, *Corporis Christi*. *Purificationis*, *Annunciationis*, *Assumptionis*, *& Nativitatis Beatissimæ Virginis Mariæ*, *S. Joannis Baptistæ*, *SS. Petri*, *& Pauli Apostolorum*, *Andreæ*, *Jacobi*, *Joannis*, *Thomæ*, *Philippi*, *& Jacobi*, *Bartholomæi*, *Matthæi*, *Simonis*, *& Judæ*, *Mathiæ*, *& omnium Sanctorum*, Deum pro hæresum, & schismatum extirpatione, pro Fidei Catholicæ prorogatione, pro Principum Christianorum concordia, & aliis S. Matris Ecclesiæ necessitatibus, devote oraverit; singulis hujusmodi diebus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequi poterit.

2. Qui præmemorata opera fecerit in aliis Festis Domini, & Beatissimæ Virginis, in unoquoque obtinebit Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum. Qui eadem opera peregerit, in unaquaque Dominica, aut in alio quocunque Festo per annum, lucrabitur Indulgentiam quinque annorum, & totidem quadragenarum. Qui in alio anni die, Indulgentiam centum dierum.

3. Qui ad pulsum campanæ, quo in Ecclesia dari solet tempore matutino, meridiano, & vespertino signum Salutationis Angelicæ, recitaverit consuetam Antiphonam: *Angelus Domini &c.* cum 3. Pater, & Ave: vel si eam nesciat, semel Pater, & Ave, lucrifaciet Indulgentiam centum dierum. Totidem dierum Indulgentiam lucrabitur, qui dato signo orandi pro defunctis, dixerit *Psalmum de profundis*; vel, si hunc ignoret, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam.

4. Qui pro agonizante recitaverit unam saltem Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, consequetur Indulgentiam quinquaginta dierum: qui vero captivos in carcere, vel infirmos in hospitali visitaverit, & ipsis aliquo misericordiæ opere subvenerit, vel ignorantes in mysteriis fidei erudierit, Indulgentiam ducentorum annorum, quoties, & quocunque die id fecerit.

5. Qui persolverit aliquam Orationem præparatoriam ad celebrandum Missæ Sacrificium, aut sumendum S. Epulum, vel ad recitandum Officium Divinum, aut Marianum, singulis vicibus obtinebit Indulgentiam quinquaginta dierum.

6. Qui saltem semel in septimana dicere consueverit Coronam, seu Rosarium, aut Officium B. Virginis, vel Defunctorum; aut Vesperas, vel unum saltem Nocturnum cum Laudibus; aut septem Psalmos pœnitentiales cum Litaniis, & Precibus subjunctis (ultra Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, a S. Pio V. concessas iis, qui præmissa peregerint) lucrabitur toties quoties Indulgentiam centum dierum.

7. Qui die Veneris, seu Feria VI. cujuscunque hebdomadis Passionem, & mortem Domini nostri Jesu Christi devote meditatus fuerit, ac ter eodem die Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerit; vel qui cum vero dolore de peccatis, firmoque emendationis proposito conscientiam suam examinaverit, & trina vice recitaverit Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam: vel qui eandem Orationem, & Salutationem ter dixerit in honorem SS. Trinitatis; aut quinquies in memoriam 5. Vulnerum Salvatoris nostri; itidem lucrabitur toties quoties Indulgentiam centum dierum.

8. Denique. Qui in articulo mortis vere pœnitens, & confessus, factaque Communione refectus (vel si hoc facere nequiverit, saltem contritus) Nomen JESU ore (si potuerit; sin minus, corde) devote invocaverit, Indulgentiam plenariam consequetur.

Hæc omnia habentur in Brevi Innocentii XI. proxime allegato; veluti refert, & testatur *in cit. Vinea Seraphica part.* 1. *cap.* 31. P. Engelbertus Pauck, Ord. FF. Min. Recoll. ex Provincia Saxoniæ S. Crucis, SS. Theol. Lector Emeritus, & nostræ Nationis Germano-Belgicæ olim in Curia Romana Agens.

794. Quæres, quid præterea notandum circa contenta in allegato Brevi Innocentii XI.?

Respondetur. Notandum est 1. quod quivis recensitas in eo Indulgentias possit applicare vel sibi ipsi, vel animabus in purgatorio per modum suffragii. Ita enim conceditur in eodem Brevi, teste P. Pauck *cit.* Notandum est 2. quod ille dicatur *consuevisse* singulis septimanis semel recitare Rosarium, qui 40. circiter hebdomadis discretis illud recitat, esto aliis 12. hebdomadis ejus anni omittat, P. Gobat *in Quinar. tract.* 4. *cap.* 18. *n.* 452.

D E C R E T U M

Sacræ Congregationis, Indulgentiis, & SS. Reliquiis præpositæ, sub INNOCENTIO XIII. declarans Indulgentias Rosariis, ac Crucibus Jerosolymitanis, uti & Caravacensibus annexas.

795. NUper Sacræ Congregationi, Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ relatum fuit, passim evulgari Summarium quoddam Indulgentiarum, Germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit: *Indulgentiæ, quæ concessæ fuerunt a Sacr. mem. Papa Sixto V. Paulo V. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. super Coronis, Crucibus factis Jerosolymis, & Bethleem denuo confirmatæ a Summis Pontificibus Clemente X. & Innocentio XI. die 11. Junii Anno 1670. Impressum Augustæ a Joanne Michaele Labhart Anno 1720.*

Cum autem in dicto Summario nonnullas Indulgentias falsas, aut apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit: ideo, ne fideles decipiantur, eadem Sacra Congregatio habita die 11. Martii 1721. prædicti Summarii Augustæ impressi, vel denuo ubicunque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub pœnis, in Indice librorum prohibitorum contentis, declarando, gestantes Cruces, & Coronas, quæ Loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi existentes tetigere, illas dumtaxat Indulgentias lucrari posse, quas san. mem. Innocentius XI. Literis, in forma Brevis emanatis, die 28. Januarii Anno 1688. prædicta gestantibus, & pia opera, in eodem Brevi præscripta, devote peragentibus, concessit. Insuper dum eidem Sacræ Congregationi pariter delatum fuerit, nonnullos, turpis lucri cupidos, non sine magno fidelium scandalo, prædictas Cruces, & Coronas publice vendere, aut mercibus commutare, ausu temerario non erubescere; stricte prohibuit, ne imposterum, aut publice, aut secreto vendantur, aut quomodocunque commutentur; addita etiam Declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur, & quod neque commodari, aut precario dari possint, & quod aliqua re, ex prædictis deperdita, pro ea subrogari altera non valeat. Quod, si secus fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ careant Indulgentiis jam concessis. Cum etiam Sacræ Congregationi Indulgentiarum innotuerit, evulgatum fuisse alterum Summarium Indulgentiarum, Germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis, & nomine impressoris, cujus initium latine redditum est: *Indulgentiæ, quæ pro Crucibus Cavaracensibus concessæ fuerunt a Romanis Pontificibus S. Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuo confirmatæ ab Innocentio XII.* Et excipit pro consolatione Christi fidelium, & sanctæ Crucis Amatorum, in quo multæ Indulgentiæ penitus confictæ, apochryphæ, & falsæ deprehensæ fuerunt, eadem Sacra Congregatio dicti Summarii impressionem, & usum sub iisdem pœnis, in Indice librorum prohibitorum contentis, interdixit. Quibus omnibus per me Secretarium Sanctissimo D. N. Innocentio XIII. relatis die 4. mensis Julii, Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari jussit.

Datum Romæ die 5. ejusdem Mensis. Anno 1721.

L. Card. Picus, Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

Hoc

Hoc Decretum Romæ typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ impressum, in locis publicis, & consuetis per Jacobum Vasellam Apost. Curs. affixum, & publicatum, atque per Notarium Apostolicum subscriptum, & authentizatum, in nostram Provinciam transmisit Anno 1723. die 28. Augusti P. Joannes Thonii, Ord. FF. Min. Recoll. SS. Theol. Lector Emeritus, Nationis Germano-Belgicæ tunc temporis in Curia Romana Agens, & Notarius Apostolicus.

796. Quæres, quid notandum circa contenta in hoc Decreto?

Respondetur, Notandum est 1. quod in eo præter alia declaretur, illas duntaxat Indulgentias, quæ in Brevi Innocentii XI. supra *n.* 793. allegato, conceduntur, lucrabiles esse a gestantibus, seu secum habentibus Rosaria, & Cruces Jerosolymitanas, si pia Opera, in eodem Brevi præscripta, devote peragant. Notandum est 2. quod in adducto Decreto districte prohibeatur, ne imposterum prædictæ Cruces, & Coronæ, seu Rosaria vendantur sive publice, sive secrete, vel quomodocunque commutentur; addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur; & quod neque commodari, aut precario dari possint; & quod aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea subrogari altera non valeat. Quod, si secus fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ careant concessis Indulgentiis. Sed quoniam circa hoc 2. Notabile plura adhuc dubia hucusque mota fuisse scio, pro eorum resolutione.

797. Petes primo, an quis, ut concessarum Indulgentiarum se reddere participem valeat, debeat habere, seu gestare & Rosarium, & Crucem, vel sufficiat habere alterutrum?

Respondetur, sufficere, si habeat, & gestet alterutrum. Ratio est: tum quia hæc est communis persuasio doctorum, & proborum Fidelium, a nemine (quantum mihi constat) hactenus improbata: tum quia Crux, & Rosarium constituunt, seu sunt res integræ, nec una alteri necessario, sive ex natura sua, sive aliunde connectitur, ac subordinatur: tum quia præallatum Decretum non venit intelligendum copulative, ita, ut faciat sensum: qui habuerit & Crucem, & Rosarium; sed ut faciat sensum: tam ille, qui habuerit Crucem, quam ille, qui habuerit, ac gestaverit Rosarium Jerosolymitanum, concessas ibi Indulgentias lucrari poterit. Porro sufficere etiam Rosarium, seu Coronam, paucioribus, ac septem decadis (quot Rosaria Jerosolymitana ordinarie habent) v. g. sex, quinque vel tribus duntaxat, constantem, itidem communis est Fidelium persuasio, hactenus (quantum mihi constat) a nemine correcta: siquidem & talis Corona venit nomine Coronæ, seu Rosarii, communiter, vel saltem late accepti: id quod videtur satis esse ad contribuendum favorem Indulgentiæ, utpote qui ampliandus, non restringendus est.

798. Petes secundo, qualiter intelligenda veniat prohibitio, qua Decretum sub cessatione Indulgentiarum inhibet, ne Cruces, & Coronæ, seu Rosaria Jerosolymitana vendantur, aut quomodocunque commutentur?

Respondetur primo, quod Decretum non prohibeat venditionem, & commutationem Crucum, & Rosariorum Jerosolymitanorum, antequam Loca sacra Terræ Sanctæ, sacrasque Reliquias ibi existentes attigerint, ac fuerint a Reverendissimo P. Guardiano Jerosolymitano, vel aliis Patribus Montis Sion, aut Conventus Bethlemitici benedicta. Ratio probativa hujus responsionis est; nam si venditio, & commutatio Crucum, atque Rosariorum Jerosolymitanorum, etiam necdum benedictorum, inhibita foret, concessio Indulgentiarum pene frustranea foret, saltem in Regionibus a Palæstina remotioribus: sequela autem contraria est menti SS. Pontificum, volentium, & ardenter cupientium, ut Fideles, ubique terrarum existentes, illiusmodi Indulgentiarum participes fierent; ergo &c. Probatur, & declaratur major, sive sequela. Siquidem Christiani complures, Jerosolymis, & in aliis Palæstinæ Locis degentes, conficiendis id genus Rosariis, & Crucibus occupati, suam inde sustentationem quærunt, quam acquirere haud possent, nisi pro illis pecunias, vel alia pretio æstimabilia reciperent: unde eveniret, ut, tali labore supersedentes, alia via sibi de victu, & vestitu prospicere, vel omnino e Terra Sancta, ob penuriam mediorum ad se ibi alendos necessariorum, emigrare cogerentur; sicque nulla amplius, vel certe non sufficiens fieret Rosariorum, & Crucum provisio pro Fidelibus: consequenter &c.

Respondetur secundo, quod Decretum sub cessatione Indulgentiarum prohibeat venditionem, & commutationem Crucum, & Rosariorum Jerosolymitanorum, jam attactorum, & constitutive benedictorum, non tantum reduplicative sumptorum, & quatenus benedicta sunt, sed etiam specificative acceptorum, & quæ benedicta sunt. Ratio istius responsionis est: quia venditio, & commutatio illorum, qua benedictorum reduplicative, ipso Jure naturali sub reatu simoniæ incurrendo prohibita est (secundum dicta *part.* 2. *n.* 363.) cum sic venderentur, aut commutarentur pretio aucto ob ipsam benedictionem, adeoque in sensu composito benedictionis, vi cujus referuntur ad aliquid spirituale: Pontifex autem, & S. Congregatio fecit positivam, & specialem prohibitionem, qua ab Ecclesia Dei alienatam voluit venditionem, & commutationem Crucum, & Rosariorum Jerosolymitanorum benedictorum, etiam specificative sumptorum, ob speciale periculum turpis lucri inde quærendi, simoniæ committendæ, & scandali inter Fideles oriundi. Sed

Dices. Vendi, & emi licite possunt aliæ res benedictæ, vel consecratæ, specificative sumptæ, & consideratæ quoad materiam, & formam artificiosam, si quam habent; dummodo pretium non augeatur præcise ob benedictionem, aut consecrationem: sic videmus passim vendi calices, aliaque vasa, aut paramenta sacra; item numismata, imagines cereas, imo & Rosaria benedicta, pretio eorum materiis, & formis, nec non sumptibus, labori, curæ, itineri, sine quibus comparari, vel asportari non poterant, coæquato; prout ipsimet admisimus *part.* 2. *n.* 363. Ergo idem dicendum de Rosariis Jerosolymitanis &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Idque tenet de rebus benedictis, vel consecratis, de quibus non extat prohibitio Juris positivi, & de quibus *loc. cit.* intelligendi eramus, con. de quibus extat similis prohibitio, neg. ant. & cons. Nam de Rosariis Jerosolymitanis (uti & de Birgittanis secundum dicenda inferius *n.* 800. aliisque pluribus,) extat prohibitio Juris positivi, nempe Ecclesiastici, sub cassatione Indulgentiarum venditionem, & commutationem illorum (post jam factam benedictionem) interdicentis ob speciale periculum turpis lucri inde captandi, simoniæ committendæ, & scandali fidelibus dandi; veluti in ratione probativa secundæ responsionis dictum est.

799. Petes tertio, quid S. Congregatio sibi velit, dum in Decreto determinat, ac declarat quod Cruces, & Rosaria Jerosolymitana Indulgentiis annexis priventur (1) quando transeunt personam illorum, quibus prima vice distribuuntur; vel (2) quando aliqua res ex eis deperditur?

Respondetur primo ad primum, quod tunc Cruces, & Rosaria illa suis exuantur Indulgentiis, quando ab una persona jam gestata, & adhibita fuere ad lucrifaciendas Indulgentias; secus, quando nondum sic gestata, aut adhibita fuere, esto penes eandem personam jam extiterint, puta jacuerint, ac reservata fuerint in ejus pulpito, cistula &c. Ratio responsionis est: quia si verba Decreti declaratoria ne quidem primum sensum facerent, omnino frustranea forent, nihilque reipsa significarent: si vero facerent secundum sensum, sequeretur, nostros Terræ Sanctæ Missionarios, dum ad suas revertuntur Provincias, non posse cum effectu Indulgentiarum Cruces, & Rosaria, quæ, Jerosolymis accepta, secum asportant quandoque in copia sat magna, donare aliis; contra communem sensum fidelium, & mentem Sacræ Congregationis, ac Summorum Pontificum, utique volentium, ut usus Indulgentiarum adeo eximiarum propagetur per orbem, non vero diminuatur, & respective in non usum vertatur. Ex quo fit, ut, si quis ad tempus jam sit usus Cruce, & Rosario Jerosolymitano pro consequendis Indulgentiis, non possit illa commodare, aut precario dare alteri, cum effectu Indulgentiarum per istum sibi obtinendo; secus, si tali Cruce, & Rosario ipse necdum usus fuerit in finem prædictum &c.

Respondetur secundo ad secundum. Hæc pars declara-

clarationis solum intendit, quod si forma Rosarii, aut Crucis pereat v. gr. per disrumptionem, aut fractionem, etiam pereant annexæ Indulgentiæ; nec possit subrogari, seu substitui alia res pro illarum conservatione, & continuatione; secus, si forma Crucis, aut Rosarii moraliter perseveret. Ratio responsionis est: quia pereunte forma Crucis, aut Rosarii, perit moraliter ipsa Crux, aut Rosarium; & consequenter Indulgentiæ eis annexæ: at forma Crucis, aut Rosarii perseverante, perseverat moraliter ipsa Crux, aut Rosarium; & consequenter perseverant etiam Indulgentiæ, quippe ad eorum perseverantiam alligatæ. Unde si Crux frangatur, v. g. quoad partem transversam, pereunt statim Indulgentiæ; cum sic pereat forma Crucis. Nec, si Crux illa redintegretur, redeunt Indulgentiæ semel destructæ; cum non sit assignabilis causa, per quam reproducantur. E diverso, si unum duntaxat, alterumve granum v.g. de Rosario perdatur, Indulgentiæ non pereunt; cum nec forma Rosarii pereat, ipsumque adeo Rosarium moraliter integrum perseverare censeatur. Quare non est improbanda praxis illorum, qui, dum unum, vel alterum granum de Rosario Jerosolymitano perdiderunt, substituunt aliud ex Rosario simili, nempe Jerosolymitano, vel, in hujus defectus, ex Rosario dissimili, sive communi. Videri hic potest R. La Croix *lib. 6. part.* 2. *n.* 1383. & 1385.

Forma, & Summarium Indulgentiarum Rosariis Birgittanis, seu (ut communius vocatur) Birgittinis, ac S. Birgittæ, a SS. Pontificibus annexarum.

800. LEo X. Pontifex Maximus, per Literas incipientes: *Ex clementi:* datas sexto Idus Julii 1515. concedit omnibus, ac singulis utriusque sexus Christi Fidelibus, qui Coronas S. Birgittæ devote recitaverint, pro qualibet Oratione Dominica centum dies Indulgentiarum; & totidem pro Salutatione Angelica. Pro quolibet autem Symbolo, quod dixerint, etiam centum dies Indulgentiarum. Nec non pro quolibet Psalterio (id est, Rosario, aut Corona quindecim Decadum B. Mariæ Virginis) super illis integre per eosdem Christi Fideles, vel solos, vel cum socio, aut familiari (qui easdem Indulgentias consequatur) dicto, vel recitato, septem annos, & tot quadragenas.

CLEMENS XI. Pontifex Maximus in Brevi: quod incipit: *De Salute Gregis Dominici:* dato 22. Sept. 1714. concedit omnibus, ac singulis utriusque sexus Christi Fidelibus, confessis, & sacra Communione refectis, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione orantibus; qui quotidie per integrum annum Coronam S. Birgittæ (dummodo sit saltem quinque Decadum) recitaverint; semel in anno, die per unumquenque Christi Fidelem eligenda, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eandem plenariam Indulgentiam applicandi animabus in purgatorio existentibus.

D E C R E T U M

S. Congregatio, Indulgentiis, & S. Reliquiis præposita, 26. Novemb. 1714. censuit permitti posse impressionem præsentis Summarii Indulgentiarum concessarum Coronis (quas vocant S. Birgittæ) addita declaratione, quod omnes aliæ Indulgentiæ, quæ in præsenti Summario expresse non continentur, sint aut apocryphæ, aut nullæ, aut a Clemente XI. revocatæ per supradictum Breve, datum 22. Septemb. 1714.

Prohibuit insuper eadem Congregatio, ne hujusmodi Coronæ vendantur, aut alteri commodentur; sique secus fiat, declarat, supradictas Indulgentias cessare, & nullius esse roboris, vel momenti.

Datum 4. Decemb. 1714.

L. Card. Picus, Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Raphael Cosmus de Hieronymis, Secretarius.

Romæ Typis Rev. Cam. Apostol. 1715.

801. Quæres, quid circa has Indulgentias præterea notandum?

Respondetur, Notandum est 1. quod ad illas lucrandas requiratur, ut Coronæ a PP. Superioribus Monasteriorum Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittæ, vel ab aliis Religiosis ejusdem Ordinis, ad id specialiter deputatis, sint benedictæ. P. Pauck *capit.* 32. Notandum est 2. quod illa prohibitio S. Congregationis, ne scilicet prædictæ Coronæ vendantur, aut alteri commodentur, sub jactura Indulgentiarum veniat accipienda in sensu exposito supra *n.* 798. Revide, & cum grano salis huc applica.

Origo, & Forma Indulgentiarum, Coronis de septem Gaudiis Beatissimæ Virginis MARIÆ annexarum.

802. IPsamet Cœli, Terræque Regina, Beatissima Virgo MARIA, docuit quempiam nostræ Religionis Seraphicæ Novitium (uti referunt VVaddingus, & Fortunatus Hueber in Menologio Magno S. P. N. Francisci *ad diem* 23. *Novembris*) 1. *Decies recitare Salutationem Angelicam, & semel Orationem Dominicam in memoriam Gaudii, quo Ipsa concepit Christum.* 2. *Easdem repetere in memoriam Gaudii, quo visitavit Elisabeth Cognatam suam.* 3. *In memoriam Gaudii, quo peperit Christum.* 4. *In memoriam Gaudii, quo Magos, Christi adorantes, excepit.* 5. *In memoriam Gaudii, quo JESUM duodennem in templo invenit.* 6. *In memoriam Gaudii, quod percepit in Resurrectione Christi.* 7. *In memoriam Gaudii, quo cumulata fuit in sui ad Cœlos Assumptione.* Addiditque Beatissima Virgo, ex hisce precibus, ceu rosis, & liliis immarcessibilibus, sibi contextum iri Coronam multo gratiorem, quam ex rosis, & liliis marcessibilibus, ex quibus memoratus Novitius in honorem ejusdem Virginis devota mente Coronam antea contexere solitus erat. Intellecto hoc Mariano Oraculo, introducta est apud Franciscanos devotio, invaluitque consuetudo recitandi Coronam, seu Rosarium Beatissimæ Virginis MARIÆ de septem Gaudiis nuncupatum, in memoriam eorundem Gaudiorum, ac septuaginta duorum Annorum, quibus Beatissima Virgo in terris vixisse traditur, ita scilicet, ut in qualibet Salutatione Angelica primæ decadis post Nomen JESU interserereretur: *Quem Virgo concepisti.* In qualibet Salutatione secundæ decadis: *Quem visitando Elisabeth portasti;* tertiæ decadis: *Quem Virgo genuisti:* quartæ decadis: *Cui Reges munera obtulerunt:* quintæ decadis: *Quem in templo invenisti:* sextæ decadis: *Qui resurgens tibi apparuit:* septimæ decadis: *Qui te in Cœlum assumpsit.*

Mos iste salutandi Beatissimam Virginem MARIAM, ubi Sedi Apostolicæ innotuit, non solum ab Ea approbatus fuit, sed plenaria etiam Indulgentia dotatus, adeo, ut quicunque Nostratium præfatam Coronam de septem Gaudiis Beatissimæ Virginis MARIÆ, constantem septuaginta duabus Salutationibus Angelicis (cum intermixtis, ut supra, Gaudiis) & septem Orationibus Dominicis, superaddita adhuc una Oratione Dominica, & Salutatione Angelica pro Summo Pontifice, recitaverit, præfatam Indulgentiam lucretur. Ita Portel, Sannig, Angelus a Lantusca *in Theatro Regularium V. Indulgentia;* & patet ex Rubricis particularibus nostri Breviarii, ubi *tit.* 8. §. 90. sic habetur: *Sabbato præsertim, & singulis aliis hebdomadæ diebus privatim recitanda est a Nostratibus ex devotione Corona Beatissimæ Virginis MARIÆ Dominæ nostræ, approbata a San. Mem. Leone X. in Brevi:* Exponi Nobis, *die* 14. *Septembris* 1517. *concesso; & per aliud ejusdem Pontificis Breve, quod incipit:* Dum præexcelsa: *die* 19. *Junii* 1515. *ea Indulgentia decorata, quam Paulus V. post generalem Indulgentiarum revocationem benigne renovavit, & Innocentius XI. per suas etiam in forma Brevis Literas, similiter incipientes:* Exponi Nobis: *die* 15. *Maii* 1688. *firmam esse voluit, atque sancivit.*

ORIGO, ET FORMA INDULGENTIARUM,

Coronis (quæ vulgo dicuntur Rosaria *Domini nostri JESU Christi*) annexarum.

803. LEO PAPA X. postquam a personis fide dignis intellexerat, qualiter pius quidam Eremita Camaldulensis, Divino afflatus Spiritu, cogitare cœperit, quod, sicut in memoriam, & honorem annorum, quibus Beatissima Virgo in hoc mundo vixit, recitatur Corona nuncupata *Beatæ Virginis*; ita in memoriam, & honorem annorum, quibus Dominus noster JESUS Christus in hoc mundo fuit conversatus, conveniente a Fidelibus recitaretur Corona, seu Rosarium Dictum Domini nostri JESU Christi, constans triginta tribus Orationibus Dominicis, cui interpositione quinque Salutationum Angelicarum: quam Coronam Sua Sanctitas non solum approbavit, sed etiam Indulgentia decem annorum, pro qualibet vice, qua recitaretur, condecoravit; ac insuper integro anno recitantibus, pro qualibet die ultra prædictam Indulgentiam concessit Indulgentiam mille annorum; iis porro, qui per totam vitam quotidie recitaverint, memoratas Indulgentias duplicavit, Benedictione Apostolica pro articulo mortis superaddita: veluti patet ex Brevi, quod dedit Florentiæ 18. Februarii 1516. sui Pontificatus Anno tertio.

Deinde Gregorius XIII. in alio Brevi, quod dedit Romæ 14. Februarii 1573. Pontificatus sui Anno primo, prædictas Indulgentias confirmavit, ultroque iis, qui toto anno (cessante legitimo impedimento) quotidie illam Coronam recitaverint, & contriti, confessique fuerint, concessit Indulgentiam plenariam in Festo Paschatis; iis vero, qui usque ad finem vitæ ita continuaverint, & contriti, confessique fuerint, vel saltem veræ Pœnitentiæ signum ediderint, Indulgentiam plenariam in articulo mortis.

Postmodum SIXTUS V. majoribus adhuc gratiis hanc devotionem prosequens per novum Breve, quod dedit Romæ ad S. Petrum sub Aonulo Piscatoris 3. Februarii 1589. Pontificatus sui Anno quarto, concessit 1. iis qui talem Coronam habuerint, quotiescunque eam recitaverint, dummodo contriti, & confessi fuerint, aut saltem contriti firmum confitendi propositum habuerint, ducentorum annorum Indulgentiam. 2. Ei, qui illam secum devote portaverit, & recitaverit diebus festivis Ecclesiæ, aut Feriis secunda, quarta, & sexta, dummodo confessus sit, ac communicaverit, quinquaginta annorum Indulgentiam. 3. Ei, qui saltem quatuor vicibus in septimana illam recitare solitus sit, in uno die totius anni, ad ipsius arbitrium eligendo, dummodo tunc confessus, & S. Synaxi refectus fuerit, eandemque etiam tunc recitaverit, Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum. 4. Ei, qui prædictam Coronam solitus fuerit dicere saltem tribus vicibus per hebdomadem, atque in bello contra S. Matris Ecclesiæ inimicos, hæreticos, aut infideles constitutus, dummodo in die prælii, aut antecedente eandem Coronam pie recitaverit, & in ipso conflictu mente ad Deum elevata peccatorum suorum veniam petierit, itidem Indulgentiam plenariam, si in conflictu occubuerit. 5. Ei, qui infirmus talem Coronam habuerit, eandemque antea recitare consueverit, dummodo contritus, & confessus in fine vitæ suæ Sanctissimum Nomen JESU ore, aut saltem corde devote invocaverit, si tunc moriatur, similiter Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum in forma Jubilæi; si vero mortuus non fuerit, Indulgentiam ducentorum annorum. 6. Ei, qui sæpe dictam Coronam secum portaverit, & Nomen JESU devote invocans, prævio conscientiæ suæ examine, ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote dixerit, pro felici, & tranquillo S. Matris Ecclesiæ statu, Indulgentiam viginti dierum. 7. Si vero talis prævio conscientiæ examine, & Confessione actuali, Deum rogaverit pro S. Matris Ecclesiæ exaltatione, atque hæresum extirpatione, lucrabitur ex concessione altefati Pontificis Indulgentias viginti annorum. 8. Qui ejusmodi Coronam habuerit, &, ab audienda Missa in die festo legitime impeditus, recitaverit quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, hoc ipso defectum illum supplere censebitur, prout & hoc ipso satisfacit pro omnibus mentis evagationibus (subreptitiis) non tamen (omnino deliberata) admissis, aut etiam studio quæsitis. 9. Quicunque similem Coronam secum gestaverit, ad omne, & quodcunque opus pium, quod operatus fuerit, dummodo adjungat ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, acquirit Indulgentiam decem annorum. 10. Quicunque in diebus Stationum Urbis Romæ, sive Romæ existens Ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitare non posset, sive longius ab eadem Urbe Roma distaret, dummodo aliquam ex iis Coronis habuerit, & visitaverit aliquam Ecclesiam sibi bene visam, aut, dum neque hoc poterit, recitaverit dictam Coronam cum septem Psalmis pœnitentialibus, Litaniis, & precibus adjunctis, lucrabitur Indulgentiam ducentorum annorum. 11. Omnes, & singulæ supradictæ Indulgentiæ, dummodo opera cum tali intentione peragantur, ut animæ Fidelium Defunctorum per ipsas juventur, etiam animabus ipsis Defunctorum, in purgatorio existentium, per modum suffragii applicari queunt. 12. Tandem additur clausula, quod dictæ Coronæ neque vendi possint, neque aliis mutuo, aut commodato dari; alioquin hoc ipso annexis Indulgentiis cariturae. De quo proinde revidendum, & applicandum, quod dictum est supra *num.* 798.

Demum CLEMENS X. in Brevi, dato Romæ apud S. Mariam Majorem die 20. Julii, anno Dominicæ Incarnationis 1670. de novo approbavit laudabilem, & antiquum usum Patrum Monachorum, & Eremitarum Camaldulensium dispensandi hujusmodi Coronas *Domini nostri JESU Christi*; atque easdem Indulgentias illis perpetuo annexuit. Itaque 1. Quicunque vere contritus, & confessus, aut cum firmo proxime saltem confitendi proposito, habuerit aliquam ex supradictis Coronis, sibi ab aliquo Patre Monacho, vel Eremita Camaldulensi immediate, vel mediante altera persona datam, eamque recitaverit; quoties id fecerit, toties acquirit Indulgentiam ducentorum annorum. 2. Qui similem Coronam, sibi (ut proxime insinuatum) datam, secum portaverit, eamque singulis Feriis secundis, quartis, & sextis, ac insuper diebus Ecclesiæ festivis devote recitaverit, & contrite confessus, sacraque Synaxi refectus fuerit, acquirit Indulgentiam centum, & quinquaginta annorum. 3. Qui quatuor saltem vicibus per hebdomadam, Coronam hujusmodi recitare solitus fuerit, uno anni die, ad ipsius arbitrium eligendo, lucrabitur Indulgentiam plenariam; modo etiam tunc confessus, & S. Communione refectus eandem recitet. 4. Qui per integrum mensem quotidie Coronam hujusmodi recitaverit, & postmodum, Confessione, ac Communione prævia, pias ad Deum preces effuderit pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, concordia Principum Christianorum, & extirpatione hæresum, acquiret Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum. 5. Qui tribus saltem vicibus per hebdomadem, Coronam illiusmodi recitare consueverit, atque in bello contra S. Matris Ecclesiæ hostes, hæreticos, sive infideles constitutus. (reliqua vide supra in concessione SIXTI V.) cum eadem ampliatione ad animas Fidelium in charitate Dei defunctorum, addita etiam seria prohibitione, ne Coronæ hujusmodi aliis vendantur, aut mutuo, vel commodato dentur sub pœna cessationis omnium Indulgentiarum ipso facto incurrenda (de quo rursus videndum, & applicandum, quod diximus *num.* 798.) declarando, etiam circa venditionem, & commodationem earum, se velle observari quoad hoc, Decretum ALEXANDRI VII. datum 6. Februarii 1657.

Harum Indulgentiarum Formam desumptam esse ex Summario Indulgentiarum Romæ impresso, testatur P. Pauck *in Sua Tertia Vinea Seraphica part. 1. cap. 33. in fin.*

BREVE APOSTOLICUM BENEDICTI XIII.

Concedens Indulgentias orantibus ad pulsum Salutationis Angelicæ.

BENEDICTUS XIII.

Ad perpetuam rei Memoriam.

804. INjunctæ nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Beatissimæ, atque Augustissimæ Cœli Reginæ, Virginis Deiparæ MARIÆ, Patronæ, & Advocatæ nostræ, venerationem, excitandamque, & confovendam erga Illam Fidelium devotionem, ac ad animarum salutem, speramus in Domino profuturum. Itaque de Omnipotentis DEI Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, omnibus, & singulis Christi Fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac S. Communione refectis, qui mane, meridie, aut vespere ad pulsum campanæ: *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum; & : Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: cum tribus Ave Maria:* flexis genibus devote recitaverint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis duntaxat per unumquemque Christi Fidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: in reliquis vero anni diebus iisdem Christi Fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Septembris 1724. Pontificatus nostri Anno primo.

F. Cardinalis Oliverius. Romæ, typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ. 1724.

805. Quæres, quid notandum circa voces: *flexis genibus &c.* Brevi insertas?

Respondetur. Notandum est 1. quod situs ille, modusque orandi ad pulsum Salutationis Angelicæ mutandus sit toto tempore Paschali, uti & diebus Dominicis per annum; ubi proin illæ preces non genuflectendo, sed stando, in memoriam Dominicæ Resurrectionis, persolvendæ sunt. Ratio est: quia Ecclesia ex memorata pia reflexione sic ordinavit, cujus ordinationi non desiderat contraveniri Pontifex per illas voces, Brevi Indulgentiarum concessorio insertas. Notandum est 2. quod etsi quis situm, modumque in recitandis precibus illis non servaret, puta non stando, dum standum, vel non genuflectando, dum genuflectendum, idcirco tamen effectu Indulgentiarum haud frustraretur; prout advertit in simili P. Pauck ubi supra *cap.* 21. *ad fin.* Ratio est: quia S. Pontifex, esto illum orandi modum præscribat, ceu magis decentem, non tamen censetur ei, sed substantiæ orationis alligare effectum Indulgentiæ; ergo qui peragit orationem quoad substantiam, consequitur Indulgentiam, quamvis in ea peragenda non observet prædictum situm, modumque orandi. Vide, si placet, Authorem *cit.*

DECRETUM,

SEU CONSTITUTIO SIXTI V. concessoria Indulgentiarum propter reverentialem prolationem SS. Nominum, JESUS & MARIA.

806. ITaque altefatus Papa in Bulla: *Reddituri* die 11. Julii 1587. sic loquitur: Quia non est aliud Nomen sub cœlo. in quo nos oporteat salvos fieri, nisi Nomen JESU, idcirco omnibus, & singulis Christi Fidelibus, qui hoc modo salutaverint alios, nempe sub vulgari, seu latino sermone: *Laudetur JESUS CHRISTUS*, & his, qui sic responderint: *In secula*, vel *amen*, & *semper*: utriusque tam salutantibus, quam respondentibus, quinquaginta, ubicunque id factum fuerit; qui autem Nomen JESU nominaverint reverenter, vel Nomen MARIÆ, viginti quinque dies: qui vero in mortis articulo, ore, vel corde (si ore non potuerint) idem Nomen invocaverint (*dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem Nomen JESU*) plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem; quique Litanias ejusdem Sanctissimi Nominis recitaverint, trecentos: qui Litanias ejusdem Beatissimæ Virginis MARIÆ, ducentos: nec non Prædicatoribus Verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi Nomen JESU, & MARIÆ, Auditores monuerint, & quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem Indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, authoritate, & tenore præmissis concedimus, & largimur. Volumus autem, ut prædictæ Litaniæ Nominis JESU, & Beatæ MARIÆ, juxta morem, & consuetudinem in Romana Curia, & Domo Beatissimæ MARIÆ Virginis usitarum recitentur. Hanc Bullam Sixti V. refert Rodriquez in Bullario *fol.* 488.

CONSUETA FORMULA

Brevium Apostolicorum, quibus ordinarie expediuntur Indulgentiæ pro Comprecatione quadraginta horarum.

807. *Universis Christi Fidelibus, præsentes Literas inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad augendam Fidelium Religionem, animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem, nisi noctis tempore interpolatarum, de licentia Ordinarii in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci &c. Dominica Pentecostes instituenda, per aliquod temporis spatium devote interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, ac remissionem misericorditer in Domino concedimus: præsentibus ad septennium tantum valituris, Datum &c.*

808. Quæres, quænam, notanda sint circa hanc Formulam?

Respondetur, notanda esse sequentia. 1. Septennium, cui duratio Indulgentiæ alligatur, incipit, & computari debet *a die data*, hoc est, Romanæ expeditionis; non vero a die factæ publicationis, nisi in Brevi expresse addatur (prout ordinarie addi non solet, nec additum est in Formula a nobis allata) clausula: *a die publicationes &c.* Revideri possunt, quæ tradidimus *num.* 402. & huc applicari. 2. Non requiritur, ut lucraturus Indulgentiam, per ejusmodi Breve concessam, oret in Ecclesia, ubi fit Comprecatio, per integram horam; prout multi hominum plebeorum opinantur. Ratio est: quia in Brevi non exigitur tanta Orationis protractio, sed tantum piarum precum ad Deum effusio sine determinatione temporis tam prolixi. Unde ut quis Indulgentiæ se participem reddat, satis est, quod *confiteatur, communicet*, & *per aliquod temporis spatium Comprecationi intersit, pias ibidem ad Deum preces effundendo finem in eodem Brevi præfixum*, v. g. recitando septies *Pater, & Ave*; aut sexies, cum

totidem

totidem *Gloria Patri*, ac semel superaddendo Symbolum Apostolicum. 3. Ut Oratio, seu Comprecatio censeatur durare *per quadraginta horas continuatas, & non, nisi tempore nocturno interpolatas*, requiritur, & sufficit, si unus saltem homo existat, & oret in Ecclesia illa, in qua Comprecatio ad effectum Indulgentiæ obtinendum instituta est. Imo licet contingeret, per breviusculum tempus neminem in dicta Ecclesia adesse; vel adesse quidem aliquem, aut aliquos, sed dormire (iisdem per breviusculum duntaxat tempus) non censeretur *moraliter discontinuari, seu interpolari Oratio quadraginta horarum*: siquidem hic valeret illud tritum: *Parum pro nihilo reputatur*. Tandem quamvis ille, vel illi, qui in Ecclesia præsto sunt, orent cum perpetuis, & voluntariis distractionibus, modo devote genua flectant, tamen non interrumperetur, aut destrueretur *Comprecatio quadraginta horarum*: quia adhuc verum esset dicere, aliquem (vel aliquos) existere in Ecclesia per modum supplicis, & religiosum cultum (qualis utique est genuflexio) exhibentis Deo: id quod ad continuationem prædictæ Comprecationis sufficeret; esto non sufficeret ad lucrandam pro se ipsam Indulgentiam, cum ad hujus consecutionem præscribatur in Brevi (præter *Confessionem*, & *Communionem*) *piarum precum ad Deum effusio*, adeoque vera Oratio, quæ (ut alibi, & sæpe dictum) cum voluntariis distractionibus consistere nequit. Videatur P. Gobat *in Quinar. tr. 3. num. 149.*

S E R I E S

Plenariarum Indulgentiarum, & Prærogativarum, concessarum, & attributarum Inscriptis Archi-Confraternitati S. Scapularis.

809. PAULUS V. plenariam largitus est 1. Indulgentiam omnibus pro illo die, quo huic Confraternitati se inscribi curant, si vere pœnitentes sumpserint Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

2. Indulgentiam plenariam in una Dominica cujuslibet mensis, qua solemnis instituitur ab hac Confraternitate Processio, si confessi, & sancta Communione refecti, interfuerint Processioni.

3. Indulgentiam plenariam, observatis iis ipsis, quas immediate commemoravimus, conditionibus, in Festo principali Commemorationis B. MARIÆ de Monte Carmelo.

4. Indulgentiam plenariam in articulo mortis, si Nomen JESU ore, vel corde, devote invocaverint, confessi, & sacra Communione refecti. Ita P. Pauck ubi supra *cap. 34.* se referens ad P. Henricum Jonghen Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, ejusque Librum, cui titulus: *Vera Fraternitas: Exhort. 9. de Scapulario.*

Ad Prærogativas prædictorum Confratrum, sive Sodalium ut progrediamur, duas afferimus Bullas, quarum una CLEMENTIS VII. & altera GREGORII XIII. utraque videnda apud Lezanam *tom. 2. cap. 15. num. 35. & 39.*

Prior Pontifex in sua Bulla: *Ex Clementi* (quæ etiam apud Cherubinum extat) edita anno 1530. sic loquitur: *Alias felic. recor. Joannes XXII. & Alexander V. Romani Pontifices, Prædecessores nostri, universis, & singulis Christi Fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, ipsiusque Ordinis Statuta servare, ac Habitum ejusdem Ordinis deferre, seque Fratres, & Sorores ejusdem Ordinis appellare, ita quod, si mulier virgo castitatem, vidua vero continentiam, conjugata tamen matrimonii jura, prout Sancta Ecclesia præcipit, tempore earum ingressus inviolabiliter velle servare promitterent, & observarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt; at ipsa Gloriosissima Dei Genitrix semper Virgo MARIA, ipsorum Confratrum, seu Religiosorum, ac Sororum animas post eorum transitum suis intercessionibus continuis, piis suffragiis, & speciali protectione adjuvabit &c.*

Alter Pontifex in quadam Bulla apud Lezanam *loc. cit.* addit sequentia: *Idemque Joannes XXII. pro animabus, quæ in purgatorio existunt, & Habitum hujus Religionis gestarint, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero adscripti, in honorem Beatissimæ MARIÆ Matris Dei, die Sabbati, post eorum transitum intercessionibus continuis, piis suffragiis, ac speciali protectione adjuvandis publicavit &c.*

810. Quæres jam, quomodo hæ Bullæ sint intelligendæ?

Respondetur ex P. Gobat *in Quinar. tract. 4. cap. 19. a num. 455.* esse intelligendas, & exponendas in hoc sensu, quod videlicet Beatissima Virgo Deipara a Deo impetratura sit, ut talibus animabus suffragia pro earum liberatione ad modum nunc plenariæ cujusdam, nunc partialis, Indulgentiæ, applicentur. Quapropter audiendi non sunt 1. qui asserunt, Patrocinium Beatissimæ Virginis, hic promissum, & præstari solitum, esse adeo infallibile, ac efficax, ut nullum ex prædictis Confratribus permittat hærere in purgatorio ultra primum Sabbatum a suo obitu: siquidem nec SS. Pontifices id dicunt, nec ulla dicendi ratio suppetit, inquit P. Gobat *cit.* Neque, & minus attendendi veniunt 2. qui putant, omnes, cum S. Scapulari ex hac vita migrantes, esse de numero prædestinatorum; siquidem nec talium opinio fundatur sive in authoritate Pontificum, sive in ratione aliqua; ut proinde merito a prælaudato Authore tanquam erronea rejiciatur.

Confirmatur autem nostra, & Gobatiana responsio, ac expositio, per authenticam declarationem Pauli V. quæ refertur in Appendice Bullarii Rodriqueziani editionis Antuerpianæ *de Anno 1616. fol. ult.* quæ sic habet: *Fratribus Ordinis Carmelitarum permittatur prædicare &c. quod populus Christianus possit pie credere de adjutorio animarum Fratrum, & Confratrum Sodalitatis B. Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita Habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel, si recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observaverint, & Feria quarta, ac Sabbato a carnibus abstinuerint, nisi ubi in istis Nativitas Domini inciderit, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, ac meritis, & speciali protectione post earum transitum præcipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem B. Virgini MARIÆ dedicatus est, adjuturam. Itaque imagines, quæ a devotis de hac re solent fieri, vel depingi cum descensione B. Virginis ad animas in purgatorio liberandas, minime fiant, sed per intercessionem ejusdem Virginis a tanto periculo per manus Angelorum in cœlo collocari.*

Quam in rem P. Theophilus Raynaudus *in tr. de Scapulari Mariano q. 5.* ita scribit: *Verba Deiparæ* (apparentis Joanni XXII. & manifestantis ipsi suum pro defunctis Fratribus Scapularis patrocinium) *in rigore sumpta tantum fuerunt, in Sabbato subventionem Deiparæ affuturam animabus illis, & liberandas esse; sin minus tum, certe non multo post; nam Paulus V. in Decreto superius adducto sic intellexit verba Deiparæ, ut sensus sit, subveniendum illis esse a B. V. præcipue in Sabbato, quod ea dies sit Virgini festiva.* Ita eruditissimus Scriptor, & singularissimus Mariani Scapularis Patronus, P. Raynaudus.

Idem Scriptor *ead. q.* tradit, qualiter B. V. animabus memoratorum Confratrum, in purgatorio existentibus, subveniat, dum ibidem observat, subventionem illam *non fieri immediate ob nudam intercessionem Deiparæ, nullis videlicet applicatis suffragiis; quandoquidem animæ purgantes non liberantur pœnis, nisi repræsentato litro; ergo sit procurande, ut iis laborantibus applicentur viatorum superstitum ad id excitatorum suffragia, vel ut pro iis educatur litrum sufficiens ex communi Ecclesiæ Thesauro: quamvis enim Christus Thesauri erogationem integre permiserit Ecclesiæ, tamen potest contingere, ut, quæ inde erogantur in gratiam unius, non acceptentur pro illo, sed applicentur alteri. Et idem est de suffragiis, & satisfactionibus privatorum, quæ Deus aliquando non acceptat pro uno quopiam propter certam causam, id jure ferentem; ut habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur rejectio suffragiorum pro demortuo Cœnobii Promo, qui vivus defraudaverat defuncto subsidio eleemosynæ per Abbatem constituta. Verosimile autem est, nolle Deum, ut suffragia, pro indigno exhibita, abeant irrita; ac proinde ea admittere pro alio, pro quo Sanctus aliquis intercedit.*

Tandem is ipse Scriptor, ostensurus, qua ratione

gestatio Scapularis, & impletio conditionum præscriptarum inter signa prædestinationis computetur, inquit: *Scapulare Marianum est ex Deipara instituto signum salutis, & nota prædestinationis, quatenus gestatio Scapularis ejusmodi tessera est singularis protectionis B. Virginis affutura Sodalibus, & conciliatura media gratiæ singularis, quibus & securius serventur mandata, & tutius ad optatum finem beatitudinis pertingatur. Non plus dicitur, cum asseritur, Scapulare esse signum salutis, & pignus, vel notam prædestinationis.*

Atque hæc ex citt. Authoribus excerpta, & collecta sunto in gratiam Confessariorum, qui non raro super hac materia interrogantur. Qui plura desiderat, adeat ipsos fontes, & hauriat.

S E R I E S

Indulgentiarum concessarum Inscriptis Archi-Confraternitati Sacratissimi Rosarii S. P. Dominici.

811. IN die inscriptionis 1. si confessi S. Synaxin sumpserint, consequuntur Indulgentiam plenariam.

2. Omni die, quo secum tulerint, vel gestaverint palam Rosarium, acquirunt Indulgentiam ducentorum annorum, & totidem quadragenarum.

3. Qui oraverint Rosarium, lucrantur illo die, quo oraverint, Indulgentiam trecentorum annorum, & ultra.

4. Qui in Festis B. Virginis contriti, & confessi, recitaverint Rosarium, sacramque acceperint Communionem in Templo Rosarii, obtinent Indulgentiam plenariam.

5. Qui interfuerint in Templo ad *Salve Regina*, lucrifaciunt Indulgentiam quadraginta dierum.

6. Qui de Confraternitate Rosarii fecerint quodcunque opus pium, merentur centum dies Indulgentiæ.

7. In articulo mortis consequi possunt Indulgentiam plenariam.

8. Qui in Festis B. Virginis interfuerint Processioni Rosarii, acquirunt Indulgentiam plenariam: interessentes vero Processionibus menstruis, obtinent singulis vicibus Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum; imo etiam plenariam, si consueverint orare Rosarium.

9. Qui legunt, vel legi curant Missam de Rosario, pro defuncto (vel defuncta) ex hac Confraternitate, liberant animam e purgatorio.

10. Quocunque die oraverit quis Rosarium pro defunctis ex eadem Confraternitate, unam animam liberat ex purgatorio.

Has, & plures adhuc alias Indulgentias, quibus SS. Pontifices istam Archi Confraternitatem Sacratissimi Rosarii condecoravere, videre poteris apud Gobat *in Quinar. tr. 4. cap.* 33. Panck ubi supra *cap.* 29. & Joannem de Carthagena *lib.* 16. *Homil.* 6. *in Festo Sanctissimi Rosarii*, aliosve Authores, Theologos, & Concionatores, de prædicta Archi-Confraternitate disserentes.

S E R I E S

Indulgentiarum concessarum Inscriptis Archi-Confraternitati Seraphici P. N. S. Francisci, seu Chordigeris.

812. PRo enumerandis id genus Indulgentiis libet in terminis adducere Constitutionem Pauli V. in qua continentur Indulgentiæ, prædictæ Archi-Confraternitati concessæ, & hodiedum validæ. Tenor Constitutionis est sequens:

P A U L U S P A P A V.

Ad perpetuam rei Memoriam.

NUper Archi-Confraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum S. Francisci Assisiensi Ordinis Minorum Conventualium canonice erectæ, & illius Confratribus certas Indulgentias, & gratias spirituales concessimus per nostras in forma Brevis Literas hujus tenoris, videlicet:

Cum certas unicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus imposterum fruantur, duxerimus præscribendas, idcirco omnes, singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Archi-Confraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum S. Francisci Assisiensi, Ordinis Minorum Conventualium Canonice erectæ, & illius Fratribus, hactenus per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas, revocantes, & annullantes, nullius roboris, & momenti post hæc data præsentium fore declarantes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi,

1. Omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci Chordam benedictam, ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes, prædictam Archi-Confraternitatem de cetero ingredientur, die prima eorum ingressus, si vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

2. Ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Archi-Confraternitate Confratribus, & Consororibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Archi-Confraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium, in Festo principali ejusdem Archi-Confraternitatis, a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem Festi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

3. In mortis quoque articulo iisdem Confratribus, & Consororibus, qui pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere pœnitentes Nomen JESU ore, si potuerint; sin autem, corde devote invocaverint, similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

4. Nec non ipsis Confratribus, & Consororibus, qui prædictæ Archi-Confraternitatis Processioni, singulis mensibus fieri solitæ, interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas, & si fuerint confessi, ac sacra Communione refecti, ibique pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam.

5. Qui vero Officio Beatæ MARIÆ Virginis ejusdem Archi-Confraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri Officio pariter interfuerint, centum dies.

6 Insuper eisdem, qui Sanctissimum Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, & totidem quadragenas.

7. Qui vero pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, in S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci festivitatibus, singulis annis visitaverint, & oraverint, ut præfertur, quo die festivitatum hujusmodi id egerint, septem annos, & totidem quadragenas.

8. Quoties vero corpora defunctorum, tam Confratrum, quam aliorum, ad sepulturam comitati fuerint; aut alicui pauperi personæ in ejus necessitatibus subvenerint; aut pacem inter inimicos composuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta, relaxamus.

6. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus, ut supradictas Indulgentias, & gratias spirituales consequi, & illas animabus defunctorum, per modum suffragii, applicare possint, per præsentes concedimus, & indulgemus.

Ac præterea dilecto Filio, moderno, & pro tempore existenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates Laicorum utriusque Sexus, sub dicta Invocatione Chordigerorum S. Francisci, in qualibet Ecclesia Domorum Fratrum Ordinis sui Minorum Conventualium S. Francisci erigere, & constituere, servata tamen forma præscripta in Constitutione felic. record. Sixti Papæ V. sub Dat. XIII. Calend. Decembris Pontificatus sui Anno primo, & Clementis VIII. Prædecessorum nostrorum super hoc edita, possit: & valeat, facultatem impertimur.

Quæ

Quæ quidem Confraternitates, si, & postquam erectæ, ac institutæ fuerint, eidem Archi Confraternitati Sancti Francisci Assisiensi, juxta prædictam Sixti V. Constitutionem, sint, & esse intelligantur aggregatæ, Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque; Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 11. Martii 1607. Pontificatus nostri Anno 11.

Cum autem ex concessione felic. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri dilectis Filiis Ministro Generali, & Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia in Ecclesiis eorum Ordinis, in Locis videlicet, in quibus Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi, & instituendi facultas impartita fuerit; nos eisdem Ministro Generali, & Commissario Generali specialem gratiam facere, & Christi Fidelium spirituali consolationi prospicere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, eisdem Ministro Generali, & Commissario Generali, & eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum, ac in Locis, in quibus non existent Conventus, vel Ecclesiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates Chordigerorum S. Francisci, utriusque sexus, erigere, & instituere, illis sic erectis, & institutis, Indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicare libere, & licite possint, ac valeant, servata tamen forma, in prædictis Constitutionibus Sixti, & Clementis tradita, ut in præinserto Brevi, pro iisdem Conventualibus expedito, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem, & auctoritatem perpetuo duraturam concedimus, & impartimur. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac utriusque Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, ceterisque quibuscunque. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die XXV. Septembris 1607. Pontificatus nostri Anno tertio.

Hanc Constitutionem refert P. Angelus a Lantusca in Theatro Regularium *V. Confraternitas. n.* 3. & P. Pauck. *in cit. Vinea Seraphica part.* 1. *cap.* 25. *&* 26.

813. Quæres, quænam circa recitatam Constitutionem, & impræsentiarum notanda sint?

Respondetur primo, quod prædicta Archi-Confraternitas S. P. N. Francisci, seu *Chordigerorum* (sic nuncupatorum a *Chorda*, qua in inscriptione circumcinguntur, & quam *gerere*, seu gestare debent) suam traxerit originem a Sixto V. anno 1585. die 3. Novembris per Bullam: *Superna;* Assisii in Ecclesia S. P. N. Francisci (in qua sanctissimum, & sacris Christi Stigmatibus insignitum Corpus Seraphici illius Viri prodigiose stando in hodiernum usque diem requiescit) quippe ubi tunc erecta, & primo instituta fuit, ac copiosis, eximiisque Indulgentiis condecorata. Ad cujus postea normam per orbem terrarum reliquæ sunt institutæ Confraternitates a Fratribus Minoribus in Ecclesiis suis, iis ipsis gaudentes Indulgentiis ex concessione ejusdem Summi Pontificis, nempe Sixti V. in Constitutione: *Divinæ Charitatis*. Videri P. Emmanuelem Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular. q.* 58. *art.* 1. uti & ex concessione Pauli V. cujus Constitutionem immediate, & ex professo attulimus, ut concessas ibi, & adhuc vigentes Indulgentias Chordigeris, eorumque Directoribus summarie, ac dilucide ob oculos poneremus.

Respondetur secundo, quod tali Archi-Confraternitati Inscripti, seu Chordigeri possint lucrari 1. illas quoque Indulgentias, quas Regularibus largitus est Paulus V. in Bulla: *Romanus Pontifex:* edita anno 1606. die 23. Maii, & a nobis *num. seq.* afferenda. Ita enim concessit Gregorius XV. in Brevi: *Pias Christi:* die 10. Novembris anno 1622. prout legere est in Rubricis particularibus nostri Breviarii *num.* 167. ubi altefatus Papa sic loquitur: *Eisdem Confratribus, & Consororibus* (nempe Chordigeris; nam ad ipsos fit ibi Indulgentiarum extensio) *omnibus, & singulis Indulgentiis, ac peccatorum remissionibus, & pœnitentiarum relaxationibus quibus iidem Fratres, vel Regulares fruuntur, & gaudent, similiter frui, & gaudere &c. concedimus, & indulgemus.* Participant porro, & lucrifacere valent iidem Chordigeri 2. omnes Indulgentias, Fratribus Minoribus directe, ac in specie concessas, & non revocatas (haud tamen alias, prædictis Fratribus per extensionem, vel communicationem quomodolibet obtinibiles) veluti reperiundum est in Bulla Clementis VIII. quæ incipit; *Quæcunque a Sede:* edita anno 1604. die 7. Decembris. Videri desuper potest P. Angelus a Lantusca *in Theatro Regularium V. Confraternitas. n.* 4. *&* 5.

Respondetur tertio. Ut Chordigeri præmemoratas Indulgentias lucrari valeant, debent esse 1. legitime in Archi-Confraternitatem adscripti. 2. Debent gestare Chordam a Superiore aliquo nostri Ordinis benedictam, puta a Ministro Generali, Provinciali, a Guardiano, vel, in ejus absentia, a Vicario. 3. Debent singulis diebus dicere 5. *Pater, & Ave cum totidem Gloria Patri* pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, & unum, itidem *cum Gloria Patri*, pro Summo Pontifice, subjungendo Symbolum Apostolicum. 4. Debent Processionibus menstruis interesse, easque comitari (si commode possint) uti & Missæ mortuali, quæ post quamlibet Processionem sequenti quodam die decantatur, vel legitur, ac pro defunctis Confratribus, & Consororibus orare. Prima ex modo recensitis conditionibus est absolute, & simpliciter necessaria ad obtinendas Indulgentias, adeo, ut hæ obtineri non valeant ab illo, qui præfatæ Archi Confraternitati non sit reipsa inscriptus: siquidem absque inscriptione reali, & actuali nemo fit membrum Archi-Confraternitatis; consequenter nec particeps Indulgentiarum, Archi-Confraternitati, ejusque membris concessarum. Reliquæ tres conditiones solum sunt necessariæ quasi hypothetice, ita, ut quis, si Indulgentias lucrari velit, illas voluntarie, & sine causa non prætermittat; hoc quippe si fiat, & quidem sæpius, aut passim, esto prætermittens non peccet, cum SS. Pontifices juxta communem DD. non obligent ad Confraternitates, & opera earum membris præscripta; a meritorum tamen participatione, & Indulgentiarum, aliarumque gratiarum spiritualium lucro excluditur. Dixi *voluntarie, & sine causa.* Nam si quis legitime præpeditus sit ab impletione harum trium conditionum, vel unius, aut alterius ex illis, non excidit participatione meritorum, nec jacturam Indulgentiarum, & aliarum gratiarum spiritualium incurrit; modo non destituatur voto eas implendi, si posset: alioquin quam plurimi Confratres, & Consorores a Loco, ubi Confraternitas erecta est, longe distantes, vel actu Confessionali adstantes; proindeque ad prædictum Locum sese conferre, Processioni menstruæ, aut Missæ mortuali interesse, absque incommodo sive temporali, sive spirituali, non potentes, præfatis favoribus privarentur, quod a benignitate SS. Pontificum omnino alienum est, præsertim quod hoc tali modo id genus homines ab ipsa etiam sui in Confraternitates adscriptione procuranda facile retraherentur. Imo possunt ejusmodi Confratres, & Consorores Indulgentias lucrifacere etiam in aliis Ecclesiis, quando Ecclesiam, in qua erecta est Confraternitas, accedere nequeunt ob loci distantiam, sustentionem, aut prosecutionem itineris &c. vel etiam domi in suo lecto, si infirmi sint: ita enim Fratribus Minoribus infirmis (quibuscum hic Chordigeri communicant) concessit Innocentius VIII. *in Compendio nostrorum Privilegiorum* P. Casarubios *V. Infirmi Fratres. n.* 3. & *V. Itinerantes Fratres n.* 5. dummodo ibi recitent 5. *Pater, & Ave* cum totidem *Gloria Patri*; & ceteroquin servaverint, aut servent Statuta Confraternitatis servatu sibi possibilia, nec careant voto præmemoratas preces peragendi in Loco Confraternitatis, si per impedimentum liceret. Videri potest P. Gobat *in Quinar. tr.* 4. *cap.* 35. *a numer.* 634.

BULLA PAULI V.

per quam Indulgentiæ, Regularibus in communi antea concessæ, revocantur, & aliæ de novo conceduntur.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei Memoriam.

814. ROmanus Pontifex, in Beati Petri Sede Constitutus, cui inter alia cœlestis Indulgentiarum Thesauri dispensandi cura incumbit, solicite prospicere debet, ac solerter, ut hujusmodi Indulgentiarum dispensatio, & usus ad DEI Gloriam, & animarum salutem præcipue dirigatur, & ne ex illarum multiplicatione confusio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. I.

Proinde cum felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster magna cum diligentia, & solicitudine procuraverit abusus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum Thesauros, tum in medio illos recipiendi irreptos tollere, & propterea sua quidem Constitutione formam aggregandi, instituendi, & recte administrandi Societates, & Confraternitates præscripserit, licet morte præventus hanc piam ejusmodi voluntatem ad finalem executionem dedocere, neque etiam, ut cogitaverat, circa Indulgentias, a plerisque Romanis Pontificibus Prædecessoribus, Religionibus, & Ordinibus Monasticis, & Mendicantibus, diversis temporibus concessas, aliquid deliberare potuerit.

§. II.

Nos, qui nullis nostris meritis, sola Dei benignitate ad Summi Apostolatus Officium vocati sumus, susceptum a tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholicæ Ecclesiæ Regimen suscepimus, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus a dicto Clemente Prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis Prædecessoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent.

§. III.

Cum itaque præfati Cardinales privilegia, concessiones, & gratias, Religionibus, & Ordinibus concessas, diligenter inspexerint, & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores, & Officiales pluries audiverint, & circa easdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint, & ex judicio eorundem etiam Regularium, & aliquorum ex illis nobis proposuerint, valde expedire pro majori eorum securitate, & beneficio, ut Indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus adinstar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas, annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§. IV.

Nos matura super hoc consultatione præhabita, cupientes personis Regularibus quibuscunque quorumvis Ordinum tam Monasticorum, quam Mendicantium spirituale solatium, & juvamen afferre, infrascriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus intra Claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum, legitima de causa illis concessa, degentibus, tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. V.

Omnibus igitur Christi Fidelibus, qui Canonice, & juxta Ordinem cujuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas Habitum Regularem a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

§. VI.

Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, post completum probationis annum Professionem emiserit, etiam plenariam.

§. VII.

Nec non cuilibet Religioso, intra claustra sui Monasterii viventi, qui in Festo principali sui Ordinis confessus, & sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Principum Christianorum concordia hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

§. VIII.

In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter vere pœnitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, Nomen JESU, si potuerit, sin autem, corde, devote invocaverit, etiam plenariam.

§. IX.

Qui vero ad Presbyteratus Ordinem Canonice promotus, & confessus primam Missam celebrabit; nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra Communione refecti, eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam celebraverint, etiam plenariam.

§. X.

Iis vero, qui de Superiorum suorum licentia a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, se piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem, & spiritum inducendum, lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini nostri JESU Christi, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in die, & nocte orationibus mentalibus se exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. XI.

Præterea iidem Religiosi, intra Claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint, &, ut præfertur, oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde, ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

§. XII.

Omnibus item Religiosis, intra Claustra, ut supra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.

§. XIII.

Iis vero, qui de suorum licentia in itinere existentes, aut extra Claustra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

§. XIV.

Nec non etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra Communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.

§. XV.

Qui vero contrito corde, & pœnitentes suas culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

§. XVI.

Quotiescunque autem de licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes, & confessi, ac sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet,

quando

quando itineri se accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. XVII.

Et insuper, cum Superior in Visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono Visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ Regularis augmento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi, & sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, concedimus.

§. XVIII.

Volumus autem, ut omnes supradictæ Iodulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularis cujusvis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis, duntaxat, ut præfertur, concessæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ, & intra Claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam Clausuram servantibus, tam Ordinariis Locorum, quam etiam Regularibus cujuscunque Ordinis, Regulæ, & Instituti, subjectis, suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. XIX.

Ceterum omnes, & singulas Iodulgentias, quibuscunque Ordinibus, & Institutis Regularibus hujusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore Privilegiorum, & Literarum Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores oostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hacteous concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum præscriptum reducimus, & moderamur.

§. XX.

Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam *Mare magnum*, & *Bulla aurea* nuncupatis, eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, & Personis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, sive alia quævis expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

§. XXI.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides habeatur ubique, quæ præsentibus ipsis originariis Literis haberetur. Datum Romæ ad S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Maii 1606. Pontificatus nostri Anno secundo.

Reperiunda est hæc Bulla *in Bullario* Cherubini *tom.* 3. *fol.* 201. & *in Theol.* P. Benedicti Schmier *tom.* 3. *tr.* 26. *differt.* 14. *num.* 181.

815. Quæres primo, quid præterea notandum circa Indulgentias Regularium?

Respondetur. Notandum est 1. quod omnes Regulares lucrari valeant illas quoque Indulgentias, quas lucrari possunt Seculares. Ita Peyrinis, Lezana, Quintanadvennas, & alii communissime. Ratio est; quia Regulares non sunt deterioris conditionis, ac sint Seculares. Neque Paulus V. in adducta Bulla has tales Indulgentias Regularibus ademit; prout statim *num. seq.* videbimus. Notandum est 2. quod Regulares impediti, v. g. infirmitate, itinere, aut aliter, ne valeant propriam accedere Ecclesiam ad recitandas ibi preces, pro consecutione Indulgentiarum quarumcunque præscriptas, possint illas cum effectu Indulgentiarum persolvere alibi, ubicunque valuerint, & maluerint. Ita P. Viva *in Appendice Indulgentiarum.* §. 1, *n.* 6. & habetur *in Compendio Privilegiorum. V. Indulgentiæ.* §. 2. & *in Summario Privil. S. Justinæ.*

816. Quæres secundo, quid notandum circa revocationem Indulgentiarum a Paulo V. in præallata Bulla factam?

Respondetur. Notandum est 1, generatim loquendo per Bullam Paulinam illas duntaxat Indulgentias esse revocatas, quæ concessæ erant directe, & principaliter ipsis Regularibus, tam Viris, quam Feminis. Ita P. Quintanadvenas *in Appendice suorum Singularium tr.* 4. *dub.* 13. *n.* 3. P. Bonagratia Habsensis *in Summula. V. Indulgentia. n.* 221. P. Gobat *in Quinar. tr.* 4. *num.* 546. P. Benedictus Schmier ubi supra *numer.* 183. Ratio est: siquidem Paulus V. in sua Bulla §. 19. solum dicit, a se revocari *Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, & Institutis Regularibus, & quibuslibet Regularibus personis concessas*: quæ verba, cum sint odiosa, quippe Jurium antiquiorum correctoria, stricte accipienda, ac interpretanda veniunt; adeo, ut non comprehendant Indulgentias Regularibus *quomodocunque* concessas, sed tantum concessas *directe, & principaliter*. Confirmatur, Pontifex potuisset apponere particulam *quomodocunque*, dicendo, se revocare Indulgentias Regularibus quomodocunque concessas, & tamen non apposuit; ergo censendus est non voluisse subintelligi. *arg. cap.* 2. *de Transl. Episc.* consequenter &c. Notandum est 2. speciatim, & quasi illative ex immediate dictis, non esse per Bullam Paulinam revocatas sequentes Indulgentias Regularium; nempe 1. quæ ipsis, & Secularibus promiscue datæ sunt; neque 2. quæ datæ sunt illorum Ecclesiis, & Capellis; neque 3. quæ datæ sunt eorum parentibus, cognatis, & servitoribus; neque 4. quæ ipsis datæ sunt relate ad animas defunctorum e purgatorio liberandas; neque 5. quæ ipsis datæ sunt, ut communicandæ aliis, cujusmodi sunt Indulgentiæ plenariæ, quas Visitatores Generales, & Provinciales in fine visitationis suis Subditis elargiri solent; & partiales, quas Concionatores v. g. audientibus concionem impertiri queunt &c. Ita PP. Gobat, & Viva *cit.* aliique passim. Ratio horum omnium fluit ex dictis *in Notand. primo*; quia præfata Bulla solum revocavit Indulgentias, ipsis Personis Regularium directe, & principaliter concessas, de quarum classe non sunt *in Notand. secundo* recensitæ; ut consideranti patebit. Ceterum Indulgentias, a Paulo V. revocatas, non esse revalidatas, constat *ex prop.* 37. Alexandri VII. quæ sic habet: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & a Paulo V. revocatæ, hodie sunt revalidatæ.* Qualiter autem hoc sit intelligendum, tradit P. Viva super *prop. cit.*

817. Quæres tertio, quid sint Iodulgentiæ Stationum Urbis, & unde traxerint originem? Item quænam illæ sint, & quibusnam diebus obtinibiles? Non inutiliter hæc quæstio impræsentiarum movetur; siquidem *in* §. 11. Bullæ Paulinæ conceditur Regularibus, ut intra Claustra viventes, suam Ecclesiam devote visitantes &c. lucrari valeant easdem Indulgentias, quas lucrari possunt visitantes Ecclesias Urbis. &c.

Respondetur igitur primo. Per Indulgentias *Stationum Urbis* intelliguntur illæ, quæ concessæ sunt visitantibus certas quasdam Romanas Stationes, id est, Romanas Ecclesias, quæ sunt instar *Stationum*; nam nomen *Stationis* significat Locum, in quo frequenter conveniri solet ad negotia pertractanda. Cum ergo tempore persecutionis solerent Christiani noctu convenire, & confugere ad Basilicas Martyrum, seu Ecclesias Romæ extantes, partim ut Laudes Dei persolverent, partim ut negotia Religionem concernentia pertractarent, partim ut proximos errantes corrigerent; ideo illæ Basilicæ, seu Ecclesiæ, aliæque plures

postmodum extructæ, fuerunt nuncupatæ, & nuncupantur *Stationes Urbis*, seu Romæ: Et quoniam, cessante persecutionis tempore, Christiani a suo fervore paulatim deficere, & illiusmodi sanctas conventiones passim intermittere solebant, Gregorius Magnus, quo eorum animos ad continuationem, vel resumptionem prioris tam laudabilis consuetudinis reaccenderet, magnas ibi convenientibus largitus est Indulgentias: ut proinde primæva Indulgentiarum, quæ *Indulgentiæ Stationum Urbis* appellantur, origo altefato Pontifici in acceptis referenda sit. Videri potest Toletus *lib. 6. cap. 28.*

Respondetur secundo. Circa has Stationum Indulgentias ob oculos habendum est Decretum Innocentii XI. quod incipit: *Delata sæpius*: infra n. 822. in terminis adducendum, ad cujus finem hæc formalia habentur: *Indulgentias vero Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus Locis, Ordinibus, aut Personis, diebus tantum Stationum, in Missali Romano descriptis, suffragari posse declarat: Semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* Nunc oportet, ut recenseantur dies Stationum, prout in Missali Romano descripti extant, & Indulgentiæ in iis lucrifaciendæ.

Januarius.

In Circumcisione Domini, Statio ad S. MARIAM trans Tyberim, Indulgentia plenaria, & 25000. annorum.

In Epiphania Domini, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 18000. annorum, & totidem quadragenarum

Februarius.

Dominica Septuagesima, Statio ad S. Laurentium extra muros, & Indulgentia plenaria.

Dominica Sexagesima, Statio ad S. Paulum, Indulgentia plenaria, & 1000. annorum, ac totidem quadragenarum.

Dominica Quinquagesima, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, & totidem quadragenarum.

Martius, & Quadragesima.

Feria 4. Cinerum, Statio ad S. Sabinam, Indulgentia plenaria, & 3000. annorum, & totidem quadragenarum.

Feria 5. post Cineres, Statio ad S. Gregorium, & Indulgentia 1000. annorum.

Feria 6. Statio ad SS. Joannem, & Paulum, ac Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato post Cineres, Statio ad S. Tryphonem, ac Indulgentia 10000. annorum, uti & plenaria.

Dominica 1. Quadragesimæ, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria, & 18000. annorum; nec non liberatio animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad vincula, Indulgentia 10000. annorum, uti & plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anastasiam, Indulgentia 28000. annorum, & totidem quadragenarum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Feria 4. Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia 28000. annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium in Panisperna, Indulgentia 10000. annorum, uti etiam plenaria.

Feria 6. Statio ad SS. duodecim Apostolos, Indulgentia 12000. annorum, uti & perpetua.

Sabbato, Statio ad S. Petrum, Indulgentia 18000. annorum, ac totidem quadragenarum; uti & plenaria.

Dominica 2. Quadragesimæ, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia 18000. annorum, & totidem quadragenarum.

Feria 2. Statio ad S. Clementem, Indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Balbinam, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. Cæciliam, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad S. MARIAM trans Tyberim, Indulgentia 25000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Vitalem, Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato, Statio ad SS. Marcellinum, & Petrum, Indulgentia plenaria, ac 10000. annorum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Dominica 3. Quadragesimæ, Statio ad S. Laurentium extra muros, Indulgentia 19000. annorum, ac 43. quadragenarum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Marcum, Indulgentia plenaria, & 10000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Prudentianam, Indulgentia plenaria, & 10000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. Xystum, Indulgentia plenaria, & 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad SS. Cosmam, & Damianum, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Laurentium in Lucina, Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato, Statio ad S. Susannam, Indulgentia 13000. annorum.

Dominica 4. Quadragesimæ. Statio ad S. Crucem in Jerusalem, Indulgentia plenaria, & liberatio animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad SS. quatuor Coronatos, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Laurentium in Damaso, Indulgentia 10000. annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 4. Statio ad S. Paulum, Indulgentia plenaria, & 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad SS. Silvestrum, & Martinum, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Eusebium, Indulgentia 10000. annorum

Sabbato, Statio ad S. Nicolaum in carcere, Indulgentia plenaria.

Dominica Passionis, Statio ad S. Petrum, Indulgentia 18000. annorum, & totidem quadragenarum, nec non remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 2. Statio ad S. Chrysogonum, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Cyriacum, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. Marcellinum, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad S. Apollinarem, Indulgentia 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Stephanum in Cœlio Monte, liberatio animæ e purgatorio.

Sabbato, Statio ad S. Joannem ante Portam Latinam, Indulgentia 13000. annorum, & liberatio animæ e purgatorio.

Dominicam Palmarum, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria, & 25000. annorum, ac totidem quadragenarum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Praxedem, Indulgentia plenaria, 15000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Priscam, Indulgentia plenaria, & 18000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

In Cœna Domini, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria, & 11000. annorum, & 38. quadragenarum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

In Parasceve, Statio ad S. Crucem in Jerusalem, Indulgentia plenaria.

Sabbato Sancto, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria, & 11000. annorum, ac 45. quadragenarum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Dominica Resurrectionis, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, ac totidem quadragenarum.

Feria 2. Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Paulum, Indulgentia plenaria, & 20000. annorum, ac 28. quadragenarum.

Feria 4.

Feria 4. Statio a S. Laurentium extra muros, Indulgentia 28000. anoorum, & totidem quadragenarum, nec non remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 5. Statio ad SS. duodecim Apoſtolos, Indulgentia plenaria, & 25000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. MARIAM ad Martyres, Indulgentia 15000. annorum.

Sabbato in Albis, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria, & 15000. annorum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Dominica in Albis, Statio ad S. Pancratium, Indulgentia plenaria, & 15000. annorum.

Aprilis.

Die 25. *in Feſto S. Marci Evangeliſtæ*, Statio ad Petrum, Indulgentia plenaria, & 15000. annorum, e totidem quadragenarum.

Majus.

Feria 2. *Rogationum*, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia 6048. annorum, & totidem quadragenarum, nec non remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 3. *Rogationum*, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria.

Feria 4. *Rogationum*, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria.

In Aſcenſione Domini, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Junius.

Sabbato in Vigilia Pentecoſtes, Statio ad S. Joannem in Laterano, Indulgentia plenaria, & liberatio animæ e purgatorio.

Dominica Pentecoſtes, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad vincula, Indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anaſtaſiam, Indulgentia 18000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 4. Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia 6000. annorum, & totidem quadragenarum.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium extra muros, Indulgentia 28000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum, nec non liberatio animæ e purgatorio.

Feria 6. Statio ad SS. duodecim Apoſtolos, Indulgentia multorum annorum.

Sabbato ante Feſtum SS. Trinitatis, Statio ad S. Petrum, Indulgentia 6048. annorum, & totidem quadragenarum, nec non remiſſio tertiæ partis peccatorum.

September.

Feria 4. *quatuor Temporum Septembris*, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 2400. annorum, ac totidem quadragenarum.

Feria 6. *quatuor Temporum Septembris*, Statio ad SS. duodecim Apoſtolos, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Sabbato quatuor Temporum Septembris, Statio ad S. Petrum, Indulgentia 28000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

December.

Dominica 1. *Adventus*, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, ac totidem quadragenarum, nec non remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Dominica 2. *Adventus*, Statio ad S. Crucem in Jeruſalem, Indulgentia plenaria, & 2000. annorum.

Dominica 3. *Adventus*, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Feria 4. *quatuor Temporum Adventus*, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, ac totidem quadragenarum, nec non remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 6. *quatuor Temporum Adventus*, Statio ad SS. duodecim Apoſtolos, Indulgentia plenaria, & 10000. annorum.

Sabbato quatuor Temporum Adventus, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Dominica 4. *Adventus*, Statio ad SS. duodecim Apoſtolos, Indulgentia plenaria.

In Vigilia Nativitatis Domini, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, ac totidem quadragenarum.

In Nativitate Domini ad primam Miſſam in Noctе, Statio ad S. MARIAM Majorem ad Præſepe, Indulgentia plenaria, & 20000. annorum, ac totidem quadragenarum.

Ad ſecundam Miſſam in Aurora, Statio ad S. Anaſtaſiam, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, ac totidem quadragenarum.

Ad tertiam Miſſam in die Nativitatis Domini, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria.

In Feſto S. Stephani Proto-Martyris, Statio ad S. Stephanum in Cælio Monte, Indulgentia plenaria, & 28000. annorum, ac totidem quadragenarum.

In Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, Statio ad S. MARIAM Majorem, Indulgentia plenaria, & 50000. annorum, ac liberatio animæ e purgatorio.

In Feſto SS. Innocentium, Indulgentia plenaria, & 15000. annorum, ac totidem quadragenarum.

Hoc Summarium, Seriemque Indulgentiarum, ad Stationes Romanas ſpecificatis diebus lucrabilium, exhibet Liber Regulæ Tertii Ordinis S. P. N. Franciſci, Romæ conſcriptus per P. Angelum a Lancuſca Franciſcanum, ibique approbatus per P. Hyacinthum Libellum Dominicanum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtratum, anno 1665. die 11. Martii.

Quid ſentiendum ſit de Communicatione Indulgentiarum, fere conſtat ex dictis *part.* 3. *a nu.* 635. facta etiam reflexione ad illa, quæ ſuperius *n.* 767. *in reſponſ. ad argum. & inſtant.* tradidimus, ac inſinuavimus.

S E R I E S

Indulgentiarum, Tribus Ordinibus Seraphici P. N. Franciſci, eorumque Eccleſiis conceſſarum.

I. Indulgentia Stationis Sanctiſſimi Sacramenti.

818. LEO X. die 3. Februarii anno 1517. conceſſit, Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ, ac Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis, ut devote recitando, quacunque dici, vel noctis hora, in Eccleſia, Choro, vel Oratorio quinque *Pater noſter*, & *Ave Maria* cum totidem *Gloria Patri*, ac unum pro Pontifice, item cum *Gloria Patri*, lucrari valeant Indulgentias, & remiſſiones peccatorum conceſſas Stationibus, & Eccleſiis Urbis, ſeu Romæ; item Indulgentias conceſſas Eccleſiæ Portiunculæ, Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, & Eccleſiæ S. Jacobi in Gallicia, ſeu Compoſtellæ. Ita Caſarrubios *in Compendio noſtrorum Privilegiorum. V. Indulgentia Stationum*, §. 15. Rodriquez *in nova Collectione Bullarii*, *fol.* 318. *n.* 24. Pauck *in Tertia Vinea Seraphica part.* 1. *c.* 28. *n.* 131.

Neque Indulgentia hæc celeberrima, ſeu potius Indulgentiarum cumulus comprehenditur in revocatione generali Indulgentiarum conceſſarum Perſonis Regularibus facta a Paulo V. ſupra *n.* 814. Ratio eſt: quia præfatus Indulgentiarum cumulus non eſt directe conceſſus ipſis Perſonis Regularibus Trium Ordinum S. Franciſci, ſed omnibus Chriſti Fidelibus viſitantibus Eccleſias Romanas &c. & ſolum præmemoratis Perſonis Regularibus indultum fuit, ut pro viſitatione Eccleſiarum viſitare poſſint Eccleſias proprias, in iiſque (vel etiam in Oratoriis &c.) perſolvere ſupradictas preces pro lucrandis iiſdem Indulgentiis, quas lucrantur alii Fideles, quando viſitant Eccleſias Romanas, ubi ſunt Stationes. Unde alteſatus Pontifex Leo X. Tribus Ordinibus S. Franciſci prædictas Indulgentias in propriis Eccleſiis &c. obtinendi facultatem impertiendo, ſolum diſpenſavit in modo eas lucrandi; ut proinde Indulgentiæ illæ cenſeantur reipſa, & quoad ſubſtantiam locales, ac Tribus Ordinibus S. Franciſci, & aliis

aliis Fidelibus promiscue concessæ. Atqui Indulgentiæ Regularibus sic concessæ, non sunt revocatæ a Paulo V, prout animadversum est supra *n.816.* ergo &c. Sed

Dices, Esto prædictæ Indulgentiæ possint videri non revocatæ a Paulo V. omnino tamen dici debent revocatæ a Gregorio XV. & Urbano VIII. hi quippe duo Pontifices revocavere omnia Privilegia, vivæ vocis oraculo concessa, quorum nomine etiam veniunt Indulgentiæ, Tribus Ordinibus S. Francisci a Leone X. concessæ; cum & ipsæ fuerint vivæ vocis oraculo impertitæ,

Respondetur, neg. assumptum. Quamvis enim altefati duo Pontifices revocaverint omnia Privilegia vivæ vocis oraculo concessa, non tamen censendi sunt revocasse Indulgentias eo modo concessas. Ratio hoc dicendi est: quandoquidem ita tenuere Revisores Romani in Resolutione data ad Provinciam Coloniensem die 12. Septembris anno 1694. triplici fundamento nixi. Primum erat: quia Cardinalis de Lugo testatus est ex relatione multorum fide dignorum, quod Urbanus VIII. post revocationem ultimam a se factam declaraverit, se non intendisse revocare Indulgentias, vivæ vocis oraculo datas. Secundum erat: quia in illa revocationa non fit expressa mentio Indulgentiarum; ergo non censentur revocatæ, licet privilegia, & gratiæ generaliter sint revocatæ. Conf. ostenditur; nam Indulgentia non obtinet proprie rationem privilegii, & inter gratias speciali nota digna est; ergo per generalem earum revocationem non censetur revocari, nisi exprimatur; præsertim cum talis revocatio sit odiosa, adeoque non amplianda, sed restringenda, quantum admittit proprietas verborum, queis utitur revocans. Tertium motivum erat: quia Indulgentiæ nemini creant aliquod præjudicium, neque earum usus vergit in detrimentum disciplinæ Ecclesiasticæ, cujus observatio fuit finis, & scopus Pontificum privilegia, & gratias generaliter revocantium; prout in Bullis revocatoriis indigitatur. Videri possunt P. La Croix *lib. 6. p. 2. de Sacrific. Missæ, n.526. in respons. ad 1. arg.* & P. Pauck *in Tertia Vinea Seraphica p.1. c.28. n.132.*

Imo post illam revocationem Indulgentiarum factam a Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. ille ipse Indulgentiarum cumulus iterum concessus est ab ipso Urbano VIII. dummodo coram Venerabili Sacramento recitentur illa sex *Pater & Ave &c.* uti cum Antonio a Spiritu S. Quintaoadvena, & aliis testatur P. Viva *in Append. Indulg. §.3. & super prop.37. ex damnatis ab* Alexandro VII. Unde Indulgentia isthæc *Stationis Sanctissimi Sacramenti* nomenclaturam obtinuit. Idque confirmatur authentice ex Rubricis particularibus nostri Breviarii, ab Innocentio XII. approbatis, in quibus *n.88.* sic habetur: *Circa Stationem Sanctissimi Sacramenti ex sex Pater noster, & Ave Maria, cum totidem Gloria Patri &c. coalescentem, quotidie, & præsertim die Sabbati, observandum est Statutum Julii II. c.5. sic decernens: in omnibus etiam Conventibus, statim post Ave Maria, Fratres omnes ad Ecclesiam evadant, & ante Sanctissimum Sacramentum dicant brachiis extensis sex Pater noster, & totidem Ave Maria, & Gloria Patri, ultimum pro eodem S.D.N. Papa pro lucranda Indulgentia plenaria, Et n.89. Cui Statuto consonat omnino aliud hujus tenoris: Et quia Indulgentia Stationis Sanctissimi Sacramenti revocata non fuit, ipsius recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quam Monialibus, & Tertiariis Secularibus enixe commendatur. Quod adest infertum, & specifice confirmatum in Brevi: cujus initium: Debitum Pastoralis, a Sanctissimo Domino nostro Innocentio XII. die 19. Maii 1694. benigne concesso*, Ita Rubricæ *citt.*

Notandum tamen circa hucusque dicta est 1. quod, cum Innocentius XI. in Constitutione: *Delata sæpius:* inferius *n.822.* verbatim afferenda, declaraverit, *Indulgentias Stationum Urbis* solummodo diebus Stationum, in Missali Romano descriptis, & *n. præced.* recensitis, atque plenarias non nisi semel in die obtineri posse, Fratres, & Sorores Trium Ordinum S.P.N. Francisci non valeant aliter, quam sic, easdem Indulgentias lucrari. Secus respective dicendum de Stationibus, & Indulgentiæ Portiunculæ, Jerosolymitanis, & Compostellanis: cum enim de istis altefatus Pontifex in mentionata Constitutione nullam faciat mentionem, obtinibiles manent singulis quibusque diebus.

Notandum est 2. quod Indulgentia Stationis SS. Sacramenti ab Innocentio XI. in Brevi: *Universis:* 30. Septembris 1681. confirmata sit, ita, ut non solum Fratres, & Sorores Trium Ordinum S. P. N. Francisci, in Claustris sub tribus substantialibus, seu solemnibus votis degentes, sed etiam Tertiarii, & Tertiariæ, in suis domibus viventes, imo & Chordigeri Indulgentiam plenariam consequantur, si ante Altare Venerabilis Sacramenti (quamvis hoc non prostet expositum) recitent sex *Pater noster*, & *Ave Maria*, cum totidem *Gloria Patri*, ad intentionem S. Pontificis, Id quod etiam patet ex alio Brevi ejusdem Pontificis, cujus initium: *Exponi nobis:* edito 15. Maii 1688. & reperiundo apud P. Pauck *loc. cit. c.19. n.82.*

Notandum est 3. quod, licet in uno, vel altero Brevi exigatur, ut præmemoratæ preces ad obtinendam Indulgentiam persolvantur *brachiis extensis*, nihilominus ea videatur etiam obtineri posse, esto brachiorum extensio non adhibeatur. Ratio est: tum quia SS. Pontifices non tam ad modum illum orandi, quam ad orationis substantiam videntur respexisse: tum quia Pontifices recentiores de brachiorum extensione nullam faciunt mentionem: tum denique quia sequeretur, Principes, Comites, Barones & quibus orare expansis brachiis non est consuetum, excludi a lucro præfatæ Indulgentiæ, quamvis sint membra Tertii Ordinis, aut Archi Confraternitatis S. P. N. Francisci; quæ tamen sequela non videtur consona menti Pontificum: adeoque &c.

II. Indulgentia Orationis mentalis.

Pro exercitio Orationis mentalis tam ab ipsomet Seraphico P. N. S. Francisco, quam a Capitulis Ordinis nostri pluries imposito, & commendato, sequens est concessio:

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Ad ea, per quæ animarum Christi Fidelium salus procuratur, libenter intendimus, & eorundem Christi Fidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cælestium meritorum elargitione libenter fovemus, & incitamus. Itaque de Omnipotentis DEI Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi ... Omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, ac aliis utriusque sexus Personis Ordinum, & Congregationum, obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, nunc, & pro tempore subjectis, ac etiam Christi fidelibus Confratribus, & Consororibus, quarumlibet Confraternitatum, & Societatum, sive sub Immaculata Conceptionis B. M. V. sive sub alio quolibet titulo, seu invocatione, tam hactenus in eorundem Fratrum, & Monialium Ecclesiis canonice erectarum, quam imposterum canonice pariter erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui vero per duos quadrantes continuatus, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense suorum peccatorum omnium Indulgentiam, & Remissionem, quam per modum suffragii animabus Christi Fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, Apostolica Authoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus. Ita legere est in Rubricis particularibus nostri Breviarii *n. 177. & seq.* ab eodem S. Pontifice approbatis.

Indulgentia Exercitiorum spiritualium octiduanorum.

Ad instantiam Reverendissimi P. Ministri Generalis nostri, Summus Pontifex Alexander VII. concessit Fratribus, exercitia spiritualia obeuntibus, Indulgentiam plenariam perpetuo valituram; ut sequitur:

ALE-

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei Memoriam.

CUm, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Michael Angelus a Sambuca Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Minister Generalis, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissime Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut secessus, & spiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Provinciis Cismontanæ Familiæ Ordinis prædicti reassumantur, & Fratres earundem Provinciarum illis aliquoties singulis annis vacent.

Nos, qui probe novimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christi Fidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de suorum Superiorum licentia Operi adeo pio, & salutari vacaverint, cælestium Ecclesiæ Thesaurorum elargitione magis invitare volentes, de Omnipotentis DEI Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, omnibus, & singulis prædicti Ordinis Fratribus, tam Clericis, quam Laicis, seu Conversis, qui in Domibus Regularibus Provinciarum prædictarum, de suorum Superiorum licentia, exercitia prædicta per octiduu spatium quandocunque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, ac confessi, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam eorum peccatorum suorum Indulgentiam, & Remissionem in Domino concedimus: Præsentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione Præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, exdem Præsentes nullæ sint eo ipso; quodque earundem Præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis prædicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ Præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibiditæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Junii 1659. Pontificatus nostri Anno quinto.

G. Gualterius,

Hæc Constitutio extat apud P. Angelum a Lantusca in Theatro Regularium. V. *Exercitia Spiritualia,*

Indulgentia Doctrinæ Christianæ.

Fratres Minores Regularis Observantiæ, docentes Doctrinam Christianam, eisdemque in hoc salutari opere cooperantes, uti & ipsam Doctrinam audientes, varias, atque eximias lucrantur Indulgentias ex benigna, & liberali concessione Innocentii XI. facta per sequentem Constitutionem.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei Memoriam.

PIetatis, ac Christianæ charitatis opera ubique locorum cum Divini cultus incremento exerceri cupientes, Christi Fideles quoscunque præsertim sub suavi Religionis jugo, Altissimo famulantes, ut ad illa exercendam promptiores reddantur, Indulgentiis, & peccatorum Remissionibus invitamus, prout ad Christianam Religionem propagandam, & animarum salutem procurandam, conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti Filii, Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, inter pia, quæ exercent, opera, etiam adultos, & pueros quoscunque per universum Christianum orbem, Catholicæ Fidei rudimenta, & Christianas virtutes omnes recte doceant; Nos pro nostri Pastoralis Officii munere, hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenere, ac multo uberiores posthac ex eo proventuros speramus, confovere volentes, ut eorundem Fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis DEI Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, supplicationibus etiam dilecti Filii Francisci Diaz a S. Bonaventura Commissarii Generalis Curiæ pro Ultramontana Familia dicti Ordinis, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, & aliis universis Christi Fidelibus, ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem Fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de suorum Superiorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum Locorum, pueros, & adultos quoscunque Doctrinam Christianam juxta Decreta Concilii Tridentini docere, vel eisdem (dum docetur) interesse consueverint; si vere pœnitentes, & confessi, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, die Festo (ab iisdem Ordinariis in Ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana docetur, semel in anno) designando refecti fuerint, plenariam; nec non ipsis (qui vere similiter pœnitentes, & confessi, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito Nomen JESU, saltem corde, in mortis articulo devote invocaverint) similiter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & Remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis, qui pariter vere pœnitentes, & confessi, semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, septem annos, & tot quadragenas: qui vero in causa fuerint, ut pueri, famuli, & quævis aliæ personæ Doctrinam Christianam frequentent; & qui diebus Stationum almæ Urbis nostræ, hanc Doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eandem dicendam accesserint, easdem Indulgentias consequantur, quas consequuntur, & consequi possent, si Ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent. Easdem etiam Indulgentias Visitatores Scholarum Doctrinæ hujusmodi, qui ex commisso sibi Officio visitabunt illas Scholas, quas illo die visitare poterunt, consequantur, si peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint. Insuper iis, qui diebus feriatis Doctrinam Christianam, aut publice, aut privatim, explanaverint, centum dies; nec non omnibus, & singulis Præceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos; & qui diebus feriatis in propriis Scholis eandem Doctrinam explicaverint, aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint, in aliqua Schola, discendi causa, septem annos: omnibus autem, & singulis patribus, & matribusfamilias, qui, in suis domibus, liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexus Doctrinam Christianam similiter explicaverint; qualibet vice id fecerint, centum dies: item iis, qui per civitates, terras, & alia loca, viros, mulieres, aut pueros, ad discendam eandem Doctrinam Christianam docendi causa convocando circumierint, septem annos; ac etiam, qui extra civitatem ad illam docendam per castra, & villas exeunt, decem annos: omnibus etiam Christi Fidelibus, qui per mediam horam Doctrinæ prædictæ, aut discendi, aut docendi causa, studuerint, aut eidem interfuerint, centum dies: eisdem etiam, qui doctrinam prædictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies, de injunctis iis, seu alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut siquæ aliæ Indulgentiæ prædictis Fratribus præmissa agentibus, a Nobis, vel a Prædecessoribus nostris, ad tempus nondum elapsum, vel perpetuo duraturæ, concessæ fuerint, Præsentes nullæ sint. Utque earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Generalis dicti Ordinis subscriptis, & Sigillo Ministri Generalis ejusdem Ordinis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem pariter fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis Præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ ad S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Maii 1686. Pontificatus nostri Anno X.

Extat hæc Constitutio in sæpe cit. *Vinea Seraphica* P. Engelberti Pauck *cap. 5. n. 17.*

IV. In-

IV. Indulgentia Coronæ de septem Gaudiis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

De Origine, & qualitate hujus Indulgentiæ, Nostratibus concessæ, disseruimus supra *n.* 802. Revide, quæ ibi dicta sunt.

V. Indulgentia plenaria, Nostratibus Sacram Professionem Religiosam renovantibus concessa.

Quibuscunque Fidelibus respective, & Regularibus, tam Habitum Religionis suscipientibus, quam ejus Professionem emittentibus, concessa est a Paulo V. in Constitutione: *Romanus Pontifex*: verbatim adducta *n.* 814. Indulgentia plenaria: prout legere ibi est *in* §. 5. *&* 6. At Regularibus nostri Ordinis de Observantia, suam Professionem semel in anno, die nimirum 16. Aprilis, renovantibus, insuper Indulgentiam plenariam, eamque perpetuam, elementissime largitus est modernus S. Pontifex Clemens XII. anno 1735. die 30. Martii per Breve: *Cum sicut:* quemadmodum testatur Directorium Aracœlitanum PP. Franciscanorum ibidem, impressum pro anno 1736. veluti tradidimus *part.* 3. *n.* 619. Et hanc Indulgentiam lucrari quoque possunt Personæ secundi Ordinis S. P. N. Francisci, videlicet Clarissæ, & tertii Ordinis, nimirum Tertiarii, & Tertiariæ, etiam in Seculo, & suis domibus degentes, si præmemorato die Professionem renovant. Ratio est: quia sunt vera membra Ordinis Seraphici; ideoque nobiscum communicant in Indulgentiis etiam specialibus; veluti relinquitur ex aliquoties dictis. An etiam alii Regulares specialem Indulgentiam pro renovatione Professionis sibi concessam habeant, ipsi noverint.

VI. Indulgentia plenaria, quibus gaudent Ecclesiæ Trium Ordinum Seraphici P. N. Francisci in certis Festivitatibus per annum occurrentibus.

819. Januarii 31. B. Ludovicæ Albertoniæ.
Februarii 22. S. Margarithæ de Cortona.
Martii 9. S. Catharinæ Bononiensis.
Maii 17. S. Paschalis Baylon.
Maii 20. S. Bernardini Senensis.
Maii 13. S. Antonii de Padua.
Junii 19. B. Michelinæ Viduæ.
Julii 9. BB. Martyrum Gorcomiensium.
Julii 14. S. Bonaventuræ Cardin. Episc. & Confessoris, ac Seraphici Doctoris Ecclesiæ.
Julii 24. S. Francisci Solani.
Augusti 2. Dedicat. Basilicæ S. MARIÆ Angelorum de Portiuncula.
Augusti 12. S. Matris Claræ Virginis.
Augusti 19. S. Ludovici Episcopi Tolosani.
Septembris 4. Translat. Sanct. Rosæ Viterbiensis Virginis.
Septembris 17. Fest. Impress. Sacror. Stigmatum in Corpore S. P. N. Francisci.
Octobris 4. S. P. N. Francisci, Trium Ordinum Inclyti Fundatoris.
Octobris 13. SS. Danielis, & Soc. Martyrum. Sed ad Septennium duntaxat.
Octobris 19. S. Petri de Alcantara.
Octobris 23. S. Joannis a Capistrano.
Novembris 12. S. Didaci Confessoris.
Novembris 28. S. Jacobi de Marchia.
Decembris 8. Immacul. Concept. B. V. MARIÆ.

Ita recensentur hæ Indulgentiæ in fronte Directorii ad usum Provinciæ nostræ Argentinæ, seu Germaniæ Superioris, editi pro Anno M.D.CCXXXIX.

Ubi notandum 1. Omnes recensitas Indulgentias esse plenarias; uti in Ipso §. expressum. Notandum 2. Omnes item (excepta una) in præfato Directorio proponi ut perpetuas. Quod tamen in hoc duntaxat sensu intelligendum, & eatenus verum est, quatenus illæ, quæ ad certum solummodo tempus, puta septennium, primitus, seu vi primæ concessionis, erant concessæ, eo elapso ordinarie fuerunt renovatæ, & renovari solent. Hujusmodi sunt Indulgentia, pro Festo B. Ludovicæ Albertoniæ concessa, cujus renovationem petere solet Procurator Generalis PP. Franciscanorum Reformatorum degens Romæ ad Ripam Majorem, ubi Corpus B. Ludovicæ requiescit; & Indulgentia concessa pro Festo BB. Martyrum Gorcomiensium, cujus renovationem petere incumbit Agenti PP. Franciscanorum Recollectorum degenti in Ara Cœli. Ita refert, & testatur P. Engelbertus Pauck *loc. cit. cap.* 4. olim talis Agentis munere functus: qui etiam specificat SS. Pontifices, saltem plerosque, a quorum benignitate, & liberalitate promanarunt. Notandum 3. Easdem Indulgentias incipere, & posse lucrifieri a primis Vesperis cujuslibet Festi, usque ad occasum solis diei sequentis: item esse lucrabiles non solum a Regularibus Trium Ordinum S. Francisci, sed a quibuscunque Christi Fidelibus (prout in allegato Directorio signate exprimitur) modo confiteantur, & communicent, atque unam ex antedictis Ecclesiis devote visitent, pias ibidem preces (v. g. 6. *Pater, &* *Ave* cum totidem *Gloria Patri*) effundendo pro concordia Christianorum Principum, extirpatione hæresum, & exaltatione S. Matris Ecclesiæ. Ita enim requirunt SS. Pontifices in Brevibus, & Bullis concessoriis. Notandum 4. Quod, licet in quibusdam Brevibus, & Bullis Pontificiis, præmemoratarum Indulgentiarum concessoriis, eædem Indulgentiæ, dum conceduntur Ecclesiis Fratrum Minorum, expresse, & directe non extendantur ad Ecclesias nostrarum Monialium, implicite tamen, & indirecte per communicationem factæ etiam sint communes istiusmodi Ecclesiis: prout advertunt P. Kerckove *super Statuta nostra Generalia cap.* 7. §. 25. *num.* 1. & P. Pauck *loc. cit. cap.* 22. *num.* 109. imo liquet ex Constitutione Innocentii XII. *Sua nobis*, quam verbatim adduximus supra *num.* 783. uti & ex Constitutione Innocentii XI. *Exponi nobis:* videnda apud P. Pauck *loc. & cap. citt. num.* 107.

Indulgentiæ aliæ, quibus eadem Ecclesiæ gaudent.

820. Omnes Fideles assistentes Divinis Officiis in nostris Ecclesiis in Festo *Corporis Christi* lucramur certas Indulgentias ex concessione Martini V. videlicet assistentes, vel interessentes Missæ, Indulgentiam ducentorum dierum; uti & interessentes Matutino, vel Vesperis; interessentes cuique Horæ Minori, Indulgentiam octoginta dierum. Infra Octavam vero prædicti Festi interessentes Missæ, Indulgentiam centum dierum, uti & interessentes Matutino, vel Vesperis: interessentes autem Horis simul, seu collective sumptis, Indulgentiam quinquaginta dierum. Porro Eugenius IV. in Constitutione: *Excellentissimum*, supradictas Indulgentias duplicavit non solum pro ipso Festo, sed etiam pro ejusdem Octava.

Sixtus IV. in Constitutione: *Cum præcelsa:* expedita anno 1476. Indulgentias antedictas, pro Festo Corporis Christi, ejusdemque Octava concessas, ampliavit, seu similiter concessit pro Festo, & Octava *Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ.* Ita habent Rubricæ particulares nostri Breviarii *num.* 51.

Clemens VIII. in Constitutione: *Sacratissimi Nominis* edita anno 1589. easdem Indulgentias concessit pro Festo *dulcissimi Nominis JESU* (quod Festum Ordo noster Seraphicus antehac celebrabat die 14. Januarii; nunc autem cum universa Ecclesia celebrat Dominica 2. post Epiphaniam) si tamen Fideles, Divinis Officiis assistentes, recitent 5. *Pater*, & *Ave*, pro felici statu Romani Pontificis, & S. R. Ecclesiæ, adversus Mahumeticam, & Lutheranam perfidiam, ac universali Principum, & aliorum Fidelium pace. Ita rursus Rubricæ particulares nostri Breviarii, *num.* 53.

Bonifacius IX. anno 1390. pro Festo *Visitationis B. V. MARIÆ*, & Calistus III. anno 1457. pro Festo *Transfigurationis Domini Nostri JESU Christi*, pariter concessere easdem Indulgentias, quæ nimirum (ex dictis supra) concessæ sunt pro Festo Corporis Christi.

Hucusque Calendarium Franciscanum a P. Augustino de Luca, Romanæ Provinciæ Reformatorum Franciscano, anno 1700. Romæ compositum, approbatum, & impressum. Nunc ulterius

Grego-

Gregorius IX. concessit omnibus, ac singulis Fidelibus, Ecclesias Fratrum Minorum visitantibus in Festis principalibus *Domini nostri*, & in Festis, ac Commemorationibus *Dominæ nostræ*, uti & in Festis *S. Joannis Baptistæ, omnium Sanctorum, S. P. N. Francisci, S. Antonii de Padua*, ac *S. Elisabeth*, Indulgentiam centum annorum, & totidem quadragenatum: in die autem *SS. Stigmatum S. Francisci* Indulgentiam triginta annorum.

Alexander IV. concessit omnibus Ecclesias nostras visitantibus in Festis, & Translationibus *S. P. N. Francisci, S. Antonii Paduani*, & *S. Claræ*, Indulgentiam quinquaginta annorum.

Clemens IV. concessit visitantibus Ecclesias Fratrum in Festis *Domini nostri JESU Christi, Beatissimæ Virginis MARIÆ, SS. Apostolorum, S. Joannis Baptistæ*, & *S. P. N. Francisci*, Indulgentiam quadraginta sex annorum: Gregorius X. Indulgentiam quadraginta annorum: Nicolaus III. similiter Indulgentiam quadraginta annorum; uti & Urbanus V.

Martinus V. omnibus Ecclesias Fratrum Minorum visitantibus in Festis *Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis, & Annunciationis B. V. MARIÆ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis, & Nativitatis B. V. MARIÆ, ac omnium Sanctorum*: item in Festis, & Translationibus S. P. N. *Francisci, S. Antonii Paduani, S. Claræ, & Elisabeth*, concessit Indulgentiam quinquaginta annorum, & duodecim quadragenarum.

Nicolaus IV. confirmavit Ordini Fratrum Minorum omnes Indulgentias concessas a suis Prædecessoribus, easque extendit ad Festa *Angelorum*, & illorum Sanctorum, *in quorum honorem sunt ædificatæ Ecclesiæ prædictorum Fratrum, vel quorum Reliquiæ ibidem habentur*.

Alexander IV. Nicolaus III. Innocentius IV. & Benedictus XI. concesserunt, a *Feria IV. Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis* inclusive, visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum semel in die, causa devotionis, Indulgentiam annorum universim centum viginti duorum, & dierum quingentorum septuaginta sex: visitantibus autem, quando ibidem prædicatur *Feria II. IV. & VI.* additur Indulgentia sex annorum, & septuaginta sex dierum. Porro Urbanus IV. concessit omnibus visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in Quadragesima Indulgentiam quadraginta annorum.

Alexander IV. concessit visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum, causa devotionis qualibet hora diei Indulgentia quadraginta dierum: Innocentius IV. itidem Indulgentiam quadraginta dierum: Clemens IV. Indulgentiam centum dierum: Nicolaus III. similiter Indulgentiam centum dierum: Urbanus V. pariter Indulgentiam totidem dierum: Nicolaus IV. Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum: Alexander IV. (qui supra) omnibus viventibus, & præsto existentibus ad Horas Canonicas, quæ infra annum in Ecclesiis Fratrum Minorum recitantur, vel ad Missam, quæ ibi legitur, vel ad Concionem, quæ ibi habetur, largitus est Indulgentiam centum dierum, qualibet vice obtinendam.

Gregorius IX. concessit audientibus prædicationes Fratrum Minorum Indulgentiam quindecim annorum. Alexander IV. concessit adeuntibus Ecclesias Fratrum Minorum, causa audiendi Sermones, vel Missas, quocunque tempore, pro qualibet vice, Indulgentiam centum dierum.

Atque hæc reperiuntur in Compendio nostrorum Privilegiorum P. Alphonsi de Casarubios *V. Indulgentia, quoad Seculares.*

Indulgentiæ Revocatæ, & Apocryphæ.

821. Summi Pontifices aliquas, easque complures, Indulgentias revocarunt; alias item esse falsas, confictas & apocryphas declararunt; quas proinde hic recensere oportet. Itaque

S. Pius V. in Constitutione: *Etsi Dominici*: edita *Sexto Calend. Februarii* 1567. revocavit omnes Indulgentias, quæ quæstum continebant. Constitutio hæc reperiunda est *in Bullario Cherubini tom. 2. fol.* 213. Videri etiam potest Conc. Trid. *Sess.* 25. *in Decreto de Indulgentiis, & Sess.* 21. *c.* 9. *de Reform.*

Paulus V. revocavit omnes Indulgentias, a suis Prædecessoribus concessas Regularibus cujuscunque Ordinis, aut Instituti; & novas concessit. Hujus Pontificis Constitutionem (quæ incipit: *Romanus Pontifex*: & prodiit 23. *Maii* 1606.) verbatim adduximus supra *n.* 814.

Innocentius XI. multas Indulgentias revocavit, & ut falsas, confictas, atque apocryphas declaravit, *anno* 1678. *die* 7. *Martii*, in Decreto, quod incipit: *Delatæ sæpius*: estque in terminis jam jam adducendum.

D E C R E T U M

Sacræ Congregationis, Indulgentiis, & SS. Reliquiis præpositæ, sub INNOCENTIO XI. Indulgentias multas revocans, & ut falsas, confictas, atque apocryphas declarans.

822. DElatæ sæpius fuere ad Sacram Congregationem, Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferantur: aliæ vero examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel apocryphæ, vel a R[illegible]nis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod d[illegible]um eis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant, Christi Fideles, harum rerum minus peritos, fallunt, qui spe Indulgentiæ, Remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio, vehementer cupiens huic malo, magis in dies serpenti, occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ a Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis JESU Christi Domini nostri: *Precor te piissime Domine &c.* Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Campagnolæ, & S. Victoriæ: ab Eugenio III. revelationi de plaga in humero JESU Christi, factæ S. Bernardo: ab Innocentio III. Archi-Confraternitati, & Ordinis Redemptionis: a Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die Festo: a Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis Beatæ MARIÆ Virginis: ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ Lagbetti: a Leone V. gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras, Confratres Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imaginem Conceptionis MARIÆ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est: a Pio IV. vel S. Pio V. Principi Senatum: a Clemente VIII. dicentibus Orationem, *O Magnum Mysterium* &c. & Ecclesiæ S. MARIÆ, quam vocant Montis Serrati, Avenione impressæ; tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum impressæ Madriti, 20. Julii 1606. a Paulo V. cantantibus Hymnum, *Te Matrem Dei laudamus; Te MARIAM Virginem confitemur* &c. vel si die Sabbati interesint, dum idem canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, Numismatibus, quæ Medallias appellant, ab ea benedictis, Friderico Cardinali Borromæo supplicante, anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. [illegible]roli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio [illegible]V. dicentibus, *Sia laudato il Santissimo Sacramento*[illegible] Laus Sanctissimo Sacramento: ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentibus, *Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii* &c. a Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac vespere consuetam Antiphonam, *Angelus Domini &c.* & in fine *Deo gratias, & Maria*: ac demum aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini nostri JESU Christi, prece Magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica,

gelica, unam liberari animam quolibet die a purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusini Confraternitates Sanctorum Sebastiani, & Rochi; & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Traiani. Tales demum aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii, Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii; vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die Festo Inventionis S. Crucis; vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula; vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. Virginis, vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, *O Passio Magna &c.* in memoriam Passionis JESU, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut Orationem, quæ impressa cum Imagine S. Annæ circumferri solet, *Ave gratia plena &c.* (quæ Oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod asserunt a Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem, *Deus, qui nobis in Sindone &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, *Ave Filia Dei &c.* post Communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus SS. Eucharistiæ Sacramenti Nomen; Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula excriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus Orationem illam vere piam, *Deus, qui pro redemptione mundi &c.* tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, *Sommario dell' Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Signore Papa Leo X. all' Imagine della Conzezzione della Gloriosa Vergine Maria:* vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ: vel Barlettæ, seu Baruli a recitantibus quasdam, non sane malas Orationes, lucrandæ: vel Parmæ a visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci: vel Pistorii, & Vastallæ a recitantibus Orationem, *Ave Sanctissima Maria, Mater Dei, Regina cæli &c.* Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel Mensuræ altitudinis JESU Christi Domini nostri, vel Imagini, aut Mensuræ vulneris Lateri ejus inflicti; vel Orationi, ut ajunt, in Sepulchro Domini nostri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt innixæ revelationi factæ S. Brigitæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint, extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci.

Omnes vero, & singulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & plane falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possint; easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi Fidelibus proponi vetat; foliaque, & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non [illegible]met, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum 4. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris: vel ante Breve Pauli V. quod incipit, *Romanus Pontifex &c.* editum 23. Maii 1606. Personis Regularibus quarumcunque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium, *Quæcunque &c.* & 68. Pauli V. incipientem, *Quæ salubriter &c.* habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam JESU, Capitulo, vel Cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque Personis, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius roboris esse, & momenti, pariter declarat.

Porro Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis DEI, Rosarii, B. MARIÆ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. MARIÆ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias vero Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus Locis, Ordinibus, aut Personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel alium pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium, cuncta Sanctitas Sua probavit, & inviolate servari jussit. Datum Romæ die 7. Martii 1678. & die 12. ejusdem mensis, & anni affixum, ac publicatum &c.

Hæc Constitutio refertur a P. Gobat *in Quinario, tract. 4. part. 2. cap. 37. n. 709.* & P. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 1367.* Sed

823. Quæres quænam notanda sint circa hanc revocationem Indulgentiarum?

Respondetur notandum est 1. quod scribit P. Viva *in Appendice Indulgent.* §. 2. his usus verbis: Recitantibus vespere ad pulsum campanæ, *Angelus Domini, Ecce Ancilla, Verbum Caro &c.* cum tribus *Ave*, Adrianus VI. plenariam Indulgentiam largitus est, ut referunt communiter cum Pellizario *tract. 10. cap. 9. num. 41.* Gobat, Escobar, Rodriquez, Lezana, Diana *p. 4. tr. 4. resol. 24.* Quæ autem ab Innocentio XI. declaratur apocrypha, est solum Indulgentia Clementis X. adscripta recitantibus mane, vel meridie, aut vespere, *Angelus Domini*, cum *Deo gratias, & Mariæ.* Quales Indulgentias concesserit Benedictus XIII. recitantibus mane, meridie, aut vespere ad pulsum campanæ, *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto* &c. & relinquitur ex dictis supra *num. 804.*

Notandum est 2. quod circa Indulgentias Crucum Caravacensium in memoriam revocandum sit Decretum Innocentii XIII. *Nuper Sacra:* editum die 5. Junii 1721. & supra *n. 759.* verbatim allatum, atque in eo consideranda hæc verba: *Cum etiam Sacræ Congregationi Indulgentiarum innotuerit, evulgatum esse alterum Summarium Indulgentiarum Germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis, & nominis impressoris, cujus initium latine redditum est:* Indulgentiæ, quæ Crucibus Caravacensibus concessæ fuerunt a Romanis Pontificibus S. Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuo confirmatæ ab Innocentio XII. *Et excipit pro consolatione Christi Fidelium, & sanctæ Crucis Amatorum, in quo multæ Indulgentiæ penitus confictæ, apocryphæ, & falsæ deprehensæ fuerunt, ea Sacra Congregatio dicti Summarii impressionem, & usum sub iisdem pœnis, in Indice librorum prohibitorum contentis, interdixit.*

Notandum est 3. circa Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod Innocentius XI. non prohibuerit *Officium de Immaculata Conceptione, ab Ecclesia concessum;* sed aliud Officium breve de eadem Immaculata Conceptione Mediolani impressum cum titulo: *Officium de Immaculata Conceptione Sanctissimæ Virginis Dominæ nostræ, approbatum a Summo Pontifice Paulo V. quod devota mente recitanti conceduntur centum dies Indulgentiarum.* Cujus prohibitionis ratio non erat, quasi in ipso hoc tali Officio contineretur aliquid minus orthodoxum, aut errorem sapiens; sed quod illa verba: *approbatum a Summo Pontifice Paulo V.* falso addita fuerint; cum Paulus V. nec id Officium approbaverit, nec eas Indulgentias concesserit. P. Gobat *in Quinar. tr. 4. cap. 37. n. 709. in Appendice lit. C.*

824. Petes, an Indulgentiæ, vivæ vocis Oraculo concessæ, sint revocatæ a Gregorio XV. & Urbano VIII.

Ratio dubitandi est: quia hi duo Pontifices revocaverunt *omnia, & singula Privilegia, Facultates, Licentias, & Gratias spirituales vivæ vocis Oraculo concessas*; prout legere est in Constitutione Urbani VIII. quæ incipit: *Alias felic. recordat. Gregorius Papa XV,* & prodiit anno 1631. die 20. Decembris; repetitque totam Constitutionem: *Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ &c.* a Gregorio XV. ante editam anno 1622. die 2. Julii. Nomine autem *Privilegiorum*, vel saltem *Gratiarum spiritualium* venire videntur etiam Indulgentiæ.

Respondetur nihilominus, Indulgentias, antedicto modo concessas, non fuisse ab alteratis Pontificibus revocatas, esto multi Authores revocatas existiment. Responsio nostra, ejusque fundamentum revideri potest supra *n.*818. *in solutione argum.*

825. Quæres pro coronide nostræ Appendicis, qualiter inter se differant *Bulla*, & *Breve Pontificium*, *seu Apostolicum*? Item quisnam intelligatur nomine *Notarii*, & *Persona in Ecclesiastica dignitate constituta*? Hæc quæstio impræsentiarum movetur, occasione sumpta ex Constitutionibus, & Decretis Pontificum per decursum Appendicis copiose relatis, & modo *Bullarum*, modo *Brevium* nomine appellatis; & in quibus frequenter fit mentio *Notarii*, *ac Persona in Ecclesiastica dignitate Constituta*. Pro illius ergo resolutione,

Respondetur primo, Bulla Pontificia, & Breve Pontificium inter se differunt; quod illa sit Scriptura in membrana, plombo de funibus pendente munita, salutationem cum narratione, & concessionem Papæ &c. continens: istud autem sit Diploma, seu Rescriptum a Papa (aut Pœnitentiario Magno) emanatum, sitque Scriptura modica in modicis concessa negotiis, in papyro frequenter scribi solita, cera rubra, annuloque Piscatoris sigillata, ac signo Secretarii notata, & subscripta. Ita P. Pichler *in Prolegomenis Juris Canonici n.*44. Quapropter *Bulla*, & *Breve Pontificium* sunt voces, & termini quasi specifici relate ad *Constitutionem*, & *Decretum Pontificium*.

Respondetur secundo. Notarius (a faciendis notis sic nuncupatus, teste Rebuffo *in Leg. 9. ff. de Verbor. Signif.*) est, qui a legitimo Magistratu jus habet conficiendi publica, & authenticam authoritatem obtinentia Instrumenta, seu Scripturas. Creari potest a Magistratu tam Civili, quam Ecclesiastico. Quare dum Bullæ Pontificiæ ad faciendam fidem exigunt subscriptionem Notarii publici, sufficit, si subscribat Notarius creatus a Magistratu Civili, cum verba Pontificum sonent generatim, & exigant subscriptionem Notarii publici non determinando qualitatem creationis, sive a quo Magistratu, Ecclesiastico ne, an Civili, creatus esse debeat. Porro non est necesse, ut Bulla, quæ publicatur pro urbe v.g. Augustana, subscripta sit a Notario, quem approbarit Magistratus Ecclesiasticus, aut Civilis hujus talis urbis, sed sufficit, quod sit subscripta a Notario legitime approbato, seu creato a quocunque demum Magistratu: quia Pontifex ad talem subscriptionis actum admittit quemlibet verum, & legitime creatum Notarium; ut patet consideranti verba Bullæ. Ita Quintanadvennas *in Appendice tr.*3. *dub.* 6. *n.*2. 4. & 5. Additque *n.*6. non solum vulgo dictos *Notarios*, sed etiam *Secretarios* dignitatis Episcopalis, vel alicujus Religionis sufficere ad subscriptionem authenticam ejusmodi Indultorum. Ex quo consequitur, quod, cum Socii Reverendorum Patrum Provincialium in diversis Religiosis Ordinibus soleant esse, & vocari Secretarii, sufficiat hoc eorum Chirographum. Consentit per omnia P. Gobat *in Quinar. tr.* 4. *c.* 32. *n.*610.

Respondetur tertio. Nomine *Persona in Ecclesiastica dignitate constituta* (cujus Sigilli appressionem, præter publici Notarii subscriptionem, exigunt Bullæ Pontificiæ) intelligitur illa, quæ habet spiritualem Præeminentiam cum jurisdictione in foro externo conjunctam. Ita cum Azorio, Rebuffo, & aliis P. Gobat *loc. cit. n.*611. subinferens, quod Abbates, Priores (subintellige: *Conventuales*; non item *Claustrales*; de quibus relege dicta *part.* 3. *n.* 302.) Guardiani, Rectores, cum sint proprie dicti Prælati, antefatam præeminentiam, & jurisdictionem gerentes, authentice munire possint Diplomata exigentia Sigillum Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ.

FINIS V. PARTIS.

PARS

PARS SEXTA.

DE EXTREMA UNCTIONE, ORDINE, & Matrimonio.

HÆc tria Sacramenta etiamnum pertractanda supersunt. Et quidem duo priora breviore manu expediri valent; tertium vero prolixiorem sibi calamum exposcit ob majores, & copiosiores difficultates, quæ in ejusdem pertractatione se offerunt, atque obtrudunt: ut patebit.

TRACTATUS PRIMUS.

DE EXTREMA UNCTIONE, ET ORDINE.



AMbo hæc Sacramenta in uno Tractatu conjungimus; siquidem non continent adeo copiosas difficultates, saltem practicas, ut iis enodandis laborinsius, aut longius insudandum sit, prout immediate insinuavimus. Afferemus tamen omnia, quæ de utroque Sacramento a Moralistis in quæstionem verti solent.

DISPUTATIO I.

De Extrema Unctione.

QUintum Ecclesiæ Sacramentum nuncupatur *Unctio* a sua materia proxima (de qua inferius) & *Extrema*, quatenus est postrema omnium sacrarum Unctionum, quibus homo viator ungitur in Ecclesia; veluti diserte proloquitur Catechismus Romanus *p. 2. c.6.§.2.* hisce verbis; *Primum illud tradendum erit, hoc Sacramentum idcirco* Extremam Unctionem *appellatum esse, quod hec omnium sacrarum Unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesia sua commendavit, ultima administranda sit.* Ungitur quippe homo viator in Baptismo, in Confirmatione, & (si Sacerdos fiat) in S. Ordinatione &c. ultimo autem in periculosa ægritudine, ubi hoc Sacramento munitur, & confortatur ad postremam cum Dæmone luctam in articulo mortis ineundam. Nunc sit

CAPUT I.

De Institutione, Natura, Materia, & Forma Extremæ Unctionis.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Institutionem, & Naturam hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Assignatur tempus, quo hoc Sacramentum institutum.* 2. *Solvitur objectio.* 3. *Idem Sacramentum definitur; & iterum* 4. *Solvitar objectio.*

1. DIco primo. Christus Sacramentum Extremæ Unctionis primum instituit post suam Resurrectionem, postquam nempe Apostolis dedit potestatem remittendi peccata. *Joan.* 20. Ita Layman *lib.5. tr.8. c.1. n.2.* Mastrius *in Theol. Moral. disp.22. q.1. n.13.* Herincx *part.4. tr.4. disp.9. q.1. n.8.* & alii communius contra alios, volentes, illud a Christo institutum esse ante Resurrectionem in nocte ultimæ Cœnæ; vel *Marci 6.* quando Apostolos ad prædicandum misit cum potestate sanandi infirmos per sacram olei unctionem. Sed contra hos

Probatur nostra conclusio. Tum quia hoc Sacramentum supponit in Ministro potestatem remittendi peccata, adeo, ut Sacerdos incomplete ordinatus, id est, sola potestate in Corpus Christi verum præditus, non possit infirmos Sacramentaliter inungere, sicut non potest absolvere pœnitentes a peccatis (inquit P. Herincx *cit.*) Christus autem potestatem remittendi peccata primum contulit Apostolis post suam Resurrectionem, cum nempe illis dixit *Joan.20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* ergo &c.

Confirmatur. Sacramentum Extremæ Unctionis est completivum, & consummativum Sacramenti Pœnitentiæ; ergo non fuit conveniens, ut ante hoc, adeoque ante Resurrectionem institueretur. Quare dicendum, quod sit institutum una cum Sacramento Pœnitentiæ, attamen consequenter ad istud.

2. Objicies. Apostoli jam ante Christi Resurrectionem *ungebant oleo multos ægros, & sanabant*; prout legere est *Marci 6.* ergo Sacramentum Extremæ Unctionis jam ante Resurrectionem Christi fuit institutum.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, illam unctionem, Apostolis usitatam fuisse quidem adumbrativam, & figurativam Unctionis Sacramentalis; prout indigitat Trid. *Sess.14. c.1. de Institutione Sacramenti Extremæ Unctionis*, ubi inquit, hoc Sacramentum apud S. Marcum *loc. cit.* fuisse *insinuatum*: non vero reipsa Sacramentalem; conferebatur enim ab Apostolis, tunc nondum Sacerdotio initiatis; conferebatur ægris nondum baptizatis; conferebatur ægris, etiam non constitutis in articulo mortis &c. veluti advertit Herincx *loc. cit. n.6.*

3. Dico secundo. Extrema Unctio est *Sacramentum novæ Legis, in quo aliquæ partes corporis infirmi inunguntur oleo benedicto, sub præscripta verborum forma, ad conferendam salutem spiritualem, vel etiam corporalem a Christo institutum.* Ita in terminis P. Babenstober *tr.8. part.6. disp.7. art.1. n.6.* & alii reipsa communiter. Sensus definitionis patebit ex dicendis per decursum. Hic autem

4. Objicies. Nullus Evangelista mentionem facit de Extrema Unctione; ergo hæc non recte dicitur, & definitur Sacramentum novæ Legis &c.

Respondetur, omisso antecedente, neg. conf. Multa enim Christus fecit, & dixit, quæ ab Evangelistis non referuntur; ut notat Doctor Angelicus *in 3. part. q.29. art.3. ad 1.* Quare ut Extrema Unctio credatur, & dicatur Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, sufficit, quod, ut tale, sit promulgata a S. Jacobo Apostolo, & agnita ab Ecclesia. Audiamus Apostolum *c.5. v.14. & 15.* ubi inquit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in Nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Audiamus etiam Ecclesiam loquentem per Trid. *loc. supra cit.* ubi sic habet: *Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam vere, & proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, & Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum.*

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam tam remotam, quam proximam hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

5. *Assignatur Materia remota Extremæ Unctionis.* 6. & 7. *Non est de necessitate materiæ oleum consueta benedictione benedictum; bene vero benedictum pro infirmis.* 8. *Non licet extra casum necessitatis adhibere oleum antiquum.* 9. *Assignatur etiam materia proxima.* 10. & *seqq. Est probabilius de necessitate Sacramenti, ut unctiones fiant in quinque sensibus; non autem, ut fiant certo ordine; aut in modum crucis.*

5. Dico primo. Materia remota Extremæ Unctionis est oleum olivarum, idque ab Episcopo prius benedictum. Ita Trid. *Sess.* 14. *de Extr. Unct. cap.* 1.

Probatur præterea, & explicatur conclusio. Quod enim sit *oleum*, constat tum *ex cap.* 5. *S. Jacobi num. præced. recitato*, ubi dicitur, unctionem oleo fieri oportere: tum ex Trid. *loc.* immediate *cit.* Quia vero solum oleum, *ex olivis* confectum, proprie, & simpliciter obtinet rationem, usumque olei, hoc solum est materia habilis. Quod porro idem oleum debeat prius esse *benedictum*, ita, ut benedictio sit necessaria non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate materiæ, & Sacramenti, relinquitur ex dictis *part.* 5. *n.* 194. Debetque ea benedictio ordinarie fieri ab Episcopo: quamvis, ex commissione S. Pontificis, etiam fieri possit a Sacerdote simplici: prout iterum relinquitur ex dictis *part.* 5. *n.* 196. Sed hic

6. Quæres primo, an illa specialis benedictio, quam Ecclesia in Pontificali Romano præscripsit ad benedicendum oleum infirmorum, sit de necessitate materiæ, & Sacramenti?

Respondetur negative. Bonacina *disp.* 7. *q. unic. punct.* 2. *n.* 4. Salmanticenses *tr.* 7. *cap.* 2. *punct.* 1. *n.* 7. & alii communiter. Ratio est: quia Concilium Trid. loco supra allegato solam exprimit benedictionem olei ceu necessariam necessitate materiæ, & Sacramenti; de forma autem benedicendi nullam facit mentionem, qualem tamen, cum loquatur dogmatice, omni procul dubio fecisset, si illam judicasset esse præfata ratione necessariam. Atque hinc oleum benedictum alia benedictione, quam illa consueta, esset materia valida Sacramenti, quamvis sic illicite & benediceretur, & adhiberetur, quatenus tam benedicendo, quam adhibendo ageretur contra consuetudinem, & ritum notabilem Ecclesiæ.

7. Quæres secundo, an oleum necessario necessitate materiæ, & Sacramenti debeat esse benedictum in ordine ad Extremam Unctionem conferendam?

Respondetur affirmative. Bonacina ubi supra *num.* 5. Herincx *disp.* 9. *n.* 12. & alii satis communiter. Ratio est: quia licet Christus ejusmodi benedictionem relativam nullibi expresserit, merito tamen creditur eam intendisse, quando hoc Sacramentum adæquate ab aliis Sacramentis diversum, adeoque cum diversa materia, & forma, instituit. Unde graviter delinqueret Parochus, si ad ægrum extreme ungendum uteretur oleo catechumenorum, aut oleo odorifero, seu chrismate: siquidem hæc olea, ob longe diversas ceremonias, & benedictiones, quibus benedicuntur, censeantur specie morali differre ab oleo infirmorum, quod est materia Extremæ Unctionis: veluti notant Laymann *lib.* 5. *tr.* 8. *cap.* 2. *n.* 3. Elbel *de Extr. Unct. n.* 34. & alii passim. Opposita sententia videtur quidem probabilis, sed speculative tantum, non vero practice, eo ipso, quod sit minus tuta, & concernat valorem Sacramenti conferendi. Videatur Cardenas *in* 2. *Crisi dissert.* 2. *n.* 494.

8. Quæres tertio, an ad ægrum extreme ungendum liceat adhibere oleum antiquum, id est, non eodem anno benedictum?

Respondetur, non licere extra casum necessitatis. Illsung *tract.* 6. *disp.* 7. *art.* 1. *num.* 2. Mezger *tract.* 19. *disp.* 50. *art.* 1. *num.* 9. & alii communiter. Ratio est: quia ex præscripto Clementis VIII. & consuetudine Ecclesiæ oleum infirmorum quotannis consecratur, & per singulas Ecclesias distribuitur, utique cum in finem, ut illo anno, quo consecratum est, in administratione Extremæ Unctionis adhibeatur; sicut & adhiberi solet. Quare qui adhiberet oleum antiquum, ageret contra intentionem, & consuetudinem Ecclesiæ: consequenter &c.

Dixi autem: *extra casum necessitatis.* Nam in casu necessitatis, ubi præsto non est, nec commode comparari valet oleum recens, adhiberi poterit antiquum, juxta omnes.

9. Dico secundo. Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio in certis quibusdam corporis partibus. DD. communissime.

Probatur: quia hoc Sacramentum non consistit in re permanente, sed in actione transeunte, sicut Baptismus, & Confirmatio; ergo sicut materia proxima Baptismi est ablutio per aquam, & Confirmationis unctio per chrisma, ita materia proxima hujus Sacramenti est unctio per oleum.

Dixi: *in certis quibusdam corporis partibus*; quæ sunt organa quinque sensuum exteriorum, nempe oculi, aures, nares, os, & manus; ut habet usus universalis Ecclesiæ: cujus etiam congrua ratio redditur; quia quinque hi sensus sunt veluti origines, & radices peccatorum, quorum reliquiæ per Extremam Unctionem absterguntur. Et licet Concilium Florentinum *in Decreto Unionis* etiam meminerit renum, ac pedum inungendorum; harum tamen partium unctiones non sunt de necessitate Sacramenti, cum omittantur in feminis: nec de necessitate præcepti, nisi in illis Ecclesiis, in quibus ex consuetudine observari solent. Laymann ubi supra *n.* 5. Abreu *in Specul. Parochor. lib.* 9. *n.* 347. & alii passim. Sed

10. Quæres primo, an saltem sit de necessitate Sacramenti, ut quinque unctionibus inungantur quinque partes, seu sensus hominis infirmi?

Respondetur affirmative. Ita probabilior sententia, quam tenent Sotus, Henriquez, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Palao *tract.* 26. *disp. unic. punct.* 3. *num.* 6. item Laymann, Abreu, Michel, Babenstuber &c. Ratio est: quia hoc Sacramentum significat perfectam hominis sanationem spiritualem, ad quam causandam institutum est: sed ista perfecta sanatio non repræsentatur adæquate, nisi per quinque unctiones quinque sensuum, qui (ut proxime insinuatum) sunt radices morborum spiritualium; ergo omnes illæ unctiones sunt de necessitate Sacramenti, adeo, ut hoc non valeat, si vel una earum omittatur. Nec obstat praxis Ecclesiæ Græcæ, in qua (teste Arcadio apud P. Mezger *loc. supra cit. num.* 12.) inunguntur aliæ partes corporis, nempe frons, mentum, & ambæ genæ. Siquidem ex tali hac praxi solum inferre licet, Christum non omnia, quæ ad practicam significationem effectus in hoc Sacramento pertinent, determinasse in particulari, sed hanc determinationem reliquisse suæ Ecclesiæ: prout gnaviter advertunt P. Mezger *cit.* & P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 6. *disp.* 7. *art.* 2. *n.* 6.

Interim negari non potest, etiam oppositam sententiam, quæ docet, ad valorem hujus Sacramenti sufficere unam alicujus sensus unctionem (sub una tantum forma verborum exprimente omnes sensus, e. g. hac: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti*) esse saltem speculative probabilem, & in casu necessitatis etiam practice. Laymann ubi supra *cap.* 3. *num.* 3. Babenstuber *loc. & num. cit.* Elbel *num.* 25. aliique quam plurimi. Ratio est: quia Scriptura, & Concilia simpliciter requirunt ad valorem hujus Sacramenti unctionem hominis infirmi; ergo sufficit una unctio (fere sicut in Baptismo una ablutio) ad valorem hujus Sacramenti, nec exigitur quina nisi ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ extra casum necessitatis. Hinc Rituale Passaviense *de Sacram. Extrem. Unct. can.* 11. sic habet: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum, magis ad unctionem expositum, ac detectum &c.* Idem habent & alia quædam Ritualia. Atqui sic ordinare, ac præscribere non possent, si ne probabiliter quidem ad valorem hujus Sacramenti sufficeret unica unctio; prout recte arguit P. Elbel *cit.* ergo &c. Itaque hæc posterior sententia de se, & speculative probabilis est, quamvis extra casum necessitatis non sit probabilis practice; cum sit minus tuta, & concernat valorem Sacramenti conferendi; ut supra *numer.* 7.

in simili notatum. Est tamen probabilis practice pro casu necessitatis; in quo proinde tuta conscientia practicatur. Illud porro certum est, ad valorem Extremæ Unctionis sufficere, si ex sensibus duplicatis unus inungatur, puta unus oculus, una auris &c. quamvis istic inungendi modus, cum adversetur consuetudini Ecclesiæ, non sit usurpandus, nisi quando id postulat necessitas, & periculum in mora est. Laymann ubi supra *cap. 2. n. 5.* Abreu *loc. cit. n. 349.* & alii communiter. Porro si ægrotus careat aliquo membro, v. gr. manibus, quod alias inungendum esset, inungenda est caro proxima: si aliquo sensu careat, v. gr. visu, ungendus est locus, in quo alias naturaliter sensus ille residere solet. Rationem dat Doctor Angelicus apud P. Babenstuber *loc. cit. n. 5.* hisce verbis: *quia quamvis tales non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur saltem in radice; & interius peccare possunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius*, Et hoc quidem certum est, observaturque in praxi.

11. Quæres secundo, an sit de necessitate Sacramenti, ut inter unctiones partium servetur ordo?

Respondetur negative. Ita cum communi aliorum P. Herincx *loc. cit. n. 20.* Ratio est: quia inversio ordinis, inter unctiones ab Ecclesia præscripti, puta, ut prius inungantur oculi, postea aures &c. non impedit significationem Sacramenti; ergo nec valorem. Graviter tamen delinqueret inungens, ordinem illum advertenter, & voluntarie invertendo; quoniam in puncto notabili contraveniret communi praxi, & consuetudini Ecclesiæ. Bonacina, Palao, Reding, quos refert, & sequitur P. Babenstuber *loc. cit. n. 8.*

12. Quæres tertio, an sit de necessitate Sacramenti, ut unctiones partium fiant in modum crucis?

Respondetur itidem negative. Abreu *loc. & n. cit.* Elbel *num.* 40. & alii communissime. Ratio est: quia nec S. Jacobus, nec Concilia, Florentinum, & Tridentinum, licet materiam, & formam Extremæ Unctionis accurate tradant, faciunt aliquam mentionem de cruce efformanda. Nihilominus qui citra casum necessitatis illam efformare negligeret, a culpa, saltem veniali, excusandus non esset; cum in puncto, saltem levi, ageret contra praxim, & consuetudinem Ecclesiæ. Videatur *can. 9. de Consecrat. dist. 5.*

ARTICULUS III.

Expediuntur, quæ concernunt Formam hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

13. *Assignatur Forma Extremæ Unctionis.* 14. *Ostenditur, non omnia ejus verba esse essentialia.* 15. *Essentialiter tamen proferri debet modo deprecatorio.*

13. Dico. Forma Extremæ Unctionis, qua utitur Ecclesia Latina, est: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum* (auditum &c.) *deliquisti, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen.* Ita habetur ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, & Tridentino *Sess. 14. de Extrem. Unct. cap. 1.* Constat præterea ex perpetua traditione Ecclesiæ Latinæ. Estque eadem forma repetenda ad singulas unctiones sensuum; veluti tradit Rituale Romanum *tit. de Sacram. Extr. Unct.* & aperte indicat Florentinum *cit.*

Dixi in conclus. *qua utitur Ecclesia Latina.* Alia quippe forma, quamvis non substantialiter diversa, utitur Ecclesia Græca, quam recitat, & explicat P. Herincx supra *n.* 24. quem vide, si placet. Nobis circa formam, in Ecclesia Latina usitatam, duæ adhuc quæstiones breviter decidendæ sunt.

14. Quæres igitur primo, an omnia verba illius formæ sint essentialia?

Respondetur negative. Non enim essentialia sunt ista: *Et suam piissimam Misericordiam.* Ratio est: tum quia eo ipso, quod Sacerdos dicat: *Indulgeat tibi Deus*, satis orat Divinam Misericordiam, in qua nititur deprecatio: tum quia Catechismus Romanus ea verba omittit; quod satis indicat esse extraessentialia; imo ne quidem cadere sub præceptum: haud tamen omittenda sunt; quia ponuntur in Rituali, ubicunque sunt in usu. Porro si pro verbo *indulgeat*, poneretur verbum *ignoscat*, mutatio formæ non esset nisi accidentalis; sicut etiam si omitteretur ly *Sanctam*, aut invocatio Trinitatis, quæ in fine adhiberi solet. Ratio est: quia, non obstante tali mutatione, aut omissione, adhuc forma retineret significationem, & sensum suum essentialem; ut patet consideranti. Tu vero nihil muta, nihil omitte, si necessitas non urgeat ad perficiendum Sacramentum cum celeritate, inquit P. Abreu ubi supra *n.* 350.

15. Quæres secundo, an forma Extremæ Unctionis necessario necessitate Sacramenti debeat esse deprecativa, seu proferri modo deprecatorio, adeo, ut, si proferretur modo authoritativo, seu indicativo, esset invalida?

Respondetur affirmative. Ita Doctor Seraphicus *in 4. dist. 23. art. 1. qu. 4.* Mastrius *in Theol. Moral. disp. 22. n. 29.* Herincx *part. 4. tr. 4. disp. 9. qu. 3. numer. 25*, & alii satis communiter. Ratio promitur ex verbis S. Jacobi *cap. 5.* ubi postquam expressit materiam Extremæ Unctionis, dicens: *Ungentes cum oleo*, mox subjecit: *Et orent super eum*, Huic deinde orationi tribuit efficaciam istius Sacramenti, inquiens: *Et oratio fidei salvabit infirmum*; ergo hæc oratio fidei obtinet rationem formæ in hoc Sacramento, eo ipso, quod efficia Sacramenti in illam reducatur. Atqui nomen orationis, magis proprie sumptum, significat deprecationem; ergo &c. Accedit congruentia; nam hoc Sacramentum institutum est pro infirmis, qui non possunt vacare laboriosis operibus Pœnitentiæ, sed potius in Misericordia, & Liberalitate Dei, per antefatas preces impetranda, acquiescunt. Nec dicas, quod forma deprecativa non impetret, aut conferat gratiam infallibiliter, prout ad causalitatem Sacramenti requiritur, sed ex libero duntaxat beneplacito Dei, si Hic illam conferre velit. Nam contra est cum Mastrio *cit. n. 30.* neg. assumptum: siquidem non minus hoc Sacramentum, ac cetera, innititur meritis Christi, & producit effectum gratiæ ex opere operato, adeoque infallibiliter, cum & ipsum habeat annexam infallibilem Dei promissionem in ordine ad talem effectum causandum, quando nullus opponitur obex a suscipiente. Solum ergo inter hoc, & alia Sacramenta, discrimen est relate ad causalitatem gratiæ, quod in ipso Deus ad conferendam infallibiliter gratiam non acceptet orationem indicativam, sed deprecativam; in aliis vero non acceptet orationem deprecativam, sed indicativam: id quod pendet ex voluntate Christi, qui, instituendo Sacramenta, talem iis naturam indidit.

Ad exempla quarundam formarum, in aliquibus Ecclesiis antiquitus usitatarum, quæ prima fronte præseferre videntur modum indicativum, respondent Mastrius *n.* 32. & Herincx *n* 26. illas quoque formas facere sensum deprecativum, si verba subsequentia cum antecedentibus combinentur, & sic combinata rite penetrentur. Videbis Authores citatos.

CAPUT II.

De Ministro, Subjecto, & Effectibus Extremæ Unctionis.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

16. *Solus Sacerdos est Minister Extremæ Unctionis.* 17. *Solvitur objectio.* 18. *Quilibet Sacerdos confert hoc Sacramentum valide, non autem licite, nisi vel sit proprius Pastor infirmi, aut a Pastore habeat licentiam, saltem* 19. *præsumptam: alioquin* 20. *graviter peccabit.* 21. *& seq. De obligatione Parochi ad ministrandum hoc Sacramentum, & ritibus ab eo observandis.* 23. *& seq. An Extrema Unctio possit a pluribus Sacerdotibus administrari, & qualiter?*

16. Di-

16. Dico primo. Solus Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.

Probatur. Quia S. Jacobus *cap. 5.* supra relato postulat ad ministrationem hujus Sacramenti Presbyteros, quo nomine soli veniunt Sacerdotes; prout definit Trid. *Sess. 14. de Extrem. Unct. can. 4.* ubi sic habet: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos; sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.* Idem altefata Synodus determinat *loc. cit. cap. 3.* & docet usus, ac praxis Ecclesiæ, quæ solos Sacerdotes admittit ad tale Ministerium.

17. Objicies. Innocentius I. *in Epistola ad Decentium cap. 8.* scribit, *non solum Presbyteris, sed omnibus etiam Christianis licitum esse uti oleo sacro in sua, & suorum necessitate;* ergo non solus Presbyter, seu Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ait Valentia *tom. 4. disp. 8. qu. 2. punct. 1.* Innocentium solummodo velle, quod Christianis quibuscunque liceat uti in morbis oleo sacro ex quadam reverentia, & devotione, citra tamen prolationem formæ Sacramentalis, & intentionem Sacramenti conficiendi: consequenter quin sint Ministri hujus Sacramenti; quod proinde a nemine, præterquam a Sacerdote, ministrari potest. Vel dic cum P. Herincx *loc. cit. n. 27.* Pontificem loqui de usu passivo, & velle, quod omnes possint inungi, scilicet per Presbyteros. Unde postea declarat, Ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, vel Sacerdotem. Et hæc responsio videtur veritati conformior, ac melior præcedente.

18. Dico secundo, Quilibet Sacerdos est Minister hujus Sacramenti (1) valide; non item (2) etiam licite administrandi. Communis.

Probatur prima pars: quia cum hoc Sacramentum non administretur per modum judicii, sed per modum deprecationis, non requiritur in administrante jurisdictio ad ejus valorem, sed satis est potestas Ordinis: atqui quilibet Sacerdos pollet potestate Ordinis; ergo &c.

Probatur secunda pars: quia ad Pastorem spectat gregem suum pascere Sacramentis, cujus officium licite usurpari non potest sine ejus authoritate; ergo non quilibet Sacerdos est Minister hujus Sacramenti licite administrandi, sed solus Pastor, seu Parochus infirmi, vel a Parocho delegatam habens authoritatem, sive licentiam administrandi.

19. Quæres primo, qualis impræsentiarum licentia Parochi requiratur?

Respondetur, non necessario requiri expressam, vel tacitam, sed etiam sufficere rationabiliter præsumptam. Valentia ubi supra, Reding. *tom. 5. qu. 11. art. 5. contr. 1. n. 9.* Babenstuber *loc. cit. art. 4. n. 5.* Ratio est: quia actiones, quæ, non ut valeant, sed solum ut liceant, alterius consensum exposcunt, non indigent alio consensu, quam rationabiliter præsumpto.

20. Quæres secundo, qualiter peccet Sacerdos, si absque omni licentia Parochi, aut proprii Pastoris Sacramentum Extremæ Unctionis administret?

Respondetur, quod peccet mortaliter, si id faciat extra casum necessitatis. Herincx *loc. cit. n. 29.* & alii. Ratio est: quia in puncto gravi, quale est Sacramenti alicujus administratio, usurpat jurisdictionem Parochi, sive Pastoris. Imo si Sacerdos ille sit Religiosus, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. *Clementina 1. de Privilegiis* §. 1. Quæ tamen Constitutio loquitur solum de Extrema Unctione administrata infirmo Parochiano, sive Clerico, sive Laico. Unde si Religiosus quispiam sine debita licentia ministraret hoc Sacramentum alicui alteri Religioso, licet graviter delinqueret, quatenus involaret in jurisdictionem proprii Pastoris, seu Superioris Regularis; non tamen incurreret censuram: siquidem prædicta Constitutio determinate, & specialiter in favorem Parochorum emanavit, Herincx *loc. & n. cit.*

Dixi autem in respons. *si id faciat extra casum necessitatis.* Nam in casu necessitatis, ut si Parochus aut non possit, aut non velit Sacramentum hoc administrare, vel ad id alteri licentiam concedere, potest illud quilibet Sacerdos, etiam simplex, administrare, imo ex Charitate tenetur, si possit sine suo gravi incommodo; esto infirmus jam sit confessus, & Sacra Synaxi refectus. Quod a fortiori verum est, si hæc Sacramenta recipere non potuit; quia fieri potest, ut per receptionem Extremæ Unctionis ex attrito evadat contritus. Ratio istius exceptionis, & limitationis est: quia tunc Superior talis Parochi, aut Pastoris, saltem S. Pontifex, censetur concedere facultatem administrandi; cum non sit præsumendum, Ecclesiam velle, ut quisquam infirmus tam utili mentis, & corporis remedio, imo forte tunc necessario salutis præsidio, destituatur ob iniquitatem Parochi, aut Pastoris sui immediati. Reding *loc. cit. n. 10.* Abreu *n. 259.* Herincx *n. 30.* Babenstuber *n. 6.* Elbel *n. 43.* & alii communiter. Neque tali casu Sacerdos, licet sit Religiosus, & inungat infirmum Parochianum, seu alicui Parocho subditum, metuere habet censuram, utpote quæ necessario præsupponit culpam, qualis hic non intervenit.

21. Quæres tertio, an Parochus teneatur suis subditis hoc Sacramentum administrare?

Respondetur primo. Tenetur administrare extra tempus pestis, & quidem sub mortali, saltem quando infirmus, vel alii ejus nomine petunt, Navarrus *in Manual. cap. 24. n. 131.* Laymann ubi supra *cap. 7. num. 3.* Mastrius *loc. cit. n. 90.* & alii communiter. Ratio est: quia Parochi (idem cogita de aliis Pastoribus animarum) ex Justitia tenentur suis subditis ministrare media, non solum ad eorum salutem necessaria, sed etiam valde utilia: atqui inter media valde utilia computatur vel maxime Extrema Unctio; ergo &c. Confirmatur ex Catechismo Romano, *qui de Extr. Unct. n. 9.* asserit, *gravissime peccare Pastores, seu Parochos, qui non modo istud Sacramentum ministrare negligunt, sed etiam opportuno tempore, quando infirmus est sui compos, illud non administrant.*

Respondetur secundo. Parochus tempore pestis non tenetur hoc Sacramentum administrare, regulariter, & per se loquendo. Herincx *loc. cit. num. 31.* Abreu *num. 363.* Mastrius *numer. 92.* & alii communiter contra paucos. Ratio est: quia hoc Sacramentum non est medium necessarium ad salutem, ne quidem necessitate præcepti; prout videbimus infra *n. 31.* ergo non apparet, cur Parochus illud conferre teneatur cum periculo propriæ vitæ, quale in casu subit tempore pestis. Accedit, quod facile contingeret, ut, si Parochus peste corriperetur, alius non posset continuo haberi, qui ipsius loco pestiferis succurreret in necessariis ad salutem.

Dixi autem: *regulariter, & per se loquendo.* Excipitur enim casus, quo infirmus aliis Sacramentis muniri non posset, & crederetur versari in statu disgratiæ: tunc quippe Parochus ex Charitate, & Justitia, alius autem Sacerdos ex Charitate tantum, teneretur cum periculo propriæ vitæ Sacramentum istud administrare infirmo, ne hic exponeretur periculo æternæ damnationis. Ratio hujus exceptionis est: quia periculum æternæ damnationis, quod tunc subire ponitur infirmus, præponderat periculo vitæ corporalis, cui Parochus, vel alius Sacerdos objicitur. Herincx, & Abreu *cit.* aliique communiter.

22. Quæres quarto, quænam ceremoniæ, seu ritus in administratione Extremæ Unctionis sint observandi, & sub quanta obligatione?

Respondetur, esse observandos ritus, & persolvendas preces, ab Ecclesia præscriptas, & in Ritualibus Diœcesanis contentas; idque sub gravi obligatione, adeo, ut illos, vel istas absque gravi necessitate (puta absque periculo non absolvendi unctiones) omittens, mortaliter peccet, veluti docent Bonacina *disp. 7. quæst. unic. punct. ult. num. 7.* Palao *tr. 26. punct. 8. n. 13.* Michel *fol. 608. nu. 7.* Elbel *n. 46.* & alii communiter. Ratio est: quia libere, & citra causam necessitatis illiusmodi ritus, & preces omittens violat in re gravi præceptum Ecclesiæ, quale extat in Trid. *Sess. 7. de Sacram. in gen. can. 13.* Quod tamen intelligendum non venit de Psalmis Pœnitentialibus, & Litaniis, per adstantes, dum infirmus a Sacerdote inungitur, recitandis: eorum quippe recitatio non cadit sub præceptum, sed solum sub consilium; adeoque sine peccato intermitti potest, etiam extra casum necessitatis: quamvis, si peragatur, laudabiliter fiat. Abreu *n. 376.* Michel *fol. & n. cit.* aliique passim,

23. Dico tertio. Ut hoc Sacramentum (1) licite conferatur, debet conferri, regulariter loquendo, per unum Miniſtrum: quamvis (2) poſſit conferri valide a pluribus, ſi unus aliquam, vel aliquas unctiones efficiat, & formas eis correſpondentes proferat, & alius alias eodem modo perficiat. Boſco *part. 4. diſp. 9. ſect. 3. n. 59.* Herincx *a n. 32.* Panger *lib. 4. diſp. unic. de Extrem. Unct. n. 27.* Elbel *n. 47.*

Probatur prima pars: quia non eſt licitum in collatione Sacramentorum recedere a conſuetudine Eccleſiæ, prout decantatum eſt, & habetur in Trid. *loc. proxime cit.* conſuetudo autem Eccleſiæ fert, ut Extrema Unctio ab uno Miniſtro conferatur, non a pluribus; ergo &c.

Dixi autem in concluſ. *regulariter loquendo*. Licite enim a pluribus conferretur 1. ſi poſt unam, vel alteram unctionem, cum ſua forma peractam, Miniſter interiret, aut non poſſet ulterius progredi: hoc quippe caſu alius Sacerdos ob integritatem Sacramenti reliquas unctiones ſupplere poſſet, ac deberet. 2. ſi periculum eſſet, ne infirmos moreretur, antequam omnes unctiones per unum Miniſtrum abſolutæ eſſent; poſſet enim tunc unus Sacerdos unum ſenſum ungere, & alius alium diverſæ rationis. Quamvis in iſto caſu poſteriore conſultius ſit, ut unus, idemque Sacerdos citius inungat ſingulos ſenſus adhibendo hanc formam: *Per iſtas ſanctas unctiones indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum &c. deliquiſti &c.* Maſtrius ubi ſupra *n. 89.* Gobat *in Theol. Experim. tr. 8. num. 877.* & alii paſſim, quos vide.

Probatur nunc etiam ſecunda pars. Quælibet unctio cum forma ſibi correſpondente apta eſt conſtituere Sacramentum totale Extremæ Unctionis, ſi conjungatur cum aliis unctionibus, cui ſuæ quoque formæ correſpondeant, & applicentur; ergo non apparet, cur hoc Sacramentum non poſſit valide conferri a pluribus, quorum unus aliquam, vel aliquas unctiones efficiat, & formas eis correſpondentes proferat, & alius alias eodem modo perficiat.

Confirmatur efficaciter a pari. Si Sacerdos, qui in celebratione Sacrificii Miſſæ conſecravit Hoſtiam, deficiat, & inhabilis reddatur ad conſecrandum vinum, poteſt alius poſtea conſecrare ſolum vinum; imo valide poſſet unus conſecrare Hoſtiam, & alter vinum eodem tempore, & ſimul, modo quilibet formam correſpondentem proferret; ergo idem ſentiendum in confectione, & collatione Extremæ Unctionis; ergo ſicut Sacramentum Euchariſtiæ poteſt valide confici a pluribus Sacerdotibus, idque vel ſucceſſive, vel ſimul; ita & Sacramentum Extremæ Unctionis. Neque hic obviat, aut excogitari poteſt aliqua diſparitas inter confectionem unius, & alterius Sacramenti ex præfatis. Sed

24. Quæres, an hoc Sacramentum etiam valide confici poſſit a pluribus Sacerdotibus, quando unus eorum perficit unctiones, & alter profert formas correſpondentes?

Reſpondetur negative. Maſtrius ubi ſupra *num. 87.* Panger *loc. & n. cit.* & alii paſſim. Sumitur ex verbis Jacobi Apoſtoli *cap. 5.* ibi: *Ungentes eum oleo, & orent ſuper eum:* quibus aperte indicatur, Sacerdotem illum, qui ungit, etiam debere formam proferre. Confirmatur. Baptiſmus confici, & conferri non poteſt a duobus, vel pluribus, quorum unus abluat baptizandum, & alter proferat formam; ergo neque Extrema Unctio &c. Revide, quæ diximus *part. præced. n. 129.*

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Subjectum hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

25. & 26. *Quinam poſſint, vel non poſſint Extremam Unctionem ſuſcipere?* 27. & 28. *Inungi poteſt infirmus, laborans quacunque infirmitate, inducente ſaltem probabile periculum mortis.* 29. *B. Virgo hoc Sacramentum non recepit.* 30. *An, & quando Extrema Unctio iterari poſſit?* 31. *Nulla eſt obligatio eam recipiendi, per ſe loquendo.*

25. Dico primo. Infantes, & pueri ante uſum rationis non ſunt capaces hujus Sacramenti; quod proinde non ſolum illicite, ſed etiam invalide illis conferretur. Ita communiſſima DD.

Probatur: ſiquidem Extrema Unctio eſt Sacramentum conſummativum pœnitentiæ, & vitæ Chriſtianæ; ut docet Trid. *Seſſ. 14. in doctrina de Sacram. Extr. Unction. ante cap. 1.* ſed infantes, & pueri ante uſum rationis non ſunt capaces pœnitentiæ, nec actualis vitæ Chriſtianæ per proprios ejus actus; ergo &c.

Confirmatur. Reſpectu infantium non poteſt verificari forma Extremæ Unctionis; ergo non ſunt capaces hujus Sacramenti. Conſ. fluit. Ant. probatur, & declaratur: quia cum infantes, & pueri ante uſum rationis non potuerint peccare, non poteſt ad quempiam eorum cum veritate, & efficacia dici: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum &c.* ut patet; ergo &c.

26. Dico ſecundo quaſi illative. Solus homo baptizatus, viator, uſum rationis adeptus, ex morbo vita periclitans, qui aliquando perſonaliter peccavit, & habet intentionem ſuſcipiendi, eſt ſubjectum capax hujus Sacramenti; adeo, ut, ſi vel unica iſtarum conditionum deficiat, etiam valor Sacramenti, eidem collati, corruat, & deficiat. Ita Scotus *in 4. diſt. 23. quæſt. unic.* aliique DD. communiter, innixi Conciliis, Florentino, & Tridentino, praxique Eccleſiæ.

Probatur præterea explicando ſingulas concluſionis particulas. Dicitur 1. *homo baptizatus:* quia Baptiſmus eſt janua cæterorum Sacramentorum, adeo, ut hæc, niſi ille præceſſerit, invalide recipiantur; veluti conſtat ex alibi dictis. Unde ſi Sacerdos Extremam Unctionem impenderet catechumeno, pericoloſe decumbenti, nulliter ageret ob defectum Baptiſmi, in ſubjecto, ſeu ſuſcipiente, exiſtentem.

Dicitur 2. *Viator:* quia Sacramenta inſtituta ſunt pro ſolis hominibus viatoribus, id eſt, conſtitutis adhuc in via, & vita iſta: prout itidem conſtat ex alibi dictis.

Dicitur 3. *uſum rationis adeptus;* id eſt, qui vel actu habet, vel aliquando habuit uſum rationis. Unde hoc Sacramentum invalide impenderetur infantibus, & pueris, uſum rationis nondum adeptis (ſecundum dicta *n. præced.*) ſicut & perpetuo amentibus, qui uſum rationis nec habuerunt, nec habent; & ideo infantibus æquiparantur. Valide e diverſo impertitur idem Sacramentum amentibus non perpetuis, modo, dum ſanæ mentis erant, petierint, aut ſaltem Chriſtiane vixerint: uti & pueris, rationis uſum jam aſſecutis.

Dicitur 4. *ex morbo vita periclitans.* Nam qui vita periclitantur aliunde, non ſunt capaces Extremæ Unctionis, utpote cujus materia remota eſt oleum infirmorum: unde hoc Sacramento muniri non ſolent, nec poſſunt milites, prælium commiſſuri; malefactores, extremo ſupplicio mulctandi; mulieres parituræ &c. quia tales non ſunt infirmi, ſeu ex morbo vita periclitantes. Poteſt tamen extreme inungi, qui ſola ſenectute laborat, etſi videatur aliam infirmitatem non habere, quando Medicus ita judicaverit, vel in ejus abſentia ipſe Parochus, aut alius Vir prudens: quia ſenectus ipſa morbus eſt ad mortem diſponens. Abreu ubi ſupra *n. 366.* La Croix *lib. 6. part. 2. num. 2108.* & alii. Sic inunctam recordor Gratioſam quandam Dominam, octoginta annos habentem, quæ, recepto hoc Sacramento, in menſa, ad quam Parochum invitavit, una accubuit, comedit, & bibit adinſtar ſanæ; at poſt ſeptem circiter dies, ſenio confecta, pie in Domino obdormivit, quin alia infirmitas, mortis illativa, accederet.

Dicitur 5. *qui aliquando perſonaliter peccavit.* Nam Sacramentum Extremæ Unctionis inſtitutum eſt per modum medicinæ ſpiritualis, ad quam ſupponatur morbus, & infirmitas peccati, nempe perſonalis; veluti tradit D. Th. *in Supplem. 3. part. q. 30. art. 1.* & alii paſſim. Unde ſicut hæc ſacra, & medicinalis Unctio adhiberi non poteſt, niſi infirmis in corpore, ita nec adhiberi poteſt, niſi infirmis in anima per peccata perſonalia, & horum reliquias. Quod ſi infirmus quiſpiam præſumeretur aliquando peccaſſe perſonaliter, reipſa autem nunquam ſic peccaſſet, licite quidem inungeretur ob illam præſumptionem, cognitione veritatis oppoſitæ non eliſam; haud tamen valide, ob defectum peccati perſonalis reapſe commiſſi.

Dicitur 6. *& habet intentionem ſuſcipiendi.* Siquidem

dem ad validam susceptionem cujuslibet Sacramenti requiritur in adultis intentio positiva illud suscipiendi, saltem habitualis (secundum dicta *part. praeced. n.* 34. & 36.) qualem omnino habere censendus est in hoc rerum articulo etiam ille, qui vitam vixit Christiano Catholicam. Et hæc quidem inter DD. fere communia sunt. Sed ut adhuc amplius illustrentur, juvat nonnullas quæstiones subjicere.

27. Quæres igitur primo, an morbus, quo extreme ungendus laborare debet, originem traxisse debuerit ex humorum intemperie, ut hydropisis, febris &c. vel sufficiat etiam, si aliunde ortus sit?

Respondetur, hoc posterius omnino sufficere. Ratio est: quia tam S. Jacobus supra, quam Concilia utuntur generali vocabulo *infirmi*, voluntque, hoc Sacramentum esse conferendum infirmo, nulla adhibita distinctione inter unam, & alteram infirmitatem, ex hac, vel illa radice profectam. Unde si miles v. grat. periculosum contraxerit morbum ex vulnere, mulier ex partu &c. omnino inungendi sunt. Ita P. Babenstuber ubi supra *art.* 4. *n.* 5. & alii communiter.

28. Quæres secundo, an ad impertiendam Infirmo Extremam Unctionem sufficiat periculum mortis solum probabile?

Respondetur affirmative. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 23. *q. unic.* Mastrius *loc. cit. n.* 73. Panger *n.* 48. & alii contra Augustinum Michel, & alios, volentes, periculum probabile mortis sufficere quidem ad Extremam Unctionem licite, non autem valide, impertiendam. Sumitur responsio nostra 1. ex Conciliis, Florentino, & Tridentino, *citt.* quæ tradunt, quod hoc Sacramentum dari non debeat, nisi infirmo; *de cujus morte timetur* (ut loquitur Florentinum) & qui in exitu vitæ constitutus *videatur* (ut loquitur Tridentinum) quæ verba solum denotant probabile periculum mortis. Sumitur 2. ex Catechismo Romano, qui *de Extr. Unct. num.* 9. ait, gravissime peccare Parochus, & Pastores, qui hoc Sacramentum non administrant, donec adveniat tempus, in quo ægrotus, omni jam sanitatis spe amissa, vita, & sensibus carere incipit. Sumitur 3. ex ratione: quia cum hoc Sacramentum secundario institutum sit ad sanitatem corpori conferendam, siquis data opera expectaret ultimum tempus salutis omnino desperatæ, sive periculum certum, ac inevitabile mortis, videretur miraculum postulare, Deumque quodammodo tentare. Accedit, quod ad percipiendam uberiorem Sacramenti gratiam plurimum conducat, si infirmus sacro Oleo ungatur, cum in ipso adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, ac religiosam voluntatem exercere potest. Quapropter non est credibile, Christum Sacramentum istud instituisse ea intentione, ut solum administretur infirmis, in certo mortis periculo versantibus.

29. Quæres tertio, an B. Virgo receperit Sacramentum Extremæ Unctionis?

Respondetur negative. Ita Doctor Seraphicus *in* 4. *dist.* 23. *art.* 2. *q.* 3. Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 23. *quest. unic.* Hicqueus, Mastrius, Vasquez, & universim omnes illi, qui in suscipiente hoc Sacramentum requirunt præsuppositionem peccati personalis aliquando commissi. Ratio fluit ex jam dictis: quia Sacramentum istud est institutum per modum medicinæ spiritualis, supponentis morbum, & vulnus peccati, nempe personalis; ergo non est institutum pro subjecto, in quo nullum unquam extitit simile peccatum: atqui in B. Virgine sicut non extitit unquam peccatum originale, ita nec personale; ergo &c. Confirmatur primo itidem ex dictis; nam circa B. Virginem non potuit verificari forma Extremæ Unctionis: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti &c.* cum Ipsa nihil unquam deliquerit: & consequenter nihil in Ea fuerit reperiundum, quod indulgeretur; ergo &c. Confirmatur secundo. Sacramentum Extremæ Unctionis est completivum, & consummativum Sacramenti Pœnitentiæ; prout *n.* 25. advertimus ex Trid. ergo supponit subjectum capax Sacramenti Pœnitentiæ: atqui B. Virgo, cum nullum unquam fecerit peccatum, non fuit subjectum capax Sacramenti Pœnitentiæ, veluti fatentur DD. universi; ergo &c.

Dices. Licet B. Virgo non contraxerit peccatum originale, fuit nihilominus subjectum capax Baptismi, eumque actu, & reipsa suscepit; ut ita confessi sunt apud omnes; ergo similiter licet nunquam peccato personali se coinquinaverit, nihilominus fuit subjectum capax Extremæ Unctionis, eamque actu, & reipsa suscepisse dicenda est.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conseq. & parit. Disparitas est: quia Baptismus non solum institutus est in remedium peccati originalis, sed etiam ut janua, per quam homo ingrediatur in Ecclesiam, & reddatur capax recipiendi reliqua Sacramenta, pro ingressis in Ecclesiam, non vero pro aliis, instituta: veluti cum ceteris Theologis luculenter tradit Doctor Angelicus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *artic.* 1. *quæstiunc.* 3. his verbis: *Sanctificatus in utero debet baptizari propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda Divina Sacramenta.* E diverso Extrema Unctio non est instituta tanquam janua in Ecclesiam, & ad alia Sacramenta recipienda, sed ut remedium, & medicina spiritualis, supponens morbum, & vulnus peccati, quale tamen B. Virgo nullum unquam commisit: consequenter &c.

30. Quæres quarto, an Sacramentum Extremæ Unctionis iterari possit?

Respondetur, posse iterari non solum in variis infirmitatibus, sed etiam in eadem, si status infirmitatis ita varietur, ut pluries vitæ periculum immineat. Ratio est: quia subjectum hujus Sacramenti est homo infirmus, in vitæ periculo constitutus; ergo sicut qui ex diversis infirmitatibus pluries in tale periculum incidit, pluries inungi potest, ita qui, eadem infirmitate laborans, pluries in id periculum incidit; siquidem infirmitas, quæ ita variatur, ut infirmus jam videatur convalescere, & jam iterum in periculo esse, moraliter æquivalet diversis infirmitatibus. Confirmatur, & declaratur; nam istud Sacramentum non respicit tantum infirmitatem, simpliciter, & absolute spectatam, sed etiam infirmitatis statum; ergo si hic varietur, ut infirmus, qui videbatur restitutus, & extra mortis periculum positus, censeatur reincidisse in simile, & novum periculum (quamvis intra modicum temporis spatium) iterum, seu de novo inungi potest. Salmanticenses *tr.* 7. *cap.* 4. *pun.* 1. *n.* 9. aliique communiter, & constat ex praxi Ecclesiæ.

31. Quæres quinto, an infirmus sit obligatus ad hoc Sacramentum recipiendum?

Respondetur, non esse obligatum per se loquendo. Ratio est: quia nullum extat præceptum, sive Divinum, sive Humanum, quo infirmus illud recipere jubeatur. Dixi autem: *per se loquendo*, id est, vi præcepti alicujus, quo illius receptio directe imponatur. Nam per accidens venialiter peccare infirmum volunt Authores mox infra nominandi, quando is, commodam recipiendi occasionem habens, tamen recipere negligit; quia sic, ceu quodammodo incurius, vel certe minus solicitus de sua salute, videtur (inquiunt) venialiter peccare contra charitatem erga seipsum: quod peccatum supponit obligationem levem in infirmo, non ex præcepto aliquo positivo directe ortam, sed ex præcepto naturali charitatis erga seipsum. Imo (quod magis certum est) etiam mortaliter peccaret infirmus, si omitteret Extremam Unctionem ex contemptu, vel cum gravi scandalo; vel ubi (mortali gravatus) aliud Sacramentum suscipere non posset, essetque dubius de sua contritione &c. Laymann *lib.* 5. *tr.* 8. *cap.* 7. *num.* 1. & 2. Abreu ubi supra *num.* 369. Babenstuber *loc. cit. art.* 1. *num.* 4. Elbel *num.* 51. & *seq.* aliique passim. Sed

Dices. Ergo Parochus non tenetur sub mortali Extremam Unctionem administrare parochiano infirmo etiam petenti, contra id, quod tradidimus supra *numer.* 21.

Respondetur, neg. illatum. Nam Parochus vi sui officii pastoralis, & ex Justitia tenetur suis parochianis succurrere per remedia non solum necessaria, sed etiam valde utilia ad salutem, quale vel maxime est Extrema Unctio: prout *n. cit.* animadversum.

Instabis. Saltem infirmarius, seu curam infirmi gerens, non peccabit mortaliter, etiamsi ei Extremam Unctionem procurare intermittat.

Respondetur, con. assumptum: modo absit contemptus, vel grave scandalum, vel casus extraordinarius necessitatis, ubi nempe infirmus, hujus Sacramenti capax, aliud ante vitæ suæ finem non posset suscipere.

re. Ratio est; quia infirmarius non ex Justitia, ut Parochus, sed ad summum ex charitate erga infirmum, tenetur isti dictum Sacramentum procurare; ergo sicut infirmus ipse in casu posito non tenetur sub mortali, ne quidem ex charitate erga seipsum, ejusdem Sacramenti administrationem petere, aut admittere, ita neque infirmarius sub mortali procurare tenebitur; cum obligatio charitatis erga seipsum strictior sit, ac erga alterum.

ARTICULUS III.

Expediuntur, quæ concernunt Effectus hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

32. *Sacramentum Extremæ Unctionis confert ex opere operato gratiam sanctificantem; uti & 33. Auxilia proportionata ad roborandam animam infirmi. 34. Abstergit præterea peccatorum reliquias. 35. Dicta auxilia non sunt semper efficacia. 36. Idem Sacramentum per se remittit venialia, & per accidens mortalia. 37. Solvitur objectio. 38. Remittit etiam pœnas temporales. 39. Solvitur objectio. 40. Confert tandem quandoque sanitatem corporalem.*

32. Dico primo, Sacramentum Extremæ Unctionis confert gratiam sanctificantem ex opere operato, sicut reliqua Sacramenta novæ Legis. Patet ex dictis *in part. praced. num.* 47. ubi tradidimus proprium esse omnium Sacramentorum novæ Legis, hanc gratiam conferre ex opere operato.

33. Dico secundo. Hoc Sacramentum cum gratia sanctificante confert, itidem ex opere operato, auxilia proportionata ad roborandam animam infirmi in ultimo vitæ agone. Concil. Trid. *Sess.* 14. *in doctrina de Sacram. Extr. Unct. ante c.* 1. itemque *in cap.* 2. Ex quo

Probatur, & declaratur conclusio; nam Sacramenta a Christo instituta sunt tanquam remedia, quibus homines toto vitæ tempore muniri possint ad superandas hujus vitæ difficultates; ergo sicut reliqua sex Sacramenta suppeditant auxilia, quibus se homines integros ab omni graviore spiritus incommodo conservare possint, dum sani sunt; ita hoc Sacramentum institutum est pro infirmis, tanquam præsidium opportunum, ad subveniendum in articulo mortis eorum necessitatibus, præsertim, quæ tunc occurrere solent, videlicet ad erigendam spem, quæ ex memoria peccatorum languescit, ad animam roborandam contra dolores, ut eos patienter ferat, ac denique ad fortiter, ac fructuose resistendum dæmoni tunc maxime tentanti, & insidianti. Ex his modo dictis

34. Colliges primo, hoc Sacramento abstergi peccatorum reliquias. Ita Trid. ubi supra *cap.* 2. Ratio est: quia per reliquias peccatorum (juxta D. Thomam, & communiorem Theologorum apud P. Panger *lib.* 4. *disp. unic. de Extr. Unct. n.* 55.) intelligitur debilitas animi, anxietas, ac metus futurorum ex peccatis præteritis, & recordatione eorum, qui tales affectus eo magis hominem vexant, quo propius ad exitum ex hac vita devolvitur; maxime tamen invalescunt circa mortis articulum, & finalem perseverantiam, æternamque salutem in discrimen adducunt, dæmone tum gravius, & gravius, ac unquam, insidiante: ad medendum autem his talibus reliquiis institutum est Sacramentum Extremæ Unctionis; prout constat ex Trident. *cit.* & probat. conclusionis; ergo &c. Porro reliquiis peccatorum alii Authores merito accensent pœnas temporales, adhuc pro peccatis, quoad culpam remissis, debitas.

35. Colliges secundo, prænominata auxilia, licet ex opere operato, & infallibiliter una cum gratia sanctificante per hoc Sacramentum conferantur suscipienti, non ponenti obicem; haud tamen semper esse efficacia. Ratio patet: quia alias nemo digne recipiens sacram Unctionem damnaretur, quod est contra omnium sensum, & authenticas Historias, ex quibus constat, multos, post digne receptam Unctionem Extremam a maligno tentatore victos, succubuisse, & æternum periisse. Sunt tamen eadem auxilia certo sufficientia, & majora, quam acciperet homo infirmus, si Sacramenti hujus receptione supersedêret. Porro hæc auxilia cessant, ubi infirmus, morbo depulso, ad sanitatem redit: quia secundum dicta superius ex Trid. solum conceduntur ob periculum mortis, & gravem necessitatem tunc occurentem; pro reliquo autem vitæ decursu cæterorum Sacramentorum auxilia sunt destinata. Suarez *disp.* 41. *sect.* 1. *n.* 24. Michel *fol.* 611. *n.* 10. & alii passim.

36. Dico tertio, Hoc Sacramentum etiam confert per se, & ex opere operato (1) remissionem peccatorum venialium, adeo, ut ista remissio sit effectus specificus primarius Extremæ Unctionis non minus, ac collatio auxiliorum, de qua *in conclus. praced.* & per accidens tantum (2) remissionem peccatorum mortalium. Ita Doctor Seraphicus *in* 4. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 1. Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 23. *q. unic.* & Scotistæ communiter, quibuscum faciunt etiam alii quam plurimi.

Probatur prima pars: quia ille vel maxime dicendus est effectus per se, & primarius Sacramenti, qui per ejus formam significatur explicite; atqui per formam hujus Sacramenti explicite significatur remissio peccatorum: *Indulgeat tibi Deus, quidquid per visum &c. deliquisti*; ergo remissio peccatorum est effectus per se, & primarius hujus Sacramenti. Sed hoc verificari non potest de remissione peccatorum mortalium, ut mox patebit; ergo de remissione peccatorum venialium duntaxat accipiendum, & asserendum venit.

Probatur secunda pars, Sacramentum Extremæ Unctionis est unum de Sacramentis *vivorum*; ergo per se loquendo supponit gratiam primam in subjecto recipiente; ergo remissionem peccatorum mortalium non confert per se, sed per accident tantum; sicut de aliis Sacramentis vivorum docuimus *part.* 5. *num.* 37. & 65. Unde licet forma hujus Sacramenti sonet indefinite, & a multis accipiatur etiam de remissione mortalium, quasi & hæc per se remittat; rectius tamen ab aliis restringitur ad solam remissionem venialium significandam, tanquam effectum per se talem: idque ex subjecta materia; quatenus eadem forma concernit unum ex Sacramentis vivorum, quæ (ut dictum) per se loquendo gratiam primam supponunt; adeoque non per se, sed per accidens tantum conferunt remissionem mortalium.

Confirmatur utraque pars simul aperta authoritate Catechismi Romani *part.* 2. *c.* 6. §. 14. ubi ait: *Docebunt igitur Pastores, hoc Sacramento* (Extremæ Unctionis) *gratiam tribui, qua peccata, & in primis quidem leviora, &, ut communi nomine appellantur, venialia remittit: exitiales enim culpæ Pœnitentiæ Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est; sed Baptismus tantum, & Pœnitentia vi sua hoc efficiunt.* Ergo Sacramentum Extremæ Unctionis per se remittit venialia, utpote ad quorum remissionem primario institutum est, & mortalia per accidens tantum, quippe ad quorum remissionem non est ita institutum.

37. Objicies contra primam partem. Si hoc Sacramentum per se, & ex opere operato conferret remissionem venialium, id utique præstaret per gratiam sanctificantem, quam in suscipiente causat: sed hoc dici non potest; ergo &c. Min. prob. Quia gratia sanctificans non opponitur peccatis venialibus; ergo per eam hæc non destruuntur, seu remittuntur: consequenter &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Ad probat. dist. ant. Gratia sanctificans, secundum se, & absolute spectata, con. connotative, sive respective accepta, neg. ant. & cons. de gratia posteriore modo sumpta. Gratia sanctificans per hoc Sacramentum a Deo confertur eo speciali affectu, qui sit condonativus peccatorum venialium residuorum; prout gnaviter advertit Augustinus Michel *fol.* 610. *n.* 4. & colligitur ex hucusque dictis. Unde licet secundum se spectata non opponatur peccatis venialibus; opponitur tamen iis, sumpta cum connotatione prædicti affectus, quo in hoc Sacramento confertur: consequenter ut sic illa destruit, seu remittit.

38. Dico quarto. Confert etiam hoc Sacramentum ex opere quidem operato, sed veluti consequenter, & secundario, remissionem pœnarum temporalium, adhuc pro peccatis, quoad culpam remissis, debitarum. DD. communiter.

Proba-

Probatur: siquidem hoc Sacramentum abstergit peccatorum reliquias; prout dictum *n.* 34. & traditur a Tridentino *Seff.* 14. *capit.* 2. inter tales autem reliquias numerantur memoratæ pœnæ temporales; prout iisdem dictum *cit. n.* 34. ergo idem Sacramentum abstergit, ac remittit & istas; haud quidem omnes (cum alioquin vix ullus, qui hoc Sacramento debite suscepto statim moreretur, haberet, quod lueret in purgatorio) sed secundum eam mensuram, quam determinavit Christi institutio dependenter a majori, vel minori dispositione suscipientis: prout cum communi notat Laymann *lib.* 5. *tr.* 8. *cap.* 5. *n.* 2. Quod autem remissio hæc, quanta quanta est, conferatur ex opere operato, licet dicat habitudinem dependentiæ ad dispositionem suscipientis, relinquitur ex dictis *part. præced. n.* 61.

39. Objicies contra conclus. Abstergere reliquias peccatorum est effectus primarius Extremæ Unctionis; ergo etiam remissio pœnarum; cum hæ reliquiis pœnarum annumerentur.

Respondetur, neg. ant. Sed effectus primarius genericus est gratia sanctificans, secundum se spectata: primarius specificus sunt tum auxilia actualia (vel jus ad illa) ex dictis *num.* 33. tum remissio peccatorum venialium, ex dictis *n.* 36. Nec refert, si inferas. Ergo hoc Sacramentum habet geminum effectum specificum primarium. Ajo enim, verum esse illatum, prout hucusque dicta ostendunt; nihilque absurdi continere.

40. Dico tandem quinto, Inter effectus hujus Sacramenti numeratur etiam sanitas corporis.

Probatur tum ex S. Jacobo Apostolo, qui *loc. supra cit.* ait: *Oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus.* Tum ex Concilio Florentino, quod in Decreto Unionis dicit: *Effectus hujus Sacramenti est mentis sanatio, &, in quantum expedit, ipsius etiam corporis.* Tum ex Concilio Tridentino, quod *Seff.* 14. *cap.* 2. inquit: *Et* (infirmus) *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Unde patet, hunc effectum non tantum esse secundarium, sed insuper promissionem ejus non esse connexam Extremæ Unctioni, nisi sub præfata conditione; qui proinde non dabitur infallibiliter, nisi quando fuerit talis conditio, juxta ordinem Divinæ providentiæ, & præscientiæ.

C A P U T III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

S U M M A R I U M.

41. *Benignus Parochus, prævidens, oleum infirmorum, pro anno currente benedictum, non suffecturum, poterit (& debebit) miscere oleum non benedictum (in minori tamen quantitate) quando nec oleum novum ab alio Parocho comparare valet, nec antiquum residuum habet.* 42. *Bonitius Parochus nulliter inunxit, dum in forma loco* deliquisti *dixit* dereliquisti. 43. *Bernardo, puero septenni, Sacramenti Pœnitentiæ, non autem Eucharistiæ capaci, administranda erat in infirmitate Extrema Unctio.*

C A S U S I.

41. *Benignus, certi cujusdam, & populosi Oppidi Parochus, multos in suo parochiali territorio numerat infirmos, calida febri periculose laborantes: utque suis ipse partibus non desit, singulos, antea confessos, S. Viatico, & Extrema Unctione munit. At quoniam infirmorum copia de die in diem crescit, oleum sacrum, quod pro impertiendo intra anni illius decursum Extremæ Unctionis Sacramento acceperat, paulatim incipit ita minui, ut credatur non suffecturum ad inungendos Parochianos ceteros, eadem (ut merito timet) lue, aliove morbo, antequam recipiat novum oleum, corripiendos. Quid agendum Benigno?*

Respondetur. Si Benignus oleum pro anno currente benedictum comparare aliunde, v. gr. ab alio Parocho non valeat, uti poterit oleo anni præteriti, siquod forte residuum habeat, ex dictis *n.* 8. Si & hoc deficiat (eo quod, ut fieri amat, una cum chrismate anni elapsi combustum sit) poterit (& debebit) oleo benedicto anni currentis, adhuc superstiti, affundere, & miscere oleum non benedictum, dummodo istud sit in minori quantitate, ac illud. Ita Abreu *loc. cit. n.* 370. Herincx *n.* 16. & alii passim. Habetur expresse in Rituali Romano, quod *Tit. de Sacram. Extr. Unct.* sic ait: *Si forte* (oleum benedictum) *infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate superinfuso, reparari potest.* Ratio quoque suffragatur: quia oleum non benedictum, saltem dum in minori quantitate affunditur, atque miscetur benedicto, redditur & ipsum benedictum, evaditque Extremæ Unctionis impertiendæ materia valida, & consequenter in casu necessitatis etiam licita; ergo &c.

C A S U S II.

42. *Bonitius, per quadraginta jam annos Parochus, meritis clarus, & Sacerdotio Jubilæus, vocatur ad infirmum, ut eundem consuetis Ecclesiæ Sacramentis ad iter æternitatis ingrediendum præparet. Comparet sine longiore mora Zelosus Pastor: & quoniam ægrotum, Sacerdoti Regulari, in collectura eleemosynæ ibi constituto, jam confessum esse intelligit, mox sacram illi Eucharistiam per modum Viatici, & Extremam Unctionem ministrat. Sed dum sacro oleo infirmi oculos linit, hallucinatur in pronuntiatione formæ, dicendo;* quidquid &c. dereliquisti *loco* deliquisti. *Quod ubi percepit Sacerdos ille Regularis, Bonitium erroris commissi admonuit. Quæritur, an forma, sic prolata, fuerit invalida, adeoque una cum unctione repetenda?*

Respondetur affirmative. Ita Gobat *Theol. Experim. tr.* 8. *n.* 815. Clericatus *decis.* 68. *n.* 19. Elbel *n.* 41. Ratio est: siquidem illa forma censetur invalida, quæ facit sensum substantialiter diversum a forma, per Christum pro conficiendo Sacramento instituta; prout relinquitur ex dictis *part. præced. num.* 13. atqui forma, qua usus fuisse ponitur Bonitius in administratione Extremæ Unctionis, facit sensum substantialiter diversum a forma per Christum pro conficiendo hoc Sacramento instituta; cum ly *dereliquisti*, tam grammaticaliter, quam moraliter sumptum, significet aliquid plane, & longe diversum ab eo, quod significat ly *deliquisti*, in forma Extremæ Unctionis essentialiter importatum, ut patet; ergo &c.

C A S U S III.

Bernardus, puer ætatis suæ annum septimum vix supergressus, periculosa corripitur infirmitate: cumque jam antea confiteri sit solitus, idem ab eo fieri in isto quoque statu cupiunt piissimi, deque filioli sui charissimi salute perquam soliciti parentes. Advocant proinde Parochum; qui & comparet, ac Bernardum, sibi confessum, beneficio absolutionis donat. Quo facto, instant parentes, ut infirmo etiam Extrema Unctio administretur. Sed Parochus administrare recusat; eo quod Bernardus nunquam adhuc sumpserit S. Eucharistiam, neque modo ejus sumendæ capax existat, præsertim ob conditionem morbi, vi cujus repetitos passus est, & etiamnum patitur vomitus. Quæritur, an Bernardo, aliisque id genus pueris, usum rationis habentibus, ante Sacramentum Eucharistiæ aliquando sumptum, Extrema Unctio administranda sit?

Respondetur affirmative. Ita Laymann *lib.* 5. *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 2. Burghaber *cent.* 3. *cas.* 93. Herincx *loc. cit. num.* 38. & alii satis communiter. Ratio est: quia capax Sacramenti Pœnitentiæ, est etiam capax Sacramenti Extremæ Unctionis, cum hoc sit illius consummativum; sed pueri, usum rationis adepti, capaces sunt Sacramenti Pœnitentiæ (quod Bernardus in casu reipsa suscepisse ponitur) ergo etiam sunt capaces Sacramenti Extremæ Unctionis; ergo hoc illis administrandum est, tametsi Sacramentum Eucharistiæ nunquam receperint, nec de facto recipere apti sint. Confirmatur primo. Inter Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis non apparet connexio ordinis

adeo necessaria, ut ad capacitatem posterioris præsupponi debeat capacitas prioris; ergo tametsi aliquis dispositus non sit ad Eucharistiam sumendam (ut in Casu Bernardus) si tamen dispositus videatur ad Sacramentum Extremæ Unctionis suscipiendum, isto privandus non est. Confirmatur secundo. Pueri, rationis usu pollentes, Sacramento Extremæ Unctionis indigere possunt, tum ad concipiendam spem Divinæ Misericordiæ, tum ad infirmitatem æquo animo sustinendam, tum ad tentationes dæmonis superandas, tum ad peccatorum remissionem consequendam, tum denique ad sanitatem corporis recuperandam; ergo, licet Sacramenti Eucharistiæ capaces non existant, nihilominus extreme inungendi sunt, si de cetero capaces, & dispositi existimentur. Contraria consuetudo, siqua aliquibus in locis forte vigeat, per Prælatos tollenda est, inquiunt Laymann, Burghaber, & alii: quamvis addant, Parochos, stante ea consuetudine, excusari a peccato, si juxta illam procedant.

DISPUTATIO II.

De Ordine.

ORdinis nomen varie sumitur. 1. Latissime pro rerum digestione, seu collocatione in suo loco: atque in hoc sensu a S. Augustino *lib. 9. de Civit. cap. 13.* definitur *parium, dispariumque rerum sua cuique tribuens dispositio*. 2. Late pro certo hominum statu; quo sensu Christianorum Ordo in prima sui divisione biceps est, *Secularis* nimirum, & *Clericalis*, juxta *can. 7. caus. 12. qu. 1.* 3. Stricte pro certo gradu Clericorum ad specialia Officia Ecclesiastica consecratorum. Porro, ut æquivocatio evitetur, notandum est, significatum nomine Ordinis, tertio modo sumpti, adhuc dupliciter accipi posse, nimirum *active*, & *passive*. Si accipiatur posteriore modo, denotat memoratum gradum, & potestatem, quam Clerici in sacra Ordinatione acquirunt, maxime circa Sacramentum Eucharistiæ; & in hoc sensu aliquis dicitur habere Ordinem Presbyteratus, Diaconatus &c. Si accipiatur priore modo, seu active, denotat ipsam Ordinationem, sive actionem sacram, per quam prædicta potestas Clericis confertur. Et licet hæc actio sacra magis proprie diceretur *Ordinatio*, ac *Ordo* (veluti observat Scotus *in 4. dist. 24. q. unic.*) nihilominus immemorialis Patrum, & Conciliorum usus jam dodum præscripsit, ut eadem actio diceretur, & dicatur *Ordo*: qualiter etiam in præsenti Disputatione acceptam, & intellectam cupimus, quoties aliquid de Sacramento, Materia, Forma, Ministro, Subjecto, & Effectibus Ordinis decisum ibimus. Ad item ut progrediamur, sit

CAPUT I.

De Institutione, Natura, Materia, & Forma Ordinis.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Institutionem, & Naturam Ordinis.

QUoniam circa Naturam Ordinis complures quæstiones veniunt resolvendæ, hunc articulum, quo majori claritate procedamus, in paragraphos dispescere juvat.

§. I.

Quandonam Ordo sit institutus, & quomodo tam in communi, quam in particulari, definiri possit?

SUMMARIUM.

44. *Christus Sacramentum Ordinis instituit in ultima Cœna.* 45. *Definitur Ordo ut sic, seu in communi.* 46. *Definiuntur etiam singuli Ordines in particulari.*

44. DIco primo. Christum Sacramentum Ordinis instituit in ultima Cœna. Ita DD. unanimiter ex Conc. Trid. *Sess. 22. cap. 1. & can. 2.*

Probatur: quia Christus tunc, seu in ultima Cœna (ut legere est apud Lucam *cap. 22.* & in Trid. *cit.*) dixit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*; quorum verborum sensus est: Sicut ego conficio Eucharistiam, eamque offero, ita vobis impertior potestatem (imo & præceptum) conficiendi eandem, atque offerendi in Sacrificium, scilicet Missæ. Atqui hoc erat instituere Ordinem Presbyteratus, eundemque Apostolis conferre; ergo &c.

Neque dicas, inde solum inferri posse, quod Christus tunc instituerit Ordinem Presbyteratus; non vero, quod etiam instituerit reliquos Ordines.

Contra enim est, quod, licet Christus solum Ordinem Presbyteratus ibi explicite instituisse probetur ex præmemoratis verbis; implicite tamen ceteros insuper Ordines instituisse censendus sit, eosque contulisse Apostolis ex potestate excellentiæ: uti notant Sporer *in Theol. Sacram. part. 1. cap. 5. sect. 2. n. 16. & seq.* Babenstuber *tract. 8. part. 5. disp. 11. art. 1. n. 3.* aliique communiter. Ratio est: quia Christus Dominus omni proculdubio instituit Presbyteratum, volendo, ut is in Sacrificio Missæ usurpetur cum debita reverentia, & solemnitate: ad quod requiruntur ceteri quoque Ordines, Presbyteratu inferiores; consequenter istos quoque tunc instituisse, saltem implicite, censendus est.

Interim licet Ordo, & specialiter Presbyteratus fuerit in Cœna Domini institutus quoad potestatem offerendi Sacrificium; non tamen eo tempore idem Presbyteratus fuit institutus complete, seu etiam quoad potestatem absolvendi a peccatis; sicut nec Episcopatus quoad potestatem Ordinandi Ministros Ecclesiæ, Confirmandi fideles &c. Siquidem Presbyteratus quoad potestatem absolvendi a peccatis primum fuit institutus post Resurrectionem Dominicam *Joann. 20.* quando Christus insufflavit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Revide dicta *part. præced. num. 450.* Episcopatus vero quoad potestate Ordinandi, Confirmandi &c. fuit adhuc posterius institutus, videlicet in die Ascensionis Dominicæ, quod juxta enarrationem Evangelicam *Luc. cap. ult.* Christus Apostolos suos *eduxit foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis, benedixit eis; & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Atque ita expresse tradit, S. Augustinus *lib. QQ. vet. Test. q. 97. ad fin.* ubi ait: *Ipse* (Christus) *priusquam in cœlos ascenderat, imponens manus Apostolis, Ordinavit eos Episcopos.* Supponimus autem hic, & infra probabimus, quod etiam potestas absolvendi a peccatis, & potestas Episcopalis per verum Sacramentum conferantur.

Dices. Sacerdotium antiquæ Legis fuit totum simul institutum; ergo etiam Sacerdotium novæ Legis. Deinde Judas proditor jam fuit Episcopus, cum *Psal. 108.* dicatur: *Episcopatum ejus accipiat alter*; ergo Episcopatus debuit fuisse institutus jam ante mortem Christi.

Respondetur ad 1. neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Sacerdotium veteris Testamenti non continebat tam distinctas, & excellentes potestates, sicut Sacerdotium novi Testamenti: unde non erat necesse, vel congruum, ut illud conferretur per plures institutiones, sicut istud. Ad 2. itidem neg. cons. Ad ant. autem dico, quod Psalmista vel per Episcopatum intellexerit Apostolatum Judæ; vel locutus sit de Episcopatu, non quem Judas jam acceperit, sed quem accepturus fuisset, nisi proditionis scelere se contaminasset: hinc loco ipsius accepit alter, nempe S. Mathias.

45. Dico secundo, Ordo ut sic, seu in communi definitur, quod sit *Sacramentum novæ Legis, quo confertur peculiaris potestas, proxima, vel remota, ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam.* Ita fere in terminis P. Abreu *in Specul. Paroch. lib. 9. num. 379.* & alii reipsa communiter.

Explicatur breviter. Dicitur: *Sacramentum novæ Legis*: quæ verba obtinent locum generis, quatenus per ea Sacramentum Ordinis convenit cum ceteris Sacramentis novis Legis. Dicitur: *quo confertur peculiaris potestas &c.* ubi denotatur differentia hujus Sacramenti ab aliis, utpote per quæ talis potestas non confertur.

Addi-

Additur autem: *proxima*, qualis traditur Sacerdoti, *vel remota* (plus, & minus) qualis traditur Diacono, Subdiacono, & Minoristis; siquidem & isti, juxta suum quisque Officium, concurrunt, remote videlicet, ac mediate, ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam.

46. Dico tertio. Ordines singuli, seu in particulari, definiuntur, ut sequitur. Inque

1. Ostiaratus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi, & claudendi januam Ecclesiæ, ac admittendi dignos, excludendique indignos.*

2. Lectoratus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas legendi Psalmos, & Lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus fidei.*

3. Exorcistatus est *Ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi dæmonia.*

4. Acolythatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni Subdiacono inserviendi accendendo cereos, præparando, & porrigendo illi ampullas vini, & aquæ.*

5. Subdiaconatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, & solemniter canendi Epistolam.*

6. Diaconatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni immediate assistendi Presbytero, & solemniter canendi Evangelium.*

7. Presbyteratus, sive Sacerdotium est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi, absolvendi quoque a peccatis, & pascendi subditos opere, ac doctrina.*

8. Episcopatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas Confirmandi fideles, & Ordinandi Ministros Sacramentorum (ly Ministros* sumendo latius, id est, non solum pro iis, qui Sacramenta conficiunt, sed etiam pro iis, qui conficientibus ex officio ministrant) *nec non consecrandi res ad Divinum cultum pertinentes.*

§. II.

Quot sint Ordines?

S U M M A R I U M.

47. *Insinuatio præambula.* 48. *Prima Tonsura non est verus Ordo.* 49. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 54. *Est tamen Ordo, hunc sumendo large.* 55. *Dignitatem Sacramenti non assequitur.* 56. *Prima Tonsura descriptio, Minister, & Subjectum.* 57. *Episcopatus est Ordo proprie dictus, & quidem a simplici Sacerdotio distinctus.* 58. *& seqq. Diluuntur argumenta contraria.* 61. *Qualis sit ea distinctio.* 62. *Nihilominus septem duntaxat asserendi sunt Ordines.* 63. *Quare aliqui Ordines dicantur* Majores, & Sacri, *alii* Minores, & non Sacri?

47. PRænotandum, non obstante, quod Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *capit.* 2. septem duntaxat enumeret Ordines, videlicet *Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolythatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum*; doceri nihilominus a plerisque Canonistis, primam quoque Tonsuram gaudere prærogativa veri Ordinis. Eandem prærogativam a potiori attribuunt Episcopatui: in quo posteriori puncto etiam consentiunt Theologi fere omnes, quamvis in modo id defendendi discrepent; veluti patebit ex dicendis. Hoc præmisso,

48. Dico primo. Prima Tonsura non est Ordo proprie dictus, sed solum quædam præparatio, & dispositio ad Ordines. Ita Scotus *in 4. dist.* 24. *q. unic.* & Theologi communiter, quibuscum faciunt ex Canonistis Pirhing, Konig, VViestner, Schmalzgrueber &c. *ad Tit. de Tempor. Ordinat.* contra plerosque alios Canonistas, & nonnullos Theologos.

Probatur primo authoritate Concilii Tridentini, primam, seu Clericalem Tonsuram ab Ordinibus clare distinguentis. Siquidem *Sess.* 23. *de Sacram. Ordinis, cap.* 2. sic dogmatizat: *Consentaneum fuit --- ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures, & diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex Officio deservirent; & ita distributi, ut, qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per Minores ad Majores ascenderent.* Item *ead. Sess. ad Reformat. cap.* 6. inquit: *Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutus &c.* & *ibid. cap.* 10. prohibet Abbatibus *Tonsuram, vel Minores Ordines conferre* aliis, quam Regularibus subditis. Ubivis ergo in *cit.* locis Concilium Tonsuram ab Ordinibus aperte secernit: consequenter &c.

Probatur secundo ex *can.* 1. *dist.* 77: ubi Cajus Pontifex præscribit ordinem in collatione Ordinum servandum, atque ita ait: *Illud nos statuentes, vobis, & omnibus servare mandamus, ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur; id est, siquis Episcopus esse meretur, sit primum Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum vero Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter, & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.* Ex quibus verbis sic datur arguere. Si prima Tonsura esset Ordo, esset Ordo primus, seu sub ratione Ordinis conferendus ante alios Ordines; prout ipsimet etiam Adversarii fatentur: atqui hoc est falsum; cum Ordo primus, & sub ratione Ordinis conferendus ante alios Ordines, sit Ostiariatus, veluti denotatur in præcitato textu per particulam *primum*; ergo &c.

Probatur tertio ratione. Per omnem Ordinem Ecclesiasticum proprie dictum confertur potestas aliqua peculiaris, proxima, vel remota, ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam; prout relinquitur ex dictis *n.* 45. *& seq.* atqui per primam Tonsuram non confertur ejusmodi potestas; ergo prima Tonsura non est Ordo Ecclesiasticus proprie dictus. Min. ostenditur ex Trid. *Sess.* 23. *de Reformat. capit.* 17. ubi præcipit, *ut Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquando intermissæ, in usum juxta sacros Canones revocentur.* Ecce Tridentinum functiones Ecclesiasticas, a potestate remota ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam, procedentes, vult in usum revocari *a Diaconatu* usque *ad Ostiariatum*; ergo Concilium censet, per *Clericatum*, id est, per primam Tonsuram non conferri potestatem, a qua illiusmodi functiones procedant; alioquin non dixisset usque *ad Ostiariatum*, sed usque *ad Clericatum*: consequenter &c.

49. Objicies primo. *Can.* 1. *dist.* 21. inter Ordines recensetur etiam Psalmistatus: atqui Psalmistatus aliud non est, quam prima Tonsura; nam per hanc initiatus deputatur ad canendum in Choro; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Si enim per Psalmistatum intelligeretur prima Tonsura, non deberet *in cit. can.* poni post Ostiariatum; cum utique hic primam Tonsuram, ceu suam dispositionem (qualem esse etiam Adversarii concedunt, esto contendant simul esse Ordinem) præsupponere debeat. Quare in *cit. can.* Psalmistatus inter Ordines recensetur, & quidem immediate ante Lectoratum, non quod sit Ordo, sed quia est Officium Ordini Lectoratus annexum; siquidem hoc Ordine insignitus non solum ex Officio legit, sed etiam cantat Psalmos, adeo, ut qua legens *Lector*, & qua cantans *Psalmista* nuncupetur: prout in ipsomet *can. cit. §. ult.* indigitatur, & expresse habetur ex collectione Canonum Græcorum facta per Martinum Braccharensem Episcopum *cap.* 45. ibi: *Non liceat in pulpita psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati.*

50. Objicies secundo. In *cap.* 11. *de ætat. & qualit. & ord. præfic.* Innocentius III. interrogatus, an Religiosis, *si ab Abbatibus suis Tonsurentur, Clericatus Ordo in Tonsura hujusmodi conferatur*, respondet, *per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, a talibus Clericalem Ordinem conferri*; ergo ex mente, & sententia altefati Pontificis prima Tonsura est Ordo Clericalis, & Ecclesiasticus.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, Pontificem suam responsionem accommodasse menti interrogantis Archiepiscopi Rothomagensis, qui rescire cupiebat, num valida sit Tonsura ab Abbatibus collata? cui proin responsum est affirmative, nulla habita solicitudine, aut facta reflexione (sive ab interrogante, sive a respondente) ad vocabulum *Ordinis*, an videlicet prima Tonsura nomen, & rationem Ordinis proprie participet, nec

ne?

ne t ut idcirco ex responsione Pontificis positive inferri minime possit, primam Tonsuram Ordinibus Ecclesiasticis proprie dictis accensendam esse.

Dices, In *cap. 2. de Pœnis in 6.* præscribitur modus degradandi Clericum solemniter usque ad *primam vestem* inclusive (nempe usque ad superpelliceum) *qua datur in collatione Tonsuræ, seu Clericatus vestigium remaneat in eodem:* atqui degradatio Clerici est dejectio ab Ordine Clericali, secundum dicta *part. 3. num.* 287. ergo cum Tonsuratus possit juxta *cit. cap.* degradari, & sic dejici ab Ordine, Tonsura debet esse Ordo, a quo talis dejicitur.

Confirmatur. Leges Ecclesiasticæ, inducentes irregularitatem, seu inhabilitatem ad Ordines, ad primam quoque Tonsuram porriguntur, ita, ut irregularis etiam istam illicite suscipiat, juxta communem DD. ergo prima quoque Tonsura inter Ordines computanda venit.

Respondetur ad argumentum, quod dum degradatio Clerici dicitur dejectio ab Ordine Clericali, Ordo Clericalis sumatur in latiori significatione: prout deducitur ex verbis in degradatione Clerici juxta mentem *cit. cap. in fin.* adhibendis; ibi: .. *spoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & Privilegio Clericali:* ubi, ut vides, Pontifex eodem modo loquitur de spoliatione Ordinis, ac de spoliatione Beneficiorum, & Privilegiorum Clericalium; adeoque supponit, in degradatione Ordinem substantialiter, & penitus auferri, sicut auferuntur Beneficia, ac Privilegia; jam vero Ordines, proprie, & stricte dicti, non sunt auferibiles quoad substantiam (eo quod imprimant characterem indelebilem) sed solum quoad exercitium, ac executionem. Unde Pontifex in *cit. cap.* præscribens formam in degradatione Sacerdotis usurpandam, ait: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali* (non dicit *Ordine Sacerdotali*) *privamus:* uti gnaviter advertit P. Cherubinus Mayr *in suo Ordine Hierarchico pag.* 437. *n.* 21. Quocum

Ad confirmat. ajo, etiam ibi Ordinem sumi in latiori significatione, & prout sub se comprehendit ipsam quoque dispositionem ad Ordines: quemadmodum habetur ex communi DD. consensu, qui hic, non item in aliis materiis promiscue, suffragatur.

51. Objicies tertio. Sixtus V. in Bulla, *Sanctum, & Salutare*, primam Tonsuram appellat *Characterem*, seu *Notam Clericalem;* ergo censetur velle, per primam Tonsuram imprimi Characterem: adeoque eandem esse Ordinem; imo & Sacramentum.

Respondetur, neg. conf. Prima nanque Tonsura Character, seu Nota Clericalis dicitur, non quod Characterem *imprimat*, uti imprimitur per Ordines, sed quod Tonsuratus Characterem *suscipiat* (hoc quippe verbo utitur Bulla) quatenus suscipiendo Tonsuram una suscipit, & acquirit Characterem (diversum a Charactere Ordinibus proprio) seu Notam Clericalem, vi cujus Ordini Clericali adscriptus, a Laicis secernitur: Hinc etiam in Pontificali Romano collationi primæ Tonsuræ præfigitur Titulus *de Clerico* non Ordinando, sed *faciendo:* veluti recte notat P. Schmalzgrueber *lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 3.

52. Objicies quarto. Concilium Trid. *Sess.* 21. *cap.* 1. *de Reform.* prohibet Episcopis, ne quid *pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonsura*, tametsi sponte oblatum recipiant; ergo ex mente Tridentini Tonsura Clericalis de numero, & classe Ordinum est.

Respondetur, neg. conf. Imo ex præallegatis Concilii verbis potius eruitur contrarium: si enim prima Tonsura Ordo esset, necesse non fuisset, ut speciatim exprimeretur; quemadmodum necesse non fuit, ut sic exprimerentur, uti nec expressi sunt, aliis Ordines, Ostiariatus, Lectoratus &c. Voluit ergo Concilium interdictam acceptionem munerum pro collatione tam Ordinum proprie, & stricte dictorum, quam Tonsuræ Clericalis, quæ est Ordo late dictus, seu dispositio tantum ad Ordines. Concilium hic ita interpretandi ratio, & fundamentum accipitur ex eodem Concilio supra *n.* 48. *in* 1. *probat.* allato.

53. Objicies quinto. Laici sunt incapaces Beneficiorum, & Privilegiorum Ecclesiasticorum, quia non habent Ordinem; ergo a contrario, quia Clerici, prima Tonsura initiati, sunt capaces Beneficiorum, & Privilegiorum Ecclesiasticorum, signum est, quod habeant Ordinem.

Respondetur cum P. Cherubino Mayr ubi supra *pag.* 440. *n.* 25. neg. causalem antecedentis: sed ideo, quia non sunt de Statu Clericorum, cui, & non Ordini secundum se accepto, illæ facultates annexæ sunt: prout colligitur ex *cap. 6. de Transact. cap. 2. de Institut.* & *can.* 22. *caus.* 17. *qu.* 4. Unde negatur etiam conf. Sunt enim Clerici Beneficiorum, & Privilegiorum Ecclesiasticorum capaces vi Tonsuræ Clericalis (esto hæc non sortiatur rationem Ordinis proprie dicti) vi cujus in Statum Clericorum relati sunt.

54. Colliges ex dictis primo, Tonsuram esse, & dici posse Ordinem, hunc sumendo large, id est, præcise pro statu Clericali, sine certo Officio relato ad Sacrificium Missæ: quod equidem non sufficit ad rationem Ordinis proprie dicti, utpote quo non solum conceditur Status Clericalis, a Laicali distinctus, sed insuper potestas ministerii alicujus in ipso Statu Clericali pertinens ad altare, ut, ea potestate præditus, non tantum supra Laicos, sed etiam supra Clericos, qua præcise tales, in suo respective gradu emineat. Sanct-Gallenses *tom.* 10. *tr.* 3. *q.* 1. *dub.* 1. Michel hic *fol.* 617. *n.* 8. & alii, nostræ conclusionis propugnatores, passim.

Dices. Ad collationem primæ Tonsuræ requiritur Minister, Episcopali Ordine præfulgens; Subjectum ad Ordines suscipiendos idoneum; applicatio materiæ, & formæ &c. ergo est verus, & proprie dictus Ordo.

Respondetur, neg. conf. Nam licet prædicta Ordinibus, & primæ Tonsuræ fere communia sint; haud tamen sequitur, primam Tonsuram in numero, & classe Ordinum fore reponendam: sicut in physicis, ac naturalibus plura sunt communia formæ, & dispositioni ad ipsam; ex quo tamen inferre non licet, quod dispositio exinde nanciscatur rationem formæ. Voluit ergo Ecclesia instituendo primam Tonsuram (nam ab Ecclesia, & non a Christo, ut Ordines, instituta est) eadem fere observari in illius collatione, quæ in collatione Ordinum, ut Tonsuratus solemniter disponeretur, ac præpararetur ad Ordines quam decentissime suscipiendos. Dixi autem in respons. ad argument. *fere communia*, ut indigitarem in uno, vel altero paritatem non esse, sed solum proportionem; puta in materia, & forma: licet enim hæ etiam in collatione primæ Tonsuræ necessario concurrere debeant, & applicari, adeo, ut alioquin collatio irrita foret; non tamen habent sibi indijam vim practice significativam alicujus potestatis exercendæ circa Sacrificium Missæ, sicut materiæ, & formæ Ordinum, sed solum vim repræsentandi segregationem Tonsurati a Statu Laicali, & assumptionem ad Statum Clericalem. Accedit (veluti bene advertit P. Cherubinus Mayr ubi supra *n.* 26.) quod verba formæ in collatione Tonsuræ adhibenda, *Dominus Pars &c.* non a Collatore, seu Ministro (ut in collatione Ordinum proprie dictorum) sed ab ipsomet suscipiente proferri soleant, ac debeant, ut collatio valida sit; adeoque non sortiantur rationem formæ stricte sumptæ, seu talis, qualis intervenit in collatione verorum Ordinum. Ex quo

55. Colliges secundo, primam Tonsuram non esse Sacramentum, sed computandam inter Sacramentalia tantum. Ita communis DD. saltem eorum, qui supra stant pro conclusione nostra. Ratio est: quia, ut proxime dictum, non confert potestatem specialem circa Sacrificium Missæ exercendam; neque ipsa confertur per veram materiam, & formam, ejusmodi potestatis significativam, sed tantum per signum aliquod externum, quo significatur (suo modo) segregatio a Statu Laicali, & trajectio ad Clericalem. Accedit (imo caput rei est) quod nullibi legatur, neque probari possit, per collationem primæ Tonsuræ conferri Tonsurato gratiam, sicut confertur per collationem cujuscunque Sacramenti, quando suscipiens nullum opponit obicem.

56. Colliges tertio, primam Tonsuram sic describi posse: *Est Ritus solemnis Ecclesiasticus, consistens in levi detonsione capillorum cum certis verbis, per Ministrum idoneum celebratus, ex institutione Ecclesiæ significans, masculum baptizatum a Statu Laicali in sortem Domini, & Statum Clericalem transferri.* Minister hujus Ritus (subintellige: ordinarius) est Episcopus: Subjectum masculus baptizatus, ad recipiendos Ordines idoneus: Materia, vel quasi materia, remota, sunt capil-

capilli, & premima, eorum detonsio: Formæ, seu quasi Formæ, locum tenent verba, quæ ab illo, qui tondetur, proferuntur, & sunt: *Dominus Pars Hæreditatis meæ, & Calicis mei; Tu es, qui restitues Hæreditatum meam mibi.*

57. Dico *secundo*. Episcopatus (1) est Ordo proprie dictus; & quidem (2) ab Ordine Presbyteratus, seu simplici Sacerdotio, in sensu infra adstruendo, distinctus. Prima pars est hodie communis; imo & secunda, quatenus assertiva distinctionis *simpliciter*, & præscindendo, an ea distinctio sit adæquata, vel inadæquata? circa quod punctum Authores vel maxime dissident: prout infra videbimus. Interim

Probatur prima pars conclusionis primo authoritate. Nam Concilium Trid. *Sess.* 23. *capit.* 4. *de Sacram. Ord.* ubi, postquam præmiserat, in Sacramento Ordinis characterem imprimi, nec Sacerdotes novi Testamenti omnes pari inter se potestate spirituali præditos esse, subjungit: *Proinde sancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere*. Et paucis verbis interjectis subjicit: *Docet insuper sacrosancta Synodus; in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum Ordinum &c.* Porro S. Anacletus *Epist.* 3. *cap.* 1. ait, Sacerdotum *Ordinem bipartitum esse*, nempe *Episcopalem*, & *Presbyteralem*. Et S. Dionysius *lib. de Eccles. Hierarch. cap.* 5. sic fatur: *Pontificum itaque Divinis Ordo primus est eorum Ordinum, qui Deum vident, & summus, & ultimus, quippe in quo & absolvitur, & expletur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio.*

Probatur secundo ratione deprompta ex Scoto *in* 4. *dist.* 24. *qu. unic.* quæ sic instrui, & formari potest. Vel potestas Episcopalis, virtute cujus conferuntur Sacramenta Ordinis, & Confirmationis, est potestas Ordinis, vel potestas jurisdictionis tantum? Si dicatur primum; habemus intentum, quod nempe Episcopatus sit Ordo. Si dicatur secundum; posset ea potestas per Superiorum auferri vel simpliciter, & pro omni tempore; vel secundum quid, & pro aliquo tempore, quo illius exercitium annullaretur; cum omnis jurisdictio in Ecclesia alterutro modo tolli possit: sequela autem est absurda, & a communi DD. orthodoxorum sensu aliena; ergo &c.

Probatur etiam secunda para primo authoritate. Nam distinctionem Episcopatus a Presbyteratu, seu simplici Sacerdotio satis indicant verba tum Tridentini, tum SS. Anacleti, & Dionysii, in prima probatione conclusionis allata. Accedit authoritas *can.* 1. *dist.* 21. ubi Episcopatus, tanquam distinctus Ordo, ceteris enumeratis adjungitur.

Probatur secundo ratione. Siquidem in collatione Episcopatus, seu in consecratione, & ordinatione Episcopali adhibetur materia, & forma specialis (prout videbimus infra *n.* 70.) & confertur potestas specialis spiritualis (prout relinquitur ex dictis *n.* 46.) ergo est Ordo, a reliquis Ordinibus, ipsoque etiam Presbyteratu distinctus. Cons. fuit: ob eas quippe causas admittitur distinctio inter alios Ordines, ad se invicem comparatos.

58. Objicies primo contra secundam partem conclusionis. Si Episcopatus esset Ordo, a Presbyteratu, & simplici Sacerdotio distinctus, deberet Episcopo conferre specialem potestatem, non qualemcunque, sed talem, quæ dicat diversam habitudinem ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam; cum ex potestate, ejusmodi habitudinem dicente, colligatur Ordinum in Ecclesia diversitas: atqui Episcopatus non confert specialem potestatem, quæ dicat diversam habitudinem ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam; cum Episcopus nullam habeat potestatem in Corpus, & Sanguinem Christi, quam non habet quicunque Presbyter, seu Sacerdos; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Confert enim Episcopatus specialem potestatem, non quidem proximam, & immediatam, ut Sacerdotium, sed remotam, & mediatam, conjunctam cum diversa habitudine ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam, quatenus nempe Episcopus vi Ordinis Episcopalis ordinat Sacerdotes, a quibus Sacrificium Missæ, & Eucharistia perficitur: ut proinde subintret, & locum habeat illud decantatum apud Philosophos: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati*. Accedit, quod in distinctione Ordinis Episcopalis ab Ordine Sacerdotali non solum attendenda veniat potestas ordinata ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam, sed etiam potestas conferendi Sacramenta cujusvis Ordinis, & Confirmationis, ac alias quasdam functiones exercendi; qualis reperitur in Episcopo, non item in simplici Sacerdote, seu Presbytero.

59. Objicies secundo. Si Episcopatus esset Ordo distinctus a Sacerdotio, esset Ordo superior, & nobilior Sacerdotio: atqui hoc est falsum; quia Sacerdotio competit immediate, & proxime nobilissimus actus, nempe consecratio, ac confectio Eucharistiæ, ergo &c.

Respondetur explicando, & dist. maj. Esset Ordo superior, & nobilior ob majorem universalitatem actuum Sacramentalium, seu quatenus potestas Episcopalis ad plures actus Sacramentales exercendos se porrigit, con. ob majorem nobilitatem unius alicujus actus, neg. maj. Hæc est distinctio Scoti, quam *loc. cit.* tradit hisce verbis: *Ista via posset dupliciter teneri comparando Episcopatum ad Sacerdotium. Uno modo sic, quod gradus potest dici eminens vel propter universitatem actuum, quos respicit, vel propter nobilitatem actus, quem respicit ---- Et ex hoc videretur, quod gradus ille, qui respicit universalitatem actuum, sit simpliciter superior, quam ille, qui respicit præcise actum nobilissimum; & sic diceretur Episcopatus simpliciter superior Ordo, quia habet ordinem ad omnes actus Ecclesiasticos, Sacerdotium vero non ad omnes, licet ad nobilissimum*. Unde in hoc sensu, seu spectata hac distinctione, neg. min. & rationis probativæ suppositum, quasi nimirum major nobilitas, seu superioritas potestatis præcise metienda sit ex majori nobilitate unius alicujus actus, debet quippe etiam metiri ex actuum majori universalitate: cum ergo Episcopi non solum conficere Sacramentum Eucharistiæ possint, sed etiam dare potestatem illam conficiendi, qualem potestatem dare Sacerdotes simplices non possunt aliis, sequitur, potestatem, ipsumque adeo Ordinem Episcopalem esse simpliciter superiorem potestate, & Ordine Sacerdotali, seu Presbyterali (juxta definitionem Trid. *Sess.* 23. *can.* 7.) tanto enim altior est potestas, quanto se ad plura extendit; ut docet etiam S. Thomas *in* 4. *dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2.

Dices. Esto hæc distinctio videatur satisfacere, si Ordo Episcopalis sumatur, prout Sacerdotium præsupponit, ac includit in Episcopo; haud tamen satisfacit, si Ordo Episcopalis consideretur præcisive, seu quatenus præscindit ab Ordine Sacerdotali; ergo &c.

Respondetur, con. assumpt. sed neg. suppositum, quod Ordo Episcopalis, quando comparatur cum Sacerdotali, debeat considerari præcisive modo præfato (sic enim utique non posset dici superior simpliciter, cum præscinderet a potestate exercendi actum nobilissimum circa Eucharistiam) sed debet considerari, & accipi, prout Sacerdotium includit, ita, ut ex una parte constituat Sacerdotem simplicem, & ex altera Sacerdotem Episcopum: quemadmodum cum P. Pithing recte advertit P. Schmalzgrueber *lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 4. Verum de hoc iterum, & luculentius infra *n.* 61.

60. Objicies tertio contra primam, & secundam partem conclusionis simul. Si Episcopatus esset Ordo proprie dictus, & a Sacerdotio distinctus, etiam Patriarchatus, Primatus, & Archiepiscopatus, essent Ordines proprie dicti, ab Episcopatu, & simplici Sacerdotio distincti: sequela pugnat contra communem sensum DD. ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. si intelligantur istæ dignitates, prout sunt ipsi Ordini Episcopali superadditæ: quia ut sic non afferunt specialem aliquam potestatem Ordinis (quemadmodum ad rationem Ordinis proprie dicti, & ab aliis Ordinibus distincti requiritur) sed jurisdictionis, & præcellentiæ tantum (idem cogita de Papatu) neque conferuntur per specialem aliquam Ordinationem, aut Consecrationem (quemadmodum alii Ordines proprie dicti) sed per extrinsecam duntaxat institutionem Pontificis, Episcopos, jam antea consecratos, ad ampliores prærogativas elevantis: veluti advertit P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 646. *n.* 37. Nec refert, quod *can.* 1. *dist.* 21. Ordo Episcopalis dicatur *quadripartitus*, id est, subsistens in Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis. Nam

ista

ista partitio solum denotat diversitatem in potestate jurisdictionis, & dignitate, non vero in potestate Ordinis, utpote in qua conveniunt; & hinc omnes (Patriarchæ, Primates &c.) uno, eodemque vocabulo *in cit. can.* Episcopi nominantur.

Instabis contra respons. Episcopatus, etiam ut est aliquid superadditum Sacerdotio, obtinet rationem Ordinis proprie dicti, & tam a Sacerdotio, quam aliis Ordinibus distincti; licet ut sic non sit simpliciter superior, & nobiliter Ordine Sacerdotii, juxta id, quod *n. præced.* dictum; ergo idem pronunciandum de Patriarchatu &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: quia Episcopatus, etiam ut est quid superadditum Sacerdotio, confertur per distinctam Ordinationem, seu Consecrationem, cum applicatione veræ materiæ, & formæ; ipseque confert specialem potestatem, quam non confert simplex Sacerdotium; prout relinquitur ex dictis *num. præced.* Simile quid affirmari non potest de Patriarchatu &c. prout immediate hoc *n.* dictum, atque expositum est.

61. Quæres, qualis, & quanta sit distinctio, quæ inter Ordinem Episcopatus, & Ordinem Presbyteratus, seu simplicis Sacerdotii intercedit?

Respondetur, esse distinctionem (1) adæquatam; non tamen (2) mutuæ separabilitatis. Ita P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag. 639. num. 27. & pag. 642. num. 23.* Ratio primæ partis est: quia Ordo Episcopatus habet propriam materiam, & formam; confert specialem potestatem spiritualem, tum proximam, qualis est potestas ordinandi Sacerdotes, aliosque Ecclesiæ Ministros, & confirmandi fideles, ac alias quasdam functiones sacras exercendi; cujusmodi potestas non confertur per simplex Sacerdotium; tum remotam relate ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam; in sensu supra *numer. 58.* exposito; ergo non apparet, cur non possit, ac debeat dici Ordo adæquate distinctus ab Ordine Presbyteratus, & Sacerdotii simplicis, id est, restricti ad solam potestatem offerendi Sacrificium, & absolvendi a peccatis, atque administrandi Extremam Unctionem; nam de Sacerdotio simplici, atque juxta acceptionem immediate insinuatam, adeoque prout sumitur promiscue cum Presbyteratu, hucusque locuti fuimus, & loquimur in præsenti. Quod si enim Ordo Sacerdotii sumatur omnino complete, & quoad omnes prorsus partes suas (prout sumitur a S. Anacleto Papa, *Epist. 3. capit. 1.* supra relato, ubi ait, *Ordinem Sacerdotum* bipartitum esse, in Episcopos, & Presbyteros (sine tergiversatione fatendum est, Ordinem Sacerdotii ab Ordine Episcopatus non nisi inadæquate distingui, videlicet tanquam totum a parte; & vicissim Ordinem Episcopatus ab Ordine Sacerdotii, tanquam partem a toto. Imo tali distinctione inadæquata Sacerdotium, præfato modo consideratum, distinguitur etiam a Presbyteratu; cum ut sic etiam relate ad istum se habeat tanquam totum ad partem, & vicissim,

Ratio secundæ partis est: quia Ordo Episcopatus Ordinem Presbyteratus, seu simplicis Sacerdotii essentialiter præsupponit, adeo, ut juxta modernam Dei ordinationem conferri nequeat non Presbytero, velut habet communis DD. sensus; ergo ille ab isto separabilis non est, quamvis iste ab illo sit separabilis, & conferibilis; ergo non distinguuntur distinctione mutuæ separabilitatis, Nec dicas, separabilitatem non mutuam haud sufficere ad realem, & adæquatam distinctionem inter sic separabilia asserendam, qualem tamen nos asseruimus inter Ordines Episcopatus, & Presbyteratus. Contra enim est, neg. assumptum. Oppositum nanque multis revinci exemplis posset: sufficiat adduxisse unum: siquidem accidentia respectiva a suo fundamento separari nequeunt, & tamen ab eo realiter, ac adæquate distinguuntur: consequenter &c.

62. Dico tertio. Nihilominus haud plures, nec pauciores asserendi sunt Ordines, quam septem, nempe *Ostiariatus*, *Lectoratus*, *Exorcistatus*, *Acolythatus*, *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *&* *Presbyteratus*, seu Sacerdotium.

Probatur; siquidem Tridentinum *Sess. 23. capit. 2.* præfatos septem Ordines recenset iisdem nominibus, quibus immediate appellati sunt. Nec refert, quod idem Concilium *ead. Sess. cap. 4.* etiam Episcopatum inter Ordines recenseat, dum ait, *præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere.* Nam licet per hæc, & alia Tridentini verba evincatur, Episcopatum esse Ordinem, proprie dictum, a ceteris Ordinibus distinctum, & supereminentem, non tamen evincitur, quin idem Episcopatus veniat nomine Sacerdotii; ut proinde septennarius Ordinum numerus omnino retineri possit, ac debeat: ut statim veluti corollarii ex dictis ibimus explanatum.

Itaque siquis interrogetur, quot sint Ordines? respondeat, esse septem, eos nimirum, quos in conclusione ex Tridentino enumeravimus. Si opponatur, etiam Episcopatum esse Ordinem, & quidem a ceteris Ordinibus, ipsoque Sacerdotio distinctum: reponat, hanc distinctionem non obstare, quin Episcopatus veniat, & comprehendatur nomine Sacerdotii. Vel enim Sacerdotium sumitur prorsus complete, seu ut est totum quoddam potentiale; & sic includit, ac comprehendit tam Ordinem Presbyteralem, quam Episcopalem, ceu partes potentiales, & subjectivas; vel non sumitur ita complete, sed prout supponit pro Presbyteratu, sive simplici Sacerdotio; & sic Ordo Episcopalis illud essentialiter præsupponit, ac includit, ita, ut ex Presbyteratu, seu simplici Sacerdotio, & Episcopatu constituatur unus integer, & completus Ordo Sacerdotii majoris, & minoris simul. Nec refert, quod Episcopatus a Presbyteratu, seu simplici Sacerdotio distinguatur distinctione adæquata, ex dictis *n. 61.* Non, inquam, refert; nam ea distinctio, licet sic adæquata, est tamen distinctio includentis ab incluso; consequenter non obstat, quin Episcopatus, & Presbyteratus, seu simplex Sacerdotium in unum Ordinem completum, modo immediate dicto, coalescant &c.

63. Quæres, quare ex prædictis Ordinibus aliqui dicantur *Majores*, & *Sacri*, alii *Minores*, & *non Sacri*?

Respondetur primo. Aliqui Ordines dicuntur *Majores*: quia Ordinandos in eminentiori gradu Ecclesiasticæ Hierarchiæ collocant, & immediatius ad Eucharistiæ confectionem, vel Ministerium accedere faciunt, quam alii; qui proinde *Minores* nuncupantur. Prioris generis appellatione condecorantur a Tridentino *Sess. 23. cap. 2.* Sacerdotium (adeoque & Episcopatus, ac Presbyteratus) Diaconatus, & Subdiaconatus; posterioris generis appellationem habent ab eod. Concil. Ordines reliqui, nempe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus.

Respondetur secundo. Ordines *Sacri* dicuntur iidem, qui *Majores*, sed ex alia ratione; & *non Sacri*, qui *Minores*, sed itidem ex alia ratione. Ratio proinde, cur Ordines *Majores* nuncupentur *Sacri*, est; quod olim annexam habuerint obligationem abstinendi ab usu Matrimonii propter sanctitatem, & puritatem ministerii; nunc autem etiam obligationem vivendi in cælibatu, ac servandi castitatem imponant: Minores contra *non Sacri*; quod illiusmodi obligationem nunquam imposuerint, nec defacto imponant. Ubi tamen ad tollendam æquivocationem nota, Ordines Minores haud dici *non Sacros* absolute, seu quasi *nullo modo* sint *Sacri* (cum utique sint, & dici possint *Sacri*, quatenus per sacram, imo, saltem ex probabiliori DD. sententia, *n. 66.* asserenda, per Sacerdotalem Ordinationem conferuntur, & ad ministerium aliquod circa Eucharistiam exhibendum ordinantur) sed comparative ad Ordines Majores, qui sunt specialiter *Sacri*, id est, ex speciali ratione, proxime allegata non tamen reperta in Ordinibus Minoribus, ut proinde hi non specialiter, sed veluti communiter solum *Sacri* esse reputentur, in sensu per parenthesim insinuato.

§. III.

An omnes, & singuli Ordines sint Sacramenta?

SUMMARIUM.

64. Omnes, & singuli Ordines Majores sunt proprie dicta Sacramenta. 65. Idem etiam tenendum de quatuor Ordinibus Minoribus, saltem probabilius. 66. seqq. Diluuntur argumenta opposita.

64. Di-

64. Dico primo, Omnes, & singuli Ordines Majores sunt proprie dicta Sacramenta. DD. communiter,

Probatur de singulis. Et quidem primo de Episcopatu ex Conc. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 3. ubi tradit, Sacram Ordinationem esse Sacramentum, afferendo testimonium Apostoli 1. *ad Timoth.* 4. & 2. *ad Timoth.* 1. ubi sermo est de Ordinatione Episcopali; ergo Ordinatio, seu Ordo Episcopalis est Sacramentum. Conf. fluit, Ant. quatenus asserit, ibi sermonem esse de Ordinatione Episcopali, ostenditur; nam Timotheus, de cujus Ordinatione ibi sermo est, fuit a S. Paulo in Episcopum ordinatus, concurrentibus etiam aliis Episcopis, quem concursum Apostolus vocat *impositionem manuum Presbyterii*; ut notat D. Chrysostomus in eum locum *homil.* 12. dicens: *Non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur; neque enim profecto Presbyteri ipsum Ordinabant*: consequenter &c.

Probatur secundo de Presbyteratu, seu Sacerdotio, itidem ex Trid. *cit. Sess.* 23. *can.* 3. ubi sic definit: *Siquis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere, & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum ---- anathema sit*. Ecce Trident. dogmatice, & definitive tradit, Ordinem esse Sacramentum; ergo id vel maxime asserendum venit de Ordine Presbyteratus, seu Sacerdotii, utpote qui immediatius, ac reliqui Ordines, circa Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam versatur. Accedit alia authoritas ejusdem Concilii, quæ proditur *ead. Sess.* 23. *can.* 4. ibi: *Siquis dixerit, Per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum -- aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit*.

Probatur tertio de Diaconatu ex *Actor.* 6. ubi legitur, collatum esse ab Apostolis Diaconatum *per manuum impositionem*, adhibita certa oratione, & forma, ut patet ex his verbis: *Et orantes imposuerunt eis manus*. Atque apud Latinos hæc forma usurpatur; *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Quæ verba exprimunt signum visibile collativum gratiæ sanctificantis, & sic rationem Sacramenti. Accedit in confirmationem authoritas Tridentini, in sæpe *cit. Sess.* 23. *cap.* 6. ita definientis; *Siquis dixerit, in Ecclesia non esse Hierarchiam, Divina Oratione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit*, Ubi nomine Ministrorum omni proculdubio veniunt præcipue Diaconi, utpote qui Sacerdoti relate ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam immediatius assistunt, quam Subdiaconi, & Minoristæ: consequenter Diaconi vere & proprie spectant ad istam a Christo Domino institutam Hierarchiam Ordinis, qua Sacramentum est; ergo eorum Ordinatio, seu Ordo est verum, & proprie dictum Sacramentum.

Probatur quarto de Subdiaconatu, Nam Concilium Florentinum *in Decreto ad Armenos*, §. *Sextum Sacramentum*, dum definit, Ordinationem esse Sacramentum, & rem illam, quæ ab Episcopo traditur, esse illius Sacramenti propriam materiam, non solum addit exemplum de Sacerdotio, & Diaconatu, sed etiam de Subdiaconatu: atqui hoc certe non fecisset, nisi censuisset, Ordinationem Subdiaconi esse Sacramentum Ordinis vere, & proprie dictum; ergo &c. Suffragatur præterea Conc. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 2. ubi ait: *Subdiaconatus ad Majores Ordines a Patribus, & Sacris Conciliis refertur*; eique annexa est obligatio continentiæ, sicut Presbyteratui, & Diaconatui; prout *n. praced.* insinuatum: atqui inter Ordines Majores non referretur, neque annexam haberet adeo rigidam obligationem, cum Presbyteratu, & Diaconatu æqualem, nisi esset æqualiter cum iis res sacra, & Sacramentum; ergo &c.

65. Dico secundo. Etiam omnes, & singuli Ordines Minores sunt proprie dicta Sacramenta. Ita communior, multoque probabilior sententia, quam tenent Doctor Angelicus 3. *part. q.* 37. *art.* 3. Doctor Seraphicus *in* 4. *dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 4. Doctor Subtilis *in* 4. *dist.* 24. *q. unic.* Amicus *tom.* 8. *disp.* 22. *sect.* 8. *n.* 58. Sporer, Herincx, Bosco, & alii innumeri contra Sotum, Vasquez, & alios.

Probatur primo authoritate Conciliorum Florentini, & Tridentini. Florentinum nanque in supra allegato Decreto, & §. postquam edixerat, Ordinem esse Sacramentum, statim subdit, materiam hujus Sacramenti esse rem, quæ traditur ab Episcopo, & formam esse verba; idque non solum applicat Ordinibus Majoribus, verum etiam Minoribus: cum ergo Ordines Majores sint Sacramenta, quatenus in illis reperitur materia, & forma, idem asserendum erit de Ordinibus Minoribus, utpote in quibus similiter reperitur materia, & forma. Porro Tridentinum post enumeratos *in Sess.* 23. *cap.* 2. septem Ordines, statim *cap.* 3. *seq.* indefinite pronunciat, Ordinem esse verum Sacramentum; cum ergo propositio indefinita in materia necessaria, præsertim Fidei, æquipolleat universali, Concilium dicendo, *Ordinem esse verum Sacramentum*, æquivalenter idem dixit, *ac omnem Ordinem esse Sacramentum*: consequenter &c.

Probatur secundo etiam ratione. Quilibet ex quatuor Ordinibus Minoribus est immediate institutus a Christo, prout relinquitur ex dictis *num.* 44. perficitur traditione alicujus signi, tanquam materia, & certis verbis, tanquam forma, prout videbimus *art. seq.* quilibet confert specialem potestatem circa Eucharistiam, prout advertimus *n.* 46. quilibet in suscipiente, obicem non ponente, causat gratiam sanctificantem; & quilibet imprimit characterem, prout dicemus *n.* 98. & *seq.* ergo quilibet est Sacramentum vere, & proprie dictum; cum non appareat, quid amplius, præter commemorata, exigi ad rationem Sacramenti possit.

66. Objicies primo. Ordines Minores nec in conferente, nec in suscipiente requirunt statum gratiæ saltem sub culpa gravi; neque habent annexam obligationem recitandi Horas Canonicas, aut servandi continentiam: imo pro libitu permittunt transitum ad Statum laicalem; ergo non videntur esse Sacramenta.

Respondetur, negando primum membrum antecedentis, ceu voluntarie assumptum, & oggerendo, non minus in conferente, & suscipiente Ordines, etiam Minores, sub gravi culpa prærequiri statum gratiæ, ac in conferente, & suscipiente alia Sacramenta vivorum, Ad alterum membrum antecedentis ajo, quod illæ obligationes, recitandi nimirum Horas Canonicas, & servandi continentiam, solum annexæ sint Ordinibus Majoribus, & Sacris, idque tantum ex præcepto Ecclesiæ, aut voto suscipientis respective; non vero Ordinibus Minoribus, & non (specialiter) Sacris, in quibus proinde ratio Sacramenti, ex Divina institutione dependens, consistere salva potest sine prædictis obligationibus. Ad tertium membrum antecedentis dico, utique Minoristis permissum esse transitum, ad Statum laicalem, ita tamen, ut amittant immunitatem, quæ ad nutum Ecclesiæ est revocabilis; retineant vero characterem Sacramentalem, quippe ex institutione Divina indelebilem: quod potius argumento est, Ordines Minores esse Sacramenta; quia character Sacramenti tantum, & nullius alterius ceremoniæ sacræ effectus est, Unde ad object. neg. conf.

67. Objicies secundo, Actus Minorum Ordinum possunt exerceri a Laicis: sed hoc fieri non posset, si Ordines isti essent Sacramenta; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Possunt exerceri a Laicis ex officio, & solemniter, neg. aliter, con. maj. & distinctione applicata minori, neg. conf. Si hoc argumentum aliquid evinceret, etiam evinceret, Ordines Minores non esse veros, & proprie dictos Ordines, contra Trid. *Sess.* 23. *cap.* 2.

68. Objicies tertio contra hanc, & præcedentem conclusionem simul. Si omnes, & singuli Ordines tam Majores, quam Minores sint Sacramenta, sequitur, non tantum septem, sed tredecim, vel omnino quatuordecim esse Sacramenta novæ Legis: sequela autem adversatur communi sensui Catholicorum; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. maj. Nam omnes septem, vel (si Episcopatus seorsim numeretur) octo Ordines recte dicuntur unum moraliter Sacramentum Ordinis propter habitudinem, & subordinationem ad unum finem, qui est consecratio Corporis, & Sanguinis Christi; quamvis singuli secundum se sint distincta signa gratiæ, distinctosque characteres imprimant. Vel dic, quod omnes Ordines constituant unum Sacramentum Ordinis, non quidem unitate simplicitatis, aut quoad speciem atomam, sed unitate integritatis, & quoad speciem subalternam, quatenus nimirum veluti partes integrantes, & species atomæ, in integraliter, & secundum speciem subalternam unum moraliter Sacramentum coalescunt.

ARTI-

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam, & Formam Ordinis.

§. I.

Quænam sit Materia, & quænam Forma Ordinis?

SUMMARIUM.

69. & seq. Assignatur Materia tam remota, quam proxima, cum correspondente Forma, Ordinis in communi, & in particulari. 71. & seq. Solvuntur opposita, & subjungitur corallarium.

69. Dico primo. Materia remota Ordinis generatim, ac in communi, est id, per cujus traditionem, vel applicationem confertur Ordo; materia vero proxima est ipsa traditio, vel applicatio materiæ remotæ; forma consistit in verbis Ministri, quibus significatur potestas, quæ per Ordinationem communicatur. Hæc conclusio fluit ex dictis de materia, & forma Baptismi, Confirmationis &c. lucemque accipiet ex jam jam dicendis *in conclus. seq.* Unum duntaxat in præsenti notandum venit, in ipsa conclusionis positione losiouarum, aliquos nempe Ordines, & plerosque, conferri traditione; aliquos vero alia actione applicativa materiæ remotæ, adeo, ut talis actio applicativa, seu applicatio sit materia Ordinis proxima, sive totalis, sive partialis: prout statim patebit.

70. Dico proin secundo. Materia remota, & proxima, ac correspondens forma, Ordinum in particulari sunt, ut sequitur,

1. Materia remota Ostiariatus sunt claves; proxima, earum traditio; forma vero, quæ in Ecclesia Latina usurpatur, sunt hæc verba: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

2. Materia remota Lectoratus est liber lectionum veteris, & novi Testamenti; proxima, ejusdem libri traditio: forma sita est in istis verbis: *Accipite, & estote Verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum his, qui Verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

3. Materia remota Exorcistatus est liber Exorcismorum, & Adjurationum; proxima, ejusdem libri traditio: forma consistit in hisce verbis: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

4. Materia remota Acolythatus est candelabrum cum candela extincta, & urceolus vacuus proxima, eorum traditio: dum traditur candelabrum, adhibetur hæc forma: *Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos in nomine Domini:* dum vero traditur urceolus, ista forma pronunciatur: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.*

5. Materia remota Subdiaconatus est calix vacuus cum patena vacua superposita; proxima, ejusdem traditio: forma consistit in istis verbis: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

6. Materia remota Diaconatus est tum manus dextra Episcopi; & proxima, illius impositio: forma correspondens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini:* tum liber Evangeliorum; & proxima, hujus libri traditio: forma hic correspondens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

7. Materia remota Presbyteratus in Ecclesia Latina, & supposita ejus moderna determinatione, sunt tum calix cum vino, & patena cum hostia; proxima, eorum traditio: forma correspondens: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini:* tum ambæ manus Episcopi; & proxima, harum impositio, non prima, quæ præcedit traditionem calicis, sed altera, quæ fit ad finem Missæ, & cui correspondit ista forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Per traditionem calicis &c. & correspondentem formam significatur potestas, quæ datur Presbytero super Corpus Christi verum; per impositionem manuum vero &c. & adjunctam formam denotatur potestas, quæ confertur Presbytero super Corpus Christi mysticum.

8. Materia remota Episcopatus sunt tum manus trium Episcoporum; proxima, earum manuum impositio super caput Consecrandi: forma: *Accipe Spiritum Sanctum:* tum gemina Unctio, capitis scilicet, ac manuum Consecrandi, quam utranque Consecrator facit; & dum inungit caput Consecrandi, utitur hac forma: *Ungatur, & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali:* dum vero inungit manus Consecrandi, sequentem pronunciat formam: *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, & chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David Regem & Prophetam; ita ungantur, & consecrentur in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.*

Sed ne dicamur meras ponere assertiones, oportet etiam probare, quæ hucusque asserta sunt; præsertim quoad illa, circa quæ Authores diffident, & controvertunt; veluti patebit. Interim necesse non est, ut asserta aliter probemus, quam quatenus concernunt materias proximas Ordinum: his quippe probatis, etiam probare censentur materiæ remotæ, & formæ correspondentes, quod nempe sint substantiales, & respective essentiales, quando materiæ proximæ essentiales existunt. Itaque

Probatur primo de Ordinibus Ostiariatus, Lectoratus, & Exorcistatus: quia in collatione horum trium Ordinum non interveniunt aliæ traditiones, aut actiones, quibus conferantur potestates aperiendi, legendi, & exorcizandi, competentes Ostiariis, Lectoribus, & Exorcistis; ergo illæ traditiones solæ, supra specificatæ, necessario erunt materiæ proximæ essentiales; cum quilibet Ordo materia proxima essentiali constare debeat, prout decantatum est apud DD. qui proinde in assignanda materia, & forma prædictorum Ordinum conveniunt, nec ullam movent controversiam.

Probatur secundo de Ordine Acolythatus: siquidem tam Concilium Carthaginense IV. quam Pontificale Romanum ex æquo ambas illas traditiones pro materia proxima hujus Ordinis assignat; nec ex formis correspondentibus colligi ulla ratione potest, unam duntaxat illarum esse materiam essentialem, alteram vero extra-essentialem; ergo ambæ habendæ sunt pro materia essentiali; præsertim quia ambarum formæ distinctum aliquod, nullique alteri Ordini proprium officium designant: veluti eas intuenti pervium erit. Ita Vasquez, Henriquez, Tanerus, Bosco *disp. 10. sect. 2. conclus. 2. n. 39.* Sporer *in Theol. Sacram. part. 1. cap. 5. num. 131.* Cherubinus Mayr ubi supra *pag. 47. n. 77.* & alii contra alios, quorum aliqui solam traditionem candelabri, alii vero solam traditionem urceoli pro materia essentiali Acolythatus assignant.

Probatur tertio de Ordine Subdiaconatus ex definitione Concilii Florentini dicentis: *Subdiaconatus* (confertur) *per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem &c.* Accedit ratio: illa namque cujuslibet Ordinis est materia essentialis, per cujus usum Ordinatus præcipue deservit Sacrificio Missæ: atqui Subdiaconus præcipue deservit Sacrificio Missæ per calicem, & patenam, in quibus sacrificandum est, & quæ ad eum finem porrigit; ergo &c. Neque dicas, inde solum evinci, quod traditio calicis, & patenæ sit materia essentialis partialis præcipua, non vero, quod sit totalis: sed præter ipsam etiam traditionem libri Epistolarum pro materia essentiali partiali agnoscendam esse. Contra enim est, quod Florentinum *cit.* nullam faciat mentionem de traditione libri Epistolarum, sed de sola traditione calicis, & patenæ; cum tamen intenderit exactam inter Græcos, & Latinos inducere conformitatem in administratione Sacramentorum; ad quam inducendam omnino necessaria fuisset instructio de traditione libri Epistolarum, si esset materia essentialis, etiam partialis tantum, in collatione Subdiaconatus; sicut fuit necessaria instructio de traditione ca-

ne calicis, & patenæ; cum Græci neutram agnoverint, sed solam impositionem manuum: veluti ostendit P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 92. *a n.* 40. Deinde potestas legendi Epistolas in Missa solemniter, non habetur ex primæva Ordinis institutione, aut perpetua Ecclesiæ consuetudine, sed ex usu diu post Ecclesiam fundatam introducto: prout itidem ostendit prælaudatus Author *pag.* 497. *n.* 17. Sententiam porro nostram defendunt Valentia, Vasquez, Laymann, Brancatus, Sporer *loc. cit. n.* 135. & alii communius contra Mastrium, & alios.

Probatur quarto de Ordine Diaconatus, quod nempe utraque illa materia sit essentialis Diaconatui, si loquamur de Ecclesia Latina præcise, ejusque præsenti determinatione materiarum, ac formarum essentialium. Et quidem impositioni manus suffragatur usus utriusque Ecclesiæ, Orientalis, & Occidentalis, nunquam interruptus: per illam namque, & quidem solam, septem primi Diaconi ab Apostolis ordinati sunt *Actor.* 6. cum tunc Evangeliorum liber nondum fuerit conscriptus; per eandem (etsi non solam in Ecclesia Latina, quæ pro altera materia partiali determinavit modo traditionem libri Evangeliorum) etiamnum Diaconi ordinantur. Suffragatur quoque authoritas Concilii Carthaginensis IV. *can.* 5. dicentis: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus manum supra caput ejus ponat; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Accedit ratio: siquidem illa ceremonia, per cujus applicationem confertur gratia Spiritus Sancti, est essentialis Ordini, vel Sacramento, pro quo applicatur: sed impositio manus Episcopi est ceremonia, per cujus applicationem in Diaconatu confertur gratia Spiritus Sancti; alias frustra, & sine effectu diceret Episcopus, manum imponendo: *Accipe Spiritum Sanctum*: id quod pugnat contra authoritatem Tridentini *Sess.* 23. *can.* 4. ita definientis, & fulminantis: *Siquis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere:* Accipe Spiritum Sanctum ---- *anathema sit*. Alteram Diaconatus materiam partialem quoad attinet, favet aperte Concilium Florentinum in sæpe *cit. Decreto Eugenii*, §. *sextum Sacramentum*, ubi, postquam dixerat, materiam Sacramenti Ordinis esse illud, *per cujus traditionem confertur Ordo*, id etiam exemplificat de Diaconatu hisce verbis: *Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem*; ergo Concilium hanc dationem, sive traditionem agnoscit pro materia essentiali, saltem partiali, in Ecclesia nempe Latina, & supposita moderna determinatione materiarum, quam eadem Ecclesia fecit determinando signa distinctius, expressiva potestatis susceptæ; quale signum in Diaconatu vel maxime reputatur traditio libri Evangeliorum, utpote per quam tam potestas ministrandi Sacerdoti, quam legendi Evangelium in Missa, imo & baptizandi, ac prædicandi distinctius exprimitur, quam per solam manus impositionem. Pro nostra sententia, utranque prædictam materiam, tanquam essentialem, propugnante, stant Cajetanus, Lugo Dicastillo, Bosco, Herincx *de Sacram. Ordin. a num.* 44. Sporer ubi supra *a numer.* 138. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 514. *a n.* 41. & permulti alii contra alios, quorum aliqui solam impositionem manus, alii contra, iique plures, solam libri Evangeliorum traditionem pro materia essentiali agnoscunt.

Probatur quinto de Ordine Presbyteratus. Et quidem quod de facto in Ecclesia Latina calicis cum vino, & patenæ cum hostia traditio sit materia essentialis, perspicue ob oculos ponit Concilium Florentinum in iterum, iterumque allegato Decreto Eugenii, dum ita pronunciat: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Accedit, quod hæc materia cum forma sibi correspondente clarissime exprimat potestatem offerendi Sacrificium sub utraque specie, maximeque concordet cum modo, quo Christus ipse in ultima Cœna suos Discipulos Ordinavit Sacerdotes, porrigendo eis panem, & vinum consecratum, atque dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod etiam impositio manuum, quæ sequitur traditionem calicis, & fit ad finem Missæ, sit materia essentialis Sacerdotii, seu Presbyteratus complete sumpti, promitur ex Tridentino, quod *Sess.* 14. *cap.* 3. *de Sacram. Extr. Unct.* determinat, proprios istius Sacramenti (Extremæ nimirum Unctionis) Ministros esse Episcopos, aut Sacerdotes, ab ipsis rite Ordinatos *per impositionem manuum*: atqui hic non potest intelligi impositio manuum prima, seu illa, quæ præcedit traditionem calicis; cum hæc talis impositio non habeat sibi correspondentem formam, per quam ad essentialiter perficiendum hunc Ordinem, & Sacramentum determinetur (ex dictis *n.* 70.) neque significet specialem potestatem hujus Ordinis &c. ergo intelligenda venit altera, quæ traditionem calicis subsequitur: consequenter &c. Ratio quoque suffragatur: quia ea impositio manuum est ceremonia, per cujus applicationem confertur Spiritus Sanctus, seu gratia sanctificans, & specialis potestas Ordinis in Corpus Christi mysticum (sicut per traditionem calicis, & patenæ confertur potestas in Corpus Christi verum) quemadmodum clarescit ex forma, quæ in dicta impositione manuum adhibetur; ergo dicatur, necesse est, materia essentialis (nempe partialis) Ordinis Sacerdotalis, seu Sacerdotii, & Presbyteratus complete sumpti. Sententiæ nostræ patrocinantur Scotus *in* 4. *dist.* 19. *q. unic.* & *dist.* 24. *q. unic. art.* 3. Laymann, Mastrius, Brancatus, Bosco, Sporer &c.

Probatur sexto de Ordine Episcopatus. Et quidem impositionem manuum trium Episcoporum esse materiam essentialem, constat ex verbis S. Pauli, quæ habentur 1. *ad Timoth.* 4. ibi: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam* (id est, per revelationem, quam a Christo accepi, ut te in Episcopum eligerem) *cum impositione manuum Presbyterii*. Quem textum Patres, & Theologi ita exponunt: *Noli negligere gratiam Ordinis Episcopalis tibi collati per impositionem manuum factam a Presbyteris majoribus, seu Episcopis*. Quod altefatus Apostolus repetit adhuc luculentius *in Epist.* 2. *ad eund. Timoth. c.* 1. ubi ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quod autem ritus iste esset duraturus in Ecclesia, colligitur ex eodem Apostolo 1. *ad Timoth.* 5. ubi inquit *Manus cito nemini imposueris* &c. De gemina illa unctione, quod & ipsa sit materia essentialis in Ecclesia Latina, & supposita hujus determinatione, sic ostenditur: quia per unctionem capitis Episcopus electus consecratur in Ordine Pontificali, quemadmodum liquet ex forma, quæ in ea unctione adhibetur, & est *Ungatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictione in Ordine Pontificali*. Accipit præterea idem Episcopus per unctionem manuum potestatem benedicendi, & consecrandi, juxta Innoc. III. *cap. unic. de sacra Unction.* ibi: *Manus Episcopi inunguntur, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi*: unde altefatus Pontifex Episcopo Bracharensi, in cujus consecratione hæc unctio omissa fuerat, mandat, ut eam suppleri curet; ergo &c. Atque ita sentiunt Joannes Pontius *in Curs. Theol. disp.* 48. *n.* 15. Herincx *disp.* 10. *q.* 4. *n.* 32. Cherubinus Mayr ubi supra *pag.* 661. *n.* 62.

71. Objicies nunc primo contra materiam Acolythatus, Juxta Doctorem Angelicum *in Supplem. q.* 37. *art.* 5. *ad* 6. principalior actus Acolythi est ministratio in urceolo; atque ideo in sola datione urceoli imprimitur character. Accedit, quod Candelabrum olim non fuerit traditum ab Episcopo, sed ab Archidiacono; prout legere est in Concilio Carthaginensi IV, cujus verba in responsione adducemus, Ergo sola traditio urceoli est materia essentialis Acolythatus. Ita cum aliis arguit P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 5. *disp.* 11. *art.* 3. *n.* 17.

Respondetur, neg. cons. Ad primum antecedentis membrum ajo, authoritati Doctoris Angelici opponi posse authoritatem Doctoris Seraphici, qui *in* 4. *dist.* 24. *p.* 2. *dub.* 2. pro actu principaliori agnoscit gestationem cerei, a qua *Ceroferarius* suam nomenclaturam trahit, & quam exercet in quadam completione, ministrationem aquæ vero incomplete tantum, utpote quæ completur, seu completius exercetur a Diacono. Addit idem Seraphicus Doctor in confirmationem suæ doctrinæ, quod gestatio cerei significet bonum exemplum, in quo relucet aliqua superioritas, per ministrationem vero aquæ denotetur subjectio. Deinde insistendo etiam authoritati Doctoris Angelici, nihil in-

ferri

ferri efficaciter contra nostram sententiam potest: esto enim detur, principaliorem actum Acolythi esse ministrationem in urceolo, & per solam traditionem urceoli imprimi characterem, non tamen sequitur, solam traditionem urceoli esse materiam essentialem: sicut non sequitur, solam traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia esse materiam essentialem Presbyteratus complete sumpti, quamvis consecratio sit actus principalior Sacerdotis, absolutio autem a peccatis actus minus principalis, & juxta multos in illa traditione sola imprimatur character. Verbo ut dicam totum, retenta authoritate Doctoris Angelici, ad summum sequitur, traditionem urceoli esse materiam essentialem Acolythatus magis principalem traditionem candelabri; sicut traditio calicis; & patenæ est materia essentialis Presbyteratus magis principalis, ac impositio manuum Episcopi. Ad alterum antecedentis membrum oggero, etiam urceolum olim non fuisse traditum ab Episcopo, sed ab Archidiacono: veluti liquet ex verbis Concilii Carthaginensis *cit*, quod *capit*. 6. ita habet: *Acolythus, cum Ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in Officio suo agere debet, sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.* Si ergo hoc argumentum, ex Concilio depromptum, quidquam probaret etiam contra Adversarios, ne quidem traditionem urceoli esse materiam essentialem; imo olim Ordinem Acolythatus fuisse collatum absque interventu materiæ essencialis: id quod nemo admiserit. Itaque olim Ordo Acolythatus valide, & licite, imo obligatorie, conferebatur per geminam traditionem urceoli, & candelabri, tactam ab Archidiacono, tanquam Episcopi Ministro; quoniam pro tunc ita ordinaverat Ecclesia, cujus determinationi materiam, & formam Ordinis Christus reliquit: prout infra *n.* 76. videbimus.

72. Objicies secundo, contra materiam Subdiaconatus. Traditio libri Epistolarum habet sibi correspondentem formam, qua significatur specialis aliqua potestas; sic enim sonat: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ergo memorata traditio est materia essentialis, saltem partialis, Subdiaconatus; consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, quod quidem præallegata forma significet specialem aliquam potestatem Ordinis; at non talem, quæ Ordini ex vi institutionis sit annexa, sed quæ per Ecclesiæ usum eidem fuit superaddita; prout cum aliis exponit P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 497. *num.* 18. Manet ergo, traditionem libri Epistolarum non esse materiam essentialem, etiam partialem tantum; veluti evincit tertia probatio superius posita: esto negari non possit, esse materiam integralem; id quod indigitat Pontificale Romanum, dum eos, quibus calix vacuus cum patena vacua superposita jam fuit traditus, adhuc vocat *Ordinandos*, quatenus nempe ipsorum Ordinatio nondum est completa integraliter, quamvis sit completa essentialiter: prout itidem exponit Author immediate nominatus *loc. & n. cit.*

73. Objicies tertio contra materiam Diaconatus. Et in primis cum illis, qui volunt, solam impositionem manus esse materiam essentialem Diaconatus. Nam septem primi Diaconi per solam impositionem manus ordinati sunt *Actor.* 6. ergo ea sola est materia essentialis Diaconatus. Deinde cum aliis, qui contendunt, solam traditionem libri Evangeliorum esse materiam essentialem ejusdem Ordinis, Itaque ajunt, Concilium Florentinum nullam fecisse mentionem de impositione manus, sed solum de traditione libri Evangeliorum, quando pertractat materiam Diaconatus; ergo (inquiunt) signum est, impositionem manus non esse materiam essentialem dicti Ordinis, sed solam traditionem libri Evangeliorum. Porro mire exaggerant verba, quæ habentur *in cap.* 1. *de Sacram. non iterandis*, ibi: *Presbyter, & Diaconus, cum Ordinatur, manus impositionem tactu corporali, rite ab Apostolis introducto recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum*; ergo (inferunt) impositio manus respectu Diaconatus est ritus mere accidentalis; alias ea prætermissa, totum Sacramentum repetendum foret. Tandem impositioni manus nulla hic correspondet forma, quæ exprimat specialem aliquam potestatem; imo verba formæ *num.* 70. recitata, adaptari valent omni Ordinationi, cum in quolibet ministerio necessarium sit robur Spiritus Sancti ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus; ergo &c.

Respondetur ad singula. Et quidem ad 1. neg. cons. Ad ant. dico, mirum non esse, quod Ecclesia, cujus est materias Ordinum in individuo determinare, pro illo tempore solam manus impositionem tanquam materiam essentialem determinaverit; siquidem liber Evangeliorum tunc nondum erat scriptus: imo in Ecclesia Græcorum hodiedum sola illa impositio usurpatur; in Ecclesia vero Latinorum præter illam ad majorem potestatis expressionem de facto determinata insuper est traditio libri Evangeliorum. Ad 2. neg. itidem cons. Ad ant. ajo, Concilium Florentinum ideo reticuisse impositionem manus; quia, saltem in illo Decreto, maxime solicitum fuit, qualiter instrueret Græces, qui instructione, non indigebant circa impositionem manus, quippe ipsis unice usitatam, sed circa solam traditionem libri Evangeliorum; cujus proinde solius meminit altefata Synodus: sicut ex eadem ratione eadem sacra Synodus reticet impositionem manuum usitatam in Ordinatione Presbyteri, quamvis ea juxta communem, & ipsorum etiam Adversariorum sententiam, constituat materiam essentialem partialem Presbyteratus complete sumpti; sicque mentionem de sola traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia, uti liquet ex textu *in* 5. *probat.* adducto. Deinde Concilium Carthaginense IV. supra allegatum solam memorat impositionem manus. & tamen inde non recte concluditur, traditionem libri Evangeliorum non esse materiam essentialem Diaconatus in Ecclesia Latinorum; ergo vicissim non recte concluditur, impositionem manus non esse materiam essentialem ejusdem Ordinis in eadem Ecclesia, licet Concilium Florentinum solam memoret traditionem libri Evangeliorum. Ad 3. neg. similiter cons. ejusque rationem probativam, utpote hic non verificabilem: licet enim tota Ordinatio repetenda sit, in qua materia essentialis, etiam partialis, fuit omissa, si alterius materiæ partialis valor ab illa omissa dependeat, uti valor impositionis manuum in Ordinatione Presbyteri dependet a traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia, cum potestas in Corpus Christi mysticum essentialiter præsupponat potestatem in Corpus Christi verum, ut proinde Presbyter per solam manuum impositionem, prætermissa illa traditione, deberet reordinari ex integro, id est, per iteratam applicationem utriusque materiæ, & formæ: non tamen tota Ordinatio repetenda est, si alterius materiæ partialis valor non dependeat a valore materiæ omissæ; veluti in Ordinatione Diaconi, ubi neutrius materiæ valor dependet a valore alterius: quare alterutra omissa, nihil iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum. Ad ultimum dico, quod licet verba illius formæ, secundum se, & quoad suam significationem Grammaticalem spectata, adaptari cuilibet Ordinationi possent, ex voluntate tamen, & determinatione Ecclesiæ appropriata sunt soli Ordinationi Diaconi; idque non abs ratione, quæ est, quod Diaconus ad obeunda prædicationis, & baptizationis munia speciali indigeat robore, quo fortius resistat diabolo, & intentatos ab eo impetus efficacius retundat.

Dices. Traditio libri Epistolarum non est materia essentialis Subdiaconatus; ergo nec traditio libri Evangeliorum est materia essentialis Diaconatus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas a priori petenda est ex voluntate, & determinatione Ecclesiæ intimata per Concilia superius *in probat.* 3. & 4. adducta. Disparitas congruentiæ, & a posteriori est, quod potestas, quæ in Ordinatione Subdiaconi confertur, sufficientissime significetur per traditionem calicis vacui cum patena; adeoque traditio cujuscunque alterius signi non fuerit determinata, & assumpta ab Ecclesia, tanquam necessaria ad valorem Subdiaconatus.

Con-

Contra per impositionem manus non tam expresse, & clare significatur potestas, quæ confertur in Ordinatione Diaconi; ut proinde congruum omnino fuerit, ab Ecclesia adhuc assumi, & determinari aliud signum, dictæ potestatis distinctius expressivum, quale est traditio libri Evangeliorum; uti ostensum *in probat.4.*

74. Objicies quarto contra materiam Presbyteratus. In Pontificali Romano illi, qui calicem cum vino, & patenam cum hostia acceperunt, jam dicuntur *Ordinati*, & *Sacerdotes*; ergo impositio manuum, quæ fit postea, nempe ad finem Missæ, non est materia essentialis Presbyteratus.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, illos, qui per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia Ordinati sunt, recte dici, & reipsa esse *Ordinatos*, ac *Sacerdotes*, non quidem quoad utranque potestatem, quam jam acceperint in Corpus Christi tam verum, quam mysticum, sed quoad unam, nempe, in Corpus Christi verum: siquidem per solam illam traditionem jam obtinuerunt potestatem valide consecrandi, esto nondum obtinuerint potestatem absolvendi a peccatis, utpote quamprimum accipiunt postea per impositionem manuum. Alia, quæ adhuc opponi impræsentiarum possent, facile solvuntur ex dictis *n.praeced.*

75. Objicies quinto contra materiam Episcopatus. Unctio capitis, & manuum non est essentialis in Ordine Presbyterali; ergo nec in Ordine Episcopali.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in Ordinatione Presbyterorum ea unctio vel tantum fit in præparationem accipiendæ potestatis consecrandi panem, & vinum, vel ad significandum officium accessorium, quod in benedictione certorum fructuum, & liquorum consistit: at vero in Consecratione Episcoporum adhibetur in signum potestatis præcipuæ, videlicet consecratoriæ personarum, & rerum corporalium. Unde non mirum, quod in Ordine Presbyterali solum materiam accidentalem, in Ordine autem Episcopali essentialem constituat.

76. Colliges, materiam, & formam Ordinis, tam generatim, quam speciatim accepti, fuisse quidem a Christo determinatas in communi, & quoad speciem subalternam, non vero in particulari, & quoad speciem infimam, sive quoad individuum: hanc quippe posteriorem determinationem voluit esse positam in arbitrio Ecclesiæ. Palao, Bonarina, Petrus Marchant. Bosco, Spoter, & alii passim, nosque jam insinuavimus *part.5. n.11.* Itaque dum Christus Sacramentum Ordinis instituit, pro materia ejusdem, tam generatim, quam speciatim accepti, exegit, instituit, atque determinavit signum aliquod sensibile, externum, & reale gradus, & potestatis conferendæ satis expressivum: pro forma vero signum aliquod vocale, ejusdem gradus, & potestatis adhuc magis significativum. Quia vero hujusmodi signa possunt esse varia, eorum determinationem magis specificam, & particularem Ecclesiæ reliquit faciendam, adeo quidem, ut ipse vim collativam gratiæ promiserit illis rebus, & verbis, quæ per Ecclesiam in præfatum finem assumpta, & determinata fuerint. Atque exinde patet, quomodo Ecclesia aliam materiam, & formam essentialem pro Græcis, & aliam pro Latinis valide, & licite determinare potuerit, quin materiam, & formam, a Christo institutas, atque determinatas, substantialiter variaret, aut Sacramentum instituisse diceretur. Non enim prius; siquidem Ecclesia determinavit id, quod Christus instituit, nempe signum aliquod externum partim reale, partim verbale, debite expressivum gradus, & potestatis per Ordinationem conferendæ, esto cum aliqua diversitate se tenente ex parte modi, quem Christus ipse determinare noluit. Neque posterius; nam ut quis censeatur instituere Sacramentum, non sufficit, quod designet, & specificet signum, ad cujus applicationem conferatur potestas, & gratia, sed requiritur præterea, ut illiusmodi signo indat vim collativam potestatis, & gratiæ; id quod non fecit, nec facere potuit Ecclesia, sed solus Christus.

§. II.

Proponuntur, & resolvuntur nonnulla Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

77. Clericus Græcus ritu Latino valide: Latinus contra ritu Græco invalide Ordinaretur. 78. Circa materiam Subdiaconatus tres Quæstiones expediuntur; & 79. circa materiam Diaconatus una. 80. & 81. Circa materiam Presbyteratus itidem tres Quæstiones expediuntur; circa materiam vero Episcopatus 82. una.

77. Quæres primo, an valeat Ordinatio, si Episcopus (Latinus, aut Græcus) ordinet Clericum Græcum ritu Latino, vel Clericum Latinum ritu Græco?

Respondetur, valere Ordinationem (1.) factam priore modo; non autem (2.) factam posteriore modo. Ita P. Frassen *in Scoto Academico tom.4. tr.3. art.1. q.3. n.11.* P. Cherubinus Mayr *loc.cit.pag.101. a n.54.* & alii. Ratio responsionis quoad primum membrum est: quia Concilium Florentinum in sæpe memorato Decreto Eugenii absolute, & absque limitatione pronunciat, materiam Sacramenti Ordinis esse traditionem instrumentorum, & formam esse verba in Pontificali Romano præscripta; ergo intendit innuere, talem ritum ab universali Ecclesia servari posse: & modo præfato valide administrari Sacramentum Ordinis. Confirmatur. Ritus Latinus Ordinandi, quoad essentialia, complectitur, quidquid continet Ritus Græcus, nempe impositionem manuum pro illis Ordinibus, in quorum collatione noscitur ab Apostolis applicata, & verba correspondentia: addit præterea traditionem instrumentorum, & alia adhuc verba, distinctius expressiva potestatis, quæ in Ordinatione acquiritur; ergo non apparet, cur Clericus Græcus, ritu Latino Ordinatus censeatur invalide Ordinatus. Ratio responsionis quoad alterum membrum est: siquidem Ecclesia pro Ordinatione Latinorum determinavit (sicut determinare potuit conformiter dictis *n.praeced.*) & superaddidit aliam materiam essentialem præter materiam, pro Ordinatione Græcorum usitatam; nempe pro Ordinatione Latinorum in Presbyteros traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia; pro Ordinatione vero eorundem Latinorum in Diaconos dationem libri Evangeliorum, cum forma utrobique correspondente; neutram tamen pro Ordinatione Græcorum, utpote pro qua sola statuta, & determinata manet impositio manuum secundum dicta *num.70. ac probat.4. & 5.* ergo si Clericus Latinus Ordinetur ritu Græco in Presbyterum, vel Diaconum Ordinatio est invalida, cum desit partialis materia essentialis, pro Ordinatione Latinorum per Ecclesiam determinata, atque præscripta. Sed

Dices contra secundam partem. Valide baptizatur Latinus ritu Græcorum; ergo etiam valide Ordinatur ritu Græcorum.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia cum Christus ipse materiam, & formam Baptismi quoad speciem infimam determinaverit, ex dictis *part.5.n.11.* Ecclesia nihil addidit, nec addere potuit, quod ad valorem talis Sacramenti requireretur respectu Latinorum, & non respectu Græcorum, aut vicissim. Secus se res habet de materia, & forma Ordinis; ut pariter constat ex dictis *cit. num.* & hic: consequenter &c.

78. Quæres secundo circa materiam Subdiaconatus sequentia. 1. An calix (idem cogita de patena) debeat necessario necessitate materiæ, & Sacramenti istius esse consecratus? 2. An idem calix eadem necessitate debeat esse vacuus, seu in quo non sit vinum? 3. An denique eadem necessitate Subdiacono porrigi debeat utrunque instrumentum, calix scilicet, ac patena?

Respondetur primo ad primum membrum Quæsiti negative cum probabiliori, ac veriori sententia, quam tenent Sotus, Navarrus, Ledesma, Sà, Coninck, Barbosa, Bonacina, quos refert, & sequitur Augustinus Michel *de Sacram, Ordin. fol.620.n.6.* Ratio est:

tum quia ex nullo Canone constat, aut colligitur ejusmodi necessitas: tum quia tota significatio ministerii, ad quod Subdiaconus in sui Ordinatione deputatur, salvatur per traditionem calicis (& patenæ) non consecrati: quin ipsum Sacramentum Eucharistiæ in calice non consecrato valide confici a Sacerdote potest. Itaque calix (idem esto judicium de patena) debet necessario quidem esse consecratus; at non necessitate materiæ, & Sacramenti, sed necessitate præcepti, prout constat ex usu, & ritu Ecclesiæ, qui sub mortali observandus est.

Respondetur secundo ad secundum membrum Quæsiti itidem negative, supposito, quod Ordinans solum calicem formaliter tradere intendat, & Ordinandus formaliter acceptet. Ita Card. de Lugo *Respons. Moral. lib.1. dub.30.* Sporer ubi supra *num.* 136. Babenstuber *tr.8. part.5. disp.11. art.3. n.15.* & alii satis communiter. Ratio est: quia secundum Regulam 37. *de Reg. Jur. in 6. Utile per inutile non vitiatur*, quando nimirum illud ab isto separari potest: atqui relate ad Ordinationem Subdiaconandi calix est materia utilis, & vinum materia inutilis, potestque ille ab isto separari; ergo licet tradatur Subdiaconando calix, in quo continetur vinum, traditur nihilominus materia utilis, seu non vitiata per inutilem: consequenter &c.

Dixi autem: *supposito, quod &c.* Si enim Ordinans sciret vinum esse in calice, & nihilominus Subdiaconando traderet (quod esset formaliter tradere non solum calicem, sed etiam vinum) censeretur intendere introductionem novi ritus essentialis; atque ideo ordinaret invalide, *arg. can.84. de Consecrat. dist.4.* Ratio quoque suffragatur: quia licet in tali etiam casu accidentalis duntaxat mutatio materiæ fieret, & consequenter non irritaretur directe Ordinatio ob defectum materiæ; irritaretur tamen ob defectum debitæ, & ad valide ordinandum requisitæ intentionis, quatenus sic Ordinans destitueretur intentione faciendi id, quod facit Ecclesia.

Respondetur tertio ad tertium membrum Quæsiti affirmative. Ita cum communi aliorum P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.499. n.20.* Ratio est: siquidem, ut quis valide (quantum est ex parte materiæ) Ordinetur in Subdiaconum, debet accipere potestatem ministrandi sacra vasa pro completo Sacrificio, vi materiæ in Ordinatione porrectæ significatam: atqui non accipit ejusmodi potestatem, nisi ipsi porrigatur & calix, deserviens ad continendum vinum, & patena deserviens ad continendum panem (nam ad continendum utrunque nec ille, nec ista seorsim deservit; veluti de se patet) ergo porrigi debet tam calix, quam patena; idque necessario necessitate materiæ, & Sacramenti, alioquin suo valore carituri.

79. Quæres tertio circa materiam Diaconatus, an valide conferretur hic Ordo, si Diaconando traderetur Missale minus continens Missas de Requiem? Ratio dubitandi est: quia Diaconando debet dari potestas legendi Evangelium *tam pro vivis, quam pro defunctis*; Missale autem illud complectitur solum Evangelia pro defunctis.

Respondetur nihilominus affirmative. Ita Author, proxime nominatus, *pag.530. num.62.* videturque esse communis aliorum sensus. Ratio est: quia mediante porrectione unius Evangelii (etsi hoc præcise reperiatur insertum Missæ pro defunctis) solenniter in Missa decantabilis, sufficientissime significatur potestas legendi, vel cantandi quæcunque Evangelia, præsertim cum ea potestas tribuatur, ac concernat idem subjectum. Deinde in illo Missali minori pro die obitus ponitur Evangelium de Lazaro resuscitato, quod etiam reperitur in Missali majori, insertum Missæ pro vivis, legi solitæ Feria VI. ante Dominicam Passionis: consequenter &c.

80. Quæres quarto circa materiam Presbyteratus, an valida esset Ordinatio Presbyteri, si ei traderetur (1.) vinum sine calice, & hostia sine patena; aut vicissim (2.) calix sine vino, & patena sine hostia?

Respondetur primo ad primum membrum Quæsiti, Ordinationem, præfato modo peractam, fore omnino validam. Ita Tamburinus *lib.7. cap.5. §.3. n.5.* Sporer *in Theol. Sacram. part.2. num.23.* & alii passim. Ratio est: quia per traditionem vini sine calice, & hostiæ sine patena vere, ac sufficienter significatur potestas in Corpus Christi verum; hoc ipso, quod vinum solummodo, & hostias, seu panis, non item illa vasa, calix videlicet, & patena, existant materia Sacrificii, & celebrationis Missarum; ergo valeret Ordinatio Presbyteri (ut Ordinatio incompleta, conferens potestatem in solum Corpus Christi verum) tametsi traderetur ei vinum sine calice (adeoque in alio vase, quocunque tandem) & hostia sine patena. Sed

Dices. Ergo falsa est hæc propositio: *traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia constituit materiam essentialem Presbyteratus.* contra id, quod *n.70.* conclusimus.

Respondetur, neg. illatum, vel claritatis gratia dist. Falsa est illa propositio, si spectetur secundum corticem verborum, queis constat, trans. si spectetur quoad sensum, per verba intentum, neg. illatum. Sensus, per verba recitatæ propositionis intentus, est iste: *vini in calice, & hostiæ super patenam traditio constituit materiam essentialem Presbyteratus.* Traditur autem vinum in calice, & hostia patenæ superposita, ex præcepto Ecclesiæ, fundato in quadam decentia, quacum utique porrigenda est materia consecrabilis.

Instabis. Sequeretur, Presbyterandum valide Ordinatum iri, etsi calicem, & patenam nullo modo tangeret, sed solum vinum, & hostiam.

Respondetur, con. seq. Si enim ad validam Ordinationem Presbyterandi sufficiat (sicut sufficit juxta communem, veluti videbimus infra *num.106.*) tactus vini, & hostiæ mediatus, qualiter censentur tangi, dum immediate tanguntur calix, & patena, in quibus continentur, a potiori sufficiet tactus illorum immediatus.

Respondetur secundo ad secundum membrum Quæsiti, Ordinationem contra, eo modo peractam, fore invalidam. Ita communis DD. Ratio fluit ex immediate dictis; nam si Presbyterando traderetur calix vacuus, & patena vacua, non traderetur materia essentialis Presbyteratus, qualem constituunt vinum, & hostia; ergo patens est, Ordinationem, sic peractam, fore invalidam.

Dices tamen. Si Subdiaconando traderetur calix cum vino, & patena cum hostia Ordinatio valeret, ex dictis supra *n.78.* ergo etiam valeret Ordinatio, si Presbyterando traderetur calix sine vino, & patena sine hostia. Cons. prob. Nam Concilium Florentinum dicit, materiam Presbyteratus esse traditionem calicis cum vino, sicut dicit, materiam Subdiaconatus esse traditionem calicis sine vino, seu vacuum.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia Subdiaconandus eo casu vere acciperet materiam Subdiaconatus, nempe calicem, & patenam; hæc quippe rationem materiæ aptæ non amitterent propter res contentas, utpote quæ nec ab Ordinante traderentur, nec ab Ordinando acciperentur formaliter, id est, prout existunt signum de se repræsentans Ordinem Presbyteralem (ad id enim requireretur intentio sic tradendi, & accipiendi, qualis tamen nec in Ordinante, nec in Ordinando adesse supponitur) sed materialiter tantum, & quatenus eædem res relate ad materiam Subdiaconatus impertinenter, ac inutiliter se habent. At vero Presbyterandus non acciperet materiam Presbyteratus, quippe non in vasibus continentibus, calice scilicet, ac patena, sed in rebus contentis, vino scilicet, ac hostia, essentialiter sitam; prout relinquitur ex proxime dictis. Ad prob. cons. ajo, Concilium illo dicendi modo non innuere, quasi absentia vini in calice, & hostiæ in patena sit quid necessarium ex parte materiæ ad valorem Subdiaconatus requisitæ, sicut præsentia vini, & hostiæ est necessaria ex parte materiæ ad valorem Presbyteratus requisitæ; sed & illam, & istam esse necessariam, priorem necessitate præcepti, posteriorem etiam necessitate materiæ, & Sacramenti: sæpe enim Concilia solent recensere, quæ utriusque generis necessitate necessaria existunt.

81. Petes, an utraque species, vini scilicet, ac hostiæ sit de essentia Ordinationis Presbyteralis, adeo, ut hæc suo valore destitueretur, si Presbyterando traderetur calix cum vino, & patena vacua, vel patena cum hostia, & calix sine vino?

Respondetur affirmative. Tannerus *tom.4. disput.7. q.2. dub.5. n.98.* Gobat *in Theol. Experim. tr.8. n.98.*

Sporer

Sporer *loc. cit. num.* 26. Ratio est: quia Presbyterandus per illam sui Ordinationem debet accipere potestatem ad integrum, & totale Sacrificium, Corporis nempe, ac Sanguinis Christi, perficiendum; ergo ei tradi debet materia ejusmodi potestatis significativa; qualis tamen non est una species seorsim, sed utraque simul; ergo &c.

Dices. Potestas perficiendi Sacrificium Missæ sub utraque specie est indivisibilis; ergo hoc ipso, quod tradatur potestas illud perficiendi sub una specie, etiam traditur potestas perficiendi sub altera: consequenter &c.

Respondetur, admisso antecedente, neg. suppositum consequentis, quod tradatur, aut tradi valeat potestas perficiendi Sacrificium Missæ sub una specie, v. g. per hostiæ porrectionem, quin etiam tradatur potestas illud perficiendi sub altera specie, puta per porrectionem vini: quia enim prædicta potestas (prout ipsimet arguentes volunt) est indivisibilis, non potest tradi partialiter, & indivisibiliter, sed tradi debet totaliter, & indivisibiliter, prout significata per porrectionem hostiæ, & vini indivisim.

Instabis. Potest a Sacrificante consecrari valide una species sine alia, v. g. species panis sine specie vini, aut e contra; ergo etiam potest Presbyterandus valide Ordinari per traditionem unius speciei sine traditione alterius.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est; quia potestas ipsa consecrandi, quam Presbyterandus in sui Ordinatione accipit, est indivisibilis, & idcirco per traditionem utriusque speciei indivisim significata conferri debet. E diverso usus illius potestatis, cum hanc in subjecto jam præexistentem supponat, simili significatione practica, & causalitate non amplius indiget; consequenter &c.

82. Quæres quinto circa materiam Episcopatus, an impositio manuum Episcopalium, ut sit materia Episcopatus, fieri necessario debeat a tribus Episcopis, vel sufficiat, si fiat ab uno?

Respondetur, impositionem manuum a tribus Episcopis fieri quidem necessario debere (1.) necessitate præcepti, nimirum Ecclesiastici; non autem (2.) necessitate materiæ, & Ordinationis, ac Sacramenti Episcopatus. Primam partem admittunt DD. communiter. Alteram tenent D. Antoninus, Turrecremata, Silvester, Sanchez, Arcadius, Aversa, quos refert, & sequitur Herincx *disp.* 10. *quæst.* 5. *num.* 53. Item Neusser *disp.* 108. *quæst.* 3. *n.* 13. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 667. *num.* 72. & alii satis communiter. Ratio primæ partis est: quia sic præscribit Pontificale Romanum, & obtinet usus, ac consuetudo Ecclesiæ Latinæ. Alius est usus in Ecclesia Græca, utpote in qua (veluti patet ex Euchologio) Metropolitanus, seu primus Episcopus solus manum dexteram capiti Ordinandi imponit, aliis Episcopis solum tenentibus Evangelium, quod Ordinans super caput, & collum jam Consecrati ponit. Ratio secundæ partis est: quia in memorato Pontificali Romano ex tribus Episcopis, ad Ordinationem unius concurrentibus, unus tantum dicitur *Consecrator*, reliqui vero solum appellantur *Assistentes*: quod plane indicium est, unum duntaxat Episcopum per impositionem manuum suarum substantialiter, & essentialiter conferre Ordinem Episcopalem, reliquis non nisi accidentaliter influentibus: consequenter &c. Confirmatur ex Concilio Arausicano I. quod *can.* 21. statuit, ut si duo Episcopi præsumpserint reluctantem Ordinare, & Episcopum facere; is, qui vim passus est, substituatur in locum unius ex Ordinantibus: ergo per illam Ordinationem, etsi non a tribus Episcopis factam, verus Episcopus fuit effectus; alias ante substitutionem debuisset reordinari, de qua tamen reordinatione nulla ibi fit mentio.

Dices. Juxta Apostolum *ad Heb.* 7. ibi: *Major a minori non benedicitur, nec similiter par a pari*: sed quivis Episcopus parem cum altero potestatem Ordinis habet; ergo &c.

Respondetur, hoc argumento probari, Ordinationem Episcopalem ne a tribus quidem Episcopis valide peragi posse, cum tres non habeant majorem, seu altiorem potestatem Ordinis, ac unus. Textus proinde Apostoli intelligendus venit, quod par parem benedicere non possit mera authoritate propria; bene vero authoritate, & virtute Dei, qua proinde unus Episcopus alterum benedicere dicendus est.

Aliæ Authoritates, quas Adversarii adducunt, vel solum innuunt necessitatem præcepti Apostolici, seu Ecclesiastici; vel denotant, Ordinem Episcopalem; si non fuerit collatus per impositionem manuum trium Episcoporum, esse irritum, & inanem quoad liceitam sui executionem, ita, ut licite exerceri nequeat, antequam S. Pontifex dispenset; non vero quoad valorem, & impressionem characteris Episcopalis.

CAPUT II.

De Ministro, Subjecto, & Effectibus Ordinis.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum Ordinis.

SUMMARIUM.

83. *Omnis, & solus Episcopus, isque legitime consecratus, est ordinarius Minister Ordinis valide conferendi.* 84. *Solvitur objectio.* 85 *Quis esse possit, vel etiam de facto sit Minister extraordinarius Ordinum conferendorum?* 86. *Ut Episcopus sit Minister Ordinis licite conferendi, seu ut licite Ordinet, plures ex parte ipsius conditiones requiruntur; quæ & ibi specificantur, ac explicantur.* 87. *Episcopus censetur proprius Ordinandi, & hic illi subjectus tripliciter, nempe ratione originis, domicilii, & Beneficii.* 88. *Quis possit concedere dimissoriales?*

83. Dico primo. Omnis, & solus Episcopus, isque legitime consecratus, est ordinarius Minister Ordinis valide conferendi. Ita communis DD. *ex c.* 1. *de Ordinatis ab Episcopo &c.* & *Trid. Sess.* 23. *can.* 7. *de Sacram. Ord.* Ratio congruentiæ est: quia ministeria, & officia in populo distribuere pertinet ad Principes: sed Episcopi sunt Principes populi Christiani, sive Ecclesiæ; ergo ad Episcopos pertinet destribuere ministeria Ecclesiæ. Atqui hæc distributio fit per Ordinationem; ergo &c. Accedit, quod omnis, & solus Episcopus in sui Ordinatione accipiat potestatem Ordinandi: consequenter &c.

Dixi 1. *Omnis Episcopus*, ut indicarem, etiam Episcopum improbum, excommunicatum, suspensum, interdictum, degradatum, schismaticum, hæreticum &c. valide Ordinare, modo adhibeat debitam materiam, & formam cum intentione Ordinandi: siquidem potestas valide Ordinandi non est potestass jurisdictionis, sed potestas Ordinis fundata in charactere Episcopali per Consecrationem impresso, & per Ecclesiam inauferibili.

Dixi 2. *solus Episcopus*: quia nulli alteri in sui Ordinatione datur potestas Ordinandi.

Dixi 3. *legitime consecratus*; nam Episcopus solum electus, & confirmatus, sed nondum, aut non legitime consecratus, necdum adeptus est potestatem Ordidinis Episcopalis (hanc enim acquirit primum per Consecrationem) esto jam habeat potestatem jurisdictionis, vi cujus possit dare licentiam suis subditis adeundi Episcopum consecratum pro accipiendis ab eo Ordinibus.

Dixi 4. *ordinarius Minister*, id est, talis, qui potestatem conferendi Ordines acquisivit per ipsam sui Ordinationem, & exercere potest ratione Officii; nam Ministri extraordinarii, puta ex delegatione, & privilegio specialis Pontificis, respectu aliquorum Ordinum, etiam alii non Episcopi esse possunt; prout mox infra *n.* 85. dicemus.

Dixi 5. *Ordinis valide conferendi*: quia Minister Ordinis, etiam licite conferendi, non est omnis, seu quilibet Episcopus; prout itidem infra *n.* 86. videbimus. Interim hic

84. Objicies. Ordinatio, ab Episcopo excommunicato peracta, *can.* 2. & 3. *caus.* 9. *q.* 1. jubetur reiterari; & ab Episcopo hæretico facta, *c.* 1. *de Hæret.* pronunciatur irrita; ergo non omnis, seu quilibet Episcopus est Minister Ordinis valide conferendi.

Respondetur, neg. conf. Ad ant. ajo, Jura *cit.* lo-

qui de casu, quo non fuisset adhibita forma debita, aut Ordinatio ab Episcopo non legitime consecrato: vel de opinione erronea quorundam antiquiorum, putantium, hujusmodi Ordinationes esse iterandas: vel denique, & potius, plus non velle, quam Ordines, præfato modo collatos, esse irritos, ac inanes, non quidem quoad substantiam, sed quoad executionem, adeo, ut sine prævia dispensatione exerceri licite nequeant: sicut *num. præced.* in simili insinuatum est. P. Pichler *lib.1. tit.11. n.12.*

85. Quæres, quis esse possit, vel etiam de facto sit Minister extraordinarius Ordinum conferendorum?

Respondetur primo. Minister extraordinarius Ordinum saltem Minorum (& a potiori primæ Tonsuræ) ex commissione, aut privilegio S. Pontificis esse potest quilibet Sacerdos simplex, id est, non Episcopus: & (2.) de facto ejusmodi Ministri extraordinarii existunt Cardinales Presbyteri relate ad suos familiares; & Abbates, Sacerdotes, & benedicti (adeoque ejus utendi mitra, pedo, & annulo habentes) relate ad suos subditos, saltem Regulares, initiandos. Hæc responsio, in istis terminis reddita, communiter admittitur ab Authoribus quoad utranque partem. Porro pars prior sumitur ex ratione, quod Ordines Minores (idem a potiori cogita de prima Tonsura) non habeant respectum ad consecrationem Eucharistiæ ita propinquum, ut eorum collatio omnino videatur excedere dignitatem characteris Sacerdotalis. Pars posterior, in quantum Cardinales concernit, fundatur in privilegio, saltem non scripto, seu consuetudine acquisito (de quo videri possunt Barbosa *alleg.3. n.15.* Emmanuel Rodriquez *tom.3. QQ. Regul. q.23. art.2.* Pirhing *lib.1. Decretal. tit.11. n.47.*) in quantum vero Abbates concernit, in privilegio etiam scripto quoad collationem primæ Tonsuræ *can.1. dist.69. c.11. de ætat. & qualit. & ord. præfic. cap.3. de Privileg. in 6.* & in non scripto, seu per consuetudinem obtento, quoad collationem 4. Ordinum Minorum (P. Pichler *in Cand. abbrev. lib.1. tit. 11. n.5.*) nisi malis dicere, etiam Ordines Minores conferre ab Abbatibus posse suis Regularibus ex nova concessione Tridentini *Sess.23. de Reform. cap.10.* ubi potestatem conferendi primam Tonsuram, & Ordines Minores, Abbatibus, partim jure scripto, partim non scripto, seu consuetudinario (prout immediate insinuavimus) competentem, restringit ad Ordinationem Regularium eisdem subjectorum: ibi enim S. Synodus dictum privilegium ex ea parte, secundum quam illud non revocat, confirmare, & de novo, tacite saltem, concedere censetur; ut proinde tale privilegium, etiam quoad collationem Ordinum Minorum, sit, & appellari possit vi ejusmodi concessionis privilegium scriptum, etiamsi primævam originem traxerit ex consuetudine.

Dixi in respons. *relate ad suos subditos, saltem Regulares, initiandos.* Ubi annotandum, nomine Subditorum Regularium non solum venire Religiosos professos, sed etiam Novitios, juxta probabiliorem sententiam, quam tenent Pellizarius, Perhing, Engel, Konig, Layman, Sporer, & alii contra alios. Ratio est: quia in favorabilibus nomine Regularium etiam veniunt Novitii, *arg. cap.21. §. Quamvis, de Sentent. excomm. in 6.* cum ergo Abbates suis Regularibus primam Tonsuram, & Ordines Minores conferre possint, poterunt & suis Novitiis. Nec obstat, si dicas cum Adversariis, Concilium Tridentinum, solum concedere, vel relinquere Abbatibus potestatem antedictos Ordines conferendi Regularibus *sibi subditis*: atqui Novitii non sunt Abbatibus subditi, nempe simpliciter, & pleno jure, sicut Professi, sed tantum secundum quid, & quatenus ad probationem Religionis est necessarium, ergo &c. Contra enim est, quod Abbatibus facultas prima Tonsura, & Ordinibus Minoribus initiandi Novitios competierit Jure antiquo; ergo cum correctio Jurium, quantum fieri potest, vitanda sit, Tridentini, Jus antiquum *loc. cit.* corrigentis, verba, *Regularis subditus*, accipienda sunt ample (prout & accipi possunt in materia præsenti, utpote favorabili) ut etiam Novitios, licet secundum quid duntaxat subditos, comprehendant; quemadmodum recte advertit Layman *lib. 5. tractat. 9. cap. 9. num. 2.* An iidem Abbates etiam aliis, quam Regularibus sibi subditis, & qualiter post Tridentinum conferre adhuc possint primam Tonsuram, & Minores Ordines, varie disceptant Doctores præsertim Canonistæ *lib. 1. tit. 11. de Temporib. Ordinat.* Sed de hoc infra *n. 108.* In præsenti autem contra responsionem ad Quæsit.

Dices primo. Juxta Concilia Florentinum, & Tridentinum Juris, & Fidei Divinæ est, solum Episcopum consecratum esse Ministrum Ordinationis validæ; ergo Pontifex, utpote in iis, quæ sunt Juris Divini, dispensare nequiens, facultatem Ordinandi committere non potest Sacerdoti simplici, seu non Episcopo.

Respondetur, explic. & dist. ant. Est Juris, & Fidei Divinæ, solum Episcopum esse Ministrum Ordinationis validæ ordinarium, & cumulative, ut non excludatur extraordinarius, con. privative, ut excludatur extraordinarius, neg. ant. & cons. vel claritatis gratia dist. Pontifex non potest facultatem Ordinandi ordinariam committere simplici Sacerdoti, con. quia talis facultas formaliter, & proxime est Juris Divini. Facultatem extraordinariam, neg. cons. talis namque facultas non est Juris Divini formaliter, & proxime, sed tantum præsuppositive, &, remote, quatenus in accipiente necessario, & ex Jure Divino præsupponit Sacerdotium. Quare sicut Pontifex, non obstante, quod Episcopus sit ordinarius Minister Sacramenti Confirmationis juxta *Trident. Sess.7. can.3.* potest facultatem idem Sacramentum administrandi committere simplici Sacerdoti, hunc constituendo Ministrum extraordinarium Confirmationis, quemadmodum ostendimus *part.3. n.211.* ita non obstante, quod Episcopus sit Minister ordinarius Sacramenti Ordinis, potest Pontifex facultatem conferendi Ordines Minores (imo & duos Majores, secundum dicenda) indulgere simplici Sacerdoti, hunc constituendo Ordinum memoratorum Ministrum extraordinarium.

Dices secundo. Vel Pontifex Sacerdoti simplici facultatem Ordinandi committeret vi suæ incircumscriptæ jurisdictionis, vel vi Ordinis: neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. Non enim dici potest primum: alias eandem facultatem Ordinandi posset vi præfatæ jurisdictionis etiam Diacono, aut alteri Clerico concedere, sicut ei concedere potest facultatem excommunicandi. Neque dici potest secundum: quia inde sequeretur, quod etiam quilibet Episcopus, cum potestatem Ordinis cum Pontifice æqualem habeat, posset simplici Sacerdoti facultatem Ordinandi delegare, saltem valide. Atqui ambæ sequelæ essent absurdæ; ergo &c.

Respondetur, neg. min. & ad prob. ajo, Pontificem id præstare per potestatem jurisdictionis. Neque idcirco sequela datur, quod facultatem Ordinandi delegare quoque valeat Diacono, aut alteri Clerico, sicut delegare valet facultatem excommunicandi. Ratio negandi hanc sequelam est: quia censuræ sunt Juris mere Ecclesiastici, supra quod Pontifex obtinet superioritatem absolutam; quarum proinde inflictionem, sicut & absolutionem (si hæc impertiatur extra-Sacramentaliter) committere potest Diacono, aut alteri Clerico; imo & Laico, secundum dicta *part. 3. num. 90.* E diverso Ordines, cum sint Sacramenta, existunt Juris Divini, ideoque non subsunt superioritati Pontificis absolutæ, sed solum Christi Vicariæ: sicut ergo alius Vicarius non potest excedere limites facultatis, sibi a suo Principali concessæ, ita nec Pontifex: quod tamen faceret, si attentaret pro Ministro Ordinum extraordinario constituere Clericum, Sacerdote inferiorem, cum ad hoc illius potestas Vicaria se non extendat; veluti ex perpetua Ecclesiæ traditione constat.

Instabis. Sequitur saltem, quod Pontifex possit alicui Clerico non Sacerdoti committere facultatem conferendi primam Tonsuram, cum hæc juxta nos non sit Sacramentum, nec Juris Divini, sed Ecclesiastici tantum; imo & quatuor Ordines Minores, cum etiam isti juxta probabilem sententiam multorum inter Sacramenta censeri nequeant.

Respondetur, con. illatum. Supposito enim, quod non solum prima Tonsura, sed Minores quoque Ordines a dignitate Sacramenti deficiant, & tantum inter Sacramentalia, per Ecclesiam instituta, computentur, sequitur omnino, quod Pontifex ex plenitudine potestatis suæ, quæ supra Jus Ecclesiasticum eminet,

possit

possit concedere Diacono, aut adhuc inferiori Clerico facultatem & illam, & istos conferendi; sicut ei potest concedere facultatem excommunicandi &c.

Dices tertio. Si simplex Sacerdos a S. Pontifice constituetur Minister extraordinarius Ordinum, vel hos conferret per potestatem sui Ordinis, vel per potestatem jurisdictionis a Pontifice obtentæ,

Respondetur, quod Ordines conferre mediante utraque potestate, quatenus potestas Ordinis Sacerdotalis per potestatem jurisdictionis, a Pontifice obtentæ, compleretur, redderetúrque expedita ad actum Ordinationis perficiendum; fere sicut eadem potestas Ordinis Sacerdotalis completur per potestatem jurisdictionis, a Pontifice, vel Episcopo concessæ, redditurque expedita ad absolvendum a peccatis.

Respondetur nunc ad Quæsitum secundo. Minister extraordinarius etiam duorum Ordinum Majorum, Subdiaconatus scilicet, sc Diaconatus, ex commissione, aut privilegio S. Pontificis potest esse (1.) quilibet Sacerdos simplex; & (2.) de facto ejusmodi Ministri extraordinarii existunt quidam Abbates Ordinis Cisterciensis, relate ad suos subditos Regulares Ordinandos. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular. q.* 18. *art.* 3. Bosco *disp.* 10. *sect.* 3. *conclus.* 4. Herinex *disp.* 10. *a n.* 55. Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 13. *n.* 18. Franciscus Schmier *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 2. *n.* 139. Schmalzgrueber, VVex, Henno, Cherubinus Mayr, & alii quam plurimi. Ratio utriusque partis simul probativa promitur ex privilegio, quod concessit Innoc. VIII. *an.* 1489. *die* 5. *April.* pro Joanne Abbate Cistercii, hujusque Successoribus, & aliis adhuc quatuor Abbatibus principalium quatuor Cisterciensis Ordinis Monasteriorum, post Cisterciense primo, & immediate fundatorum. Bulla concessoria dicti privilegii incipit: *Exposuit tua devotionis* &c. extat in Bullario Roderici *fol.* 245. & hæc verba inserta habet: *Ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, & Successoribus tuis, ut quibuscunque dicti Ordinis Monachis; aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum Successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, qui ad id idoneos repererint, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines rite conferre &c.* Eandem facultatem conferendi præfatos Ordines aliquando concessam fuisse Missionariis Franciscanis in India, testantur Vasquez, Tannerus, Herincx, Henno, & alii. Stante autem simili concessione, suapte natura fluit, quod Pontifex ex plenitudine potestatis suæ Sacerdoti simplici, seu non Episcopo impertiri valeat facultatem conferendi prædictos Ordines.

Dices. Doctores Angelicus, & Subtilis contrarium docent. Prior oanque 3. *p. q.* 38. *art.* 1. *ad* 3. ita habet: *Ad tertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad dignitatem Episcopalem pertinent, dummodo non habeant immediate relationem ad verum Corpus Christi; & ideo ex ejus commissione potest aliquis Sacerdos simplex conferre Minores Ordines, & confirmare; non autem aliquis non Sacerdos, nec iterum Sacerdos Majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi; supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos.* Posterior vero *in* 4. *dist.* 24. *q. un. n.* 8. sic fatur: *Et si circa particulas hujusmodi descriptionis* (Sacramenti Ordinis) *quæras, quis est Minister idoneus? Respondeo, quod Episcopus, & solus in Sacris Ordinibus, in aliis autem non Sacris aliquando ex commissione aliqui Privilegiati, ut Abbates.*

Respondent aliqui, præmemoratos DD. intelligendos esse de potestate ordinaria, & Ministro ordinario; de potestate autem extraordinaria, & Ministro extraordinario idem sentire, quod nos. Verum hæc interpretatio nimis quam aperte pugnat adversus verba utriusque Doctoris, ut proinde locum habere nequaquam possit.

Respondetur ergo aliter, quod nempe altefati duo Doctores contrarium tenuerint; quia vixerunt ante tempora, quibus Privilegia Pontificia, quorum meminimus, data, & expedita fuere; quod certe non fecissent, si post eorundem Privilegiorum concessionem vixissent, cum fuerint Auctoritatis Pontificiæ ad extremum usque spiritum observantissimi. Unde non obstant responsioni nostræ, quippe in Privilegiis jam concessis fundatæ. Ita quoad Doctorem Subtilem recte advertitur *in Commentario dist.* 24. *n.* 94. Videri etiam potest P. Herincx *loc. cit.*

Instabis. De Privilegio Cisterciensium, cui præcipue nostra innititur responsio, multi Authores dubitant; ergo ex illius allegatione solidum nostræ doctrinæ fundamentum promere haud valemus.

Respondetur, dist. ant. Dubitant ob defectum sufficientis informationis de ejus concessione, con. secus, neg. ant. & cons.

Urgebis. Esto tale privilegium olim fuerit concessum, certum tamen est (inquit Augustinus Michel hic *fol.* 631. *num.* 5.) prædictos Abbates eodem uti amplius non posse, quippe per non usum, & contrariam consuetudinem abrogato; imo ejus abrogationem sufficienter innuit Tridentinum, dum nullam de eodem facit mentionem, quando Abbatibus relinquit, vel concedit facultatem suos Religiosos subditos prima Tonsura, & Minoribus Ordinibus initiandi; ergo saltem secunda pars responsionis nostræ non subsistit.

Respondetur, neg. ant: quoad utrunque membrum. Quoad primum quidem: quia usus illius privilegii cum certa Pontificis scientia practicatus sæpe fuit, & practicari etiamnum potest. Sic enim (ut alia exempla omittam) Cisterciensium Generalis Romæ *ann.* 1662, sciente, & annuente Alexandro VII. subditos suos Regulares Ordinavit Subdiaconos, & Diaconos; idque vi concessionis Apostolicæ supra memoratæ; quemadmodum narrat P. Franciscus Henno *tr.* 7. *disp.* 1. *q.* 6. *art.* 3. Quoad alterum vero: quia Tridentinum potius reliquisse Privilegium in suo valore censeri debet eo ipso, quod illud sciverit (cum improbabile sit, ignoratum fuisse a Patribus omni peritia illustrissimis, inquit Tamburinus *tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 6.) & tamen tacuerit. Nec obstat, quod Tridentinum alibi habeat, Ordinationes fieri debere ab Episcopis. Intelligendum quippe venit de Jure ordinario, & Ministris ordinariis, *cum expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari, cap.* 29. *de Election. in* 6.

Respondetur ad Quæsitum tertio. Minister extraordinarius Ordinis Presbyteratus (consequenter & Episcopatus) etiam ex commissione S. Pontificis esse non potest (1.) aliquis Abbas, aut alius Sacerdos simplex, seu non Episcopus: unde ejusmodi Minister extraordinarius (2.) constitutus nunquam fuit a Pontifice aliquis Sacerdos non Episcopus, quacunque demum dignitate, Abbatiali, Cardinalitia &c. præfulgens. Ita DD. communiter contra paucos. Ratio quasi a priori utriusque partis esse videtur: quia potestas in Corpus Christi verum, & mysticum, qualem Presbyter in sui Ordinatione acquirit, est omnium potestatum supernaturalium perfectissima; ergo Christus merito censetur pro Ordinatione Presbyteri Ministrum instituisse Episcopum privative, adeo, ut nec Papali dispensatione alius Sacerdos non Episcopus constitui valeat, qui, tanquam Minister extraordinarius, Presbytero conferat aliquando, puta in casu necessitatis, perfectissimam illam potestatem: id quod a posteriori colligitur ex nunquam facta simili dispensatione, & commissione, tametsi aliquoties, in remotis præsertim regionibus, necessitas poposcisset.

Dices. De Chori Episcopis in Concilio Hispalensi II. *c.* 7. dicitur, quod juxta Canones unum sint cum Presbyteris, & tamen in Concilio Ancyrano insinuatur, eos potuisse cum licentia Episcopi ordinare Presbyteros; ergo &c.

Respondetur primo, ex hoc argumento, ita indistincte proposito, sequi, simplicem Sacerdotem posse constitui Ministrum extraordinarium conferendi Presbyteratus, ex commissione non solum Papali, sed etiam Episcopali; quod tamen procul est a veritate, neque attidet ipsis arguentibus. Unde

Respondetur secundo, Chori-Episcopos fuisse duplicis generis. Nam aliqui erant vere ordinati Episcopi, sed Titulares tantum, vel etiam absque Titulo; alii contra non erant veri Episcopi ordinati, sed Vicarii Episcoporum, ut & Episcopis, in particularibus villis Officia suæ jurisdictionis exercentibus, adjumento essent, & reliquo Clero præessent. Prioris

generis Chori Episcopi, de quibus intelligendum venit Concilium Ancyranum, cum licentia Episcopi Presbyteratum conferre poterant; non item Chori Episcopi posterioris generis, de quibus loquitur Concilium Hispalense. Videri potest P. Herincx *disput.* 10. *a numer.* 58.

86. Dico secundo. Ut Episcopus sit Minister Ordinis licite conferendi, seu ut licite Ordinet, plures ex parte ipsius requiruntur conditiones.

Explicatur. Requiritur enim 1. ut sit in statu gratiæ, dum Ordinat, seu Sacramentum Ordinis confert. Ratio est: quia administrans Sacramentum quodcunque, debet esse in statu gratiæ, ut licite administret, ex dictis *part.* 5. *num.* 23. Ex quo ipso tamen fit, ut non peccet, saltem mortaliter, conferens in statu disgratiæ primam Tonsuram, vel etiam Ordines Minores; supposita sententia non improbabili, quod neque illi dignitatem Sacramenti sortiantur, sicut non sortitur illa; secus, si teneatur sententia, utique multo probabilior, quod Ordines, etiam Minores, rationem Sacramenti obtineant. Revide, quæ habentur *cit. par.* 5. *n.* 23. *& seqq.* præsertim vero *n.* 30.

Requiritur 2. ut non sit degradatus, depositus, excommunicatus, privatus, suspensus, interdictus, irregularis. Ratio est: quia id genus inhabilitates, aut censuræ a licita administratione Sacramentorum impediunt: prout relinquitur ex alibi dictis.

Requiritur 3. ut sit jejunus. Ita præscribitur *can.* 4. *dist.* 75. Videri hic potest P. Gobat *in Theol. Experiment. tr.* 8. *n.* 352. *& seqq.* ubi de hac conditione per extensum agit. Quod tamen requisitum intellige, si conferantur Ordines Majores; nam Minores sæpe conferuntur post prandium: prout advertit prælaudatus Author.

Requiritur 4. ut observet ritus, & ceremonias ab Ecclesia præscriptas; nam si aliquam earum transgrediatur, seu non observet, peccat, vel mortaliter, quando ceremonia non observata est notabilis, vel venialiter, quando non est notabilis; prout videre est in Authoribus passim, & fluit ex alibi dictis.

Requiritur 5. ut Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum non conferat nisi Sabbato quatuor Temporum, & Sabbato ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis Domini; aut, continuato jejunio, etiam die Dominico, qui ideo pro eodem die cum Sabbato habetur, *c.* 13. *de Tempor. Ordinat.* Quamvis Mendicantibus, vel etiam aliis, qui gaudent eorum privilegio, præmemoratos Ordines extra tempora a Jure præfixa licite impertiatur. Ordinem vero Episcopatus conferre potest quovis anni tempore; modo id præstet die Dominico, *can.* 1. *dist.* 75. intra tertium a Confirmatione mensem. *can.* 2. *ead.* Primam porro Tonsuram conferre potest quovis anni die; prout docemur ex Pontificali Romano *tit. de Ordinib. conferend.* Ordines vero Minores, spectato Jure scripto, conferre debet die Dominico, vel alio festivo, *cap.* 3. *de Tempor. Ordinat.* sed non nisi paucis, ne videatur generalis Ordinatio. De Jure autem consuetudinario, & spectata praxi Germaniæ iidem Ordines Minores licite conferuntur in quocunque Jejunio quatuor Temporum, & in Feria sexta quatuor Temporum: veluti testatur P. Gobat ubi supra *num.* 452. Porro Minores Ordines omnes quatuor eadem die conferri possunt; imo & Subdiaconatus cum illis, si alicubi ita obtineat consuetudo, & Episcopus dispenset super Interstitiis, de quibus infra *numer.* 88. Duo tamen Ordines Majores illicite sic conferrentur: quia id prohibet Trident. *Sess.* 23. *cap.* 13. quod facultatem dispensandi super hoc non indulget Episcopo, sicut indulget potestatem dispensandi super Interstitiis. Videatur Concilium *loc. citat.* item Laymann *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 4. *&* 7.

Requiritur 6. ut sit Episcopus proprius Ordinandi, seu ut Ordinandus ipsi sit subjectus, per se loquendo. Trident. *Sess.* 23. *de Reform. cap.* 8. ibi: *Unusquisque autem a proprio Episcopo Ordinetur.*

Dixi: *per se loquendo*: nisi nimirum proprius Ordinandi Episcopus consentiat vel viva voce, vel (ut habet usus communis) in scripto, seu per literas, quas vocant *dimissorias*, aut *dimissoriales*, aut *commendatitias*, aut *reverendas*: vel nisi Ordinandus habeat privilegium a Papa, vi cujus Ordinari possit a quolibet Episcopo, habente communionem cum Sede Apostolica, quale privilegium habent Fratres nostræ Religionis ab Alexandro IV. in Bulla, *Convenit, ut sacer*, concessum hisce omnino verbis: *Attendentes igitur, quod ejusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittantur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis ejusdem Ordinis Domibus non faciunt mansionem. Considerantes etiam, quod bonos, & idoneos, ac approbatos a vobis Fratres facitis ad Ordines promoveri: vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis Ordinandos Fratres ejusdem Ordinis, quibuscunque malueritis, Catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam prædictæ Sedis habentibus, præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos a vobis Fratres sine qualibet examinatione, per eosdem Pontifices faciendâ, & absque omni promissione, & obligatione ipsorum Ordinandorum Fratrum, ad Ordines promovere, vobis, & Ordini vestro, authoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c.* Ita verbatim Pontifex in allegata Bulla, cujus Originale habetur in Conventu Salmanticensi S. Francisci; Copia vero in Bullario Roderici *fol.* 26. Quod privilegium (in quo alii etiam Mendicantes communicant) non esse a Tridentino revocatum *Session.* 23. *capit.* 8. *de Reformat.* præter alios solide probat Pat. Cherubinus Mayr sæpe citatus *pagin.* 216. *numer.* 54. *& seqq.* Nobis sufficiat Constitutio S. Pii V. *Etsi Mendicantium*, edita pro omnibus Ordinibus Mendicantium *an.* 1567. quæ extat apud Pater Rodriquez septima, & isthæc continet verba: *Sessionis vero vigesima tertia capitulum octavum, neminem nisi a proprio Episcopo* (sub prætextu alicujus privilegii) *Ordinari posse statuens, in Regularibus locum non habere, omnino declaramus; ita, quod Fratres hujusmodi præfatos, etiam sacros Ordines, a quolibet Antistite, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente* (*Ordinarii loci minime requisita licentia*) *in locis, seu domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere possint.* Excipitur tamen unum punctum privilegio insertum, & indicatum his verbis: *sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices faciendâ*: prout insinuat Author prælaudatus, & constat ex praxi.

Requiruntur equidem plures adhuc conditiones ad licitam Ordinationem, nempe ut non Ordinetur nisi legitime natus, præditus debita ætate, probitate, scientia, dispositione, titulo mensæ &c. Sed quoniam hæ tales conditiones potius concernunt Ordinandum, quam Ordinantem, rectius exponentur *art. seq.* Hic autem circa sextum, & ultimum Requisitum

87. Quæres primo, quotupliciter Episcopus censeatur proprius Ordinandi, & hic illi subditus?

Respondetur, quod tripliciter; nempe 1. *Ratione originis*, quando Ordinandus est oriundus e Diœcesi talis Episcopi. Ex illa autem Diœcesi, vel loco quis oriundus censetur, in quo, dum natus est, pater ejus domicilium constitutum habuit. Nec refert, quod non in loco domicilii paterni, sed alibi natus fuerit; eo quod parentes tempore, quo nascebatur, ver. grat. negotii causa morarentur extra locum proprii domicilii: siquidem fictione Juris adhuc in loco domicilii natus censetur: prout colligitur *ex l.* 3. *Cod. de municipib. & originar. ac l.* 7. *in fin. C. de incol.* 2. *Ratione domicilii*, quando Ordinandus, e loco originis egressus, habitare cœpit in aliqua Diœcesi cum intentione ibi perpetuo manendi, nisi per accidens quid avocet. Unde hic (per *cap.* 3. mox infra citandum) seu ad effectum licitæ Ordinationis non sufficit quasi domicilium, dum videlicet quis habitare quidem cœpit in aliqua Diœcesi, at cum intentione non stabiliter manendi, sed solum per notabilem anni partem, vel plures tantum annos; ut Studiosi in Academiis, qui proinde ab Episcopo loci, in quo versantur, licite Ordinari non possunt, nisi dimissorias, & facultatem habeant a proprio Episcopo. 3. *Ratione Beneficii*, quod Ordinandus obtinuit in titulum, & possidere cœpit in aliqua Diœcesi. Atque omnes hi tres modi superioritatis respective, & subjectionis, impræsentiarum necessariæ, exprimuntur clare per *capit.* 3. *de Temporib. Ordinat. in* 6. cujus verba sic sonant: *Cum nullus Clericum Parochiæ alienæ præter Superioris istius licentiam debeat Ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desi-*

desiderat, oriundus; seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum; seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem, Sosfragatur quoque concors Authorum consensus, & doctrina.

88. Quæres secundo, quis concedere possit literas dimissorias?

Respondetur. Episcopus proprius Ordinandi, confirmatus tamen, & non excommunicatus; quia hæc concessio est actus jurisdictionis, *cap.3. de Temporib. Ordinat. in 6.* Vicarius Generalis literas dimissorias dare non potest sine speciali mandato Episcopi, aut nisi Episcopus in remotis agat, *c.3. cit.* Neque Capitulum Sede vacante infra annum a die vacationis, nisi arctatis ratione Beneficii recepti, aut recipiendi. Trid. *Sess.7. cap.10. de Reform.* & nos *part.1. n.426.* Superiores Regulares dare literas dimissorias possunt Regularibus professis sibi subditis (imo & suis Novitiis ad Ordines Minores. S. Pius V. *in Constitut. Romanus Pontifex*) at non ad Episcopum alienum, sed ad Episcopum suæ Diœcesis, nisi sint exempti, aut privilegio muniti. Trid. *Sess.23. c.10. de Reform.* vel nisi longo tempore Episcopus proprius nullam instituerit Ordinationem. Secularibus vero, siquos forte habeant Subditos Prælati Regulares, quantumvis exempti sint, & nullius Diœceseos esse dicantur, si tamen existant intra fines alicujus Diœceseos, dimissorias dare nequeunt ad Episcopum, seu talem, intra cujus Diœcesis fines non existunt. Ita perspicue Tridentinum *loc.* proximo *cit.* cujus verba hic juvat transcribere, & ita sonant: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum, intra fines alicujus Diœcesis existentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, & alii Exempti, aut Collegia, aut Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, Literas dimissorias aliquibus Clericis Secularibus, ut ab aliis Ordinentur, concedant; sed horum omnium Ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus sancta Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis Privilegiis, possessionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Sed quid de Prælatis habentibus territorium omnino separatum, seu intra nullius Diœcesis fines existens: poteruntne saltem tales suis subditis, etiam Secularibus Literas dimissorias conferre? Negant Pignatellus, P. Reiffenstuel *lib.1. Decretal.tit.11.n.113.* & alii, volentes, dimissorias hoc tali casu petendas, & obtinendas esse ab Episcopo viciniore; pro qua sua sententia adducunt aliquas Declarationes Cardinalium. Affirmant e diverso Barbosa *J.E.U. lib.1. c.33. n.62.* Clericatus *de Sacram. Ordin. Decis.15. a n.41.* Franciscus Schmier *lib.1.tr.4.c.3.n.116.* Cherubinus Mayr *loc.cit.pag.214.* & alii plures. Ratio horum Authorum est, quod Tridentinum expresse loquatur de Prælatis *existentibus intra fines alicujus Diœcesis*; ergo si intra nullius Diœcesis fines existant, sed territorium omnino separatum habeant, præfata Tridentini dispositione non comprehenduntur; consequenter &c. Accedit, quod etiam isti sententiæ suffragentur Declarationes Cardinalium, & Decisiones Rotæ, præsertim una Avellina de 4. *Julii* 1646. prout legere est apud P. Schmier *cit.* Atque hæc posterior, seu affirmantium sententia videtur probabilior.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt subjectum Ordinis.

SUMMARIUM.

89. *Assignatur Subjectum Ordinis valide suscipiendi.* 90. *& seqq. Solvuntur opposita.* 93. *Puer etiam ante usum rationis consecrari valide potest in Episcopum*, 94. *Femina ne quidem primæ Tonsuræ, etiam valide tantum recipiendæ, capax est.* 95. *An valide possit Ordinari Hermaphroditus?* 96. *Assignatur etiam Subjectum Ordinis licite recipiendi.* 97. *De Titulo Mensæ.*

89. Dico primo. Omnis, & solus mas baptizatus, est subjectum Ordinis valide suscipiendi. Præcise particula *omnis* difficultatem continet, ut videbimus, quoad reliquas vero particulas conclusio admittitur a DD. communiter, & sumitur *ex c.8. de Convers. conjug. ac c.1. & 3. de Presbyter. non baptiz.*

Explicatur, & simul probatur conclusio. Dicitur 1. *Omnis*; adeoque non solum adultus, & usus rationis præditus, sed etiam puer, & usu rationis destitutus: item non solum Catholicus, sed etiam hæreticus, modo, si adultus sit, habeat positivam intentionem, saltem habitualem, suscipiendi Ordinem; nam hæresis non impedit, quo minus circa hæreticum adhibeatur debita materia, & forma hujus Sacramenti a vero Episcopo (quales extant in Ecclesia Catholica) cum legitima intentione illud conferendi; consequenter &c.

Dicitur 2. *& solus mas*, ut excludantur feminæ: hæ enim ex Jure Divino, & ipsa Christi institutione sunt incapaces Ordinis; quemadmodum tradit Scotus *in 4. distinct. 25. quæst. 2.* Hinc est, quod Christus ne propriam quidem Matrem, licet sanctitate supra Apostolos, omnesque homines, qui fuerunt, sunt, & erunt, præcellentem, in aliquo gradu Ordinis Hierarchici constituerit. Vide, si placet, *cap. 10. de Pœnitent. & Remission.* Porro Apostolus, tanquam interpres, & promulgator Divinæ voluntatis, inquit 1. *ad Timoth. 2.* ibi: *Docere mulierem non permitto*; quod intelligendum de doctrina publica in Ecclesia, Divinorum Ministris competente: consequenter &c.

Dicitur 3. *baptizatus*. Nam Baptismus est janua, ac fundamentum omnium Sacramentorum; ante cujus proinde susceptionem nullum aliud Sacramentum valide suscipi potest: *quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest*; prout loquitur *cap.13. de Presbyt. non baptiz.* supra in conclus. allegatum.

90. Objicies primo. Ad validam susceptionem Ordinis, aliorumque Sacramentorum requiritur in suscipiente positiva intentio suscipiendi: sed puer, vel alius usu rationis carens, non potest elicere ejusmodi intentionem, ut per se patet; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. In suscipiente adulto, & usu rationis prædito, con. in suscipiente puero, aut alias usu rationis destituto, neg. maj. Sicut puer potest valide baptizari, confirmari &c. absque præhabita intentione talia Sacramenta suscipiendi; ita quoque potest valide Ordinari &c.

Dices. Per collationem Ordinum homo transponitur in novum statum: sed ut quis transponatur in novum statum, debet consentire, quod puer non potest; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Si transpositio illa sit homini onerosa, trans. si potius sit favorabilis, uti est transpositio in statum Clericalem, utpote per quam confertur augmentum gratiæ, & potestas obeundi in Ecclesia sacra ministeria, neg. min. Alias sequeretur, ne Baptismum quidem valide puero administrari; cum utique per ejus quoque administrationem transponatur quis in novum statum.

Instabis. Suscipienti Ordines Majores imponitur obligatio servandi continentiam: atqui talis obligatio est onerosa; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Suscipienti cum positivo consensu, con. sine tali consensu, neg. maj. Puer Ordinatus in Subdiaconum non obligatur obligatione absoluta ad servandam continentiam (uti nec ad dicendas Horas Canonicas) sed adultior effectus potest libere ad Matrimonium ineundum transire (Horas Canonicas omittere) si exercitio Ordinis suscepti supersedere velit: esto ad illam (& istas) obligetur obligatione veluti conditionata, si nempe præeligat exercere munia Ordinis suscepti.

Urgebis. Puero, suscipienti Baptismum absque proprio consensu, imponitur obligatio absoluta servandi mandata Dei, & Ecclesiæ, nec adultiori effecto integrum manet ea mandata servare, vel non servare; ergo etiam puero, suscipienti Ordinem Subdiaconatus absque proprio consensu, imponitur obligatio absoluta servandi continentiam &c.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia obligatio servandi mandata Dei, & Ecclesiæ, Jure Divino inseparabiliter annexa est validæ susceptioni

Baptismatis : contra obligatio servandi continentiam validæ susceptioni Subdiaconatus separabiliter tantum est annexa; quæ annexio fit vel per votum suscipientis, quale puer edere nequit, vel per legem Ecclesiæ, non nisi scientes, & volentes adstringentem &c. De quo amplius infra *num.*103. Specialis tamen difficultas est circa Ordinem Episcopatus, seu an puer ante usum rationis etiam consecrari valide in Episcopum possit? specialiter mox infra *num.*93. enodanda. Hic autem petitus

91. Objicies secundo. Ut quis valide ordinetur, debet moraliter acceptare potestatem, quæ in Ordinatione traditur; dicit enim Episcopus Ordinans, *Accipe potestatem &c.* sed puer ante usum rationis non potest moraliter acceptare potestatem, quæ in Ordinatione traditur, ut de se patet; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Ad rationem probativam ajo, per illa verba, *Accipe potestatem &c.* solum significari, quod Ordinans conferat potestatem per modum efficacis imperii, ut sensus sit, *Confero tibi, habeas talem potestatem &c.* Ubi proinde tam parum necessaria est acceptatio moralis ex parte pueri in Ordinatione, quam in ejusdem baptizatione, dum baptizans dicit, *Accipe sal sapientiæ &c.*

Dices. Impossibilis est potestas, seu potentia in subjecto, in quo actus est impossibilis; quia potentia datur ad actum: sed in puero ante usum rationis actus Ordinis est impossibilis; ut patet; ergo etiam potestas: consequenter &c.

Respondetur, majorem solummodo tenere de impossibilitate potentiæ absoluta, & per se tali; non vero de respectiva, qualis datur in puero juxta præsentem dispositionem, vel per accidens tali, qualis reperitur in homine cæco, muto, surdo &c.

92. Objicies tertio. in Jure Canonico, nempe *can.* 32. *caus.*27. *q.*1. *can.*18. & 19. *dist.*32. *&c.* fit mentio Diaconissarum, Presbyterarum, imo & Episcoparum; ergo feminæ ordinantur valide.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, illas nuncupationes non eo, quasi feminæ præfatis Ordinibus initiatæ, & ad ministeria Altaris, quæ vi eorum Ordinum exercentur, deputatæ fuerint; sed vel ideo, quia erant conjuges virorum, qui cum illarum consensu in Diaconos, Presbyteros, vel Episcopos fuerunt assumpti; vel quia erant Præpositæ Monialium; vel quia, voto continentiæ emisso, deserviebant in temporalibus tum Ecclesiæ, tum sacris Ministris, aut commissam sibi habebant munditiam lineæ supellectilis, pro sacris usibus deputatæ. Scotus *in* 4. *dist.*25. *q.*2. Pichler ubi supra *n.*8. & alii.

93. Quæres primo, an puer ante usum rationis valide consecrari possit etiam in Episcopum? Ratio peculiaris hic dubitandi est: quia Episcopus cum Ecclesia sua, ad quam ordinatur, contrahit Matrimonium spirituale, cujus vinculum juxta Innoc. III. *cap.*2. *de Translat. Episcop.* fortius est, quam vinculum Matrimonii carnalis; cum ergo Matrimonium carnale non possit valide iniri, ac suscipi ante rationis usum, ita nec ante rationis usum iniri, ac suscipi poterit Matrimonium spirituale, quale contrahitur in Ordinatione, seu Consecratione Episcopali. Nihilominus

Respondetur ad Quæsit. affirmative. Ita Vasquez, Palao, Filliucius, Gobat, & alii, quos refert, ac sequitur P. Sporer *in Theol. Sacram. part.*1. *t.*5. *n.*65. item P. Panger *lib.*4. *disp.un. de Sacram. Ord. n.*68. P. Cherubinus Mayr ubi supra *pag.*263. *a n.*23. Ratio est 1. Potest quis valide consecrari Episcopus, quin ipsi conferatur aliqua Ecclesia in titulum; ergo ad valorem Consecrationis Episcopalis non requiritur Matrimonium spirituale cum aliqua Ecclesia. Cons. liquet. Ant. prob. tum negative; quia nullum assignari potest fundamentum repugnantiæ: tum positive ex Clemente Rom. *lib.*7. *Constit. Apostol. c.*41. ubi ait, *Linum Claudiæ filium Ecclesiæ Romanorum Episcopum primum a Paulo ordinatum, post mortem vero Lini Clementem, quem ego Petrus secundum ordinavi.* Ex quibus verbis conjicere licet, Linum, & Clementem ordinatos fuisse Episcopos, quin pro tunc eisdem conferretur aliqua Ecclesia in titulum: non enim Romana, cum Petrus adhuc viveret, & ipse illius Ecclesiæ Episcopus esset; nec alia, quia nullius fit mentio. Fuerunt ergo ordinati Episcopi, ut Petro in adjutorium essent, quin propriam, seu sibi designatam Ecclesiam pro tunc haberent. Nec obstat, si dicas, *can.*6. Concilii Calcedonensis Ordinationem sine titulo non solum prohiberi, sed etiam invalidam declarari. Non, inquam, obstat: siquidem allegatus Canon, cum loquatur non solum de Ordinatione Episcopi, sed etiam Presbyteri, aut Diaconi, nequit intelligi de invaliditate quoad substantiam, sed quoad executionem tantum.

Ratio est 2. Sacramenta importantia potestatem, & imprimentia characterem, qui est signum illius potestatis, valide conferuntur puero ante usum rationis; ut patet de Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, prout complectentis quatuor Minores, & tres Majores Ordines, videlicet Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum; ergo idem resolvendum de Sacramento Ordinis, prout complectentis Episcopatum, ob paritatem rationis. Nec obstat (ut ad rationem dubitandi supra propositam respondeatur) quod Episcopus cum Ecclesia, ad quam ordinatur, dicatur contrahere Matrimonium spirituale, sine proprio contrahentis consensu non perficiendum. Non, inquam, obstat: quia id procedit regulariter solum; nam absolute loquendo potest quis consecrari Episcopus, quin ordinetur ad aliquam Ecclesiam (ex dictis in ratione præced.) adeoque quin contrahat Matrimonium spirituale: consequenter defectus proprii consensus in puero, usum rationis necdum adepto, non impedit valorem Ordinis Episcopalis in tali puero: imo nec in adulto, rationis compote, modo hic non constituatur consensu in susceptionem Episcopatus secundum substantiam non ingreditur ratio Matrimonii spiritualis; veluti constat ex immediate dictis. Unde paritas inter Matrimonium spirituale relate ad Sacramentum Episcopatus, & inter Matrimonium carnale relate ad Sacramentum Matrimonii, non tenet in omnibus; quia Matrimonium carnale, seu contractus Matrimonialis necessario, & substantialiter præsupponitur ad Sacramentum Matrimonii, cum hoc in illo, seu fundamento, subsistat, aliter subsistere nequiens: at vero Sacramentum Episcopatus non habet similem, aut tantam dependentiam a Matrimonio spirituali, cum absque isto subsistere valeat, ut dictum. Cum quo nihilominus stat major fortitudo vinculi orti ex Matrimonio spirituali, quale ab adultis cum Ecclesia, ad quam regulariter ordinantur Episcopi, solet iniri, ac est fortitudo vinculi orti ex Matrimonio carnali (prout in ratione dubitandi supra dictum) quia prius (supposito, quod contractum sit) ad puncta magis momentosa, & ardua obstringit, ac posterius.

Dices tamen adhuc. Episcopus in sui Ordinatione accipit potestatem jurisdictionis in Corpus Christi mysticum, & constituitur Pastor Ecclesiæ, quibus omnibus impar est puer, qui necdum prætextam exuit; ergo &c.

Respondetur primo, hoc argumento, siquid probet, etiam probari, quod ejusmodi puer nequidem ordinari in simplicem Sacerdotem valeat contra Adversarios; nam & Sacerdos in sui Ordinatione accipit potestatem jurisdictionis in Corpus Christi mysticum &c.

Respondetur secundo, explic. & dist. ant. Episcopus accipit potestatem jurisdictionis vel formalem, & proximam, vel radicalem, & remotam, con. semper, & necessario (necessitate videlicet Ordinis Episcopalis) formalem, & proximam, neg. ant. Item constituitur Pastor Ecclesiæ vel in actu primo, vel in actu secundo, conc. semper, & necessario in actu secundo, neg. ant. Puer ante usum rationis capax est acquirendi potestatem jurisdictionis non quidem formalem, & proximam, qualiter regulariter acquirunt adulti, ratione pollentes, sed radicalem, & remotam, qui solus est de necessitate Ordinis Episcopalis. Item potest constitui Pastor Ecclesiæ in actu primo; esto non possit in actu secundo; quod non obstat valori Ordinationis &c. Sed de hac speculatione satis, in gratiam ordinandorum, qui in Examine non raro vexari solent quæstione hactenus ventilata.

94. Quæres secundo, an femina saltem existat subjectum capax primæ Tonsuræ valide recipiendæ? Ratio dubitandi hic est: siquidem Tonsura non est Ordo a Christo institutus, nec Sacramentum, sed mera dispositio, ad Ordines suscipiendos prærequisita ex institutione Ecclesiæ: prout habet sat communis Theolo-

gorum

gorum sententia, etiam a nobis tradita superius *n.* 48. *&* 55. Hoc tamen non obstante,

Respondetur ad Quæsitum negative. Ita DD. communiter, & indigitatur *in cap.* 8. *de Convers. conjug.* per verba: *Nullus vestrum mulierem aliquam Tonsurare præsumat*. Qui textus non solam prohibitionem, sed etiam irritationem actus contra gesti, aut gerendi designat, juxta communem Interpretum. Probatur insuper ex Doctore Seraphico, qui *in* 4. *dist.* 25. *art.* 2. *q.* 1. *in princ.* sic discurrit: *Nullus habet possibilitatem ad Ordinem, qui non habet ad Tonsuram, & Coronam: & nullus ad hoc habet naturalem aptitudinem, quem decet semper habere velatum caput. Sic ergo solum virum per naturam decet orare capite non velato, mulierem autem velato capite, sicut dicitur* 1. *ad Cor.* 9. *quod & ipsa natura docet*; ergo &c. Ostenditur tandem & ratione; nam femina est absolute incapax Ordinum etiam valide tantum recipiendorum, ex dictis *n.* 89. ergo etiam primæ Tonsuræ. Cons. prob. Siquidem subjectum absolute incapax formæ principalis, est quoque incapax dispositionis necessariæ ad talem formam valide acquirendam; cum ergo femina sit absolute incapax formæ principalis, nempe Ordinis, seu Ordinum, erit etiam incapax dispositionis necessariæ ad talem formam valide acquirendam; qualis dispositio est prima Tonsura, secundum Doctorem Seraphicum immediate *cit.* Ant. hujus enthymematis patet non solum in naturalibus, sed etiam in moralibus: qui enim absolute, & simpliciter, seu pro omni tempore incapax existit, v. gr. Professionis Religiosæ, quæ est forma principalis, etiam incapax existit Novitiatus Religiosi; qui est dispositio necessaria prærequisita ad validam Professionem; ergo similiter &c. Atque hinc soluta manet ratio dubitandi allata.

95. Quæres tertio, an valide ordinari possit Hermaphroditus, id est, homo, maris, & feminæ organis simul, vel etiam successive instructus?

Respondetur, Hermaphroditus, si in eo prævalent sexus masculinus, valide ordinari potest: secus, si prævaleat sexus femininus. Ratio est: quia in priore casu censetur absolute mas; in posteriore autem absolute femina. Ex quo sequitur, non valide Ordinatum iri Hermaphroditum; in quo (si tamen possibile sit) uterque sexus æque dominaretur: quia cum sexus masculinus non prævaleret, non censeretur absolute mas. Quod si contingeret, ut femina, erumpente natura, migraret in marem, sicque istius sexum indueret, valide (non tamen licite, nisi remoto scandalo) ordinaretur: quia jam censeretur absolute mas. Sed si talis mutatio primum eveniret post Ordinationem, hæc non convalesceret; *quia non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit*. *Reg.* 18. *Jur. in* 6. E diverso si mas transiret in feminam, & istius sexum indueret, ordinaretur invalide; quia censeretur absolute femina. Quod si talis transitus accideret post Ordinationem, maneret quidem ejusmodi subjectum valide Ordinatum, & retineret characterem, ac potestatem remotam Ordinis suscepti, proximam vero ratione mutati sexus amitteret; sicut amittunt comprehensores per sui translationem a statu viæ ad statum patriæ. Ita cum aliis a se relatis P. Cherubimus Mayr *l. c. pag.* 252. *n.* 11.

96. Dico secundo. Ut mas baptizatus existat subjectum Ordinis etiam licite suscipiendi, plures ex parte ipsius requiruntur conditiones.

Explicatur. Requiritur enim 1. ut sit in statu gratiæ, sicut recipiens alia Sacramenta vivorum, ex dictis *part.* 5. *n.* 37. Ex quo tamen denuo fit, ut non peccet, saltem mortaliter, suscipiens in statu disgratiæ primam Tonsuram, vel etiam Minores Ordines, supposita sententia non improbabili, quod neque isti rationem Sacramenti obtineant, sicut non obtinet illa: quemadmodum animadvertimus supra *n.* 86. de Conferente.

Requiritur 2. ut habeat legitimam ætatem, nempe pro prima Tonsura annos discretionis, *c. fin. de Temporib. Ordinat. in* 6. sicut & pro quatuor Minoribus; siquidem nec pro illius, nec pro istorum susceptione tempus in Jure determinatum extat; pro Subdiaconatu autem annos viginti duos; pro Diaconatu viginti tres; pro Presbyteratu viginti quinque. Trident. *Session.* 23. *capit.* 12. *de Reformation.* sufficit tamen, juxta communem sensum DD. & praxim, ejusmodi annos esse inchoatos: & denique pro Episcopatu triginta annos completos, *cap.* 7. *de Elect.* ubi hæc ætas pro Episcopo, etiam solum eligendo, determinatur, dum dicitur: *Præsenti Decreto statuimus, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit*.

Requiritur 3. ut habeat scientiam, quam exigit Trid. *cit. Sess.* 23. *de Reform.* & quidem *cap.* 4. præscribit, ut prima Tonsura initiandus sciat rudimenta Fidei, legere, & scribere, saltem (ut interpretantur DD.) lingua vernacula. *cap.* 11. ut Minores suscepturus intelligat linguam latinam, *cap.* 13. ut Ordinandus in Subdiaconum, vel Diaconum sciat necessaria ad functiones sui ministerij, *cap.* 14. ut ad Presbyteratum evehendus ea polleat doctrina, quæ sufficiat ad docendum populum necessaria ad salutem, riteque administranda Sacramenta. Et hoc maxime procedit de eo, qui curam quoque animarum cogitat suscipere. Porro Presbyterandus (licet curam animarum suscipere non intendat) intelligere debet essentiam Sacrificij Missæ, ejusque partes, materiam, & formam, ac dispositionem ad illud rite peragendum requisitam; cum quilibet teneatur scire, quæ concernunt officium, quod suscipit, & obire cupit.

Requiritur 4. ut effulgeat speciali vitæ, morumque probitate. Speciali, inquam: non enim sufficit ad suscipiendos Ordines probitas vitæ, & morum veluti communis, seu ea, quæ ad quælibet Sacramenta recipienda exigitur, sed necessaria est specialis, ex qua sperari possit, fore, ut Ordinandus, postquam in sortem Domini vocatus, & supra candelabrum Ecclesiæ positus fuerit, bono exemplo præluceat omnibus, qui in domo Dei sunt. Audiamus verba Tridentini, quæ habet *Sess.* 22. *de Reform. cap.* 1. ibi: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur*. Consistit autem specialis illa probitas in recta intentione specialiter serviendi Deo juxta præscriptum Ecclesiæ; in casta, & sobria vita; in bona conversatione Ordinandi &c. Videantur Canonistæ *ad Tit. de Vita, & Honest. Cleric.*

Requiritur 5. ut sit insignitus charactere Sacramenti Confirmationis: sic enim statuit Trid. *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ibi: *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*. Si autem prima Tonsura initiandi non sint, qui non prius Sacramento Confirmationis fuerint muniti, a potiori non erunt initiandi Ordinibus. Interim hoc requisitum non esse de præcepto, sive graviter, sive leviter obligatorio, sed tantum de consilio, & quadam decentia, tradidimus *par. præced. num.* 218.

Requiritur 6. ut non ordinetur per saltum, id est, ut non suscipiat Ordinem aliquem superiorem, non suscepto prius inferiore, *cap. unic. de Cleric. per salt. promot.* Et quamvis Ordo per saltum susceptus valeat (excepto Episcopatu, qui Presbyteratum essentialiter præsupponit, *cap.* 10. *in fin. de Excess. Prælat.*) sic tamen scienter promoveri se faciens graviter peccat, & incurrit ipso facto pœnam suspensionis ab exercitio Ordinis taliter suscepti (non item aliorum) neque ad alios Ordines, antequam suscipiat prætermissum, promoveri potest sine dispensatione, aut permissione, quam dare potest Episcopus, *can. unic. dist.* 52. *cap. unic. de Cleric. per salt. promot.* Trid. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.* & ibi Declarat. Cardd. apud Gallemart. *num.* 4. Quod si ita suspensus ministraret in Ordine per saltum suscepto, vel in prætermisso, evaderet irregularis; quia ministraret in censura, vel in Ordine, quem non habet.

Requiritur 7. ut ordinetur a proprio Episcopo, nisi sit munitus privilegio, vi cujus ordinari a quolibet Episcopo possit, aut a proprio Episcopo habeat licentiam, vel viva voce, vel scripto per literas dimissoriales obtentam. Id quod requiritur pro suscipiendo quocunque Ordine, imo etiam pro suscipienda sola prima Tonsura, *cap.* 4. *de Temporib. Ordinat.* Revideantur, quæ habentur *num.* 86. *circa Requisit.* 6.

Requiritur 8. ut servet *Tempora Ordinationum*, id est, dies illos, quibus Jura permittunt Ordines conferri, secundum dicta *num.* 86. *de Conferente circa Requisit.*

quisit. 5. & *Interstitia*, inter unum, & alterum Ordinem de Jure servanda, seu intervalla unius anni, adeo, ut a susceptis Ordinibus Minoribus ad Subdiaconatum, ab isto usque ad Diaconatum, ab hoc usque ad Presbyteratum semper intercedat spatium unius anni; nisi Ordinandus gaudeat privilegio Pontificio (sicut gaudent Regulares variarum Religionum; prout videre apud P. Emmanuelem Rodriquez *tom.* 3. *QQ. Regul. q.* 23. *artic.* 4. & 5.) vel nisi aliter Episcopo visum fuerit expedire; cui proinde super Interstitiis (non item super Temporibus Ordinationum) dispensare permissum est. Videatur Trident. *Sess.* 23. *cap.* 11. 13. & 14. *de Reform.* Ratio autem servandi Interstitia est, ut major tum æstimatio, tum præparatio, & aptitudo ad tam sublimia ministeria in Ordinandis procuretur.

Requiritur 9. ut Ordinandus in Subdiaconum *Titulo Mensæ* provisus sit. Trid. *Sess.* 21. *de Reform. cap.* 2. Intelligitur autem per *Titulum Mensæ* cautio, qua providetur Ordinando de sufficienti, eaque perpetua sustentatione. Ratio præterea hujus Requisiti adstruitur a Trid. allegato, ne scilicet Ordine sacro initiatus, qui tenetur in Clericatu permanere, ex defectu alimentorum cogatur cum dedecore Status Clericalis mendicare, vel sordidum quæstum exercere.

Requiritur 10. ut se non furtive intrudat ad primæ Tonsuræ, vel Ordinis alicujus susceptionem; ut si non esset examinatus, & approbatus ab Episcopo; vel solum approbatus ad suscipiendos Ordines Minores, & præsumeret, vi ejusdem approbationis, insuper suscipere Ordinem majorem, v. g. Subdiaconatus; vel duos Ordines majores eadem die; cum non esset approbatus, nisi pro susceptione unius. Talis ergo graviter peccaret, & a susceptione altioris Ordinis impediretur; ut colligitur *ex capit.* 1. *De eo, qui furtive &c. & seqq.* Ad quod malum præcavendum Episcopus ante Ordinationem sub anathematis pœna prohibet, ne quis furtive se intrudat &c.

Requiritur 11. ut non sit ligatus censura Ecclesiastica, excommunicatione scilicet, vel interdicto: quia utraque hæc censura privat usu passivo hujus Sacramenti (ut ab aliis præscindam) secundum dicta *part.* 3. *n.* 166. & 269. vel etiam suspensione; nam licet ista censura per se (& nisi annexam habeat irregularitatem, aut specialem aliquam prohibitionem) non privet ascensu ad Ordinem non susceptum, sed tantum exercitio Ordinis ante suscepti, si sit suspensio ab Officio Ordinis, neutro autem, si sit suspensio a Beneficio, aut Officio jurisdictionis duntaxat, ex dictis *cit. part.* 3. *num.* 233. 235. & 236. tamen suspensus illicite se ingerit susceptioni Ordinis, imo se ingerendo pœnam excommunicationis ipso facto incurrit: quia Episcopus ante Ordinationem ex præscripto Pontificalis Romani sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibere solet, ne quis *irregularis, excommunicatus, interdictus, suspensus &c.* accedat ad suscipiendos Ordines.

Requiritur tandem 12. ut nulla sit irregularitate implicatus: quia irregularitas est, & definitur *impedimentum Canonicum, primo, & per se impediens susceptionem Ordinum &c.* Dixi: *nulla*, ut insigitarem, quod quævis irregularitas, sive ortum traxerit ea defectu quocunque, sive ex delicto quocunque, licitæ susceptioni Ordinis (uti & primæ Tonsuræ, quæ juxta communem DD. hic, seu in data definitione comprehenditur, reductive saltem, sub nomine Ordinis) obicem ponat, Irregularitatem in genere, & specie cum omnibus appertinentibus sat late expendimus, & explanavimus *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 3. *per tot.*

97. Quæres adhuc circa octavum Requisitum, quotuplex sit *Titulus Mensæ*, seu *Sustentationis*?

Respondetur cum communi DD. esse triplicem. Unus est, & dicitur *Titulus Beneficii* (qui proprie est titolus, reliqui vero solum vicem tituli obtinent, & ei tantum æquiparantur) quando nempe Ordinandus actu jam habet Beneficium perpetuum, pacifice possessum, & ad congruam sustentationem sufficientes præbens reditus. Trid. *Sess.* 21. *de Reform. cap.* 2. ibi: *Statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.* Tale Beneficium debet esse *perpetuum*; nam Beneficium Ecclesiasticum est *jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis ratione spiritualis officii, authoritate Ecclesiastica pro persona Ecclesiastica constitutum.* Unde ad Titulum Beneficii Manualis, & non perpetui, non potest quis Ordinari, cum finis Constitutionis Tridentinæ sit, ut Beneficium Clerico, in Sacris constituto, congruam sustentationem præbeat per totum vitæ tempus; id quod non præstat Beneficium Manuale. Revideri possunt, quæ habentur *part.* 3. *n.* 402. & 403. Debet præterea idem Beneficium esse *actu pacifice possessum*; prout exprimit Synodus Trid. supra: unde non sufficit collatio Beneficii sine possessione, & multo minus spes, ut ut certa, vel literæ expectativæ ad Beneficium; imo nec possessio Beneficii, nisi sit pacifica, cum alioquin Clericus non esset securus de manutenendo Beneficio, & sustentatione congrua inde sibi obventura. Secundus Titulus est, & dicitur *Titulus Patrimonii*, quando nimirum Ordinandus actu habet bona patrimonii (quocunque titulo legitimo acquisita) quæ sint certa, immobilia, libera, fructifera, firma, & congruam sustentationem suppeditantia. Requiritur proin 1. ut ejusmodi bona sint *certa*: quia si incerta sint, sciri non potest, an sint sufficientia ad sustentationem Clerici. 2. ut sint *immobilia*; nam res mobiles facile extinguuntur, vel consumuntur usu, aut lapsu temporis: & hinc si mobilia sint, converti debent in immobilia. 3. ut sint *libera*, id est, nullo hypothecæ, vel alio titulo alteri obligata: quia alioquin fieri posset, ut a creditoribus auferrentur. Ex quo etiam fit, ut filius Ordinari non possit ad titulum hæreditatis paternæ, patre vivente; siquidem præterquam quod Concilium Trid. supra requirat, ut Ordinandus, si Beneficiarius, vel Pensionarius non sit, vere, ac reipsa patrimonium habeat, & non tantum in spe, seu fictione Juris, quomodo habet filius vivente patre juxta *Glossam in l.* 2. *C. qui ætate*, bona patris viventis non existunt libera relate ad filium, cum hujus liberæ dispositioni necdum subjaceant; imo nec certa, cum fieri queat, ut pater, quantumcunque nunc dives sit, pauperascat, filioque suo hæreditatem, congruæ sustentationi suffecturam, non relinquat. 4. ut sint *fructifera*, & annuum reditum afferant: quia idem est rem non habere, & habere, sed inutilem, *l.* 6. *ff. qui satisdar. cognat.* Unde non potest quis Ordinari ad bona patrimonii, in quibus tantum habet dominium directum, & alter utile: quia ex solo dominio directo nullos percipit fructus, sustentationem præbentes. E diverso Ordinari quis potest ad bona, quorum obtinet usumfructum, sive dominium utile, quamvis alius habeat dominium directum, modo aliunde nihil officiat. Ratio est opposita. P. Cherubinus Mayr *pagin.* 312. *n.* 83. cum P. Bosco, & aliis. 5. ut sint *firma*, & talia, quæ nec Clerico facile auferri, nec ab ipso alienari, vel cessione aliqua in alios transferri, eisve obligari valide possint: quia alias accidere posset, ut sustentationem non amplius præberent. 6. & *congruam sustentationem suppeditantia*, ut sic satisfiat fini, per Tridentinum supra intento. Ad Titulum Patrimonii reducitur *Titulus Pensionis*, seu Pensio in sustentationem Ordinati singulis annis solvenda, donec consequatur Beneficium, vel ubi ad Beneficium reditus fuerit inhabilis. Hic, inquam, Titulus reducitur ad Titulum Patrimonii; quia stricte loquendo non est Titulus Patrimonii, sed ex consuetudine, etiam per Concilium Trid. *cit.* approbata, ipsi substituitur, & simpliciter *Titulus Mensæ* appellatur. Ut autem hic Titulus sit legitimus, requiritur, ut, si detur ab aliquo privato, accedat cautio realis, seu assignetur res frugifera, ex qua solvatur pensio: si vero detur ab integra aliqua Communitate, vel Principe, sufficit simplex cautio instrumentaria; quia his nunquam facultas deesse moraliter potest ad Clericum sustentandum, bene vero illis, ut patet. Si Monasterium, vel Ecclesia hujusmodi Titulum concedat, necessarius est consensus Capituli; alias Successor in Dignitate non obligabitur promissione Antecessoris, & sic Titulus non erit idoneus, Engel *lib.* 1. *tit.* 14. *n.* 18. VViestner *eod. lib. tit.* 11. *num.* 88. & alii passim. Tertius Titulus est, & dicitur *Titulus Paupertatis*, ad quem Ordinantur Clerici Regulares, approbatam Religionem solemniter professi, *can.* 1. *dist.* 70. & in Societate Jesu post emissa

vota

vota simplicia. Gregor. XIII. *in Constitut. Ascendente Domino*. Schmalzgrueber *lib. 1. tit. 11. num. 38.* & alij communiter.

ARTICULUS III.

Expediuntur, quæ concernunt Effectus Ordinis.

SUMMARIUM.

98. & seqq. Primus Effectus Ordinis est gratia sanctificans, cum jure ad Actuales: secundus, character indelebilis; isque totuplex, quotuplex confertur Ordo: tertius, potestas, seu officium, quod in Ordinatione traditur: quartus sunt Obligationes Ordinatorum: quintus, capacitas jurisdictionis Ecclesiasticæ, & Beneficiorum; sextus, geminum Privilegium Clericale.

98. Dico primo. Primus effectus Sacramenti Ordinis est gratia sanctificans (non prima per se loquendo, sed secunda; cum Ordo sit unum de Sacramentis vivorum) & quidem cum jure actualium auxiliorum ad functiones cujusque Ordinis rite, ac religiose exercendas.

99. Dico secundo. Secundus effectus Sacramenti Ordinis est character indelebilis: quia hoc Sacramentum est de classe Sacramentorum initerabilium; ergo debet imprimere characterem indelebilem, utpote ex quo initerabilitas Sacramenti oritur. Sed

100. Quæres, an singulis Ordinibus correspondeant singuli characteres, & qualiter distincti?

Respondetur. Supposito, quod singuli Ordines sint Sacramenta (prout sunt ex dictis *n. 64. & seq.*) singulis correspondeat (1) singuli characteres; & quidem (2) specie distincti. Ita Scotus *in 4. dist. 24. q. unic.* Herincx *part. 3. disp. 10. q. 9. n. 93.* & alii, præsertim Scotistæ, satis communiter. Ratio primi est: quia quilibet Ordo est initerabilis; ergo cuilibet correspondeat, necesse est, specialis character, vi cujus sit initerabilis. Ratio secundi est: quia ipsi Ordines sunt inter se specie distincti; & conferunt potestates specie distinctas; veluti patet ex singulorum definitionibus, supra *n. 46*, allatis; ergo etiam characteres, ceu signa illarum potestatum, sic erunt distincti. Verum

101. Petes, an Consecratio Episcopalis, & præsertim secunda Ordinatio partialis Sacerdotis imprimat distinctum characterem, vel solum perficiat, & extendat characterem antea, aut in priori Ordinatione impressum?

Respondetur, quod imprimat distinctum. Ita cum Præposito P. Herincx *loc. cit. num. 94.* P. Cherubinus Mayr *pag. 414. n. 191.* & alii tum Scotistæ, tum Neutrales communius, quibus etiam adstipulantur nonnulli Thomistæ. Ratio est: quia in illa Consecratione, & Ordinatione partiali adhibetur materia, & forma essentialis distincta, confertur distincta gratia, & datur nova potestas inamissibilis, atque initerabilis; ergo etiam imprimitur distinctus character. Conf. patet; nam ex signis, in antecedente commemoratis, colligitur, etiam secundum Adversarios, quod per distinctas Ordinationes respective totales imprimantur distincti characteres respective totales, singuli singulis Ordinibus correspondentes; ergo ex iisdem signis colligere licet, quod etiam per distinctas Ordinationes partiales imprimantur distincti characteres partiales, Ordinibus inadæquate spectatis correspondentes.

Neque dicas, exinde sequi, tot admittendos fore characteres respectu unius, ejusdemque Ordinis, quot sunt Sacramenta, ad quorum confectionem potestas illius Ordinis se porrigit; cum ergo per collationem Ordinis Episcopalis conferatur potestas ad Confirmandum, & Ordinandum; & per collationem Ordinis Presbyteralis præter potestatem consecrandi, & absolvendi, conferatur potestas Extremam Unctionem administrandi &c. admittendi quoque erunt & hic distincti, seu alii, atque alii characteres &c.

Contra enim est, neg. seq. Nam potestates, inter quas datur inseparabilitas mutua, sicut datur inter potestates immediate specificatas, eidem respective subjecto, nempe Episcopo, vel Presbytero, inexistentes, uno, eodemque charactere sufficienter denotantur, puta in Episcopo potestas Confirmandi, & Ordinandi uno, eodemque charactere, atque in Presbytero potestas absolvendi, Extreme Ungendi &c. itidem uno, eodemque charactere. Oppositum sentiendum de potestatibus, inter quas non datur inseparabilitas saltem mutua; hæ nanque eo ipso, quod tales sint, indigent distinctis characteribus, queis significentur: prout ostensum. Sed

Instabis. Nec inter potestates Confirmandi, ac Ordinandi in Episcopo ex una parte; & inter potestates absolvendi, ac Extreme Ungendi in Presbytero ex altera parte, datur mutua inseparabilitas, quasi scilicet non possit conferri Episcopo potestas Confirmandi sine potestate Ordinandi; & Presbytero potestas absolvendi sine potestate Extreme Ungendi; ergo disparitas, & responsio a nobis reddita non subsistit.

Respondetur, neg. ant. Nam sicut Presbytero in sui Ordinatione conferri non potest, ne quidem valide, potestas in Corpus Christi verum sine potestate in verum Christi Sanguinem, aut vicissim; prout relinquitur ex dictis *num. 81.* ita nec potest Episcopo conferri potestas Confirmandi sine potestate Ordinandi, aut vicissim; vel Presbytero potestas absolvendi sine potestate Extreme Ungendi, aut vicissim: consequenter &c. Herincx ubi supra.

Dixi autem in utraque conclusione: *Sacramenti Ordinis &c.* Nam effectus utrobique recensiti non competunt primæ Tonsuræ, utpote quæ secundum nos nec Ordo, nec Sacramentum est: neque appropriari possunt Ordinibus Minoribus ab illis Authoribus, qui dictis Ordinibus rationem Sacramenti denegant; cum effectus gratiæ sanctificantis Sacramentalis solum attribui valeat Ordini, qua Sacramento, & effectus characteris Sacramentalis, qua Sacramento initerabili,

102. Dico tertio. Tertius effectus Ordinis est potestas (seu officium, active, & potestative, acceptum) quæ in Ordinatione confertur, & per characterem significatur; nam character, qui in Ordinatione imprimitur, adeoque physice suscipitur, non est idem cum potestate, quæ in Ordinatione confertur (prout nonnulli autumant) sed est signum talis potestatis. Et vero character Sacramentalis, modo præfato sumptus, importat qualitatem physicam supernaturalem, secundum dicta *part. 5. n. 68.* e diverso potestas Sacramentalis est quid morale adinstar aliarum potestatum, ac juriura; prout recte advertit P. Cherubinus Mayr *pag. 414. n. 192.*

Ceterum potestates, seu officia singulorum Ordinum, vel potius Ordinatorum, sunt, ut sequitur, Itaque

1. Officium *Ostiarii* est excludere infideles, ne sint Divinorum Mysteriorum spectatores, & irrisores: item excommunicatos, utpote a fidelium communione præcisos.

2. Officium *Lectoris* est instruere illos, qui de via salutis ineunda, & Lege Christiana amplectenda cogitant.

3. Officium *Exorcistæ* est energumenos a dæmonis tyrannide liberare, ut majori cum fructu, & decentia possint Divinis Mysteriis interesse.

4. Officium *Acolythi* (qui & *Ceroferarius* dicitur) est præsentare materiam remotam calicis Subdiacono: item accendere, & deferre lumina in candelabris ad Divina Officia,

5. Officium *Subdiaconi* est calicem, & patenam præparare, & ad altare deferre, eaque Diacono offerre, qui ea præbeat celebranti: item assistere Diacono ad infundendum vinum, & aquam in calicem; cantare Epistolam in Missa &c.

6. Officium *Diaconi* est proxime assistere, & ministrare Sacerdoti sacrificanti; cantare Evangelium in Missa; & quandoque dispensare Eucharistiam, prædicare verbum Dei &c.

7. Officium *Presbyteri* est consecrare Corpus, ac Sanguinem Christi; absolvere a peccatis, baptizare &c. item pascere subditos verbo, & exemplo.

8. Officium *Episcopi*, quatenus a Sacerdote distincti, est ministrare duo Sacramenta, scilicet Ordinis, & Confirmationis; deinde Basilicas, Altaria, Vestes, Vasa, Chrisma, Virgines consecrare, Verbum Dei prædicare, Officia, & Beneficia distribuere; Episcopali Diœcesi præesse; ad Confessiones excipiendas approbare, & alia hujusmodi.

103. Dico quarto. Quanus effectus Ordinis sunt Obligationes (passivæ) Ordinatorum; & existunt præcipue sequentes.

Prima est persolutio precum, & Missarum in fine Ordinationis injungi solitarum ab Ordinatore; ab isto quippe promotis ad Ordines Minores (vel etiam ad primam Tonsuram tantum) injungi solent Psalmi Pœnitentiales cum Litaniis, Versiculis, & Orationibus; promotis ad Subdiaconatum, vel Diaconatum Nocturnus ex Penso Canonico currentis diei; ac promotis ad Presbyteratum tres Missæ, post primam Missam, seu Primitias celebratas, legendæ, videlicet una de Spiritu Sancto, altera de B. Maria semper Virgine, & tertia pro fidelibus defunctis: subjungiturque, ut orent Deum Omnipotentem pro ipso Ordinatore. Sitne autem hæc obligatio vere talis, & stringat sub peccato, & quanto, nec ne? discrepant Authores; imo in tres abeunt sententias. Aliqui enim agnoscunt veram obligationem, & quidem sub mortali stringentem: alii vero stringentem sub veniali duntaxat: alii tandem non agnoscunt veram obligationem, sed meram decentiam; siquidem verba Reverendissimi Ordinatoris æque explicari possunt de consilio, & decentia, ac de præcepto, & obligatione; ergo, cum versemur in onerosis, explicanda, & accipienda sunt in partem benigniorem, seu ut denotant consilium, & decentiam tantum. Tertia hæc sententia videtur prioribus probabilior, ut proinde Ordinatus, impositas preces, & Missas omittens, a peccato omnino excusandus, esto non laudandus foret. Videatur P. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 1. *c.* 6. *n.* 170.

Secunda obligatio est, quam Clerici ratione sui Status debent Episcopo, cui subsunt; quatenus eidem obedire tenentur in iis, quæ Divinum Officium, & administrationem Sacramentorum; honestatem vitæ, & morum; correctionem, & pœnas pro peccatis impositas &c. concernunt. Videri hic possunt Canonistæ *lib.* 5. *Decret. tit.* 1. Porro dum Reverendissimus Ordinator cuilibet Neo-Presbytero specialiter, post datam potestatem absolvendi a peccatis, dicit: *Promittis mihi, & Successoribus meis Reverentiam, & Obedientiam?* & quilibet reponit: *Promitto*; non videtur per hanc talem promissionem denotari alia obedientia, quam quæ alias Jure Naturali, Divino, & Canonico est debita Episcopo: quia nec Reverendissimi Ordinatores hucusque aliam prætenderunt, nec Ordinati ab ipsis aliam agnoverunt. Ita PP. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 8. *n.* 773. & Sporer *loc. cit. n.* 171.

Tertia obligatio est gestatio Habitus, & Tonsuræ, seu Coronæ in capite. Extat hæc obligatio *in can. penult. dist.* 23. & *cap. penult. de Vit. & Honest. Clericor.* tangitque omnes Clericos non solum in Ordinibus Majoribus, sed etiam in Minoribus constitutos, imo & prima duntaxat Tonsura initiatos, si Minoristæ, aut Tonsurati Beneficium Ecclesiasticum habeant. *Clement.* 2. *de Vit. & Honest. Clericor.* Hanc talem obligationem esse gravem, & sub mortali (quando Clerici versantur in publico, & nulla intervenit causa excusans) tradunt DD. passim, & liquet ex pœnis, *in cit. Clement. & Trident. Sess.* 14. *cap.* 16. *de Reform.* contra secus facientes decretis. Tonsurati vero, & Minoristæ, Beneficio Ecclesiastico carentes, non stringuntur prædicta obligatione gestandi Habitum, & Tonsuram. Si tamen non gestent Habitum, privati existunt privilegio *Fori* saltem, adeo, ut non amplius sint exempti a foro, & jurisdictione Laicorum. Trid. *Sess.* 23. *capit.* 6. *de Reform.* & *Clement.* 1. *de Vit. & Honest. Clericor.* Dixi: *privilegio Fori saltem*. Nam privilegium *Canonis*, vi cujus citra excommunicationem injuriose percuti nequeunt, probabilius non amittunt, seclusa consuetudine contraria, qualis apud nos vigere videtur: velut docent Molina, Garcias, Gonzalez, Konig, VViestner: & alii apud, & cum Patre Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 39. allegantes Declarationem Cardd. Ratio insuper est: partim quia Trid. *loc. proxime cit.* exprimit solum privilegium *Fori*; consequenter non debet extendi ad privilegium *Canonis*, *in can. Siquis suadente caus.* 17. *q.* 4. omnibus Clericis illimitate concessum, ne admittenda sit correctio Juris, utpote odiosa: partim quia per injuriosam Clericorum percussionem major irrogatur irreverentia Statui Clericali, quam per eorum pertractionem ad Judicem Secularem, seu Laicum,

Quarta obligatio est, vi cujus Clerici, ob Ordinem Sacrum ad continentiam adstricti, vel ratione Beneficii Ecclesiæ deservientes, Jure Ecclesiastico prohibentur cohabitare in eadem domo cum feminis suspectis, vel extra domum propriam cum talibus conversari, *can.* 20. 27. *& seqq. dist.* 81. item *cap.* 1. *&* 9. *de Cohabit. Clericor. & Mulier.* licet forte per accidens non esset periculum incontinentiæ: ubi enim hoc datur, ejusmodi cohabitatio Jure Naturali, & Divino noscitur interdicta. Suspectæ autem feminæ censentur juvenes, cultæ, procaces, malæ famæ; non autem, quæ in primo, vel secundo consanguinitatis, aut in primo affinitatis gradu sunt conjunctæ, quia in talibus juxta *cit. cap.* 9. *naturale fœdus* (id est, naturalis conjunctio) *nihil permittit sævi criminis suspicari*. Videri potest P. Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 2. *a n.* 1.

Quinta obligatio est, vi cujus Clerici specialiter jubentur abstinere 1. a negotiis secularibus, quæ vel multum impediunt a functionibus Ecclesiasticis, uti negotiatio, *c. fin. de Vit. & Honest. Clericor.* circa quam tamen revidenda sunt, quæ habentur *part.* 4. *n.* 810. vel avaritiæ speciem præseferunt, uti cambium, confectio auri chymici &c. *cap.* 10. *eod.* vel ob vilitatem suam Statum Clericalem dedecent, uti officium mimi-joculatoris, histrionis, carnificis, lanionis, tabernarii &c. *Clement.* 1. *eod.* imo nec licet ipsis auscultare histrionibus, aut larvis vultum tegere, *cap.* 15. *eod.* Tenentur præterea abstinere a tripudiis, saltationibus, & choreis cum feminis; uti expresse prohibet Trid. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 12. *circa finem*. Prohibetur etiam ipsis venatio clamorosa, frequens, & immodica *in c.* 1. *&* 2. *de Cleric. Venat.* & nos advertimus *part.* 4. *n.* 36. Item exercitium artis Medicæ, & Chirurgicæ per incisionem, vel adustionem, *capit.* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*. Hæc, & his plura Clericis sunt vetita; prout in *cit.* Juribus videre est, uti & apud Canonistas *lib.* 3. *Decret. tit.* 1. 2. *&* 50.

Sexta tandem obligatio, eaque gemina, est, qua Clerici tenentur ad dicendas Horas Canonicas, & servandam perpetuam castitatem: quarum tamen neutra stringit Clericos universim; ut mox patebit. Et quidem quod attinet primam obligationem, satis jam constat ex dictis *part.* 3. *a n.* 445. ubi enumeravimus Clericos ad Horas Canonicas obstrictos, aliaque tradidimus plura, quæ præsens negotium stipant. Alteram obligationem quod attinet, certum quidem est, quod illa oriatur ex Lege Ecclesiastica, adstringente omnes Clericos Ecclesiæ Latinæ, in Ordine aliquo Majori constitutos (secus, si tantum sint constituti in Minoribus) ad abstinendum a quibuscunque actibus venereis sub reatu sacrilegii; & inhabilitante ad Matrimonium contrahendum; ut patet ex Trid. *Sess.* 24. *can.* 9. Sed controversum est inter DD. an prædicta obligatio continentiæ in memoratis Clericis nascatur immediate, & solum ex Lege Ecclesiastica, sicut obligatio ad Horas Canonicas, vel mediate tantum ex Lege Ecclesiastica, & immediate ex voto solemni Castitatis, in sacra Ordinatione emisso? Primum affirmat Scotus *in* 4. *dist.* 37. *q. unic.* §. *Dico igitur*, quem sequuntur Hiquæus, Mastrius, Bosco, Herinca, Neuster, Mayronius, Valentia, Aversa, & alii permulti. Alterum propugnat D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. & *in* 4. *dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. quem sequuntur Henriquez, Vasquez, Sanchez, Dicastillo, Basilius Pontius, & alii itidem permulti. Utraque opinio vera est disjunctive, ita, ut Clerici, in sacris Ordinibus constituti, obligentur ad servandam castitatem, vel immediate ex voto, si illud, quemadmodum debebant, expresse, aut tacite emiserint, vel immediate ex sola Lege Ecclesiastica, si illud contra præscriptum Ecclesiæ nullo modo emiserint. Ita Amicus *tom.* 8. *disput.* 22. *sect.* 13. *n.* 91. Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 30. Cherubinus Mayr *loc. citat. pag.* 598. *a num.* 142. Ratio probativa sumitur ex Trid. quod *Sess.* 24. *can.* 9. ita statuit: *Siquis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit*. Ubi, ut vides, invaliditas matrimonii, ad quod contrahendum inhabiles pronunciantur Clerici in Sacris constituti, & Religiosi solemniter professi, refertur disjunctive vel in Legem Ecclesiasticam, vel in votum. Neque dici potest, quod

est, quod

est, quod Lex concernat solos Clericos, sacris Ordinibus initiatos, votum autem solos Religiosos, solemniter professos. Contra enim est, quod hæc expositio subsistere nequeat; siquidem & votum solemne Religionis matrimonium dirimit non ex natura rei, sed ex Lege Ecclesiastica solum; prout cum communiori DD. dicturi, & ostensuri sumus *tract. seq.* consequenter &c.

Dices tamen adhuc primo. Non potest assignari præscriptum Ecclesiæ, vi cujus Clerici, sacris Ordinibus initiandi, adigantur ad emittendum votum Castitatis; ergo tale non tenentur, nec solent emittere; ergo non est ratio dicendi, quod adstringantur ex voto ad servandam castitatem, etiam per se, & regulariter loquendo.

Respondetur, neg. ant. Nam *in can. 1. dist. 28.* refertur sententia S. Gregorii, ut *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit*. Ex *can. 3. ead.* ex Concilio Toletano IV. refertur Decretum, vi cujus Presbyteros, & Diaconos *oportet primum professionem Episcopo suo facere, ut caste, & pure vivant sub timore Dei*. Porro Bonifacius VIII. *cap. un. de Voto, & Vot. Redempt. in 6.* declarat, *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut Professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis &c.* Ecce præscriptum Ecclesiæ de vovenda solemniter castitate a suscepturis sacros Ordines, in allegatis, aliisque Juribus vel expressum, vel suppositum! Unde neg. vel dist. primam conf. Tale non tenentur, nec solent emittere expresse, esto, tacite, neg. hanc, & alteram conf. Siquidem voti expresse, ac tacite emissi eadem est vis, & efficacia. Olim ejusmodi votum præstabatur expresse; velut patet ex *can. 1. & 3. citt. ac can. 6. dist. 23.* hodie autem præstari solet tacite, quatenus silentium suscipientis sacrum Ordinem reputatur pro consensu, *can. 1. dist. 27. & can. 8. dist. 28.* P. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 29.*

Dices secundo. Si Subdiaconus v. g. casu, quo contra præscriptum Ecclesiæ malitiose non emisisset votum de servanda castitate, ad hanc obligaretur ex sola Lege Ecclesiastica, non committeret fornicando peccatum sacrilegii, sed simplex peccatum fornicationis, contra communem sensum DD. ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam licet ponatur nullum edidisse votum, obstringitur tamen ad servandam castitatem vi specialis præcepti Ecclesiastici, ex motivo Religionis lati, & omissionem fornicationis (aliorumque actuum venereorum) constituentis materiam necessariam Religionis. Revide, quæ habentur *part. 1. n. 267.* & *part. 4. n. 231.*

104. Dico jam quinto. Quintus effectus Ordinis (uti & primæ Tonsuræ, utpote quam idem effectus immediate consequitur) est capacitas jurisdictionis Ecclesiasticæ, & Beneficiorum Ecclesiasticorum: modo Ordinatus (vel Tonsuratus) decimum quartum ætatis annum attigerit: prout requirit Trid. *Sess. 23. de Reform. cap. 6.* ibi: *Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere.*

105. Dico sexto. Sextus effectus Ordinis (similiter & primæ Tonsuræ) est geminum Privilegium Clericale, videlicet *Privilegium Canonis, & Privilegium Fori*, seu *Immunitas Ecclesiastica*, tam personalis, quam realis: de qua utraque actum est *part. 3. a num. 503.* Revide ibi dicta; hic autem nota, quod nullus Clericus, prima duntaxat Tonsura, vel Minoribus etiam Ordinibus initiatus, gaudeat privilegio fori, *nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur*: quemadmodum ordinat, & effatur in terminis Conc. Trid. *Sess. 23. de Reform. cap. 6.* Privilegio tamen Canonis probabilius non privatur, etsi nullam ex allegatis conditionibus habeat, aut observet; spectato nimirum Jure scripto, licet, spectato Jure consuetudinario, videatur apud nos contrarium obtinere: id quod animadversum supra *n. 103.*

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

106. Calixtus, in Presbyterum cum contactu tantum morali materiæ traditæ Ordinatus, probabilius est invalide Ordinatus; adeoque sub conditione reordinandus, si de facti contingentia moralem certitudinem, aut veram probabilitatem habeat; secus, si inanem duntaxat anxietatem, vel scrupulum. 107. Carpophorus, cum susciperet Presbyteratum, immediate post prolationem formæ: Accipe potestatem &c. jussus a Magistro Ceremoniarum tangere calicem, & patenam, valide Ordinatus est; quamvis idem Ceremoniarum Magister Carpophorum impediendo, ne præfata instrumenta tangeret, quando Episcopus Ordinans verba formæ actu proferebat, graviter deliquerit. 108. Clarus Regularis, & Clarentius Secularis, licite, & valide ab Abbate Infulato, & Benedicto &c. prima Tonsura, & Ordinibus Minoribus initiati sunt; modo accesserit specialis licentia, seu consensus Reverendissimi Ordinarii, & respectu Clari etiam consensus sui Superioris Regularis. 109. Castilianus, qui annum vigesimum quintum inchoavit juxta computationem temporis Ecclesiastici tantum, non vero solaris, illicite in Sacerdotem Ordinaretur. 110. Illicite quoque Sacrum Ordinem suscipit mane, qui ætatem requisitam primum attingit post meridiem, aut paulo post Ordinationem, secus, si ante istam, dicto videm die. 111. In computatione ætatis, ad dictam Ordinationem requisitæ, non est habenda ratio annorum bissextilium. Ubi etiam exponitur, quare hi anni sic nuncupentur, & qualiter ab annis ordinariis distinguantur.

CASUS I.

106. *Calixtus, aliquot jam annorum Sacerdos, magna agitur anxietate animi circa tactum materiæ, quasi hunc, cum in Sacerdotem Ordinaretur, non habuisset physicum: eoque jam devenit, ut nullum Sacerdotii actum amplius exercere velit, tanquam invalide Ordinatus. Ne autem in propria causa hallucinetur, adit famosum quendam Theologum, eique rem totam oppido tristis, & turbatus exponit consilii, & solatii capiendi gratia. Quæritur jam 1. An ad validam Ordinationem requiratur ex parte Ordinandi contactus physicus materiæ ab Ordinante traditæ, vel vero sufficiat moralis? 2. Qualiter juvandus sit Calixtus?*

Respondetur primo ad primam Quæst. Casus. Ex parte Ordinandi, ut valide Ordinetur, necessarius est contactus physicus, saltem mediatus, materiæ, quæ ab Ordinante traditur. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent D. Thomas, Silvester, Coninch, Valentia, Palao, Bonacina, Schmalzgrueber *lib. 1. tit. 11. n. 7.* Cherubinus Mayr *loc. cit. pag. 112. n. 67.* & alii contra alios, volentes, contactum materiæ physicum esse quidem de necessitate præcepti, non vero de necessitate Ordinationis, adeoque hanc valere, modo interveniat contactus moralis. Ratio prima est: quia Concilium Carthaginense IV. *can. 5.* ita habet: *Subdiaconus cum Ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum.* Ecce! Concilium eodem modo loquitur de acceptione Impositionis manuum, & acceptione Patenæ, & Calicis: atqui acceptio impositionis manuum debet esse physica, idque necessario necessitate Ordinationis; ergo etiam acceptio Patenæ, & Calicis (idemque est de aliis Ordinum instrumentis) consequenter &c. Confirmatur ex Pontificali Romano, quod claris omnino verbis requirit traditionem materiæ cum contactu physico; nam in rubrica de Ordinatione Diaconi sic inquit: *Postremo Pontifex tenens librum Evangeliorum tradit illum communiter omnibus coram se genuflexis, & manu dextera simul ipsum tangentibus &c.* Ratio secunda est: siquidem ex opposita sententia sequeretur, infantem nullo prorsus Ordine valide initiari posse: sequela autem pugnat con-

tra communem, & ipsorum etiam Adversariorum sententiam; ergo &c. Prob. seq. Ad validam Ordinationem requiritur aliquis contactus materiæ traditæ, nimirum vel physicus, vel saltem moralis; prout omnes fatentur: atqui per oppositam sententiam neuter contactus in infante salvatur; ergo &c. Min. prob. Non enim physicus; quia Adversarii contendunt, hunc talem contactum in infante esse impossibilem, indeque evincere nituntur, ejusmodi contactum non posse esse necessarium necessitate Ordinationis: neque moralis; quia cum hic contactus consistat in aliquo signo externo acceptationis materiæ sibi oblatæ, v. g. in voluntaria, & libera manuum extensione, capitis inclinatione &c. omni procul dubio in infante repugnat. Ergo &c.

Dices primo. Concil. Florentinum in Decreto Eugenii non meminit alicujus acceptionis physicæ instrumentorum; ergo similis acceptio non est necessaria necessitate Ordinationis.

Respondetur primo, authoritatem Florentini retorqueri posse; quandoquidem Concilium non solum non meminit acceptionis, seu contactus physici, sed neque moralis; ergo dum Adversarii argumento ab authoritate deprompto nos impetunt, eodem se telo configunt, quatenus coguntur admittere, nec contactum moralem esse necessarium necessitate Ordinationis; adeoque hanc consistere posse validam absque ullo contactu, sive physico, sive morali, materiæ traditæ.

Respondetur secundo, omisso antecedente, neg. cons. Nam argumentum ab authoritate negativa petitum nihil probat, quando in oppositum stat authoritas affirmativa, qualem nos supra allegavimus ex Concil. Carthaginensi, & Pontificali Romano, per Clementem VIII. ad obligatorie observandum proposito in Bulla; *Ex quo in Ecclesia Dei*, eidem Pontificali præfixa.

Dices secundo. Jurisdictio, potestas, dominium in Jure tam Civili, quam Canonico impertiri possunt, & solent absque contactu physico rei cujusdam traditæ, ita, ut ex parte acceptantis sufficiat signum aliquod externum, quo significet, se consentire in traditionem; ergo eodem quoque modo tradere instrumenta Ordinum sufficit ad validam eorum susceptionem.

Respondetur, neg. cons. & parit. Paritas quippe si esset, sequeretur, tot modis valide tradi posse ab Ordinante potestatem Ordinis, & ab Ordinando accipi, quot modis tradi, & accipi possunt aliæ res, jura, dominia, & potestates. Unde potestas Ordinis posset tradi, & accipi per scripturam, qua Minister Ordinis attestaretur, se illam petenti, & acceptanti tradere; item per actus Ordinis cum scientia, & patientia Episcopi frequentatos &c. quoniam sic aliæ res, jura &c. prædictis, & aliis id genus modis tradi, & acquiri possunt. Sequelam autem esse absurdam, nemo non videt. Itaque in iis, quæ concernunt essentiam Sacramentorum, præcipue attendendum est ad institutionem Christi, vel, si de hac non constet (uti non constat in præsenti) ad declarationem, aut praxim Ecclesiæ, juxta quam omnino certius est, de necessitate Ordinationis esse contactum physicum materiæ traditæ, & non sufficere moralem tantum; quoniam Ecclesia usum contactus physici constanter, & severe ursit, sine eo Ordinatos reordinari jussit, saltem sub conditione &c.

Dices tertio. Sequeretur etiam ex nostra sententia; puerum, adhuc uso rationis carentem, non posse valide Ordinari; ergo &c. Prob. seq. Siquidem talis puer non est capax exercendi contactum moralem, veluti supra arguebamus: neque apparet, quomodo exercere valeat contactum physicum, qualem nos ad validam Ordinationem necessarium esse contendimus; ergo &c.

Respondetur, neg. sequel. Ad prob. neg. secundum membrum; nam etiam in memorato puero locum habere potest contactus physicus, si nempe materia, quæ applicatur, aut traditur, ad ipsius manum admoveatur, aut vicissim manus ad materiam: consequenter &c.

Dixi autem in respons. ad Cas. *saltem mediatus*. Consentiunt enim nostræ quoque sententiæ Defensores, non esse necessarium contactum physicum immediatum materiæ traditæ, quasi Ordinandus v. grat. in Presbyterum, debeat hostiam, & vinum immediate tangere; sed sufficere, si physice immediate tangat patenam, & calicem. Ratio est: quia Pontificale Romanum, in quo exactissime traduntur necessaria ad essentiam Sacramenti Ordinis, nullam facit mentionem contactus physici immediati; sed tantum jubet *cuppam Calicis, & Patenam simul tangi*; neque in contrarium authoritas aliqua contactus immediati assertoria assignari potest; imo vinum nunquam tangitur immediate, quod evidenti argumento est, neque hostiam necessario tangendam esse immediate, cum eadem sit hujus ratio. Vide, si placet, P. Pichler *in Jure Canon. practice explicat. Decis. 16.*

Respondetur nunc secundo ad secundam Quæst. Casus. Ut Calixtus salutari consilio, vel solatio juvari valeat, ante omnia dispiciendum est, an ipsius anxietas innitatur fundamento certo, vel probabili, vel inani duntaxat, de non adhibito tactu physico materiæ, in Ordinatione Presbyterali traditæ? Si innitatur fundamento certo, vel vere probabili, aliud remedium non superest, quam ut Calixtus (supposito, quod actus Sacerdotii exercere etiam imposterum velit) de novo Ordinetur sub conditione; *si prior Ordinatio non valuerit*. Ratio est: quia cum ex dictis juxta veriorem sententiam contactus physicus materiæ sit de essentia Ordinis, hic, sine tali contactu collatus, est valoris dubii; ergo sub conditione repetendus, idque maxime verum est de Ordine Presbyterali (de quo Casus) & Episcopali: quia tunc maxima inconvenientia, & spiritualia damna sequerentur, si Presbyter, aut Episcopus sine prædicto contactu Ordinatus celebraret Missam, exciperet Confessiones, alios Ordinaret &c. cum hujusmodi actus omnes essent invalidi, si sententia opposita de sufficientia contactus moralis sit reapse falsa, adeoque Presbyter, aut Episcopus invalide Ordinatus.

Dices, Diaconatus, Subdiaconatus, & Minores Ordines, sine contactu physico, & cum morali duntaxat collati, non sunt necessario repetendi; ergo neque Presbyteratus &c.

Respondetur cum probabiliori sententia, neg. ant. Supposito, quod antedicto modo Ordinati actus suorum respective Ordinum solemniter, & ex officio exercere velint; vel præterea Presbyteratum, quo forte adhuc carent, accipere. Deinde dato antecedente (quod probabiliter sustinent Sporer *in Theol. Sacram. part. 1. cap. 5. numer. 36*, La Croix *lib. 6. part. 2. num. 2208*, & plures alii) neg. cons. & parit. Disparitas est: quia cum contactu morali tantum Ordinatus in Diaconum, Subdiaconum &c. vel ponitur jam esse Presbyter, vel non? Si prius; hoc ipso jam habet eminenter inclusum Diaconatum &c. Si posterius; ex functionibus Diaconatus, aliorumque Ordinum inferiorum, quas obit forte reipsa invalide Ordinatus, nullum cuiquam nocumentum consciscitur; ut proinde hic (sicut & alias, quando agitur de sola honestate actionis ponendæ) probabiliter locum obtineat illud; *in dubio præsumptio est pro valore actus*. Contra accidit, dum quis cum morali duntaxat contactu est Ordinatus in Presbyterum, vel Episcopum; prout liquet ex proxime dictis.

Instabis. Siquis etiam in Presbyterum, vel Episcopum Ordinatus esset cum contactu physico mediato solum, idque probabiliter, vel certo sciret, non esset reordinandus ne quidem sub conditione; ergo neque sic reordinandus erit, qui cum contactu morali in Presbyterum, vel Episcopum fuit Ordinatus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia Ordinatio, de qua antecedens, judicanda est certo valida; cum sententia docens, ad validam Ordinationem sufficere contactum physicum mediatum, existat moraliter certa; veluti ex professo, & fuse demonstrat Pat. Pichler *loc. proxime cit.* Ubi *in fin.* addit, contactum physicum mediatum etiam sufficere ad Ordinationem licitam: esto suadeat (& ego cum ipso) immediatum. At vero Ordinatio, de qua consequens, solum judicari potest dubie, vel probabiliter valida; cum sententia docens, ad validam Ordinationem sufficere contactum moralem, non existat, nisi, & quidem minus, probabilis.

Quodsi e diverso anxietas Calixti innitatur fundamento

mento ioani tantum, quo sibi persuadeat, se in Ordinatione Presbyterali non adhibuisse contactum physicum materiæ, remedium, & solatium capere poterit ex verbis Granadi apud Salmanticenses *tr.* 8. *capit.* 2. *punct.* 2. *num.* 29. ubi ille sic ait: *Oportet in hac re distinguere aut nimium timorem a vero dubio, aut opinione. Non enim quia quis timet, num Ordinatus sit, aut præcise, quia non recordatur tetigisse vasa sacra, aut non tetigisse imaginatur, illico Ordo iterandus est. Sola enim oblivio, aut solus timor non est sufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem; multa enim obliviscimur, quæ vere fecimus, & timor ipse, & nimia sollicitudo tangendi instrumenta, in quorum porrectione imprimitur character, faciunt videri oblivioni traditum, quod revera memoramur.* Porro fundamentum, quo nititur Calixti anxietas, non esse nisi leve, & inane, adeoque contemnendum, colligitur satis aperte ex eo, quod idem Calixtus per plures jam annos sine simili anxietate (prout videtur innuere Species Facti) actus Sacerdotii exercuerit, & modo primum in eam anxietatem conjectus sit, ut ulteriore Sacerdotii ministerio supersedere cogitet tanquam invalide Ordinatus. Unde hic vel maxime verum est, quod possessio stet pro valore actus, id est, validæ Ordinationis, & functionum hactenus sine anxietate obitarum; a qua possessione non dejicit dubium tam leve, sive scrupulus superveniens. Jubeatur ergo Calixtus bono esse animo, & contra scrupulum vel depulsum, vel contemptum audentior ire, ac in ministerio Sacerdotii pergere, ut ante fuevit.

CASUS II.

107. *Carpophorus, cum accederet ad Presbyteratum accipiendum, prohibitus fuit a Magistro Ceremoniarum minus, ac esse debuerat, sui muneris perito, ne tangeret calicem, & patenam, dum Episcopus verba illa formæ proferret:* Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi &c. *sed immediate post formam totam prolatam jussus fuit tangere. Dubitavit postea de valore, & securitate suæ Ordinationis, & an posset, vel etiam deberet iterum sub conditione Ordinari? Quæritur 1. An, & qualiter peccaverit Magister Ceremoniarum? 2. An Ordinatio Carpophori reputanda fuerit valida, & idcirco non repetenda?*

Respondetur primo ad primam Quæstionem Casus, Magistrum Ceremoniarum graviter peccasse, per se loquendo. Ita P. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 8, *n.* 113. nec scio docentem contrarium. Ratio patens est; quia in puncto gravi egit contra præscriptum Pontificalis Romani, quod ita habet: *Cuppam calicis, & patenam simul tangant* (Presbyterandi) *Pontifice singulis dicente:* Accipe potestatem &c. Dixi: *per se loquendo;* nam per accidens potuit vel omnino non deliquisse, vel non nisi venialiter, si nimirum processerit ex perplexitate, vel ignorantia invincibili, quamvis isthæc, utpote ignorantia Juris communis, præsumi non possit.

Respondetur secundo ad secundam Quæstionem Casus, Ordinationem Carpophori reputandam fuisse validam, & non repetendam. Ratio est: quia ad validam Ordinationem sufficit simultas moralis immediata materiæ, & formæ; veluti cum communi DD. ostendimus *part.* 5. *num.* 9. & 10. atqui ejusmodi simultas in Ordinatione Carpophori intercessit, velum liquet ex Specie Facti; ergo reputanda fuit valida, & non repetenda.

Dices. Sententia docens, ad Ordinationem validam sufficere simultatem moralem materiæ, & formæ, non est moraliter certa; ergo sub conditione repeti debuit Ordinatio Carpophori in Presbyterum. Ant. prob. Siquidem Cajetanus *in Opuscul. tractat.* 26. Navarrus *in Man. cap.* 22. *n.* 17. & quidam alii ad validam Ordinationem exigunt conjunctionem, seu simultatem physicam materiæ, & formæ; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad cujus prob. neg. cons. Neque enim obstat, quod memorati Authores sententiam nostræ contrariam teneant; quia, juxta communem Regulam, ut Authores, præsertim adeo pauci, contra communem aliorum sentientes, concilient aliquam probabilitatem veram, & Theologicam suæ opinioni singulari, dubiumque morale faciant, requiritur inter alia, ut nitantur gravi motivo, & ratione non facile dissolvenda, cujusmodi non afferunt Authores allegati, licet ceteroquin graves, & magni nominis: unde nostram sententiam a morali certitudine non deturbant. Videri potest Cardinalis de Lugo *Respons. Moral. lib.* 1. *dub.* 33. *n.* 1. vel Palao *tract.* 27. *pun.* 4. *num.* 20.

Instabis. Quando agitur de valore Sacramenti, sequenda est sententia tutior: atqui sententia docens, ad validam Ordinationem requiri simultatem physicam materiæ, & formæ, est tutior; ergo sequenda: consequenter &c.

Respondetur, majorem esse veram, quando sententia minus tuta solum est probabilis, aut probabilior tutiore; non item, quando est moraliter certa, ut in proposito: alias etiam Ordinatus in Presbyterum cum contactu physico mediato hostiæ, v. gr. reordinandus foret, quod *n. praced.* rejectum, & oppositum efficaciter ostendit P. Pichler *in Jure Canon. practice explicat. Decis.* 16.

Urgebis. Esto Carpophorus non fuerit obligatus ad petendam aliam, seu novam Ordinationem, potuit tamen petere bona conscientia; veluti tradit P. Gobat ubi supra *n.* 209. ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Nam vel sententia de sufficientia simultatis moralis materiam inter, & formam, habetur pro moraliter certa, vel pro probabili tantum? Si primum; Carpophorus non solum non tenebatur, sed neque poterat petere novam sui Ordinationem; cum sacrilegium sit iterare Ordinem, etiam sub conditione solum, sine morali, & prudenti dubio de illius valore, atqui certitudo moralis tale dubium non compatitur: per consequens &c. Si secundum; non solum poterat, sed etiam debebat (supposito, quod actus Sacerdotii exercere voluerit) petere in se iterationem conditionatam Ordinationis Presbyteralis; siquidem Presbytero probabiliter, & dubie tantum Ordinato non est licitum exercere actus Sacerdotii; ut in confesso est.

CASUS III.

108. *Clarus Regularis, & Clarentius Secularis, ambo SS. Theologiæ, & SS. Canonum in quadam Universitate Germaniæ Studiosi, cum ob longiorem absentiam sui Reverendissimi Ordinarii, & obitum Suffraganei nulla ultra annum fieret Ordinatio, & inaudiissent, Abbatem quendam Infulatum, & Benedictum &c. primam Tonsuram, & Ordines Minores suis Subditis Regularibus collaturum, accedunt & ipsi, ac rogant ima Ordinari. Annuit altefatus Abbas, & Clarum, ac Clarentium in Minoristas Ordinavit, non obstante, quod in Trid.* Sess. 23. cap. 10. de Reform. *statutum legatur:* Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis Subditus non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre &c. *Quæritur, an Abbas Ordinans & valide, & licite processerit Claro, ac Clarentio primam Tonsuram, & Minores Ordines conferendo?*

Respondetur affirmative: modo accesserit specialis licentia, seu consensus Reverendissimi Ordinarii, sive viva voce, sive per dimissoriales declaratus, & respectu Clari etiam consensus sui Superioris Regularis. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 20. Tamburinus *de Jure Abb. tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 7. *n.* 1. *& seqq.* Engel *de Privileg. Monaster. privil.* 49. *n.* 4. Sbogar *Theol. radic. tract.* 27. *cap.* 3. *num.* 41. Franciscus Schmier *lib.* 1. *tr.* 4. *capit.* 2. *sect.* 2. §. 2. & 3. & alii tam Theologi, quam Canonistæ communius, suffragante antiqua, & moderna praxi. Ratio est: quia Juse antiquo per *can.* 1. *dist.* 69. *cap.* 11. *de Ætat. & qualit. & ord. præfic. ac cap.* 3. *de Privileg. in* 6. juncta etiam consuetudine, poterant Abbates Religiosis suis, & Secularibus, in quos Ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem habebant, conferre primam Tonsuram, & quatuor Minores Ordines, reliquis non subditis ex commissione saltem generali Episcoporum;

quod

quod Jus per Trid. supra non est aliter restrictum, nisi quod pro Secularibus tam subditis, quam non subditis, etiam Regularibus, præfato modo Ordinandis requiratur specialis licentia Episcoporum: id quod probatur; quia Tridentinum intendit favorem Episcoporum ordinariorum; qui favor habetur perfecte, quod Abbates indigeant speciali licentia illorum. Accedit Declaratio Cardd. ita explicans Trid. apud Suarez, & Tamburinum *citt.* Addit Tamburinus sic a S. Congregatione canonizatam, & pro universalis Ecclesia Catholicæ locis approbatam esse Constitutionem Conciliarem S. Caroli Borromæi in Concilio Mediolanensi V. per hæc verba: *Ut Abbates, etiam Baculi, & Mitra jure utentes, aliove hujusmodi privilegio, & authoritate conferendi Minores Ordines muniti non patiatur Episcopus Diœcesanus Tonsuram, atque Minores Ordines (id quod Tridentina Synodus vetuit) aliis conferre, quam iis, qui Regulares sunt, & eorum jurisdictioni subjecti, nisi & ipsius Episcopi consensus ante accedat, & illi initiandi a suo Episcopo, vel Regulari Superiore attulerint literas dimissorias non generatim, sed speciatim concessas &c.*

Dices. Privilegium, Abbatibus Jure antiquo competens, est sublatum per verba Tridentini: *Non obstantibus quibusvis privilegiis &c.* relate ad Ordinandos Seculares, & Regulares sibi non subjectos; ergo non possunt amplius illo uti.

Respondetur, explic. & dist. ant. Est sublatum simpliciter per irritationem actus contra gesti, neg. secundum quid quoad usum licitum, subdist. si non accedat specialis licentia Episcopi ordinarii respectu Secularium Ordinandorum, & respectu Regularium insuper consensus, ab eorum Superiore præstitus, con. si accedat, neg. ant. Et dist. conf. Non amplius possunt illo uti valide, neg. licite, subdist. Si non accedat specialis licentia Episcopi &c. con. si accedat, neg. conf. In verbis Tridentini in primis ne vestigium quidem apparet de irritatione actus. Deinde continetur quidem ibi prohibitio (*non liceat*) sed veluti conditionata tantum, nisi videlicet accedat specialis licentia Episcoporum, quorum ibi favor intenditur; qua proin accedente usus Privilegii, Abbatibus concessi manet etiam licitus. Sed contra hoc

Instabis allegando Declarationem Emm. Cardd. apud Donatum, Dianam, & alios, datam *an.* 1641. *die* 23. *Novemb.* quam Urbanus VIII. approbavit, & jussit inevitabiliter observari, in qua clare exprimitur, posse quidem Abbates primam Tonsuram, & Minores Ordines conferre suis Subditis Regularibus, *non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœceseos fines ipsi Regulares existunt; & multo minus Personis Secularibus, etiam habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis;* ergo usus sæpe dicti Privilegii absolute non amplius est licitus, quidquid sit de esse valido.

Respondetur, neg. conf. vel dist. Absolute non amplius est licitus cum consensu, & licentia tantum generali Episcoporum, con. cum consensu, & licentia Episcoporum speciali, pro singulis actibus requisito, neg. conseq. Ad ant. dico cum PP. Jacobo VVex *in Epitom. de Prælat. Regular. p.* 2. *controv.* 1. *num.* 34. & Francisco Schmier ubi supra *n.* 111. Declarationem velle, quod non sufficiant literæ dimissoriæ generatim concessæ, sed requirantur speciatim, & pro singulis actibus concessæ (prout etiam habet Constitutio Conciliaris S. Caroli Borromæi supra) adeoque continentes licentiam non generalem (qualis olim sufficiebat; veluti in ratione probativa responsionis insinuatum est) sed specialem, qualem etiam nos, ut memoratæ Declarationis assurgamus, necessariam judicamus, quemadmodum ex hucusque dictis relinquitur. Quod si forte hæc explicatio tibi non arrideat, & contendas, ne specialem quidem licentiam vi ejusdem Declarationis sufficere; ajo, eam, quoad hoc punctum, in Germania non esse receptam: veluti constat ex consuetudine Diœcesium, de qua testimonium perhibent Engel *in annot. ad cit. Privileg.* 49. *n.* 3. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 8. *n.* 324. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 1. *cap.* 5. *sect.* 3. *n.* 43. VVex ubi supra *n.* 33. & alii: imo ego ipse scio, ante annos non adeo multos Reverendissimum, & Amplissimum DD. Abbatem Imperialis Monasterii S. Benedicti in Monte S. Michaelis prope Bambergam (in qua Civitate tunc degebam) pluribus Studiosis, speciali licentia Pro-Vicarii Generalis instructis, primam Tonsuram, & Ordines Minores contulisse; cum Reverendissimus Suffraganeus ante obiisset, & Celsissimus Ordinarius in remotis ageret.

Colliges, quod Abbates non possint, ne valide quidem, Ordinare illos, sive Seculares, sive Regulares, in quos nullo modo habent jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam, nisi horum respective Superiores consentiant consensu saltem generali. Ita P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 230. *n.* 69. & alii reipsa communiter. Ratio est: quia Abbates non possunt, etiam valide tantum, Ordinare illos, quos Ordinandi Privilegium Apostolicum non habent; prout in confesso est: sed non habent, nec habuere unquam, etiam ante Tridentinum, simile Privilegium Ordinandi sibi nullo modo subditos, nisi horum respective Superiores consenserint, aut consentiant, consensu saltem generali; prout in ratione probativa responsionis *ad Cas.* supra animadversum est; ergo &c.

Dices. Episcopus, Ordinans non Subditum absque omni licentia, & consensu proprii Episcopi, adhuc Ordinat valide; ergo etiam Abbas &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia Episcopus Ordinat vi characteris Episcopalis sibi in Ordinatione impressi, & inauferibili: Abbas vero non nisi vi Privilegii; quale tamen nullus unquam habuit, nec de facto habet relate ad Ordinandos, sive Seculares, sive Regulares, sibi nullo modo subditos.

Dixi autem in Corollar. *nisi horum respective Superiores consentiant consensu saltem generali:* hoc quippe tali consensu habito valida foret Ordinatio, quantumvis illicita, nisi consensus etiam specialis accedat. Ratio est: quia Abbates talibus quoque Personis, licet sibi nullo modo subditis, poterant de Jure veteri tam valide, quam licite primam Tonsuram, & Ordines Minores conferre ex consensu, & commissione generali Episcoporum &c. prout supra in ratione probativa responsionis *ad Cas.* animadvertimus; ergo adhuc possunt valide; siquidem illa potestas, Abbatibus semel data, & competens de Jure sive scripto, sive consuetudinario, non est simpliciter sublata per Tridentinum, sed tantum restricta quoad usum licitum, nisi videlicet moderno tempore specialis licentia Episcopi accedat &c. id quod totum ex dictis constat.

CASUS IV.

109. *Castilianus natus est anno millesimo septingentesimo septimo in ipso Sabbato Sancto mane, quo anno Pascha incidit in diem vigesimum quartum Aprilis: poterat ne, decursis viginti quatuor annis, anno nempe millesimo septingentesimo trigesimo primo, quo Pascha celebrabatur die vigesimo quinto Martii, eodem die Sabbati Sancti licite in Presbyterum Ordinari?*

Respondetur negative. Ita P. Cherubinus Mayr *loc. cit. pag.* 274. *n.* 36. Ratio est: quia dum Jus ad aliquem actum, sive valide, & licite, sive licite duntaxat gerendum, præscribi certam ætatem, in Curiis tam Civilibus, quam Ecclesiasticis non attenditur ad tempus anni Ecclesiastici, sed solaris tantum, seu naturalis, nisi ex fine per idem Jus intento, aut ex circumstantiis colligatur facienda reflexio ad tempus anni Ecclesiastici: atqui Jus ad actum Ordinationis Presbyteralis licite gerendum præscribit, & requirit in Ordinando ætatem viginti quinque annorum (ita scilicet, ut annus vigesimus quintus sit inchoatus) & neque ex fine per Jus intento, neque ex circumstantiis colligitur facienda reflexio ad tempus anni Ecclesiastici; ergo juxta usum, & praxim Curiarum attendi hic debet ad tempus anni solaris, seu naturalis; consequenter &c. Maj. patet in exemplo de Professione Religiosa, ad cujus & licitam, & validam emissionem requiritur ex parte Professuri annus completus, in Noviciatu transactus; ubi certe non ad tempus anni Ecclesiastici, sed solaris duntaxat venit attendendum; alias qui anno v.g. quo Sabbatum Sanctum incidit in diem vigesimum Aprilis, fuisset ingressus Religionem, & se-

& ſequente anno in eodem Sabbato Sancto, incidente in diem duodecimum Aprilis, Profeſſionem feciſſet, actum Profeſſionis licite, ac valide peregiſſet: quod, ut reor, nemo admiſerit. Min. inde oſtenditur: ſiquidem Jus Eccleſiaſticum requirit in Presbytero Ordinando annum vigeſimum quintum propter majorem maturitatem, & prudentiam, qua præditum eſſe cupit eo Ordine initiandum; maturitas autem, & prudentia creſcit ſecundum tempus naturale, non Eccleſiaſticum: neque Ordinandus, juxta communem ſenſum attigiſſe dicitur annum vigeſimum quintum per reſpectum ad tempus Eccleſiaſticum, ſed naturale; ergo &c.

Dices. In ſervandis Interſtitiis inter unum, & alterum Ordinem: atque in facienda Confeſſione annua, attendi poteſt, & ſolet ad tempus anni Eccleſiaſtici; ergo etiam in menſuranda ætate &c.

Reſpondetur, neg. conſ. Diſparitas petenda venit ex circumſtantiis, & fine per Jura intento. Nam Jus Eccleſiaſticum, dum Interſtitia circa recipiendos Ordines ſervanda præſcribit, aliud non intendit, quam ut ſervetur notabilis interpolatio Sacrarum Ordinationum; qui finis, etiam per reſpectum ad tempus Eccleſiaſticum, perfecte obtinetur: item dum præſcribit Confeſſionem annuam, ſuo præcepto reſpicit, ac determinat tempus Paſchale, adeoque Eccleſiaſticum, ratione Communionis tunc peragendæ. Aliter res ſe habet circa menſurandam ætatem, qua præditus eſſe debet Ordinandus: prout relinquitur ex dictis in ratione probativa reſponſionis *ad Caſ.*

110. Petes hic, veluti occaſionaliter, primo, an licite ſuſcipiat Presbyteratum, v. g. mane, qui annum vigeſimum quintum inchoat primum poſt meridiem, vel paulo poſt Ordinationem, v. g. quadrante, aut ſemiquadrante?

Reſpondetur negative. Ratio eſt: quia de tali non eſt verum dicere, quod annum vigeſimum quintum jam inchoaverit; quemadmodum Jus requirit. Neque hic locum obtinent illa principia, quod tempus veſpertinum retrotrahatur ad matutinum, & cum iſto conſtituat unum diem; aut parum pro nihilo reputetur: quia Jus requirit, ut tempus præſcriptum ſit inchoatum mathematice, ſeu ad momentum: conſequenter illam retrotractionem, & moralem reputationem hic excluſam cupit. Ex quo ipſo tamen fluit, licite Ordinatum iri in Presbyterum, qui paulo ante Ordinationem, v. g. ſemi-quadrante, annum vigeſimum quintum attigit: quia de tali verum eſt dicere, quod attigerit, ſeu inchoaverit annum vigeſimum quintum. La Croix *libr. 6. part. 2. numer.* 2309. & alii apud ipſum.

111. Petes ſecundo, an in computatione ætatis, ad licitam Ordinationem requiſitæ, habenda ſit ratio annorum biſſextilium, qui ab annis ordinariis diſtinguuntur in hoc, quod anni ordinarii conſtent trecentis ſexaginta quinque diebus; biſſextiles vero (ſingulis quadrienniis recurrentes) diebus trecentis ſexaginta ſex, ſic, ſeu *biſſextiles* nuncupati: quia in eis bis legitur *Sexta Calendas Martii*, videlicet die vigeſima quarta, & vigeſima quinta Februarii?

Reſpondetur negative. P. La Croix *loc. cit. numer.* 2311. P. Cherubinus Mayr *pagin.* 277. *numer.* 39. & alii contra alios. Ratio eſt: quia dies intercalaris, quæ quovis quadriennio adjicitur Februario, nullo modo eſt ſupernumeraria, ſed ad quadriennium complendum omnino neceſſaria; cum enim quilibet annus (mathematice loquendo) conſtet trecentis ſexaginta quinque diebus, & ſex horis, hæ autem ſex horæ ad noſtros annos politicos non computentur, neceſſarium eſt, ut in quarto anno congregentur viginti quatuor horæ, quæ unum diem naturalem conficiunt; & ideo annus iſte reliquis debet eſſe uno die longior. Accedit, quod, quando multi anni computantur, hi numerandi ſint indiſcriminatim, & civiliter, ſeu politice, prout occurrunt, & numerantur a populo, ſive dein unus ſit paululum brevior, ſive longior. His penſatis, ſoluta manet contrariæ ſententiæ ratio, quæ eſt, quod per annum, a Jure determinatum, intelligatur annus conſtans ex trecentis ſexaginta quinque diebus; adeoque dies biſſextilis ſit ſupernumeraria.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE MATRIMONIO.



Nunc de Septimo, & ultimo novæ Legis Sacramento, nempe Matrimonio, agendum venit; idque liberali calamo, ut pro poſſibili ſatisfiat difficultatibus tam theoricis, quam practicis, in pertractatione hujus Sacramenti occurſuris. Diſpeſcemus autem iſtum Tractatum in quatuor Diſputationes. Prima erit de Via ad Matrimonium, ſeu de Sponſalibus. Secunda de Matrimonio ipſo. Tertia de Impedimentis Matrimonii. Quarta de Diſpenſatione ſuper his Impedimentis, & revalidatione Matrimonii forte nulliter contracti. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Via ad Matrimonium, ſeu de Sponſalibus.

Sponſalia appello *Viam ad Matrimonium*; quia licet hoc abſolute loquendo iniri poſſit, initumque valeat, etiamſi illa non præmittantur (ſecundum dicenda *n.* 115.) ordinarie tamen ſimili modo iniri non ſolet.

CAPUT I.

De Natura, & Valore Sponſalium.

ARTICULUS I.

Quid ſint Sponſalia, & an neceſſario præmittenda Matrimonio?

SUMMARIUM.

112. *Quid ſint Sponſalia quoad nomen;* & 113. *quoad rem ipſam?* 114. *Differentia inter promiſſionem illicitam, & promiſſionem rei illicitæ.* 115. *Sponſalia non neceſſario ſunt præmittenda Matrimonio, ſed hoc abſque illis tam licite, quam valide contrahi poteſt.*

112. PRænotandum, Sponſalia (*a ſpondendo* dicta) duobus præcipue modis accipi poſſe, & ſolere. 1. *Late*, qualiter accipiuntur, quando accipiuntur *pro Sponſalibus de præſenti*, ſeu pro Matrimonio rato, & per copulam carnalem nondum conſummato: ſic *Matth.* 1. dicitur *Maria Mater Jeſu deſponſata Joſeph*, nempe de præſenti, cum ibi vocetur *Conjux*. Talia Sponſalia, qui contraxere, primo die adhuc *Sponſi*, & *Sponſæ* appellantur; poſtmodum *Conjuges*, ac tandem, Matrimonio conſummato, *Mariti*, & *Uxores*. 2. *Stricte*, quando accipiuntur *pro Sponſalibus de futuro*, ſeu pro futuri, & primum contrahendi Matrimonii promiſſione: atque hoc modo nomen *Sponſalium*, abſolute prolatum, ordinarie intelligitur, & in dubio, quando in Jure, vel alias ſit men-

fit mentio de Sponſalibus, denotantur *Sponſalia de futuro*; ſicut nomine *Sponſorum*, & *Sponſarum* ordinarie, & in dubio veniunt illi, qui ſibi invicem promiſere tantum, non autem actu contraxere Matrimonium. Ad rem ut progrediamur, & diſcutiamus Quæſtiones in articulo propoſitas,

113. Dico primo. Sponſalia (ſubintellige, *de futuro*, quæ ſola in hac Diſputatione pertractanda ſuſcipimus) ſunt *promiſſio vera, perfecte deliberata, perfecteque, ac directe voluntaria, mutua, & ſigno ſenſibili expreſſa, futuri Matrimonii*.

Explicatur. Dicitur 1. *Promiſſio*: quia ſimplex intentio, propoſitum, aut deſiderium, etiam externe manifeſtatum, nullam parit obligationem, qualis tamen ex contractu Sponſalitio reſultare debet.

Dicitur 2. *Vera*, hoc eſt, non ficta, & mere externa, ſed ſincera, & cum interno conſenſu, animoque ſe obligandi conjuncta.

Dicitur 3. *Perfecte deliberata*. Quæ deliberatio ſupponit. 1. *Uſum rationis*: ob cujus defectum pueri necdum ſeptennes regulariter inire Sponſalia nequeunt. 2. *Uſum rationis expeditum*: ob cujus defectum ineundorum Sponſalium incapaces exiſtunt plene ebrii, amentes &c. quamvis adulti. 3. *Uſum rationis perfectum*, per quem obligatio Sponſalium directe cognoſcatur, & diſcernatur; ut mox iterum dicetur.

Dicitur 4. *Perfecteque, ac directe voluntaria*, id eſt, libera non ſolum libertate perfecta qualicunque, ſed includente inſuper directam intentionem ſe obligandi; quæ intentio iterum ſupponit directam cognitionem obligationis ex contractu ſponſalitio reſultantis. Ratio hujus eſt: partim quia contractio Sponſalium eſt actus humanus bonus, ad quem requiritur voluntarium, & liberum in ſe, ſeu directum: partim quia obligatio Sponſalium eſt omnino gravis, quam nemo cenſetur ſibi imponere, niſi ex directa cognitione, & voluntate. Quapropter communis illa regula, quod ad contrahenda Sponſalia requiratur, & ſufficiat ea libertas (idem cum proportione cogita de deliberatione) quæ requiritur, & ſufficit ad mortaliter peccandum, non tenet, ſi accipiatur ſimpliciter, & in ſenſu abſoluto. Nam licet requiratur, haud tamen ſufficit eadem libertas, in prædicto ſenſu intellecta: ſiquidem ad peccandum mortaliter ſufficere poteſt voluntarium, ſeu liberum in cauſa, & indirectum, quale tamen nequit ſufficere ad contrahendum Sponſalia. Senſus proinde illius regulæ eſt, & eſſe debet accommodus, videlicet iſte, quod ad contrahendum Sponſalia requiratur, & ſufficiat perfecta libertas (præſcindendo a directa, & indirecta) ſicut perfecta libertas requiritur, & ſufficit ad mortaliter peccandum. Id quod jam advertimus, & quaſi verbatim tradidimus in ſimili de Voto *part.* 2. *n.* 408.

Dicitur 5. *Mutua*: ſiquidem Sponſalia ſunt contractus oneroſus, qui exigit conventionem reciprocam contrahentium, vi cujus iidem ſibi mutuo obligentur. Atque hinc dici ſolet a Canoniſtis, *Sponſalia non claudicare*, id eſt, vel ex parte utriuſque Sponſi, vel ex parte neutrius eſſe valida.

Dicitur 6. *Signo ſenſibili expreſſa*, ſcilicet verbis, vel nutibus, vel literis &c. Nam ſine aliquo ſigno, conſenſum internum manifeſtante, nec promiſſio acceptari, nec ullus contractus inter homines celebrari poteſt.

Dicitur tandem 7. *Futuri Matrimonii*. Quibus verbis indigitatur differentia Sponſalium de futuro hic definitorum a Sponſalibus de præſenti; unaque denotatur objectum, in quod contractus ſponſalitius fertur, quale eſt Matrimonium futurum, ſeu ſuo tempore ineundum; idque tam valide, quam licite: valide; quia quod eſt invalidum, nullam obligationem parere poteſt: licite vero; quia ad rem illicitam nemo ſe obligare poteſt, ſicut nemo ſe obligare poteſt ad peccandum. Unde omnia, quæ Matrimonium reddunt vel invalidum, vel illicitum, reddunt Sponſalia ex parte objecti nulla, & invalida. Sed hoc amplius declarabitur *n. ſeq.* Ceteræ porro conditiones, in Sponſalium definitione poſitæ, & hactenus breviter expoſitæ, involvunt, ſaltem pleræque, difficultates ſatis intricatas, articulo ſequenti, in §§. diviſo, enodandas. Hic autem circa ultimas duas particulas, & ad pleniorem earum intelligentiam,

114. Colliges, differre inter ſe promiſſionem illicitam, & promiſſionem rei illicitæ; nam poſterior nunquam obligat, cum non poſſit dari obligatio ad præſtandam rei illicitam; prior vero tunc obligat, quando licite impleri poteſt, quod illicite promiſſum eſt. Hinc ſiquis perpetuo voto caſtitatis obſtrictus feminæ promittat Matrimonium, nulla eſt promiſſio, quippe rei illicitæ; ſimiliter ſiquis feminæ promittat Matrimonium, quod cum ea celebrare nequit abſque ſcandalo, vel rixis, & odiis inter familias excitandis, invalidam facit promiſſionem, quam ſervare non tenetur, imo nec poteſt moraliter; ut proinde locum hic habeat *Reg. 69. de R J. in 6.* ibi: *In malis promiſſis fidem non expedit obſervare*. Ubi Regula per *ly non expedit*, idem vult dicere, ac *non licet* ſervare fidem in promiſſis contra bonos mores, ſeu de re mala, & peccaminoſa factis: veluti advertit Reiffenſtuel *in tract. poſthumo de R. J. ſuper cit. Reg. n.* 5. Videri etiam poſſunt Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 14. *n.* 3. & Laymann *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 14. E diverſo quamvis liberi promittendo Matrimonium, inconſultis parentibus, peccarint (de quo peccato dicemus infra *num.* 172.) nihilominus promiſſio valet, & ad Matrimonium contrahendum, etiam cum promiſſaria, vel promiſſorio diſparis conditionis, antea cognitæ, obſtringit; adeo, ut ejuſmodi promittentes graviter obligentur ad implendam promiſſionem, atque ad id in omni foro compelli ſoleant, prout oſtendit Eccleſiæ praxis. Ex quo fluit, patrem mortaliter peccaturum peccato ſcandali, ſi filium impedire, aut retrahere conetur ab eo, ad quod ſervandum filius ſub mortali obligatur. Ita cum aliis Laymann *loc. cit.* Ubi addit, non debere mirum videri, Sponſalia interdum illicita eſſe, & tamen rata, ſeu obligatoria; ſicut & prodiga promiſſio, vel donatio obligationem parit; modo non verſetur circa rem malam, quæ ſine peccato præſtari nequeat, uti evenit in gemino exemplo præallegato, & conſimilibus.

115. Dico ſecundo, Sponſalia non neceſſario ſunt præmittenda Matrimonio, ſed hoc abſque illis tam licite, quam valide contrahi poteſt. Ita P. Franciſcus Schmier *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 1. *n.* 24. & alii communiter.

Probatur. Nam in primis contrahi poteſt valide; veluti patet, ſi mas, & femina mutuum conſenſum in Matrimonium de præſenti explicent, nulla præmiſſa pactione Sponſalitia, ſeu de Matrimonio contrahendo: tunc quippe ſtatim intelligitur contractum Matrimonium, ejuſque valori nihil deeſt; ſicut nihil deeſt valori contractus emptionis-venditionis, quando emptor, & venditor, nulla præmiſſa conventione de eo ineundo, mutuo conſentiunt de re pro pretio tradenda. Quod contrahi poſſit etiam licite, oſtendit praxis; præſertim in caſu, quo concubinarius, in articulo mortis conſtitutus, contrahit cum concubina ad legitimandam prolem. Sed

Dices. Eſto in articulo mortis licite contrahi Matrimonium poſſit, non tamen ſic contrahi poteſt extra illum; ergo &c. Prob. ant. Non licet extra articulum mortis, aliumve neceſſitatis caſum, contrahere Matrimonium, niſi præmiſſis trinis denunciationibus contrahere volentium: atqui iſtæ denunciationes non poſſent præmitti, niſi præceſſiſſent Sponſalia, ſeu promiſſio Matrimonii contrahendi; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. Ad prob. conceſſa majore, neg. min. Nam in caſu, quo non præceſſiſſent Sponſalia, ſeu promiſſio Matrimonii contrahendi, poſſet, & deberet ter denunciari propoſitum nupturientium: quo facto, Matrimonium, etiam licite, contrahi poſſet; cum talis contractus nullo Jure ſit reprobatus. Quod ſi ejuſmodi denunciationes non fierent, Matrimonium illicite celebraretur propter omiſſionem denunciationum, non vero Sponſalium haud præmiſſorum.

ARTICULUS II.

Expediuntur Quæstiones controversæ circa conditiones in Sponsalium definitione positas.

§. I.

Utrum Sponsalitia promissio ita necessario debeat esse vera, ut ficta nullam inducat obligationem ad contrahendum Matrimonium?

SUMMARIUM.

116. *Promissio Sponsalitia ficta potest considerari vel ut sejuncta a damno, vel ut conjuncta. Resolvitur quæstio* 117. *de illa priore modo considerata.* 118. *Quantum peccet simulatus Matrimonii promissor?* 119. *Resolvitur quæstio de eadem promissione posteriore modo considerata.* 120. *Diluuntur opposita.* 121. *An ad aliquid, & ad quid teneatur, qui defloravit puellam absque ulla Matrimonii promissione?*

116. PRænotandum, promissionem Sponsalitiam fictam considerari posse, vel ut sejunctam ab omni damno, vel ut conjunctam cum aliquo damno, puta cum ablatione virginitatis, vel etiam cum imprægnatione feminæ, aut cum difficultate consequendi alias Nuptias &c. Hoc præmisso, & prænotato,

117. Dico primo. Promissio Sponsalitia ficta, seu simulata, sejuncta a damno (1) in foro interno conscientiæ nullam inducit obligationem ad contrahendum cum persona decepta Matrimonium; bene autem (2) in foro externo, nisi promissor fictionem probet. P. Konig *lib.* 4. *tit,* 1. *n,* 30. P. Schmier ubi supra *n.* 57. & alii passim.

Probatur prima pars: quia nullus omnino contractus absque vero consensu interno subsistere, & per se obligare potest ex *cap.* 26. *de Sponsal.* & *l.* 2. *ff. de Rit. Nupt.* atqui promissio Sponsalitia est contractus, non quidem realis, cum non requirat actualem corporum traditionem, sed consensualis; ergo absque vero consensu interno subsistere, & per se obligare non potest; consequenter &c.

Probatur etiam secunda pars: siquidem in foro externo præsumitur animus externæ promissioni conformis, *l.* 7. §. 2. *ff. de Supellect. leg.* ergo etiam præsumitur obligatio ad id, quod externe promissum est, nisi promissor probet, animum, seu intentionem promittendi sibi defuisse, vel hoc facile colligi possit ex circumstantiis, & modo tendendi; ergo in foro externo fictus, sive fraudulentus promissor Matrimonii recte compellitur ad illud contrahendum, nisi fictionem probet; cum alioquin quivis facili negotio obligationem Sponsalitiam eludere posset, dicendo, *se simulate tantum promisisse, fuisse jocatum &c.* prout bene advertit P. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 7.

Dixi: *nisi promissor fictionem probet*: vix autem probare aliter poterit, quam per juramentum; quod tamen ipsi deferendum non est, nisi ex circumstantiis, aut tenore promissionis conjectura saltem probabilis, aut aliqua præsumptio fictionis appareat. P. Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 6.

118. Quæres, quantum peccet simulatus Matrimonii promissor?

Respondetur, eum peccare mortaliter, nisi fictio ab altera parte facile adverti possit. DD. communiter. Ratio est: quia alteram partem in re gravi decipit (supposito nimirum, quod exigat, & admittat repromissionem, qualis, ut infra dicemus, ad constituenda Sponsalia requiritur) ergo mortaliter peccat. Conf. liquet. Ant. ostenditur, & declaratur. Nam ideo altera pars se obligat ad Matrimonium ineundum, quia credit, promissorem se vere obligasse; cum igitur promissor hoc non fecerit, sed tantum se facere simulaverit, alteram, seu promissariam partem decepit, sive decipit in re gravi; ut patet.

Dixi autem in respons. ad Quæsit. *nisi fictio ab altera parte facile adverti possit.* Hoc quippe ficti si facile potuerit, altera, seu promissaria pars deceptionem sibimet imputare debet, uti & reciprocam obligationem, quam repromittendo contraxit; adeoque non potest tunc dici graviter decepta: consequenter nec deceptor graviter peccasse.

Dixi prætcrea in ratione probativa responsionis per parenthesim: *supposito nimirum, quod exigat, & admittat repromissionem &c.* Si enim promissio simulata Matrimonii fieri gratuito, & liberaliter, quin pars promissaria adigeretur, vel induceretur ad repromittendum, similiter deceptio non esset gravis; quia non vergeret in præjudicium, saltem grave, partis deceptæ: consequenter tali quoque casu deceptor non peccaret graviter. Sed ejusmodi promissio Matrimonii non esset proprie Sponsalitia, utpote quæ ex natura sua petit esse onerosa, & reciproca; prout jam iterato insinuatum, & ex professo tradetur infra *n.* 135. Sed sistendo in supposito responsionis,

Dices. Non apparet, contra quam virtutem fraudulentus promissor graviter peccet; ergo &c.

Respondetur. neg. ant. Peccat enim contra virtutem Justitiæ. Laymann *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *numer.* 10. Schmalzgrueber *libr.* 4. *tit.* 1. *num.* 28. & alii passim. Ratio est: quia virtus Justitiæ præscribit, graviterque (si materia existat gravis) obstringit, ut in quolibet contractu utrinque obligatorio, qualis est Sponsalitius, utraque pars vere contrahat; ergo ficte contrahens (si materia sit gravis, uti hic) graviter peccat contra virtutem Justitiæ, facitque alteri, vere (quantum in se est) contrahenti, gravem injuriam.

Instabis. Ergo tenetur ad restitutionem, seu resarcitionem injuriæ, contrahendo cum parte injuriata Matrimonium.

Respondetur, neg. illatum, intellectum de obligatione in foro interno conscientiæ; similis quippe obligatio restituendi non resultat ex injuria pura, seu sejuncta a damno, qualis hic illata supponitur, & patet ex terminis in conclusione positis. Revide dicta *part.* 4. *num.* 392.

119. Dico secundo. Promissio Sponsalitia ficta, conjuncta cum damno, illato per copulam carnalem, in quam virgo, vel alia femina honestæ cetcroquin vitæ, & famæ, consensit, alias non consensura, etiam in foro interno inducit (per accidens, & veluti occasionaliter) obligationem (subintellige saltem *mediatam*, & cui præmitti a deceptore debeat verus consensus sponsalitius) ad contrahendum cum decepta, & damnificata Matrimonium; nisi ea fictionem facile advertere potuerit, aliave caosa excusans interveniat. Ita communior, mihique probabilior sententia, quam tenent Sanchez *lib.* 1. *disp.* 10. *n.* 3. Basilius Pontius *lib.* 12. *cap.* 2. *circa fin.* Laymann, Palao, Dicastillo, Mastrius, Panger, Elbel, & alii quam plurimi contra alios.

Probatur primo ex Jure positivo Ecclesiastico, quod habetur in *cap.* 1. *de Adulter. & Stupr.* ibi: *Si seduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem:* ubi textus utitur particula copulativa *Et*; ergo fraudulentus promissor, & deflorator non satisfacit, si deceptam, & defloratam dotet, sed tenetur eam in uxorem ducere. Porro particulam *Et* hic exponi non posse disjunctive (quemadmodum exponunt Adversarii) patebit ex *prob. seq.* Itaque

Probatur secundo ex Jure naturali: siquidem talis fraudulentus promissor, & deflorator, corruptor, vel etiam imprægnator feminæ, gravem huic intulit injuriam, simulando, se verum præbere consensum in Matrimonium contrahendum, sicut præbuit ipsa; & quidem cum gravi damno conjunctam; ergo ex Jure naturali, Justitiæ scilicet commutativæ, obligatur talem injuriam tollere, ac reparare: atqui non reparat, nec injuriatæ satisfacit eo modo, quo exigit Justitia commutativa, nisi ponat id, quod perfide, & injuste subtraxit, nempe verum consensum in Matrimonium; ergo obligatur saltem nunc ponere verum consensum in Matrimonium: consequenter obligatur injuriatam determinare ducere, nec sufficit eandem dotare, vel aliter damnum illatum resarcire; nam aliud pro alio solvi non potest invito creditori, *libr.* 2. §. 1. *ff. de Reb. credit.* sic furatus equum, non satisfacit reddendo pecunias, si equum ipsum adhuc habeat, & reddere possit.

Confirmatur. Lex naturalis Justitiæ commutativæ

dictat, & præcipit, ut, quod alicui offertur sub onere, seu modo, id vel non acceptetur, vel acceptetur cum annexo onere, ne alioquin resultet iniquitas, seu inæqualitas: atqui femina in hypothesi conclusionis obtulit fraudulento promissori usum corporis sub onere contrahendi secum Matrimonii; ergo fraudulentus promissor tenebatur ex Lege naturali Justitiæ commutativæ illum usum non acceptare, vel acceptare sub præfato onere: cum igitur ponatur revera non sic acceptasse, resultavit iniquitas, seu inæqualitas, non aliter, ac præbendo nunc verum consensum in Matrimonium, reparabilis.

Dixi tamen in conclus. *nisi ea* (femina decepta) *fictionem facile advertere potuerit*. Nam si ex imparitate status, v. g. vel aliis indiciis facile potuerit colligere, promissionem Matrimonii sibi non fieri animo sincero, & vero, sed simulato tantum, & ficto, deceptionem, & damnum suæmet levitati imputare debet; nec obtinet jus deceptorem adigendi ad Matrimonium secum ineundum. Ita præter alios Pontius *loc. cit. n.* 16. Ubi tamen graviter advertit ex solo excessu nobilitatis, aut divitiarum, adeoque ex imparitate status, non illico posse judicari, feminam nimis facile, aut temere credidisse promittenti proco, cum viri non pauci, nobilitate, aut divitiis præstantes, feminis ignobilibus, & pauperculis, quorum amore capti sunt, reipsa copulari Matrimonio ardentissime concupiscant; veluti praxis sat frequens demonstrat. Ea propter ut levitatis, aut temeritatis in credendo hic redargui possit femina, aliæ insuper circumstantiæ concurrant, & attendantur, necesse est, v. g. quod procus eam non diu sollicitaverit, primo mox impetu pro usu corporis Matrimonium promiserit &c.

Dixi præterea in conclus. *aliave causa excusans interveniat*; ut si puella se virginem dixisset, nec talis fuisset inventa: si ex Matrimonio gravia scandala, & mali exitus forent timendi &c. Quo etiam pertinet, si pater defloratæ, hanc dare in uxorem defloratori recuset; prout signate excipitur *in tit. cap. 1. de Adulter.* In his proinde, aliisque id genus casibus, etiam Defensores nostræ sententiæ liberant procum ab obligatione ineundi cum femina decepta, & damnificata Matrimonium; modo injuriam, & damnum illatum compenset per constitutionem dotis, si possit; aliove possibili modo. Nunc contra conclus.

120. Objicies. Omnis obligatio restituendi, quam imperet Lex naturalis Justitiæ commutativæ, debet per se oriri ex aliqua radice restitutionis, nimirum vel *ex injusta damnificatione*, vel *ex contractu*; prout tradidimus *part. 4. tr. 2. disp. 1. cap. 2. in prin.* & per decursum ibidem exposuimus; ergo etiam obligatio ducendi feminam deceptam, & in casu conclusionis. atqui non potest assignari radix aliqua prædictarum, ex qua per se oriatur ea obligatio ducendi; ergo &c. Subsumptum prob. Nam assignari non potest *res accepta*, vel *injusta acceptio*, prout ipsus fatebere, & de se patet: neque *injusta damnificatio*; alias obligatio ducendi deceptorem premeret etiam in casu, quo ducere nullo modo, adeoque nec ficte, promisisset, contra id, quod *n.* 121. resolvemus: neque *contractus*, seu promissio Sponsalitia; cum enim hæc ponatur fuisse ficta, & reapse nulla, realem obligationem ducendi, saltem per se, producere nequit, ergo &c.

Respondent Patroni nostræ sententiæ satis communiter, obligationem ducendi oriri ex contractu innominato, qui est: *concedo tibi usum corporis, ut me ducas*; quatenus deceptor, acceptando a puella usum corporis, tacite censetur in Matrimonium consentire; cum enim decepta non aliter concedat usum corporis, quam sub onere, ut ducatur, deceptor non potest aliter acceptare usum corporis, quam sub onere ducendi. Verum ista responsio, nisi aliter modificetur, argumenti propositi vim haud infringit. Nam

Contra est. Obligatio restituendi, & impræsentiarum ducendi, per Legem naturalem Justitiæ commutativæ imperabilis, aut imperata, ut per se oriatur ex contractu, etiam innominato, supponit valorem talis contractus: atqui contractus ille innominatus, non valet, aut valuit; ergo &c. Min. prob. & declaratur: siquidem ad valorem cujuscunque contractus, adeoque etiam innominati, requiritur consensus verus bilateralis, & ex parte utriusque contrahentis: atqui in hypothesi deficit ejusmodi consensus; cum procus (ut supponimus) a parte rei & vere non consenserit in onus Matrimonii ineundi; ergo &c.

Nec dicant sic respondentes, procum acceptando usum corporis, sub onere ineundi Matrimonii oblatum, ipso facto, & tacite in Matrimonium ineundum consentire; cum alias non deberet, nec posset acceptare. Nam iterum

Contra est, neg. assumptum; quia procus a parte rei, & vere etiam in actuali acceptatione, & usu corporis semper potuit (esto illicite, ac pessime) fuisse protestatus contra conditionem, sive onus ineundi Matrimonii (licet protestationem hanc talem verbis, aut signis non prodiderit) adeoque revera nullum omnino posuisse consensum; quoniam acceptatio usus corporis non infert essentialiter consensum acceptantis in præfatum onus. Unde ad rationem assumpti probativam ajo, ea solum evinci, quod procus debuisset in Matrimonium consentire, non autem quod actu consenserit; potuit enim (quamvis perfide, & injuste) non consentire, ut dictum.

Nec dicant ulterius, ex parte proci adesse consensum, esto non in Matrimonium, attamen in factum puellæ (ut nimirum sui corporis usum concederet) ab ipso sine ulla fictione acceptatum; in contractibus autem innominatis sufficere, modo quis consentiat in factum ab altero ponendum; si enim hic executus id fuerit sub certo modo, ac conditione, mox subintrat obligatio, ut & ille, qui tale factum admisit, modum, & conditionem adimpleat. Sed rursus

Contra est, quod procus probetur quidem consensisse in factum puellæ seorsim, & secundum se spectatum, nempe in copulam, quæ ipsi sola in voto erat, minime vero in onus, & conditionem ineundi Matrimonii, adversus quam interne, ac in animo potuit efficaciter (quamvis injuste) protestari, & protestatus fuisse ponitur; cum non implicet, consensum ferri in rem quoad substantiam, non item quoad modum, & conditionem, quando res, & modus adjectus separari possunt, veluti possunt in præsenti. Jam sic. Contractus, constans consensu in solum puellæ factum, esto valeat, non obligat ad ducendam puellam; cum non involvat promissionem Sponsalitiam, utpote quæ sua pte natura tendit in Matrimonium contrahendum, in quod non tendit ille contractus, quippe onus, & conditionem Matrimonii contrahendi in animo efficaciter excludens: contractus vero, constans consensu in conditionem Matrimonii contrahendi, est revera nullus, ob defectum veri, & interni consensus; adeoque obligationem ducendi puellam per se producere nequit; ergo &c. Accedit, quod contractus ille, cum baptizetur *innominatus*, nullo modo possit dici Sponsalitius; siquidem contractus Sponsalitius omni procul dubio est de classe contractuum *nominatorum*; per consequens &c.

Dimissa igitur, quam hucusque refutavimus, responsione,

Respondetur aliter ad object. concesso primo enthymemate, neg. subsumptum, & dicendo, radicem, ex qua *per se* oriatur in casu obligatio ducendi, esse *injustam damnificationem*, aliter haud reparabilem, quam si injustus damnificator præstet jam verum consensum in Matrimonium, & damnificatam ducat in uxorem; prout relinquitur ex dictis, præsertim in secunda probatione conclusionis, ejusque confirmatione. Ad rationem contrariam, in probatione subsumpti adductam, neg. seq. quia si desit omnis promissio Matrimonii, etiam ficta, nihil intervenit, occasione cujus obligatio reparandi damnum injuste illatum determinetur ad obligationem specificam ducendi puellam; bene vero, si interveniat promissio Matrimonii, saltem ficta: id quod declarabitur mox infra *in respons. ad instantiam*; uti & *in n. seq.*

Dices. Ponamus, quod puella præter ablationem virginitatis, nullum aliud sit passa damnum. Hoc posito, ita arguitur. Damnum ablatæ virginitatis nequit in sua specie resarciri; ergo nulla datur obligatio illud resarciendi, præsertim quæ sit determinata, & adstringat ad Matrimonium cum deflorata ineundum.

Confirmatur. Nulla de Jure naturali Justitiæ commutativæ extat obligatio damnum, in bono unius ordinis

dinis illatum, quod in tali ordine reparari nequeat, reparandi per bonum alterius ordinis, veluti cum communiori, & probabiliori sententia docuimus *part. 4. num. 576.* ergo nulla extat obligatio damnum violatæ virginitatis, quæ est bonum diversi, & altioris ordinis, atque in tali ordine reparari nequit, reparandi per bonum Matrimonii, quod est alterius ordinis.

Respondetur primo, ex hoc argumento penitius inspecto, ejusque confirmatione sequi, defloratorem neque in casu, quo poneretur verum præbuisse consensum in Matrimonium, fore obligatum ad ducendam defloratam: quod tamen, ut reor, nemo admiserit.

Respondetur secundo ad argum. & confirm. simul, dist. utrobique cons. Idque tenet in hypothesi, qua non præcessit promissio, saltem ficta, ducendi, trans. in hypothesi, qua præcessit aliqua promissio ducendi, veluti hic præcessisse ponitur promissio ficta, neg. cons. In hypothesi, qua non præcessit promissio ducendi, ne ficta quidem, defloratæ nullum accrevit jus determinatum ad Matrimonium; accrevit autem ei tale jus in hypothesi, qua promissio ducendi, saltem ficta, & simulata, præcessit. Sed contra hoc

Instabis. Ergo obligatio ducendi in hypothesi conclusionis oritur ex promissione ficta: id quod immediate supra refutatum ivimus.

Respondetur, explic. & dist. illatum. Obligatio ducendi oritur ex promissione ficta, *per accidens, & veluti occasionaliter*, con. *per se*, neg. illatum. Posteriorem hunc oriundi modum rejecimus; siquidem promissio ficta, etiamsi sit talis ex parte unius duntaxat contrahentium, non sufficit ad valorem contractus Sponsalitii, utpote qui solum perficitur vero consensu bilaterali, & se tenente ex parte utriusque contrahentis; consequenter non est potens concurrere ad pariendam obligationem, ex simili contractu *per se* resultare natam. At priorem oriundi modum non rejecimus; imo in ipsa conclusionis positione per parenthesin assertive insinuavimus; eo quod promissio Sponsalitia ficta præbeat occasionem, ut puella damnosam subeat injuriam, ex qua de Jure naturali Justitiæ commutativæ *per se* oritur obligatio restituendi, & in proposito ducendi puellam injuste damnificatam; atqui præbere ejusmodi occasionem, est *per accidens* concurrere ad obligationem ducendi, *per se* oriundam ex injusta damnificatione, & Lege naturali Justitiæ commutativæ; ergo &c.

Urgebis. Posito, quod puella præter violationem virginitatis nullum aliud damnum passa sit, ut quando non fuit imprægnata, nec defloratio innotuit, ut idcirco alias Nuptias difficilius consequatur, subiit injuriam a damno sejunctam; ergo saltem tali casu deflorator non tenetur quidquam restituere, multo minus puellam ducere. Cons. fluit; cum ex mera, & non damnosa injuria haud resultet obligatio restituendi. Ant. prob. Siquidem in ea hypothesi violatio virginitatis pro nullo damno habetur; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad probat. dist. ant. Habetur pro nullo damno relative, seu quatenus nullum aliud damnum post se trahit, con. absolute, & secundum se, neg. ant. & cons. Violatio virginitatis, absolute, ac secundum se, est damnum maximi momenti. Et licet sit diversi ordinis, & in sua specie irreparabile (ut mox dicemus) adhuc tamen, si cum injuria conjunctum sit, reparari debet modo, quo potest, & NB. promissum est, nempe per sequelam Matrimonii cum violata ineundi: id quod ex dictis constat.

121. Quæres, an ad aliquid, & ad quid teneatur, qui defloravit puellam absque ulla promissione Matrimonii, vera, vel ficta?

Respondetur primo. Qui defloravit puellam volentem, & libere consentientem, in foro interno non tenetur ad quidquam compensandum, esto deflorata præter damnum violatæ virginitatis incurrerit infamiam, puta quia imprægnata fuit, aut defloratio aliter innotuit; vel difficultatem alteri nubendi. Ita P. Pichler *lib. 4. tit. 1. num. 9.* & alii passim. Ratio est: siquidem obligatio restituendi, quæ nascitur ex titulo injustæ damnificationis, & de qua unice in præsenti quæstio vertitur, præter damnum supponit etiam injuriam; prout relinquitur ex alibi dictis, imo fluit ex terminis; atqui quando puella volens, & libere consentiens defloratur, nullam subit injuriam, *per R.J. 27. in 6.* ibi: *Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus*; ergo &c.

Respondetur secundo. Siquis defloraverit puellam, adhibendo vim, fraudem, metum injustum &c. distinctione opus est. Vel enim deflorata præter damnum ablatæ virginitatis nullum incurrit aliud damnum, vel incurrit præterea aliud damnum? Si primum; deflorator itidem in foro interno ad nullam compensationem obligatur. Ratio est: quia licet tali casu deflorator intulerit puellæ injuriam; uti & damnum, violatæ nimirum virginitatis; quia tamen hoc est diversi ordinis, & in sua specie irreparabile, nulla est obligatio illud reparandi per bonum alterius ordinis, seclusa speciali promissione, in foro interno. Si secundum; tenetur deflorator in foro interno conscientiæ, & ante sententiam Judicis, damnum illud illatum modo possibili resarcire, puta defloratam ducendo, vel competenter dotando, ut ea tales Nuptias consequatur, quales sperare potuisset, si violata, aut corrupta non fuisset. Ratio est: quia de Lege naturali Justitiæ commutativæ, & ex radice injustæ damnificationis, datur obligatio reparandi damnum injuste illatum, quando hoc in sua specie est reparabile, tametsi nulla promissio reparandi antecesserit, nec subsecuta sit sententia Judicis: atqui in posteriore casu illatum defloratæ est injuste damnum, in sua specie reparabile; ergo &c. Ita quoad rem denuo P. Pichler ubi supra, & alii.

Respondetur tertio. In foro externo deflorator tenetur ad id, ad quod eum Judex condemnat, licet deflorata præter damnum violatæ virginitatis aliud non subierit, modo ad copulam injuriose, puta vi, fraude, metu injusto &c. adacta, inducta, vel seducta sit. Debet autem Judex, casu quo seducta, vel inducta extitit virgo, saltem communiter habita pro tali, defloratorem condemnare ad illam ducendam, vel dotandam: prout cum communi aliorum tradit P. Franciscus Schmier *lib. 4. tr. 1, cap. 3. sect. 2. n. 72.* Ceterum sicut quælibet, nunquam nupta, in foro externo per se præsumitur virgo, ita & præsumitur dolose, vel injuste seducta, *arg. l. un. §. 2. C. de Raptu virg.* Sed

Petes, an in casu, quo deflorator tenetur defloratam ducere, vel dotare, electio existat penes defloratorem, vel penes defloratam?

Respondetur, duas hic esse sententias, e diametro oppositas, quarum una electionem attribuit defloratori, & altera defloratæ. Sed ope distinctionis videntur conciliari posse. Itaque lectis desuper Authoribus, pensisque eorundem fundamentis, censeo, quod electio existat penes defloratorem, quando obligatio ducendi, vel dotandi forum præcise internum spectat; penes defloratam econtra, quando eadem obligatio imponitur a Judice (sicut imponi debet) in foro externo. Ratio primi est: quia tam Jure naturali, quam humano, sicut requiritur, ita sufficit pro foro interno, si quis resarciat, & restituat, quantum injuste damnificavit; ut habet unanimis DD. fundata *in cap. fin. de Injur. & leg. un. C. de Sent. qua pro eo*, sed deflorator defloratam competenter dotando resarcit, & restituit, quantum injuste damnificavit; ergo hoc sufficit pro foro interno; ergo in isto foro electio ducendi, vel dotandi defloratam existit penes defloratorem. Ita cum Molina, Vasquezio, Lessio, Laymanno, & aliis P. Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. num. 594.* Subscribit P. Pichler *loc. cit.* Ratio secundi est: quia licet in alternativis debitoris sit electio &c. juxta *Reg. 70. de R.J. in 6.* ista tamen Regula fallit, quando Judex imponit satisfactionem alternativam, seu disjunctivam in pœnam delicti; prout hic fieri supponitur pro foro externo, in quo proinde electio erit penes creditricem, seu defloratam, non vero penes debitorem, seu defloratorem. Ita cum aliis P. Reiffenstuel *lib. 4. tit. 1. n. 89,* & iterum *in tr. posthumo de Regulis Juris in 6, supra cit. Reg. 70, n. 14.*

§. II.

Utrum Sponsalitia promissio, ut valeat, debeat esse libera a metu, & passione iracundiæ, amoris &c.

SUMMARIUM.

122. *Sponsalitia promissio, ut valeat, non necessario debet esse libera a metu &c.* 123. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur objectiones.* 128. *Neque Sponsalitia promissio, ut valeat, necessario debet esse libera a passione iracundiæ, amoris &c.* 129. *&* 130. *Diluuntur duo argumenta opposita.* 131. *An standum sit pro valore Sponsalium, quando dubitatur, an iracundia, amor, aliave similis passio animi impediverit sufficientem deliberationem, & libertatem ad spondendum?*

122. Dico primo. Sponsalitia promissio, ut valeat, non necessario debet esse libera a metu, quocunque demum: atque adeo Sponsalia, tametsi gravi metu, sive per alterum contrahentem, sive per alium injuste incusso, extorta sint, nihilominus valent, quamvis rescindi possint. Ita Tannerus *disp.* 8. *de Matrimon. q.* 1. *numer.* 14. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 17. *n.* 37. Palao *tr.* 2. *disp.* 1. *pun.* 9. *num.* 3. Perez *disput.* 10. *sect.* 3. *a num.* 4. VViestner *lib.* 4. *tit.* 1. *a num.* 257. Schmalzgruber *ibid. n.* 427. & alii contra alios, quorum aliqui volunt, illiusmodi Sponsalia esse irrita tam Jure naturali, quam positivo; alii contra solo Jure positivo irrita pronunciant. Sed nostra conclusio contra utrosque.

Probatur primo in hunc modum. Sponsalia, præfato modo extorta, nec sunt irrita Jure naturali, nec positivo; ergo de utroque Jure, & absolute valent. Cons. fluit. Ant. prob. Non enim sunt irrita Jure naturali: siquidem de tali Jure omnes actus, & contractus (Matrimonio, & Professione Religiosa probabilius exceptis) valent, tametsi gravi metu, injuste incusso, extorti sint; veluti ostendimus *part.* 4. *n.* 669. & pleríque etiam Adversarii admittunt. Neque Jure positivo; nam *capit.* 2. *de iis, quæ vi, metusve causa* dicitur: *Quæ metu, & vi fiant, de Jure debent in irritum revocari*, posito nimirum, quod ex natura sua in irritum revocari possint. Unde sic arguitur. Quod de Jure debet in irritum revocari, supponitur esse validum; quia quod ex se irritum est, non recte dicitur in irritum revocari: sed juxta allegatum textum actus, metu extorti, debent in irritum revocari, posito, quod ex natura sua in irritum revocari possint, ergo supponuntur esse validi. Atqui Sponsalia (prout de iis hic agitatur controversia) sunt ejusmodi actus, videlicet metu extortus, atque ex natura sua in irritum revocabilis, seu rescindibilis; ergo de Jure debent in irritum revocari; ergo supponuntur esse valida.

Probatur secundo. Quamvis Sponsalia in casu conclusionis asserantur valida, tamen metum passo satis censetur consultum per hoc, quod Jus naturale in foro interno obliget eum, qui metum injuste intulit, ad resiliendum a Sponsalibus, si id exigat metum passus; Jus vero positivum concedat metum passo *Actionem*, qua coram Judice compellat alterum ad rescissionem Sponsalium, vel *Exceptionem*, qua eundem repellat; ergo non apparet, cur ejusmodi Sponsalia, sive de Jure naturali, sive positivo, asserantur invalida.

Confirmatur. Metum passo major præstatur favor, si Sponsalia in casu conclusionis asserantur valida; quoniam sic habebit sibi obligatam alteram partem ad standum contractu Sponsalitio, nisi ipse in dissolutionem consentire malit; ergo cum potius favendum sit metum patienti, quam inferenti, rectius dicitur, Sponsalia illa esse valida, attamen rescindibilia modo proxime insinuato.

123. Objicies primo. *In cap.* 11. *de Desponf. Impub.* permittitur puellæ, quæ *nolens, & invita, minis parentum impulsa*, adeoque metu adacta, inierat Sponsalia cum puero, alteri nubere, non expectata pubertate pueri: sed hoc permitti non potuisset, si Sponsalia judicata fuissent valida; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam esto Sponsalia illa asserantur extitisse valida, adhuc tamen extitere rescindibilia ad arbitrium puellæ metum passæ; cui proinde ita volenti permissum recte fuit, alteri nubere, Sponsalibus cum priore rescissis. Quod siquis contendat, Sponsalia illa fuisse revera invalida, oggeri eidem poterit, invaliditatem non promanasse ex incussione metus, sed ex nullitate consensus: quia, ut ibi cum Glossa V. *Desponsata*. advertit Innocentius, puella dicitur fuisse omnino nolens, non solum quando traducebatur in domum pueri, sed etiam quando eidem desponsabatur; esto illius parentes consenserint, quorum consensus utique non sufficiebat ad desponsationem convalidandam.

124. Objicies secundo. Juris dispositio de Matrimonio trahitur ad Sponsalia, quando de his aliud Jure non est expressum, juxta *l.* 16. *ff. de Sponsal.* ergo sicut Matrimonium, spectato saltem Jure positivo, est irritum, si metu injuste extortum sit, ita quoque irrita erunt Sponsalia, consimili metu extorta.

Respondetur primo, *cit.* Legem, utpote mere civilem, non esse alicujus authoritatis relate ad rem spiritualem, qualis sunt Sponsalia, quatenus ad Sacramentum Matrimonii disponunt. Quod si contendas, allegatam Legem esse canonizatam,

Respondetur secundo, explic. & dist. ant. Quando utrobique militat eadem ratio, con. secus, neg. ant. & cons. Ideo Matrimonium, injusto metu extortum, saltem ex dispositione Juris positivi irritum est; quia, aliquando valide contractum, ex sua natura consistit irrescindibile; ut proinde metum passo nullum suppeteret remedium se liberandi ab alterius injuria; prout ostensum *part.* 4. *num.* 699. *in except.* At vero Sponsalia, quamvis valide contracta, ex sua tamen natura sunt rescindibilia, variasque ob causas, infra *cap.* 5. recensendas, & exponendas, dissolubilia. Igitur ratio, quæ militat pro invaliditate Matrimonii, injusto metu extorti, non militat pro invaliditate Sponsalium, simili metu extortorum.

125. Objicies tertio. Non potest dari obligatio ad actum Jure nullum; ut de se patet: atqui Sponsalia, injusto metu extorta, si valerent, obligarent ad actum Jure nullum, nempe ad Matrimonium consimili metu ineundum, quod Jure saltem positivo irritum, seu nullum est, ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam illiusmodi Sponsalia non obligarent ad Matrimonium ineundum durante, sed cessante metu: ferre sicut Sponsalia, clandestine contracta (quæ secundum omnes valent) non obligant ad Matrimonium clandestine, sed publice, & in facie Ecclesiæ celebrandum.

126. Objicies quarto. Licet concedatur, quod alia vota simplicia, metu gravi extorta, valeant, non tamen valet votum intrandi Religionem, simili metu extortum; eo quod sit via ad Professionem Religiosam, quæ si extorqueatur metu, invalide emittitur: atqui etiam Sponsalia sunt via ad Matrimonium, quod, si extorqueatur metu, invalide Initur; ergo &c.

Respondetur in primis, neg. maj. utpote sine fundamento assertam; quoniam nullus omnino textus in Jure extat, quo memoratum votum annulletur, aut nullum declaretur; neque a Constitutione, per quam Professio Religiosa, metu extorta, irritatur, idoneum ducitur argumentum ad votum intrandi Religionem; prout sumitur, tanquam a pari, ex dictis *in respons.* 2. *ad object.* 2. Deinde hoc argumentum solvi quoque potest eadem solutione, qua immediate præcedens; ut patet consideranti.

127. Objicies quinto. Si Sponsalia, metu extorta, valerent, producerent impedimentum publicæ honestatis, quo etiam innocens, seu metum passus ligaretur: atqui hoc est notabile onus, innocenti, ac invito non imponendum; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, dist. min. Est notabile onus, innocenti, ac invito non imponendum sine sufficiente causa, & absque Jure, con. cum sufficiente causa, & Jure, neg. min. Jus ex una parte non irritavit id genus Sponsalia, imo potius indigitavit, ea esse valida (veluti relinquitur ex dictis) ex altera autem parte impedimentum publicæ honestatis, ex se perpetuum, annexuit Sponsalibus, semel valide, & absolute contractis (prout infra suo loco videbimus, & habet communis DD.) esto illa postmodum rescindi queant, vel etiam reipsa rescindantur, ac dissolvantur. Porro onus, cui pars metum passa supponitur,

com-

compensatur, & sublevatur per hoc, quod compartem obligatam habeat, possitque eam, si libeat, compellere ad ineundum secum Matrimonium.

Solutiones aliarum objectionum, hic insuper proponibilium, reperies *part. 4. a n. 670.*

128. Dico secundo. Sponsalitia promissio, ut valeat, neque necessario debet esse libera a passione iracundiæ, amoris &c. atque adeo Sponsalia, quæ contrahuntur tempore æstuantis iræ, amoris &c. per se, & ordinarie loquendo valent. Ita communis DD. contra paucos.

Probatur: quia ex una parte hujusmodi passio non impedit deliberationem, & libertatem ad contrahenda Sponsalia requisitam, sicut (juxta communem DD.) non impedit deliberationem, & libertatem requisitam ad edendum votum, vel juramentum; ex altera autem parte nullum potest assignari Jus, quo Sponsalia, ex tali passione inita, irritentur, aut irrita declarentur; ergo tam de Jure naturali, quam positivo pro validis habenda sunt.

Dixi tamen: *per se, & ordinarie loquendo.* Nam si forte ira (idem cogita de amore, vel alia simili passione animi) sit ita vehemens, ut omnino obscuret, atque obnubilet lumen rationis, utique impedit deliberationem, & libertatem necessariam ad ineunda Sponsalia, horumque valorem evertit.

129. Objicies contra conclus. primo. Percitus ira furioso similis est juxta illud Flacci: *Ira furor brevis est.* Parisurmiter amori furor inest, isque tam vehemens, ut eundem reprimere perfectæ sit Philosophiæ juxta assertionem Imperatoris *in Novell. 74. cap. 4.* ergo sicut furiosus non potest contrahere Sponsalia tempore, quo furit, ita nec iracundus, aut amans tempore, quo ira, vel amore æxæstuat.

Respondetur, neg. conseq. & parit. Ad ant. ajo, iram, & amorem, si exæstuent, esse quidem affines, & quodammodo similes furori, non tamen huic perfecte assimilari; nam furiosus tempore, quo furit, expeditum rationis usum non possidet; possident autem iracundus, & amans: unde hi, non item ille, valide vovere, vel jurare possunt: consequenter &c.

130. Objicies secundo. *In can. 21. de Pœnit. dist. 1.* habentur hæc formalia: *Quidquid calore iracundiæ fit, vel dicitur, non aliter ratum est, quam si perseverantia apparuerit, judicium animi fuisse: ideoque per eum calorem misso repudio, si in brevi reversa est uxor, non divertisse videtur.* Ex quo sic arguere licet. Divortium uxoris a marito, in ira factum, non reputandum est pro vero divortio; ergo nec Sponsalia, in motu iræ contracta, pro veris, & validis habenda sunt.

Respondetur (omissis aliorum responsionibus) cum P. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 22.* in *cit. can.* solum statui, ratum habendum non esse divortium uxoris a marito recedentis, si perseverantia desit; eo quod, hac deficiente, illa ob specialem Matrimonii favorem censeatur recessisse potius animo contestandi iram, quam vere, & serio divertendi. Unde si constitisset, quod voluerit vere, & serio, quamvis ex motu iræ, divertere, omnino verum, ac validum fuisset judicatum divortium; sicut & Sponsalia, ex iræ motu, attamen vere, ac serio contracta, pro validis reputanda veniunt. Per quod patet solutio enthymematis, ex *can.* constructi.

131. Quæres, an standum sit pro valore Sponsalium, quando dubitatur, an iracundia, amor, aliave similis passio animi impediverit sufficientem deliberationem, & libertatem ad spondendum?

Respondetur affirmative. Ita Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 8. n. 10.* Reding *tom. 8. q. 1. art. 1. controvers. 2. n. 7.* Babenstuber *tr. 8. part. 7. disp. 1. art. 2. num. 10.* & alii passim. Ratio est: quia ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio: sed communiter contingit, ut iracundia, amor &c. non impediat sufficientem deliberationem, & libertatem ad spondendum, seu contrahenda Sponsalia; sicut non impedit sufficientem deliberationem, & libertatem ad edendum votum, juramentum &c. ergo in dubio prudenter præsumitur, quod non impediverit &c. consequenter pronunciandum tunc, & standum est pro valore Sponsalium. Confirmatur. Qualitas naturalis in dubio adesse, vel adfuisse præsumitur, donec probetur abfuisse; atqui usus rationis est qualitas naturalis; ergo in dubio adesse, vel adfuisse præsumitur: consequenter &c. Recoli possunt, quæ tradidimus *part. 1. n. 86.*

§. III.

Quomodo Sponsalitia promissio debeat esse mutua?

S U M M A R I U M.

132. *Recensentur sententiæ circa hanc Quæstionem.* 133. & 134. *Sponsalitia promissio, etiam jurata, non obligat ante acceptationem.* 135. *Eadem promissio, ut perficiatur, requirit insuper repromissionem.* 136. *Solvuntur opposita.* 137. *Promissio futuri Matrimonii, licet acceptata, potest esse non mutua;* & 138. *non Sponsalitia.* 139. *Si vir gratuito promittat futurum Matrimonium, & mulier promissionem acceptet, quin repromittat, ille huic obligatus manet, non vicissim: si vero* 140. *promittat onerose, nec ipse obligationem contrahit, nec ipsa, nisi repromittat.* 141. *In dubio, an quis promiserit Matrimonium onerose, vel gratuito, præsumitur priore modo promisisse.*

132. DUæ sunt impræsentiarum sententiæ, quas refellere oportet. Nam aliqui docent, promissionem Sponsalitiam obligare, antequam ab altera parte acceptetur. Alii contendunt, non requiri specialem aliquam repromissionem in Sponsalibus, ut obligent, sed ipsam acceptationem promissionis obtinere vim repromissionis. Quibus utrisque ut obviam eamus,

133. Dico primo. Ut Sponsalitia promissio inducat obligationem, debet ab altera parte esse acceptata. Henricx *de Sponsal. q. 1. n. 2. & 3.* Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 1. n. 40.* aliique passim.

Probatur. Siquidem ut contractu, & simplici etiam pacto inducatur obligatio, exigitur consensus mutuus, ac reciprocus; cum ad illius essentiam requiratur placitum, & consensus saltem duorum, juxta *l. 1. ff. de Pactis*, sed Sponsalitia promissio obtinet rationem contractus; ergo ut inducat obligationem, exigitur consensus mutuus. Atqui non adest consensus mutuus, nisi ab altera, seu promissaria parte accedat acceptatio; ergo &c.

134. Colliges, quod Sponsalitia promissio, etiam juramento firmata, non obliget ante acceptationem,

Ratio est: quia accessorium sequitur naturam principalis, juxta *Reg. 42. de R. J. in 6.* sed juramentum, quo Sponsalitia promissio firmatur, accedit promissioni, ceu suo principali; ergo hujus naturam sequitur: & consequenter sicut promissio ipsa non inducit obligationem (secundum immediate dicta) nisi sit acceptata, ita nec juramentum, in ejus confirmationem adjectum, Ex quo fit, ut promissor a promissione Sponsalitia, quamvis jurata, nondum tamen acceptata, resilire citra peccatum queat. Sanchez *libr. 1. de Matrim. disp. 5. n. 24.* Babenstuber ubi supra *num. 14,* aliique apud ipsum.

135. Dico secundo. Promissio Sponsalitia vere talis, & in quantum est constitutiva Sponsalium, ut perficiatur, præter acceptationem exigit insuper repromissionem. Abbas *in cap. 5. de Præsumpt. numer. 1,* Engel *lib. 4. tit. 1. §. 2. num. 2.* Laymann *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 2.* & alii communiter contra paucos,

Probatur. Promissio Sponsalitia vere talis, & in quantum est constitutiva Sponsalium, ex sua natura est promissio bilateralis, & contractus onerosus; ut patet ex *l. 1. ff. de Sponsal.* ubi hæc definiuntur *mentio, & repromissio futurarum Nuptiarum*: atqui promissio bilateralis, & contractus onerosus, ut perficiatur, præter acceptationem exigit insuper repromissionem, quæ nimirum fiat ab altera, seu promissaria parte; ergo &c.

Dixi autem: *promissio Sponsalitia vere talis &c.* Ubi notandum, quod promissio Matrimonii duplici modo fieri possit, videlicet *onerose*, & *gratuito*. Priore modo fit, quando promittitur Matrimonium animo ineundi Sponsalia: qualiter fieri regulariter solet, & in dubio facta præsumitur; velut dicemus infra *numer. 141.* Posteriore modo fit, quando promittitur Ma-

trimonium sine animo ineundi Sponsalia: ut quando Cajus v. g. Titiæ promittit Matrimonium, si aliquando voluerit, non obligando ad repromissionem (adeoque sine animo ineundi Sponsalia) ipsaque promissionem, in quantum sibi favorabilem, acceptat, ita nimirum, ut nolit obligari Cajo, hunc vero velit sibi obligatum habere. Quod autem iste posterior modus promittendi Matrimonium non repugnet, ostenditur, & declaratur a pari. Nam venditor e.g. gratis, & liberaliter promittere potest futuram traditionem mercis pro pretio, quin alter, acceptando talem promissionem, repromittat pretium se daturum; ut si acceptet, reservato jure deliberandi, velit ne emere, nec ne? ergo etiam vir gratis, & liberaliter potest promittere futuram traditionem sui corporis, quin mulier, acceptando eam promissionem, repromittat, suum corpus se vicissim daturam; ut si acceptet, reservato jure deliberandi, an velit, aut nolit dare; adeoque consentire, vel dissentire in promissionis executionem, etiam ex parte sua complendam, secundum quod promissio ipsi onerosa est? Cons. fluit. Ant. vero, præterquam quod & ipsum tenere videatur, gemino adhuc exemplo, omnino stringente, firmatur. Nam Emphyteuta, pretio volens alienare rem Emphyteuticam, obligatus est illam, præ alio, vendere Domino directo, si hic velit, quin per hoc Dominus directus obligatus maneat ad eam emendam; vel, quin acceptando illud jus in Emphyteutam, repromittat emptionem de futuro. Porro possessor bonorum retractui subjectorum gerit obligationem in casu, quo velit alienare ejusmodi bona, ut ea vendat illi, qui habet proximum jus retractus, quin iste acceptando talem obligationem, lege, vel pacto inductam, repromittat, vel consentiat in emptionem, etiam de futuro; cum ei semper liberum sit (posita etiam obligationis acceptatione) illa emere, vel alteri emenda relinquere, quæ possessor eorum bonorum vendere vult. Ergo &c. Sed contra hoc, ipsamque etiam conclusionem

136. Objicies. Titia acceptando promissionem Matrimonii, sibi a Cajo factam, censetur virtualiter saltem, & tacite in Matrimonium contrahendum consentire; ergo init cum Cajo vera Sponsalia vi solius acceptationis, & absque superaddita formali, ac expressa repromissione; ergo promissio Sponsalitia etiam vere talis, & in quantum est constitutiva Sponsalium, præter acceptationem non exigit insuper repromissionem tanquam actum ab acceptatione distinctum.

Confirmatur. Promittens Matrimonium aliter non censetur, nec recte præsumitur promittere, quam sub onere, ut altera pars repromittat; ergo acceptatio, quæ fit ab altera parte, importat saltem virtualem, & tacitam repromissionem, promissionis Sponsalitiæ substantialiter perfectivam: consequenter &c.

Respondetur ad object. neg. ant. saltem supposito, quod Cajus promittat Matrimonium absolute, & liberaliter, ut proxime explicatum, & exemplificatum est; eo quippe casu puella non censetur acceptare Matrimonium absolute contrahendum, sed tantum datam fidem, seu promissionem sibi factam de Matrimonio contrahendo, si ipsa voluerit; hæc autem datæ fidei acceptatio nullo modo est repromissio: siquidem valde diversa sunt, absolute acceptare fidem datam de Matrimonio contrahendo, cum acceptans voluerit; & acceptare Matrimonium absolute contrahendum; ut proinde ex vi prioris saltem acceptationis minime inferatur repromissio Matrimonii, per promittentem fide data oblati.

Ad confirmat. dist. ant. Idque verum est regulariter, & nisi promittens exprimat contrarium, con. si exprimat contrarium, ut Cajus in casu supra, neg. ant. & cons. in eo casu, aut simili intellectam. Imo etsi detur, promissionem Matrimonii esse respectivam, ac fieri sub onere repromissionis, & altera pars acceptet sub tali onere, non tamen eo ipso repromittit; cum possit differre, aut omnino non apponere repromissionem, & sic relinquere promissionem, sibi factam, in suo esse suspensu, ac imperfecto: prout recte advertit P. Pangor *lib. 4. Sponsal. & Matrimon. disp. 1. n. 6.*

Dices. Si vir dicat: *accipio te in meam uxorem*, & mulier respondeat: *placet mihi*, vel *accepto*, ista acceptatio est saltem tacita repromissio Matrimonii de præsenti; ergo etiam si vir dicat: *accipiam te in meam uxorem*, & mulier respondeat: *placet mihi*, vel *accepto tuam promissionem*, hæc acceptatio erit saltem tacita repromissio Matrimonii de futuro.

Respondetur, admisso antecedente, neg. cons. præsertim intellectam de promissione absoluta, & gratuita. Ratio disparitatis est; namquando vir in casu antecedentis dicit: *accipio te in meam uxorem*, per actualem ejusmodi promissionem (quantum est ex se) intendit mulieri constituere jus in re, seu reale sui corporis ad usum conjugalem: hoc autem jus mulier sine repromissione non potest acceptare; tum quia jus reale in corpus viri ad usum conjugalem ex solo contractu conjugali nascitur, qui non stat sine repromissione mulieris; tum quia si mulier sine repromissione illud jus reale a viro, ex parte sua absolute oblatum, acceptaret, quin & ipsa repromitteret, acceptaret jus reale ad copulam cum non suo. E diverso dum vir in casu consequentis dicit: *accipiam te in meam uxorem*, per hanc talem promissionem non intendit mulieri constituere jus in re, seu reale in suo corpore ad usum conjugalem, sed tantum jus ad rem, seu personale, consequenter constituit solum in se obligationem, si mulier voluerit, ipsi futuro tempore constituendi jus in re, seu reale ad usum conjugalem.

Instabis. Sicut Matrimonium ipsum claudicare non potest, ita nec promissio Matrimonii; ergo mulieris acceptatio in utroque casu posito est tacita repromissio.

Respondetur, dist. ant. Ita nec promissio Matrimonii, gratuita, neg. onerosa, id est, alligata oneri repromissionis de contrahendo Matrimonio, transeat, ant. & negatur consequens, ac consequentia: non enim in contractu Matrimoniali acceptatio obtinet vim repromissionis, quod Matrimonium claudicare non possit; sed quod vir per hanc actualem promissionem, qua per verba de præsenti dicit: *accipio te in meam uxorem*, intendat (quantum est ex se) mulieri constituere jus in re, seu reale sui corporis ad usum conjugalem; quale jus mulier sine repromissione non potest acceptare: per promissionem vero, qua per verba de futuro dicit: *accipiam te in meam uxorem*, solum intendat mulieri constituere jus ad rem, seu personale, quod acceptari a muliere potest sine repromissione, id quod proxime dictum, atque expositum est.

Dixi: *transeat ant.* Nam licet promissio Matrimonii onerosa claudicare non possit quoad suum esse perfectum, & ut actu constituat contractum Sponsalitium; claudicare tamen potest eadem promissio quoad suum esse imperfectum, in quo ab altera parte sit relicta, quatenus ab ea sub onere repromissionis fuit quidem acceptata, sed sine adjectione actualis repromissionis, conformiter dictis *in respons. ad confirmat. supra.*

137. Colliges ex dictis primo, promissionem futuri Matrimonii, licet acceptatam, posse esse non mutuam. Ratio est: quia potest dari acceptatio talis promissionis, quin illa, etiam tacite, sit repromissio.

138. Colliges secundo, ex promissione futuri Matrimonii acceptata, non hoc ipso nasci Sponsalia. Ratio est: quoniam Sponsalia exigunt promissionem mutuam: sed promissio futuri Matrimonii acceptata, potest esse non mutua; ergo &c. Et hinc ex tali promissione non oritur impedimentum publicæ honestatis; sed vir, mortua promissaria, contrahere Matrimonium cum ipsius sorore potest. P. Engel *lib. 4. tit. 1. §. 2. n. 3.* & alii communiter.

139. Colliges tertio, quod vir promittens futurum Matrimonium (1) vi talis promissionis maneat obligatus, si mulier promissionem acceptet, esto hæc ne tacite repromittat, in casu, quo promissio non est respectiva, & se habens per modum contractus onerosi, sed absoluta, & se habens per modum contractus gratuiti: ipsa vero mulier (2) nullam obligationem subeat. Ratio primæ partis est: quia promissio acceptata promittentem obligat saltem naturaliter, quando est de re licita, & possibili; ut constat *ex c. 3. de Pactis*, ibi: *Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur*. Ratio secundæ partis est: quia mulier illam promissionem tantum supponitur acceptasse, ut si-

ut sibi favorabilem, ita, ut ipsa nolit obligari viro, nunc vero velit sibi obligatum habere. Quod si tamen mulier in tali casu post acceptationem diu distulerit repromissionem, vir liber erit ab obligatione servandi datam fidem: quia diu differens repromissionem censetur contemnere, ac fastidire promissionem Matrimonii; atque adeo jus, ex acceptatione talis promissionis acquisitum, remittere. Quænam autem censeatur diuturna dilatio repromissionis, secundum moralem considerationem circumstantiarum occurrentium arbitrio prudentis metiendum est. Sanchez *lib.*1. *disp.*5. *n.*12. & alii passim.

140. Colliges quarto, si vir promittat mulieri Matrimonium promissione onerosa, animo contrahendi Sponsalia, & mulier eam promissionem acceptet quidem, non tamen repromittat (sicut fieri posse, diximus supra) ex parte neutrius, promissoris scilicet, ac promissariæ, obligationem aliquam resultare. Non enim ex parte promissariæ: siquidem hæc non voluit se obligare promissori, acceptando ipsius promissionem, sed tantum eum sibi obligatum habere; actus autem agentium non operantur ultra intentionem illorum, *arg. cap. ult. de Præbendis*. Neque ex parte promissoris: quia is non censetur aliam voluisse obligationem subire, ac resultantem ex contractu Sponsalitio; quia tamen, cum ob defectum repromissionis, sui essentialiter perfectivæ, non subsistat, nullam parit. Navarrus *in Manual. cap.* 22. *n.* 25. Engel ubi supra *num.* 2. & alii passim.

141. Colliges quinto. In dubio, an quis Matrimonium promiserit promissione onerosa, & animo contrahendi Sponsalia, vel promissione gratuita, & sine animo contrahendi Sponsalia, censetur promisisse priore modo. Sanchez *de Matrim. disp.*5. *n.*15. cum communi aliorum. Ratio est: quia in obscuris, atque adeo in dubiis, præsumendum est id, quod plerumque fieri solet: atqui tam mares, quam feminæ, dum promittunt Matrimonium, plerumque promittunt promissione onerosa, & animo contrahendi Sponsalia; ergo &c. Ex qua ipsa ratione sequitur, quod in dubio, an mulier ejusmodi promissionem onerosam acceptando, etiam repromiserit, censeatur repromisisse, & contractum Sponsalitium complesse: quia sic ordinarie fieri valet.

§. IV.

Qualiter promissio Sponsalitia externe exprimi, ac manifestari debeat?

S U M M A R I U M.

142. *Promissio Sponsalitia debet sensibiliter exprimi per verba, vel signa.* 143. *Pro foro interno nulla certa verba, vel signa sunt præscripta.* 144. *Qualia requirantur, & sufficiant pro foro externo?* 145. *Potest quis, ac debet in foro externo obligari ad standum Sponsalibus, licet a parte rei invalidis, quando verba promissoria sunt certa.* 146. *Quænam in specie sint ejusmodi verba?* 147. *Quid faciendum Judici, quando verba sunt dubia?* 148. *Non contrahuntur Sponsalia per verba*: Nullam ducam præter te: *uti neque* 149. *Si Sponsus, vel Sponsa ad oblatas sibi Nuptias taceat.* 150. *Sponsalia clandestina valent, &, per se loquendo, etiam licent.* 151. *& seq. Solvuntur opposita.*

142. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, promissionem Sponsalitiam debere sensibiliter exprimi per verba, vel signa vice verborum fungentia. Ratio patens est: quia cum ejusmodi promissio fiat, ac ineatur inter homines, modo hominibus accommodato fieri, atque iniri debet. Hoc supposito, in quæstionem venit, qualiter, seu quibusnam verbis, aut signis memorata promissio exprimi, ac manifestari debeat?

143. Dico jam primo. Ad promissionem Sponsalitiam pro foro interno nulla certa verba, aut signa sunt præscripta, sed sufficiunt quæcunque, modo per ea consensus internus utriusque contrahentis satis innotescat. Ita DD. communiter.

Probatur: quia in contractu Sponsalitio soli contrahentes sibi dant, mutuoque acceptant fidem; ergo pro foro interno ad promissionem Sponsalitiam sufficiunt quæcunque verba, vel signa, modo sint satis significativa interni consensus, licet ex beneplacito contrahentium duntaxat, & ab ipsis solis intelligantur.

144. Dico secundo. Per illa verba, vel signa in foro externo (in quo non attenditur vis significativa ex beneplacito contrahentium) sufficienter exprimitur, &, si de contraria intentione non constet, præsumitur expressa promissio Sponsalitia, quæ vel ex communi acceptione, vel ex consuetudine loci significant promissionem onerosam futuri Matrimonii. Est denuo quoad rem communis DD.

Probatur. Tum ex binis, eisque perspicuis textibus, quorum unus extat *in cap.* 7. *de Sponsal.* & alter *in c.*6. *de V. S.* Tum ex ratione; nam secundum omnes tam verba, quam alia signa juxta communem acceptionem, & consuetudinem loci accipi in foro externo debent, nisi aliunde constet de contraria proferentium mente. Unde in hoc foro non attenditur beneplacitum contrahentium (quando hoc probari non potest) sicut in foro interno, sed statur verbis, quibus usi sunt contrahentes, quando Sponsalia inierunt.

145. Ex quo fit, ut quis obligari in foro externo possit, ac debeat ad standum Sponsalibus, tametsi ista in foro interno, & a parte rei nulla sint; uti contingeret, siquis adhibuisset verba, vel signa sufficienter significantia promissionem Sponsalitiam; interne tamen caruisset intentione Sponsalia ineundi: tali quippe casu Sponsalia in foro interno, & a parte rei non subsisterent (quia sicut Nuptias non concubitus, sed consensus facit, ita etiam Sponsalia non facit locutio per verba, vel signa, sed consensus) nihilominus in foro externo adigeretur ad standum verbis, & Sponsalibus per illa significatis; prout constat ex praxi. Sed

146. Quæres hic primo, quænam in specie sint illa verba, vel signa, per quæ promissio Sponsalitia in foro externo sufficienter, vel non sufficienter significatur?

Respondetur primo. Verba, promissionem Sponsalitiam sufficienter, & certo significantia, sunt hæc, vel his æquivalentia: *promitto tibi Matrimonium: obligo me ad ducendum te in uxorem: accipiam te in uxorem &c.* Verba, eam promissionem non sufficienter, vel dubie tantum, per se loquendo, significantia, sunt hæc, & his similia: *tu es mea charissima: thesaurus meus: cor meum: tu es, vel eris mea: promitto tibi amorem, & fidelitatem meam &c.* Hæc, inquam, & his similia verba sunt amatoria, & potius ordinata ad indicandum amorem inter amasios, ac amasias, quam ad exprimendum contractum Sponsalitium. Dixi autem: *per se loquendo*; nam si ejusmodi verba proferrentur in illis circumstantiis, ex quibus posset præsumi mens vere promittendi Matrimonium; ut si prævie actum esset de Matrimonio &c. sufficienter determinarentur ad significandam promissionem Sponsalitiam.

Respondetur secundo. Signa, promissionem Sponsalitiam sufficienter, & certo significantia, sunt subarrhatio, seu immissio, & acceptatio annuli in digitum, si fiat post prævium tractatum de Sponsalibus, vel Matrimonio, aut cum dicto unius: *do tibi annulum ad futurum Matrimonium*; nam licet traditio, & acceptatio annuli ex se indifferens sit, eo quod ex aliis etiam causis fieri possit, ac soleat, sufficienter tamen determinatur ad significandam promissionem Matrimonii per aliquam ex præmemoratis circumstantiis. Pariter promissionem Sponsalitiam sufficienter, & certo significant porrectio manuum, oblatio, & acceptatio munerum &c. modo iterum aliqua ex allegatis circumstantiis interveniat. Siquidem præcisis iis circumstantiis, nec illa priora, nec isthæc posteriora signa promissionem Matrimonii sufficienter, & certo indicant, sed dubie solum. Sanchez *lib.*1. *disp.*22. *num.* 3. Engel ubi supra §.2. *n.*8. & alii passim.

147. Petes, quid faciendum Judici, quando, omnibus pensatis, dubium remanet, an per verba (idem cogita de signis) significetur promissio Matrimonii, & prolator eorum neget, animo promittendi esse prolata?

Respondetur, quod Judex illum absolvere, & ab obligatione immunem pronunciare debeat, habito animo promittendi, quod neganti deferre poterit. P. Reiffenstuel *lib.*4. *tit.* 1. *num.* 45. Ratio est: tum quia

juxta *Reg.* 30. *de R. J. in* 6. ibi: *In obscuris minimum est sequendum*; id est, quod minus obligat, & onerat: tum quia juxta ritum illud: *Quilibet est interpres suorum verborum*; & alias in obscuris, ac dubiis persæpe recurrendum est ad mentem prolatoris, ejus saltem juranti credendum, *arg. cap.*6. *Qui Matrim. accus.* ergo etiam hic: consequenter &c.

Aliud est, si verba clare significent promissionem Matrimonii, nullæque concurrant circumstantiæ, quæ ejusmodi significationem reddant dubiam; tunc quippe prolator eorum, etiam asseveret, se illa non serio, & animo ineundi Sponsalia, sed joci duntaxat gratia protulisse, præsumendus est (nisi jocum probet, vel de eodem constet aliunde) serio protulisse, atque compellendus ad standum Sponsalibus. Author *cit. n.*46. quem vide.

148. Quæres secundo, an contrahantur Sponsalia verba: *Nullam ducam præter, vel nisi te*; aut alia his æquivalentia?

Respondetur, non contrahi Sponsalia absoluta, sed conditionata tantum, & hypothetica in sensu statim exponendo. Reiffenstuel *loc. cit. n.*33. Engel ubi supra *n.*11. Schmier *lib.*4. *tr.*1. *cap.*3. *sect.*1. *n.*5. Schmalzgrueber *lib* 4. *tit.*1. *n.*55. & alii satis communiter. Ratio est: quia formula quæstionis est negativa; adeoque promissionem Matrimonii absolutam non significat. Et licet adjectas particulas *præter*, & *nisi*, tanquam exceptivas, limitetur antecedens negatio, attamen limitatio ista non est absoluta, sed resolvitur in conditionem, & efficit hunc sensum: *Non ducam uxorem; vel, si aliquam duxero, te ducam*: qui sensus colligitur tum ex ipsis verbis rite pensatis; tum ex *l.*40. *§.*2. *ff. de Condit. & Demonstr.* Quare, non obstante illa verborum formula ad puellam prolata, potest quis libere abstinere ab ejus nuptiis, & manere cælebs; solumque tenetur non abstinere ex hypothesi, quod cælebs manere nolit, sed velit uxorem ducere: sicut si quis dicat: *Nullam ingrediar Religionem, nisi Carthusianam*, non tenetur ingredi hanc Religionem, nisi ex hypothesi, quod aliquam ingressurus sit; prout habet communis Theologorum.

Dices. Siquis dicat: *Non duco aliam, nisi te*: contrahit Sponsalia absoluta de præsenti; ergo qui dicit: *Non ducam aliam, nisi te*: contrahit Sponsalia absoluta de futuro.

Confirmatur. Hæc formula: *Te ducam, non aliam*; vel: *Non aliam, sed te ducam*: sufficit ad contrahenda Sponsalia absoluta de futuro; ergo etiam formula quæstionis: *Non ducam aliam, nisi te*.

Respondetur ad argum. concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est: quia particula exceptiva *Nisi*, quando opponitur propositioni conceptæ de præsenti, qualis est illa antecedentis, parit affirmationem absolutam; veluti patet in propositione, qua Judæi inclamarunt Pilato: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*; utpote quæ faciebat hunc sensum absolute affirmativum: *Cæsar est noster Rex, & non alius*. At quando eadem particula *Nisi* apponitur propositioni concessæ de futuro, qualis est illa consequentis, non continet affirmationem absolutam, sed tantum conditionatam, & hypotheticam; uti in ratione probativam ostensum, & exemplificatum est: consequenter &c.

Ad confirmat. con. itidem ant. & neg. conf. Disparitas est: quia propositio, in antecedente allata, nempe *Te ducam*, vel *sed te* est affirmativa, continens absolutam promissionem Matrimonii cum certa persona; cui proinde tribuit determinatum jus ad personam promissoris: neque affirmatio memoratæ propositionis destruitur per annexam negationem, *Non aliam*, cum hæc cadat supra diversum objectum, nec vim conditionis, sed majoris explicationis habeat. At proposito, *Non ducam aliam, nisi te*, est negativa, & adjecta particula exceptiva *Nisi*, cum vim conditionis habeat, illam aliter non limitat, neque affirmativam efficit, nisi conditionate, seu hypothetice, ita, ut promissor solum teneatur promissariam ducere ex hypothesi, quod uxorem ducere velit: prout recte advertit prælaudatus P. Schmier *n.*12. *& seq.*

149. Quæres tertio, an sufficiens Sponsalitium signum sit taciturnitas Sponsi, vel Sponsæ ad oblatas sibi Nuptias?

Respondetur, non esse, per se, & regulariter loquendo. Ita DD. communiter. Ratio est: quia in iis, quæ præjudicium afferre possunt, taciturnitas pro signo consensus non habetur, nisi quando tacens, si dissentiat, loqui tenetur, *arg. l.*8. *§.*1. *ff. de Procurator.* Confirmatur. Nam taciturnitas ex se indifferens est ad velle, & nolle; cum frequenter fiat, ut quis ex justa causa nec consentiat in alterius oblationem, nec dissentiat, aut respuat eam, præsertim quando continet favorem cum onere. Unde subintrat *Reg.*44. *de R. J. in* 6. ibi: *Is, qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur*. Neque obstat *Reg.*43. ibidem: *Qui tacet, consentire videtur*. Nam hæc Regula procedit quidem de præsumptione consensus in promissionem, quatenus continet favorem promissarii, vel promissariæ; non autem quatenus continet præjudicium, aut reciprocam obligationem, hic præsertim, ubi tacens, dum dissentit, loqui non tenetur. Videri possunt Menochius *de Præsumpt. lib.*3. *præsumpt.*42. *n.*4. & Sanchez *lib.*1. *de Matrim. disp.*5. *n.*5.

Dixi in respons. *Per se, & regulariter loquendo*. Excipitur quippe casus, quo liberi tacent ad Sponsalia, ipsorum nomine contracta a parentibus: tali nanque casu ex sola taciturnitate liberorum, ob pietatem, & observantiam eorundem erga parentes, consensus præsumitur, *c. un. de Desponsat. impub. in* 6. Ratio est: quia liberi, ne dicta, aut acta parentum contemnere videantur, loqui, & mentem suam tunc exprimere tenentur: igitur quando tacent, & factum sibi displicere non exprimunt, præsumuntur consentire juxta *Reg.*43. *in* 6. supra *cit. Qui tacet, consentire videtur*: quamvis si revera non consentiant, Sponsalia non consurgant, quippe ad suum esse reale exigentia consensum verum, & naturalem, qualis non est consensus præsumptus tantum. Reiffenstuel *lib.*4. *tit.*1. *n.*61. Schmalzgrueber *ibid. a n.*61. Ayblinger *in Institut. Imperial. lib.*1. *tit.*10. *part.*1. *a n.*49.

150. Dico tertio. Sponsalitia promissio (1.) valet, & (2.) etiam licet, per se loquendo, quamvis non fiat coram Parocho, & testibus. DD. communiter.

Probatur prima pars ex Declaratione S. Congregationis Cardinalium, quam refert, & sequitur Rebellus *lib.*4. *q.*5. *n.*49. quæ est, *Decretum Tridentini, quo statuit, ut Matrimonium fiat coram Parocho, & aliis testibus, non habere locum in Sponsalibus.*

Confirmatur. Sponsalia clandestina nec sunt invalida Jure naturali; cum spectato hoc Jure neque Matrimonium clandestinum sit invalidum; alias invalidum quoque fuisset ante Tridentinum: nec Jura positivo; quoniam Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. c.*1. solum Matrimonium clandestinum invalidat, nullam faciendo mentionem de Sponsalibus; cumque sit correctorium Juris communis, extendi non debet ultra casum expressum.

Probatur etiam secunda pars: quia Decretum Tridentini, immediate relatum, se non porrigit ad Sponsalia clandestina, veluti patet ex dictis; & alioquin Sponsalia clandestina non solum illicita, sed etiam irrita forent, sicut irritum est Matrimonium clandestinum. Aliud autem Jus, quod Sponsalia clandestina reddat, aut pronunciet illicita, assignari non potest: consequenter &c.

Dixi: *per se loquendo*. Nam si forte alicubi Statutum aliquod Diœcesanum præscriberet, ut Sponsalia ineantur coram testibus, vel etiam Parocho, illud omnino observandum, & Sponsalia juxta ejus præscriptum celebranda forent.

151. Objicies nunc primo contra primam partem, *In l.*60. *de Ritu Nupt.* habetur: *Quamvis verbis orationum cautum sit, ne uxorem tutor pupillam suam ducat tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse*; ergo etiam Tridentinum, quando irritavit Matrimonium clandestinum, censetur pariter irritasse Sponsalia clandestina: consequenter &c.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia tutori Matrimonium illiusmodi absolute, ac sub omni modo prohibitum est: cum ergo Sponsalia, ut valeant, debeant esse promissio futuri Matrimonii, non modo validi, sed & liciti, consequens est, illa in allato casu subsistere nullo modo posse. At vero clandestina Sponsalia contrahentibus non est absolute, & sub omni modo prohibitum Matrimonium, sed tantum ut contrahendum clandestine: proindeque si

Spon-

Sponsalia clandestine quidem ineantur, attamen cum habitudine ad Matrimonium publice, seu coram Parocho, & testibus celebrandum (prout fieri debet; alioquin, cum essent de re non solum invalida, sed & illicita, non valerent) omnino valebunt, quippe ad objectum tam validum, quam licitum terminata; neque aliunde irritata.

152. Objicies secundo contra secundam partem. *In l.16. ff. de Sponsal.* respondet Modestinus Jurisconsultus, prohibitis Nuptiis, etiam prohibita esse Sponsalia: sed Nuptiæ clandestinæ sunt prohibitæ, imo & annullatæ; ergo &c.

Confirmatur. Sponsalia sunt via, & dispositio ad Nuptias, seu Matrimonium; ergo si Matrimonium sit prohibitum, prohibita quoque censentur Sponsalia. Atqui Matrimonium clandestinum est prohibitum; ergo & Sponsalia clandestina.

Respondetur ad objectionem (conformiter iis, quæ reposuimus ad objectionem præcedentem) explic. & dist. maj. Prohibitis Nuptiis absolute, & quocunque demum modo contrahendis, etiam prohibita sunt Sponsalia, con. prohibitis Nuptiis, certo duntaxat modo, nimirum clandestine, contrahendis, etiam Sponsalia sunt prohibita, neg. vel subdist. sunt prohibita (imo & irrita) si pro termino, sive objecto respiciant Nuptias clandestine contrahendas, con. publice coram Parocho, & testibus contrahendas, neg. maj. & concessa minore, distinguendum est con. dist. majoris.

Ad confirmat. pariter dist. ant. Sponsalia sunt via ad Matrimonium, ut debite, ac licite celebrandum, con. ut illicite celebrandum, neg. ant. Ad cetera, quæ in eadem confirmatione adduntur, patet responsio in forma ex distinctione primum reddita ad object.

CAPUT II.

De Habilitate personarum contrahentium Sponsalia.

ARTICULUS I.

Quænam personæ generatim sint habiles ad contrahenda Sponsalia?

SUMMARIUM.

153. *Assignantur personæ generatim habiles ad contrahenda Sponsalia.* 154. *Personæ possunt esse inhabiles ad facienda Sponsalia, vel ob defectum ætatis, vel ob impedimentum perpetuum, quo dirimatur, vel impediatur Matrimonium.*

153. DIco. Generatim loquendo, Illæ solæ personæ sunt habiles ad contrahenda Sponsalia, inter quas aliquando consistere potest Matrimonium valide simul, & licite contractum: modo eædem personæ sunt, seu quando Sponsalia contrahere attentant, existant aptæ ad dandum consensum mutuum, deliberatum &c. prout requiritur ad legitimam futuri Matrimonii promissionem. Hæc conclusio est regula quædam generalis, quam statuunt DD. passim.

Probatur, & explicatur. Siquidem Sponsalia sunt promissio futuri Matrimonii; ergo illæ duntaxat personæ ad ea contrahenda habiles sunt, inter quas aliquando consistere potest Matrimonium, non modo valide, sed & licite contractum; cum promissio rei illicitæ, etiam jurata, non valeat: prout relinquitur ex dictis *n.*114. Porro quoniam Sponsalia substantialiter requirunt consensum mutuum, deliberatum, liberum, externo signo manifestatum, cum animo se obligandi, fieri potest, ut personæ quæpiam (esto in futurum evadere queant aptæ ad ineundum Matrimonium) Sponsalia nihilominus contrahere haud valeant eo tempore, quo carent facultate eliciendi consensum mutuum, deliberatum &c. cum pro tunc ponere nequeant, quod ad substantiam Sponsalium exigitur.

Dixi in conclus. *Inter quas aliquando potest consistere Matrimonium &c.* Nam ad contrahenda Sponsalia non est necessarium, ut inter contrahentes consistere possit Matrimonium eo tempore, quo Sponsalia contrahunt; sed tantum, ut consistere *aliquando* possit: quia non est respiciendum tempus, quo contrahuntur Sponsalia; sed tempus, quo impleri debet eorum obligatio: ad quale etiam tempus Sponsalia, ut valeant, referri debent. Hinc impuberes, septennio majores, etsi tempore impubertatis contrahere Matrimonium non possint, possunt tamen, si discretionem sufficientem habeant, contrahere Sponsalia, tempore pubertatis implenda. Item licet ille, qui Castitatem v. g. ad annum vovit, sine peccato contrahere Matrimonium, durante vinculo voti, non possit, potest tamen valide, & licite contrahere Sponsalia, promittendo Matrimonium, cessante vinculo voti ineundum. Ita cum aliis a se relatis P. Schmalzgrueber *lib.4. tit.1. n.*13.

154. Colliges, dupliciter fieri posse, ut aliquæ personæ sint inhabiles ad ineunda Sponsalia. 1. *Ob defectum ætatis*, ad contrahenda Sponsalia requisitæ. Hinc pueri ante septennium completum Sponsalia contrahere nequeunt; saltem quando malitia non prævenit ætatem, de quo casu *in art. seq.* §. 1. Ratio est: quia Jus tam in masculo, quam in femina requirit ætatem septem annorum ad Sponsalia contrahenda, *cap. 5. de Desponsat. impuber.* 2. *Ob impedimentum, quo dirimatur, vel saltem impediatur Matrimonium.* Ratio est; quia si impedimentum sit dirimens, personæ eo ligatæ non poterunt, sive licite, sive valide, celebrare Matrimonium; si tantum impediens, non poterunt licite (perstante nimirum impedimento) adeoque Sponsalia, cum in casu, sive prioris, sive posterioris impedimenti, essent promissio rei illicitæ, erunt invalida. Unde non valent Sponsalia, absolute contracta, habentis votum simplex Castitatis; esto tale votum sit Matrimonii impedimentum impediens tantum: quia sic essent promissio rei illicitæ, quæ non valet, ut sæpe dictum. Quod si tamen Sponsalia non contrahantur absolute, sed conditionate, & referantur ad tempus, quo impedimentum cessarit v. g. per lapsum ipsius temporis, vel fuerit sublatum dispensatione Pontificis, valida erunt: quia cum sic sint promissio Matrimonii celebrandi pro tempore, quo non erit impedimentum (quando hoc ex se cessare natum est, vel ex justa causa removeri potest, & solet per legitimam authoritatem) nec sunt promissio rei illicitæ, nec sub conditione impossibili; ut constat *ex l.10. ff. de his, qui notantur infamia*, juncta Glossa *V. non solet*. P. Krimer *lib. 4. tit.1. n.*116. & alii passim.

ARTICULUS II.

Quænam personæ in specie sint habiles respective, vel inhabiles ad contrahenda Sponsalia.

PErsonæ, de quibus hæc quæstio agitari potest, ac solet, in plures dividuntur classes; ut patebit. Quapropter eam, quo distinctius, & clarius procedamus, per plures, & distinctos §§. ventilabimus, ac decidemus. Sit igitur

§. I.

An minor septennio (puer, vel puella) contrahere Sponsalia possit, quando malitia prævenit ætatem?

SUMMARIUM.

155. *In contrahentibus Sponsalia requiritur a Jure septennium, mathematice completum; & similiter* 156. *pro contrahendo Matrimonio certa ætas &c.* 157. *&* 158. *Quando malitia prævenit ætatem, minor septennio, tam de Jure naturali, quam positivo, valide contrahit Sponsalia.* 159. *& seq. Solvuntur objectiones.* 162. *Minor septennio tunc etiam licite contrahit Sponsalia de utroque Jure.* 163. *Proponitur, & diluitur argumentum contrarium.*

155. PRænotandum primo, in contrahentibus Sponsalia, requiri a Jure septennium completum; prout *n. præced.* animadversum est. Ratio permotiva Juris ad sic disponendum erat, quod homines, nec-

dum

dum septennes, perfecto, & pleno rationis usu, sine quo Sponsalia consistere nequeunt, ordinarie, & regulariter careant. An autem ejusmodi septennium debeat physice, & mathematice, id est, a momento ad momentum, esse completum; vel vero sufficiat, esse completum moraliter tantum, ita, ut defectus aliquot momentorum, vel horarum, aut etiam unius, vel alterius diei, valori Sponsalium non obsit, dissident Authores. Ego cum P. Kugler *ad tit. de Sponsal. q. 7. n. 91*, aliisque quam plurimis concedo in sententiam affirmantium, ceu probabiliorem. Ratio est: siquidem dum Jura ad valorem actus requirunt certum tempus, hoc debet esse completum physice, & mathematice, non autem moraliter tantum; veluti patet in anno Novitiatus Religiosi, qui debet esse integer integritate physica, & mathematica, itemque in anno ætatis decimo sexto ad valide emittendam professionem Religiosam præscripto, utpote qui & ipse eadem integritate integer, ac completus esse debet: alioquin in utroque casu Professio subsecuta suo valore frustrabitur, Revide dicta *part. 3. n. 565. & 581.*

156. Prænotandum secundo, etiam pro contrahendo Matrimonio statutam a Jure esse certam ætatem, nimirum in masculis annum decimum quartum, & in femellis duodecim, utrinque completum, & quidem (secundum nostra principia) physice, ac mathematice. Quod autem in contrahendo Matrimonio malitia suppleat ætatem, atque adeo Matrimonium in ea hypothesi valeat, etiamsi præscripta a Jure ætas necdum adesse comprobetur, patescit *ex cap. fin. de Desponsat. impuber.* An etiam malitia ætatem suppleat in contrahendis Sponsalibus, nullibi in Jure expresse decisum extat; sed inter Authores acriter disceptatur. Ceterum in ordine ad contrahenda Sponsalia per *malitiam* (vel potius *prudentiam*) aliud nihil intelligitur, quam sufficiens usus rationis, vi cujus contrahentes sciant, quid agant: per *malitiam* vero, quæ in ordine ad Matrimonium contrahendum supplet ætatem (ex proxime dictis) non solum intelligitur sufficiens usus rationis, sed etiam perfecta potentia coeundi. His præmissis, ut certa ab incertis separentur,

157. Dico primo. Quando malitia prævenit ætatem, seu septennium, minor septennio, valide contrahit Sponsalia, spectato Jure naturali: adeoque spectato hoc Jure, malitia in contrahendis Sponsalibus supplet ætatem. Hæc conclusio est communissima inter DD. atque omnino certa.

Probatur proin breviter: quia de Jure naturæ ad contrahenda Sponsalia non requiritur determinata ætas, sed tantum sufficiens rationis usus: atqui hic non deficit in necdum septenni, quando malitia ætatem prævenit; ut patet consideranti hypothesin; ergo &c.

158. Dico secundo. Quando malitia prævenit ætatem, minor septennio, etiam spectato Jure positivo, valide contrahit Sponsalia: & consequenter, salvo quoque tali Jure, malitia in contrahendis Sponsalibus ætatem supplet. Ita mihi probabilior sententia, quam propugnant Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 16. n. 9.* Basilius Pontius *lib. 2. de Matrim. cap. 12.* Tannerus *de Matrim. q. 1. disp. 2.* Illsung *tr. 6. disp. 9. n. 11.* Pithing *lib. 4. tit. 2. n. 12.* VViestner *ibid. n. 14.* Reiffenstuel *n.* & alii, tum Theologi, tum Jurisperiti, quam plurimi contra Abbatem, Engel, Konig, Schmier, Pichler, & alios.

Probatur primo. In Matrimonio malitia supplet ætatem, prout constat ex dictis *n. 156.* & nec ipsi Adversarii negant; cum id Jure expressum sit; ergo etiam in Sponsalibus. Cons. & paritas pob. Siquidem in Sponsalibus: cum sint via, & dispositio ad Matrimonium, quando eadem est ratio, idem dispositum censetur, quod a Jure dispositum est de Matrimonio, *l. 16. ff. de Sponsal.* atqui est eadem ratio; ergo &c. Min. ostenditur. Nam malitia in Matrimonio ideo ætatem supplet; quia præter usum rationis potentia generandi, quæ hic primario attenditur, aliquando prævenit ætatem a Jure præscriptam pro Matrimonio: sed etiam usus rationis, qui in Sponsalibus primario, imo unice attenditur, aliquando prævenit ætatem a Jure præscriptam pro Sponsalibus; ergo &c.

Confirmatur, & declaratur. Ætas a Jure præscripta pro Matrimonio tantum respicitur ex præsumptione, quod ante eam non adveniat potentia generandi; prout fatentur ipsimet Adversarii, & aperte colligitur *ex cap. 9. de Desponsat. impuber.* ergo & ætas a Jure præscripta pro Sponsalibus tantum respicitur ex præsumptione, quod ante eam usus rationis non irradiet; a qua proin in præsumptione receditur, quando usus rationis prævenit, sicut receditur in Matrimonio, dum prævenit potentia coeundi.

Atque hoc argumentum eo fortius urget, quo certius est, agi de majori præjudicio contrahentium in Matrimonio, cum sit irrescindibile, quam in Sponsalibus, quæ facile, præsertim ab impuberibus contracta, possunt rescindi, imo partes, pubertatem adeptæ, pro lubitu ab illis resilire.

Respondet P. Pichler *lib. 4. tit. 2. n. 5.* paritatem assumptam claudicare: quia (inquit) in Matrimonio respicitur ad pubertatem præcise naturalem, & potentiam coeundi, quod stante tali potentia sit periculum fornicationis: quale tamen periculum non est in Sponsalibus, si contrahantur ante septennium completum, & attendatur præcise ætas legalis.

Verum contra est, negando, quod Jus ad ita statuendum in Matrimonio fuerit motum ob periculum fornicationis (siquidem hoc motivum in nullo Jure indicatum reperies) sed quia coeundi potentia advenire solet in masculis anno decimo quarto, & in femellis anno duodecimo. Ob hoc, inquam, motivum ex dispositione Juris Matrimonium, ante illos annos contractum, regulariter non valet: sicut regulariter non valent Sponsalia contracta ante septennium; quia usus rationis ordinarie prius illucescere non solet: quamvis uterque actus valeat, si præsumptio fallat, & malitia annos præveniat.

Probatur secundo ratione quasi reflexa. Quotiescunque Jus positivum est dubium, & Jus naturale certum, huic, non illi, insistendum est: atqui, quod universaliter ætas septem annorum ad contrahenda Sponsalia requiratur, Jure positivo dubium est, Jure autem naturali certum, quod non requiratur in hypothesi, in qua versamur, & si usus rationis eam ætatem præveniat; ergo insistendum est Juri naturali, & dicendum, in tali hypothesi ad contrahenda Sponsalia non requiri ætatem septem annorum: consequenter &c.

Respondet primo P. Pichler *lib. 4. tit. 2. n. 5. loc. & n. citt.* majorem solum procedere, quando pro utraque parte afferuntur textus Juris positivi prope æqualis ponderis, & spectatis textibus, eorumque rationibus dubium manet, ac fere æqualis probabilitas in utramque partem: at textus, & rationum momenta, cum adjectis paritatibus, qui pro opposita sententia pugnant, nostris longe prævalent; ut putat Respondens: consequenter &c. Sed

Contra est. Dato, non concesso, fundamenta oppositæ sententiæ, ex Jure positivo deprompta, nostris prævalere, non tamen attingunt certitudinem (alias sententiam illam redderent moraliter certam; quod nec Author *cit.* nec alii Adversarii affirmare audent) ergo adhuc Jus positivum manet dubium, & naturale certum: ergo adhuc isti, non illi, inhærendum est. Revide dicta *part. 4. n. 368.* ubi eundem Authorem, in simili similiter respondentem, confutavimus.

Respondent secundo alii, neg. min. volentes, Jus positivum in puncto quæstionis perspicue, & expresse recessisse a Jure naturali; ut proinde dubium non remaneat, Sponsalia, spectato illo Jure, ante septennium contracta, suo valore destitui etiam in hypothesi, in qua usus rationis prævie illucescit.

Contra tamen est, quod hæc responsio virtualem saltem, & implicitam contradictionem involvat; prout argumento ad hominem, sic respondentem, ostenditur. Nam si Jus positivum a Jure naturali eam perspicue, & expresse recesserit in puncto quæstionis, ut certitudinem attingat, sequitur, oppositam sententiam debere pronunciari certam; ut patebit consideranti: atqui nemo Adversariorum præsumit eam pronunciare certam; cum omnes, & singuli solum pronuncient probabilem, aut probabiliorem; ergo &c. Deinde Jus positivum non recessisse a Jure naturali perspicue, & certo, sed ad summum probabiliter, elucescet ex responsionibus ad fundamenta sententiæ oppositæ, quæ jam jam adducimus. Itaque

159. Objicies primo. Ubi Jus certam ætatem præ-

scribit,

scribit, non potest ea per malitiam, aut præcox judicium suppleri; ut patet in Professione Religiosa, ad quam requiritur decimus sextus ætatis annus completus; & in factione Testamenti, cujus condendi incapaces existunt quatuordecim annis minores, quantocunque demum judicio polleant: atqui Jus pro Sponsalibus certam ætatem, septem nempe annorum, præscribit; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Ubi Jus certam ætatem præscribit absolute, & independenter a præsumptione quadam, aut suppositione alicujus conditionis variabilis, ut in allatis exemplis, con. ubi dependenter a tali suppositione, neg. maj. Atqui Jus pro Sponsalibus certam ætatem præscribit independenter a suppositione alicujus conditionis variabilis, neg. dependenter a tali suppositione, con. min. & neg. cons. Sicut Jus, quando pro valore Matrimonii præfixit tempus pubertatis, processit ex præsumptione, ac suppositione, quod tunc primum adsit perfecta potentia coeundi; & ideo præventioni locum non denegavit in casu hypotheseos, quo illa potentia tempus pubertatis prævenit: ita, quando pro valore Sponsalium præfixit tempus septennii, processit ex præsumptione, ac suppositione, quod tunc primum irradiet usus rationis; & ideo similiter præventioni locum non denegavit, casu quo usus rationis septennium anteverterit.

Dices. In *c.4. & 5. de Desponsat. impuber.* item in *l.14. ff. de Sponsal.* absolute, & absque ulla reflexione ad usum rationis forte prævenientem, invalida pronunciantur Sponsalia, ante septennium contracta; ergo Legislatores absolute ætatem, & non usum rationis respexerunt: consequenter &c.

Respondetur, Jura allegata fundari in præsumptione, quod non adfuerit usus rationis; ut de singulis ostensum eo. Siquidem in primis *c.4. cit.* loquitur de casu, quo quis puellam *in cunabilis desponsavit*; & paulo post subdit: *cum desponsationes hujusmodi nulla sint*, NB. *quæ in canabulis* (ubi consensus est impossibilis) *fiunt*. Et quamvis postea dicat Pontifex, quod adveniente septennio censeantur confirmata, processit nihilominus & hoc dictum, quippe casui accommodatum, ex præsumptione, quod despondens non habuerit antea sufficientem rationis usum. Deinde c. 5. pariter supponit, non adfuisse usum rationis; & propterea defecisse consensum: hinc non sine ratione Pontifex ait; *quia desponsationes, & Matrimonia ante septem annos fieri non possunt*, NB. *si consensus postea non accedat*: ubi manifeste supponit, consensum prius non adfuisse; nam si consensus, saltem naturalis, præcessisset, Legislator non uteretur verbo *accedat*, sed *ratificetur, confirmetur* &c. Tandem *L.14. cit.* similiter intelligenda venit ex suppositione, quod non adsit discretio, & usus rationis: alias sibi contradiceret; nam Verba Legis sunt ista: *In Sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in Matrimonio: quapropter & a primordio ætatis Sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque parte intelligatur, id est, si non sint minores, quam septem annis*. In hoc textu tria continentur. 1. In Sponsalibus contrahendis ætatem contrahentium non esse definitam. 2. Ea contrahi posse, modo id fieri ab utraque persona intelligatur. 3. Si contrahentes non sint minores, quam septem annis. Ultima isthæc verba (quæ adduntur pro secundorum explicatione) accepta in sensu Adversariorum, & ut absolute præscriptiva septennii in contrahendis Sponsalibus, clare contradicerent primis; quia vera esset ista propositio: *Ætas pro Sponsalibus est definita*; cum tamen in primis verbis habeatur, *non esse definitam ætatem pro Sponsalibus*. Igitur *cit.* Lex ad contrahenda Sponsalia plus non exigit, quam (sunt verba secundo loco posita) *ut ab utraque parte id fieri intelligatur*: prout regulariter præsumitur intelligi a partibus, *si* (quæ verba tertio, seu ultimo loco apponuntur) *non sint minores, quam septem annis*.

160. Objicies secundo. Leges, in præsumptione generali fundatæ, obligant, tametsi in casu particulari præsumptio fallat: prout cum communi tradidimus *part. 1. n. 336.* sed Leges, annullantes Sponsalia ante septennium, fundantur in præsumptione generali, quod tunc non adsit sufficiens rationis usus, atque discretio: ergo &c.

Respondetur primo, retorquendo argum. Nam etiam Leges, annullantes Matrimonium ante pubertatem, fundantur in præsumptione generali, quod ante illam communiter non adveniat potentia coeundi; & tamen, si in casu particulari prius adveniat, non annullant Matrimonium tunc contractum.

Respondetur secundo in forma, explic. & dist. maj. Leges, in præsumptione generali fundatæ, obligant &c. si occasione talis præsumptionis aliquid statuant absolute, & independenter a suppositione alicujus conditionis variabilis, ut Leges, annullantes Matrimonium clandestinum, Professionem Religiosam ante annum ætatis decimum sextum &c. con. si dependenter a tali suppositione, neg. maj. Sed Leges, annullantes Sponsalia ante septennium, id statuunt absolute, & independenter a suppositione alicujus conditionis variabilis, neg. dependenter a tali suppositione, con. min. & neg. cons. Leges Sponsalia ante septennium haud aliter annullant, quam ex suppositione, quod usus rationis ibi nondum adsit; sicut haud aliter annullant Matrimonium ante pubertatem, ac ex suppositione, quod tunc nondum adsit perfecta potentia coeundi; si igitur suppositio fallat, & conditio varietur, Leges non obligant, nec irritant actum, præsumptione cedente veritati in foro saltem interno; imo & in externo, si de veritate satis constet: nisi Jus occasione præsumptionis aliquid absolute statuat, sicut statuit (secundum dicta) Jus Tridentinum, dum annullavit Matrimonium clandestinum, & Professionem Religiosam factam ante completum ætatis annum decimum sextum.

161. Objicies tertio. Si subsisterent Sponsalia inita ante septennium, sequeretur, a Jure frustra præscribi septennium; nam præsente usu rationis valerent Sponsalia ante septennium contracta, & eo absente non valerent, quamvis contracta post septennium: sed Jus nihil præscribit, aut statuit frustra; ergo &c.

Respondetur, negando sequelam majoris, quod a Jure frustra præscribatur septennium: præscribitur quippe eum in finem, ut, quando dubitatur, an, contrahentes Sponsalia, in ea rite consensisse, & per consequens Sponsalia valere, si contrahentes septennio majores extiterint, & non valere, si minores. Sed pro hujus responsionis, & hactenus dictorum pleniori intelligentia,

Colliges, quod sententiæ nostræ Defensores non eant inficias, Sponsalia, ante septennium contracta, præsumi invalida, donec probetur, adfuisse usum rationis; & e contrario, post septennium contracta, præsumi valida, nisi probetur, defecisse usum rationis. Quodsi, sive unum, sive alterum, probari haud potest, non jus, sed factum deficeret, *arg. l. 30. de Testam. tut.* Unde septennium est præscriptum, ut habeatur regula quædam ordinaria, secundum quam regulariter, & ordinarie sit judicandum.

162. Dico nunc tertio. Si malitia præveniat ætatem, minor septennio etiam licite contrahit Sponsalia, tam de Jure naturali, quam positivo. Sanchez *disp. 17. n. 4.* Pichler *lib. 4. tit. 2. n. 9.* & alii.

Probatur: siquidem de Jure naturali (secundum communem) & de Jure positivo (secundum nostra principia) minor septennio, si sufficienti rationis usu polleat, valide contrahit Sponsalia; nec aliunde apparet ullum vestigium, aut fundamentum alicujus prohibitionis, sive illiceitatis; ergo &c.

Confirmatur. Siquidem nec Sacramento (cum ineuntes Sponsalia nullum faciant, aut recipiant) aliqua injuria irrogatur, nec alicui personæ tertiæ; ergo non adest caput, unde in præfato modo spondentes resultet culpa, seu peccatum.

Imo licet detur, Sponsalia in casu conclusionis esse nulla, Jure nimirum positivo, adhuc spondentes, vel potius spondere attentantes, non videntur redargui posse alicujus peccati: tum quia Jus irritans hic nullam continet prohibitionem sive expressam, sive tacitam: tum quia taliter spondentes non irrogant Sacramento, aut personæ alicui tertiæ injuriam; ut immediate dictum.

163. Objicies. *Cap. 2. de Desponsat. impuber.* sic habetur: *Districtius inhibemus, aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem, Legibus, vel Canonibus determinatam, non pervenerit, conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur:* quæ prohibitio haud

dubie

dubie obligat, & quidem graviter, cum rem gravem concernat; ergo, contrahentes Sponsalia ante septennium, peccant, & quidem graviter.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, *cit. cap.* loqui, non de Sponsalibus, sed de Matrimonio; cum inserta habeat hæc verba: *non conjungantur:* quæ utique denotant contractum Matrimonialem, utpote per quem fit vera contrahentium conjunctio; non vero Sponsalitium, utpote qui non est proprie conjunctio, sed conjunctionis promissio. Et cum sit punctum pœnale, quippe prohibitionem continens, verba extendi non debent ultra propriam, ac strictam significationem; veluti recte advertit P. Sanchez *cit.*

Dices. Ergu contrahentes Matrimonium ante pubertatem completam, graviter peccant.

Respondetur, concedendo illatum. Ratio concedendi est: quia Jus irritans Matrimonium ante præscriptam ætatem continet expressam, eamque gravem prohibitionem, qualis fit *in cit. cap.*

Nec oggeri potest, verba, *non conjungantur*, denotare conjunctionem carnalem, quæ fit per coitum, non vero conjunctionem materialem, seu talem, qualis fit per ipsam Matrimonii contractionem: consequenter illam duntaxat, non vero istam, in *cit. cap.* prohiberi; adeoque non dari prohibitionem, saltem expressam, vi cujus, contrahentes Matrimonium ante pubertatem, redargui valeant culpæ, præsertim lethalis.

Contra enim est. Conjunctio carnalis, quæ fit per coitum, ne quidem in casu necessitatis publicæ indulgeri impuberibus potest: in *cit.* autem *cap.* sermo est (ut patet legenti textum adductum) de tali conjunctione, quæ ob publicam pacis necessitatem tolerari potest: consequenter &c. P. Pichler *cit.*

§. II.

Utrum absentes contrahere Sponsalia possint per Procuratorem?

SUMMARIUM.

164. *Absentes valide, & licite contrahere Sponsalia possunt per Procuratorem: eaque subsistunt* 165. *licet Principalis tempore contractionis dormiat, vel ebrius sit.* 166. *Ad peragendum Procuratoris ministerium assumi etiam femina potest.*

164. DIco. Absentes non solum valide, sed etiam licite possunt contrahere Sponsalia per Procuratorem, debitis conditionibus instructum, Ita DD. communiter.

Probatur tum a paritate aliorum contractuum, quos per Procuratorem perfici posse inter absentes, plus quam certum est. Tum ex *cap. fin. de Procurat. in 6.* ubi Matrimonium ipsum sic iniri posse perhibetur. Tum ex praxi Principum, & Magnatum, præfato modo contrahere solentium. Quare hic obtinent Regulæ *68. & 72. de R. J. in 6.* ibi: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, &: *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.*

Dixi: *debitis conditionibus instructum:* nempe sequentibus. 1. Ut Procurator habeat speciale mandatum contrahendi Sponsalia, & quidem cum determinata, ac individuali persona, per *cit. c. fin. de Procurat. in 6.* Unde si habeat mandatum contrahendi generale tantum, aut absque determinatione personæ, quicum contrahat, nihil efficiet: velut contingeret, si Principalis ei solum mandasset, ut sibi de uxore prospiceret. 2. Ut Procurator mandatum exequatur per seipsum, & non substituat loco sui alium executorem; nisi expresse acceperit potestatem substituendi, *c. fin. cit.* quia censetur electa personæ industria. Ubi proinde locum non habent Regulæ supra allegatæ. 3. Ut tempore, quo Procurator contrahit, mandatum non sit revocatum; tametsi nec Procuratori, nec alteri parti, quacum contrahitur, revocatio innotuerit, *c. fin. cit.* Aliter, ac in aliis actibus, & contractibus, in quibus Procurator tandiu valide procedit, quandiu mandati revocationem ignorat. *Clement. unic. de Renunc.* & *l. 15. ff. Mandat.* Ratio discriminis est: quia in aliis contractibus Jus humanum supplere potest voluntatem contrahentis, non vero in Sponsalibus, ad quorum valorem necessarius omnino est consensus verus, & naturalis. Valet autem revocatio, redditque irrita Sponsalia, licet Principalis promiserit jurato, se non revocaturum; nam, esto revocatio mandati, contra Juramentum de non revocando facta citra rationabilem causam, existat illicita, & peccaminosa peccato perjurii, non tamen suo valore destituitur; eo quod juramentum nequeant juranti adimere facultatem a parte rei revocandi mandatum. Revideri hic possunt, quæ tradidimus *part. 2, n. 517.* Valet insuper revocatio in foro interno, tametsi contineat se intra mentem revocantis: siquidem & tunc deficit verus, & naturalis consensus, *c. fin. cit.* quamvis in foro externo, in quo revocatio interna non præsumitur, ea probari debeat, ut revocanti queat suffragari. Valet denique revocatio etiam in foro externo (supposito, quod ad Procuratoris aures pervenerit) etiamsi sit solum tacita: qualis esse colligitur ex ipso facto contrario Principalis, dum videlicet novum dat mandatum contrahendi cum alia; tunc enim primum mandatum tacite revocare censetur, *arg. l. 31. §. ult. ff. de Procurat.* P. Sanchez *de Matrim. disp.* 11. P. Schmier *lib. 4. tr. 1. cap. 2. sect. 3. §. 1. & 2.* aliique passim.

165. Quæres primo, an subsistant Sponsalia, per Procuratorem contracta, si Principalis tempore contractionis dormiat, vel ebrius sit?

Respondetur affirmative. Sanchez ubi supra *num. 11, & 12.* Schmier *loc. cit. §. 3.* aliique communiter. Ratio est: quia consensus, per mandatum procuratorium aliquando explicatus, & positive non revocatus, moraliter perseverat in dormiente, ac ebrio; ergo si accedat consensus personæ, ad quam se refert mandatum, utriusque consensus existit eodem moraliter tempore: consequenter &c.

Dices. Principalis, dum usu rationis destitutus est, non potest contrahere Sponsalia per seipsum; ergo neque per Procuratorem.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia, cum contractio Sponsalium sit actus humanus, uterque contrahens tempore contractionis debet agere modo humano; adeoque esse præditus usu rationis: id quod non fieret in casu antecedentis; bene autem in casu consequentis, utpote in quo tam Procurator, quam persona, quacum nomine Principalis contrahit, sufficientem rationis usum obtinent, ut supponitur. Unde hoc tali casu non est necessum, ut Principalis ipse expeditam agendi facultatem habeat eo tempore, quo Procurator agit; sed satis est, quod habuerit tempore præcedenti, quo Procuratori mandatum dedit.

Responsionem ad Quæsitum datam Authores *citt.* aliique plures porrigunt quoque ad casum, quo Principalis interea in amentiam incidit. Sed porrigi posse negat (idque rectius) cum Lugone, & Basilio Pontio P. Bockhn *lib. 4. tit. 1. n. 99.* quem vide.

166. Qurtes secundo, an ad peragendum Procuratoris ministerium possit assumi femina?

Respondetur affirmative. ita Sanchez *lib. 2. disp. 11. n. 15.* Pichler *lib. 4. tit. 1. n. 27.* & alii communiter. Ratio est: quia, ut quis fungi officio Procuratoris queat, non requiritur, ut sit capax illius juris, quod interveniente ejus ministerio acquiritur; cum non ipsi, sed Principali acquiratur; unde sufficit, quod Principalis sit capax. Quapropter Procuratorum loco constitui possunt vel duo masculi, vel duæ feminæ etiam in ordine ad eadem Sponsalia contrahenda, dummodo ipsimet contrahentes sint diversi sexus, mas scilicet, & femina.

§. III.

An liberi possint contrahere Sponsalia sine consensu parentum?

SUMMARIUM.

167. *Liberi sine consensu parentum valide contrahere Sponsalia possunt.* 168. *& seq. Solvuntur objectiones.* 170. *Liberi insuper sine consensu parentum, prius tamen consultorum, Sponsalia ineunt licite, per se loquendo.* 171. *Solvitur objectio.* 172. *Quantum peccent, quando, inconsultis parentibus, faciunt Sponsalia?*

167. Dico primo. Liberi sine consensu parentum valide contrahere Sponsalia possunt, excepto casu, quo ipsum Matrimonium foret illicitum. Ita Layman *lib.5.tr.10. part.1. c.1. n.14.* Sporer *in Theol. Sacrament. part.4. cap.1, n.202.* Reiffenstuel *lib.4. tit.1. n.23.* & DD. Orthodoxi communiter.

Probatur primo. Matrimonium, a liberis absque parentum consensu initum, valet; prout definit Trid. *Sess.24. c.1. de Reform. Matrim.* ubi anathemate percellit *affirmantes, Matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*; ergo etiam Sponsalia, sic inita, valent; utpote quæ sunt inchoative ipsum Matrimonium, & tendunt ad electionem status de se perpetui, quæ liberis debet esse omnino libera, & ab aliena voluntate independens: adeoque ratio, ob quam Matrimonium, sine consensu parentum initum, valet, etiam militat pro Sponsalibus; & quidem a fortiori; eo quod Matrimonium, semel validum, ex se sit indissolubile, Sponsalia vero multas ob causas, infra *c.5.* recensendas, dissolvi queant.

Confirmatur. Si parentum consensus ad valorem Sponsalium necessarius esset, subsecuta Matrimonia non essent satis libera; imo coacta: sequela autem omnium consensu est absurda; ergo &c. Major, ejusque sequela ostenditur ex Zoesio, qui super Trid. *de Sponsal. n.69.* sic loquitur: *Parentum stultitia, aut avaritia, non raro impediret honestas affectiones liberorum*; assignando scilicet certas personas in Matrimonium ducendas, quæ placent ipsis, & displicent liberis: atqui hoc modo Matrimonia non essent satis libera, vel etiam coacta; ergo &c.

Probatur conclusio secundo. Tum ex praxi Ecclesiæ, quæ solet compellere sponsos ad standum Sponsalibus, absque præscitu, aut consensu parentum initis. Tum inde, quod ejusmodi Sponsalia non sint irrita Jure naturali; prout omnes fatentur; neque Jure positivo, cum nullus textus, ea irritans, ostendi possit; veluti patebit ex solutione objectionum.

Dixi: *excepto casu, quo ipsum Matrimonium foret illicitum*: puta, quia ex eo sequeretur grave scandalum, diuturna inimicitia, lites, rixæ &c. Tunc quippe Sponsalia essent invalida, eo quod nemo se possit valide obligare ad rem illicitam, ut sæpe dictum.

168. Objicies jam primo ex Jure Civili. *L.7. §.1. ff. de Sponsal.* ad valorem Sponsalium requiritur consensus parentum, in quorum potestate sunt liberi; ergo Sponsalia, absque parentum consensus inita, non valent.

Respondetur, transmisso antecedente, neg. conf. Ratio negandi est, quod Matrimonium, quippe a Christo ad rationem Sacramenti elevatum, dispositioni Juris Civilis non amplius subjaceat; & per consequens neque Sponsalia, utpote quæ sunt via ad illud.

Dixi: *transmisso antecedente:* siquidem *cit.L.* (idem dicito de aliis similibus) intelligi, & accipi potest per modum dispositionis suasivæ, ita, ut Sponsalia (in casu, quo parentes justam contradicendi causam habent) sint illicita; non autem per modum dispositionis irritativæ, ut Sponsalia etiam sint invalida, per se loquendo, & ob solum defectum consensus parentum. Videri super hoc potest Reiffenstuel *cit.*

169. Objicies secundo ex Jure Canonico. *Can. 1. caus.30. q.5.* inter alia requisita ad contrahendum Matrimonium etiam numeratur consensus parentum, ac Matrimonia, aliter contracta, vocantur *illegitima*; imo *adulteria, fornicationes, stupra*. Eadem habentur in *can.3. & 4. caus. & q.cit.* Ergo consensus parentum necessarius est ad Sponsalia liberorum etiam valide contrahenda; cum promissio rei illicitæ nequeat esse valida.

Respondetur, in *cit.* canonibus Matrimonia tantum vocari *illegitima*, id est, *insolemnia*, quatenus non accedunt omnes solemnitates, a Jure præscriptæ, v. g. solemnis eductio, dos, vel instrumenta dotalia &c. quæ non pertinent ad valorem Matrimonii; non vero appellari *illegitima*, quasi sint invalida. Porro dicuntur *adulteria, stupra &c.* non absolute, sed limitate, & conditionate, *nisi voluntas propria suffragaverit*; ut sonant verba finalia *cit. can.1.*

170. Dico secundo. Liberi, per se loquendo, etiam licite contrahunt Sponsalia sine consensu parentum; prius tamen consultorum. Hæc conclusio, tenetur a Doctore Angelico 2. 2. q. 104. *art. 5. in Corp.* Doctore Subtili in 4. *dist. 29. q. unic. ad fin.* Sanchez *lib.4. de Matrim. disp.23. num.10.* Reiffenstuel ubi supra *num.25.* Schmier *loc. cit. a n.68.* Schmalzgrueber *lib.4. tit.2. num.79.* & aliis passim, licet in modo eam defendendi tum inter se, tum a nobis nonnihil discrepent.

Probatur ex *cap.12. de Regular.* ibi enim habetur, quod liberi *liberum habeant arbitrium, & in electione propositi* (seu status) *sequi parentum non cogantur voluntatem*: atqui dum contrahuntur Sponsalia, eligitur status, nempe Matrimonii, quod iis promittitur; ergo liberi in contrahendis Sponsalibus liberum habent arbitrium, & sequi parentum non coguntur voluntatem; ergo si illa contrahunt sine voluntate, & consensu parentum, non peccant, sicuti non peccant, quando sine eorum voluntate, & consensu Religionem intrant, ex dictis *part.3. n.585.*

Confirmatur ex Doctore Angelico (cui etiam concordat authoritas Doctoris Subtilis) qui *loc. cit.* ait: *Inferior non tenetur obedire Superiori suo, si ei aliquid præcipiat, in quo illi non subditur*; indeque infert, quod homo in iis, *quæ ad naturam corporis pertinent, non teneatur homini obedire*, puta in iis, quæ pertinent ad hominis sustentationem, & prolis generationem; ac tandem concludit his verbis: *unde non tenentur filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel Virginitate servanda*: atqui, dum ineuntur Sponsalia, agitur de Matrimonio contrahendo; ergo in illis ineundis non tenentur filii parentibus obedire: consequenter &c.

Dixi autem 1. *per se loquendo*, & quando parentes non habent justam causam contradicendi. Nam per accidens, & quando parentes habent justam causam contradicendi, Sponsalia sine eorum consensu inibuntur illicite, vel etiam invalide. Illicite tantum, & non invalide ineuntur, quando ineuntur in iis circumstantiis, in quibus parentibus invitis, & contradicentibus licite iniri Matrimonium potest: quia tunc ex parte objecti promissi, nempe Matrimonii, nihil obstat, quo minus promissio Sponsalitia valeat. Quod etiam extendendum ad casum, quo promissio aliunde, quam ex parte objecti implendi forsan est illicita, v.g. quia fit ex aliqua inordinata passione &c. adhuc enim valebunt Sponsalia, modo deinceps impleri queant sine permanente parentum offensa, & aliis incommodis. Unde DD. passim attestantur, praxi Ecclesiæ receptum esse, ut liberi adigantur ad implenda Sponsalia, etiam contra voluntatem parentum, licet justam contradicendi causam habentium, contracta cum personis inæqualis conditionis, modo (quod bene notandum) in ipsa eorum executione (id est, in contractione Matrimonii) non amplius violetur Justitia, Charitas, & Pietas parentibus debita. Illicite, & invalide simul Sponsalia ineuntur in iis circumstantiis, in quibus Matrimonium ipsum cum peccaminosa parentum offensa, adeoque illicite iniretur: tunc quippe Sponsalia forent promissio rei illicitæ, quæ valere, & obligare non potest, prout relinquitur ex dictis supra. In his, inquam, casibus Sponsalia per accidens iniri nequeunt, quin sint illicita, vel etiam invalida, si non accedat parentum consensus; sine cujus tamen interventu, per se loquendo iniri queunt valide (ut asserit prima conclusio) & (ut asserit secunda) etiam licite. Ita cum aliis a se relatis P. Schmalzgrueber ubi supra *num. 79, 81. & 82.*

Dixi 2. in conclus. *prius tamen consultorum*. Nam illicite contrahunt Sponsalia liberi etiam per se loquendo, quando absque justa causa, inconsultis parentibus illa contrahunt: quamvis consilium sequi, per se loquendo, non teneantur. Ita P. Reiffenstuel ubi supra *n.24. & 25.* P. Schmier *loc. cit. n.68.* Joannes Dominicus Peregrini *in Manuductione ad Jurisprudentiam Justinianeam lib.2. tit.10. part.1. §.1. n.6. ad fin.* & alii apud ipsos. Prima pars eruitur ex *can.4. caus.30. q.5.* & *can.13. caus.32. q.2.* Ratio quoque suffragatur: tum quia in re tam ardua, qualis est electio Matrimonii, quæ fit per contractionem Sponsalium, liberi, parentum negligendo consilium, faciunt imprudenter; præsertim cum sic facile sese decipiant: tum quia parentum sæpissime interest scire, an, & cum qua persona liberi

liberi Matrimonium contrahere intendant. Per accidens tamen, *v. g.* quando prævident liberi, parentes, si consulantur, Sponsalibus alias honestis, ex inordinata passione, ob interesse proprium, ex avaritia, aliove iniquo motivo contradicturos, non tenentur eorum consilium exquirere, sed possunt citra ullam culpam, ipsis insciis, clam contrahere; cum alioquin liberorum libertas in eligendo vitæ statu citra legitimam causam arctaretur, & diminueretur. Caveant tamen liberi, ne proprio suo judicio hic nimium fidant, præsertim si capti sint excessivo, & cæco amore personæ, quacum contrahere intendunt; sed potius se submittant judicio Confessarii, aut alterius Viri prudentis, ejusque ductum sequantur. Ratio secundæ partis est: quia liberi (ut dictum) in electione status sunt liberrimi; ergo, per se loquendo, in tali electione non dependent ab arbitrio parentum, sed suopte marte eligere possunt, quod posthac tenentur perpetuo servare. Per accidens tamen consilium parentum etiam sequi tenebuntur; puta in casu, quo ejusmodi consilium respuendo grave scandalum præbebunt, inimicitiam inter propinquos excitabunt, probrum familiæ consciscent &c. Sed contra modo dicta, ipsamque etiam conclusionem,

171. Objicies. Liberis licet, etiam per se loquendo, Sponsalia contrahere sine consensu parentum, adeo, ut hunc ne quidem exquirere obligentur; ut in conclusione assertum; ergo etiam sine consilio parentum prævie implorato.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia si liberi per se loquendo tenerentur exquirere consensum parentum in Sponsalibus contrahendis, etiam tenerentur sequi; quod præjudicaret ipsorum in eligendo vitæ statu libertati: consilium vero, quamvis petere, per se loquendo, obligentur, non tamen sic obligantur sequi; ubi proinde nullum in sua libertate præjudicium subeunt.

Dices. Non apparet, quare liberi, si consensum parentum tenerentur exquirere, etiam tenerentur sequi; non item, si consilium.

Respondetur, neg. assumptum. Rationem quippe discriminis suppeditat ipsa natura, & indoles illorum duorum actuum, consensus nempe, ac consilii, utpote in hoc differentium, quod illum, ubi petere tenemur, etiam teneamur sequi, non vero istud; prout gnaviter notat D. Peregrini *loc. & n. citt.*

Instabis. Frustra, & inutiliter liberi adstringuuntur ad petendum consilium parentum, si non teneantur sequi.

Respondetur, neg. itidem assumptum. Siquidem, cum separari possit, fore, ut parentes fidelissime aperiant, & demonstrent omnia, quæ liberis in illo negotio prodesse, vel obesse valent, consilium parentum liberis prodesse quam maxime potest. Nec est quid novi, aut insoliti, quod detur obligatio consilium requirendi, non item sequendi. Sic enim Prælati Ecclesiastici in pluribus negotiis, præsertim arduis, obstringuntur ad petendum consilium Capituli, quamvis illud sequi non teneantur: veluti patet ex *tit. de his, quæ fiunt a Prælat.*

172. Quæres, quantum peccent liberi, inconsultis parentibus Sponsalia contrahentes?

Respondetur, per se loquendo, non peccare plus, quam venialiter. Ita mihi probabilior opinio, quam, præter alios, amplectitur P. Pichler *lib. 4. tit. 1, num. 31, prope fin.* Ratio est: quia parentes non possunt esse rationabiliter inviti graviter, si eorum consilium non petatur in re, ardua quidem, absolute tamen dependenter ab electione liberorum, qualis est contractio Sponsalium, quippe concernens statum vitæ.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam per accidens, si liberi prævideant, se parentibus, non exquirendo eorum consilium (vel etiam consensum, in quibus & hunc exquirere obligantur) daturos occasionem magni mœroris, gravis, & diuturnæ offensionis &c. a peccato mortali excusari non poterunt, juxta communem DD.

CAPUT III.

De Obligatione Sponsalium.

Obligatio Sponsalium, quæ est effectus Sponsalium, spectari dupliciter potest, nempe *generatim*, & *speciatim*, seu relate ad casus particulares, in quibus convertitur, an, & quantum stringat?

ARTICULUS I.

De Obligatione Sponsalium, generatim spectata.

Obligatio Sponsalium considerari potest, vel in quantum nascitur ex Sponsalibus absolutis; vel in quantum oritur ex Sponsalibus conditionatis. Unde duos statuemus paragraphos, in quorum priore de Obligatione primæ, & in posteriore de Obligatione secundæ considerationis disseremus. Sit igitur

§. I.

An, & quantum obligent Sponsalia absolute contracta?

SUMMARIUM.

137. Sponsalia, absolute contracta, obligant ex Justitia, & graviter &c. 174. & 175. Solvuntur objectiones. 176. & seqq. Ad quenam omittenda Sponsi teneantur vi Sponsalium; quando teneantur Matrimonium contrahere; & quomodo cum nolentibus contrahere, vel injuste resilientibus procedere debeat Confessarius, vel Judex?

137. Dico. Sponsalia, absolute contracta, obligant ex Justitia, & graviter, contrahentes ad celebrandum suo tempore Matrimonium. Est communis DD.

Probatur. Omnis contractus, saltem onerosus, obligat ex Justitia, & quidem graviter, si versetur circa materiam gravem; prout relinquitur ex dictis *part. 4. n. 702.* sed Sponsalia sunt contractus onerosus, juxta sæpius dicta, & versantur circa materiam gravem, qualis est Matrimonium; ergo obligant ex Justitia, & graviter, saltem si sint absolute contracta.

Confirmatur a posteriori. Sponsalia, absolute contracta, tribuunt sponsis jus ad honestos amplexus, & oscula; producunt insuper impedimentum publicæ honestatis (ut videbimus *disput. 3.*) qui effectus existunt omni procul dubio signum obligationis gravis. Accedit, quod, nisi homines vi Sponsalium gravem subirent obligationem ad ineundum Matrimonium, facile resilirent, non sine gravissimis scandalis, incommodis, periculo infamiæ &c. ergo &c.

174. Objicies primo. *In l. 1. C. de Sponsal.* sic habetur: *Alii desponsatæ renunciare conditioni, & nubere non prohibentur*; ergo non est obligatio, præsertim gravis, standi Sponsalibus.

Respondetur, neg. cons. Nam circa Sponsalia, quæ sunt promissio Matrimonii, seu rei spiritualis, & obtinentis rationem Sacramenti, non Jus Civile, sed Naturale, & Canonicum attendi debet, adeo, ut non solum detur obligatio naturalis standi Sponsalibus, sed etiam actio contra stare nolentem, *cap. 10. de Sponsal.* Unde Jus Civile, quod pro foro saltem externo recessum a Sponsalibus permittit, quin recedentem puniat, a Jure Canonico correctum est.

175. Objicies secundo. Frangens promissionis fidem non peccat contra Justitiam, sed tantum contra Fidelitatem; ergo promissio non obligat ex Justitia, & graviter, sed tantum ex Fidelitate, & leviter.

Respondetur dist. ant. Si promissio, cujus fidem frangit, existat gratuita, transeat. si existat onerosa, qualis est promissio Sponsalitia, neg. ant. & eodem modo distinguendum est cons. Promissio onerosa, post sui acceptationem, obligat etiam ex Justitia, & per consequens graviter in materia gravi &c. prout more suo perspicue tradit Lessius *lib. 2. c. 18. de J. & J. dubitat. 8. n. 55.* dicens: *Promissio onerosa acceptata obligat lege Justitiæ, ut omnes fatentur &c.*

Dixi: *transeat. ant.* Nam etiam promissio gratuita, a promissario acceptata, promittentem, regulariter obligat

ligat ex Justitia, & graviter, quando materia promissa gravis est: quemadmodum ex professo docuimus *part. 4. n. 702.* Unde si Titius liberaliter, & gratuito promittat Titiæ Matrimonium, atque hæc promissionem acceptet, regulariter ex Justitia, & sub mortali tenebitur stare promisso, materiam quippe gravem concernente. *Regulariter*, inquam; nam in casu, quo Titius se non intendisset aliter obligare, quam ex fidelitate, & leviter, hoc duntaxat modo in foro saltem interno obligaretur ad servandum promissum.

Dices. Ergo nec promissio Matrimonii onerosa, Sponsalium proprie dictorum constitutiva, necessario, & semper obligat ex Justitia, ac graviter; contra id, quod in conclusione assertum.

Respondetur, neg. illatum. Nam promissio onerosa semper, & necessario fit, ac in dubio facta præsumitur animo se obligandi ex Justitia, adeoque graviter, si materia promissa gravis sit, cujusmodi est Matrimonium: quoniam onerose promittens ex Justitia tenetur habere talem intentionem, ac animum, ne decipiat alterum obligando ipsum ex Justitia sine animo se vicissim ita obligandi. At vero obligatio promissionis gratuitæ pendet ex libera voluntate promittentis, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum stringendi; potestque per intentionem promittentis attemperari, ut stringat vel ex sola Fidelitate, cujus transgressio pleruinque solum venialis est; vel ex Justitia quidem, sed sub veniali tantum etiam in materia secundum se, & materialiter gravi. Atque hoc totum constat ex dictis *cit. part. 4. numero 702.*

176. Colliges primo, Sponsos vi contractus Sponsalitii obligari ad omittenda omnia, & singula, quæ fidei datæ, & executioni Matrimonii promissi quomodolibet obesse queunt. Ita DD. communiter. Ratio est: quia licet præceptum exequendi promissionem Sponsalitiam primario sit affirmativum, secundario tamen etiam negativum est, obligans ad abstinendum ab omnibus, quæ talis promissionis executioni impedimentum, seu obicem ponere queunt. Excipitur Professio Religiosa, quam vovere, imo emittere licet, tametsi promissioni Sponsalitiæ adversetur, ejusque executionem impediat. *cap. 7. Convers. Conjug.*

177. Colliges secundo, contractum Sponsalitium, quando ei pro impletione obligationis non fuit adjectum certum tempus, executioni mandandum esse (1) quamprimum alterutra pars exigit; attamen, per se loquendo, probabilius (2) non prius, quam exigat. Prima pars sumitur tum ex *cap. 10. de Sponsal. l. 23. ff. de O. & A. l. 41. ff. de V. O.* tum ex natura contractuum: tum denique ex communi DD. consensu. Alteram partem tanquam veriorem propugnant Abbas *in cap. fin. de Præscrit. n. 19.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 28. n. 2.* Pirhing *lib. 4. tit. 1. n. 16.* Konig *ibid. n. 52.* & alii apud ipsos; nosque jam insinuavimus *part. 4. n. 105. ad fin.* estque contra Basilium Pontium, Palao, VViestner, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, & alios. Ratio autem est: quia in omni debito, absque præfixione termini ad solvendum, & indefinite contracto, hoc speciale est, quod solutio differri possit, usquedum a creditore exigatur; ideo enim debitor indefinite contraxit, quia noluit se obligare ad solutionem ultronee, sed tantum creditore exigente, præstandam. *arg. l. 10. c. de Pignorib.*

Responder, præter alios Adversarios, P. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 1. n. 89. l.* immediate *cit.* non favere nostræ sententiæ; eo quod ibidem non tam agatur de debiti solutione, quam de pignoris distractione, ad quam a creditore procedendum non est ante debiti executionem, *l. 18. c. de Administr. tutor.*

Sed contra est cum P. Bockhn *lib. 4. tit. 1. n. 107.* Quamvis memorata Lex ponatur ad *tit. de Pignoribus*, & loqui videatur de debitoribus, qui pignore dederunt; tamen initio ponitur hæc regula: *Debitores præsentes prius denunciationibus conveniendi sunt*; ergo si non sic conveniantur, seu non urgeantur, solvere non tenentur: cumque allegata regula generalis sit, ad solutionem cujuscunque debiti, indefinite contracti, adeoque etiam Sponsalitii, recte porrigitur.

Dixi autem 1. *quando pro impletione obligationis non fuit adjectum certum tempus*. Hoc namque si adjectum sit, & elapsum, obligatio Sponsalium explenda est, licet altera pars non urgeat: quia tunc ipsum tempus, seu dies interpellat pro homine.

Dixi 2. *per se loquendo*. Nam per accidens, etiam in casu Sponsalium, indefinite contractorum, contingere potest, ut obligatio Sponsalitia quamprimum implenda sit, etiamsi altera pars specialiter, & expresse non exigat; ut quando non exigit ex verecundia, ex metu reverentiali &c. item quando versatur in periculo incontinentiæ, per Matrimonii usum propulsando &c. Nunc contra 2. partem Corollarii

Dices primo. In *lib. 4. ff. de R. J.* sic habetur: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; ergo Sponsalium obligatio implenda est quamprimum, seu statim, ac moraliter fieri potest.

Respondetur, dist. cons. Si impletio ab altera parte exigatur, & urgeatur, con. secus, neg. cons. Nec textus, in antecedente allatus, aliud vult, aut velle censendus est: sic quippe illius verba omnino verificantur, cum verum sit dicere, quod obligatio Sponsalium, seu debitum, ex eis ortum nascatur *præsenti die*, & stringat; esto non stringat *pro præsenti die*, seu quasi statim impleri debeat, etiam extra casum, quo altera pars impletionem urget.

Dices secundo. Votum Deo factum absque præfixione termini, in impletione servandi, prima mox opportunitate executioni mandandum est; ut habetur *Deuteronomio cap. 23. vers. 21.* ergo & promissio Sponsalitia, quamvis ejus executio non petatur, aut urgeatur.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est, quod Deus, qui est creditor in voto, cum nunquam soleat expresse urgere executionem voti, censeatur semper urgere, & petere. E diverso creditor humanus (qualis in Sponsalibus est Sponsus respective & Sponsa) cum possit, ac soleat petere solutionem debiti, & debitor (qualis itidem est Sponsus, ac Sponsa respective) ideo indefinite contraxerit, quod se ad ultroneam solutionem adstringere noluerit, censetur omnino, dum solutionem non petit, dilationem creditori indulgere.

Dices tertio. Non est ratio, cur post mensem, vel annum, & non statim impleri debeant Sponsalia; ergo statim implenda sunt; maxime cum eorum ocyor impletio possit Sponso, & Sponsæ esse utilis.

Respondetur, neg. ant. Quia dum neutra pars petit impletionem Sponsalium, censetur utraque in dilationem consentire; qui consensus est ratio sufficiens executionem illorum differendi, donec urgeatur. Nec refert, quod ocyor executio Sponsis possit esse utilis: nam etiam solutio pecuniæ, si statim fiat, utilis esse creditori potest, & tamen, quando hic non exigit, differri potest, supposito, quod indefinite contracta sit.

178. Colliges tertio, Sponsum, vel Sponsam, a Sponsalibus injuste resilientem, nolentemque contrahere Matrimonium, non tantum (1) a Confessario non posse absolvi; sed etiam (2) a Judice Ecclesiastico; imo interdum (3) a Judice quoque Seculari debere, per se loquendo, compelli ad standum promissis, si monitio non sufficiat. Ratio primæ partis est: quia ejusmodi pœnitens ob prævaricationem gravis obligationis peccato mortali, quod retractare, ac emendare renuit, obnoxius est; & per consequens caret proposito se emendandi, sine quo absolutionis capax esse non potest. Ratio secundæ partis est: quia Judex in iis, quæ sunt sui fori, tenetur ex officio, præsertim imploratus, opportunis remediis procurare, ne subditi patiantur injuriam: atqui dum alteruter Sponsorum, altero invito, detrectat servare fidem, per Sponsalia datam, Matrimoniumque contrahere, gravem contrahere volenti infert injuriam, cum ex Justitia ad contrahendum obstringatur; ergo Judex (nempe Ecclesiasticus, utpote ad cujus forum cognitio causarum Sponsalitiarum, & Matrimonialium spectat) opportunis remediis procurare tenetur, ut fides, per Sponsalium contractionem data, servetur, & Matrimonium contrahatur; ne alioquin pars contrahere volens, cogatur gravem subire injuriam. Ratio tertiæ partis est: quia, licet dum agitatur quæstio, utrum Sponsalia sint valida? vel utrum adsit legitima causa pro eorum dissolutione? cogni-

tio, & judicium sit penes Judicem Ecclesiasticum; tamen, quando, subsistente valore Sponsalium, & nulla existente legitima causa procedendi ad eorum dissolutionem, Sponsus, vel Sponsa renuit servare fidem, & obligationem Sponsalitia exequi, etiam Judex Secularis est Judex competens, & partem renuentem compellere potens, ac debens ad executionem Sponsalium, etsi forte juramento confirmatorum; sicut compellere potens est, ac debens ad impletionem obligationis, ex aliis contractibus ortæ. Ita cum aliis P. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 29. *n.* 9.

Addidi autem: *per se loquendo*. Nam per accidens contingere potest, ut rationabilis, & justa causa aliud suadeat; cujusmodi causa foret periculum violandæ fidei conjugalis, perpetuarum rixarum, aut odiorum inter familias conjugum, ipsosve conjuges &c. Hæc quippe, vel alia id genus mala, si ex coactis Nuptiis resultatura prævideantur, aut probabiliter timeantur, præstat non compellere ad contrahendum Matrimonium, ut sic, permittendo mala minora, evitentur majora.

Addidi præterea: *si monitio non sufficiat*. Si enim hæc (quæ per *cap.* 17. *de Sponsal.* præmitti debet) sufficiat, non suppetit ratio adhibendi vim, & cogendi ad Matrimonium; præsertim quia Matrimonia coacta non raro solent difficiles sortiri exitus; prout in *cap.* immediate *cit.* innuitur.

Ceterum remedia Juris competentia, quibus sponsus, vel Sponsa renuens ad contrahendum tempore debito Matrimonium compelli (per se loquendo, & monitione nihil proficiente) potest, ac debet, sunt carcer, aliæve pœnæ corporis afflictivæ; &, si istæ nihil efficiant, censurarum comminatio, vel actualis etiam inflictio, quæ fiat a Judice Ecclesiastico. Ubi tamen cum aliis provide monet Sanchez *loc. cit. n.* 8. caute procedendum esse circa inflictionem excommunicationis. Si enim Judex prævideat, eam non in medicinam, sed potius in ruinam Sponsi, vel Sponsæ, quippe nimium contumacis, cessuram, potius non infligenda erit, aut, si inflicta jam sit, relaxanda: injuncta tamen parti nocenti pœna, & satisfactione debita; ut sic evitentur scandala, aliaque incommoda, quæ ex consensu coacto, vel omnino ficto oriri nata sunt.

Dices. Matrimonia debent esse libera: sed si Sponsi ad ea incunda censuris, aliisque pœnis cogi possent, illa non essent libera; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Siquidem comminatio, vel etiam inflictio ejusmodi pœnarum non officit libertati contrahentium: tum quia injuste resilire meditans potest iis se liberare injuriam non irrogando, vel irrogatam removendo: tum quia Matrimonium promittendo imposuit sibimetipsi necessitatem ad illud contrahendum; ut proinde subintret illud vulgatum, quod contractus dicantur initio *voluntatis*, postea vero *necessitatis*, juridicæ nimirum, non physicæ. *Ibi.* 5. *de O. & A.*

Instabis. Saltem sic Matrimonium erit gravi metu extortum; ergo irritum.

Respondetur, dist. ant. Gravi metu injuste incusso, neg. juste incusso, con. ant. & neg. cons. Nam metus juste incussus, ut ut gravis sit, non irritat Matrimonium.

§. II.

An, & quantum obligent Sponsalia, conditionate contracta?

S U M M A R I U M.

179 Etiam Sponsalia conditionata conditione possibili, & honesta obligant ex Justitia, & graviter: a quibus proinde 180. *citra justam causam resilire non licet invita comparte.* 181. *Dilucidatur conclusio.* 182. *Quid de Sponsalibus modificatis?*

179. Dico, Etiam Sponsalia conditinnata conditione possibili, & honesta obligant ex Justitia, & graviter. DD. communiter.

Probatur. Siquidem conditione impleta, citra omnem alium consensum transeunt in absoluta; ante impletam vero conditionem, nisi alter contrahentium sit in mora culpabili, obligant ad expectationem conditionis, donec videlicet hæc impleatur; ergo obligant ex Justitia, & graviter: cum eorum obligatio correlative respiciat jus activum, idque grave, alterius partis.

Dixi: *conditionata conditione possibili, & honesta.* Nam Sponsalia conditionata conditione impossibili non valent, nec aliquam obligationem producunt. Idem respective ferendum est judicium de Sponsalibus conditionatis conditione inhonesta, & turpi; siquidem nec ista valent, aut aliquam obligationem pariunt ante eventum conditionis: prout tradunt Zoesius *de Condit. apposit. numer.* 22. Engel *ibid. numer.* 15. VViestner *numer.* 30. Schmier *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 3. *num.* 131. & alii contra alios. Ratio primæ partis (a DD. communiter admissæ) seu quoad Sponsalia conditionata conditione impossibili, est: quia cum conditio impossibilis nunquam impleri possit, Sponsalia, sub eadem contracta, nunquam migrare in absoluta possunt; adeoque statim ab initio, seu quando contrahuntur, suo valore destituuntur, nec aliquam obligationem pariunt; cum promissio rei impossibilis nec valere, nec obligare queat. Ratio secundæ partis (inter DD. controversæ) seu quoad Sponsalia conditionata conditione inhonesta, & turpi, est: quia ejusmodi Sponsalia, ante eventum conditionis, neque obligant ad contrahendum Matrimonium; cum spondentes non intendant, nec promittant illud inire pendente conditione: neque obligant ad expectandum conditionis eventum, quippe illicitum, & fugiendum; ergo &c. Sed contra utranque partem

Dices. In Matrimonio conditio impossibilis, uti & turpis, ac inhonesta, habetur pro non adjecta, ita, ut Matrimonii contractus, sub tali conditione initus, obliget absolute, perinde, ac si nulla conditio esset apposita, per *cap. fin. de Condit. apposit.* ergo etiam in Sponsalibus.

Respondetur, neg. cons. Nam, quod dispositum est de Matrimonio ex speciali ratione, cessante in Sponsalibus, ad ista non debet porrigi: sic autem fit in præsenti; siquidem in Matrimonio, quando dubia est contrahentis, & verba promissoria proferentis intentio, conditiones impossibiles, & turpes habentur pro non adjectis propter periculum, ne, si contra valorem Matrimonii, forte validi, pronunciaretur, illud dissolveretur cum grandi injuria Sacramenti, & animarum pernicie: quale periculum non affert dissolutio Sponsalium, quamvis valide contractorum: consequenter &c.

Addidi autem in 2. parte limitationis: *ante eventum conditionis.* Nam conditione turpi impleta (cum hæc, licet non sine peccato, reipsa impleri possit, secus, ac impossibilis) Sponsalia omnino obligant: siquidem per eventum conditionis migrant in absoluta (supposito, quod consensus conditionatus fuerit verus, & non fictus tantum) ac turpitudo conditionis jam transiit; ut proinde nihil obligationem illiusmodi Sponsalibus congenitam impedire valeat. Quod tamen intelligendum de Sponsalibus contractis sub conditione turpi non adversante substantiæ Matrimonii: si enim contraherentur Sponsalia sub conditione turpi pugnante contra substantiam Matrimonii, ut *promitto tibi Matrimonium, si generationem prolis in eo positive evitabis*, illa nunquam valerent; sicut nec Matrimonium ipsum secundum dicenda *n.* 345. *ad fin.*

180. Colliges primo, a Sponsalibus conditionatis conditione possibili, & honesta (de qualibus nostra conclusio supra) nec ante, nec post eventum conditionis resiliri posse, nisi vel mutuus Sponsorum consensus in dissolutionem accedat, vel superveniat justa causa resiliendi. DD. communiter. Ratio patens est: quia ante eventum ejusmodi conditionis Sponsi tenentur expectare, donec ea eveniat; post eventum contractus Sponsalitius transit in absolutum, vi cujus iidem Sponsi ad ipsum Matrimonium ineundum obstringuntur.

Dices. Impuberes, postquam pervenerunt ad annos pubertatis, possunt resilire a Sponsalibus in impubertate contractis; ergo etiam resilire possunt alii sponsi a Sponsalibus conditionatis, saltem pendente, seu nondum impleta conditione. Cons. videtur tenere a fortiori; cum consensus istorum, quippe conditionatus,

sit debi-

sit debilior consensu illorum, utpote absoluto, veluti supponitur.

Respondetur, neg. conf. Nam impuberibus non Jure naturæ, sed Jure positivo in favorem ætatis concessa est facultas resiliendi a Sponsalibus, in impubertate contractis, si resilire velint pubertatem adepti: id quod extendi ad casum præsentem nequit.

181. Colliges secundo, conclusionem supra, & hucusque dicta procedere de Sponsalibus proprie conditionatis, id est, contractis sub conditione arbitraria, extriuseca, & de futuro contingente. Nam 1. conditio, quæ Sponsalibus inest ex natura rei, vel dispositione Juris, non efficit illa conditionata quoad rem promissam, in quam tendunt, & obligationem, quam pariunt; unde quando Titius v. g. promittit Titiæ Matrimonium, *si Deo placuerit*, Sponsalia absoluta facit, & actualem obligationem contrahit. Solent nihilominus ejusmodi Sponsalia nuncupari conditionata propter modum enunciandi, ac tendendi in rem promissam a. Neque conditio de presenti, aut præterito, Sponsalia proprie conditionata efficit; ut quando Titius promittit Titiæ Matrimonium, si ejus (Titiæ) frater in bello e. g. jam occubuerit: talis nanque conditio non suspendit consensum promittentis, sed sicut de præsenti aut existit, ac præteriit, aut non existit, ac non præteriit conditio; ita & promissio Sponsalia de præsenti est absoluta, aut omnino nulla. Idem esto judicium de Sponsalibus contractis sub conditione necessaria, v. g. *si cras dies erit*: hæc enim, cum sit necessario eventura, habetur pro impleta. Revide, quæ diximus *part*. 2. *n*. 415. De hujusmodi proin Sponsalibus ita improprie conditionatis, proprie vero, & revera absolutis, procedunt, quæ discussimus §. *præced*. Huc etiam referri possunt Sponsalia contracta sub conditione resolutiva, utpote quæ similiter non est proprie dicta conditio, nec valorem Sponsalium suspendit, sed tantum instabilem reddit, & resolubilem, postquam ipsa evenerit. Videri potest P. Schmier *lib*. 4. *tr*. 1. *cap*. 3. *n*. 133.

182. Colliges tertio, quid sentiendum de Sponsalibus *modificatis* (quæ conditionatis sunt affinia) seu initis sub *modo*. Itaque si Sponsalia incantur sub *modo*, id est, si uni, vel utrique contrahentium imponatur gravamen, non suspenditur obligatio Sponsalitia, ac insuper specialis obligatio inducitur ad præstandum gravamen, seu ad implendum modum: unde si contrahas Sponsalia cum Bertha, *ut* tibi officium impetret, absoluta Sponsalia inis. Ratio est: quia licet *modus* aliquam cum conditione affinitatem habeat, revera tamen conditio non est, cum ille exptimatur per particulam *ut*, ista vero per particulam *si*; ergo quamvis conditioni) proprie dictæ, & *n. præced*. explicatæ) connaturale sit obligationem contractus, aut alterius actus suspendere, non tamen id connaturale est modo; quin iste contrariæ est naturæ, & indolis, ut actum, cui adjicitur, reipsa absolutum relinquat. Et hoc de *Modo* relate ad Sponsalia breviter insinuasse satis esto: de quo relate ad Matrimonium iterum aliquid infra *n*. 347.

ARTICULUS II.

De Obligatione Sponsalium, speciatim inspecta.

POstquam articulo præcedenti disseruimus de Obligatione Sponsalium tam absolutorum, quam conditionatorum, generatim spectata, in articulo præsenti discurremus de eadem Obligatione speciatim inspecta, sive considerata in ordine ad nonnullos, ac duos præcipue casus, de quibus hic quæstio moveri potest, & solet ab Authoribus circa Obligationem illorum, nempe Sponsalium. Sit igitur

§. I.

An Sponsus, vel Sponsa fornicando cum alia persona peccet mortaliter non solum contra Castitatem, sed etiam contra Justitiam?

SUMMARIUM.

183. Triplex præcipue circa propositam quæstionem extat sententia DD. 184. Sive Sponsus, sive Sponsa fornicetur cum alia persona, præter peccatum luxuriæ committit etiam peccatum injustitiæ: consequenter tam ille, quam ista tenetur in Confessione exprimere circumstantiam status Sponsalitii. 185. & seqq. Dissolvuntur argumenta Adversantium.

183. TRes præcipue circa propositam quæstionem reperio sententias in Authoribus. Una est simpliciter negativa: altera simpliciter affirmativa: tertia inter utranque veluti media, distinguens inter fornicationem Sponsi, & fornicationem Sponsæ, illam contendens non esse qualificatam, seu labe injustitiæ infectam; bene vero istam, ceu longe turpiorem. Ex his tribus sententiis præplacet secunda, nempe simpliciter affirmativa, ceu probabilior ceteris; cui proinde primas defero, &

184. Dico. Sive Sponsus, sive Sponsa fornicetur cum alia persona, præter peccatum luxuriæ committit etiam peccatum injustitiæ; consequenter tam ille, quam ista tenetur in Confessione exprimere circumstantiam status Sponsalitii, adeo, ut neuter satisfaciat, si, adinstar aliorum non desponsatorum, dicat, se commisisse fornicationem. Sanct-Gallenses *tom*. 10. *tr*. 4. *pag*. 511. Schmalzgrueber *lib*. 4. *tit*. 1. *n*. 85. Michel *de Matrim. fol*. 659. *n*. 12. & alii apud ipsos, quibus novissime accessit, & sententiam istam liberali calamo egregie illustravit P. Bockhn *lib*. 4. *tr*. 1. *a n*. 104.

Probatur conclusio primo in hunc modum. *L*. 13. §. 3. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter*. ex Rescripto Severi, & Antonini Imperatorum fornicatio Sponsæ ad modum adulterii vindicari præcipitur hisce verbis, & addita causali: *Etiam in Sponsa hoc idem vindicandum* (nempe crimen fornicationis Sponsa de futuro, sicut crimen adulterii in Sponsa de præsenti, seu uxore) *quia nec Matrimonium qualecunque, nec spem Matrimonii* (id est, Sponsalia) *violare licet*; ergo non tantum per crimen adulterii, quod committitur ab uxore, violatur fides conjugalis, fit injuria marito, & peccatur contra Justitiam, sed etiam per crimen fornicationis, quod committitur a Sponsa (subintellige, *cum non Sponso*) violatur fides Sponsalitia, fit injuria Sponso, & peccatur contra Justitiam. Quod vero idem de Marito adulterante, & (ad præsens institutum) de Sponso fornicante (*cum non Sponsa*) dici debeat, fluit ex adjecta ratione, utpote quæ utrique) marito scilicet, ac uxori ex una, & Sponso, ac Sponsæ ex altera parte) communis est, *quia nec Matrimonium qualecunque, nec spem Matrimonii violare licet*: esto ceteroquin adulterium in uxore, & fornicatio in Sponsa sit aliquo sensu, & modo (de quo infra *n*. 259.) turpior, ac in marito, & Sponso; nam id speciem delicti in uxore, & marito ex una, atque in Sponsa, & Sponso ex altera parte non immutat. Pensa, quod invenies *cit. n*.

Confirmatur. Sponsi per fornicationem cum alia persona lædunt jus ad rem, sicut conjuges per adulterium lædunt jus in re; ergo peccant contra Justitiam, sicut isti; cum non solum lædendo jus in re, sed etiam ad rem, contra Justitiam delinquatur.

Respondent hic Adversarii, neg. ant. Nam integritas corporis (inquiunt) conservanda usque ad Nuptias, contractu Sponsalitio promissa non fuit; sed solummodo datum jus ad ineundum suo tempore Matrimonium: quod jus per fornicationem Sponsi, vel Sponsæ non adimitur parti innocenti, utpote quæ, si allubescat, partem ream adigere ad Matrimonium secum ineundum potest. Itaque quamvis sit contra Justitiam, uti re, alteri jure debita, usu nocivo, quando talis usus alterum impedit ab usu ipsi jure debito, Sponso tamen (idem esto judicium de Sponsa) id non fit si Sponsa fornicetur; quia per hoc non impeditur Sponsus, quin de futuro sibi constituatur, seu tradatur jus in corpus Sponsæ ad usum conjugalem, quoad substantiam; quæ sola traditio, vi Sponsalium, illi jure debita est.

Verum contra est. Sponsi contractu Sponsalitio non tantum promittunt futurum Matrimonium, sed etiam dant sibi mutuo fidem de corpore nulli alteri interea tradendo, & quasi commodando ad usum nocivum; ergo licet per fornicationem non violetur jus primum, violatur tamen secundum: & consequenter per illam peccatur contra Justitiam. Conf. fluit. Ant. probatur a pari. Qui vendit alteri rem, nondum tamen tradit, contractu emptionis-vendi-

tionis non solum promittit futuram traditionem rei venditæ, sed etiam dat fidem de re nulli alteri interea tradenda, & commodanda ad usum nocivum, vi cujus ea reddatur deterior; & si contra faciat, peccat contra Justitiam. *l. 5. §. 2. ff. commodati, & l. 68. ff. de contrah. empt.* ergo etiam Sponsi contractu Sponsalitio non tantum promittunt futurum Matrimonium, seu futuram traditionem corporis, sed etiam dant sibi mutuo fidem de corpore nulli alteri interea tradendo, & quasi commodando ad usum nocivum, vi cujus redatur deterius, uti fit per usum fornicarium; & per consequens si contra faciant, peccant contra Justitiam.

Probatur nunc conclusio secundo. Ideo per fornicationem Sponsi, vel Sponsæ, tribuitur innocenti jus resiliendi a Sponsalibus, quia per illam fides Sponsalitia fuit violata; ut obtineat hic commune axioma: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem:* cui etiam innititur textus *cap. 25. de Jurejur.* quod fornicans *contra regulam* (hoc est, legem, & obligationem) *desponsationis venerit*, seu peccaverit; ergo per fornicationem Sponsi, vel Sponsæ consciscitur culpa infidelitatis, & injustitiæ, ex violatis Sponsalibus orta; nam ad peccatum injustitiæ imputatur, quidquid contra legem, ac regulam alicujus contractus, saltem onerosi, qualis sunt Sponsalia, perpetratur.

Probatur tertio. Obligatio contractuum, præsertim quando sunt bonæ fidei, sicut est contractus Sponsalitius, magis æstimantur ex intentione, & verisimili mente contrahentium, quam conceptione exteriori verborum. *l. ult. C. quæ res pignori*, atqui mens contrahentium Sponsalia omnino censetur esse, ne alienis complexibus contaminentur; ergo &c. Min. prob. Nam si desuper interrogarentur, dum contrahunt, omni procul dubio mutuam fidelitatem exigerent, quam ideo non solent expresse in pactum deducere, quod eam ex negotii natura venire existiment, & ne unus de altero diffidentiam prodat. Fundatur itaque obligatio fidelitatis in tacita mente contrahentium, quæ cum expressæ conventioni æquivaleat, non minus, quam ista, vinculum Justitiæ inducit; prout colligitur ex ultimis verbis probationis immediate præcedentis. Sed contra conclusionem, & hucusque dicta

185. Objicies primo. Sponsi virtute contractus Sponsalitii plus non promittunt, quam Matrimonium suo tempore inter se invicem celebrandum: atqui hoc fieri potest, quamvis cum tertia persona committant interea fornicationem; ergo adhuc servare possunt, quod promiserunt: consequenter &c.

Confirmatur, & declaratur. Sponsi vi Sponsalium tantum obtinent jus, ne alteruter tradat corpus suum personæ tertiæ per Matrimonium: quia sic impediretur usus conjugalis, quem sibi per Sponsalia mutuo promisere; ergo per usum fornicarium, cum tertia persona exercitum, non læditur jus Sponsorum.

Respondetur ad object. dist. maj. Plus non promittunt &c. explicite, con. implicite. neg. maj. Implicite promittunt insuper, quod unus alterius conditionem non velit reddere duriorem. & Matrimonium difficilius, vel quid agere fini intento adversum, vel ponere causam, ut alter quasi invitus ad respuendas Nuptias adigatur. Paritas est in emptione-venditione, in qua etiam nihil promittitur explicite, quam res pro certo pretio tradenda; implicite tamen promittitur præterea, quod venditor rem tradendam non velit deteriorare, vel quidquam facere, ex quo usus rei emptori fiat incommodus, vel inutilis, aut minus commodus, vel minus utilis, ac fuisset, si conservata fuisset in statu, in quo erat, quando promissa fuit. Unde

Ad confirmat. neg. ant. Nam licet Sponsi conceptis verbis, & explicite aliud jus sibi invicem non dederint, adeoque illud, ut sic acquisitum, unice habeant; implicite tamen aliud præterea jus sibi mutuo contulere, atque ita collatum obtinent, ut videlicet neuter alterius conditionem efficiat duriorem, Matrimonium difficilius &c. Unde neg. etiam cons. Siquidem per usum fornicarium omnino læditur jus Sponsi innocentis, posteriore modo, seu implicite per Sponsalia acquisitum, quatenus per illum ipsi fit durior sua conditio, Matrimonium difficilius &c.

Dices. Pars fornicata adhuc manet obligata ad contrahendum Matrimonium cum Parte non fornicata, seu innocente, si hæc ita velit; licet enim isti propter alterius fornicationem competat jus a Sponsalibus resiliendi, si resilire velit, competit tamen una jus procedendi ad Nuptias, si resilire nolit; ergo non apparet, cur ex perpetrata alterius fornicatione subeat duriorem conditionem, & subjiciatur injuriæ.

Respondetur inprimis per instantiam, & retorsionem: quia etiam venditor, qui rem venditam ante traditionem effecit deteriorem, manet obligatus ad illam tradendam, si emptor petat, & huic integrum est, eam respuere, aut acceptare; ergo si modus arguendi in argumento adhibitus, ipsumve argumentum vim obtineret quidpiam probandi, nec emptor in casu retorsionis duriorem subiret conditionem, aut subjiceretur injuriæ; quod procul est a veritate, & nec ab ipsis admittitur Adversariis. Deinde in forma conc. ant. & neg. cons. Nam optio, quæ relinquitur innocenti, malitne Sponsalia rescindere, aut ad Matrimonium procedere? sat miserabilis est: si enim eligat prius, careat, necesse est, effectu juris quæsiti; si posterius, gravis ei difficultas, & aversio superanda est, dum quisque honestus aversatur Nuptias cum persona impudica, & per fornicationem corrupta ineundas. In talem igitur conditionem, ut nempe alterutrum malum eligere cogatur, pars innocens alterius fornicatione conjicitur: quod ipsi plane durum, imo injuriosum est; ut consideranti patet.

186. Objicies secundo. Si fornicatio Sponsi, & Sponsæ cum alia persona, adversaretur virtuti Justitiæ, idem dicendum foret de pollutionibus (amplexibus, osculis libidinosis &c.) cum tali persona citra coitum procuratis, & exercitis; imo etiam in seipsis absque complicis intervento, ac cooperatione procuratis: atqui sequela non videtur admittenda; ergo &c. Probatur autem sequela; nam quia in conjugibus coitus cum alia persona repugnat virtuti Justitiæ, eidem virtuti etiam repugnant pollutiones cum tali persona citra coitum exercitæ, vel etiam seorsim citra alterius cooperationem procuratæ; prout in confesso est apud Theologos; ergo si etiam coitus Sponsi, & Sponsæ adversaretur virtuti Justitiæ, eidem quoque virtuti adversarentur pollutiones, citra coitum cum tali persona exercitæ, vel seorsim a Sponso, & Sponsa procuratæ.

Respondetur, neg. min. & seq. omnino admittendo cum P. Bockhn supra *n.* 106. Tum ob rationem a paritate desumptam, & in argumento ad probationem sequelæ adductam. Tum quia peccata, ad certam peccati speciem disponentia, vel eidem subordinata, pertinent, aut reducuntur ad illam ipsam peccati speciem, ad quam disponunt, aut cui subordinantur: atqui peccata pollutionum, osculorum lascivorum, amplexuum &c. disponunt ad fornicationem, vel eidem subordinantur; ergo sicut fornicatio, quam Sponsi committunt cum persona tertia, pugnat (ex hucusque dictis) contra virtutem Justitiæ; ita & peccata pollutionum, osculorum lascivorum, amplexuum &c. contra eandem virtutem pugnabunt: & consequenter non solum peccata luxuriæ, sed etiam injustitiæ erunt. Tum denique, quia obligatio Sponsalium, quæ est obligatio Justitiæ, extendit se ad omittenda omnia, quæ possunt ponere, aut ponunt impedimentum, sive causam, quo minus Matrimonium sequatur secundum dicta *n.* 176. atqui pollutiones, oscula lasciva, amplexus &c. ponunt impedimentum, sive causam, quo minus Matrimonium sequatur, hoc ipso, quod parti innocenti præbeant causam sufficientem ad rescissionem Sponsalium; prout dicemus infra *num.* 274. ergo &c.

187. Objicies tertio. Si ideo committitur injuria a Sponsa (vel Sponso) fornicante, quia (contra fidem per Sponsalia datam) rem, seu corpus promissum deterius reddit, sequitur, quod talem deteriorationem, & vitium, ex occulta fornicatione contractum, debeat Sponso ante Matrimonium aperire; sicut venditor tenetur indicare emptori ante traditionem mercis, seu rei venditæ, vitium, quo ea post venditionem consensualem affecta est: sequela autem repugnat praxi, & obligatio illa foret nimis ardua; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. majoris ob rationem in minore insinuatam; quia videlicet talis obligatio nimium gravis, & ardua foret, quippe propriam delinquentis infamiam, ex delicti apertione oriundam, secum trahens: unde illam non censentur Sponsalia contrahentes sibi imponere, aut a se invicem exigere, esto cætero-

quin

quin exigant mutuam fidelitatem, & conservationem juris Sponsalitii. Sicut igitur in Matrimonio, licet uxor per adulterium deterior evadat, fidem conjugalem violet, summamque marito injuriam irroget, & idcirco circumstantiam status conjugalis in Confessione Sacramentali exprimere teneatur, non tamen teneatur marito detegere prætactum vitium, quia hæc obligatio nimis ardua foret, esto respective cederet in favorem mariti, utpote, cognito adulterio, divertere ab uxore potentis; ita in Sponsalibus, licet Sponsa per fornicationem efficiatur vilior, fidem Sponsalitiam frangat, & Sponso injuriam faciat (supposito nempe, quod fornicetur cum alio) atque circumstantiam status Sponsalitii in S. Tribunali explicare obligetur, non tamen obligatur Sponso aperire vitium fornicationis, quia & hæc obligatio nimium gravis, atque ardua foret, esto respective cederet in favorem Sponsi, quatenus hic, cognito fornicationis vitio, a Sponsalibus recedere, & ad alia vota transire posset. Aliud longe est de vitio mercis, sive rei venditæ, utpote ejus manifestatio non trahit secum, saltem necessario, & ex natura sua, infamiam venditoris; ut proinde obligatio illud manifestandi, ceu non tam gravis, & ardua, censeatur omnino involutam in ipso contractu emptionis-venditionis, ac Jure naturali Justitiæ imperata.

188. Objicies quarto. Si Sponsa (aut Sponsus) diminuat suas opes, quas habet, quando de illis conventum nihil fuit, non agit contra Justitiam, licet Sponsus forsitan earum intuitu contraxerit Sponsalia; quia nimirum promissum tantummodo fuit Matrimonium, & non divitiæ, vel earum conservatio; ergo idem dicendum in nostro casu, utpote in quo similiter promissum tantummodo fuit Matrimonium, non vero etiam corporis integritas.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & suppositum consequentis, quod videlicet in nostro casu solum sit promissum Matrimonium, & non etiam integritas corporis; contrarium nanque, seu quod etiam corporis integritas conservanda usque ad Nuptias, implicite saltem, a Sponsis promitti censeatur, abunde constat ex dictis; esto non sic promitti censeatur conservatio divitiarum. Ratio disparitatis est: quia divitiæ ex se ad Sponsalia, & Matrimonium non pertinent, adeoque non est, cur earum conservatio dicatur a Sponsis implicite, seu vi contractus Sponsalitii promitti; sed, ut debita fiat, exprese in pactum deduci debet. E diverso integritas corporis (secundum hucusque dicta) de se pertinet ad Sponsalia, & Matrimonium; ut proinde, dum ineuntur Sponsalia, & signate adpromittitur Matrimonium, hoc ipso, saltem implicite, censeatur etiam promitti Integritas corporis conservanda, donec sequantur Nuptiæ; sicque evadit debita, licet in pactum expresse non deducatur.

189. Objicies quinto. Si fornicatio Sponsi, & Sponsæ cum persona tertia adversetur virtuti Justitiæ, vel obtinet rationem adulterii, vel non: neutrum videtur dici posse; ergo &c.

Respondetur, neg. min. & dico cum communi contra Paludanum, quod non obtineat rationem adulterii proprie dicti, esto cum ipso quandam affinitatem habeat, & idcirco ad illud reduci valeat. Ratio est: quia adulterium est *alieni tori violatio*; torus autem non constituitur, nisi mutua corporum traditione, quæ non contingit ante Matrimonium contractum per verba de præsenti: consequenter &c. Confirmatur ex *l. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adulter*, juxta quam adulterium dicit *accessum ad nuptam*, nempe alienam: atqui Sponsa de futuro non est nupta, sed tantum nuptui promissa; ergo concubitus cum aliena Sponsa non est adulterium: & per consequens talis Sponsa (idem cogita de Sponso) carnaliter peccans cum alio non Sponso, esto peccet etiam contra Justitiam, haud tamen rea fit adulterii. Hinc filii concepti ex coitu cum desponsata de futuro, non sunt spurii, sed naturales: quia inter ejusmodi coeuntes saltem valide, etsi haud licite, Matrimonium tempore conceptionis consistere poterat.

Neque hic dictis obstat textus *l. 13. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* relatus supra *n.* 184. *in prob.* 1. ubi fornicatio Sponsæ adinstar adulterii vindicanda præcipitur, daturque Sponso facultas suam Sponsam, fornicationis cum alio ream, accusandi ad vindictam, sicut marito accusandi suam uxorem ream adulterii.

Non, inquam, obstat: quia in *cit. l.* conceditur Sponso facultas accusandi ad vindictam, sicut marito, non quod Sponsa, cum alio fornicans, committat adulterium, sicut uxor rem habens cum alio; sed quod etiam Sponsa sic fornicando irroget Sponso injuriam, sicut uxor marito: quamvis illa injuria sit quodammodo minor, cum solum importet læsionem juris ad rem, ac ista, utpote quæ est læsio juris in re. Unde in *cit. l.* esto marito, & Sponso permittatur idem modus accusandi, nempe ad vindictam, non tamen determinatur, quod personæ accusatæ, uxor scilicet adulterata, & Sponsa fornicata, æquali possint, aut debeant pœna mulctari.

§. II.

Utrum Sponsalia, a personis, impedimento Matrimonii dirimente, vel impediente ligatis: contracta sub hac conditione, si Papa (vel Episcopus) dispensaverit, *valeant*, *& obligent contrahentes?*

S U M M A R I U M.

190. *Exponitur status quæstionis.* 191. *Resolvitur quæstio affirmative.* 192. *Diluitur argumentum oppositum.* 193. *Non peccant, per se loquendo, contrahentes Sponsalia sub conditione*, si Papa disppensaverit. 194. *Uter ex præfato modo contrahentibus teneatur procurare dispensationem, & facere sumptus, pro ea impetranda necessarios?*

190. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, Sponsalia non valere, adeoque nullam producere obligationem, si impedimentum sit tale, quod dispensatione tolli non potest, aut non solet. Unde *si pater cum filia sua contrahat Sponsalia sub conditione dispensationis Pontificiæ*, contractus est irritus, & nullius obligationis productivus; quia adest impedimentum, quod dispensatione tolli non potest. Similiter, *si Clericus in sacris Ordinibus constitutus, Sponsalia init cum puella sub præfata conditione*, ea sunt invalida, nec alicujus obligationis inductiva: quia adest impedimentum, quod dispensatione tolli non solet. Huc etiam refertur, quando impedimentum est tale, quod dispensatione tolli solet, at non nisi ex legitima causa, qua tamen ineuntes Sponsalia destituti sunt: siquidem & tunc valor, & obligatio in irritum recidunt. Ratio autem universim est: quia in memoratis casibus conditio reputatur impossibilis, saltem Jure. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 5. numer. 78. & seq.* aliique communiter. Hoc prænotato, & supposito tanquam certo, in quæstionem venit, an, quando impedimentum ejus est generis, ut Pontifex in eo dispensare possit, ac soleat, si legitima dispensandi causa suppetat, & suffragetur contrahentibus, an, inquam, tunc Sponsalia valeant, & inducant obligationem expectandi existentiam conditionis, sub qua contracta sunt? Esto exemplum: *Titius habet consanguineam in quarto consanguinitatis gradu conjunctam: insuper habet justam causam, propter quam petere dispensationem super hoc impedimento potest; cum ea consanguinea sua contrahit Sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit.* Quæritur, an hæc valeant, & obligent modo immediate dicto. Pro resolutione hujus quæstionis

191. Dico. Sponsalia in casu exposito valent, & obligant contrahentes ad expectandam dispensationem Pontificiam; qua obtenta transeunt hoc ipso, seu absque novo consensu, in absoluta. Ita Sanchez *de Matrim. lib. 5. disp. 5. numer.* 13. Basilius Pontius *lib. 3. de Matrim. cap. 15. num.* 5. Bosco *part. 5. disp.* 11. *sect.* 8. *conclus.* 6. Engel *lib. 4. tit. 5. numer.* 16. Reiffenstuel *ibid. num.* 25. & alii de facto communiter contra DD. antiquiores sat multos, & ceteroquin magni nominis.

Probatur. Sponsalia sub conditione honesta, quæ existere & potest, & solet, contracta valent, obligantque contrahentes ad expectandam conditionis existentiam: sed memorata conditio est honesta, potestque, & solet existere; ergo &c.

Confirmatur: Alii actus, sub conditione dispensationis, vel consensus a Principe impetrandi, celebrati, valent, & obligant; ergo etiam actus, & contractus Sponsalium. Ant. ostenditur. Sic enim valet institutio spurii pro hærede facta sub conditione, *si Princeps ipsum legitimaverit*, per *l. 62. pr. ff. de Hered. instit.* item permutatio, vel resignatio Beneficii facta sub conditione, *si Superior permiserit*, per *cap. 7. & 8. de Rer. permut.* atque ita de aliis; ergo &c.

192. Objicies. In *l. 83. §. 5. ff. de Verb. Oblig.* reprobatur, tanquam invalida, hæc stipulatio: *Hominem liberum, cum servus esse cœperit, dare spondes?* item: *Locum, cum ex sacro profanus esse cœperit, dare spondes?* ex adjecta ratione; quia præsentis temporis obligationem recipere non potest: atqui nec stipulatio Sponsalitia, in casu conclusionis, præsentis temporis obligationem recipere potest; ergo &c.

Respondetur, neg. causalem, ita simpliciter, & sine modificatione intellectam: sed ideo; quia in illo casu neque promittens, neque stipulans justam causam habuit, ut homo liber servus efficeretur, aut locus sacer profanaretur. At vero in casu conclusionis supponitur, promittentes sibi invicem Matrimonium habere justam causam petendi dispensationem super impedimento, quo irretiti sunt, eamque non esse obtentu impossibilem, cum dari possit, & soleat.

Dices. In *l. 137. §. 6. ff. eod.* habetur, promissionem ejus, quod modo impossibile est, non valere, etsi postea possibile fiat; quia non secundum jus futuri, sed præsentis temporis æstimanda est stipulatio; ergo nec valebit promissio Sponsalitia in casu conclusionis.

Respondetur, neg. cons. Et ad ant. ajo, etiam ibi sermonem esse de casu, quo quis justam causam non habuit, ut id, quod tunc impossibile erat, facto Principis, vel Superioris fieri possibile peteret. Aliud rursus est in casu conclusionis, secundum immediate dicta: consequenter &c.

193. Quæres primo, an contrahentes Sponsalia sub conditione, *si Papa dispensaverit*, peccent?

Respondetur negative, per se loquendo, & secluso scandalo, vel alio damno. Sanchez *loc. cit. n. 16.* Laymano *lib. 5. tr. 10. part. 2. cap. 7. num. 4.* & alii passim. Ratio est: quia talis contractus Sponsalitius versatur circa objectum licitum, nempe Matrimonium impetrata dispensatione celebrandum. Neque obstat, quod contrahentes de præsenti inhabiles sint ad contrahendum: siquidem tantum sunt inhabiles ad contrahendum absolute, & relate ad tempus, quo impedimentum persisterit; non autem ad contrahendum conditionate, & relate ad tempus, quo impedimentum dispensatione sublatum fuerit.

194. Quæres secundo, uter ex præfato modo contrahentibus teneatur (1) procurare dispensationem, & (2) facere sumptus, pro ea impetranda necessarios?

Respondetur primo, quoad primum Authores in tres abire sententias. Nam Reiffenstuel *loc. cit. n. 34.* & plures alii censent, utrumque contrahentem teneri; sed in sensu disjunctivo tantum, id est, vel procurare dispensationem, vel proportionato tempore expectare, donec alter procuret. Contra Sanchez ubi supra *n. 36.* & alii obligant ex contrahentibus illum, qui primo Matrimonium promisit; eo quod promittens finem censeatur etiam promittere media, ad consecutionem ejusmodi finis necessaria. Tandem Schambogen *lib. 4. tit. 5. n. 2.* & quidam alii determinate obligant Sponsum, ex ratione, quod non conveniat, ut Sponsa suo nomine dispensationem petat; sicut non convenit, ut Maritum quærat.

Respondetur secundo, quoad secundum Authores itidem dissidere. Nam Reiffenstuel *n. 36.* existimat, ad faciendos sumptus illum duntaxat obligari, qui Nuptias anhelans dispensationem procurat. Sanchez vero *n. 37.* judicat, sumptus esse conferendos ab utroque contrahente; eo quod negotium sit commune.

Hæc omnia, quæ in utraque responsione memoravimus, probabiliter dicta sunto. Interim cum Jura nec in uno, nec in altero puncto quidquam determinent, locus relinquitur arbitrio Judicis, qui ex circumstantiis colliget, qualem ferre sententiam juxta æquitatem debeat. P. Schmalzgrueber ubi supra *n. 85.*

CAPUT IV.

De Accessoriis Sponsalium.

Per Accessoria Sponsalium intelliguntur præcipue *Arrha*, *Sponsalitia Largitas*, & *pœna*, de quibus hic inquiritur, num Sponsalibus per voluntatem contrahentium adjici possint?

ARTICULUS I.

An Sponsalibus possit adjici Arrha, & Sponsalitia Largitas?

SUMMARIUM.

195. & 196. *Exponitur, quid sit* Arrha, *& quid* Sponsalitia Largitas? 197. *Amba valide, & licite adjiciuntur Sponsalibus.* 198. *Solvitur objectio.* 199. *Quid præterea Juris circa Arrham?* 200. *An cum dispendio arrharum a Sponsalibus resilire liceat? seu an quis, si arrham perdere velit, a contractu Sponsalitio, comparte invita, recedere possit?* 201. *Quis Juris circa Sponsalitiam Largitatem?*

195. Prænotandum primo, quod *Arrha* in proposito nihil sit aliud, quam res quædam, sive immobilis, sive mobilis, in magna, vel parva quantitate, a Sponsis post contracta Sponsalia sibi invicem data per modum pignoris in securitatem futuri Matrimonii. *Data*, inquam; nam ut res, quæ in securitatem futuri Matrimonii offertur, Arrha reputetur, oportet esse traditam; nec sufficit, solum esse promissam; sic quippe potius sortitur rationem pœnæ, quam Arrhæ. Sumitur ex *l. 5. de Sponsal.* quæ passim utitur verbis, *Acceperit arrhas*, omni procul dubio traditionem denotantibus, & consentiunt Authores universim.

196. Prænotandum secundo, quod *Sponsalitia Largitas* sit donatio inter Sponsos de futuro, facta sub spe Matrimonii, & in signum amoris, non in pignus futuri Matrimonii: per quod differt ab Arrha. Alio nomine appellatur *Jocalium*, *Dotalitium*, *Donum Sponsalitium*, *Donatio ante Nuptias*, *Munus muliebris*. Quando aliquid a Sponsis datur sine mentione Arrhæ, præsumitur esse Sponsalitia Largitas, non Arrha. His prænotatis,

197. Dico. Valide, & licite adjiciuntur Sponsalibus Arrha, & Sponsalitia Largitas, amittendæ, vel restituendæ a Sponsis injuste resilientibus. DD. communiter.

Probatur: tum quia talis adjectio non reprobatur, sed potius approbatur a Jure Civili (prout patebit ex dicendis) per Jus Canonicum hic non correcto: tum quia eadem adjectio tendit ad honestum finem (veluti liquet *ex n. n. immediate præcedentibus*) estque utilis, ut palam fiet ex dicendis; ergo &c.

198. Objicies. Si adjectio Arrhæ, & Sponsalitiæ Largitatis fiat utrinque, seu ab utroque Sponso, videtur inutilis, & frustranea; eo quod tunc nihil censeatur dari, *arg. l. 55. ff. de Solut.* ibi: *Non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur*; ergo &c.

Respondetur, neg. assumptum. Ad Legem pro probatione adductam ajo cum P. Schmalzgrueber ubi supra *n. 131.* eam solum procedere, quando dans aliquid, tantundem recipit absque obligatione reddendi illud; vel quando datur aliquid eo pacto, ut in continenti reddatur. Neutrum vero fit in casu conclusionis: consequenter &c.

199. Quæres primo, quid præterea Juris circa Arrham?

Respondetur. Si Matrimonium secutum sit, utraque pars (seclusa consuetudine) arrham suam repetere potest, *l. 3. C. de Sponsal.* Et ratio est: quia arrha traditur quasi in pignus futuri Matrimonii; pignus autem præstita solutione revertitur ad dantem. Dixi per parenthesim: *seclusa consuetudine*; nam hodie consuetudo obtinet, saltem in Germania, ut arrha, secuto Matrimonio, maneat penes accipientem. Si Matrimonium actu secutum non sit, sed Sponsalia iterum fuerint dissoluta, refert, an citra culpam Matrimonium secutum non sit, num culpa unius ex contrahentibus?

Si ci-

Si citra culpam, forte, quod partes mutuo consensu a Sponsalibus recesserint, tunc utraque pars jus repetendæ arrhæ habet. Si una tantum pars ex superveniente legitima causa, adeoque citra culpam resilierit, itidem arrham suam repetere potest, *l. 5. C. de Sponsal.* quia libertas Matrimonii ita restringi non potest, ut quis juste absque arrhæ dispendio resilire nequeat. Si culpa unius Matrimonium secutum non sit, videndum, an illa pars, quæ arrham dedit, vel illa, quæ arrham accepit, ex culpa, & injuste a Sponsalibus resilierit, atque ita Matrimonium impedierit? Si pars, quæ arrham dedit, jus repetendæ arrhæ una cum arrha perdit. Si pars, quæ arrham accepit, in duplo, vel, quando ita conventum est, in quadruplo tenetur restituere, id est, tenetur reddere arrham, & simul triplum, v. g. si accepit quinquaginta florenos, reddere tenetur ducentos, *l. 3. & 5. citt.* Excipiuntur tamen hic Sponsi Minorennes, seu viginti quinque annis minores; nam isti, etiam injuste resilientes, datas a se arrhas non perdunt, & acceptas quidem restituere tenentur, non tamen in duplum, *l. 5. cit.* Ayblinger *in Instit. Imperial. lib.* 1. *tit.* 10. *part.* 1. *n.* 65. Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 20. & alii passim.

200. Petes, an cum dispendio arrharum a Sponsalibus resilire liceat? seu, an siquis datam arrham perdere velit, a contractu Sponsalitio, comparte invita, recedere possit?

Respondetur cum D. Ayblinger ubi supra *n.* 66. negative. Ratio patens est: quia non potest una pars, invita altera, a Sponsalibus resilire, si nulla arrha adjecta sit; ergo neque, & minus, si adjecta sit; cum arrha non adjiciatur ad infirmandum, sed potius ad confirmandum contractum.

201. Quæres secundo, quid Juris circa Sponsaliciam Largitatem?

Respondetur. Si sequatur Matrimonium, Sponsalitia Largitas manet accipienti irrevocabiliter, *l.* 12. *C. de Donat. ante Nupt.* Si Matrimonium non sequatur sine alicujus culpa, revertitur ad donantem, nisi Sponsus ante Nuptias dederit osculum (libidinosum) Sponsæ, vel exercuerit cum ea copulam; tunc enim Sponsus donans dimidiam partem amittit, eamque lucratur Sponsa *l.* 15. *C. eod.* Sin autem ex culpa donantis non sequitur Matrimonium, res donata persistit apud accipientem: si ex culpa accipientis, redit ad donantem, *l.* 15. *cit.* Pichler ubi supra *n.* 21. Ex quo patet, quod contraria sit natura Sponsalitiæ Largitatis, & Arrhæ; nam illa (ut primum diximus) solum fit accipientis, secuto Matrimonio; ista vero, cum (ex dictis *n.* 195.) habeat se instar pignoris, non fit accipientis (seclusa consuetudine) nisi Matrimonio non secuto. Revideri hic etiam possunt, quæ tradidimus *part.* 4. *a n.* 260.

ARTICULUS II.

An Sponsalibus possit etiam adjici Pœna?

SUMMARIUM.

202. *In Sponsalibus non licet, nec valet adjectio pœnæ solvendæ ab eo, qui justam resiliendi causam habet; bene vero adjectio pœnæ* 203. *solvendæ ab eo, qui injuste resilierit.* 204. *& seqq. Solvuntur argumenta opposita.*

202. PRænotandum, & supponendum tanquam certum, in Sponsalibus non licere, nec valere adjectionem pœnæ solvendæ ab eo, qui justam resiliendi causam habet. Ratio est: quia, quidquid restringit libertatem Matrimonii, est illicitum, & invalidum: sed in Sponsalibus adjectio pœnæ solvendæ ab eo, qui justam resiliendi causam habet, restringit libertatem Matrimonii, quatenus facit, ut quis eo etiam casu, quo justam resiliendi causam habet, Matrimonium contrahere quodammodo cogatur, sive compellatur; ergo est illicita, & invalida. Legatur *cap.* 29. *de Sponsal.* Proceditque communis hæc doctrina, tametsi pœna apposita levis sit: tum quia Jus indistincte reprobat in Sponsalibus appositionem pœnæ solvendæ ab eo, cui justa resiliendi causa suppetit: tum quia levis quoque pœna tali casu minuere Matrimonii libertatem nata est, esto forte in casu aliquo particulari actu non minuat; hoc enim per accidens est, & a Jure non attenditur. Ita cum communi P. Schmalzgrueber ubi supra *num.* 138. Quare controversia solum est inter DD. num reprobatio dictæ pœnæ locum quoque habeat in resiliente a Sponsalibus injuste, ac perfide? Pro cujus diremptione

203. Dico. Sponsalibus valide, & licite adjicitur etiam pœna solvenda in eventum, quo quis Sponsorum citra justam causam a contractu Sponsalitio recedere cogitat. Laymann *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. Haunoldus *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 4. *n.* 364. Basilius Pontius *lib.* 12. *cap.* 15. *n.* 8. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 188. & alii contra alios.

Probatur. Quia talis adjectio pœnæ ex una parte non adversatur libertati Matrimonii, quippe ab ineuntibus Sponsalia voluntarie, ac libere promissi: ex altera vero parte nullo Jure est prohibita, aut irritata, veluti patebit ex solutione objectionum; ergo &c.

Confirmatur primo. Potest in Sponsalibus adjici arrha valide, & licite, ita, ut, qui accepit, si sine justa causa resilierit, teneatur in duplum, triplum, vel quadruplum illius, quod accepit, *l. 5. C. de Sponsal.* ergo etiam pœna.

Confirmatur secundo alia paritate. Possunt contrahentes a Judice non tantum pœna pecuniaria, sed etiam excommunicationis, quæ tamen omnium gravissima est, ad exequenda Sponsalia adigi; ergo etiam ipsimet contrahentes per adjectionem pœnæ urgere executionem Sponsalium possunt.

204. Objicies primo. Non potest in Sponsalibus adjici pœna solvenda ab eo, qui justam resiliendi causam habet; ergo neque solvenda ab eo, qui, justa resiliendi causa destitutus, resilit. Ant. constat ex dictis *in prænot.* Cons. prob. Nam *l. 5. C. de Sponsal.* & *l.* 134. *ff. de V. O.* pœnam conventionalem, Sponsalibus appositam, reprobat indistincte; ergo &c.

Respondetur, neg. cons. Ad cujus probationem ajo, allegatas Leges (præterquam quod, utpote Civiles, in hac materia fori Ecclesiastici non adeo curentur) a Leone Imperatore *Novell.* 18. (videnda apud P. Reiffenstuel *n.* 192.) in qua pœnarum appositio aperte permittitur, reformatas, & abrogatas esse, idque explicite: imo implicite etiam a Jure Canonico. Quod ut pateat, sciendum est, de Jure Civili antiquitus cuivis, haud expectato alterius consensu fuisse licitum renunciare non tantum Sponsalibus per plenam eorum dissolutionem, sed etiam Matrimonio per divortium; modo renuncians pœnam Legibus statutam, videlicet amissionem arrhæ, dotis, & donationis propter Nuptias, subire voluerit, *l. 1. Cod. de Sponsal. l.* 14. *C. de Nupt. & l.* 2. *ff. de Divort.* Ut igitur Jus Civile prædictam libertatem renunciandi foveret, prohibuit Sponsalibus, & Matrimonio adjici pœnas Conventionales, & diversas ab illis, quæ Legibus constitutæ erant. Quoniam vero illiusmodi libertas renunciandi de Jure Canonico est restricta, possuntque Sponsalia mutuo tantum consensu contrahentium, vel ex justa causa dissolvi, & divortium Matrimonii non nisi in certis casibus permittitur; hinc cessavit ratio Juris Civilis (nempe conservatio præfatæ plenissimæ libertatis) consequenter etiam cessarunt, & sublatæ sunt Leges, vetantes adjectionem pœnæ, a male dissolventibus solvendæ. Ita P. Reiffenstuel *cit. a n.* 190.

Dices. Adjectio pœnæ conventionalis etiam a Jure Canonico reprobatur; ergo &c. Ant. ostenditur *ex cap.* 29. *de Sponsal.* ubi Pontifex inquit: *Cum libera Matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ impositionem sit merito improbanda, mandamus &c.* ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Ad cujus probationem ajo, in *cit. cap.* reprobari pœnam solvendam a juste resiliente, quam etiam nos reprobavimus supra in *prænot.* non vero pœnam solvendam ab injuste resiliente, cujus adjectionem & validam, & licitam asserit nostra conclusio: id quod patet tum ex ipso casu *capit. cit.* quippe formato de Sponsalibus ante septennium contractis, adeoque invalidis, vel saltem ante pubertatis consecutionem initis, adeoque liberæ rescissioni obnoxiis; tum ex ratione addita, quæ est, quod Matrimonia oporteat esse libera, cui libertati præjudicat appositio pœnæ solvendæ a juste resiliente, ex dictis in *prænot.* non item appositio pœnæ solvendæ ab injuste resiliente, utpote quæ libertati, ad Matrimonium contrahendum requisitæ, non præjudicat, secundum dicta in

probatione conclusionis, & mox iterum dicenda, ac declaranda. Unde

204. Objicies secundo. Pactio de restituendis arrhis, ultra quadruplum auctis, est irritata; uti patet ex *l. 5. C. de Sponsal. v. quæ omnia, & v. fin.* non alia ex ratione, quam quod ejusmodi auctio impediat libertatem Matrimonii: sed etiam pœna conventionalis, Sponsalibus adjecta, licet ab injuste tantum resiliente solvenda, impedit libertatem Matrimonii; cum ordinarie in majori quantitate, ac arrhæ, apponi soleat; ergo &c.

Respondetur, neg. in primis causalem majoris: sed ideo illa pactio irritata est: quia nimiam induceret inæqualitatem inter Sponsos; nam licet utriusque, citra justam causam resilienti, temeritas, æqualis esset, omnino tamen inæqualis esset jactura; siquidem is, qui arrham dedit, simplicem duntaxat arrham amitteret, cum tamen alter, qui accepit, ad quantitatis, ultra quadruplum auctæ, restitutionem adigeretur. Deinde neg. min. Nam si adjectio pœnæ, ab injuste resiliente persolvendæ, læderet libertatem Matrimonii, læderet (ut volunt Adversarii) libertatem moralem, id est, jus libere resiliendi a Sponsalibus sine justa causa: atqui hanc talem libertatem non lædit; quoniam ipsimet Sponsi ea sese privarunt, dum Matrimonium inire spoponderunt, secundum dicta in probatione conclusionis; quæ proinde, cum in Sponsis non amplius detur, utique lædi amplius non potest.

206. Objicies tertio. Stipulatio de pœna in testamento est nulla, & contra bonos mores; ut siquis cum testatore sic stipularet: *Si hæredem me non feceris, tantum dare spondes? l. 16. ff. de V. O.* ergo etiam &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia testator non jam aliunde est obligatus ad hunc instituendum pro hærede: at vero Sponsi, quando justam resiliendi causam non habent, jam aliunde sunt obligati tam positivo, quam naturali Jure ad contrahendum inter se Matrimonium: consequenter &c.

C A P U T V.

De Causis dissolvendi Sponsalia.

CAusæ dissolvendi Sponsalia in duas classes dividuntur: aliquæ enim Sponsalia dissolvunt ipso Jure; aliæ vero tribuunt solummodo facultatem Sponsalia rescindendi, quantumvis alteruter Sponsorum invitus sit, & reclamet. De causis primæ classis in primo; & de causis secundæ classis differemus in secundo articulo, ita tamen, ut propter connexionem materiæ complures causas etiam secundæ classis una cum causis primæ classis immisceamus, & pertractemus in primo articulo; veluti patebit. Esto igitur

A R T I C U L U S I.

De Causis dissolvendi Sponsalia ipso Jure.

QUoniam causæ sat multæ sunt, de quibus inquiritur, an Sponsalia ipso Jure dissolvant? præsentem articulum in plures omnino paragraphos partiri juverit. Sit ergo

§. I.

An Sponsalia, quænam, & quorumnam Sponsorum ipso Jure dissolvantur per mutuum consensum, vel potius dissensum?

S U M M A R I U M.

207. *Sponsalia puberum ipso Jure dissolvuntur per mutuum, & liberum consensum.* 208. *Etiamsi jurata sint;* vel 209. *eis accesserit copula carnalis.* 210. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 213. *An, & qualiter dissolvantur Sponsalia impuberum?* 214. *Quando una pars impuberum citius pubescit, quam altera, resilire potest, antequam hæc pubes evadat.*

207. DIco primo. Sponsalia puberum, saltem non jurata, ipso Jure dissolvuntur per mutuum, & liberum consensum, vi cujus Sponsi obligationem Sponsalitiam sibi invicem remittunt. Ita communis, & certa DD. sententia.

Probatur præterea hac ratione. Contractus, ex natura sua dissolubilis, dissolvitur per voluntatem contrahentium, juxta *R. 1. de R. J.* ibi: *Omnis Res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur:* atqui Sponsalia sunt contractus, ex natura sua dissolubilis; ergo &c.

Dixi autem: *per mutuum, & liberum consensum.* Nam si unus duntaxat Matrimonium repudiet, & alterius consensum in dissolutionem Sponsalium dolo, vi, aut metu injusto extorqueat, obligatio Sponsalitia non cessabit ipso Jure; parti tamen, dolum, vim, aut metum passæ, subministrabitur causa a Sponsalibus, si voluerit, resiliendi. Revide dicta *part. 4. numer. 665. & 668.*

208. Dico secundo. Sponsalia puberum ipso Jure per mutuum, & liberum Sponsorum consensum dissolvuntur, tametsi (1) juramento firmata sint; sive dein (2) juramentum principaliter in favorem compartis, sive (3) principaliter in honorem Dei adjectum fuerit. Priores duæ partes conclusionis a DD. communiter admittuntur. Tertiam propugnant Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 52. n. 8.* Schmier *tom. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 5. n. 5.* & alii ab ipsis relati.

Probatur prima pars. Juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjectum est, *arg. Reg. 42. in 6.* ergo sicut promissio Matrimonii non jurata, sic & jurata, ipso Jure per mutuum, ac liberum consensum dissolvitur.

Probatur secunda pars; nam in omni juramento, quod principaliter in favorem, sive in bonum, & utilitatem hominis præstatur, involvitur tacite hæc conditio: *nisi ab ipso remittatur:* prout in simili tradidimus *part. 2. n. 433.* ergo si remittatur, ejusdem obligatio cessat.

Probatur tertia pars. Quia licet juramentum Sponsalibus adjectum sit principaliter in honorem Dei, Hic tamen illud non aliter acceptat, quam quatenus una cedit in favorem, & utilitatem alterius Sponsi, atque ab isto ratihabetur; ergo si alter Sponsus suo favori renunciet, & obligationem, ex promissione jurata ortam, remittat, etiam Deus renunciare, ac remittere censendus est. Quare & tali casu Sponsalia jurata imbibitam habent istam conditionem: *nisi a comparte promissio, ejusdemque juramentum accessorium remittatur.*

209. Proceduntque hactenus dicta, tametsi Sponsalibus accesserit copula carnalis; prout a S. Congreg. declaratum esse testatur Pignatelli *tom. 9. conf. 133. n. 45.* Siquidem Sponsalia post Trid. non amplius transeunt in Matrimonium per exercitium copulæ carnalis, adeoque majorem vim, aut firmitatem, ac ante habuerint, ex accessu copulæ non acquirunt: veluti recte advertit P. Schmier *loc. cit. n. 7.*

210. Objicies contra omnes tres conclusionis partes primo textum in *capit. 2. de Sponsal.* ubi dicitur, quod illi, qui *Matrimonio contrahendo pure, & sine omni condicione fidem dederunt* (intellige juratam) *commonendi sint, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem servent: si autem se ad invicem admittere noluerint, hoc possit in patientia tolerari, ne forte deterius inde contingat;* ergo Sponsi de Jure, & libere per mutuum consensum Sponsalia jurata dissolvere non possunt.

Respondetur, neg. conf. Ad ant. ajo cum prælaudato P. Schmier *num. 4.* ex ipsis *cap.* verbis aperte colligi, consensum in dissolutionem Sponsalium eo casu non intervenisse utrinque, sed unam partem contrahentium noluisse stare contractui, quamvis altera contractus executionem petierit: hinc dissolutionem Sponsalium S. Pontifex tantum *in patientia tolerari posse* decrevit, ne scilicet, si pars renitens, & repugnans cum altera consentiente Matrimonium contrahere cogatur, aliquid *deterius contingat*. Aliud est in casu conclusionis, quo utraque pars jus suum alteri libere remittere, & cedere ponitur.

211. Objicies secundo. Omne juramentum servandum est, quod servari potest, & non cedit in præju-

dicium

dicium tertii; nec in dispendium animæ jurantis: sed juramentum, Sponsalibus adjectum, servari potest, & non cedit in præjudicium tertii, nec in dispendium animæ jurantis; ergo servandum est &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Omne juramentum servandum est &c. si non sit adjectum actui, vel contractui, per consensum contrarium dissolubili, omitto. Si sit adjectum tali actui, vel contractui, subdist. servandum est, quando non placet illum actum, vel contractum dissolvere, con. quando placet dissolvere, ut in hypothesi conclusionis, neg. maj. Nam juramentum, simili actui, vel contractui adjectum, sequitur naturam, & conditiones ipsius, *cap.* 28. *de Jurejur.* sicut igitur actus, vel contractus Sponsalitius (ut maneamus in puncto conclusionis) tacite involvit istam conditionem: *Te ducam, nisi placuerit mutuo consensu recedere*; ita & juramentum sub hac tacita conditione censetur emissum: *Nisi a comparte promissio, & resultans ex juramento accessorio obligatio remittatur*: consequenter &c. Quare, distinctione applicata minori, neg. cons.

212. Objicies tertio specialiter contra tertiam partem conclusionis. Juri, quod Deo acquisitum est, homo renunciare nequit: sed juramento, Sponsalibus principaliter in honorem Dei adjecto, fuit Deo acquisitum jus; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Homo renunciare nequit directe, con. indirecte, & consecutive, neg. maj. & concessa minore, eodem modo distinguendum est cons. Eo ipso, quod homo cedat jure suo, ut potest, etiam cessat jus Dei, quippe juri hominis annexum.

213. Dico tertio. Sponsalia impuberum non dissolvuntur ipso Jure per mutuum illorum consensum (1) ante, bene vero (2) post adventum pubertatis; imo tunc sufficit ad hunc effectum (3) alterutrius resilientia. Ita P. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 2. *n.* 14. & alii communiter ex *cap.* 7. & 8. *de Desponsf. impuber.* juncta Glossa *ibid.* Ratio conclusionis quoad omnem trinam partem est imperfectum ejusmodi impuberum judicium, ac discretio, perpetuæ inconstantiæ parens, quæ Legislatores permovit, ut contracta in impubertate Sponsalia ante tempus pubertatis dissolvere cum effectu non possent; possent vero postea, si ambo, sive unus tantum in illorum dissolutionem consentiret.

Debet autem pars, pubertatem adepta, si resilire velit, animum resiliendi, statim, id est, intra triduum, declarare; nam alias præsumitur a Jure ut pubes Sponsalia ratificare, sicque suo solius in illorum dissolutionem consensu nihil amplius efficiet, sed necessarius erit mutuus consensus amborum, sicut ad dissolvenda Sponsalia tempore pubertatis contracta. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 15. & alii. Excipiunt VVagnereck *ad cap.* 7. *de Desponsf. impuber. not.* 2. Schmalzgrueber *ad eund. tit. n.* 34. Pichler *ibid. n.* 6. casum, quo pubes effectus ignorat, se pubertatem attigisse, vel jus resiliendi sibi competere; eo quod ignoranti non currat tempus. Nec obstat *Reg. Jur.* 13. *in* 6. ibi: *Ignorantia facti, non Juris excusat*; ergo pubes effectus, si intra triduum non resilierit a Sponsalibus in impubertate contractis, resilire, comparte invita, amplius non poterit, esto jus resiliendi sibi competere ignorarit. Non, inquam, obstat allegata Regula; utpote quæ fallit in Minorennibus, *l. 9. ff. de Jur. & fact. Ignor.* & *l.* 1. *C. eod.* de quorum classe adhuc erat ille pubes effectus. Videri potest P. Reiffenstuel *in tr. posthum. de R. J. in* 6. *Reg.* 13. *n.* 20.

214. Quæres, an, si una pars impuberum contrahentium citius pubes fiat, quam altera, pars pubes facta a contractu Sponsalitio resilire valeat, antequam pars altera pubes fiat?

Respondetur affirmative, per *cit. capit.* 7. *de Desponsf. impuber.* Ratio insuper est: quia non est expectandus eventus, cujus nullus est effectus: nullum autem effectum produci ex pubertate subsecuta alterius junioris impuberis, liquet; nam isto, pubertatem assecuto, etiam nolente, prius pubes factus resilire potest: ad quid ergo, ut resilire possit, teneatur expectare, donec alter pubescat? Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 28. & alii communiter.

§. II.

An aliquando Sponsalia priora ipso Jure dissolvantur per posteriora, seu posterius cum alia, vel alio contracta?

S U M M A R I U M.

215. Sponsalia priora non dissolvuntur ipso Jure per posteriora; quamvis 216. istis sit adjectum juramentum; vel 217. accesserit copula carnalis, aut etiam impragnatio; idque probabilius verum est, tametsi Sponsa secunda fuerit priorum Sponsalium ignara, seque corrumpi, aut impragnari permiserit spe Matrimonii cum corrumpente, aut impragnante ineundi. 218. & seqq. Diluuntur argumenta contraria.

215. Dico primo. Sponsalia priora non dissolvuntur ipso Jure per posteriora, saltem quando istis nullum adjicitur juramentum. DD. communiter.

Probatur. Promissio rei illicitæ est irrita; prout relinquitur ex dictis *n.* 114. sed posteriora Sponsalia sunt promissio rei illicitæ: quia sunt promissio Matrimonii cum secunda Sponsa ineundi, quod est illicitum, quippe juri primæ Sponsæ præjudicans; ergo posteriora Sponsalia sunt irrita: consequenter nullam obtinent vim priora ipso Jure dissolvendi.

Confirmatur. Nemo potest rem quampiam valide promittere alteri, quando eandem uni jam valide obligavit: sed Sponsus suum corpus per Sponsalia priora jam valide obligavit primæ Sponsæ, ut supponitur; ergo illud non potest valide obligare alteri: consequenter &c.

Dixi autem in conclus. *Ipso Jure*; sive ex parte utriusque contrahentis non dissolvi Sponsalia priora &c. Nam illa pars, quæ contrahere Sponsalia posteriora attentat, censetur prioribus renunciare, sicque alteri parti innocenti præbere justam causam resiliendi, si resilire velit: quod si resilire nolit, pars nocens erit obligata ad ineundum cum ipsa Matrimonium.

216. Dico secundo. Sponsalia priora non dissolvuntur ipso Jure per posteriora, tametsi istis juramentum sit adjectum. Ita *in cap.* 22. *de Sponsal.* Innocentius *n.* 1. Joannes Andreas *n.* 4. Panormitanus *n.* 8. item Sanchez *lib.* 1. *disp.* 50. *n.* 2. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 4. *n.* 5. & alii satis communiter.

Probatur. Siquidem tale juramentum cum vergat in præjudicium tertii, est vinculum iniquitatis; ac propterea vi obligativa destituitur, *arg. cap.* 18. *de Jurejur.* & *can.* 22. *caus.* 22. *qu.* 4. cum Concordantiis; ergo licet posterioribus Sponsalibus adjectum sit, nullam tamen iis affert vim priora dissolvendi.

217. Dico tertio. Neque Sponsalia priora ipso Jure dissolvuntur per posteriora, quando his accessit copula carnalis, vel etiam imprægnatio; sive dein Sponsa secunda fuerit priorum Sponsalium (1) conscia, sive (2) ignara, seque corrumpi, aut imprægnari permiserit spe Matrimonii cum corrumpente, aut imprægnante ineundi; saltem si damnum corruptæ, aut imprægnatæ alia via, quam per Matrimonium, reparari valeat. Prima pars admittitur communiter. Alteram tenent Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 49. *n.* 1. Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 5. *n.* 314. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 6. & alii contra alios.

Probatur breviter prima pars. Nam si secunda Sponsa ponatur fuisse conscia Sponsalium cum prima contractorum, non fuit a Sponso corrumpente, aut imprægnante decepta, *arg. l.* 1. §. 6. *ff. de Ædilit. edict.* ergo in damnum, ex copula, vel imprægnatione sibi imminens, aut postea secutum, scienter, & voluntarie consensit; adeoque non apparet, quare ipsa, cum sit Sponsa secunda, possit, aut debeat præferri primæ, utpote quæ & temporis, & juris prærogativa gaudet: consequenter &c.

Probatur secunda pars primo, quando nimirum Sponsa secunda ponitur fuisse ignara priorum Sponsalium. Sponsa prima obtinet certum jus, & quidem prius, nullo scelere intercurrente, acquisitum; ergo æquitas non postulat, nec permittit, ut illud etiam tali casu cogatur cedere Sponsæ secundæ fornicariæ, quippe pœnam potius, quam præmium promeritæ: consequenter &c.

Proba-

Probatur eadem pars secundo. Si tunc propter fornicationem cum secunda Sponsa dissolverentur Sponsalia inita cum prima Sponsa, haud foret difficile Sponso se liberare a prima Sponsa, quam forte nauseare incipit; sicque aperiretur porta fraudibus, & injustitiis: atqui hæc male sonant, & omnino absurda sunt; ergo &c.

Probatur tertio. Tali casu Sponsus non tenetur secundam Sponsam ducere vi promissionis, utpote ad rem illicitam terminatæ, adeoque irritæ; neque ratione damni, saltem quando hoc alia via reparari valet; ergo primæ Sponsæ manet jus integrum, & inviolatum, quo spoliari citra injuriam nequit: consequenter &c.

Dixi in conclus. *saltem si damnum corrupta, aut impregnata alia via, quam per Matrimonium, reparari valeat*. Si enim reparari aliter nequeat, quam per Nuptias, autumant DD. plerique, primam Sponsam esse ex Charitate obligatam ad cedendum jure suo, & Sponsum teneri secundam ducere. Nihilominus etiam tunc insistendum esse dictis in statuta conclusione, merito censent Guttierez *de Matrim. cap.* 27. *num.* 7. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 8. Pichler *lib.* 4. *tit.* 4. *n.* 3. Et videtur fluere ex probationibus secundæ partis: siquidem non apparet, unde damnum, cujus periculo, & sequelæ secunda Sponsa per flagitium se exposuit, primam Sponsam obliget, etiam ex Charitate tantum, ad cedendum jure suo legitime acquisito; esto, quod cedere posset absque gravi damno proprio. Imputet proinde fornicaria sibi, suoque delicto, quod modo grave damnum subire cogatur; præsertim cum potuisset, & debuisset illud prævidere, recogitando, non esse fidendum ejusmodi procis, utpote qui sæpe solent sub spe Matrimonii puellas decipere. Accedit, quod amissio juris, ad concupitas Nuptias jam quæsiti, non sit, saltem ordinarie, damnum leve (uti perperam supponunt Adversarii) sed notabile, & grave: quæ ergo æquitas, dictat, & poscit, ut prima Sponsa, quæ innocens est, illud ferat in gratiam secundæ Sponsæ nocentis?

218. Objicies nunc contra conclus. primo. In *cap.* 15. *de Sponsal.* habetur, quod Sponsalia de futuro, quibus accessit copula carnalis, prævaleant Sponsalibus de præsenti postea contractis: atqui per Sponsalia de præsenti posteriora solvuntur Sponsalia de futuro priora; prout cum communi dicemus §. *seq.* ergo etiam Sponsalia de futuro priora solventur per Sponsalia de futuro posteriora, si his copula carnalis accessit.

Respondetur, textum allegati *cap.* loqui de Jure veteri ante Concilium Trid. ubi Sponsalia de futuro per accessum copulæ carnalis, affectu maritali exercitæ, transiere in Sponsalia de præsenti: id quod hodie secus est; quia altefatum Concilium *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. omne Matrimonium clandestinum irritavit.

Dices. Ante Trid. copula carnalis accedens Sponsalibus posterioribus solvebat Sponsalia priora, faciebatque cum secunda Sponsa Matrimonium, ut primum diximus; ergo post Trid. saltem retinet vim solvendi Sponsalia priora, esto amiserit vim faciendi Matrimonium.

Respondetur, explic. & dist. ant. Idque verum erat de copula, affectu maritali exercita, prout *in respons. ad object.* signanter additum, con. de copula, affectu fornicatio exercita, neg. ant. & conf. Cum enim post Trid. omnis copula, extra Matrimonium habita, præsumatur, & reapse sit fornicaria, prioribus Sponsalibus nullum afferre præjudicium potest.

219. Objicies secundo. Quando eadem res duobus promissa, & alterutri eorum simul tradita fuit, debetur illi, cui facta est traditio, tametsi eidem posterius tempore promissa fuerit; sicut etiam, si res jam uni vendita, non tamen tradita, postea vendatur alteri, & tradatur, manet huic posteriori debita, *L.* 15. *C. de R.V.* sed per fornicationem cum secunda Sponsa, fit huic traditio corporis, primæ vero tantum facta est promissio; ergo secunda Sponsa in ordine ad Matrimonium contrahendum præferenda est primæ.

Respondetur, dist. maj. Idque verum est, si traditio sit legitima, & de Jure valida, con. si illegitima, & invalida, neg. maj. Sed per fornicationem &c. fit traditio corporis legitima, & de Jure (Tridentini) valida, neg. illegitima, & invalida, con. min. & neg. conf. Per fornicationem, licet pallietur, seu prætendatur exerceri affectu maritali, non fit, nec fieri potest (post Tridentinum) traditio corporis legitima, & de Jure valida; siquidem Leges eidem non assistunt, nec tribuunt translationem amplioris juris, vel dominii; sicut tamen assistunt, & tribuunt traditioni rei venditæ, quæ fit emptori posteriori.

220. Objicies tertio. Quando duo invicem certant, unus de lucro captando, alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam illi: sed impræsentiarum duæ Sponsæ invicem certant, prima de lucro captando, secunda de damno vitando; cum propter imprægnationem, vel corruptionem forte divulgatam, jam non valeat, vel, non nisi ægre, acquirere virum; ergo secundæ potius favendum est, quam primæ: consequenter &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Si cetera sint paria, puta si uterque sit innocens, vel uterque habeat jus, con. si cetera sint disparia, ut si unus sit innocens, alter nocens, unus habeat jus, & alter non habeat, neg. maj. Dist. etiam min. Sed impræsentiarum duæ Sponsæ invicem certant &c. & cetera sunt paria, ita, ut utraque sit innocens, vel habeat jus, neg. & cetera sunt disparia, ita, ut una sit innocens, & habeat jus, altera vero nocens, & non habeat jus, transeat min. & neg. conf. Prima Sponsa impræsentiarum est innocens, & habet jus legitime acquisitum; secunda est nocens, & simile jus non habet, cum tale non acquisierit sive ex Sponsalibus, utpote invalidis, sive ex delicto, aut damno, quippe quod suæ malitiæ, & temeritati imputare debet.

Dixi: *transeat min.* Siquidem & prima Sponsa de damno vitando certat, cum amissio juris quæsiti utique inter damna computari possit, ac debeat, sicut alia juris violatio.

221. Objicies quarto. Vinculum fortius prævalet contra minus forte: sed Sponsalia secundæ Sponsæ sunt vinculum fortius, quippe confirmata per copulam carnalem, ac sint Sponsalia primæ Sponsæ; ergo &c.

Respondetur, omissa majore, neg. min. & suppositum, quod Sponsalia secundæ Sponsæ, tametsi iis accesserit copula carnalis, sint, & dici possint in rigore aliquod vinculum: cum enim invalide fuerint contracta (velut relinquitur ex dictis) nullam obligationem, aut vinculum produxere; neque fuerunt convalidata per copulam subsecutam, quippe mere fornicariam: Unde neg. etiam conf.

§. III.

An, & qualiter Sponsalia ipso Jure dissolvantur per Matrimonium, postea cum alio, vel alia contractum?

SUMMARIUM.

222. *Sponsalia, etiam jurata, ipso Jure dissolvuntur per Matrimonium, postea cum alio, vel alia contractum.* 223. *Solvitur objectio.* 224. *Dissolutio tamen illa non est omnimoda obligationis Sponsalitia extinctio, sed suspensio duntaxat.* 225. *& seqq. Proponuntur, & solvuntur argumenta opposita.*

222. Dico primo. Sponsalia, etiam jurata, ipso Jure dissolvuntur per Matrimonium, postea cum alio, vel alia contractum. Ita decisum extat in *cap.* 1. *de Sponsa duor.* & *cap.* 31. *de Sponsal.*

Probatur insuper hac ratione. Inter duo vincula incompossibilia tenet illud, quod fortius est, rupto, aut suspenso interim debiliore: sed Matrimonium, utpote ex sua natura indissolubile, & ponens jus in re, est vinculum fortius, ac Sponsalia, utpote ex natura sua dissolubilia, & tantum tribuentia jus ad rem; suntque invicem in casu conclusionis incompossibilia; ergo Matrimonium tenet, & Sponsalia rumpuntur, vel saltem suspenduntur, *arg. l.* 15. *Cod. de Rei vindic.* ubi ex eadem ratione in contractu emptionis-venditionis secundus emptor, cui res vendita, & simul tradita est, præfertur primo emptori, cui ea ipsa res antea erat vendita, sed non tradita.

223. Objicies. Matrimonium contra fidem priorum Sponsalium contractum, est promissio rei illicitæ; sicut Sponsalia posteriora, inita contra fidem priorum,

secun-

secundum dicta *n.* 215. ergo est irritum, nec dissolvit ipso Jure Sponsalia priora, contra quorum fidem pugnat; sicut irrita sunt (*n.cit.*) Sponsalia posteriora, nec dissolvunt ipso Jure priora, contra quorum fidem pugnant.

Respondetur, neg. ant. & assumptam parit. Nam Matrimonium, contra fidem priorum Sponsaliunt contractum, est quidem promissio illicita, non tamen rei illicitæ; cum versetur circa objectum licitum, imo & obligatorium (non obstantibus prioribus Sponsalibus) quale est individua vitæ societas inter conjuges, & triplex bonum Matrimonii, saltem negative, scilicet non impeditio illius per media positiva, & illicita. At vero Sponsalia posteriora, inita contra fidem priorum, non modo sunt promissio illicita, sed & rei illicitæ; cum versentur circa objectum illicitum, quale est Matrimonium, cum secunda Sponsa inenndum, secundum dicta *cit.n.* 215. Unde neg. etiam conf. &c.

224. Dico secundo. Sponsalia in casu conclusionis præcedentis non ita dissolvuntur per Matrimonium, ut omnino rumpantur, & extinguantur, sed solum ita, ut, Matrimonio durante, suspendantur. Basilius Pontius *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 13. *num.* 4. Perez *disp.* 9. *sect.* 7. *n.* 5. Mastrius *in* 4. *Sent. disp.* 7. *num.* 310. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *cap.* 1. *n.* 263. Konig *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 62. Schmalzgrueber *eod. lib. tit.* 4. *num.* 34. & alii contra alios.

Probatur primo. Qui edito voto castitatis Matrimonium contraxit, obligatur, soluto Matrimonio, ad impletionem voti: prout habet communis DD. sententia; ergo etiam, qui, contractis Sponsalibus cum una, postea Matrimonium init cum alia, obligatur, soluto Matrimonio, ad impletionem Sponsalium, si Sponsa adhuc velit; nam si hæc nolit, ob fractam sibi fidem resilire potest, Sponsumque repudiare.

Respondent Adversarii, neg. parit. Nam (inquiunt) obligationes, quarum in antecedente fit mentio, sunt diversæ rationis, cum una fiat homini, altera Deo: in casu autem nostro sunt obligationes ejusdem rationis, videlicet ambæ erga hominem.

Sed contra est 1. Ideo voto castitatis obstrictus tenetur implere votum, Matrimonio, quod postmodum contraxit, soluto; quia facto suo juri quæsito Dei præjudicare non potuit: sed neque Sponsus facto suo præjudicare potuit juri quæsito primæ Sponsæ; ergo &c. Ex quo patet, datam disparitatem se habere ad propositum mere materialiter; imo nullius omnino momenti esse, prout jam jam ostensum eo. Unde

Contra est 2. Siquis rem duobus vendidit, & emptori secundo tradidit, jus primi emptoris non omnino est extinctum, sed solummodo suspensum; uti colligitur ex *l.* 15. *C. de R. V.* ubi tantum dicitur, quod tali casu emptor secundus sit *potior* primo (quatenus nempe obtinet dominium, & jus in re sibi tradita) non vero quod primus amiserit suum jus (nempe ad rem sibi venditam) quod proinde solum est, ac manet suspensum, donec res, secundo emptori vendita, ac tradita, revertatur ad venditorem: & tamen sunt obligationes ejusdem rationis, videlicet ambæ erga hominem; ergo quod obligationes sint diversæ, vel ejusdem rationis, ad rem præsentem nihil facit: consequenter &c.

Probatur conclusio secundo. Matrimonium superveniens, cum alio, vel alia contractum, non perimit, seu extinguit obligationem antecedentium Sponsalium, cum alio, vel alia initorum, *ex natura rei;* cum hæc valeat consistere cum Matrimonio, saltem quatenus respicit tempus ejusdem, morte interveniente dissoluti: neque *ex Jure positivo:* uti patebit ex solutione objectionum; ergo &c.

Confirmatur. Justitia commutativa (spectato utroque Jure naturali, & positivo) debitorem, debito Justitiæ obstrictum, obligat ad satisfaciendum suæ obligationi, quantum, & quandiu potest, licet propter aliquod impedimentum hic, & nunc ab executione obligationis sit excusatus; uti patet in debitore pecuniæ, qui non liberatur a solvendo, quamvis ab executione solutionis, convento tempore faciendæ, sit impeditus ob dilapidatas pecunias, ob egestatem, vel distantiam loci &c. atqui Sponsus erga primam Sponsam (aut vicissim Sponsa erga Sponsum) contraxit debitum Justitiæ, & istud exsolvere potest, Matrimonio dissoluto; ergo exsolvere adhuc obligatur.

Probatur tertio. Iniquum est, ut Sponsus (aut vicissim Sponsa) per superinductum Matrimonium a Sponsalibus perfide resiliens, ex hac sua malitia reportet lucrum, cum damno primæ Sponsæ conjunctum, *arg. cap.* 7. *de Judiciis;* atqui reportaret lucrum ex sua malitia cum damno primæ Sponsæ conjunctum, si ab obligatione priorum Sponsalium penitus eximeretur; ergo &c.

225. Objicies primo. Obligatio, semel extincta, non amplius reviviscit, *l.* 98. §. 8. *ff. de Solut.* sed obligatio priorum Sponsalium fuit extincta per Matrimonium, cum alio, vel alia contractum; ergo, hoc dissoluto, non amplius reviviscit. Min. prob. ex textu *c.* 22. *de Sponsal.* ubi dicitur, fidem priorum Sponsalium *irritam* fieri; ergo illa Sponsalia irritantur, quod est extingui.

Respondetur, neg. min. Ad textum, in vim probationis adductum ajo, quod aliud sit fidem Sponsalium *irritam* fieri, & aliud Sponsalia *irritari*. Fides tunc fit irrita, quando vel omnino violatur, vel ponitur culpabiliter obex, ob quem hic, & nunc servari non potest: idque contingit in data hypothesi. Ast *irritari* (atque adeo extingui) dicuntur Sponsalia, quando eorum obligatio omnino tollitur, seu perimitur ex parte utriusque Sponsi: id quod in data hypothesi, & casu conclusionis fieri negamus.

Instabis. Summarium *cap.* 31. *de Sponsal.* sic habet: *Sponsalia de futuro, etiam jurata, solvuntur per Sponsalia secunda de præsenti,* id est, per Matrimonium, cum alio, vel alia contractum; ergo non tantum suspenduntur.

Respondetur, explic. & dist. ant. Solvuntur penitus, & ex parte utriusque Sponsi, neg. non penitus, sed solum ex parte primæ Sponsæ repudiatæ, cui inde accrescit jus a Sponsalibus resiliendi, si velit, con. ant. & neg. conf. Nam Sponsalia solvi priore modo, est illa perimi, & extingui; solvi vero posteriore modo, est illa suspendi tantum. Plane non est afferibilis ex Jure textus, ubi asseratur, obligationem priorum Sponsalium per Matrimonium, postea cum alio, vel alia contractum, penitus tolli, perimi, & extingui: siquidem textus quicunque adducibiles plus velle, aut dicere non convincuntur, quam Matrimonium, in præjudicium primæ Sponsæ contractum, valere, nec conjuges ab invicem separandos esse; quod verum est, & a nemine negari potest. Nihilominus

226. Objicies secundo. Si servus v. gr. per stipulationem promissus sit, & postea manumissus; promissio, cum jam adimpleri non possit, omnino extinguitur, nec reviviscit, etiamsi servus ille denuo redigatur in servitutem, *cit. l.* 98. §. 8. *ff. de Solut.* & *l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* ergo nec promissio Sponsalitia, cum post Matrimonium, cum alio, vel alia contractum, adimpleri jam non valeat, omnino extinguitur, nec reviviscit, soluto Matrimonio.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia servus manumissus statum suum totaliter mutavit, evasitque in consideratione civili plane alia persona; ut proinde mirum non sit, promissionem servi, secuta manumissione, omnino fuisse peremptam, atque extinctam. At vero Sponsa prior (aut vicissim Sponsus) per hoc, quod repudiata fuerit, & altera ipsi præhabita, statum, & personam suam in consideratione civili non exuit: & consequenter ex parte Sponsi non fuit perempta, & extincta obligatio promissionis Sponsalitiæ. Accedit, quod allegata dispositio Juris Civilis circa promissum mediante stipulatione servum, cum sit specialis, & videatur facere recessum a Jure naturali, absque sufficienti fundamento porrigenda non veniat ad alios casus, Jure non expressos.

227. Objicies tertio. Qui votum fecit ingrediendi Religionem strictiorem, si postea profiteatur in Religione laxiori, non tenetur digredi ad Religionem strictiorem, sed prius votum absolute solvitur, *cap.* 5. *de Regular. in* 6. ergo etiam, qui contraxit cum una Sponsalia de futuro, si postea contrahat cum alia Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium, non tenetur amplius redire ad primam, & cum ea contrahere Matrimonium, sed solventur priora Sponsalia absolute.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia in casu antecedentis unus, & idem creditor est, nempe Deus, cui proinde, dum quis profitetur in Religione etiam

ne etiam lazlori, Jam censetur satisfacere, hoc ipso, quod profitendo se totum realiter Eidem tradat; quæ traditio absolute, & simpliciter supergreditur promissionem, seu votum de primum ingredienda Religione, quantumvis strictiore. Ita pie præsumit Ecclesia, ceu interpres Divinæ voluntatis. E diverso in casu consequentis duplex est creditor, ea quibus si uni satisfiat, non censetur satisfactum & alteri; consequenter remanet adhuc obligatio eidem satisfaciendi: sicut siquis post votum ingrediendi Religionem contrahat Matrimonium, obligatio voti non extioguitur, sed remanet, teneturque, eo obstrictus, pro admissione ad Religionem supplicare; quia duo sunt creditores, nempe Deus, & homo, neque per satisfactionem creditori homini præstitam, censetur etiam satisfactum creditori Deo.

228. Objicies quarto. Maritus sciens, sibi adhuc superesse spem acquirendi primam Sponsam in conjugem, posset suæ uxori machinari mortem, vel uxor eandem memoratæ Sponsæ procurare; ergo potius dicendum, obligationem erga primam Sponsam penitus tolli, seu extingui per Matrimonium subsequens, quod contrahitur cum alia; ne alioquin foveatur periculum captandæ mortis alienæ.

Respondetur, neg. conf. Et ad subjunctam rationem probativam ajo, illud periculum, cum præcise per accidens nascatur, & ex malitia, quæ præsumi haud debet, non esse tanti momenti, ut sufficientem præbeat causam, penitus exuendi primam Sponsam jure sibi legitime quæsito.

§. IV.

An Sponsalia, prius contracta, solvantur ipso Jure per susceptionem SS. Ordinum, & per professionem, vel solum etiam ingressum Religionis?

SUMMARIUM.

229. *& seqq. Sponsalia dissolvuntur ipso Jure per susceptionem SS. Ordinum (quos tamen Sponsus, ignorante, vel dissentiente Sponsa, illicite suscipit) uti & per Professionem Religiosam.* 232. *Solvitur objectio.* 233. *Contra solos Religionis ingressus, nisi sequatur Professio, vinculum Sponsalium non solvit ipso Jure.* 234. *&* 235. *Proponuntur, & diluuntur argumenta contraria.*

229. Dico primo. Sponsalia dissolvuntur ipso Jure per susceptionem sacrorum, seu majorum Ordinum. Est communis, & certa.

Probatur. Siquidem impedimentum, quod efficit, ut inter personas impeditas absolute nequeat consistere Matrimonium (nisi forte in rarissimo casu, impetrata dispensatione Pontificia) etiam efficit, ut obligatio, ex præmissis Sponsalibus orta, totaliter expiret: atqui susceptio cujuscunque sacri, aut majoris Ordinis est tale impedimentum; prout constat ex Trid. *Sess.* 24. *cap.* 9. ergo &c.

Dixi: *per susceptionem sacrorum, seu majorum Ordinum*. Nam Ordines minores, quibus non est annexum votum, vel præceptum servandæ castitatis, nullam obtinent vim dissolvendi Sponsalia, saltem ipso Jure: veluti in confesso est apud omnes.

230. Quæres, an Sponsus licite possit suscipere sacros Ordines, ignorante, vel dissentiente Sponsa?

Respondetur negative. Ita Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 47. *n.* 3. Engel *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 8. Franciscus Schmier *tom.* 3. *lib.* 4. *tract.* 1. *capit.* 5. *a num.* 65. & alii contra alios. Ratio est: quia in Extravag. *Antiquæ*. Joannis XXII. *de Voto, & voti redempt.* ac in *tit. de Oblig. ad ratiocin. non Ordin.* generaliter prohibetur, ne quis in præjudicium alterius, cui aliqua obligatione adstrictus est, Ordinetur.

Dices. Promissioni Sponsalitiæ inest hæc tacita conditio: *nisi statum meliorem elegero*; ergo Sponsus licite eligit statum Ordinis sacri, etiamsi hoc Sponsa ignoret, vel etiam reclamet.

Respondetur, neg. ant. relate ad sacros Ordines, & statum, in quo quis per eorum susceptionem constituitur. Non enim conditio illa inest ex natura rei; alias etiam inesset relate ad statum Cælibatus, utpote qui & ipse statu Matrimoniali melior, seu perfectior est. Neque ex Jure positivo; cum nullibi extet aliqua Juris dispositio, vi cujus antedicta conditio Sponsalibus, ad susceptionem Ordinum relatis, inesse comprobetur. Solum ergo illa conditio involvitur in contractu Sponsalitio relate ad electionem status Religiosi per actualem hujus professionem, idque ex speciali Juris dispositione, in favorem hujus status tam eminentis, & status reliquos sua perfectione transcendentis, non extendenda ulterius, sive ad alios status, quoad perfectionem inæquales, seu inferiores. Sed de hoc mox iterum

231. Dico secundo. Sponsalia (1) non jurata, &, saltem regulariter, (2) etiam jurata, ipso Jure dissolvuntur per Professionem Religiosam. Prima pars est communis, & certa. Secundam tenent Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disput.* 3. *numer.* 43. Konig *lib.* 4. *titul.* 1. §. 10. *num.* 64. Schmier ubi supra *num.* 36. & alii contra alios.

Probatur prima pars: quia Professio Religiosa dissolvit ipsum Matrimonium ratum, *cap.* 2. *&* 7. *de Convers. conjug.* ergo a fortiori dissolvet Sponsalia, utpote quæ sunt vinculum minus forte, ac vinculum Matrimonii etiam rati tantum.

Probatur etiam secunda pars. Sponsalibus non juratis inest tacita conditio: *Te ducam, nisi placuerit statum Religiosum amplecti, arg. cap.* 2. *&* 7. *cit.* ergo eadem conditio Sponsalibus quoque juratis inesse comprobatur; cum juramentum sequatur naturam, & conditiones actus (impræsentiarum contractus Sponsalitii) cui adjicitur, *cap.* 28. *de Jurejur.* ergo sicut Sponsus (vel Sponsa) libere amplectitur statum Religiosum, quando habet Sponsalia non jurata, ita & quando habet jurata consequenter tam hæc, quam illa per Professionem status Religiosi dissolvuntur &c.

Dixi: *saltem regulariter*. Nam si gravis urgeret ratio, forte quod Sponsa alias gravem infamiam incursura esset, aut proles, antea ex Sponsa suscepta, foret legitimanda, teneretur Sponsus (ex charitate) prius contrahere Matrimonium, & postmodum ante ejus consummationem posset Religionem ingredi. Sanchez *loc. cit. n.* 4. & alii.

232. Objicies textum in *cap.* 16. *de Sponsal.* ubi Pontifex respondet, tutius esse ob religionem juramenti, ut Sponsus, promissione Sponsalitia jurata ligatus, prius contrahat Matrimonium, & postea, antequam hoc consummet, Religionem intret, si intrare elegerit; ergo illiusmodi Sponsus tenebitur, etiam per se loquendo, & regulariter, prius Matrimonium, & postea primum, antequam id consummet, poterit Religionem ingredi: consequenter &c.

Confirmatur. Juramentum est servandum, quoties servari, & impleri potest absque salutis dispendio; atqui in nostra hypothesi ita servari potest: cum Sponsus (vel Sponsa) post adimpletum contractione Matrimonii juramentum libere statum Religiosum assumere valeat; ergo &c.

Respondetur ad object. neg. conf. Nam in primis S. Pontifex in *citat. capit.* non determinat, nec jubet, ut Sponsus prius contrahat Matrimonium, sed tantum per modum consilii præscribit; prout indicant verba: *tutius est &c.* Deinde Pontifex loquitur de casu, quo Sponsus, jurata Sponsalia habens, nondum se resolverat ad ingressum Religionis, sed adhuc deliberabat, velitne ingredi, nec ne? quemadmodum denotatur per verba: *Et postea, si elegerit &c.* cum tamen tempus urgeret ad contrahendum: ubi proin Pontifex respondit, tutius esse, ut prius contrahat, ne, tempore prælapso, in perjurium incidat &c.

Ad confirmat. explic. & dist. maj. Si juramentum non habeat tacite involutam conditionem; ut habet involutam in præsenti: *Nisi statum Religiosum elegero*, con. si habeat involutam ejusmodi conditionem, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf. Distinctio ex dictis patet.

233. Dico tertio. Sponsalia per solum ingressum Religionis non dissolvuntur ipso Jure, nisi sequatur Professio. Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 12. *capit.* 10. *num.* 4. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 8. *dub.* 4. *num.* 47. Laymann *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. & alii communius contra alios.

Pro-

Probatur primo. Quia solus ingressus Religionis vim solvendi Sponsalia neque habet ex natura rei; cum non constituat statum incompatibilem cum Sponsalibus, ipsoque etiam Matrimonio, eo ipso, quod liberum relinquat exitum, & regressum ad seculum, atque adeo facultatem exequendi Sponsalia: neque ex Jure positivo; cum tale nuspiam extet, veluti patebit ex dicendis ad fundamenta Adversariorum; ergo &c.

Probatur secundo. Per oppositam sententiam aperiretur via fraudibus; si enim Sponsalia inita displicerent, posse Sponsus (vel Sponsa) aliquantula Religiosi Habitus assumptione, ac portatione sibi sternere viam ad alia Sponsalia magis placentia; cum tamen fraus, & dolus nemini patrocinari debeat, *cap. 16. de Rescript.* ergo &c.

Dixi in conclus. *ipso Jure*, seu ex parte utriusque Sponsi. Negari etiam non debet, parti in seculo remanenti (nisi forte in ingressum compartis consenserit) acquiri jus a Sponsalibus resiliendi: partim quia ipse ingressus in Religionem est quædam tacita renunciatio Sponsalium; partim quia ex parte Religionem ingressi, & regressi ad seculum censetur facta notabilis, & (secundum dicenda *art. seq.*) sufficiens ad rescindenda Sponsalia mutatio, quatenus communiter reputatur Sponsæ (aut vicissim Sponso) probrosum, nubere Sponso, aliquando Monachum induto, ac levitatis, & inconstantiæ macula contaminato. Neque contra hoc dicas. Contrahentes sciunt, vel scire debent, Sponsalibus inesse conditionem, *nisi Religionem intravero*; ergo si pars alterutra intret, præsumitur altera consentire, & velle expectare Professionem, vel reditum illius; consequenter ei non est integrum, compartem ad seculum reversam repudiare. Respondetur enim, dist. primum conf. In quantum ille consensus tendit in ingressum Religionis licitum, & expectatio cedit in favorem expectantis, con. secus, neg. hanc, & alteram conf. Scientia memoratæ conditionis solum infert consensum in ingressum Religionis, qui utrique Sponso licitus est; vel etiam voluntatem expectandi Professionem, aut reditum Novitii, vel Novitiæ, in quantum expectatio cedit in favorem expectantis, adeo, ut, si adhuc velit, possit egressum, vel egressam ducere: non autem aliter, sive quasi remanens in seculo censeatur remittere jus sibi competens ad personam egressi, vel egressæ accipiendam in conjugem, si placuerit.

234. Objicies contra conclus. primo. Sicut se habet Professio Religiosa ad Matrimonium ratum, ita se habet Novitiatus ad Sponsalia; ergo sicut Professio ob status assumpti perfectionem dissolvit ipso Jure Matrimonium ratum (*cap. 2. & 7. de Convers. conjug.*) ita Novitiatus ob ejusdem perfectionis participationem ipso Jure dissolvet saltem Sponsalia.

Respondetur, neg. ant. Siquidem Professio Religiosa inducit vinculum fortius, quam Matrimonium ratum, habetque assistentiam Juris in ordine ad istud dissolvendum. E diverso Novitiatus non inducit vinculum fortius, quam Sponsalia; imo nullum prorsus vinculum inducit, cum nullam pariat obligationem manendi, vel profitendi in Religione: neque habet assistentiam Juris in ordine ad effectum illa dissolvendi ex parte utriusque Sponsi. Unde neg. etiam conf. Sed

235. Objicies secundo. Sponsalibus inest tacita conditio: *Si non ingrediar Religionem*, *arg. cap. 2. & 7. citt.* ergo cum hæc conditio, altero Sponsorum Religionem ingresso, deficiat, obligatio Sponsalium erit dissoluta ipso Jure, & ex parte utriusque Sponsi.

Respondetur, explic. & dist. ant. Ita, ut ingressum Religionis faciat Sponsis licitum, con. ut etiam faciat dissolutivum Sponsalium ex parte amborum Sponsorum, neg. ant. & conf. Conditio illa tantum efficit, ut Sponsi Religionem licite ingrediantur; non vero, ut si alteruter ingressus sit, & regrediatur ad seculum, ab obligatione Sponsalium liber existat, si alter etiamnum suo juri Sponsalitio insistat.

Dices. Conditio Novitiorum est perfectior, quam Sponsorum; ergo dissolvit Sponsalia ipso Jure, & ex parte utriusque Sponsi; præsertim cum neuter aliter Matrimonium alteri promittat, quam sub conditione: *Nisi statum perfectiorem elegero*, vel: *Nisi Religionem intravero*.

Respondetur, neg. conf. Nam etiam perfectius est dare centum aureos pauperi, quam diviti, nec tamen promissione centum aureorum, pauperi facta, tollitur obligatio dandi diviti, si eos debeam eidem ex promissione, vel alio capite. Ad rationem consequentiæ probativam ajo, illam conditionem: *Nisi statum perfectiorem eligero*, vel: *Nisi Religionem intravero*: in contractu Sponsalitio tacite involutam, ut Sponsis non præcise faciat licitum ingressum Religionis (per proxime dicta) sed ut insuper dissolvat ex parte utriusque Sponsalia, intelligendam esse de ingressu Religionis per Professionem, per quam assumitur *status* perfectior, cui Jura ita favent specialiter; per ingressum quippe in Novitiatum necdum assumitur *status*, cum sit via duntaxat ad statum, & stabilitatem, ac firmitatem non habeat.

§. V.

An Sponsalia ipso Jure dissolvantur per Votum simplex Castitatis, Religionis, sacrorum Ordinum, aut Cælibatus?

S U M M A R I U M.

236. *Sponsalia, contracta ante votum simplex Castitatis, Religionis, SS. Ordinum, aut Cælibatus, per emissionem hujusmodi votorum non dissolvuntur ipso Jure.* 237. & 238. *Solvuntur duæ objectiones.* 239. *Ligatus voto ingrediendi Religionem, licet post Sponsalia emisso, potest, ac tenetur votum exequi ingrediendo Religionem; nec* 240. *potest, aut tenetur prius contrahere Matrimonium ratum absque animo consummandi, & tunc primum Religionem ingredi, tametsi Sponsalia fuerint juramento confirmata.* 241. *Sponsalia, per emissionem commemoratorum votorum inita, sunt irrita, neque votis illis suum adimunt valorem; quamvis* 242. *iisdem Sponsalibus forte accesserit defloratio Sponsæ.*

236. Dico. Sponsalia, ante emissionem ejusmodi votorum contracta, per nullum eorundem dissolvuntur ipso Jure. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 7. n. 12.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 46. num. 9.* Herincx *disp. 1. de Sponsal. num. 38.* Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. cap. 1. n. 258.* & alii quam plurimi contra alios.

Probatur conclusio primo relate ad votum Religionis ingrediendæ; & quidem eadem omnino ratione, qua supra *n. 233.* probatum est, Sponsalia non dissolvi ipso Jure per ingressum Religionis: siquidem illa exceptio: *Nisi elegero statum perfectiorem*: ex dispositione Juris in Sponsalibus imbibita, solum intelligitur in ordine ad ipsum statum Religionis, effective per Professionem eligendum, sive electum; prout relinquitur ex *num. 230.* ergo sicut non venit extendenda ad purum ingressum Religionis, ita nec ad votum ingrediendi.

Probatur conclusio secundo relate ad votum simplex Castitatis, sacrorum Ordinum, & Cælibatus. Deus non acceptat votum, seu promissionem rei, prius alteri promissæ, in præjudicium tertii, seu prioris promissarii; ut patet in exemplo, quo quis mille aureos, Petro promissos, aut aliter debitos, voveret transcribere alicui Ecclesiæ, vel Hospitali: sed votum simplex Castitatis, sacrorum Ordinum, & Cælibatus, post Sponsalia editum, vergeret in præjudicium tertii, seu prioris personæ promissariæ, quacum Sponsalia contracta sunt; ergo a Deo non acceptatur: & consequenter non valet, nec obtinet vim dissolvendi ipso Jure Sponsalia.

Hæc probatio, ut vides, procedit quidem de tribus hisce votis; non item de voto ingrediendæ Religionis; de quo proinde conclusio aliter, & specialiter probata fuit. Ratio discriminis est: quia sicut Sponsalia ex favorabili dispositione imbibitam habent hanc conditionem: *Nisi Religionem intravero*; ita, & consequenter involvunt tacite istam conditionem: *Nisi fecero votum de Religione intranda*. Unde si quis Sponsorum tale votum emittat, vel etiam exequatur, comparti nullam irrogat injuriam, aut præjudicium injuriosum; quoniam utitur jure suo. Aliud est de voto Castitatis (uti & de voto sacrorum Ordinum, ac Cælibatus) siquidem Sponsalia involutam non habent ex dispo-

dispositione Juris hanc conditionem: *Nisi Castitatem vovero* &c. Id quod totum ex dictis constat.

Dixi autem iterum in conclus. *Ipso Jure*. Nam quando unus Sponsorum edidit (invalide respective, aut valide) votum Castitatis, Religionis ingrediendæ &c. censetur ex sua parte Sponsalibus renunciasse; adeoque alteri præbuisse facultatem a Sponsalibus resiliendi: prout habet communis DD. sensus.

237. Objicies primo contra secundam probationem conclusionix, ipsamque respective conclusionem. In *cap. 5. Ne Clerici, vel vaventes*, debuit mulieri pœnitentia injungi, quod per Nuptias violare voluerit emissum post Sponsalia votum continentiæ, & insuper licentia nubendi concessa ipsi est tantum dispensative; ergo votum valuit &c.

Respondetur, in *cit. cap.* mulieri dictatam fuisse pœnitentiam, quia *fidem mentita*, Sponsum mediante voti emissione repudiaverat, ipsa vero alteri postea nubere volebat, quod propter vinculum voti sine dispensatione licite facere non poterat; cum edendo continentiæ votum sese hoc ipso obstrinxerit ad non nubendum alteri: ad quod proinde indiguit beneficio dispensationis, alias actura contra Religionem voti, ceu impedimenti impedientis, & illicitum reddentis Matrimonium cum altero contrahendum.

Dices. Ergo illud votum fuit simul invalidum, & validum: invalidum, quatenus cesserat in præjudicium prioris Sponsi, cui Sponsa fidem servare, & nubere debuisset: validum vero, quatenus vergebat in præjudicium ipsiusmet voventis, quam impediebat (sine interventu dispensationis) a Nuptiis cum alio contrahendis.

Respondetur, con. illatum. Nihil enim novum, aut mirum est, quod idem votum sit invalidum, & validum, quando diversa respicit objecta. Patet id in exemplo, quo ponitur conjux ligata voto continentiæ, sive ante, sive post contractum Matrimonium emisso: tale nanque votum valet in præjudicium voventis, quatenus eandem arcet a petendo debito; & non valet in præjudicium alterius conjugis, quippe debitum a voto ligata licite petentis. Videbis *cap. 12. de Convers. conjug.*

Instabis. In *cit. cap. 5. Ne Clerici, vel voventes*, jubetur mulieri pœnitentia injungi *de fide mentita, & voto violato*; ergo illud votum supponitur fuisse validum, etiam relate ad Sponsalia prævie contracta; cum votum, nisi validum existat, violari nequeat.

Respondetur, neg. cons. Siquidem Sponsa violaverat votum, quatenus cedebat in proprium ipsius præjudicium, & eam obligabat non solum ad abstinendum a nubendo alteri, sed etiam a cogitationibus, desideriis, & actibus venereis. Violaverat, inquam, votum hoc suum, vel *destinatione animi* (ut loquitur Glossa in *cit. cap.*) quatenus conscia voti, destinabat alteri nubere; vel ipso etiam opere fornicationis, sive cum illo, cujus conjugium ambiebat, sive cum alio perpetratæ. Hinc ad avertendum ulterioris fornicationis periculum (ut indigitat textus *cit. cap.*) licentia nubendi, (alteri nempe, quam priori Sponso, quippe qui interea jam cum alia Nuptias celebraverat) dispensative illi concessa fuit.

238. Objicies secundo contra limitationem conclusionis. Sponsalia (proprie dicta, & in quantum sunt promissio onerosa Matrimonii) claudicare non possunt; prout relinquitur ex dictis *n.* 113. ergo nequeunt obligare unam partem contrahentium, nisi etiam obligent alteram: consequenter non possunt dissolvi ex parte unius, quin etiam dissolvantur ex parte alterius, & vicissim.

Respondetur, explic. & dist. ant. Sponsalia non possunt claudicare, in fieri, con. in facto esse, & conservari, neg. ant. & utranque cons. Quando Sponsalia contrahuntur, & fiunt, nequeunt unam contrahentium partem obligare, quin obligent & alteram: at postquam semel contracta, & facta sunt, ob eventum alicujus circumstantiæ cessare queunt respectu unius, esto adhuc conserventur, seu non cessent respectu alterius, vel vicissim. Hæc objectio per decursum jam sæpius proponi potuisset, vel etiam posthac posset. Unde ejusdem solutio tenaciter advertenda, & pro re nata applicanda erit, ne sæpius loqui debeamus in idipsum.

Nunc aliquot Dubia, huc pertinentia, aut reducibilia, subjicere, ac resolvere oportet. Igitur

239. Quæres primo, an ligatus voto ingrediendi Religionem, post Sponsalia emisso, possit, ac teneatur votum exequi ingrediendo Religionem, sicque dissolvendo Sponsalia, saltem ex parte remanentis in seculo?

Respondetur affirmative. Ita P. Pichler *lib. 4. tit. 6. num.* 16. & alii passim. Ratio (jam superius insinuata) est: quia in *cap. 2. & 7. de Convers. conjug.* perhibetur Sponsalibus, & Matrimonio rato inesse hanc conditionem: *Nisi statum Religiosum elegero*; ergo votum ingrediendi Religionem, etiam post Sponsalia emissum, & validum, & licitum est; ergo a vovente executioni mandari potest, & debet, ingrediendo Religionem, & dissolvendo, saltem ex parte remanentis in seculo, Sponsalia; nam ex parte hujus dissolvuntur ipso ingressu, ex parte alterius vero, seu ingressi, non ita, sed primum per actualem Religionis Professionem.

Dices. Votum ingrediendi Religionem præjudicat alteri Sponso, seu comparti; ergo est illicitum, & invalidum.

Respondetur, neg. ant. Hoc nanque ipso, quod ex dispositione Juris involvatur in Sponsalibus dicta conditio: *Nisi statum Religiosum elegero*: neuter Sponsorum obtinet jus, ex contractu Sponsalitio *absolute* quæsitum, quod ab altero, Religionem vovente, vel etiam ingrediente, violari queat: consequenter &c. Sed

240. Petes, an non Sponsus, simili voto ligatus, possit, vel etiam teneatur prius contrahere Matrimonium ratum absque animo consummandi, & tunc primum Religionem ingredi, præsertim si Sponsalia fuerint juramento confirmata?

Respondetur, quod Sponsus (per se loquendo) nec (1) teneatur, nec (2) licite possit id facere. Ita Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 43.* *num.* 7. Mastrius in 4. *Sentent. disp. 7. quæst.* 10. *num.* 303. Sporer ubi supra *n.* 246. & alii communius. Ratio primi membri est: Siquidem Sponsalia, nullo confirmata juramento, Sponsum haud obligant ad contrahendum in casu prævie Matrimonium, sed permittunt immediate ingressum Religionis; ergo idem dicendum de Sponsalibus confirmatis juramento, utpote quod (per *cap. 25. de Jurejur.*) sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjectum est. Ratio secundi membri est: tum quia vovens, si contrahat Matrimonium, objectat se periculo valde propinquo, vel etiam proximo illud consummandi, atque adeo violandi votum: tum quia videtur de se inconveniens, ut quis alteri det jus in suum corpus, atque ita se obstringat ad id (puta ad actum conjugalem) quod tamen implere non intendit: tum denique quia ejusmodi Sponsus (aut vicissim) decipit Sponsam, & grave ei incommodum affert, cum sic innupta manere cogatur, donec ille vel Professionem emittat, vel ad seculum regrediatur.

Dixi autem In respons. *per se loquendo*. Nam per accidens, ut si Matrimonium foret necessarium ad vitandum scandalum, vel præjudicium Sponsæ, ad legitimandam prolem &c. esset licitum, vel etiam ex Charitate obligatorium, prius celebrare Nuptias, & his celebratis, ante commixtionem ad Religionem transire. Videatur Sporer *cit.* Sed

Dices contra respons. Debitori non licet ingredi Religionem, antequam debitum, si huic solvendo sit, expungat; prout tradidimus *part. 4. n.* 517. *& seq.* ergo nec Sponso licebit ingredi Religionem, antequam debitum, per Sponsalia contractum, cui solvendo est, expungat; adeoque Matrimonium ineat; ergo non solum licite potest, sed etiam tenetur prius Matrimonium inire, & postea, ante ejus consummationem, ad Religionem transire.

Respondetur, hoc argumento probari, Sponsalia etiam simplicia, seu nullo juramento confirmata, posse, & debere executioni mandari per contractionem Matrimonii, antequam intretur Religio, etsi voto promissa: id quod nec ipsis Adversariis arridet. Deinde in forma neg. cons. vel claritatis gratia dist. Si debitum, per Sponsalia contractum, supponeret pro obligatione absoluta, con. secus, neg. cons. Obligatio, quam Sponsus gerit ad ineundum cum sua Sponsa Matrimonium non est absoluta, sed conditionata, quate-

nus

nus in contrahendis Sponsalibus, etiam juratis, tacite involuta erat ista conditio: *Nisi Religionem elegero:* ut sæpe dictum: consequenter &c.

241. Quæres secundo, quid sentiendum de Sponsalibus, post emissionem votorum *in* §. commemoratorum, contractis?

Respondetur, ejusmodi Sponsalia (1) esse irrita, neque (2) votis illis suum valorem adimere. DD. communiter. Ratio primi est: quia obligarent ad rem illicitam, videlicet ad violationem fidei Deo datæ; vel saltem (quod addo specialiter propter votum Religionis) obstringerent ad amplectendum statum, in quo propinquum foret periculum talis violationis; ergo &c. Ratio secundi est: siquidem Sponsalia, ante emissionem illorum votorum inita suo valore, & vi obligativa non exuuntur, aut cassantur per vota subsequentia; ergo nec vota, ante contractionem Sponsalium edita, destituuntur suo valore, & virtute obligandi propter Sponsalia subsequentia; cum & hic subintret *Regula Juris* 54. *in* 6. ibi: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Sed

242. Petes, an hoc secundum membrum etiam teneat in casu, quo Sponsalibus accessit defloratio Sponsæ?

Respondetur affirmative, etiamsi Sponsa fuerit ignara voti, & insuper ex defloratione damnum grave, aliter, quam per Matrimonium, non reparabile, passa. Ita mihi probabilior sententia, quam cum aliis a se relatis propugnat P. Pichler *lib.* 4. *tit.* 6. *n.* 18. contra alios. Ratio est 1. Sponsalia, post emissionem voti inita, non adimunt voto (vel votis) suum valorem, & vim obligativam, *per se, & ratione sui*; cum sint nulliter inita, secundum ipsos quoque Adversarios: neque *ratione deflorationis*; cum non appareat, unde hæc, seu defloratio, Sponsalia, de se irrita, firmare valeat, & tribuere vim perimendi votum, antea emissum: neque *ratione damni illati*, & aliter, quam per Matrimonium, non reparabilis; utpote cujus periculo, & sequelæ Sponsa sese per flagitium exposuit, & sibi, suæque malitiæ imputare debet; ut proin credibile non sit, Deum in favorem fornicariæ Sponsæ (vel etiam Sponsi) cedere jure suo, per antecedens votum quæsito. Confirmatur. Deus obtinet certum jus, & quidem prius, nuncupatione voti acquisitum; quo non est credendus cedere in gratiam Sponsorum fornicariorum, quippe pœnam potius, quam præmium, aut favorem promeritorum; ergo &c. Ratio est 2. Æquitas non postulat, nec permittit, ut quis rem, uni legitime donatam, eidem rursus auferat ad compensanda damna, alteri postmodum injuste illata; ergo nec æquitas postulat, aut permittit, ut Sponsus corpus suum, Deo per votum (vel vota) legitime consecratum, Eidem illud rursus auferat, sive subtrahat, tradatque meretrici ad illatum huic damnum compensandum.

Dices primo. Quando res notabiliter mutantur, votum obligare desinit, ex dictis *part.* 2. *n.* 433. atqui in casu, quo accedit Sponsalibus defloratio Sponsæ, conjuncta cum gravi damno, non aliter, ac per Matrimonium reparabili, res notabiliter mutantur; ergo votum obligare desinit, consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Quando res notabiliter mutantur sine culpa voventis, vel etiam illius, cui evadit votum damnosum, transf. ex culpa voventis, vel etiam illius, cui votum evadit damnosum, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf. Non debet esse in potestate, & arbitrio voventis, per proprium scelus ab obligatione voti sese eximere, neque credendus est Deus cedere jure suo, quando res, ut ut notabiliter, mutantur, etiam interveniente culpa posterioris promissarii, vel promissariæ, damnum patientis.

Dices secundo. Deus non acceptat promissionem sibi factam, quæ vergit in præjudicium tertii, & sine hujus damno, præsertim gravi, nequit adimpleri; ergo neque continuat acceptationem promissionis sibi factæ, dum hujus impletio, ut in proposito impletio promissionis voto involutæ, incipit tertio esse damnosa &c.

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia in casu antecedentis Deus nondum acquisivit jus, acquisivit tamen in casu consequentis: ut proinde in isto, non item in illo casu, locum habet Regula Juris superius allegata: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Et sine fundamento præsumitur Deus cedere jure suo semel acquisito per votum, ut damnum tertio resarciatur, præsertim quando illatum est ex culpa voventis, vel ipsius etiam personæ tertiæ damnificatæ.

§. VI.

An Sponsalia ipso Jure dissolvantur per lapsum temporis?

S U M M A R I U M.

243. *Quando tempus a contrahentibus adjectum est obligationis finiendæ causa, illo elapso Sponsalia dissolvuntur ipso Jure, & ex parte utriusque Sponsi.* 244. *Solvitur objectio.* 245. *Si vero Matrimonium tempore sic præfixo non sit secutum ex culpa (vel etiam ex mora inculpabili) unius Sponsi, alter habet justam causam resiliendi, esto Sponsalia non dissolvantur ex parte utriusque.* 246. *Solvitur objectio.* 247. *& seq. Subjunguntur duo corollaria pro ampliore dilucidatione antea dictorum.*

243. Dico primo. Quando tempus a contrahentibus adjectum est obligationis finiendæ causa (e. g. quando Sponsalia ita fuerunt inita, ut, si Matrimonium intra annum, vel aliud tempus non fuerit contractum, obligatio sit extincta) illo elapso Sponsalia dissolvuntur ipso Jure, & ex parte utriusque Sponsi; sive dein Matrimonium non fuerit secutum casu, sive ex culpa utriusque. Laymann *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. Augustinus Michel *de Sponsal. fol.* 666. *num.* 10. *& seq.* Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 54. D. Peregrini *libr.* 1. *tit.* 10. *part.* 1. §. 2. *numer.* 19. & alii apud ipsos.

Probatur ex *Regul.* 85. *Jur. in* 6. ibi: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*; ergo si conventum sit inter Sponsos, ut contractus Sponsalitius impleatur inter certum tempus, aut diem, alioquin non amplius valiturus, eo tempore, aut die elapso (sive sine, sive ex culpa utriusque Sponsi) obligatio contractus Sponsalitii ipso Jure, & ex parte utriusque cessabit.

Confirmatur. Uterque Sponsus (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) *conventionem*, hoc est, conditionem adjectam implere omittit in hypothesi conclusionis; ergo uterque a contractu recedere censetur: consequenter &c.

Dixi autem in conclus. *obligationis finiendæ causa*. Nam si contrahentes Sponsalia tempus solum adjecerint obligationis implendæ, vel non diutius differendæ causa, eo elapso non finitur obligatio ipso Jure; prout habet communis ex *capit.* 6. *de dolo*, sicut qui non solvit census annuos hoc anno, non liberatur ab obligatione illos solvendi postea. Ratio quoque est: quia in hoc casu duplex intervenit obligatio, nempe una celebrandi Nuptias, & altera celebrandi tali tempore: unde licet eo tempore elapso cesset hæc posterior obligatio, quæ est veluti accessoria; non tamen cessat illa prior, quæ est principalis.

244. Objicies contra conclus. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum;* veluti sonat *Reg. Jur.* 41. *in* 6. ergo quando neuter contrahentium fuit in culpa, sed casu accidit, ut non sequeretur Matrimonium tempore, ad finiendam obligationem in contractione Sponsalium adjecto, neutri quidquam imputari debet: & consequenter ex parte neutrius dissolventur Sponsalia, tempusque adjectum habebitur pro non adjecto.

Respondetur, dist. primum conf. Neutri quidquam imputari debet in culpam, vel pœnam culpæ suppositivam, con. in damnum v. gr. & quidem ex libera conventione oriundum, quale fors in proposito affert dissolutio Sponsalium, neg. hanc, & alteram conf. Allegata Regula in priori, non autem in posteriori sensu accipienda venit.

245. Dico secundo. Quando in casu conclusionis præcedentis Matrimonium tempore præfixo non est secutum ex culpa (vel etiam ex mora inculpabili) unius Sponsi, alter habet justam causam resiliendo, esto Sponsalia non dissolvantur ex parte utriusque. Autbores citt.

Pro-

Probatur ex *capit. 22. de Sponsal.* ubi ab obligatione Sponsalium simpliciter liber declaratur is, per quem non stetit, ea perfici, seu executioni mandari; nec quæritur, an mora alterius fuerit culpabilis, vel inculpabilis; ergo &c.

Confirmatur. Nam ex una parte non decet, ut alter Sponsus ex culpa sua commodum ferat, adeoque liberetur ab obligatione Sponsalium; ex altera vero parte cuilibet mora sua (etiam inculpabilis) est nociva. *Reg. Jur.* 25. *in* 6. ergo &c. Videri super hanc Regulam potest Reiffenstuel *in tr. posthum. de Regulis Juris in 6.*

246. Objicies. Contractus ex conventione legem accipiunt; ergo Sponsalia, quibus ad finiendam obligationem præfixum est certum tempus, dissolvuntur ex parte utriusque Sponsi, licet culpa unius tantum non sit secutum Matrimonium.

Respondetur, explic. & dist. ant. Contractus legem accipiunt ex conventione vel expressa, vel tacita, con. ex conventione expressa tantum, neg. ant. & cons. Contractus Sponsalitius impræsentiarum accipit legem ex conventione tacita, quæ tum ex natura rei, tum ex dispositione Juris illi inest: siquidem & æquitas naturalis, & Leges positivæ volunt, ut contrahens ex sua mora, etiam inculpabili, non reportet commodum immunitatis ab obligatione, si alter adhuc velit sibi servari fidem Sponsalium; adeoque ut Sponsalia ex parte illius non dissolvantur, bene vero ex parte illius, moram nullam ponentis.

247. Colliges primo. Quando tempus Sponsalibus fuit adjectum non obligationis finiendæ, sed adimplendæ, seu non diutius differendæ causa, & Nuptiæ ultra illud nimium protelantur, tunc pars, quæ a comparte per nimiam protelationem gravatur, evadit libera, atque immunis ab obligatione Sponsalium, sive hæc jurata sint, sive non; item sive illa protelatio existat culposa, sive non. Salmanticenses *tract. 9. cap. 1. punct. 4. n. 54.* Illsung *tr. 6. disp. 9. qu. 1. art. 3. num. 27.* Babenstuber *tr. 8. part. 7. disp. 1. art. 4. n. 16.* Ratio est: quia neuter contrahentium censetur se voluisse obligare ad futuras Nuptias cum onere eisdem diu carendi; ergo neuter tenetur illud subire, diutius præstolando executionem Sponsalium, sed poterit ab his, etsi juratis (quoniam juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur; ut sæpe dictum) resilire, quando alter est in mora (sive culpabili, sive inculpabili) atque in causa, cur Nuptiæ promissæ tandiu protelentur.

248. Colliges secundo, quando a contrahentibus nullum tempus pro executione Sponsalium fuit adjectum, tunc ea non dissolvi per lapsum temporis, nisi Nuptiæ nimis diu differantur. Salmanticenses *loc. cit. num.* 52. Illsung ubi supra. Babenstuber *num.* 17. & qui hos præcesserunt, Bonacina, Palao &c. Ratio est: siquidem eo ipso, quod Sponsalia sint inita absolute, seu nullo præfixo tempore, quo executioni mandari debeant, obligationem peperere, nullo non tempore duraturam. Dixi tamen: *nisi Nuptiæ nimis diu differantur*. Hoc quippe si fiat, Sponsalia dissolvuntur, non quidem ex parte illius, qui ejusmodi dilationis causa existit, sed ex parte alterius, qui non existit causa dilationis; nam prior censetur suum jus ad Nuptias remittere; non item posterior. Ceterum, quænam dilatio sit nimia (tam in casu hujus, quam præcedentis corollarii) judicari spectat non ad partem gravatam (ne in causa propria cæcutiat) sed ad Judicem Ordinarium; veluti advertit P. Illsung *cit.*

ARTICULUS II.

De Causis, ob quas a Sponsalibus resilire licet.

NUnc agendum de causis, ob quas a Sponsalibus resilire licet, adhuc residuit, seu in præcedenti articulo nondum pertractatis. Commode id præstituri sumus, hunc articulum dispescendo in tres paragraphos. Sit igitur

§. I.

An, & quando a Sponsalibus alterutri Sponsorum resilire liceat ob alterius absentiam?

SUMMARIUM.

249. Si Sponsus (idem esto resolutum vicissim de Sponsa) inscia, vel invita Sponsa, in regionem longinquam se transferat, animo mutandi domicilium; vel, si absque tali animo quidem discesserit, certo tamen credatur diu non reversurus, Sponsa statim a Sponsalibus, etiam juratis, resilire potest, sive causa discessus fuerit necessaria, sive voluntaria. 250. *Proponitur, & diluitur objectio.* 251. *Sponsa (nempe de futuro) non tenetur sequi Sponsum vagantem &c.*

249. DIco. Si Sponsus (idem esto resolutum vicissim de Sponsa) inscia, vel invita Sponsa, in regionem longinquam se transferat animo mutandi domicilium; vel, si absque tali animo quidem discesserit, certo tamen credatur diu non reversurus, Sponsa statim a Sponsalibus, etiam juratis, resilire potest, sive causa discessus fuerit necessaria, sive voluntaria. DD. communiter.

Probatur primo ex *cap. 5. de Sponsal.* ubi Pontifex ita loquitur: *Qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, liberum erit mulieribus ad alia se vota transferre*; ergo &c.

Probatur secundo ratione. Nam Sponsus tam longe discedens, diuque absens censetur juri suo renunciare; nec Sponsa prudenter creditur ad diuturnam expectationem Sponsi absentis se obligasse, quippe sic incursura periculum incontinentiæ, vel occasionem alteri commodius nubendi amissura: consequenter &c.

Dixi autem in conclus. 1. *inscia, vel invita Sponsa*. Nam si hæc de discessu Sponsi habuerit notitiam, & consenserit, ejus reditum expectare tenetur: quia tunc incommodum subit ex propria voluntate, nullamque patitur injuriam. P. Bosco *de Matrim. disp. 11. sect. 2. concl. 9. num.* 131. P. Schmier ubi supra *num.* 95. & alii passim.

Dixi 2. *animo mutandi domicilium*, seu non redeundi: textus enim *cit. cap.* adhibet verba: *terram dimittunt*: id quod facere non censentur, qui studiorum, vel alterius negotii causa, alio se conferunt, *arg. l. 2. C. de incolis*, P. Pichler *lib. 4. tit. 1. n.* 58.

Dixi 3. *vel si absque tali animo &c. certo tamen credatur diu non reversurus*: si enim abiisset in locum vicinum, vel spes affulgeret, brevi reversurum, expectandus esset, vel per epistolam, aut nuncium monendus, ut intra certum tempus ad celebrandas ex promissione Nuptias revertatur. Quod si ille ob justam causam reditum differat, adeundus est Judex Ecclesiasticus, qui attentis circumstantiis, puta qualitate Sponsæ, periculo incontinentiæ &c. arbitretur, an sufficiens causa rescindendi Sponsalia subsit, nec ne? Palao *disp. 1. punct.* 23. *num.* 3. Salmanticenses ubi supra *num.* 62. VVex *in Ariadne part. 5. tract. 2. controv. 7. numer.* 11. Si vero Sponsus, de reditu, & obligatione sua monitus, tergiversetur, aut reverti detrectet absque legitima causa, integrum erit Sponsæ resilire, ac alteri nubere: quia frangenti fidem fides servanda non est. Babenstuber ubi supra *num.* 21. Pichler *loc. & num. cit.* aliique passim.

Dixi tandem 4. *Sive causa discessus fuerit necessaria, sive voluntaria*: siquidem nec *cit. capit.* 5. alicujus distinctionis meminit, nec posterior ratio, in vim probationis superius adducta, eandem admittit. D. Peregrini ubi supra *fol.* 123. aliique passim.

250. Objicies. In *l. 2. cap. de Sponsal.* & *l. 2. capit. de Repud.* jubetur Sponsa expectare Sponsi absentis reditum per biennium, si is degat intra provinciam, per triennium vero, si extra; imo in *l. 17. de Sponsal.* deciditur, si Sponsus absit ex causa necessaria, expectandum esse, donec causa cesset; ergo Sponsa non potest, saltem statim, resilire a Sponsalibus, postquam Sponsus, ipsa etiam inscia, vel invita, in regionem longinquam discessit, quamvis certo credatur diu non reversurus.

Respon-

Respondetur, neg. conf. Ad ant. ajo, quod determinatio temporis in Jure Civili non præscribatur pro facultate simpliciter resiliendi, cum hæc expresse concedatur libera in *cit. l.3. cap. de Repud.* sed solum pro casu, quo Sponsa vult lucrari arrham: veluti exponunt Michel *fol.567. n.14.* Schmier ubi supra *num. 94.* Peregrini *loc. cit.* & alii. Quod si contendas, determinationem temporis in Jure Civili præscribi pro facultate simpliciter resiliendi, occurro tibi, ac dico cum Sanchezio *lib.1. de Matrim. disp.64. num.6.* & aliis, dispositionem Juris Civilis hic non esse attendendam, eo quod a Jure Canonico aliter statutum sit; nam Pontifex in *tit. cap.5. de Sponsal.* inquit, *liberum esse mulieribus ad alia sr vota transferre*, sive cum alio Nuptias inire: atqui illis liberum non esset, si Sponsum per biennium, triennium, aut ultra expectare deberent: per consequens &c.

251. Colliges, quod Sponsa (nempe de futuro, de qua sola hic nobis sermo est) non teneatur sequi Sponsum vagantem. Sanchez *loc. cit. n.14.* Salmanticenses ubi supra *n.29.* Babenstuber *n.22.* Ita colligitur ex sæpe *cit. cap. 5. de Sponsal.* Ratio quoque suffragatur: quia vinculum contractus Sponsalitii non censetur adeo strictum, ut Sponsam ad id obstringat. Ex quo fluit, quod Sponsa, quando post Sponsalia inita cognoscit, Sponsum velle mutare domicilium, in alium locum se transferendo, non teneatur cum ipso celebrare Nuptias, sed licite possit a Sponsalibus resilire, & alteri nubere: quia sic contingit notabilis mutatio, ante non prævisa, quæ (ut dicemus §.3.) justam resiliendi causam suppeditat, Sanchez, & Babenstuber *citt.*

§. II.

An, & quando fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, vel utriusque, cum aliis, tribuat facultatem a Sponsalibus resiliendi?

SUMMARIUM.

252. *Fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, Sponsalibus superveniens, dat innocenti facultatem resiliendi.* 253. *Solvitur objectio.* 254. *Sponsus resilire potest a Sponsalibus, quando Sponsa post illa vim passa fuit ab altero: uti & Sponsa* 255. *quando Sponsus vi adactus fuit ad fornicandum.* 256. *Etiam fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, contractionem Sponsalium antegressa, & ignorata, postmodum vero detecta, dat innocenti facultatem resiliendi.* 257. *Solvitur objectio.* 258. *Quando tam Sponsus, quam Sponsa post Sponsalia fornicatur, neutri resilire licet.* 259. *& seqq. Solvuntur argumenta opposita.* 262. *Idem esto judicium, quando uterque Sponsorum fornicatus est, ante Sponsalia, & hoc post Sponsalia innotescit.*

252. Dico primo. Fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, Sponsalibus superveniens, dat innocenti facultatem resiliendi. Hæc conclusio est sat communis.

Probatur: *quia frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. Reg. Jur. in 6.* vel (quod in idem recidit) *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*; prout sonat tritum, sed verum Brocardicon; ergo si alteruter Sponsorum fidem fregerit, prout fit fornicando cum alia, vel alio, alter, qui innocens est, illi servare fidem (scilicet Sponsalitiam) non tenetur, sed habet sufficientem causam a Sponsalibus resiliendi, si velit.

Confirmatur. Propter adulterium non tantum maritus innocens divertere, seu divortium facere ab uxore nocente potest, sed etiam uxor innocens a marito nocente; uti cum communi dicemus *disput. seq.* ergo pariter non modo propter fornicationem Sponsæ Sponsus innocens resilire a Sponsalibus potest, verum & propter fornicationem Sponsi Sponsa innocens: sicut enim maritus, & uxor in casu antecedentis; ita Sponsus, & Sponsa in casu consequentis non sunt judicandi ad imparia.

253. Objicies. *Cap. 25. de Jurejur.* soli Sponso innocenti permittitur resilientia a Sponsalibus ob fornicationem Sponsæ; ergo non vicissim Sponsa innocens resilire potest ob fornicationem Sponsi.

Respondetur, explic. & dist. ant. Explicite, con. etiam implicite, neg. ant. & conf. Implicite permittitur & Sponsæ resilientia ex paritate rationis, in illa Constitutione adbibitæ; nam sicut in promissione Sponsæ, ita & Sponsi subintelligitur hæc conditio: *Si contra regulam desponsationis non venerit.*

Dices. In fornicatione Sponsæ major est turpitudo, quam in fornicatione Sponsi; ergo non debent judicari ad paria: per consequens &c.

Respondetur, omisso antecedente, neg. conf. Siquidem non tam propter turpitudinem fornicationis, quam propter violationem fidei, per Sponsalia datæ, permittitur resilientia: fides autem, data Sponsæ, violatur æque per fornicationem Sponsi: consequenter &c.

254. Quæres, an Sponsus resilire possit a Sponsalibus, quando Sponsa post illa vim passa fuit ab altero?

Respondetur affirmative. Sanchez *lib. 1. de Matrimon. disput.55. num.7.* Schmier ubi supra *a num.102.* & alii communis. Ratio est 1. Siquidem Sponso permittitur repudiare Sponsam, ab alio violenter raptam, *can.33. caus.27. quæst.2.* ergo etiam, & a potiori, violenter oppressam. Ratio est 2. Quia Sponsa per violentam oppressionem reddita est notabiliter vilior; ut proinde Sponsus merito ab ipsa abhorreat. Accedit, quod difficulter constare possit, utrum non aliquo modo consenserit Sponsa; utrum oppressio non sit divulganda &c. ut proinde non absit periculosum infamiæ, & dedecoris, in Sponsum quoque redundaturi.

Dices primo, Sponsa, vim passa, non violavit fidem Sponsalium, ergo Sponsus non habet causam resiliendi.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. vel dist. Non habet causam resiliendi eandem, quam in casu conclusionis, nempe fractionem fidei Sponsalitiæ, mediante voluntaria fornicatione factam, con. non habet causam resiliendi aliam, nempe notabilem mutationem, antea non prævisam, nego consequentiam.

Dices secundo. In *can.46. caus.27. q.2.* habetur, quod Sponsa rapta, quamvis a raptore per vim violata sit, restitui debeat Sponso; ergo violenta Sponsæ oppressio non præbet Sponso causam resiliendi.

Respondetur, neg. conf. Nam in *cit. can.* vel nomine Sponsæ accipienda venit Sponsa de præsenti; vel, si intelligitur Sponsa de futuro, ea restitui jubetur Sponso, quando is restitutionem postulat.

Dices tertio. Violenta oppressio uxoris non dat marito facultatem instituendi divortium *argum. can.3. & 4. caus.32. quæstion.5.* ergo nec violenta oppressio Sponsæ dat Sponso facultatem recedendi a Sponsalibus.

Respondetur, neg. conf. & parit. Quia enim *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*, plus requiritur ad divortium inter conjuges, indissolubili vinculo Matrimonii jam colligatos, quam ad remissionem Sponsalium inter Sponsos, vinculo Matrimonii primum colligandos, & solum colligatos vinculo Sponsalitio, quod ex natura sua est dissolubile.

255. Petes, an etiam Sponsa resilire possit, quando Sponsus post Sponsalia vi adactus fuit ad fornicationem?

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilior, & *præced. n.* dictis conformior sententia, quam sibi placere asserit P. Babenstuber ubi supra *num.26.* quamque docent plures cum Redingo *com.8. q.3. art.1. controv.5.* esto sit contra communiorem aliorum. Ratio est: quia revera Sponsæ quoque probrosum est nubere Sponso fornicato, quamvis ad hoc per vim supponatur compulsus; ut proin & ipsa merito abhorreat a Nuptiis cum eo celebrandis.

256. Dico secundo, Etiam fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, contractionem Sponsalium antegressa, & ignorata, postmodum vero detecta, & patefacta, dat innocenti facultatem resiliendi. Quando fornicatio Sponsæ præcessit contractionem Sponsalium, & a Sponso ignorata fuit, docent Authores passim, Sponsum posse resilire. Quod etiam Sponsæ resilire fas sit ob fornicationem Sponsi Sponsalia antegressam, & ignoratam, tradunt Schmier *loc. cit. a n.110.* Ayblinger *Instit. Imperial.*

perial. lib. 1. *tit.* 10. *part.* 1. *n.* 137. Peregrini ubi supra *n.* 20. contra satis communem aliorum.

Probatur conclusio primo universaliter, seu prout utrique tam Sponso, quam Sponsæ tribuit facultatem resiliendi in casu posito. Nec Sponsus, nec Sponsa censeri potest in contractione Sponsalium se voluisse obligare in eventum, quo ex parte alterius detegeretur considerabilis mutatio: atqui omnino considerabilis mutatio detegitur, dum quis suam compartem, quam in contractione Sponsalium credidit a labe fornicationis semper fuisse immunem, ea postmodum comperit fuisse contaminatam; ergo nec Sponsus, nec Sponsa censeri potest in contractione Sponsalium se voluisse obligare in talem eventum: consequenter &c.

Confirmatur. In Jure paria sunt aliquid supervenire, & præcedere, sed ignorari, *l.* 77. *ff. de contrah. empt.* ergo perinde est, an circumstantia, qua prævisa non fuisset pars innocens contractura, primum superveniat Sponsalibus, vel jam præcesserit, sed fuerit ignorata. Atqui quando supervenit, præbet innocenti justam causam resiliendi in casu posito; prout dictum *n.* 252. & ipsi quoque Adversarii admittunt; ergo etiam quando præcessit, sed fuit ignorata &c. Quare sicut contractui Sponsalitio tacite inest hæc conditio: *si res in eodem statu permaneat, seu non notabiliter mutetur*; ita inest & ista: *si non lateat, & detegatur circumstantia, ejusmodi mutationis inductiva.*

Probatur conclusio secundo specialiter, seu in quantum tribuit Sponsæ facultatem resiliendi &c. Ideo Sponsus, per ipsos quoque Adversarios, resilire potest; quia innotuit mutatio, qua prævisa non contraxisset: sed hanc rationem etiam dabit honesta puella, utpote pariter cupiens juvenem incorruptum, & alteri puellæ non commixtum; ergo &c. Juvat hic audire S. Augustinum, qui *in canon.* 2. *caus.* 32. *q.* 6. sic disserit: *Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris; quales vultis eas invenire, tales & ipsæ inveniant vos: quis Juvenis est, qui non castam velit ducere uxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactam quæris? intactus esto; puram quæris? purus esto: non enim illa potest, & tu non potes.*

Nec quidquam evincunt Authores adversi, si dicant, turpiorem esse lasciviam in feminis, quam in masculis. Nam quidquid sit de hoc, semper manebit verum, quod præcesserit in Sponso mutatio, qua prævisa innocens Sponsa non fuisset contractura: sane si æquitatem naturalem spectare velimus, non videtur, cur hic femina deterioris conditionis esse debeat, quam masculus.

257. Objicies contra conclus. In *cap.* 25. *de Jurejur.* sic dicitur: *Siquis juraverit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest apponere fornicationem aliquam præcedentem, sed subsequentem &c.* ergo fornicatio præcedens unius Sponsi non præbet alteri innocenti justam causam resiliendi a Sponsalibus saltem juratis.

Respondetur, dist. cons. Fornicatio præcedens, si sit præcognita a contrahente, con. si sit ignorata, neg. conseq. Textus *cit. cap.* exaudiendus est de fornicatione præcedente, quæ erat comparti præcognita; ut notat *Glossa V. præcedentem*, qua præcognitione supposita cum nihilominus compars Sponsalia fecerit, in ejusmodi maculam consensit. Secus est, si illam maculam ignoravit, ut in casu conclusionis nostræ: tunc quippe in eam, utpote incognitam, consentire non potuit: consequenter &c.

258. Dico tertio. Quando tam Sponsus, quam Sponsa post Sponsalia fornicationem commisit, neutri resilire licet. Ita Paludanus in 4. *dist.* 24. *q.* 1. *artic.* 3. *num.* 17. Bonacina *de Matrim. part.* 1. *pun.* 8. *num.* 6. Schmier *loc. cit. a n.* 116. Ayblinger *a n.* 118. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 1. *art.* 4. *n.* 28. & alii contra alios, quorum aliqui facultatem resiliendi indulgent Sponso, non item Sponsæ; aliqui vero utrique. Contra quos omnes nostra conclusio

Probatur in hunc modum. Quando uterque conjux commisit adulterium, neuter potest petere divortium, *cap.* 6. *de Adulter.* ergo etiam quando uterque Sponsus est fornicatus, neuter potest resilire a Sponsalibus. Prob. conseq. Ideo prius est verum, quia conjuges eodem se luto conspurcarunt: atqui etiam Sponsus, & Sponsa eodem se luto conspurcarunt; ergo &c.

Confirmatur, & declaratur. Delicta paria mutuo compensantur (saltem quoad effectus extrinsecos) *cit. cap.* 6. *& l.* 10. §. 2. *ac l. ult. ff. de Compensat.* atqui delicta fornicationis, & fractæ fidei, quæ Sponsus, & Sponsa perpetrarunt, sunt paria; ergo mutuo compensantur; ergo neutri dant facultatem a Sponsalibus resiliendi.

259. Objicies primo cum Authoribus prioris sententiæ adversæ. Delicta Sponsi, & Sponsæ non sunt hic paria: quia turpior est fornicatio Sponsæ, quam Sponsi; ergo non utrique, sed soli Sponsæ deneganda est facultas resiliendi.

Respondetur primo, retorquendo argumentum. Delicta mariti, & uxoris supra non sunt paria: quia turpius est adulterium uxoris, quam mariti; ergo non utrique, sed uxori tantum deneganda est facultas divertendi, seu faciendi divortium: cujus tamen contrarium liquet ex *cit. cap.* 6. *de Adulter.*

Respondetur secundo, neg. ant. & causalem, seu rationem probativam dist. Turpior est fornicatio Sponsæ physice, vel etiam in æstimatione vulgi, transeat, Theologice, aut in æstimatione Juris, neg. Priore modo turpior est fornicatio Sponsæ, quatenus hanc aliquo modo magis deteriorat, majoremque creat vulgo horrorem, ac fornicatio Sponsi. Posteriore modo non est turpior; partim quod non contineat culpam majorem, sed minorem potius, ac fornicatio Sponsi, utpote qui, ceu masculus, deberet esse constantior, quam femina, pro qua perorat debilitas sexus; item ille plerumque seducit, hæc seducitur: partim quod illa aliqualis majoritas (si qua tamen interveniat) turpitudinis in fornicatione Sponsæ non attendatur, nec pensi habeatur a Jure, sed reputetur pro nulla relate ad resiliendum a Sponsalibus; sicut majoritas turpitudinis in adulterio uxoris reputatur pro nulla relate ad instituendum divortium &c. Et hoc ideo; quia a Jure impræsentiarum tam relate ad resiliendum a Sponsalibus, quam relate ad faciendum divortium, principaliter inspicitur fractio fidei, quæ utrique nullo modo major est respectu feminæ, quam maris.

260. Objicies secundo cum Authoribus posterioris sententiæ adversæ, Tam Sponsus, quam Sponsa violavit fidem fornicando; ergo utrique licet resilire. Ant. supponitur. Conseq. prob. Siquidem ob violationem fidei conceditur Sponsis resilire, *cap.* 25. *de Jurejur.*

Confirmatur. Quando Sponsalia contrahuntur, ex parte utriusque contrahentis involvitur tacite hæc conditio: *Promitto tibi Matrimonium, nisi contra regulam desponsationis veneris*; ergo quando hæc conditio deficit utrinque, sicut deficit, dum utraque pars fornicata est, obligatio promissionis corruit.

Respondetur ad object. neg. cons. Et rationem probativam explico, ac dist. Ob violationem fidei conceditur Sponsis resilire, quando non uterque fidem violat, con. quando uterque violat, neg. Quando non utraque pars fidem violat, sed una tantum, hæc se privat jure resiliendi, quod alias habuisset, si non ipsa, sed altera fidem violasset. Ast quando utraque pars fidem violat, utraque se privat jure resiliendi: sicut uterque conjux se privat jure faciendi divortium, quando uterque fidem violat per adulterium.

Ad confirmat. neg. cons. Nam hoc ipso, quod in Sponsalibus contrahendis ex parte utriusque contrahentis involvatur illa conditio, & neuter eam impleat, sed uterque fidem violet, propter violatam utrinque fidem, neutri resilire concessum est: sicut neutri conjugum concessum est instituere divortium, quando uterque fidem violat per adulterium. In isto quippe casu, quo fides utrinque violatur, datur mutua compensatio inter delicta, nec unus alteri exprobrare infidelitatem potest, utpote cujus & ipse reus est. Sed contra hoc

Dices. Quando duo promittunt commutare v. gr. equos, apposita utrinque conditione, *si equus non fuerit claudus*, neuter obligatur ad servandum contractum, si postea utriusque equus claudicet; ergo similiter neuter Sponsorum obligatur ad servandam promissionem Sponsalitiam, factam sub involuta utrinque conditione, *si fides non fuerit fracta*, quando postmodum uterque fidem frangit.

Respon-

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & patit. Nam promissioni commutationis in casu antecedentis annectitur illa conditio, *si equus non fuerit claudus*, ex conventione promittentium; & ideo actus promissionis vere conditionatus est, nullamque producit obligationem, imo in nihilum recidit, quando conditio deficit, uti deficere ponitur in exemplo allato. At vero promissioni Sponsalitiæ conditio, *si fides non fuerit fracta*, inest ex dispositione Juris; & iden actus hujus promissionis non est vere, & reipsa conditionatus, sed absolutus, statimque producit obligationem, quæ non resolvitur, tametsi conditio deficiat; sed tantum datur facultas resiliendi parti innocenti, quando altera nocens est, non aliter; per consequens quando utraque pars fractæ fidei rea est, neutri resilire conceditur, cum neutri suffragetur assistentia Juris in ordine ad resiliendum.

261. Objicies tertio cum iisdem Authoribus, Si Sponsus fornicetur prius, Sponsa immediate acquirit jus resiliendi propter fractam sibi fidem: & si postmodum fornicetur etiam Sponsa, idem jus propter eandem rationem acquirit Sponsus; ergo utrique resilire fas erit.

Confirmatur. Fornicatio tam Sponsi, quam Sponsæ est tacita, & virtualis renunciatio Sponsalium; ergo si illa ab utroque perpetretur, obligatio Sponsalitia utrinque cessat saltem tacite, & virtualiter; sicut per renunciationem formalem, seu dissensum mutuum cessat utrinque formaliter.

Respondetur ad object. dist. ant. Sponsa (Idem est de Sponso, si ipse ponatur posterius fornicari) immediate acquirit jus resiliendi conditionatum, con. absolutum, neg. ant. & cons. Jus conditionatum acquirit, quatenus, si a fornicando se contineat, Sponsum fornicatum repudiare, & alteri nubere potest. Quod si vero & ipsa postmodum fornicetur, ob non servatam conditionem jure acquisito se privat: sicut evenit casu, quo maritus prius commisit adulterium, & posterius uxor, aut vicissim.

Ad confirmat. dist. similiter ant. Fornicatio &c. est tacita, & virtualis renunciatio conditionata, si altera pars a fornicatione abstineat, con. absoluta, neg. ant. & cons. Explicatio responsionis liquet ex immediate dictis.

262. Dico quarto. Etiam quando tam Sponsus, quam Sponsa cum alia, vel alio fornicationem commiserunt ante Sponsalia, & fornicatio postmodum, seu post contracta Sponsalia utrique innotescit, neutri resilire licet. Conclusio fluit ex dictis pro conclus. 3. Unde

Probatur breviter, vel potius declaratur. Nam licet hoc tali casu non obstet mutua fractio fidei, cum Sponsalia supponantur nondum fuisse contracta; obstat tamen mutua, seu ab utroque perpetrata fornicatio, quæ utrinque par est, saltem Theologice, & Juridice; ut proinde delictorum compensatio hic quoque locum inveniat: & sicut in casu conclusionis præcedentis neuter alteri exprobrare potest suam infidelitatem; ita nec in casu conclusionis præsentis suam fornicationem; secus ei oggeretur, quod canit Poeta:

Væ tibi! væ nigræ (dicebat cacabus) olla!

§. III.

An, & qualis mutatio præbeat facultatem a Sponsalibus resiliendi;

S U M M A R I U M.

263. *Justam a Sponsalibus resiliendi causam, & facultatem præbet notabilis mutatio, sive circumstantia, quæ, si ante contractionem Sponsalium extitisset, vel cognita fuisset, merito ab eorum contractione absterruisset personam, a simili circumstantia immunem.* 264. *Dissolvitur argumentum contrarium.* 265. *Unde dignosci valeat, quod Sponsalia non fuissent contracta, si hanc, vel illam circumstantiam adesse, vel abesse non latuisset, aut superventuram creditum fuisset?* 266. *Perinde est, sive mutatio, præbens causam resiliendi a Sponsalibus, physica sit, sive moralis.* 267. *Quando uterque Sponsus in paupertatem incidit, utrique a Sponsalibus resilire licet.*

263. DIco. Justam a Sponsalibus resiliendi causam, & facultatem præbet notabilis mutatio, seu circumstantia, quæ, si ante contractionem Sponsalium extitisset, vel cognita fuisset, merito ab eorum contractione absterruisset personam, a simili circumstantia immunem. Conclusio, sic generaliter proposita, est communissima Theologorum, & Juristarum.

Probatur autem in hunc modum. Promissio non obligat ultra promittentis voluntatem, & intentionem: atqui neuter facientium Sponsalia, & promittentium contractionem Matrimonii censetur se obligare voluisse ad talem casum difficilem, propter quem, si præextitisset, aut prævisus fuisset, homo prudens, & cordatus a Matrimonii promissione merito fuisset absterritus; ergo &c. Accedit, quod Sponsalia, utpote quæ inducunt obligationem amplectendi statum ex se perpetuum, magnam exigant in contrahentibus libertatem, adeo, ut illis, etiam juramento firmatis, insit ex dispositione Juris hæc tacita conditio: *si res in eodem statu permaneat*, seu *non subeat mutationem notabilem*, id est, talem, propter quam executio Sponsalium reddatur notabiliter difficilior; vel tantam, propter cujus præexistentiam, aut prævisionem, pars altera a contrahendis Sponsalibus merito fuisset retracta.

Dixi in conclus. 1. *quæ si ante contractionem Sponsalium extitisset, vel cognita fuisset* &c. Siquidem non minus resilire licet, quando hujusmodi circumstantia, vel qualitas contractionem Sponsalium antecessit, sed latuit, & postea fuit patefacta, quam quando Sponsalibus jam contractis supervenit: quia paria sunt, aliquid supervenire, & ignoranter præcedere; non esse, & non apparere; esse, & apparere, *c.4. de Except. & l.77. ff. de contr. empt.* ut jam supra notatum.

Dixi 2. *Absterruisset personam, a simili circumstantia immunem;* nam facultas resiliendi solum datur personæ mutationem non passæ, non vero alteri, penes quam secuta est mutatio; ut proin si non mutata adhuc velit Matrimonium contrahere cum mutata, hæc obligetur ad contrahendum cum illa. Hinc fit, ut Sponsus (aut vicissim Sponsa) cui supervenerunt notabiles divitiæ, vel nobilitas, resilire non possit, quando compars nullam subiit mutationem notabilem, quæ præbeat illi causam resiliendi: uti recte docent Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 59. n. 7.* Pirhing *lib. 4. tit. 1. n. 64.* Konig *ibid. n. 68.* & alii passim contra paucos, in allato exemplo se opponentes, quibuscum proinde contra modo dicta, ipsamque respective conclusionem

264. Objicies. In dicto casu pars altera, esto non mutetur absolute, mutatur tamen respective, & comparative ad compartem, utpote respectu cujus fit vilior; ergo &c.

Confirmatur, Si Sponsus prævidisset, se divitiis, vel honoribus auctum iri, non contraxisset cum hac tali Sponsa Sponsalia; ergo postquam auctus est, sufficientem habet causam resiliendi.

Respondetur ad object. neg. cons. Et ad aut. ajo, illam mutationem respectivam non sufficere ad partem alteram jure jam quæsito privandam, si hæc absolute, & quoad se manserit immutata: alioquin sequeretur, quod, si contingeret, Sponsam post contracta Sponsalia notabiliter evadere formosiorem, ea posset propterea repudiare Sponsum, in eodem formæ statu permanentem: id quod (ut reor) nemo facile admiserit.

Ad confirmat. omisso antecedente, neg. cons. utpote quæ solum ex antecedente inferri posset, si compars Sponsi notabilem mutationem passa esse; qua prævisa, Sponsus non contraxisset. Nam alias etiam Sponsa, post contractionem Sponsalium notabiliter (quocunque demum eventu) formosior facta, haberet sufficientem causam resiliendi, si ponatur & ipsa cum hoc tali Sponso non contractura in casu, quo augmentum suæ formositatis prævidisset. Item Sponsus resilire quoque posset toties, quoties post contracta Sponsalia se offerret puella ditior, aut nobilior, ac sit ejus Sponsa; cujus tamen contrarium in praxi certum est. Manet ergo verum, quippe per has instantias efficaciter probatum, facultatem resiliendi a Sponsalibus tantum competere posse parti, mutationem non passæ, non vero parti, quæ mutata est &c.

Nunc restat, ut aliquot adhuc Quæstiones, & Dubia resolvantur. Itaque

265. Quæres primo, unde cognosci possit, quod Sponsalia non fuissent contracta, si hunc, vel illam circumstantiam adesse, vel obesse non latuisset, aut superventuram creditum fuisset?

Respondetur, examinandum esse Sponsum (vel Sponsam) quidnam reposuisset, si tempore, quo Sponsalia fecit, aliquis ex ipso percontatus fuisset: *sed quid si tale aliquid eveniat, aut innotescat?* Quando enim asseverat, quod neutiquam contraxisset, ejus asseverationi, præsertim juratæ, erit regulariter, & nisi aliæ circumstantiæ obstent, adhibenda fides etiam in foro externo. Layman *lib.5.tr.10.part.1.c.2.n.18.* Sporer *de Sacram.part.4.cap.1.n.279.* Reiffenstuel *lib.4. Decret, tit.1.n.256.* quem vide.

266. Quæres secundo, an perinde sit, num mutatio, præbens causam a Sponsalibus recedendi, sit physica, vel moralis?

Respondetur cum communi, esse perinde, Ratio est: quia probatio conclusionis æque militat de utraque; ut consideranti patebit. Ceterum mutatio notabilis physica contingit, quando Sponsus, vel Sponsa lepram, paralysin, luem Gallicam, epilepsiam, phrenesin, phthisin, perpetuam oris graveolentiam, aut alium morbum difficulter sanabilem contrahit: item quando amittit nasum, aurem, manum, pedem: quando fit claudus, surdus, mutus: quando Sponsa notabiliter deturbatur in facie, præsertim si formositas fuerit (uti non raro esse solet) causa contrahendi cum ipsa Sponsalia; in Sponso autem, ut ideo Sponsæ concedatur a Sponsalibus recedere, requiritur major deformitas, ac in Sponsa, videlicet tantam, quæ horrorem pariat, & non solum minuat formositatem; quoniam in viris non habetur tanta ratio pulchritudinis, quanta in in feminis. Mutatio notabilis moralis contingit, vel in moribus, & bonis animi, vel in honore, & fama, vel in fortunis: ut si Sponsus fiat, vel deprehendatur esse moribus asper, durus, crudus, ebriosus, aleator, vagabundus &c. Neque obstat textus *c.5. Qui Clerici, vel voventes*, ubi mulier, quæ plura audierat de Sponsi severitate, ideoque cum eo Matrimonium inire noluit, dicitur violasse fidem. Nam, ut recte notat Palao *de Sponsal. disp.1. pun.27. n.7.* ubi supponitur, quod mulier illa non certo, sed incerto, & ex rumore solum illam cognitionem hauserit, crediderit que nimis leviter. Porro si alteruter Sponsorum committat crimen infamatorium, puta hæreseos, veneficii, homicidii, furti &c. Item si inter Sponsorum parentes, vel consanguineos oriatur, aut oriturum prævideatur grave odium, dissensiones, inimicitiæ, lites, & non affulgeat spes reconciliationis; ut quando parentes Matrimonio contrahendo se obstinate opponunt &c. Ubi tamen bene advertit Sanchez *lib.1. de Matr. disp.14. n.3. ad fin.* caute in hoc casu procedendum esse: sæpe enim variæ minæ jactantur, terroresque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen (experientia teste) ubi deferbuit ille impetus, & Matrimonium celebratum est, in nihilum recidunt. Utiliter etiam hic legi poterit P. Pichler *lib.4. tit.1. n.68. in respons. ad 4. opposit.* Denique si Sponsus amittat notabilem partem bonorum, aut vicissim Sponsa; vel si hujus parentes eo paupertatis redigantur, ut dotem solvere nequeant. Videatur P. Schmalzgrueber *lib.4. tit.1. n.191.* Sed

267. Peres, an, si uterque Sponsus in paupertatem incidat, uterque resilire queat?

Respondetur affirmative. Palao ubi supra *punct. 28. n. 4.* Basilius Pontius *lib.12. c.17. n.8.* Schmalzgrueber *loc. & n. cit.* Ratio est: quia tunc contingit mutatio, & quidem ex parte utriusque, omnino notabilis, oneraque Matrimonii multum aggravans; ut proinde merito credatur, quod Sponsi promissione Matrimonii supersedissent, si illius eventum prævidissent. Quare sicut, secundum proxime dicta, unus Sponsorum resilire potest, quando alter evadit ex divite pauper, ita resilire uterque potest, quando uterque evadit pauper; neque enim hac in parte locum obtinet compensatio, prout eloquitur P. Schmalzgrueber *cit.* Excipit tamen cum Salmanticensibus P. Babenstuber ubi supra *n. 36.* Nisi Sponsus (aut vicissim Sponsa) jam redactus ad paupertatem, vellet aliam ducere æque pauperem: tunc quippe teneretur adhuc (inquit nominatus Author) fidem servare primæ, cum qua Sponsalia ante contraxerat.

CAPUT VI.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

268. *Dionysius tenetur in utroque foro ducere Dionysiam, quam solicitavit ad faciendam copiam corporis, & sub conditione, si fuerit impregnata, Matrimonium prætendenti reposuit hæc verba,* te non deseram, *licet per ea non intenderit promittere Matrimonium, sed dare pecuniam &c.* 269. *Quid Juris, si Donatus pater ex tribus filiabus unam indeterminate Donatiano spondeat dare in Matrimonium, & Donatianus vicissim spondeat unam ducere, & quidem illam, quam pater determinaverit; puellis in utranque sponsionem consentientibus?* 270. *Promissio Donatiani, & repromissio puellarum in specie Facti non obtinet rationem Sponsalium, nec inducit impedimentum publicæ honestatis.* 271. *Sponsalia inter Cajetanum raptorem, & Semproniam raptam, licet adhuc in potestate raptoris constitutam, inita valent.* 272. *Dativus, qui duabus puellis successive Matrimonium promisit sub conditione, tenetur ducere primam, licet conditio posteriorum Sponsalium prius evenerit.* 273. *Diomedes, qui cum duabus puellis successive Sponsalia iniit, non tenetur ducere secundam, etsi prima suo juro cesserit, nisi in contractione secundorum Sponsalium expresse adjecerit hanc conditionem:* ducam te, si prima Sponsa promissionem Sponsalitiam remiserit. 274. *Dympna, dum audit, & videt, suum Sponsum non raro esse cum alia, eamque osculari, amplexari &c. justam a Sponsalibus resiliendi causam habet.* 275. *Juliana, post inita cum Dioscoro Sponsalia, bis impregnata, non potuit, per se loquendo, promissionem Sponsalitiam Dioscoro licite remittere, propter præjudicium inde resultans in proles adhuc superstites.* 276. *Dativa, postquam cum duobus juvenibus, quorum unus erat rusticus, & alter sartor, successive Sponsalia contraxerat, juste resiliit, ubi rescivit, utrunque Sponsum passione herniaca laborare.* 277. *Demetrius tria dubia proponit. Primum est, an, & qua ratione solvi Sponsalia possint per dispensationem? Secundum, an ad illa dissolvenda opus sit authoritate Judicis? Tertium, quomodo de causa aliqua, ut propter eam recessus a Sponsalibus sit Sponsis permissus, constare debeat? & redduntur ad singula resolutiones.*

CASUS I.

268. *Dionysius, honesta ceteroquin vita, & conditionis Juvenis, Dionysiam, Puellam itidem honestam, & sortis haud disparis, amorosis precibus solicitat ad faciendam sibi copiam corporis. Annuit solicitatori solicitata, sub conditione, si, forte ingravidatam, ducere in uxorem velit. Cui solicitator:* ego te non deseram: *haud intendens per talia verba promittere Matrimonium, cum ea in eventu impregnationis contrahendum, sed dare pecuniam, aliove modo succurrere impregnatæ, & proli ex eadem susceptæ. Quæritur jam 1. An Dionysius Dionysiam, ex copula ingravidatam, teneatur in foro interno ducere; & 2. in foro etiam externo ad eam ducendam condemnandus sit?*

RΕspondetur ad utrunque Casus membrum affirmative. Ita P. Gobat *in Theol. Experim. tr. 10. a n.80.* P. Karckne *lib.4. Decret, tit.1. pag.39.* videturque esse communis Authorum, quos allegavimus respective, ac allegare potuissemus supra *num.119.* pro conclusione ibi statuta. Ratio est: quia si Dionysius reposuisset Dionysiæ: *si ingravidata fueris, ducam te in uxorem*: teneretur eam ingravidatam ducere in foro interno, & in foro etiam externo ad eandem ducendam a Judice Ecclesiastico condemnandus, ac compellendus esset, quamvis illa verba protulisset ficte, seu absque animo promittendi Matrimonium; prout

dictum,

dictum, & deductum est *n. immediate cit.* ergo etiam, dum reposuit, quamvis ficte, & sine animo promittendi Matrimonium: *si fueris ingravidata, te non deferam*. Prob. conf. Nam esto hæc verba: *te non deferam*, secundum se spectata, & prolata non significent aperte, & certo promissionem Matrimonii, sicut significant ista: *te ducam in uxorem*, sed æquivoce tantum, & dubie; ex subjecta tamen materia ad eam promissionem certo significandam determinantur; ergo &c. Ant. hujus enthymematis ostenditur. Siquidem verba loquentis, seu respondentis ad verba prius locuti, quando sunt æquivoca, aut dubia, intelligi debent juxta sensum verborum prolatorum a priore, seu prius locuto; ut docet Sanchez *lib. 1. disp. 18. n. 4.* & sumitur *ex cap. 6. de V. S.* atqui Dionysia, quæ prius locuta fuit, protulit verba clare, & certo sonantia promissionem Matrimonii; ut supponitur ex specie Facti; ergo juxta illorum sensum intelligenda sunt verba æquivoca, sive dubia Dionysii ad ejusmodi verba respondentis; ut proinde ex subjecta materia, & circumstantiis omnino determinentur, ac determinate, & certo significent promissionem Matrimonii.

CASUS II.

269. *Donatus pater ex tribus filiabus unam indeterminate Donatiano spondet dare in Matrimonium, & Donatianus vicissim spondet unam ducere, & quidem illam, quam pater determinaverit. Puellæ quoque omnes in utranque sponsionem consentiunt. Quæritur nunc 1. An Donatus, si unam ex filiabus a se determinatam offerat, sed Donatianus respuat, teneatur dare aliam? 2. An teneatur dare aliquam, si Donatianus unam carnaliter cognoscat?*

Respondetur ad ambo membra Casus. Et quidem ad primum responsio est negativa. Ratio est: quia electio, seu determinatio tunc pertinet ad patrem, qui ad aliud se non obstrinxit, quam ad dationem unius ex tribus filiabus a se eligendæ; imo Donatianus ipse determinationem voluit esse penes patrem, ut constat ex specie Facti; ergo cum Donatus ponatur unam ex filiabus, a se electam, & determinatam, obtulisse Donatiano, suæ obligationi jam fecit satis, nec tenetur præterea offerre aliam. Ad secundum responsio est itidem negativa. Ratio est: quia Donatus neque tenetur dare corruptam, seu carnaliter cognitam; cum enim non fuerit obligatus ad eandem determinate dandam, quando adhuc integra erat, non apparet, unde obligetur, dum modo corrupta est. Neque tenetur dare aliam ex duabus integris, propter impedimentum affinitatis, quod Donatianus cum illis contraxit per copulam carnalem cum earum sorore exercitam. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 26. num. 4.* Konig *lib. 4. tit. 1. num. 15.* Schmalzgrueber *ibid. n. 38.* & alii passim. Sed contra resolutionem hujus secundi membri

Dices. Donatianus illam ex tribus filiabus, quam carnaliter cognovit, censetur ipso facto elegisse sibi in sponsam de futuro; ergo pater tenetur eam tradere Donatiano.

Respondetur, dist. ant. Censetur illam elegisse electione valida, neg. electione invalida, transeat ant. & neg. conf. Dato, quod Donatianus, quando mentionatam puellam carnaliter cognovit, cogitaverit de perficiendis Sponsalibus, eamque in Sponsam de futuro sibi eligere, & determinare intenderit; talis tamen intentio fuit inefficax, & electio invalida, quippe procedens a potestate eligendi mere usurpata, cum potestas eligendi in Casu non penes Donatianum, sed penes Donatum resideat; ut dictum.

270. Colliges, sponsionem, seu promissionem Donatiani, & repromissionem trium filiarum in specie Facti non obtinuisse rationem Sponsalium, nec induxisse impedimentum publicæ honestatis, ante determinationem alicujus filiæ in individuo a Donato factam, & a Donatiano acceptatam, Sanchez ubi supra *n. 1.* Filliucius *tr. 10. cap. 7. n. 250.* Palao *de Sponsal. disp. 1. pun. 2. n. 7.* Ratio est: quia sicut ratio, & valor Matrimonii consistere non potest cum indeterminatione personarum, ita nec ratio, & valor Sponsalium,

CASUS III.

271. *Cajetanus, in quadam Universitate Juris Civilis Studiosus, Semproniam, elegantis formæ puellam, per annum fere dimidium insano deperibat amore, vi cujus oscula, amplexus, & congressus carnales cum illa non raro exercebat, quin tamen eandem ad ineunda secum Sponsalia (prout ardenter optabat, & remis, velisque evincere nitebatur) inducere posset. Stratagemmate igitur sibi utendum ratus Cajetanus, Semproniam ad vicinum quempiam hortum invitavit, & illuc venientem, rheda in hunc finem constituta, ac parata, imposuit, abduxitque secum, ut ut reclamantem, in suam patriam, ut tempore vacantiarum & libidinosos cum ea actus continuaret, & facilius consensum Sponsalitium eblandiretur. Nec voto frustratus suo procus fuit: siquidem amasia non modo in antea consuetos, vel etiam frequentiores, libidinis actus, sed in ipsa quoque Sponsalia libenter consensit. Quæritur jam, an Sponsalia inter raptorem, & raptam, adhuc in potestate raptoris constitutam (adeoque inter Cajetanum, & Semproniam) inita valeant, & subsistant?*

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Perez *disp. 38. sect. 4. n. 8.* VViestner *lib. 5. tit. 17. n. 15.* Krimer *lib. 4. tit. 1. a n. 129.* La Croix *lib. 6. part. 3. n. 54.* Pichler *lib. 4. tit. 1. n. 122.* & alii contra alios. Ratio nostræ responsionis est: quia Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 6. de Reformat. Matrim.* irritat quidem Matrimonium inter raptorem, & raptam (prout ex professo dicemus *disp. 3.*) nullam tamen mentionem facit de Sponsalibus; nec dispositio facta de Matrimonio extendi ad Sponsalia debet, partim quod sit correctoria Juris antiqui *cap. 6. & fin. de Raptor.* partim, & præcipue, quod ratio, ob quam Matrimonium irritatur, non sit eadem in Sponsalibus; siquidem libertas (quam Tridentinum spectavit) major requiritur ad contrahendum Matrimonium, utpote quod, semel valide contractum, ex natura sua est indissolubile, ac ad contrahenda Sponsalia, ejusmodi indissolubilitatem non inducentia; ergo &c. Confirmatur. Licet Trid. ubi supra *cap. 1.* irritet Matrimonium clandestinum; quia tamen nullam facit mentionem de Sponsalibus clandestinis, ideo hæc, juxta ipsos etiam Adversarios, valent; cum dispositio Concilii iris, utpote correctoria Juris antiqui, a Matrimonio ad Sponsalia extendi non debeat; ergo similiter &c.

Dices primo. Promissio Matrimonii, invalide contrahendi, est invalida: sed Sponsalia, inter raptorem, & raptam inita, sunt promissio Matrimonii invalide contrahendi: quoniam inter illos Matrimonium validum consistere nequit, ex proxime dictis; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Ad rationem probativam ajo, Matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc manet constituta in potestate raptoris, utique non posse validum consistere; posse autem, si rapta e potestate raptoris dimissa, & in libertatem asserta sit. Sponsalia proinde raptorem inter, & raptam ut valeant, pro objecto suo respicere debent (& respicere supponuntur) Matrimonium posteriore, non priore modo, contrahendum: sicut Sponsalia, ut valeant, pro objecto respicere debent Matrimonium non clandestine, sed publice, seu coram Parocho, & Testibus celebrandum, ex dictis supra *n. 151.*

Dices secundo. S. Congregatio Cardd. (ut refert Molina *tr. 3. de J. & J. disp. 105. n. 22.*) interrogata, num Sponsalia, raptorem inter, & raptam inita, valeant? respondit, non valere; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. dico cum P. Vito Pichler ubi supra, & P. Bartholomæo Lutz *lib. 4. tit. 1. pag. 65. in forma Thesium evulgato*, Responsum S. Congregationis non esse authenticatum, nec debite produci posse: unde doctrinæ traditæ nullum creare præjudicium potest, donec modo immediate fato producatur; id quod Adversarii (prout mihi fundate, & firmiter persuadeo) nunquam præstare poterunt.

CASUS IV.

272. *Dativus promisit Matrimonium Annæ sub conditione*, si pater consenserit; *& paulo post similiter promisit Matrimonium Susannæ sub conditione*, si officium quodpiam obtinuerit. *Contigit autem, ut conditio, posterioribus Sponsalibus adjecta, prius adimpleretur, quam adjecta prioribus. Quæritur jam, utram ex Sponsis Dativus possit, ac teneatur ducere in uxorem?*

Respondetur, quod Dativus possit, ac teneatur ducere Annam, quacum prius contraxit, seu iniit Sponsalia conditionata. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *n.* 6. Basilius Pontius *lib.* 3. *de Matrim. cap.* 13. *n.* 21. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *n.* 211. Pirhing *lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 28. Franciscus Schmier *tom.* 3. *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 3. *num.* 125. & alii satis communiter. Ratio est: quia Dativus nec licite, nec valide secunda Sponsalia cum Susanna contrahere potuit, nisi in eventum, quo prima Sponsalia, quæ inierat cum Anna, fuerint dissoluta, aut eorum conditio penitus defecerit; veluti deducitur ex *R.* 21. *in* 6. ibi: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*; ergo secunda Sponsalia Dativi, quamvis eorum conditio prius fuerit purificata, non potuerunt præjudicare primis: consequenter &c. Confirmatur. Prima Sponsalia Dativi jam induxerant obligationem expectandi conditionis eventum, quam obligationem tollere non poterant secunda Sponsalia (alias solo unius contrahentis consensu dissolvi Sponsalia possent; ut patet consideranti) ergo etiam post secunda Sponsalia, & eorum conditionem impletam, mansit obligatio expectandi eventum conditionis, primis Sponsalibus adjectæ; atqui memorata obligatio non mansisset, si secunda Sponsalia, quorum conditio prius impleta ponitur, essent præferenda primis, quorum conditio posterius impleta ponitur, & præ istis executioni mandanda; ergo &c.

Dices primo. Si Dativus iniisset Sponsalia conditionata cum Anna, & postmodum absoluta cum Susanna, teneretur ducere Susannam; ergo hanc etiam tenetur ducere in Casu, utpote in quo Sponsalia, licet fuerint conditionate inita, jam tamen migravere in absoluta.

Respondetur, neg. ant. Siquidem Dativus ne quidem Sponsalia absoluta, sive licite, sive valide inire potuit, juxta allegatam *Reg.* 21. etiam hic, & eodem modo applicabilem. Unde Sponsalia, licet absolute, posterius tamen inita, Sponsalibus conditionate, sed prius initis, præjudicare non potuisset, nec tollere obligationem expectandi eventum conditionis, prioribus Sponsalibus adjectæ. Ita cum aliis P. WVex *in Aridn. part.* 5. *tr.* 2. 6. 6. *n.* 15.

Dices secundo. Siquis cum duabus successive contrahat Matrimonium sub conditione de futuro, valet, & prævalet Matrimonium posterius contractum, quando ejus conditio impletur, antequam impleatur conditio Matrimonii prius contracti. Idem est, siquis contrahat Matrimonium cum una conditionate, & postmodum, non expectato conditionis eventu, cum alia absolute. Ergo pari modo concludendum de Sponsalibus ita contractis.

Respondetur, con. ant. quoad utrunque membrum, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Matrimonium (non item Sponsalia) pendet a continuatione voluntatis, ideoque si consensus semel revocatus sit per aliud Matrimonium contractum, etsi injuste, amplius perfici non potest eveniente conditione. Quare Matrimonium aliud pure contractum, vel eventu conditionis purificatum, præjudicat priori Matrimonio conditionato, cujus conditio adhuc pendet. Pirhing *loc. & num. cit.* WVex ubi supra 16. & in terminis Sporer 212.

Petes incidenter, quid Juris, si quis contraheret Matrimonium conditionatum prius cum una, & posterius cum alia, conditio autem utrique Matrimonio adjecta, simul, seu eodem tempore eveniret?

Respondetur, neutrum Matrimonium valere. Sanchez, Perez, Layman, Pirhing, Sporer &c. Ratio est: quia incertitudo vitiat Matrimonium, *c.* 10. *de Sponsal.* atqui utrunque Matrimonium tali casu esset incertum; cum enim consensus referatur in tempus impletæ conditionis, perinde est, ac si simul, & eodem tempore contraheretur Matrimonium cum duabus: consequenter non est ratio, cur Sponsus potius censeatur consentire in unam, ac in alteram: quod est utrunque Matrimonium esse incertum.

CASUS V.

273. *Diomedes, Juvenis Veneri deditus, & ob frequentatos libidinis actus sæpe a Confessariis reprehensus, tandem statuit, illicitis carnis voluptatibus frænum injicere per remedium concupiscentiæ in Matrimonio obtinendum. Ad quod proinde ut sibi viam sternat, iniit Sponsalia cum Sempronia, paris secum conditionis puella, post duos circiter menses per Matrimonii celebrationem executioni mandanda. Sed paucis post diebus cum Titia, quæ & forma, & divitiis præcellebat, alia iniit Sponsalia, tam cito, quam fieri potuerit, exequenda. Quoniam vero prævidet, vel saltem timet, Semproniam priorem Sponsam impedimentum opposituram Matrimonio cum Titia contrahendo, adit illam, rogatque, ut suo jure cedere velit, & obligationem Sponsalitiam remittere: quod & impetrat. Quæritur jam, an Diomedes vi promissionis Sponsalitiæ posterioris teneatur Titiam ducere?*

Respondetur negative: supposito, quod Sponsalia non fuerint inita sub hac expressa conditione, si prior Sponsa cesserit jure suo. Perez *disput.* 9. *de Matrim. sect.* 8. *n.* 6. WViestner *lib.* 4. *tit.* 4. *n.* 19. Krimer *ibid. n.* 273. Schmalzgrueber *ibid. a n.* 40. & alii passim contra paucos. Ratio est: siquidem quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit, juxta *Reg. J.* 18. *in* 6. ibi: *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit*: atqui Sponsalia, quæ Diomedes iniit cum Titia, nondum dissolutis Sponsalibus, quæ ante inierat cum Sempronia, ab initio fuerunt invalida, ex dictis *n.* 215. ergo tractu temporis non convalescunt: & per consequens non obligant Diomedem ad ducendam Titiam.

Dixi: *supposito, quod Sponsalia non fuerint inita &c.* Si enim sub illa expressa conditione inita fuerint, omni procul dubio Diomedem obligabunt ad ducendam Titiam: cum enim ante dissolutionem priorum Sponsalium valuerint ut conditionata, secuta dissolutione transeunt in absoluta, & actualem obligationem producunt &c. Sed contra respons. ad Casum

Dices primo. Si Sponsus, in gravi morbo constitutus, vovisset absolute jejunium pro singulis diebus Veneris, licet tempore morbi ad jejunium non obligaretur, istud tamen observare teneretur morbo remoto; ergo etiam potest esse obligatus ad standum secundis Sponsalibus post dissoluta prima, licet durantibus istis fuerit obligatus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia votum jejunandi, præfato modo emissum, habet tractum successivum, omnibusque, ac singulis diebus Veneris, postea exituris, ex intentione voventis affixum fuit. E diverso secunda Sponsalia ex hypothesi, quod fuerint absolute contracta, & sic non porrecta ad tempus habile, nec fuerunt affixa, nec affigi potuerunt ex intentione absolute contrahentis tempori postea exituro.

Dices secundo. Diomedes non præsumitur voluisse peccare, sed ita contrahere, ut excluderet peccatum: atqui sine peccato contraxisset, si secundæ Sponsæ se obligasset ad eam ducendam post dissoluta prima Sponsalia; ergo sic contraxisse, & se obligasse præsumendus est, etiamsi hunc contrahendi modum per adjectionem conditionis signate non expresserit.

Respondetur, hic non esse locum præsumptioni, utpote ubi versamur in casu, ac hypothesi, quod Diomedes absolute contraxerit cum Titia contra fidem prius datam Semproniæ; adeoque reipsa peccaverit, si contrahendo posteriora Sponsalia priorum memor fuerit, prout memor fuisset itidem supponitur.

Dices tertio. Si Diomedes, post inita cum Sempronia Sponsalia, cum Titia iniisset Matrimonium ante dissolutionem Sponsalium cum Sempronia initorum, teneretur ducere Semproniam post mortem v. g. Titiæ; ergo etiam in Casu tenetur ducere Titiam, postquam Sponsalia, quæ inierat cum Sempronia, sive per hujus mortem, sive per consensum in dissolutionem præstitum, dissoluta fuere.

Respon-

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est: quia in casu antecedentis Sponsalia fuissent valida, & per Matrimonium subsequens non extincta, sed sopita tantum; prout relinquitur ex dictis *num.*224. At vero in casu consequentis Sponsalia, posterius contracta, fuerunt ab initio invalida; proindeque tractu temporis convalescere non potuerunt, ex immediate dictis: consequenter.

CASUS VI.

274. *Dympna, postquam per annum, & ultra a Digoberto adamata fuerat, tandem spondet ipsi Matrimonium, quam sponsionem etiam Digobertus acceptat, & reciproca sponsione perficit, ac complet. Sed quoniam Dympna a multis inaudit, imo propriis subinde oculis cernit, Digobertum non raro esse cum Perpetua, eamque osculari, amplexari &c. renuit jam stare sponsione sua. Quæritur, An Dympna sufficientem, & justam resiliendi causam habeat?*

RESpondetur affirmative. Ita Palao *tom.*1. *disput.* 1. *pun.*25. *n.*8. Reding. *tom.*8. *q.*3. *art.*1. *controv.*5. *n.*16. Babenstuber *tr.*8. *part.*7. *disp.*1. *art.*4. *n.* 27. & alii contra communiorem aliorum, volentium, Sponsum quidem posse resilire, si videat, Sponsam conversari cum alio, ab eo admittere oscula, amplexus, aut tactus; non item Sponsam, & Dympnam in Casu &c. Ratio autem nostræ responsionis hæc esto: quia ambo, Sponsus scilicet, ac Sponsa, censentur, idque æqualiter, violare in simili casu fidem Sponsalitiam, qua adstringuntur corpus suum alteri non permittere, sed servare intactum illi soli, cui reciprocam fidem dederunt; ergo si Sponso liceat in simili casu resilire (ut volunt ipsimet Adversarii) quidni & liceat Sponsæ? Imo rem vere æstimando, id est, Juridice, & Theologice, prædictos actus in suo corpore tolerare, vel exercere in alieno, idque contra fidem alteri datam, Sponso probrosius est, utpote qui, ceu masculus, deberet esse constantior, ac feminæ, pro qua perorat debilitas sexus. Revide, quæ diximus supra *num.* 259. Accedit, quod præmemorati actus denotent levem, imo licentiosum, & impudicum animum Sponsi cum periculo minoris, etiam post contractum Matrimonium, amoris erga Sponsam: veluti notant PP. Krimer *lib.*4. *tit.*1. *n.*313. & La Croix *lib.*6. *part.*3. *n.*164.

Dices. Ergo si uterque Sponsus prædictos actus exercuerit cum alia, seu tertia persona, neuter resilire poterit; eo quod amborum delicta sint æqualia (vel quasi æqualia) quæ mutua compensatione tolluntur, *c.*6. *de Adult.*

Respondetur, con. illatum, ob rationem immediate allegatam, & propter dicta *n.*258. ubi eademmet ratione permoti, defendimus, neutri Sponsorum resilire fas esse in casu, quo uterque cum tertia persona fornicationem patravit. Pondera ibi dicta, & cum grano salis hic applica. Tradit etiam hanc responsionem P. Franciscus Schmier *lib.*4. *tr.*1. *c.* 5. *n.* 124.

CASUS VII.

275. *Dioscorus, dum uxorem haberet Magdalenam, violavit Julianam, puellam non quidem sibi parem, sed tamen conditionis honestæ; quam iterum, mortua jam uxore Magdalena, carnaliter cognovit; utque ab ulteriore simili commercio sese abstineret, jurato promisit Julianæ Matrimonium, si cum ea demum rem haberet: sed propositi sui parum tenax Dioscorus copulas cum Juliana ultra biennium continuavit, Sponsalibus (ut ut urgeret Juliana) executioni non mandatis, susceptis tamen ex ea binis prolibus: cumque iterum, iterumque instaret Juliana, ut eandem, juxta promissionem sibi factam, duceretur in uxorem, renuit Dioscorus, &, numerata parva pecunia summa, obtinuit a Juliana promissionis Sponsalitiæ remissionem. Quod in præsenti quæritur, solum est, an Juliana promissionem Sponsalitiam licite potuerit remittere?*

RESpondetur, quod Juliana, per se loquendo, licite non potuerit remittere. Ita Cardinalis de Lugo *in Respons. Moral. lib.*1. *dub.*44. *n.*4. Gobat *in Theol. Experim. tr.*10. *n.*286. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 72. Ratio est: quia obligatio, si non Justitiæ saltem Charitatis, & Pietatis erga proles remissioni obstitit; cum ejusmodi proles sic debuerint manere illegitimæ, vel carere insuper mediis ad congruam sustentationem, aut educationem necessariis. Plane in Julianam cecidisse censendum est (inquit P. Gobat *cit.*) illud Apostoli 1. *ad Timoth.* 5. ibi: *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, est infideli deterior.*

Dixi tamen: *per se loquendo.* Nam si Juliana fundate, & moraliter certo timuisset (non enim sufficisset quælibet præsumptio, etiam minus fundata) magnas molestias, crucesque sibi perpetim a Dioscoro inferendas tempore Matrimonii respective contracti, videtur omnino remissionem Sponsalitiæ promissionis licite facere potuisse, non habita ratione liberorum: quia Charitas incipit a seipsa. Gobat, & La Croix *citt.*

CASUS VIII.

276. *Dativa, Puella rustica, Sponsalia init cum Cajo, ejusdem conditionis, & status Juvene. Sed quoniam postmodum ex Chirurgo intelligit, Cajum laborare hernia, a Sponsalibus resilit; novaque contrahit cum Titio, alicujus sartoris filio. Verum enim vero Dativa incidit in scyllam, dum vult vitare charybdim. Siquidem ex eodem Chirurgo rescit, Titium similiter passione herniaca affligi, eaque magis molesta, & periculosa, ac Cajum. Unde Dativa, infelicem suam sortem deplorans, sciscitatur, an a primis Sponsalibus legitime resilire potuerit, & an etiam a secundis pari modo resilire possit?*

RESpondetur ad utrumque Quæstionis membrum affirmative. Ratio est: quia justam a Sponsalibus resiliendi causam, & facultatem præbet notabilis mutatio, seu circumstantia, quæ, si ante contractionem Sponsalium fuisset cognita, merito ab eorum contractione alteram partem (a tali circumstantia immunem) absterruisset; veluti habet communis, & generalis Regula Theologorum, a nobis tradita, & explanata superius *num.*263. atqui circumstantia herniæ, utrumque Sponsum, Cajum scilicet, ac Titium, gravantis, si ante contractionem Sponsalium fuisset cognita, merito ab eorum contractione Sponsam, sive Dativam (a simili malo, ut supponitur, immunem) absterruisset; ergo &c. Min. prob. ex dictis *n.*265. Nam siquis Dativam interrogaret, an, si tempore, quo Sponsalia fecit cum utroque successive Sponso, antefatum malum, & defectum Sponsorum rescivisset, nihilominus contractura fuisset, haud dubie reponeret, se non fuisse contracturam; ergo &c.

Dices cum P. Gobat *loc. cit. n.* 305. rationem probativam procedere quidem, ac suffragari Dativæ in ordine ad resiliendum a Sponsalibus cum Cajo initis, non autem in ordine ad resiliendum a Sponsalibus cum Titio contractis. Rationem disparitatis affert memoratus Author, quod Cajus, cum ponatur esse rusticus, se, suosque alere nequiret, nisi labore rusticano, qui exigit corpus robustum, inque omnes partes versatile, & par magnis oneribus sustollendis, ac portandis; hæ autem qualitates desint herniacis: Titius e diverso, cum sit sartor, & artis sedentariæ, se, suosque sustentare, hernia, vel nullum, vel leve duntaxat incommodum, & impedimentum afferentes. Sed

Contra est, quod allata disparitas vera quidem sit, ad intentum tamen evincendum haud sufficiat: siquidem malum herniæ non solum ponderari debet, in quantum impedit commodam procurationem sustentationis, sed etiam, in quantum impedit, seu difficiliorem efficit redditionem debiti conjugalis, aliaque post se mala trahit. Certe non unus duntaxat maritus herniacus in & occasione Confessionis apud me conquestus est, quod in peragendo cum sua uxore debito magnum sentiat incommodum; imo si debitum frequentius peragat (juxta inclinationem, & proclivitatem tum propriam, tum uxoris) malum herniæ aggravet, seque miserabiliorem reddat, & adhuc inhabiliorem ad copulas cum conjuge habendas, imo etiam respective ad alias functiones, ex quibus sustentatio quærenda foret, exercendas. Certe si Dativa tempore Sponsalium hoc tale malum concatenatum Titii præscivisset, merito & in isto casu a contrahendo absterrita fuisset: consequenter &c.

CASUS IX.

277. Demetrius, SS. Theologiæ, & SS. Canonum Studiosus, perlecta hac Disputatione de Sponsalibus, tria adhuc Dubia affert, & sibi resolvi petit. Primum est, an, & qua ratione solvi Sponsalia possint per dispensationem? Secundum, an ad dissolvenda Sponsalia ob causas, cap. 5. *allatas, ac ventilatas, nunquam opus sit authoritate, & sententia Judicis? Tertium, quomodo de causa aliqua, ut propter eam recessus a Sponsalibus sit Sponsis permissus, constare debeat? Quænam Demetrio ad hæc Dubia resolutiones dandæ sunt?*

RESpondetur primo ad primum Dubium. Quando opus est dispensatione super Sponsalibus, ut si una pars contra dissolutionem Sponsalium ab altera intentatam juste reclamet, dispensare potest S. Pontifex, & nemo alius. Sanchez *lib. 1. de Matrim. disput.* 61, *n.* 3. VVex *in Ariad. part. 5. tr. 2. §. 7. n. 9*, Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 1, n.* 214. Ratio est; quia per Sponsalia alteri parti acquisitum est jus, quod ipsi invitæ nemo auferre potest præter supremum Principem, cujus nomine hic venit solus S. Pontifex. Imo ut S. Pontifex dispensare valeat, requiritur justa, & gravis causa, vel, si Sponsalia sint firmata juramento, etiam gravissima, commune bonum concernens. Authores *citt.*

Respondetur secundo ad secundum Dubium. Quando causa dissolvendi, aut rescindendi Sponsalia est justa, & certo subsistit, per se loquendo, authoritas Judicis, secluso speciali Jure, non requiritur ad illorum dissolutionem, aut rescissionem. Engel *lib. 4. tit. 1, §. 3, n.* 12. Pirhing *ibid. n.* 65. Konig *ibid. n.* 80. & alii passim. Ratio est: tum quia nullo Jure, saltem communi, præcipitur, ut Sponsalia, subsistente justa causa, non dissolvantur, aut rescindantur, nisi interveniente authoritate Judicis; tum quia Sponsalibus inest tacita conditio, si non superveniat justa causa illa dissolvendi, aut rescindendi; per consequens si talis causa superveniat, eorum dissolutio, aut rescissio permissa est Sponsis, quin interveniat authoritas Judicis.

Dixi autem 1. *Quando causa dissolvendi &c. est justa, & certe subsistit.* Nam si de justitia, aut subsistentia causæ dubitetur, dissolutio, sive rescissio Sponsalium, non videtur permittenda sine authoritate Judicis: quia in dubio nemo jure suo privari debet, & aliis melior tunc est conditio possidentis. Sanchez *loc. cit. disp.* 69. *n.* 8, Palao *tr.* 28. *disp. 1. pun.* 31, *n.* 1. Perez *disp.* 11, *sect.* 3, *n.* 8.

Dixi 2. *Per se loquendo.* Per accidens enim recedenti a Sponsalibus authoritas Judicis aliquando necessaria esse potest, puta ad declinandum, & avertendum scandalum, quando Sponsalia publice nota, causa autem dissolutionis ignota est. Palao ubi supra *num.* 2, Bosco *de Matrim. disp.* 12. *sect. 2. conclus.* 11, Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 217.

Dixi 3. *Secluso speciali Jure*, id est, nisi in aliqua Diœcesi ordinatum sit, ut Sponsalia, v. grat. publica, nequeant dissolvi, nisi accedat authoritas Judicis Ecclesiastici. Sic ordinatum esse in Diœcesi Frisingensi, testatur P. Reiffenstuel *lib. 4. tit.* 1. *n.* 208. & iterum *tr. posthum. de R. J. cap.* 1. *R. J. n.* 6. ubi diserte tradit, quod Sponsalia coram Parocho publice contracta, vel secreto quidem contracta, postmodum tamen divulgata, in altefata Diœcesi non cessent, nisi interveniat authoritas Judicis Ecclesiastici. Idem est in Diœcesi Constantiensi; uti testatur Gobat *in Theol. Experim. tract.* 10, *num.* 261.

Dices contra respons. *In cap. 7. de Desponf. impub.* cavetur, ut impuberes, qui pubertatem adepti a Sponsalibus recedere cogitant, judicio Ecclesiæ ab invicem separentur; ergo &c.

Respondetur, neg. cons. Neque enim *in cit. capit.* asseritur, ad rescindenda Sponsalia necessarium esse judicium Ecclesiæ, sed tantum jubetur, ut Judex Ecclesiasticus, si coram ipso impubes, pubertatem adeptus, reclamet, & a Sponsalibus recedere velit, eum exaudiat, ac separet.

Respondetur tertio ad tertium Dubium cum distinctione. Vel enim causa recedendi a Sponsalibus præcise talis est, ut præbeat facultatem resiliendi, quin Matrimonium ipsum dirimat, aut impediat, cujusmodi sunt fornicatio alterius partis, morbus &c. contractioni Sponsalium superveniens: vel est talis, ut dirimat, aut impediat Matrimonium, cujusmodi est v. g. affinitas, aut votum Castitatis contractionem Sponsalium antecedens. Si primum; requiritur plena probatio (quæ nimirum fiat per duos testes omni exceptione majores) saltem pro foro externo, pro quo regulariter toties necessaria est plena probatio, quoties agitur (uti etiam contingit in præsenti) de præjudicio tertii, *cap.* 23, *de Testib. & Attest.* Si secundum; sufficit semiplena probatio, etiam per famam, vel testem unum, quamvis non omni exceptione majorem, *c.* 22. *eod. & cap.* 12. *de Sponsal.* quia agitur de periculo animæ, & vitando peccato, ubi minor probatio sufficere potest. Excipe; nisi Sponsalia essent jurata; tunc enim non sufficeret unus testis, nisi foret omni exceptione major. Sanchez *lib. 1. disp.* 71. *a n.* 6. Pichler *lib. 4. tit.* 1, *n.* 71, & alii. Sed

Dices, Ad dissolvendum Matrimonium non sufficit unus testis, deponens de impedimento dirimente, *cap.* 47. *de Testib. & Attest. & cap.* 1, *de Consang. & Affinit.* quamvis etiam agatur de vitando peccato; ergo nec sufficit unus testis ad dissolvenda Sponsalia, licet pro causa dissolvendi allegetur impedimentum Matrimonii dirimens.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conseq. & parit. Disparitas est: quia, quando impugnatur Matrimonium, impugnatur vinculum de se indissolubile, & simul jus alterius non modo quæsitum, sed etiam actualiter jam possessum: quando autem agitur ad dissolvenda Sponsalia, multis modis dissolubilia, per quæ nondum est jus in re quæsitum, multo minus possessum, aliter discurrendum est; quia sic evitari potest peccatum sine læsione juris realis jam possessi. Pichler ubi supra.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio ipso.

POst Sponsalia justo ordine sequitur Matrimonium; nam ad hoc illa tanquam via ad terminum, a contrahentibus intentum, deducunt. Accipi autem potest Matrimonium dupliciter, videlicet, ut est *Contractus*, & ut est *Sacramentum*. Sub utraque ratione in præsenti disputatione expendendum venit. Sit jam

---

CAPUT I.

De Institutione, & Natura Matrimonii.

ARTICULUS I.

Quando Matrimonium fuerit institutum? quid sit, & quotuplex?

SUMMARIUM.

278. *Quid sit Matrimonium vi nominis?* 279. *Quando fuerit institutum?* 280. *In quem finem ordinatum?* 281. *Describitur*, 282. *&* 283. *Qualiter descriptio sit intelligenda?* 284. *Matrimonii divisio*, 285. *Consummatur per copulam, vi extortam, intra primum bimestre.* 286. *Matrimonium conscientia est validum, & licitum per se loquendo.*

278. PRænotandum, Matrimonium a *matre* potius nuncupari, quam a *patre*, quod ex fine suo primario ordinetur ad generationem prolis, in qua matris onus, & munus gravius est, ac patris. Vocatur alio nomine *Conjugium*, quatenus mas, & femina quasi ad jugum Matrimoniale ducendum copulantur. Appellatur præterea *Connubium*, vel, quod crebrius est, *Nuptiæ*, appellatione desumpta *a nubendo*, vel *obnubendo*; quia puellæ nupturæ olim, obvelata facie in signum pudicitiæ, incedere debuerunt, *can. 7. & 8. caus.* 30. *q.* 5. Unde & hodie *Nuptiarum* nomine intelligitur potius solemnitas, ac celebritas illa, quæ contra-

Qui

ctui Matrimoniali conjungitur, & certis temporibus per SS. Canones prohibetur, quam contractus ipse Matrimonialis, qui nullo non tempore licite initur. Sed hoc de nomine Matrimonii, Ad rem ut progrediamur.

279. Dico primo. Deus Matrimonium (1) sub ratione Contractus indissolubilis instituit in Paradiso terrestri, quando per Adamum *Genes.* 2. protulit hæc verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Et erunt duo in carne una &c.* quod postmodum (2) Christus ad rationem Sacramenti elevavit, & sub ratione Sacramenti instituit, quando *Matth.* 19. dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Probatur prima pars tum ex *cap. unic. de Voto, & Voti Redempt. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait: *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola institutione Ecclesiæ est inventa, Matrimonii vero vinculum ab ipso Ecclesiæ Capite, rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso, & statu innocentiæ instituente, unionem, & indissolubilitatem acceperit &c.* Tum ex Conc. Trident. quod *Sess.* 24. *in Doctrina de Sacram. Matrim.* ita fatur: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Genes.* 2. Fuit proinde hic Matrimonium sub ratione contractus indissolubilis a Deo institutum per inspirationem Adæ factam, & ab hoc tanquam Dei præcone promulgatum. Id quod confirmatur ex *Matt.* 19. Ubi Christus Adami verba refert tanquam a Deo dicta per ipsum: *Non legistis, quia qui fecit hominem, ab initio masculum, & feminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Atque ita sentiunt S. Augustinus *lib.* 1. *contra duas Epistol. Pelagianorum cap.* 5. ubi ait, *a Deo Nuptias esse institutas tunc, quando dictum est: propterea relinquet homo &c. Genes.* 2. S. Bonaventura *in 4. dist.* 26. *artic.* 1, *quæst.* 2. *num.* 8. Scotus *in 4. dist.* 26. *q. unic.* Mastrius, Bosco, Panger &c.

Probatur etiam secunda pars. Nam quando Christus *Matth.* 19. veluti illative pronunciavit, & dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: approbavit contractum Matrimonii institutum *Genes.* 2. & renovavit, firmavit, ausi que ejus indissolubilitatem; uti patet ex verbis immediate relatis; atqui hoc non est aliter factum, quam per superadditam rationem, & dignitatem Sacramenti; ergo tunc Christus contractum Matrimonialem elevavit ad rationem, & dignitatem Sacramenti; atque adeo Matrimonium instituit sub ratione Sacramenti. Id quod patet pensanti verba, & docent Scotus ubi supra, Sanchez, Mastrius, Herincx, Panger, & alii.

280. Colliges, Matrimonium ante lapsum Adami solummodo fuisse ordinatum in officium naturæ ad liberos procreandos, & educandos; post illum vero etiam in remedium concupiscentiæ, nempe ut voluptati carnis certus quidam modus secundum rectam rationem poneretur. Hoc tamen non sic intelligendum, quasi Matrimonium, quod prius ordinatum erat in officium naturæ, postea per novam institutionem fuerit ordinatum in remedium concupiscentiæ; sed quod primitus statim ab Authore naturæ Deo fuerit institutum, ut, supposito Adami lapsu, & passione concupiscentiæ inde consecuta, etiam (nempe secundario) deserviret in remedium concupiscentiæ: prout recte notat P. Herincx *disp.* 2. *de Matrim. q.* 1. *n.* 5.

281. Dico secundo. Matrimonium (1) sub ratione contractus actualis spectatum, est *consensus mutuus, quo mas, & femina sibi invicem tradunt jus in corpora ad actus ex se aptos ad generationem prolis, & ad individuam vitæ societatem se obligant*: spectatum vero (2) sub ratione Sacramenti, contractui superadditi, & annexi, est *conjunctio maritalis, spiritualis gratiæ collativa*. Ita quoad rem DD. communiter.

Explicatur prima descriptio. Dicitur 1. *mas, & femina* in singulari, ut removeatur *Polygamia*, de qua in *cap.* 3. disseremus. Dicitur 2. *sibi invicem tradunt*, & (quod subauditur) acceptant: debet enim fieri reciproca promissio, & acceptatio. Dicitur 3. *jus in corpora ad generationem prolis*; nam mas, & femina, dum Matrimonium contrahunt, conferunt sibi invicem jus, saltem radicale, in corpora relate ad usum generationis; veluti patet ex 1. *Cor.* 7. ibi: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Dicitur 4. *& ad individuam vitæ societatem se obligant*, ut denotetur indissolubilitas Matrimonii: siquidem *dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ. Matth.* 19. item, *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* 1. *Cor.* 7.

Explicatur etiam secunda descriptio, quam in terminis tradit P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 288. Dicitur 1. *conjunctio maritalis*: ubi exprimitur convenientia Matrimonii, ut est contractus, & ut est Sacramentum, juxtaque innuitur differentia Matrimonii, ut Sacramenti, ab aliis Sacramentis, quippe in conjunctione maritali non fundatis. Dicitur; *gratiæ spiritualis collativa*. Ubi per *gratiam spiritualem* intelligitur tum gratia sanctificans, tum actualia auxilia ad obligationes Matrimonii melius implendas, ad amorem conjugum perficiendum, & ad onera facilius perferenda. Per particulam *collativa*, denotatur, quod Sacramentum Matrimonii, non minus, ac alia Sacramenta, gratiam conferat suscipientibus, quando hi nullum opponunt obicem.

282. Colliges primo, primam descriptionem tantum competere Matrimonio, ut obtinet rationem contractus *actualis*, & spectatur *in fieri*; non autem, ut obtinet rationem contractus *habitualis*, & spectatur *in facto esse*; nam posteriore modo spectatum, importat statum permanentem; sive (ut loquitur Scotus *in 4. dist.* 26. *q. unic.*) *vinculum indissolubile inter marem, & feminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandam prolem, & debite educandam*. Estque reipsa nihil aliud, quam denominatio extrinseca, ex præterito contractu Matrimoniali relicta, vi cujus contrahentes manent inter se colligati cum quodam dominio, & subjectione ad observanda ea, quæ conjugum sunt. Herincx ubi supra *n.* 1. Sporer *n.* 289. & alii.

283. Colliges secundo, secundam quoque descriptionem solum competere Matrimonio, ut est Sacramentum; adeoque ut spectatur *in fieri*, non vero, ut spectatur *in facto esse*; nam posteriore hoc modo spectatum, non potest dici *conjunctio maritalis*, utpote quæ suapte natura est quid transiens; nec *gratiæ collativa*; alias sequeretur, conjuges toties ex opere operato gratiam recepturos, quoties, in statu gratiæ existentes, Matrimonio uterentur; quod (ut reor) nemo admiserit. Verbo, Matrimonium solummodo *in fieri* est Sacramentum, & conjunctio maritalis spiritualis gratiæ collativa; non item *in facto esse*; ut sic enim importat vinculum, *num. præced.* descriptum, aliquo tamen modo firmius, magisque indissolubile, augmento firmitatis, & indissolubilitatis a superaddita ratione Sacramenti orto, & relicto. Palao *tr.* 28. *disp.* 2. *pun.* 2. *n.* 3. Bosco *de Matr. disp.* 11. *sect.* 4. *conclus.* 3. *n.* 132. Panger *loc. cit. n.* 7.

284. Dico tertio. Matrimonium præcipue dividitur in *Legitimum*, *Ratum*, & *Consummatum*.

Explicatur. Matrimonium Legitimum est, quod præcise juxta Leges Naturales, & Civiles contrahitur, absque hoc, quod ab Ecclesia ratum habeatur, aut Sacramentum sit. Talia sunt Matrimonia, quæ contrahuntur inter Turcas, Judæos, aliosque Infideles non baptizatos. Matrimonium Ratum est, quod inter Christianos, ac Fideles juxta Leges Ecclesiasticas rite contrahitur, atque ideo ratificationem Ecclesiæ, & rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum accessit commixtio corporum, seu copula carnalis. Matrimonium Consummatum est, cui copula carnalis accessit, eaque perfecta, & talis, quæ per se sit apta ad generationem prolis (licet hæc per accidens, v. g. propter sterilitatem, aut senium mulieris, non sequatur) & faciat, ut conjuges per commixtionem seminum efficiantur una caro.

Dixi in conclus. *præcipue*. Nam aliud porro Matrimonium dicitur *Solemne*, aut *Civile*, in quo nimirum ea insuper concurrunt, quæ requirit Jus Civile, uti sunt pacta dotalia, traductio publica Sponsæ in domum Sponsi &c. Et aliud *Insolemne*, aut *Canonicum*, in quo solum

lum ea concurrunt, quæ a SS. Canonibus requiruntur, maxime præsentia Parochi, & testium. Ad hanc posteriorem Matrimonii speciem, vel quasi speciem refertur Matrimonium *Morgenaticum*, seu *ad Morgenaticam*, quod etiam appellatur *Matrimonium Conscientiæ*, quale nonnunquam Viri illustres, vitandæ fornicationis ergo, contrahunt cum femina inferioris conditionis, coram Parocho quidem, & testibus (nam absque istis contractum subsistere non posset, saltem in loco, ubi Tridentinum est receptum) plerumque tamen occulte, eo pacto, ut conjux, & liberi, ex ea suscepti, *Morgengeba*, seu *Morgenatica*, id est, dono nuptiali, aut alia certa portione, ad suam sustentationem necessaria, sint contenti, conditionem vero, & dignitatem Mariti non participent, atque a ceteris bonis paternis, titulisque, & insignibus abstineant, videlicet in favorem primæ uxoris, & liberorum ex ea progenitorum.

285. Quæres primo, an Matrimonium consummetur per copulam, vi extortam intra primum bimestre?

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Henriquez *lib.* 11. *de Matr. cap.* 8. *n.* 10. Rodriquez *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *cap.* 239. *n.* 2. Sanchez *libr.* 2. *de Matrim. disp.* 22. *n.* 4. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 230. & alii contra alios. Ratio est: tum quia per copulam vi extortam conjuges efficiuntur una caro: tum quia ex illiusmodi copula consurgit impedimentum affinitatis, quod non consurgit ex Matrimonio solum rato.

Respondent Adversarii, rationem nostræ responsionis probativam labefactari ex eo, quod etiam copulam fornicariam exercentes efficiantur una caro, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 6. *v.* 16. ibi: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*: & ex quavis copula illicita nascatur impedimentum affinitatis, juxta Trid. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reformat. Matrim.* Sed

Contra est, per hanc responsionem neutiquam infringi vim nostræ rationis probativæ; cum plane nulla sit paritas, ad rem præsentem faciens, inter copulam fornicariam, & conjugalem, etiam vi extortam: siquidem illa exercetur extra Matrimonium, hæc intra; affinitas ex illa consurgens se porrigit ad secundum duntaxat gradum, consurgens vero ex ista usque ad quartum &c. Verum hoc amplius elucescet ex solutione reliquorum argumentorum, quæ opponi ab Adversariis solent. Quibuscum proinde

Dices primo. Tunc solummodo Matrimonium in esse consummati per copulam constituitur, quando per actum Justitiæ commutativæ conjux unus petit, & alter reddit, quod debet: atqui hoc non contingit, quando unus alterum intra primum bimestre vi opprimit; cum eo tempore nec opprimens jure petat, nec oppressa jure debeat; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Quia sic nec consummaretur Matrimonium casu, quo vir opprimit mulierem a concedenda copula juste (puta ratione infirmitatis) excusatam; cum tunc nec vir jure petat, nec mulier reddat, quod jure debet, utpote tunc Jure naturali a reddendo debitum deobligata. Certe qui mulierem liberam vi opprimit oppressione prolis susceptæ inductiva, vere committit copulam consummatam, & perfectam, esto absit consensus mulieris; ergo si inter opprimentem, & oppressam sit Matrimonium, erit vere consummatum, licet mulier in eam oppressionem non consentiat.

Dices secundo. Ut Matrimonium sit consummatum consummatione vera, id est, illud reddente indissolubile vi perfectæ significationis Sacramentalis, ejus consummatio non minus debet esse voluntaria conjugibus, quam unio Christi cum Ecclesia, & Verbi Divini cum natura humana fuerit voluntaria Christo, & Verbo Divino: sed hoc non contingit in casu, quo conjux per vim opprimitur; ergo &c.

Respondetur primo, argumentum retorquendo per deductionem hujus sequelæ contra Adversarios; Ergo, sicut sufficit, quod unio illa Christi cum Ecclesia, & Verbi Divini cum natura humana, fuerit voluntaria, & libera soli Christo, & Verbo, quin necessario esset libera Ecclesiæ, vel humanæ naturæ; ita sufficiet, quod ea copula fuerit libera uni Conjugum, scilicet opprimenti.

Respondetur secundo, neg. maj. Nam perfecta significatio Sacramentalis, quæ reperitur in Matrimoniis fidelium consummatis, proficiscitur ab unione Christi, & Verbi, sumpta quoad substantiam, non quoad modum: substantia vero talis unionis stat in hoc, quod natura humana sit assumpta in identitatem suppositi cum Verbo Divino; ad quod nihil confert modus (assumptionis liberæ) utpote qui aliunde nascitur, videlicet ex perfectione Dei necessario liberi in operationibus ad extra.

Dices tertio. Si Matrimonium per copulam vi extortam vere consummaretur, conjux intra primum bimestre oppressa non posset amplius intra tale tempus Religionem intrare: sed hoc dicere videtur durum; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Vi privilegii, conjugibus, in Matrimonio tantum rato existentibus, indulti, con. vi injuriæ damnosæ sibi illatæ, neg. maj. per se loquendo. Sed hoc posterius dicere videtur durum, con. prius, neg. minor. & conseq. Per copulam vi extortam mulieri oppressæ aufertur quidem jus, ei competens ex privilegio (stante Matrimonio solum rato) transeundi ad Religionem, & sic tale Matrimonium dissolvendi etiam quoad vinculum; non tamen aufertur, imo tribuitur jus intrandi Religionem, perstante tamen Matrimonii vinculo, ratione damni in hoc passu sibi injuriose illati, nec aliter reparabilis, quam per consensum oppressoris præstitum oppressæ ad Religionis ingressum; quem proinde consensum ex Jure naturali idem oppressor dare, sicut potest, ita tenetur.

Instabis. Etiam videtur durum dicere, quod conjux oppressa, quippe innocens, privetur privilegio intrandi Religionem, quamvis illo juste privetur oppressor, ceu nocens; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Privatione pœnali, seu punitiva, con. privatione legali, & dispositiva, neg. ant. & cons. Privilegium intrandi intra primum bimestre Religionem ex dispositione Juris concessum est Conjugibus (idque specialiter in favorem Religionis amplectendæ) Matrimonium duntaxat ratum, non vero consummatum habentibus: unde si hoc consummetur, vi ejusdem dispositionis privilegium cessat, etiam ex parte innocentis. Revide, quæ tradidimus *part.* 4. *num.* 85. & cum grano salis huc applica. Quare quoad amissionem antefati privilegii pari passu ambulant oppressa, & oppressor; disparis tamen conditionis existunt in eo, quod oppressa adhuc intrare Religionem possit propter injuriam damnosam, sibi ab oppressore illatam (prout dictum, & expositum est *in respons. ad argum.*) non item oppressor, quippe nullam ejusmodi injuriam ab oppressa passus. Videatur P. Krimer *lib.* 4. *tit.* 1. *an.* 465.

Dixi autem in respons. ad argum. & distinctione majoris: *per se loquendo*. Nam oppressa impediri per accidens a Religionis ingressu potest; ut si ab oppressore effecta sit gravida, & proli inde secutæ recta desit educatio, quæ absque matre vix fieri potest. Sanchez ubi supra *n.* 7. Krimer *n. cit.* & alii.

286. Quæres secundo, an Matrimonium *Conscientiæ*, seu *ad Morgenaticam*, sit validum, & licitum?

Respondetur, esse (1) validum, & (2) etiam licitum, ac honestum, per se loquendo. Ita cum communi P. Schmalzgrueber *loc. cit. n.* 238. Ratio primi est: quia tale Matrimonium initur coram Parocho, & testibus (uti supponitur) neque involvit aliquid aliud, quod contra substantiam, & valorem Matrimonii pugnet. Ratio secundi est: quia finis, ob quem initur, licitus, imo positive honestus est; cum ineatur, tum ut Maritus (aut vicissim Uxor) sit extra periculum incontinentiæ, quæ ratio innuitur *l.* 2. *Feud. tit.* 29. tum ut liberis, ex priore Matrimonio relictis, nullum creetur præjudicium; sicque in suo nitore, & decore conserventur Familiæ illustres. Confirmatur utraque pars ex praxi, qua constat, Viros (aut vicissim Feminas) illustres ex justa status ratione illiusmodi Matrimonia contraxisse, quin eorum valor, & liceitas unquam in dubium revocaretur.

Dices. Conjux in Matrimonium *Morganaticum*, seu *Conscientia* ducta, non reputatur pro vera Uxore; ergo nec ipsum Matrimonium potest reputari pro vero, & legitimo Matrimonio.

Respon-

Respondetur, explicando, & dist. ant. In ordine ad nonnullos effectus Civiles, qui amputantur, ut scilicet Uxor non participet dignitatem Mariti, ut filii ex ea suscepti Familiæ paternæ insignibus non utantur, neque in titulis, prærogativis, & ditionibus patris succedant, con. in ordine ad alios effectus, Theologicos, Canonicos, vel etiam Civiles, puta, ut non possit petere, & reddere debitum conjugale, ut ejus liberi non sint legitimi &c. neg. ant. & conf. siquidem in hoc posteriore sensu, sicut Uxor reputatur, & est verum, ac legitimum Matrimonium.

Dixi tamen supra, tale Matrimonium esse licitum *per se loquendo*. Cavenda nanque hic est petra scandali, quod inde oriri posset vel inter domesticos, vel etiam inter extraneos. Inter priores quidem, si adverterent, illiusmodi Conjuges se passim gerere ut Conjuges; & nullam haberent notitiam de Conjugio eorum, quippe (uti plerumque fieri assolet) occulte contracto. Inter posteriores autem, si adverterent, vel inaudirent, Conjugem effectam esse gravidam, vel peperisse prolem; cum tamen & ipsi ignorantia initi Matrimonii laborarent. Ad hanc igitur petram scandali removendam, oportebit, Matrimonium, occulte contractum, detegere domesticis, & per hos, aut alios (saltem quando subest periculum impraegnationis, prolisque eventuræ) divulgare apud extraneos.

ARTICULUS II.

Expediuntur nonnullæ Quæstiones, eæque sat celebres, circa Naturam Matrimonii.

POstquam in præcedenti articulo explanavimus Naturam Matrimonii, tam ut Contractus, quam ut Sacramentum est, occurrunt hic consequenter aliquot Quæstiones eandem Naturam concernentes, vel stipantes, quarum resolutiones per distinctos paragraphos daturi sumus. Esto igitur

§. I.

An Matrimonium infidelium, si ambo Baptismum suscipiant, evadat Sacramentum?

SUMMARIUM.

287. *Matrimonium infidelium, quamvis postea Baptismum suscipiant, nunquam evadit Sacramentum,* 288. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 291. *& seqq. Deducuntur corollaria, & illustratur conclusio.*

SEntentiam affirmativam tenet multi, licet in modo eam tuendi discrepent. Nam aliqui volunt, ejusmodi Matrimonium ipsa Baptismi susceptione evadere Sacramentum: alii e diverso concedunt, id primum fieri, quando Conjuges, post susceptum Baptisma, verbis, vel aliis signis externis pristinum consensum expresse renovant, & ex hypothesi, quod sic renovent, Sed ego in castra simpliciter negantium concedo, &

287. Dico. Matrimonium infidelium, quamvis postea Baptismum suscipiant, nunquam evadit Sacramentum. Amicus hic *disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 28. Mastrius *in* 4. *disp.* 7. *n.* 32. Panger *lib.* 4. *disp.* 2. *de Matrim. n.* 56. & alii communius.

Probatur conclusio primo contra Adversarios, qui adhibent priorem modum in tuenda sententia opposita, Matrimonium, *in fieri* duntaxat spectatum, sortitur rationem Sacramenti; non item *in facto esse*, ex dictis *n.* 283. atqui Matrimonium infidelium, quando hi, post illius contractionem, ad fidem conversi, Baptismum suscipiunt, non amplius versatur *in fieri*, sed jam *in facto esse*, ut patet; ergo non sortitur tunc rationem Sacramenti.

Probatur conclusio secundo contra Adversarios, qui utuntur posteriore modo defendendi sententiam oppositam. Illa renovatio consensus Matrimonialis non constituit novum contractum Matrimonii, sed tantum ratificat antiquum; ergo nullum efficit Sacramentum, Conf. constat: siquidem, cum ratio Sacramenti annexa sit contractui Matrimonii in fieri, Sacramentum tunc solum efficitur, quando contractus ille (a fidelibus) fit, seu initur, Ant. facile ostenditur. Nulla res potest habere binam existentiam; ergo cum contractus Matrimonialis infidelium jam habeat suam existentiam, susceptioni Baptismatis præsuppositam, hoc suscepto nequit acquirere novam, etiamsi contractus Matrimonialis renovetur, alias haberet binam. Atque hæc probatio facile sic instrui valet, ut etiam premat Adversarios, in defendenda sententia opposita priorem modum tenentes; uti vel obiter consideranti patebit.

Confirmatur. Si illa renovatio consensus Matrimonialis sufficiat, ut Matrimonium infidelium, suscepto Baptismate, evadat Sacramentum, sequitur, Conjuges fideles toties novum Sacramentum Matrimonii conficere, ac recipere, quoties contractum Matrimonii prius initum novo consensu ratificant, & restaurant: sequela autem a nemine admittitur; ergo &c.

288. Objicies primo. Matrimonium infidelium susceptione Baptismi evadit ratum, & significativum conjunctionis Christi cum anima per Charitatem, & gratiam; ergo evadit Sacramentum.

Respondetur, neg. conf. Ut enim Matrimonium infidelium evadat ratum, & significativum memoratæ conjunctionis Christi cum anima, satis est, quod modo consistat, sive perseveret inter conjuges fideles, & baptizatos; sic quippe jam est signum speculativum, & symbolum rei sacræ (dictæ scilicet conjunctionis) a Christo institutum. Ut vero Sacramentum evaderet, deberet fieri signum practicum gratiæ sanctificantis; quæ tamen prærogativa illi competere amplius non potest, ut dictum, & probatum manet.

Instabis. Ergo Matrimonium infidelium etiam ante eorum conversionem, & susceptionem Baptismi poterat dici ratum, & significativum conjunctionis Christi cum anima per Charitatem, & gratiam. Prob. illatum: siquidem & tunc erat signum speculativum rei sacræ, juxta *cap.* 8. *de Divortiis*, ubi Matrimonium infidelium dicitur *Sacramentum*, hoc accipiendo pro signo rei sacræ.

Respondetur, neg. illatum. Ad prob. ajo, utique Matrimonium infidelium jam ante eorum conversionem, & Baptismum fuisse signum rei sacræ: sed non tale, quale post Baptismum: nam ante Baptismum erat signum rei sacræ, simile aliis ejusmodi signis in Jure naturali, & Lege veteri existentibus; *rei sacræ*, inquam, id est, suum subjectum quasi legaliter sanctificantis: at post Baptismum est signum rei sacræ, prout a Christo institutum, & repræsentativum conjunctionis Christi cum anima per Charitatem, & gratiam. Barbosa in *citat. cap.* 8. *de Divort. n.* 5. & cum eo P. Krimer *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 357.

289. Objicies secundo. Videtur omnino alienum a Bonitate Dei, quod Conjuges infideles, ad Christianam fidem conversi, & susceptione Baptismi membra Ecclesiæ effecti, perpetuo carere debeant gratia Sacramentali, & auxiliis ad onera Matrimonii sufferenda necessariis: atqui hoc contingeret, nisi Matrimonium illorum per, vel post susceptionem Baptismi in Sacramentum transiret; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Nisi Deus illum defectum gratiæ Sacramentalis, & prærnemoratorum auxiliorum suppleret collatione aliarum gratiarum, transeat, si suppleat, uti supplere omnino, & pie præsumitur, neg. maj. &, concessa minore, pariter distinguendum est conf. Magis congruum, & (ut ita dicam) connaturale est, si Deus intuitu Fidei, & Baptismi suscepti dicatur supplere defectum gratiæ Sacramentalis, & auxiliorum, Sacramento Matrimonii Conjugibus conferri solitorum, quam si asseratur instituisse Sacramentum, in contractu fundatum, pro tempore, quo contractus jam totus transiit, & non amplius existit, atque ita conferre gratiam Sacramentalem cum annexis auxiliis, vel jure ad illa; præsertim cum pro eo tempore & materia Sacramenti Matrimonii, videlicet traditio consensualis corporum, & forma, illius nempe traditionis acceptatio (istæ nanque rationem materiæ, & formæ in Sacramento Matrimonii obtinent, secundum dicenda *cap. seq.*) deficiant; siquidem consensus sive implicitus, in susceptione Baptismi inclusus, sive explicitus, post susceptum Baptismum elicitus, solum est ratihabitio traditionis, & acceptionis jam antea factæ: prout abunde liquet ex dictis.

Dixi in distinctione majoris: *transeat*; nam licet

Deus defectum gratiæ Sacramentalis, & auxiliorum illorum oon suppleret collatione aliatum gratiarum specialium, nihil a sua Bonitate alienum committeret; modo adhuc daret (uti certo daret) gratias communes, seu commoniter sufficientes ad onera Matrimonii sufferenda. Accedit, quod defectus gratiæ Sacramentalis, & dictorum auxiliorum refundendus sit in infortunium, vel etiam culpam ipsorummet Conjugum, quatenus hi inculpabiliter, vel culpabiliter Christianam fidem oon recepere, antequam Matrimonio copularentur,

Dices. Esto Contractus Matrimonii, quem infideles aote susceptum Baptisma inierunt, non amplius existat physice in vel post susceptionem Baptismi, existit tamen adhuc moraliter, in Matrimoniali nempe vinculo a se relicto; ergo sufficit, ut in eo, post Baptisma susceptum, adhuc fundetur, & superaddatur ratio Sacramenti.

Respondetur, neg. cons. Nam Christus rationem Sacramenti annexuit Contractui in fieri, & physice existenti, seu ipsi actioni transeunti: & ideo vel Matrimonium est Sacramentum, quando Contractus Matrimonialis in fieri, & physice existit, sive quando actio illa fit, & transit; vel nunquam evadet, & erit Sacramentum.

290. Objicies tertio. Tales Conjuges possunt post Baptismum suscipere Benedictionem Nuptialem, qualis impertiri solet post Matrimonium a Fidelibus in ratione Sacramenti contractum; ergo signum est, quod illorum Matrimonium transierit in Sacramentum, Prob. cons. Quia solemnis illa Benedictio instituta est, tanquam sacra ceremonia, ad ornatum Matrimonii qua Sacramenti.

Respondetur, omisso antecedente (de quo *n. seq.*) neg. cons. Probat. dist. Benedictio illa est instituta, tanquam ceremonia sacra, ad ornatum Matrimonii qua Sacramenti, ita, ut cum hoc habeat indispensabilem connexionem, & sit ejus infallibile signum, neg. ut talem connexionem, & infallibilitatem in ratione signi non habeat, con. Sicut igitur Conjuges, post initum Conjugium non tenentur præmemoratam Benedictionem recipere (dato etiam, quod eorum Matrimonium evaserit Sacramentum) ut mox dicemus; ita quando recipiunt, hæc talis receptio non recte statuitur pro infallibili signo Sacramenti Matrimonii, cum possit adhuc pium, & bonum habere effectum, quemadmodum habere noscuntur aliæ benedictiones in Ecclesia consuetæ.

291. Colliges ex dictis primo, Conjuges infideles, post sui ad Sacra O thodoxa conversionem, oon teneri suum Matrimonium renovare coram Parocho, & testibus. Ita cum communi aliorum Senchez *libr. 2. disp. 9. n. 1.* Ratio est: tum quia illud jam valide contraxerunt, *cap. 8. de Divortiis*, tum quia solemoitas illa a Trid. *Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* pro solo Matrimonio, quod Fideles contrahunt, præscripta est. Similiter iidem Conjuges conversi non obligantur ad benedictiones, & velationes Ecclesiæ recipiendas, dato etiam, quod eorum Matrimonium transierit in Sacramentum. Ita denuo cum communi Sanchez ubi supra *n. 2.* Ratio itidem est: quia memoratæ benedictiones, & velationes ab Ecclesia institutæ sunt, ut concomitarentur Matrimonia, quæ a Fidelibus contrahuntur, & tunc, quando contrahuntur, rationem Sacramenti annexam habent. Putant tamen prælaudatus Saochez, & alii, dictos Conjuges benefacere, si benedictiones recipiant: at Ricciolus apud Bossium negat, id servari in Urbe rerum sacrarum Magistra,

292. Colliges secundo, quamvis legitimum Matrimooium infideliom, suscepto Baptismate, migret in ratum, evadatque insolubile, sic, ut neuter possit alterum relinquere (prout ante poterat, si ipse conversus fuisset, & alter in sua perfidia perstitisset; de quo infra *n. 362.*) hoc tamen non provenire ex eo, quod Contractus Matrimonialis a Conjugibus jam baptizatis renovetur; sed inde, quod, suscepto Baptismate, sollatur causa prædictæ solubilitatis, in eo sitæ, quod unus, non alter Baptismum susceperit. P. Krimer *lib. 4. tit. 1. n. 353.*

293. Colliges tertio, Matrimonium legitimum infidelium, consummatione sui post susceptionem Baptismatis, reddi etiam omnino insolubile, non ex hoc, quod consummatione Sacramentum efficiat novus contractus suscepto Baptismate, ut dictum; sed ex eo, quod legitimi, & rati Matrimonii consummatio, utpote facta a Fidelibus, significet unionem Christi cum Ecclesia, & Verbi Divini cum natura humana. Pat. Krimer *loc. cit. n. 354.*

§. II.

An Matrimonium, quod fidelis cum infideli dispensative contrahit, sit, saltem ex parte fidelis, Sacramentum?

S U M M A R I U M.

294. Matrimonium, a Fidelibus contractum, est unum duntaxat Sacramentum ex parte utriusque contrahentis. 295. Matrimonium, quod fidelis cum infideli ex S. Pontificis dispensatione contrahit, neque ex parte fidelis Sacramentum est. 296. & seqq. Diluuntur argumenta contraria,

294. PRænotandum, Matrimonium, a Fidelibus contractum, esse unum duntaxat Sacramentum ex parte utriusque contrahentis, oon autem duo Sacramenta partialia, ex quibus unum totale coalescat. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 10. n. 5.* Mastrius *in 4. disp. 7. n. 14.* Krimer ubi supra *n. 350.* & alii satis communiter. Ratio est: quia ad statum Sacramenti elevatus est contractus Matrimonialis, inter fideles initus: atqui Matrimonium, licet consensu, & acceptatione utriusque contrahentis compleatur, unicus tamen numero contractus est, & unicum numero vinculum ex parte utriusque producit; ergo etiam unicum numero Sacramentum erit ex parte utriusque.

Respondent equidem Authores adversi, contractum Matrimonialem fidelium esse elevatum ad statum Sacramenti, sed divisibiliter: consequenter posse sortiri rationem Sacramenti in uno contrahentium, etiamsi non sortiatur in altero,

Verum contra est, quod hæc responsio nullo nitatur fundamento: qua enim, obsecro, ratione, qua authoritate, quibus tabulis ejusmodi contractus indivisibilis elevationem divisibilem probant Adversarii? Sane oppositum indigitant passim Concilia, & SS. Patres, dum tradunt, solum contractum Matrimonialem fidelium (seu inter fideles initum) esse elevatum ad rationem Sacramenti: quæ proinde elevatio est indivisibilis, indivisibiliter respiciens duos fideles contrahentes; oon vero divisibilis, seu divisibiliter respiciens duos contrahentes, quorum unus sit fidelis, & alter iofidelis,

Dices. Scotus *in 4. dist. 27. q. 1. §. Ad istam quæstionem, prope fin.* expresse ait: *Matrimonium esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis*; ergo importat duo Sacramenta partialia. sicut Eucharistia.

Respondetur primo, retorquendo argumentum. Scotus *loc. cit.* expresse ait: *Matrimonium esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis*, ut obtinet rationem contractus (subdit enim: *& ita est universaliter in omni contractu; quia contractus includit duas partes &c.*) ergo Matrimonium importat duos contractus partiales: id quod procul est a veritate; prout ipsimet quoque Authores adversi, authoritatem Scoti nobis objicientes, ultro fatentur, Revideantur, quæ diximus *part. 4. n. 772. & 806.*

Respondetur secundo cum P. Mastrio in *4. disp. 7. num. 14.* Matrimonium a Scoto solum appellari *unum unitate integritatis*, tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti, hoc sensu, *quod includat duas partes, scilicet assensum hujus, & illius* (maris, & feminæ) *& in utroque etiam duos actus, interiorem nempe, & exteriorem*; prout Doctor ipse *loc. citat.* verbatim explanat, & negat, Matrimonium esse *unum unitate indivisibilitatis*, opposita unitati integritatis modo immediate dicto intellectæ. Cum quo tamen stat, & optime componitur, quod Matrimonium sit, & dicatur unus contractus, unumque Sacramentum unitate indivisibilitatis, non importans duos contractus partiales, & duo Sacramenta partialia, quatenus, licet in illo duplex contrahentium consensus interveniat, neuter tamen ab altero separatus rationem contractus, vel

Sacramenti sortitur, sed uterque simul, & inseparabiliter connexus, cum sic tantum Sacramenti Matrimonii materiam, & formam constituat (prout ostendemus, & declarabimus infra *n.* 316.) gratiam causet &c. Unde non est paritas de Eucharistia: hæc quippe constituitur per duplicem speciem (panis scilicet, ac vini) quarum quælibet per se, ac seorsim constat ex sua materia, & forma, habetque veram rationem signi, & gratiam confert; adeoque recte censetur importare duo Sacramenta partialia, ex quibus coalescat unum totale, in sensu, quem attulimus *part.* 5. *num.* 274. *respons.* 1.

Instabis. Scotus *in* 4. *dist.* 26. *q. unic.* §. *Sed hic est dubium ad fin.* paritatem facit de Matrimonio, & Eucharistia; ergo &c.

Respondetur, paritatem, quam Scotus *loc. cit.* facit, in eo duntaxat consistere, quod, sicut in Eucharistia dantur duæ formæ partiales, ita etiam dentur duæ formæ partiales in Matrimonio, videlicet duplex, & mutua acceptatio, verbis, vel aliis signis expressa (de qua inferius *n.* 316.) quam paritatem, intra hos terminorum limites conclusam ultro admittimus: negamos autem, quod illæ duæ formæ partiales in Matrimonio sint ita ab invicem separabiles, possintque constituere duos contractus partiales, & duo Sacramenta partialia, sicut duæ formæ partiales in Eucharistia &c. Relege, ac perpende immediate dicta, & nega in Instantia cons.

His præmissis, & ita complanatis, facilis est resolutio quæstionis in §. propositæ. Quapropter

295. Dico veluti illative. Matrimonium, quod fidelis cum infideli ex S. Pontificis dispensatione contrahit, neque ex parte fidelis Sacramentum est. Ita Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 8. *n.* 2. Basilius Pontius *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 7. Mastrius ubi supra *a num.* 37. & alii communius, contra Scotum, Eckium, Aversam, atque ex Scotistis contra Hiquęum, Joannem Pontium, Herincx, Panger &c.

Probatur. Quia Matrimonium, sicut unus respectu utriusque Conjugis est contractus, ita & unum Sacramentum, utrunque contrahentium indivisibiliter afficiens; prout diximus, & stabilivimus *n. præced.* ergo debet vel ex parte utriusque esse Sacramentum, vel ex parte neutrius, sicut respectu utriusque, vel neutrius est contractus. Atqui non potest esse Sacramentum ex parte utriusque, cum infidelis ob defectum Baptismi, qui ceterorum Sacramentorum janua est, Sacramenti recipiendi incapax sit; ergo ex parte neutrius erit.

Confirmatur primo. Matrimonium subsistere nequit in ratione contractus Civilis, quando unus contrahentium inhabilis est ad contrahendum civiliter; ergo pariter subsistere nequit in ratione contractus Sacramentalis, quando unus contrahentium est inhabilis ad contrahendum Sacramentaliter. Sed impræsentiarum unus contrahentium, nempe infidelis, est inhabilis ad contrahendum Sacramentaliter; ergo &c.

Confirmatur secundo. Solus contractus Matrimonialis fidelium est elevatus ad rationem, & statum Sacramenti; prout Concilia, & SS. Patres passim dogmatizant: atqui dum Matrimonium a fideli, & infideli initur, non potest dici contractus Matrimonialis fidelium, ut patet; ergo nec potest dici elevatus ad rationem, & statum Sacramenti: consequenter &c.

Respondet ad hoc Pat. Joannes Pontius, majorem non esse intelligendam, quasi quilibet contractus Matrimonialis, ad rationem Sacramenti elevatus, necessario debeat celebrari inter duos baptizatos, seu fideles; sed quod nullus contractus Matrimonialis ad rationem Sacramenti elevatus censeatur, nisi celebretur a duobus, quorum unus saltem sit baptizatus, & fidelis. Verum

Contra est cum P. Mastrio *loc. cit. n.* 39. quod hæc expositio 1. sit principii petitio; ut patet vel obiter consideranti. 2. quod evertat sensum memoratæ propositionis. Id quod ostenditur a paritate, & in exemplo. Ponamus enim, sanciri legem, qua Nobilibus permittatur celebrare contractum emptionis-venditionis de alienanda, & acquirenda possessione certi cujusdam territorii. Sane siquis ejusmodi Legem interpretaretur, dicendo, sufficere, quod unius contrahentium sit Nobilis, everteret sensum, quem verba Legis præseferrent; ergo pariter &c. Nunc contra conclus.

296. Objicies primo. Apostolus 1. *Cor.* 7. *v.* 14. inquit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*: atqui hoc non verificatur, nisi admittatur, Matrimonium ex parte fidelis (viri, vel mulieris) esse Sacramentum; ergo &c.

Respondetur, Apostolum non loqui de sanctificatione *Sacramentali* (cum enim Sacramentum non sanctificet, nisi subjectum, in quo digne recipitur, non apparet, quomodo conjux fidelis, dato, Matrimonium ex parte ipsius esse Sacramentum, conjugem infidelem tali sanctificationis genere sanctificare posset) sed de sanctificatione *morali*, id est, de conversione conjugis infidelis, quæ ex cohabitatione, & conversatione cum conjuge fideli sperari potest.

297. Objicies secundo. Unus dispositus inter fideles, Matrimonium contrahentes, potest recipere gratiam, quin eam recipiat alter indispositus, v. g. ratione peccati mortalis, quo gravatur; ergo etiam unus contrahentium, dispositus per Baptismum, potest recipere Sacramentum Matrimonii, quin id recipiat alter indispositus ob defectum Baptismi,

Confirmatur. Jus petendi debitum potest esse in uno conjuge, quin sit in altero, v. g. votum castitatis habente; ergo etiam ratio Sacramenti potest dari in uno, quin detur in altero, qui ob Baptismi defectum incapax est.

Respondetur ad object. concesso antecedente, neg. conseq. & parit. Disparitas est: quia cum Matrimonium sit contractus onerosus, bilateralis, & unicus, indivisibiliter afficiens utrunque contrahentem, nequit sortiri rationem Sacramenti in uno, quin sortiatur quoque in altero; prout abunde constat ex hucusque dictis. At vero gratia, quam Sacramentum Matrimonii in duobus conjugibus fidelibus producere natum est, duplicem numero entitatem importat; ut proinde una recipi possit in uno subjecto disposito, & altera impediri in altero non disposito,

Ad confirmat. dist. ant. Jus petendi debitum potest esse in uno conjuge, quin sit in altero, jus radicale, pertinens ad actum primum, neg. jus formale, pertinens ad actum secundum, con. ant. & neg. conseq. Sicut Matrimonium ipsum, tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti, necessario est reciprocum, ac mutuum, afficiens utrunque contrahentem; ita est jus radicale petendi debitum. Aliud est de jure formali: hoc quippe, cum solum sit effectus Matrimonii, in uno (vel etiam utroque) conjuge impediri potest (sicut alii effectus impediri queunt) propter obicem in subjecto repertum, quin impediatur in altero &c. Unde assumpta paritas solummodo tenet, si instituatur inter Matrimonium, & jus radicale (non item formale) petendi debitum,

298. Objicies tertio, Pars non baptizata, si intendat contrahere Matrimonium eo modo, quo Christus illud instituit, potest conficere, & ministrare Sacramentum parti baptizatæ, licet ipsa non possit recipere; ergo Matrimonium in parte baptizata erit Sacramentum. Cons. fluit. Ant. ostenditur a pari: potest enim quis non baptizatus alteri ministrare Sacramentum Baptismi; ergo etiam Sacramentum Matrimonii.

Respondetur, neg. ant. Nam cum Christus contractum Matrimonialem non immutaverit aliter, quam elevando ad dignitatem Sacramenti; hinc est, quod sicut contrahentes non possunt in te præfatum contractum, ut subsistat in uno, & non in altero; ita neque possunt Sacramentum, talis contractus accessorium, conficere, ut id recipiatur in uno, & non in altero; quemadmodum enim ratio contractus, ita & ratio Sacramenti, contractui superaddita, essentialiter reciproca, & mutua est, utrunque contrahentem indivisibiliter afficiens; ut sæpe dictum. Ad probat. concesso antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas sumitur ex ipsa institutione utriusque Sacramenti. Nam Sacramentum Baptismi institutum a Christo est tanquam janua reliquorum Sacramentorum: unde non est necesse, ut aliam januam præsupponat sive ex parte conficientis, sive ex parte recipientis. At Sacramentum Matrimonii (idem cogita de aliis Sacramentis) Baptismum, ceu januam, necessario præsupponit, ut proinde nec confici, nec recipi, etiam valide tantum, possit, nisi a personis baptizatis. Deinde Baptismus est

Sacramentum summe necessarium: unde maxime consentaneum Divinæ Bonitati fuit, ut illud institueret tanquam administrabile etiam a non baptizatis: non sic Matrimonium &c.

§. II.

An fideles possint inire Matrimonium in ratione solius contractus, separando rationem Sacramenti?

S U M M A R I U M.

299. *Matrimonium iniri potest, etiam in ratione Sacramenti, a baptizatis, tametsi non expresse intendant conficere, & suscipere Sacramentum*. 300. *Non possunt illud licite inire in ratione solius contractus; possunt autem* 301. *valide*. 302. *& seqq. Satisfit argumentis Adversariorum*.

299. PRænotandum, Matrimonium a fidelibus iniri, etiam in ratione Sacramenti, tametsi non expresse intendant conficere, & suscipere Sacramentum. Idque certum est, quando illi fideles sunt Catholici; nam hi tales, cum sciant, Matrimonium a Christo ad dignitatem Sacramenti elevatum esse, jubeanturque a Parochis per præviam peccatorum confessionem ad illud tanquam Sacramentum digne suscipiendum se præparare, censentur habere intentionem, saltem generalem, Matrimonium ineundi, ac suscipiendi eo modo, quo Christus instituit, & Ecclesia vult, ut ineatur, & suscipiatur: atqui Christus instituit, & Ecclesia vult, ut Matrimonium a fidelibus ineatur, & suscipiatur tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti; ergo &c. Quod attinet fideles Acatholicos, puta Lutheranos, Calvinistas &c. idem regulariter loquendo tenendum videtur: siquidem licet id genus homines vel ignorent, Matrimonium esse Sacramentum, vel etiam sibi positive persuadeant, & credant, non esse, dicantque, nolle se quidquam habere negotii cum Sacramento Papistico in celebratione Matrimonii, censentur nihilominus & ipsi habere intentionem generalem contrahendi Matrimonium juxta institutionem Christi, & præscriptum veræ Ecclesiæ; cui intentioni error privatus non præjudicat; veluti relinquitur ex dictis *part. præced. n.* 83. Dixi tamen: *regulariter loquendo*; nam quid sentiendum, siquis fidelis, & baptizatus (sive is Catholicus, sive Acatholicus sit) adeo perversus existat, ut in contrahendo Matrimonium positive excludat rationem Sacramenti, patebit ex dicendis. Itaque ut ad quæstionem, in §. propositam, distincta detur resolutio,

300. Dico primo. Fideles non possunt licite inire Matrimonium in ratione solius contractus, separando rationem Sacramenti; imo sic ineundo, vel inire attendando graviter peccant. Ita DD. unanimiter.

Probatur: quia hujusmodi separatio, vel separationis attentatio adversatur institutioni Christi, & universali Ecclesiæ consuetudini; idque in re gravi; ergo est graviter peccaminosa. Confirmatur inde, quod fideles graviter obligentur inire Matrimonium more, & ritu Christiano, nec obicem ponere gratiæ, cujus causalitatem Christus annexuit Matrimonio, dum istud ad dignitatem Sacramenti elevavit.

301. Dico secundo. Fideles possunt valide inire Matrimonium in ratione solius contractus, positive excludendo, & separando rationem Sacramenti. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Amicus *tom.* 9. *disp.* 2. *sect.* 2. *n.* 27. Bonacina *de Matrim. q.* 2. *punct.* 5. *n.* 4. Basilius Pontius *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Herincx *part.* 4. *tr.* 5. *disp.* 2. *quæst. num.* 17. Mastrius *in* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *artic.* 3. *a num.* 41. Bosco *in Theol. Sacram. part.* 5. *disp.* 2. *section.* 4. *conclus.* 5. *num.* 271. Diana, Gobat, Sporer, Mezger, Babenstuber, Sbogar &c. contra multos alios tum Theologos, tum Canonistas.

Probatur nostra conclusio primo negative. Contractus tandiu censendus est esse validus, quandiu per nullam legem irritatur: atqui contractus Matrimonii sine intentione faciendi Sacramentum, etiam a fidelibus celebratus, per nullam legem irritatur; ergo &c. Major constat Min. ostenditur. Non enim irritatur per legem naturalem; ut fatentur Adversarii: neque per legem positivam, sive Divinam, sive humanam; quoniam nulla assignari potest, quæ rationem Sacramenti inseparabiliter annectat, aut annexam declaret contractui Matrimoniali.

Respondet P. Kugler, ex nostra probatione sequi, ejusmodi separationem etiam licitam fore (contra præcedentem conclusionem) cum nulla lex prohibens extet. Addit præterea, nobis incumbere onus probandi, quod ratio Sacramenti non sit inseparabiliter annexa rationi contractus Matrimonialis; nam ei (inquit) incumbit probatio, qui dicit, non qui negat, *l.* 2. *ff. de Probat.*

Sed contra primum est, neg. seq. Siquidem Jus naturale prohibet, ne fideles, scientes Matrimonium a Christo esse elevatum ad dignitatem Sacramenti, illud aliter contrahere intendant, ac ut est simul Sacramentum. Contra alterum est; nam quod Matrimonium olim, scilicet priusquam a Christo ad dignitatem Sacramenti elevatum est, potuerit valide iniri in ratione contractus præcise, certum est apud omnes; ergo, dum asserimus, quod etiamnum ita iniri valide possit, tandiu sumus in possessione nostri asserti, donec ostendatur aliqua lex, quæ illud, hoc modo contractum, pronunciet invalidum. Ex quo fluit, ipsis potius Adversariis incumbere onus probandi, contractum Matrimonialem intrinsece mutatum esse, eique rationem Sacramenti inseparabiliter connexam: quod quidem affirmant, sed absque sufficiente fundamento. Deinde nos non tantum asseruimus, quod conclusio continet, sed etiam assertum nostrum probavimus, haud quidem positive (quod ipsum tamen licet præstituri sumus) sed negative: qui probandi modus omnino legitimus est, & suum pondus habet, saltem ubi quæstio vertitur, uti hic, de alicujus rei possibilitate.

Probatur jam conclusio secundo etiam positive. Si fideles, Matrimonium contrahentes, non intendant, sive explicite, sive implicite, conficere Sacramentum, illud valebit qua contractus, non tamen erit Sacramentum, defectu intentionis requisitæ in Ministris, qui in hoc Sacramento non sunt alii, quam ipsi contrahentes (secundum dicenda *cap. seq.*) atqui fideles, in hypothesi conclusionis Matrimonium contrahentes, non intendunt, sive explicite, sive implicite, conficere Sacramentum; cum positive excludant, & separent rationem Sacramenti; ergo &c.

Respondent Authores adversi, utique Matrimonium tunc non fore validum in ratione Sacramenti, ob defectum intentionis requisitæ; at neque valiturum in ratione contractus, eo quod huic ratio Sacramenti in Lege nova respectu fidelium inseparabiliter connexa sit. Sed

Contra est 1. In casu posito adesset reciprocus utriusque contrahentis consensus, per verba, vel signa expressus; adessent insuper conditiones ceteræ, ad valorem contractus exactæ; ut supponitur; ergo Matrimonium valeret qua contractus; & gratis dicitur, ac sine solido fundamento, rationem Sacramenti inseparabiliter connexam esse contractui Matrimoniali a fidelibus ineundo, aut inito; prout relinquitur ex dictis; utque amplius elucescat,

Contra est 2. Qui absque intentione faciendi, vel cum expressa intentione non faciendi Sacramentum, ablueret infantem, prolata super ipsum præscripta verborum forma, esto nullum conficeret Sacramentum, nihilominus faceret adhuc veram ablutionem physicam, & naturalem, veluti per se patet; ergo similiter, qui absque intentione faciendi, vel cum expressa intentione non faciendi Sacramentum, contraherent Matrimonium esto nullum conficerent Sacramentum, facerent nihilominus adhuc verum contractum civilem, & politicum. Conf. inde colligitur, quod sicut Christus elevando aquam ad dignitatem Sacramenti (eam scilicet instituendo pro materia Baptismi) nihil eidem abstulit de sua natura physica, ita nec contractum Matrimonialem elevando ad dignitatem Sacramenti eidem quidquam abstulerit de suo esse morali, civili, & politico.

302. Objicies tamen contra conclus. primo. Concilia tam Florentinum *in Decreto Unionis*, quam Tridentinum *Session.* 24. *de Sacrament. Matrimon. can.* 1. itemque Jus Canonicum *cap.* 7. *de Divortiis*, definiunt, Matrimonium inter fideles esse verum, & proprie dictum Sacramentum; ergo nullum inter fideles

dari

dari potest Matrimonium, quod non sit Sacramentum.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Matrimonium inter fideles est verum Sacramentum, si constet omnibus ad rationem Sacramenti requisitis, con. si non constet, neg. ant. & dist. similiter conf. Ergo nullum inter fideles dari potest Matrimonium, quod non sit Sacramentum, si constet omnibus ad rationem Sacramenti requisitis. con. si non constet, neg. conseq. In hypothesi conclusionis Matrimonium constat quidem omnibus requisitis ad valorem, & rationem contractus; non autem constat omnibus requisitis ad valorem, & rationem Sacramenti, cum desit intentio, tam explicita, quam implicita, conficiendi Sacramentum.

303. Objicies secundo. Contractus Matrimonii de facto est intrinsece Sacramentum inter Christianos; ergo ratio Sacramenti per intentionem contrahentium ab illo separari nequit.

Confirmatur. Qui attentarent inire Matrimonium cum expressa intentione se non obligandi ad cohabitandum, nihil efficerent; ergo similiter nihil efficerent, qui attentarent inire Matrimonium cum expressa intentione non faciendi Sacramentum.

Respondetur ad object. neg. ant. quippe sine fundamento, & probatione assumptum. Vel gratis dist. Est intrinsece Sacramentum, si præter materiam, & formam etiam accedat debita intentio contrahentium, qua hi Matrimonium non solum in ratione contractus, sed etiam in ratione Sacramenti celebrare, saltem implicite, velint, con. si ejusmodi intentio desit, sicut in casu conclusionis deesse ponitur, neg. ant. & conf. In priore hypothesi contractus Matrimonialis dici potest intrinsece Sacramentum, quatenus tunc rationem Sacramenti necessario necessitate consequenti, & inseparabiliter annexam habet; in posteriore autem hypothesi non potest dici intrinsece Sacramentum, cum deficiat unum ex requisitis ad valorem Sacramenti, nempe intentio conficiendi Sacramentum: sicut ablutio Baptismalis non potest dici intrinsece Sacramentalis, sive Sacramentum, nisi præter materiam, & formam insuper accedat intentio Sacramentaliter baptizandi, atque ita conficiendi Sacramentum.

Ad confirmat. concesso antecedente, neg. conf. & parit. Disparitas est, quia contrahentes in hypothesi antecedentis excluderent obligationem cohabitandi, etiam in actu primo, & radicaliter sumptam, quæ pertinet ad valorem contractus Matrimonialis, sive Sacramentaliter, sive civiliter, & politice tantum spectati. At vero contrahentes in hypothesi consequentis excluderent præcise rationem Sacramenti, quæ non pertinet ad valorem contractus Matrimonialis, civiliter tantum, & politice spectati: id quod ex dictis patet.

304. Objicies tertio. Non possunt fideles inire Matrimonium, in quantum est Sacramentum, nisi simul illud ineant, in quantum est contractus; ergo vicissim neque possunt inire Matrimonium, in quantum est contractus, nisi simul illud ineant, in quantum est Sacramentum.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est; quia Matrimonium est essentialiter, & intrinsece contractus; cum sic fuerit a Deo institutum, antequam elevaretur ad dignitatem Sacramenti, & per hujusmodi elevationem nihil de natura contractus amiserit: non autem est essentialiter, & intrinsece Sacramentum; cum jam fuerit institutum (in ratione nimirum contractus) potueritque (ut sic) valide iniri ante prædictam elevationem: consequenter &c.

305. Objicies quarto. In Pœnitentia ratio Sacramenti non potest separari a ratione Judicii, ad cujus modum hoc Sacramentum institutum est; ergo nec in Matrimonio potest separari ratio Sacramenti a ratione contractus, ad cujus modum, & normam illa instituta, ac superaddita est.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conseq. & parit. Disparitas est: siquidem Pœnitentia non habuit prius rationem Judicii, quam Sacramenti, sed simul, ac semel fuit instituta in ratione Sacramenti, & Judicii inseparabiliter. E diverso Matrimonium, antequam eveheretur ad statum Sacramenti, jam erat institutum in ratione contractus civilis, & politici; talenus ad quam proinde ratio Sacramenti se habet ut quid posterius, accessorium, & extrinsecum: consequenter ut quid separabile per intentionem contrahentium.

306. Objicies quinto. Scotus *in 4. dist. 26. q. unic.* §. *Sed hic est dubium*, dicit, quod, si Deus non determinaverit aliqua verba certa pro forma, & signo hujus Sacramenti (nempe Matrimonii) sed reliquerit ea, quæ ex impositione humana determinantur pro signo sufficiente ad contractum, *tunc potest dici, quod in quocunque contractu in Lege Evangelica comitatur Sacramentum: quia illud signum, quod sic requiritur ad contractum, est ex institutione Divina Sacramentum*, hoc est, independenter a contrahentibus, & non ex eorum voluntate: atqui Deus, sive Christus non determinavit aliqua certa verba pro forma, & signo hujus Sacramenti, sed reliquit ea, quæ ex impositione humana determinantur pro signo sufficiente ad contractum; ergo potest dici, quod in quocunque contractu in Lege Evangelica comitatur Sacramentum &c.

Respondetur. Licet Scotus hæc *loc. cit.* habeat, tamen mox ante dixerat, quod, si forma hujus Sacramenti determinata sint certa verba, sequitur, etiam in Lege Evangelica multoties dari contractum sine Sacramento: quia multoties contrahitur per alia verba, aut omnino sine verbis; ergo Scotus absolute loquendo non habet pro inconvenienti, in Lege Evangelica dari posse aliquando Matrimonium validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti. Ita P. Mastrius ubi supra *num.* 43. & in terminis P. Panger *lib. 4. disp. 2. de Matrim. n.* 55. Itaque (ut ad præcitatum Scoti textum magis directe respondeatur) Doctor solum innuit, aliter discurrendum esse de Sacramento Matrimonii ex hypothesi, quod a Christo determinata non sint certa verba ad Sacramentum illud conficiendum; & aliter ex hypothesi, qua essent determinata certa verba. Nam in priore hypothesi verba (vel signa) quæ adhibentur ad contractum, etiam sufficiunt ad Sacramentum Matrimonii, cum Christus pro hoc conficiendo alia non determinaverit, ac sufficiant pro illo; consequenter dum fideles in Lege Evangelica Matrimonium ineunt in ratione contractus, etiam ineunt in ratione Sacramenti, quantum est NB. ex parte formæ. Secus esset in posteriore hypothesi, utpote in qua verba, quæ sufficiunt ad contractum, non ideo sufficerent ad Sacramentum Matrimonii, cum tunc ad istud conficiendum ex Christi determinatione requirerentur alia; & sic Matrimonium subsisteret in ratione contractus, non vero in ratione Sacramenti NB. ob defectum formæ essentialis. Hic Scoti discursus omnino verus est: at nullum creat præjudicium conclusioni nostræ, utpote quæ decidit, quod fideles, esto ad conficiendum Sacramentum adhibeant debitam materiam, & formam, si tamen intentione illud conficiendi careant, & Matrimonium in ratione solius contractus inire intendant, sub hac ratione id valide ineant, non vero sub illa NB. ob defectum intentionis essentialiter requisitæ.

§. IV.

An Matrimonium, quod contrahitur per Procuratorem, sit Sacramentum?

SUMMARIUM.

307. *Validum est Matrimonium, quod contrahitur per Procuratorem; estque* 308. *verum Sacramentum.* 309. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 312. *Quibus verbis in illo contrahendo uti debeat Procurator?* 313. *Hic non est Minister, nec ejus consensus materia, & forma Sacramenti Matrimonii: nec* 314. *peccat mortaliter, si eo tempore, quo contrahit, versetur in statu disgratiæ.* 315. *Etiam Matrimonium, per epistolam contractum, valet tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti.*

307. PRænotandum, & supponendum ex communissima DD. sententia, Matrimonium, Procuratoris interventu contractum, & valuisse olim ante Concilium Tridentinum, juxta *cap. fin. de Procurat. in 6.* & valere hodiedum post altefatum Concilium, si celebretur coram Parocho, & testibus; cum illius valori nec Tridentinum, nec aliquod aliud Jus recen-

tius

tius refragetur; imo potius praxis Ecclesiæ suffragetur. Hoc prænotato, & supposito,

308. Dico. Matrimonium, quod contrahitur per Procuratorem (vel Procuratores) est verum Sacramentum, conferens gratiam illi, cujus nomine celebratur. Ita Mastrius ubi supra *n.* 68. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *a num.* 321. Panger *libr.* 4. *disp.* 2. *de Matrim. q.* 2. *n.* 35. & alii communiter.

Probatur. Concilia Generalia dicunt, Matrimonium, quod ante Legem Evangelicam erat contractus civilis, modo, seu in Lege Evangelica esse verum Sacramentum; neque enim Christus elevando Matrimonium ad rationem Sacramenti immutavit illius naturam: atqui ante Legem Evangelicam Matrimonium, interventu Procuratoris initum, erat verus contractus civilis; ergo modo, seu in Lege Evangelica est verum Sacramentum.

Confirmatur. Secundum dicta superius *n.* 300. ratio Sacramenti a contractu Matrimoniali in Lege nova licite separari non potest; ergo non posset Ecclesia permittere, & approbare (sicut tamen revera approbat) praxim celebrandi Matrimonia per Procuratores, si rationem Sacramenti non haberent; ergo habent rationem Sacramenti in Lege nova.

309. Objicies primo. Alia Sacramenta non admittunt Procuratorem, nec ministrari possunt absenti; prout patet inductione, ergo neque Matrimonium.

Confirmatur. Verba contrahentium: *Accipio te in meam &c.* diriguntur in personam præsentem, haud minus, ac verba ablutionis, vel absolutionis Sacramentalis: *Baptizo te*, vel *absolvo te*; ergo sicut Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ non possunt confici, & percipi ab absente, per interventum Procuratoris, ita nec Sacramentum Matrimonii.

Respondetur ad object. concesso antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Matrimonium est simul contractus; & hinc imitatur naturam aliorum contractuum, qui valide per Procuratores celebrantur; supposito autem, quod valeat in ratione contractus, etiam valet in ratione Sacramenti, & conferri potest absenti: secus, ac alia Sacramenta, rationem contractus non habentia.

Unde ad confirmat. neg. ant. vel dist. Verba illa: *Accipio te in meam*, non minus diriguntur in personam præsentem, si ea præsto sit, trans. si non præsto sit, neg. ant. & conseq. Cum enim memorata verba non sint determinate essentialia in Matrimonio, eorum vis demonstrativa non necessario exercetur in omni casu; sed substitui quoque possunt alia signa, quæ mutuum consensum contrahentium sufficienter exprimant, esto non sint verba formalia, nec vim formaliter demonstrandi sibi inditam habeant relate ad contrahentes Principales, & dirigantur ad Procuratores; veluti patet ab inductione in aliis contractibus, quorum naturam in hoc passu Matrimonium imitatur. E diverso in Baptismo, & Pœnitentia verba illa formalia: *Baptizo te, absolvo te &c.* sunt determinate essentialia; neque iisdem signa alia, quæ verba formalia non sint, substitui possunt; eo quod hæc, & alia bujusmodi Sacramenta non habeant, proindeque non sequantur rationem contractus.

Dices, Parochus, intellecto per Procuratorem, vel Procuratores consensu Principalium, debet hæc verba pronunciare; *Ego vos in Matrimonium conjungo*, juxta Tridentinum; atqui allegata verba non verificantur, nisi ipsimet conjungendi sint præsentes; ergo &c.

Respondetur, omisso antecedente (nam verba illa non pronunciantur necessario necessitate Matrimonii, sed ad summum necessitate præcepti, per Tridentinum impositi; prout videbimus infra *num.* 323.) dist. min. Non verificantur, nisi conjungendi sint præsentes moraliter, con. physice, neg. min. & eodem modo distinguendum est cons. Cum enim Matrimonium sortiatur rationem contractus, requirit solum præsentiam moralem contrahentium; adeoque physice absentibus conferri potest, etiam in ratione Sacramenti, eum hoc (aliter, ac alia Sacramenta) sequatur naturam contractus. Deinde præmemorata verba alium adhuc sensum nancisci possunt, nempe istum: *Ego vos, procuratorio nomine comparente* (si sint duo Procuratores) vel: *Ego vos, quorum unus procuratorio nomine comparet* (quando Procurator est unus) *conjungo in Matrimonium*; ut proinde sufficiat, Procuratorem, vel Procuratores physice præsentes esse.

310. Objicies secundo. Quamvis Judicium profanum possit exerceri in absentem, Judicium tamen Sacramentale non potest exerceri, ne quidem valide in pœnitentem, nisi præsens sit: quia Pœnitentia est Sacramentum; ergo a pari, quamvis alii contractus celebrari inter absentes possint, non tamen sic celebrari poterit contractus Matrimonialis: quia & Matrimonium est Sacramentum.

Respondetur, neg. causalem antecedentis: sed ideo id fieri nequit; quia Clemens VIII. Confessiones Sacramentales, absenti factas, reprobavit, & annullavit, vel potius tanquam de Jure Divino nullas declaravit; prout cum communi tradidimus *part.* 5. *n.* 573. idque merito: cum enim in Judicio interno Pœnitens ipse sit sui accusator, reus, & testis (aliter, ac contingit in Judicio profano) Judex Sacramentalis actualem, ac præsentem illius dispositionem, uti & causam cognoscere debet; quod commode, atque secure fieri non potest, nisi pœnitens præsto sit coram tali Judice. Simile non est in Matrimonio; quod proinde in ratione non solum contractus, sed & Sacramenti inter absentes recte celebratur: prout hodierna Magnatum praxis, Ecclesia non contradicente, abunde comprobat.

311. Objicies tertio. Potest contingere, ut Principalis eo tempore, quo Procurator loco ipsius contrahit, dormiat, vel ebrius sit; ergo saltem tali eventu non valebit Matrimonium in ratione Sacramenti, quando contrahitur per Procuratorem. Cons. prob. Ut Matrimonium in ratione Sacramenti valeat, Sacramentum confici debet ab ipsomet contrahente Principali, non autem a Procuratore; sed in casu posito non potest confici ab ipsomet contrahente Principali; ergo &c. Major est certa. Min. prob. Ab illo non potest confici Sacramentum, in quo non est dabilis intentio, saltem virtualis, illud conficiendi; cum ad validam confectionem cujuscunque Sacramenti necessaria sit ejusmodi intentio, ex dictis *part.* 5. *n.* 22. atqui in contrahente Principali, dum dormit, vel ebrius est, non est dabilis intentio virtualis; ergo &c.

Respondetur, quod utique ad confectionem cujuslibet Sacramenti, etiam Matrimonii, necessaria sit in conficiente intentio saltem virtualis, cum hoc tamen discrimine, ut memorata intentio qua talis adhuc perseverare, ac influere debeat in confectionem aliorum Sacramentorum, uti & Matrimonii, quando hoc Sacramentum per ipsummet Principalem immediate, puta sine interventu Procuratoris, conficitur; non item, quando conficitur mediante Procuratore: tali quippe casu satis est, si intentio saltem virtualis in Principali præcesserit, sive extiterit eo tempore, quo is in ordine ad contrahendum suo nomine Matrimonium Procuratorem constituit; esto postmodum, seu tempore, quo Matrimonium per Procuratorem actu initur, migraverit in habitualem, uti in casu posito. Revide dicta *n.* 165. in respons. ad argumentum.

312. Colliges primo, Verba, quibus Procurator, dum nomine sui Principalis contrahit Matrimonium, uti debet, posse esse hæc, vel his æquivalentia: *Ego te accipio in uxorem nomine N.* & verba, a femina reponenda: *Ego per te Procuratorem duco N.* Ita P. Sporer ubi supra *n.* 313. & alii passim. Ratio est: quia his talibus verbis sufficienter exprimitur mutuus consensus contrahentium, & Matrimonium, quod alterius nomine celebratur. Oportet autem ea verba pronunciare coram Parocho, & testibus; alias Matrimonium, ceu clandestine contractum, erit irritum. Necesse tamen non est, ut ipsum quoque contrahendi mandatum Procuratori detur coram Parocho, & testibus; nam horum præsentia solum requiritur tunc, quando Matrimonium reipsa contrahitur. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 11. *n.* 23. & alii communiter.

313. Colliges secundo, Procuratorem non esse Ministrum hujus Sacramenti: similiter non consensum Procuratoris, sed consensum Principalis coram Procuratore expressum, & per hunc coram Parocho, ac testibus alteri parti, acceptanti, & repromittenti manifestatum, esse materiam, & formam. Sanchez *loc. cit. n.* 20. Filliucius, Salmanticenses &c. Ratio est: quia Sacramentum Matrimonii, per Procuratorem celebrati, univoce convenit cum Sacramento Matrimonii, immediate per ipsosmet Principales celebrati; ergo requirit

quirit

quirit eundem Ministrum, eandemque materiam, & formam. Atqui quando celebratur immediate per ipsosmet Principales, hi sunt Ministri, & consensus eorum, materia, ac forma; prout videbimus *capitul. seq.* ergo &c. Unde.

314. Colliges tertio, Procuratorem non peccare mortaliter, tametsi eo tempore, quo contrahit, versetur in statu disgratiæ; peccare autem mortaliter ipsum Principalem, in simili tunc statu constitutum. P. Sporer *n.* 325. & alii communiter. Ratio est: quia ille solum, qui conficit, & recipit Sacramentum, peccat mortaliter, si tunc in statu disgratiæ sit constitutus: atqui non Procurator, sed solus Principalis conficit, & recipit Sacramentum; ergo non Procurator, sed solus Principalis peccat mortaliter, si tunc in statu disgratiæ sit constitutus. Quare Principali sub gravi obligatione incumbit, curare, ut conscientiam suam a mortali immunem reddat, vel conservet pro tempore, quo moraliter credit, Matrimonium suo nomine celebratum iri. Talem vero obligationem non gerit pro tempore, quo Procuratorem constituit, eique mandatum contrahendi Matrimonii committit; cum tunc non conficiat, & recipiat Sacramentum.

Ceterum quibus conditionibus Procuratorem, ut nomine sui Principalis Matrimonium legitime contrahere valeat, instructum esse oporteat, relinquitur ex dictis *disp. præced. numer.* 164. quæ revide. Hic autem ulterius

315. Colliges quarto, quod, sicut Matrimonium, per Procuratorem initum, valet non solum in ratione contractus, sed etiam in ratione Sacramenti, ita & valeat per epistolam initum. Palao *de Sponsal. disp. 2. pun. 6.* Gonet *in Manual. Thomist. tr. 7. cap.* 3. & alii passim. Ratio est: tum quia *l. 5. ff. de Ritu Nuptiarum* dicitur: *Mulierem absenti per literas ejus, vel nuntium, posse nubere, placet:* tum quia epistola succedit loco contrahentis, sicut Procurator. Debet autem & in hoc epistolari contractu traditio, & acceptatio utriusque contrahentis fieri coram Parocho, ac testibus. Quod recte præstabitur, si Titius v. g. scribat Semproniæ, quod se ipsi tradat in maritum, eamque jam ex hoc tempore accipiat in uxorem; Sempronia vero legat epistolam coram Parocho, & testibus, affirmans, quod se vicissim Titio tradat in uxorem, eumque accipiat in maritum. Hoc quippe præstito Matrimonium & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti perficitur: prout bene advertunt Gonet ubi supra, & Babenstuber hic *art. 4. n.* 24.

CAPUT II.

De Materia, & Forma; Ministro, & Subjecto Sacramenti Matrimonii.

ARTICULUS I.

Expediuntur, quæ concernunt Materiam, & Formam Sacramenti Matrimonii.

SUMMARIUM.

316. *Assignantur materia tam remota, quam proxima, uti & forma Sacramenti Matrimonii.* 317. *& seqq. Proponuntur, & diluuntur argumenta Adversariorum.*

DIssident Authores, & in diversas sententias, modosque dicendi abeunt, dum materiam (saltem proximam) & formam Sacramenti Matrimonii adstruunt; fors ideo, quia Concilium Florentinum *in Decreto Eugenii ad Armenos* materias, & formas singulorum Sacramentorum referens, ab hujus Sacramenti materia, & forma abstraxit. Ego breviter mea sensa pando, &

316. Dico. Materia remota Sacramenti Matrimonii (1) sunt corpora contrahentium; proxima (2) talium corporum mutua traditio; & forma (3) mutua acceptatio, verbis, vel aliis signis expressa. Prima pars communiter admittitur. Secunda, & tertia pars videntur mihi probabilior, veriorque, ac aliæ sententiæ: esto habeat Adversarios non paucos, præsertim Scotistas, in oppositum adducentes etiam Scotum *in 4. dist. 26. q. unic.* ubi tamen plane nihil tradit, quod ipsis patrocinium, &, nobis præjudicium afferre queat. Lege, si placet. Unde conclusio nostra Scoto non adversatur, ne quidem quoad secundam, & tertiam partem; quoad primam vero insinuatur ab ipsomet Doctore *loc. cit. ad calcem quæstionis.*

Probatur jam prima pars conclusionis in hunc modum. Illud recte statuitur pro materia remota alicujus Sacramenti, circa quod immediate versatur materia proxima ejusdem Sacramenti: sed circa corpora contrahentium, tanquam objectum contractus Matrimonialis, immediate versatur materia proxima Sacramenti Matrimonii, qualis, ut asseruimus, & mox probatum ibimus, est traditio illorum corporum; ergo &c.

Confirmatur a pari. In contractu venditionis v. g. materia remota est id, quod venditur; ergo etiam in contractu Matrimonii materia remota est id, quod traditur, nempe corpus utriusque contrahentis; & consequenter in ipso quoque Sacramento Matrimonii, cum Matrimonium, qua contractus, & qua Sacramentum, eandem habeat materiam.

Probatur etiam secunda, & tertia pars. Illud in quolibet contractu dicitur, & est materia proxima, quod obtinet rationem partis (vel quasi partis) immediate determinabilis, seu complebilis per formam; & illud dicitur forma, quod obtinet rationem partis immediate determinativæ, seu completivæ: atqui in contractu Matrimonii mutua traditio corporum obtinet rationem partis immediate determinabilis, seu complebilis per formam: & mutua acceptatio rationem partis immediate determinativæ, seu completivæ; ergo in contractu, & consequenter etiam in Sacramento Matrimonii, mutua traditio corporum est materia proxima, & mutua acceptatio forma. Major fluit ex notione materiæ proximæ, & formæ. Min. ostenditur, & declaratur, siquidem traditio rei est quid indifferens, ac imperfectum in esse contractus; ut patet in venditione, cui similis est contractus Matrimonii: neque enim hoc ipso, quod Cajus in suum equum tradat jus Titio, contractus venditionis est perfectus, & completus, sed necessaria insuper est ex parte Titii acceptatio, per quam determinetur, & compleatur; idque immediate, cum nihil medici, a quo illa determinatio, seu completio fiat.

317. Objicies primo contra primam partem. Ipsimet contrahentes sunt Ministri Sacramenti Matrimonii; ut dicemus infra *n.* 320. ergo corpora contrahentium non possunt statui pro materia remota ejusdem Sacramenti. Cons. prob. Nam sic causa efficiens, & materialis, seu materia coinciderent, essentque reipsa idem; quod videtur absurdum.

Respondetur, neg. cons. Ad prob. ajo, nullum esse inconveniens, aut absurdum, quod in hoc Sacramento (secus, ac in aliis) causa efficiens, & materialis reipsa coincidant; id enim exigit in illo (non sic in aliis) natura contractus, in quo contrahentes seipsos tradunt: ut constat exemplo illius, qui se in servum alicui venderet; idem enim simul esset vendens, & res vendita, adeoque causa efficiens, & materia remota venditionis. Similiter proin ratiocinandum de conjugibus, contractum, & Sacramentum Matrimonii celebrantibus; habent enim secundum diversos respectus, & connotationes simul rationem causæ efficientis, & materialis, seu materiæ remotæ, & circa quam talis contractus, & Sacramenti. Ita, quoad rem P. Mastrius *loc. supra cit. n.* 58.

318. Objicies secundo contra secundam, & tertiam partem. Inter materiam, etiam proximam, & formam cujuslibet Sacramenti debet intercedere distinctio realis: sed inter traditionem, & acceptationem mutuam corporum non intercedit distinctio realis; ergo nequeunt statui pro materia proxima, & forma Sacramenti Matrimonii. Major sumitur ex Concilio Florentino, quod in Decreto Eugenii ad Armenos, post recensita septem Sacramenta, inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Quæ Concilii verba videntur omnino inter materiam, etiam proximam (utpote quæ & ipsa veoit no-

nomine *rerum*) ac formam indigitare necessitatem distinctionis realis. Minor vero sic ostenditur, & declaratur. In Matrimonio traditio est acceptatio, & acceptatio est traditio, v. g. traditio, qua Cajus corpus suum tradit Semproniæ, est acceptatio, qua idem Cajus acceptat corpus Semproniæ: similiter traditio, qua Sempronia suum corpus tradit Cajo, est acceptatio, qua eadem Sempronia acceptat corpus Caji. Vicissim acceptatio, qua Cajus acceptat corpus Semproniæ, est traditio, qua idem Cajus suum corpus tradit Semproniæ, & acceptatio, qua Sempronia acceptat corpus Caji, est traditio, qua eadem suum corpus tradit Cajo; nam eodem numero consensu maritus tradit suum corpus uxori, quo acceptat ejus corpus, & vicissim; ergo traditio, & acceptatio mutua corporum non distinguuntur realiter. Hoc argumentum contra nostram sententiam proponit P. Mastrius *loc. cit. n.* 52. io eoque magnam ponit vim, & efficaciam. Sed facile

Respondetur eadem responsione, qua ad præcedens argumentum utitur nobiscum ipse Mastrius. Itaque nego majorem, intellectam (sicut intelligit Mastrius) de distinctione reali, sumpta pro distinctione entitativa, & comprehendendo etiam Sacramentum Matrimonii. Neque talis distinctionis necessitatem inter materiam proximam, & formam Sacramenti Matrimonii evincunt verba Florentini; alias pariter evincerent necessitatem distinctionis realis, ac entitativæ inter materiam remotam, & Ministrum Sacramenti Matrimonii; ut patet allegata Concilii verba vel obiter consideranti: atqui talis distinctio non est necessaria inter materiam remotam, & Ministrum Sacramenti Matrimonii; prout relinquitur ex responsione ad præcedens argumentum, ex, & cum Mastrio data; ergo &c. Sufficit proinde, quod traditio, & acceptatio mutua corporum in Matrimonio distinguantur distinctione reali, sumpta pro connotativa, quatenus nempe idem entitative consensus conjugis connotat, & respicit duplex objectum, videlicet duplex corpus, ad quod ita comparatur, ut in ordine ad proprium corpus sit traditio, in ordine autem ad corpus alterius conjugis sit acceptatio, & ut traditio est, præsupponatur sibiipsi, in quantum est acceptatio.

Dices. Traditio, & acceptatio corporum se mutuo determinant; ergo non apparet, cur una asseratur esse pars determinabilis, & materialis, altera vero pars determinativa, & formalis. Cons. fluit. Ant. prob. Nam sicut traditio, si præcedat, non complet contractum, nisi accedat acceptatio; ita vicissim acceptatio, si præcedat, non complet contractum, donec accedat traditio. Quod autem acceptatio traditionem præcedere possit, patet in casu, quo quis rem ab alio postulat, talis quippe postulatio obtinet vim acceptationis sine aliquo novo consensu, *arg. l.* 1. *§. si quis ita. ff. de Verb. Oblig.*

Respondetur, neg. ant. Ad prob. ajo, quod acceptatio sub reduplicatione, & formali ratione acceptationis non possit præcedere traditionem, sed hanc suapte natura sequatur; cum in terminis implicet, ut res aliqua dicatur formaliter acceptari, nisi fuerit oblata, seu tradita, adeo, ut oblatio, seu traditio, qua formaliter talis, saltem prioritate naturæ præsupponatur acceptationi qua formaliter tali. Neque ex *cit. l.* colligitur oppositum, quippe solum volente, quod postulatio realiter, & entitative habeat vim acceptationis, ita, ut oblationem, seu traditionem rei novus actus, quo talis res acceptetur, non requiratur, sed postulatio seipsa migret in acceptationem qua talem, & hujus formalem rationem, ac naturam sortiatur, & induat.

319. Objicies tertio specialiter contra secundam partem conclusionis. Materia, etiam proxima, Sacramenti debet habere rationem rei, vel rerum; ut aperte dogmatizat Concilium Florentinum supra: atqui traditio corporum non habet rationem rei; cum consistat in meris verbis, aut signis exprimentibus consensum utriusque conjugis; ergo &c.

Respondetur, concessa majore, neg. min. Nec obstat ratio probativa: siquidem nomine rerum etiam verba, aut signa veniunt, quando earum vices subeunt; prout insinuatum est *part.* 5. *n.* 8. & evenit in præsenti, utpote ubi verba, aut signa, quatenus exprimunt mutuam traditionem corporum, sive (quod in idem recidit) consensum utriusque conjugis sub formali ratione prædictæ mutuæ traditionis, obtinent rationem partis ad significandum determinabilis, & complebilis per aliam partem, nempe per verba, aut signa exprimentia mutuam acceptationem corporum: quod est subire vices rei, vel rerum; ut patet consideranti.

Dices, Verba, aut signa exprimentia mutuam acceptationem corporum non veniunt nomine rerum; ergo nec verba, aut signa exprimentia mutuam traditionem corporum: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia verba, aut signa exprimentia mutuam acceptationem corporum determinant ad significandum, & complent verba, aut signa exprimentia mutuam traditionem corporum; quod est fungi formaliter officio verborum, non rerum. E diverso verba, aut signa exprimentia mutuam traditionem corporum determinantur ad significandum, & complentur per verba, aut signa exprimentia mutuam acceptationem corporum; quod est formaliter fungi officio rerum, non verborum: consequenter &c.

ARTICULUS II.

Expediuntur, quæ concernunt Ministrum, & Subjectum Sacramenti Matrimonii.

PLures hic Quæstiones, præsertim penes Ministrum, veniunt decidendæ. Quapropter ratio methodi, & claritatis postulat, ut articulum istum in suos paragraphos subdividamus. Sit igitur

§. I.

Qualis sit Minister, & quale Subjectum Sacramenti Matrimonii?

SUMMARIUM.

320. *Assignatur Minister Sacramenti Matrimonii.* 321. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 324. *Assignatur etiam subjectum ejusdem Sacramenti.* 325. *Non peccat mortaliter Sacerdos, dum in statu disgratiæ Matrimonio assistit, aut Nuptias benedicit; secus est de Ministro, seu contrahentibus, in hujusmodi statu existentibus.*

320. DIco primo. Minister Sacramenti Matrimonii non est Sacerdos, sed ipsimet contrahentes. Ita communis DD. contra Melchiorem Canum, qui docuit, Ministrum Matrimonii oportere esse personam sacram, videlicet Sacerdotem.

Probatur primo. Minister cujuscunque Sacramenti est, qui ponit ejusdem formam: atqui hanc ponunt in Matrimonio ipsimet contrahentes, non vero Sacerdos; ergo &c.

Probatur secundo. Ante Concilium Tridentinum conficiebatur, &, ubi altefatum Concilium non est receptum, adhuc conficitur verum Sacramentum Matrimonii per solos contrahentes, sine assistentia, ac concursu Sacerdotis; ergo non iste, sed illi sunt Minister Sacramenti Matrimonii.

321. Objicies primo. In aliis Sacramentis Minister est Sacerdos; ergo etiam in Sacramento Matrimonii.

Respondetur, transmisso antecedente (nam in Baptismo Minister potest esse etiam alius, v. g. Laicus, ubi necessitas administrandi hoc Sacramentum urget) neg. cons. & parit. Disparitas est; nam, sicut speciale, ac proprium est Sacramento Matrimonii, quod consistat, sive fundetur in contractu ipsorum suscipientium, ita & speciale, ac proprium ei est, quod ipsimet suscipientes hoc Sacramentum, sint Minister, seu Ministri ejusdem.

322. Objicies secundo. Actio Sacramentalis est actio sacra; ergo exigit Ministrum sacrum, qualis est Sacerdos, non vero contrahentes.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Nam actio Sacramentalis non est, & dicitur sacra, quasi necessario, & semper debeat procedere a Ministro sacro, cum alias Laicus baptizando non exerceret actionem Sacramentalem, quæ posset dici sacra, quod est procul a veritate; sed quia per illam efficitur Sacramentum, & confertur gratia sanctificans.

323. Objicies tertio. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.*

ormat. Matrim. jubet, ut Sacerdos, habito consensu contrahentium, proferat hæc verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* ergo Sacerdos vere conficit contractum, & Sacramentum Matrimonii; alias verba illius forent falsa.

Respondetur, neg. conf. una cum ratione probativa: siquidem verba illa (uti notat Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 6. n. 6.*) proferuntur a Sacerdote, non tanquam a ministrante Sacramentum, sed tanquam a declarante, & confirmante, quod inter contrahentes gestum est: consequenter ipse non conficit contractum, & Sacramentum Matrimonii, sed a contrahentibus jam confectum ratihabet, ac approbat. Accedit, quod Sacerdos aliis etiam verbis tunc uti possit, quemmadmodum expresse, & signate concedit idem Concilium *loc. cit.*

324. Dico secundo. Subjectum Sacramenti Matrimonii sunt iidem ipsimet contrahentes. Ita rursus DD. communiter.

Probatur. Illud est subjectum Sacramenti Matrimonii, in quo recipiuntur gratia santificans, & auxilia, per tale Sacramentum collata: atqui hæc recipiuntur in ipsimet contrahentibus, utpote quibus ad onera Matrimonialia sufferenda, & ad incontinentiam evitandam sunt necessaria, vel conducentia; ergo ipsimet contrahentes sunt subjectum Sacramenti Matrimonii.

325. Colliges ex hucusque dictis, Sacerdotem non peccare mortaliter, quando in statu disgratiæ constitutus (1) assistit Matrimonio, aut (2) benedicit Nuptias; peccare vero mortaliter, & quidem duplici peccato (3) in simili statu malo Matrimonium contrahentes. Ratio primi est: quia Sacerdos nec recipit, nec conficit Sacramentum, quando assistit Matrimonio. Ratio secundi est: quia benedictio illa non est Sacramentum, sed Sacramentale quoddam. Ratio tertii est; quia contrahentes, in statu malo existentes, peccant mortaliter non modo ut suscipientes Sacramentum, secundum dicta *part. 5. n. 37.* sed etiam ut conficientes, seu ministrantes illud; cum indigne assumant personam Christi, ejusque merita ut inimici dispensent: prout advertimus, & tradidimus cum veriori sententia *cit. part. 5. n. 23. & 28.* Idque verum est, quamvis contrahant per procuratorem; quia adhuc ipsi principaliter contrahunt, & Sacramentum ministrant, ac suscipiunt: veluti jam insinuatum supra *num.* 314.

§. II.

Qualis in Ministro, seu Ministris consensus requiratur, & sufficiat ad ineundum Matrimonium?

SUMMARIUM.

326. *Consensus Matrimonialis debet esse verus, perfecte deliberatus, directe voluntarius, mutuus, verbis, vel aliis signis debite expressus.* 327. *Quomodo peccet, & ad quid obligetur, qui ficte Matrimonium contrahit?* 328. *Quid dicendum in casu, quo Titius v. g. primo verbis quidem, sed absque animo contrahendi, Matrimonium init cum Bertha, postea autem, adhibito etiam consensu, contrahit cum Caja, vivente Bertha, & contra valorem Matrimonii secundo contracti agente?* 329. *Esto Titius in casu fictionem semi plene probet, non tamen ipsi deferri potest juramentum suppletorium ad faciendam probationem plenam.* 330. *Consensus Matrimonialis debet insuper esse personalis, seu ab ipsis personis contrahentibus, & Ministris positus, atque expressus.* 331. *Solvitur argumentum oppositum.* 332. *Is ipse consensus debet esse simultaneus; quamvis sufficiat simultas moralis.* 333. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 336. *Quantum temporis intervallum compatiatur cum simultate morali consensuum?*

326. Dico primo. Consensus Matrimonialis in Ministris hujus Sacramenti, debet esse verus, seu non fictus, perfecte deliberatus, perfecteque, ac directe voluntarius, mutuus, verbis, vel aliis signis debite expressus: prout sequitur ex dictis *disp. præced. n.* 113. item liber ab errore substantiali, & metu gravi injuste incusso; prout patebit ex dicendis *disp. 3. cap.* 2. *artic. 1. & 7.* itemque publicus, non clandestinus; prout videbimus infra *cap. 5. art. 1.* An idem consensus debeat quoque semper, & in omni casu esse personalis, hoc est, ab ipsismet Ministris elicitus, ac expressus, patebit ex intra *n.* 330. dicendis.

327. Quæres jam primo, quoquomodo peccet, & ad quid obligetur, qui ficte Matrimonium contrahit?

Respondetur, quod committat duo peccata mortalia, unum sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, & alterum injustitiæ, quatenus comparti, bona fide (ut supponitur) vere (quantum in se est) contrahenti, gravem irrogat injuriam, & quidem, ordinarie saltem, damnosam; eo quod fictio in foro externo aut nunquam, aut non nisi difficilime probari valeat; & idcirco pars decepta non permittatur ad alia vota transire. Hoc igitur damnum resarcire tenetur deceptor, & quidem *regulariter* (secundum doctrinam a nobis traditam *disp. præced. n.* 119.) verum substituendo consensum, & ineundo cum decepta Matrimonium, adeo, ut non satisfaciat, damnum aliter reparando. Scotus *in 4. dist.* 30. *q.* 1. §. *Respondeo stante isto dolo.* Laymann *lib. 5. tr. 10. part. 2. cap. 6. num.* 1. Basilius Pontius *lib. 2. de Matrim. capit. 5. num.* 5.

Dixi tamen *regulariter*. Excipiendi enim sunt aliqui casus, in quibus deceptor ad ponendum verum consensum, & ineundum cum decepta Matrimonium non obligatur. Et talis est 1. Si interea cum alia vero consensu Matrimonium contraxit: imo tali casu neque posset amplius contrahere cum priore, tametsi a Judice, etiam per sententiam excommunicationis (quæ tamen, ut alibi dictum, animam non ligaret) ad cohabitandum primæ uxori putatitiæ compelleretur. 2. Si deceptor manifesta consensus ficti indicia præbuit, ex quibus decepta potuit, ac debuit fictionem advertere: tunc quippe, quando non advertit, censetur seipsam decepisse. 3. Si decepta deceptorem vicissim decepit, v. g. falso se jactando virginem &c. tunc enim una deceptio per aliam tollitur, & veluti compensatur. 4. Si decepta, cognita deceptione, aliam compensationem, seu satisfactionem sponte recipiat. 5. Si ex secuto Matrimonio vero timeantur gravia scandala, vel infelices exitus. Laymann. ubi supra *num.* 2. & alii apud ipsum.

328. Quæres secundo, quid dicendum in casu, quo Titius v. g. primo verbis quidem, sed absque animo contrahendi, Matrimonium init cum Bertha, postea autem, adhibito etiam consensu, contrahit cum Caja, vivente Bertha, & contra valorem Matrimonii secundo contracti agente?

Respondetur. In foro interno Titius a Confessario obligandus erit ad cohabitandum Cajæ, utpote quacum vere contraxit, si asserat, quamvis non probet, se cum Bertha ficte contraxisse. Ratio est: quia in hoc foro credendum est confitenti, etsi testibus, aut probatione destituto. In foro autem externo Titius, nisi clarissimis indiciis, & argumentis omnino indubitatis suam fictionem probet, compelletur ad cohabitandum primæ conjugi: prout aperte colligitur *ex cap. 30. de Sponsf. l. & Matrim.* Ratio est: quia in isto foro præsumptio, eaque violenta, & vehementissima stat pro veritate consensus præstiti, & valore Matrimonii primo contracti, quæ non eliditur nisi per indicia evidentia, & argumenta certa, in contrarium facientia. Quo casu Titius, quamvis cohabitare possit, ac debeat suæ conjugi, utpote ad id juste compulsus, nequit tamen petere, vel reddere debitum: quia esset adulterium, ad quod, ceu actum intrinsece malum nec sponte, nec potestate Judicis adactus, concurrere licite potest, etiamsi propterea excommunicationem (quæ tamen in foro interno ipsum non ligaret) sustinere cogeretur. *cap. 44. de Sent. Excomm.* P. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 1. a num.* 265. cum aliis a se relatis. Sed

329. Petes, an Titio, si fictionem semi-plene probet, possit deferri juramentum suppletorium, ut hoc præstito faciat probationem plenam, quæ ipsi suffragetur in ordine ad separationem a prima conjuge?

Respondetur, negative. Laymann *loc. cit. num.* 3. Pichler *libr. 2. titul. 24. num.* 25. & iterum *libr. 4. titul. 1. numer.* 88. aliique passim, se fundantes *in capitul.* 10. *de Probat. &* 30. *de Sponsal. &c.* ac superaddentes hanc rationem, quod in causis valde arduis, uti est etiam Matrimonialis, non habeat locum juramentum suppletorium.

pletorium, præsertim in favorem proprium; ergo deferri nequit.

Dices. Si Titius ficte contraxisset Sponsalia, & fictionem semi-plene probaret, admitti posset ad præstandum juramentum suppletorium; ergo etiam, dum ponitur ficte contraxisse Matrimonium, & fictionem semi-plene probare.

Respondetur cum P. Pichler *cit.* concesso antecedente, neg. conf. Disparitas est; nam Sponsalia non sunt ex sua natura indissolubilia, sicut Matrimonium; nec tanta nascuntur pericula animarum ex dissolutione Sponsalium, quanta (præter injuriam Sacramenti) emergunt ex dissolutione Matrimonii.

330. Dico secundo. Idem consensus Matrimonialis debet esse personalis, hoc est, ab ipsis personis contrahentibus, sive Ministris positus, & expressus: quare non valet Matrimonium, a parentibus contractum pro liberis præsentibus, & tacentibus, nisi hi illos ad id delegaverint, ac constituerint. Ita post Henriquez, Sotum, Basilium Pontium, & alios P. Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 81. contra alios.

Probatur ratione fundata in arduitate negotii, quale est electio status perpetui, quæ omnino videtur exigere consensum personalem, aliquo signo ab ipsismet contrahentibus positive expressum: sed liberi tacendo non sic exprimunt suum consensum; cum tacendo nihil affirment, & nihil negent, seu nec consensum, nec dissensum præbeant, & explicent, juxta *R.* 44. *J. in* 6. ibi: *Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*; ergo &c.

Confirmatur ex Conc. Trid. quod *Sess.* 24. *capit.* 1. *de Reform.* Sponso, & Sponsæ sub nullitate actus contra gesti præcipit, ut consensum suum exprimant coram Parocho, & testibus; ad quod sufficere vix potest taciturnitas liberorum, nisi in casu, quo parentes delegaverint ad contrahendum suo nomine Matrimonium, atque adeo eos quasi Procuratores constituerint.

331. Objicies. Sponsalia valide contrahuntur a parentibus pro liberis præsentibus, & tacentibus, quamvis hi illos ad id non constituerint, juxta *cap. unic. de Desponf. impuber. in* 6. ergo & Matrimonium. Prob. conf. Ideo Sponsalia valide tunc contrahuntur, quia præsumitur consensus filiorum, præsentium, & non contradicentium, in Sponsalia: sed talis consensus præsumi quoque potest in Matrimonium; ergo &c.

Respondetur, admisso antecedente (conformiter dictis *n.* 149. *in limitatione respons.*) urg. conf. Nam quod parentes pro liberis, sine horum delegatione contrahere tunc Sponsalia possint, est aliquid singulare, & exorbitans a Jure communi; ut proinde subintret *Reg.* 28. *Jur. in* 6. vi cujus facultas illa parentum non est trahenda ad consequentiam, nec extendenda ad Matrimonium; præsertim cum Sponsalia inter, & Matrimonium interveniat hic dispar ratio: Matrimonium quippe inducit obligationem arctiorem, & vinculum ex sua natura insolubile, ratione cujus majorem utique exigit libertatem, ac Sponsalia, ceu vinculum multas ob causas dissolubile. Unde ad prob. neg. min. Cum enim sit dispar ratio, & dispositio in uno, ac in altero casu, esto consensus liberorum præsumi possit in uno, non sequitur, quod præsumi quoque possit, aut debeat in altero.

332. Dico tertio. Consensus Matrimonialis debet insuper esse (1) simultaneus: quamvis (2) sufficiat simultas moralis. Ita DD. communiter.

Probatur primo utraque pars simul a paritate; nam alii contractus requirunt simultatem consensus, vel consensuum, & sufficit in illis simultas moralis; cum nulla Lex, aut Canon exigat coexistentiam physicam, *& intervallum medium non vitiet obligationem l.* 1. §. 1. *ff. de V. O. & l.* 1. §. 2. *ff. de contrah. empt.* ergo etiam in contractu Matrimoniali.

Probatur secundo utraque pars seorsim. Et quidem prima sic: siquidem consensus contrahentium constituunt contractum, ceu aliquod quod totum; quod fieri nequit, nisi simul concurrant. Secunda vero: quoniam Matrimonium iniri potest per Procuratorem (vel epistolam) ubi consensus contrahentium non præstatur simul simultate physica, sed morali tantum. Ergo &c.

333. Objicies primo contra secundam partem, *in lib.* 137. *ff. de V. O.* expresse deciditur, ut contrahentes sibi continuo respondeant, antequam ad alia divertant; ergo in contractu, & consequenter etiam in Matrimonio, requiritur simultas physica, vel saltem immediata successio consensuum.

Respondetur, in *cit. l.* sermonem esse de stipulatione stricte dicta, & speciali; non vero de quacunque stipulatione, & contractu generaliter: id quod liquet ex *l.* 1. §. 1. *ff. de V. O.* ubi dicitur, valere stipulationem (generaliter, seu communiter sumptam) si stipulans post interrogationem factam discesserit, & deinde reversus responsionem expectaverit; ubi tamen consensus utrinsque uno, eodemque tempore positus non fuit. Unde neg. conf. utpote quæ, cum fiat a particulari ad universale, non est legittima &c.

334. Objicies secundo. In *cap.* 31. *de Sponsal. & Matrim.* ad Matrimonium requiritur consensus mutuus: sed nisi contrahentes eodem tempore consentiant, consensus eorum non est mutuus; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Si enim prior consensus, jam semel legitime positus, non fuerit revocatus, adeoque etiamnum moraliter duret, omnino censetur conjungi cum consensu posteriore, atque ita constituere consensum mutuum.

335. Objicies tertio. In aliis Sacramentis materia, & forma debent existere simul simultate physica; ergo etiam in Sacramento Matrimonii. Atqui geminus consensus contrahentium, verbis, vel signis expressus, est materia, & forma Sacramenti Matrimonii; ergo debet existere simul simultate physica.

Respondetur, neg. ant. Siquidem in aliis quoque Sacramentis (præterquam in Sacramento Eucharistiæ) sufficit, si materia, & forma existant simul simultate morali, licet ista sit inæqualis, & diversa juxta diversam naturam, & indolem Sacramentorum. Id quod probatum, & expositum est *part.* 5. *n.* 9. & 10. Revide ergo, quæ ibi habentur.

336. Quæres, quantum temporis intervallum inter unum, & alium consensum intercedere possit, ut adhuc subsistere censeatur eorum simultas moralis?

Antequam huic Quæsito satisfiat, supponendum est, illud non moveri de casu, quo quis consensit pro determinato tempore. Tunc quippe certum est, quod consensus, elapso tali tempore, censeatur revocatus saltem tacite; cum ultra illud a consentiente non fuerit protensus, ut de se patet. Unde Quæsitum solummodo procedit, & controversum est, quando consensus determinato tempori non fuit alligatus. Ad quod

Respondent aliqui, nullum temporis intervallum obesse simultati morali consensuum, dummodo consensus, prius datus, nec expresse, nec tacite sit revocatus. Sed

Contra est, quod ob lapsum longi temporis consensus tacite revocetur. *l.* 1. §. 1. *ff. de V. O.* ubi dicitur, quod intervallum medii temporis (inter unum nempe, & alterum consensum) si modicum sit, non vitiet obligationem, ex contractu oriundam; ergo si non sit modicum, vitiat. Quare hæc duo non stant simul, longum tempus intercessisse, & consensum non fuisse, saltem tacite, revocatum: nisi forte consentiens in hoc ipsum consenserit, quod velit expectare alterius partis consensum, quocunque demum, & ut ut longo post tempore datum: id quod rarissimum est, & nisi factum certo constet, præsumi nullatenus potest.

Respondent alii, simultati morali consensuum non obesse septennium, alii triennium, alii annum. Sed rursus

Contra est, quod interruptio moralis consensuum, adeoque & simultas ei opposita, pendeat ex circumstantiis particularibus, quæ variæ sunt, & quibus attentis modo longius, modo brevius temporis intervallum inter unum, & alterum consensum mediare potest, quin eorum moralis simultas pessumdetur. Quare melius

Respondetur cum P. Sanchez *lib.* 2. *de Matr.* 32. *n.* 6. Filliucio, Salmanticensibus, & aliis, quantitatem temporis medii, quæ obsit, vel non obsit morali consensuum simultati, non esse attendendam absolute, & secundum se præcise, sed respective, & una cum circum-

cumstantiis concurrentibus; indeque arbitrandum, an in casu aliquo particulari prior consensus adhuc duraverit moraliter, & sic cum posteriore conjunctus in contractum coaluerit, nec ne?

An, quando, & qualiter consensus liberorum in contrahendis Matrimoniis dependeat a consensu parentum, relinquitur ex dictis supra *n.* 167. *& seqq.*

§. III.

Expediuntur aliæ Quæstiones huc pertinentes,

S U M M A R I U M.

337. *Matrimonium contrahi potest sub conditione, ac modo servandæ castitatis perpetuæ; vel sub pacto de nunquam petendo, & reddendo debito conjugali.* 338. *& seqq. Hæc sententia tribus corollariis illustratur.* 341. *Quid Juris, si Matrimonium contrahatur sub conditione honesta, & possibili?* 342. *An necesse sit, ut conditio impleatur coram Parocho, & Testibus, aut impletio istis notificetur?* 343. *Matrimonium initum sub hac conditione,* si Antichristus veniet, *statim valet absolute tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti inter contrahentes fideles.* 344. *Quid Juris, si Matrimonium contrahatur sub conditione impossibili, vel* 345. *turpi?* 346. *Hæc conditio,* contraho tecum, si reinvenero virginem, *in aliquo sensu potest haberi pro non adjecta, in aliquo sensu non potest.* 347. *Quid Juris, quando Ministri contrahunt Matrimonium sub* modo, causa, *vel demonstratione?*

337. QUæres primo, an Ministri Sacramenti Matrimonii hoc contrahere possint sub conditione, ac modo servandæ castitatis perpetuæ; vel sub pacto de nunquam petendo, & reddendo debito conjugali?

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Scotus *in 4. dist.* 30. *q.* 2. Mastrius *in 4. disp.* 7. *q.* 3. *art.* 3. Basilius Pontius *lib.* 3. *de Matr. cap.* 11. *n.* 6. & alii contra alios. Ratio probativa fundamentalis est: quia per contractum Matrimonialem tradi potest jus duntaxat remotum, & contrahi obligatio remota ad usum corporis, sine jure proximo, & obligatione proxima, sic nempe, contrahendo, *do tibi, & accepto jus ad usum corporis, nolo autem usum corporis*; ergo consistere potest valor, & substantia Matrimonii, contracti sub conditione servandi castitatem perpetuam; vel sub pacto nunquam petendi, & concedendi usum corporis. Conf. fluit. Ant. prob. In nullo contractu usus rei est de essentia contractus; ergo nec in contractu Matrimoniali: consequenter &c. Confirmatur. Potest quis inire Matrimonium animo ingrediendi Religionem ante consummationem, prout SS. Canones diserte permittunt; ergo etiam sub conditione, vel potius modo servandi perpetuam castitatem; aut sub pacto nunquam petendi, & reddendi debitum conjugale; cum conditio, vel pactum tale excludit solum consensum in copulam, quem etiam excludit animus intrandi Religionem in casu antecedentis.

Dices primo. Juxta *cap. fin. de Condit. appos.* ista conditio, *si generationem prolis evites*, est contraria substantiæ Matrimonii; ergo etiam conditio servandi perpetuam castitatem, vel pactum nunquam petendi, & reddendi debitum conjugale; cum sic utique evitetur generatio prolis.

Respondetur, explic. & dist. ant. Si illa conditio intelligatur de evitatione prolis generandæ positiva, & illicita, de quali loquitur *cit. cap.* & qualis fit per poculum sterilitatis, per copulam in vase innaturali, vel naturali quidem, sed cum dispersione seminis extra illud &c. con. si intelligatur de evitatione prolis generandæ negativa tantum, & licita, qualis fit per meram abstinentiam a copula, ut in casu quæstionato, neg. ant. & cons.

Instabis. *Cap. cit.* non distinguit inter evitationem prolis generandæ unam, & alteram; ergo nec nos distinguere debemus.

Respondetur, dist. ant. Non distinguit explicite, trans. implicite, neg. ant. & cons. Implicite saltem distinguit 1. quatenus ibi ponit meras conditiones illicitas, & obligationi Matrimoniali oppositas; servare autem continentiam nec illicitum est, nec obligationi Matrimoniali opponitur. 2. Quia intelligit evitationem prolis simpliciter, & proprie dictam, qualis est positiva, & illicita, non autem negativa, & licita; alias conjuges, ex voto, vel motivo castitatis a copula abstinentes, dicerentur proprie evitare, seu impedire generationem prolis.

Dices secundo. Ex nostra sententia sequeretur, quod uxor ex Justitia teneretur marito petenti debitum reddere; cum ad hoc obligetur ex jure conjugali, quod inducit obligationem Justitiæ; & non teneretur ex Justitia marito petenti debitum reddere: quia vi pacti acquisivit jus eidem negandi debitum petitum: hæc autem sunt opposita, & simul stare nequeunt: ergo &c. Item sequeretur, quod conjux utendo jure suo per copulam alteri faceret, & non faceret injuriam: non faceret; quia nemo utendo jure suo facit alteri injuriam: faceret; quia ageret contra obligationem Justitiæ, pacto inductam de non utendo jure suo: quæ itidem sunt opposita.

Respondetur ad 1. membrum argumenti, solum sequi, uxorem in eo casu ex Justitia teneri marito petenti debitum reddere: nulla facta suppositione pacti, vel voti, & non teneri ex Justitia, facta suppositione pacti; quæ non sunt opposita: uti recte advertunt Scotus ubi supra, & Palao *disp.* 2. *de Sponsalib. punct.* 11. §. 4. *numer.* 7. Itaque jus conjugale in quolibet conjugum parit obligationem Justitiæ ad reddendum alteri petenti debitum, nulla suppositione facta, non autem facta suppositione v. g. obligationis, quam subit habens tale jus, ad non utendum jure suo, uti evenit in proposito. Ad 2. nego seq. & ajo, quod conjux alteri tantum faceret injuriam violando pactum de non utendo jure suo. Rationem probativam dist. Nemo utendo jure suo non vinculato (seu ligato per legem, aut pactum voluntarie initum) alteri facit injuriam, con. utendo jure suo vinculato, neg. In hypothesi, & suppositione casus jus, quod obtinet conjux ad utendum corpore alterius per copulam, est vinculatum pacto mutuo: consequenter &c.

Dices tertio. Vel ejusmodi conjuges copulam exercendo committerent fornicationem, aut adulterium, vel non committerent: neutrum dici potest; ergo &c. Prob. minor. Non enim potest dici prius: quia fornicatio non contingit nisi inter personas solutas, & adulterium, quando violatur torus alienus. Nec potest dici posterius: quia illud exercitium copulæ videtur omnino esse peccaminosum contra castitatem; nec apparet, ad qualem aliam incontinentiæ speciem pertineat, quam ad speciem fornicationis, aut adulterii.

Respondetur, neg. min. & ad prob. dico (saltem præciso voto castitatis, a conjugibus per mutuum consensum emisso) nullum committi peccatum contra castitatem ab exercentibus secum invicem copulam post contractum sub conditione, & modo servandæ castitatis Matrimonium (adeoque nec peccatum simplicis fornicationis, nec peccatum adulterii, ob rationem inter arguendum allatam) sed, si alterutra Pars circa copulam sit invita, committi peccatum injustitiæ, vel infidelitatis tantum, id est, violatæ fidelitatis, contra pactum de servanda castitate Matrimonio adjectum: si vero neutra Pars circa copulam sit invita, sed utraque in eam libere consentiat, nullum penitus committi peccatum; quoniam tunc pactum illud, sicut mutuo consensu initum est, ita mutuo consensu dissolvitur, juxta *Reg. I. de R. J. in* 5. neque enim tale pactum habet effectum indissolubilitatis, sicut habet ipsum Matrimonium.

Dixi per parenthesim: *saltem præciso voto castitatis &c.* Nam si conjuges mutuo consensu emiserint votum Castitatis sive simplex, sive solemne in Religione, & postea copulam invicem exerceant intra limites, conjugibus alias permissos, major difficultas est, an non saltem tali casu contra Castitatem peccent? Ajo nihilominus, quod neque tunc peccet contra Castitatem, sed tantum contra Religionem, ac peccato sacrilegii, eoque duplici, uno ratione proprii voti violati, altero ratione cooperationis ad violationem voti alterius. Ratio hujus resolutionis est: quia unitas, & multiplicitas peccatorum sumitur ab unitate, & multiplicitate præ-

ceptorum, seu legum (formaliter spectatarum in sensu exposito *part. 1. n. 660.*) quas quis transgreditur: atqui in proposito nullius alterius legis fit transgressio, nisi illius privatæ, quam conjuges sibimetipsis posuerunt, nempe voti; ergo contra hanc legem unice peccaor: & per consequens non alio peccato, quam sacrilegii. Enim vero nullus privatus facere potest, ut Lex communis aliter ipsum obliget, quam alios similis qualitatis, aut conditionis homines: atqui Lex Castitatis, sive Continentiæ non obligat conjuges, nisi ad Castitatem conjugalem; ergo nullus conjux privatus facere potest, ut illa Lex eundem obliget ad majorem Castitatem: consequenter isti conjuges, manendo intra limites conjugibus concessos, contra Legem Castitatis non peccant, licet peccare possint contra aliam Legem distinctam, nempe illam privatam voti. Et hanc esse reipsa sententiam Sanchezii, ex ejus *lib. 9. de Matrim. disp. 37. n. 13.*

Confirmatur amplius ab exemplo. Si ergo emittam votum abstinendi simpliciter a vino, & postea intra limites temperantiæ bibam vinum pecco quidem contra meum votum, sed non contra Temperantiam: quia Lex Temperantiæ me non obligat ad abstinendum ab omni vino; ergo pariter &c. Neque dicas, exinde sequi, etiam Religiosum proprietarium non maculari alio peccato, quam sacrilegii, seu transgressionis voti, si moderate utatur rebus temporalibus. Contrs enim est, neg. seq. & parit. Siquidem votum solemne Paupertatis ex dispositione Ecclesiæ obtinet vim tollendi dominium, & jus temporale, ac Religiosum reddit inhabilem ad illud: atque ideo Religiosus proprietarius arrogando sibi rem non suam peccat etiam contra Justitiam: at votum Castitatis, sive solemne sit, sive simplex, non tollit dominium conjugum in mutua corpora (supposita consummatione Matrimonii præcedente) & consequenter utentes illo dominio, etiamsi voto Castitatis ligati sint, non peccant contra Castitatem, nec contra aliam virtutem, nisi Religionis ob transgressionem voti.

338. Colliges ex dictis primo, Matrimonium quoque validum fore, si una duntaxat pars contrahentium se obligaret ad non petendum, vel non reddendum debitum: modo talis obligatio ab altera parte acceptaretur. Ratio est: siquidem, licet jus conjugale radicale, & remotum in utroque conjuge debeat esse reciprocum, ac æquale, non tamen jus formale, & proximum.

339. Colliges secundo, Matrimonium sub conditione servandi castitatem contrahi etiam posse a personis, simplici castitatis voto obstrictis: dummodo sibi tradant in illius contractione Jus duntaxat remotum, & non proximum ad copulam. Patet id in Matrimonio B. Virginis, & S. Josephi. Nec obstat, quod votum simplex castitatis impediat licitam contractionem Matrimonii, cum numeretur inter hujus impedimenta impedentia. Nam id solummodo verificatur, quando per contractionem Matrimonii non tantum traditur jus remotum, sed etiam proximum ad copulam: si enim jus remotum duntaxat tradatur, Matrimonium a prædictis personis etiam licite initur, *per se loquendo*; per accidens autem, nempe propter periculum violandi voti contractio illiusmodi raro permittenda est.

440. Colliges tertio, in Matrimonio cum obligatione servandæ castitatis contracto reperiri conditionem, & modum: conditionem quidem in contractus initio, quatenus neutra pars vult se alteri obligare, nisi sub conditione castitatis servandæ; modum vero post contractum jam initum, quatenus utraque pars adstringitur ad onus servandæ castitatis adjectum. Ita P. Pichler *lib. 4. tit. 1. n. 80. in Respons. ad* 3. Ceterum modus est moderamen, vel gravamen actui adjectum, atque efferri plerumque solet per particulam *ut*, *pro*, *ad &c.* v. g. lego tibi mille, ut studeas Jurisprudentiæ: dono tibi libros pro studio, sive ad studendum &c. Differt a conditione proprie dicta (qualis est conditio de futuro contingenti) quod actum non suspendat: si tamen pars altera non impleat modum, aut onus impositum, regulariter repeti potest, quod datum est, per *l. 1. cap. de Donat. quæ sub modo.*

341. Quæres secundo, quid juris, quando Ministri contrahunt Matrimonium sub conditione honesta, & possibili?

Respondetur primo. Quando Matrimonium contrahitur sub conditione de præsenti; ut quando Cajus v. g. dicit Titiæ: *duco te, si sis filia Sempronii*: vel de præterito; ut quando Cajus dicit Titiæ: *duco te, si pater tuus sit mortuus*: illud statim valet absolute tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti, si conditio subsistat, & non valet, si conditio non subsistat. Ita communis, & certa DD. sententia. Ratio est: quia ejusmodi conditio non suspendit consensum contrahentis sub ea (quemadmodum, ex dictis *part. 2. n. 415.* non suspendit consensum voventis) sed sicut de præsenti aut existit, ac præteriit, aut non existit, ac non præteriit conditio; ita & Matrimonium de præsenti aut absolute valet, aut omnino non valet.

Respondetur secundo. Quando Matrimonium contrahitur sub conditione de futuro necessario; ut quando Cajus dicit Titiæ: *duco te, si cras sol orietur*: illud similiter statim valet absolute in ratione tam contractus, quam Sacramenti, regulariter loquendo. Est itidem communis, & certa DD. sententia, Ratio est; quia ejusmodi conditio jam est præsens in determinatione suæ causæ naturalis, & necessariæ; adeoque habetur pro jam impleta. Dixi autem; *regulariter loquendo*. Nam si contrahens intenderet (quod tamen fieri non præsumitur) consensum suum revera suspendere usque ad eventum conditionis, Matrimonium ut absolutum, & purum non valeret, antequam conditio eveniret; cum deficeret mutuus consensus de præsenti; uti cum aliis graviter advertit Bonacina *de Matrim. q. 2. pun. 10. n. 6.*

Respondetur. Tertio, Quando Matrimonium contrahitur sub conditione de futuro contingenti, eoque honesto, v. g. *duco te, si pater tuus consentiet: si officium mihi impetrabis &c.* valet quidem (1) in ratione contractus conditionati; non autem (2) in ratione contractus absoluti, nec in ratione Sacramenti, antequam eveniat conditio: qua tamen eveniente (3) migrat sine novo consensu in contractum absolutum, & sortitur inter contrahentes fideles rationem Sacramenti, esto eventum conditionis ignorent, Prima, & secunda pars responsionis communiter admittitur ab Authoribus. Sumitur utraque ex *c. 3. 5. & fin. de Condit. appos.* Ratio insuper est: quia alii contractus, sub ejusmodi conditione celebrati, valent in ratione contractuum conditionatorum, non autem valent in ratione contractuum absolutorum, antequam eveniat conditio; ergo etiam Matrimonium, sub tali conditione celebratum, valet in ratione contractus conditionati; non autem valet in ratione contractus absoluti, adeoque nec in ratione Sacramenti, antequam eveniat conditio. Tertia pars multos habet Adversarios, præsertim ex Theologis; tenetur autem tum a Canonistis passim, tum ex Theologis a Sanchezio *lib. 5. de Matrim. disp. 8. n. 5.* Laymanno *lib. 5. tr. 10. part. 2. cap. 7. numer. 2.* Filliucio *tr. 10. part. 1. cap. 5. n. 145.* Sporero *in Theol. Sacram. part. 4. n. 333.* & aliis quam plurimis. Ratio probativa itidem sumitur ex paritate cum aliis contractibus: isti namque, sub conditione de futuro contingenti honesto initi, absque novo consensu migrant in absolutos, conditione impleta *§. Institut. de V. O. l. 7. ff. de contrah. empt. l. 11. §. 1. qui potior, in pign.* ergo etiam contractus Matrimonii; cum de ipso nihil quoad hoc reperiatur specialiter dispositum in ullo Jure, sive Divino, sive Humano. Confirmatur. Contractus Sponsalitius, sub conditione celebratur, ea eveniente transit in purum, & absolutum sine novo consensu; ergo etiam contractus Matrimonialis. Ant. colligitur ex *cap. unic. de Sponsal. in 6.* & ab ipsis quoque Adversariis conceditur, Cons. probatur inde, quod sicut ad Matrimonium requiritur consensus purus, & absolutus de præsenti, ita ad Sponsalia requiratur consensus purus, & absolutus de futuro. Suffragatur etiam nostræ sententiæ Declaratio S. Pii V. & Clementis, VIII. quam refert, & authenticam esse testatur Fagnanus *in capitul. super eo 5. de Condit. apposition. numer. 5. & 6.*

Addidi in respons. *esto eventum conditionis ignorent.* Non enim est necesse, ut contrahentes sciant evenisse conditionem: quia hoc ipso, quod conditio eveniat, purificatur Matrimonium; sicut eo ipso, quod Procurator contrahat Matrimonium, & consentiat nomine sui Principalis, firmum est Matrimonium,

nium, etsi Principalis id ignoret: ut proinde in hoc, & illo casu notitia de eventu conditionis solum sit necessaria ad licitum usum Matrimonii, quatenus contrahentes alioquin se constituerent in periculo fornicationis, si forte conditio non esset impleta, & ipsi uterentur Matrimonio.

Dices primo contra primam, & secundam partem responsionis. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem*; ut sonat *Reg. 50. J. in 6.* sed Matrimonium est actus legitimus; ergo &c.

Confirmatur, Matrimonium, cui similis conditio adjicitur, non valet conditionate in ratione Sacramenti; ergo neque sic valet in ratione contractus.

Respondetur ad argum. allegatam Regulam procedere de illis duntaxat actibus legitimis, qui vel in Jure sunt expressi, ut conditionem non recipiant; uti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris; qui actus specificantur in *l. 77. ff. de Reg. Jur.* item electio, quæ exprimitur in *cap. 2. de Elect. in 6.* vel ex sua natura, & institutione conditionem respuunt; uti Sacramenta, quorum valor nequit esse conditionatus conditione suspensiva in futurum, sed statim absolute vel subsistit, vel deficit. At Matrimonium, quatenus obtinet rationem contractus, imitatur naturam aliorum contractuum, & nec ex ulla Juris expressa dispositione, nec ex natura sua refugit conditionem, valoris, effectusque sui suspensivam.

Ad confirmat. con. ant. & neg. conf. Nam sicut alia Sacramenta, ita & Matrimonium, quatenus Sacramentum est, ex ipsa Christi institutione nullam admittit conditionem suspensivam valoris, & effectus sui; quia ratio Sacramenti superaddita præsupponit, & fundatur in solo contractu Matrimoniali perfecto, ac absoluto, non autem in imperfecto, ac conditionato conditione suspensiva &c. Atque ex hoc patet, quomodo intelligendi sint DD. quando dicunt, consensum Matrimonialem oportere esse absolutum: volunt quippe solum, quod consensus ille debeat esse absolutus in ordine ad constituendum contractum Matrimonii perfectum, ac absolutum, cui, inter fideles celebrato, annexa sit ratio Sacramenti.

Instabis. Matrimonium, etiam quatenus contractus est, refugit conditionem resolutivam, arbitrio contrahentium adjectam; ergo & suspensivam.

Respondetur in primis, neg. ant. Siquidem Matrimonium non refugit illiusmodi conditionem resolutivam, quatenus præcise contractus est (alias etiam contractus Sponsalitius eam refugeret contra id, quod insinuatum supra *n. 181. ad fin.*) sed quia contractus indissolubilis est. Sub hac ergo reduplicatione intellectum ant. concedo: at nego conf. Disparitas est: quia conditio resolutiva, arbitrio contrahentium adjecta, & acceptata, v. g. *duco te, donec invenero ditiorem &c.* repugnat substantiæ Matrimonii, seu contractus ex sua natura indissolubilis, postquam semel legitime initus est, & absolute valet; dissolveretur autem per eventum præfatæ conditionis resolutivæ. At vero conditio suspensiva, cum adjiciatur contractui Matrimoniali conditionato, adeoque ex natura sua adhuc dissolubili, sicut reipsa dissolveretur, si non impleretur conditio; ut, si alterutra (vel utraque) pars contrahentium aliud Matrimonium absolute iniret, non adversatur substantiæ Matrimonii, cui apponitur, sed potius ad eam, in esse perfecto, & absoluto, media scilicet purificatione conditionis, ponendam, ordinatur, ac tendit.

Dices secundo contra tertiam partem. In *cap. 5. de Condit. apposit.* habetur, quod ille, qui contraxit sub conditione de futuro contingente, *si pater consenserit*, non sit cogendus ad *contrahendum* Matrimonium, nisi pater consenserit; ergo hac conditione impleta, seu dato consensu patris, cogendus est ad *contrahendum*: atqui *contrahere* dicit ponere novum consensum; ergo impleta conditione requiritur novus consensus.

Confirmatur. In *eod. capit. 5.* asseritur, quod consensus, sub conditione de futuro contingenti expressus, non sit habendus pro consensu *de præsenti*; ergo non sufficit ad constituendum Matrimonium, quippe ad cujus constitutionem requiritur consensus de præsenti; ergo ut postmodum, impleta conditione, Matrimonium constituatur, necessarius est novus consensus, isque de præsenti, & absolutus.

Respondetur, quod per illud *contrahendum* intelligatur *consummandum*, ut *nigrum* concordet cum *rubro*, seu textus cum rubrica, vel sommario, ubi ponitur interrogatio de obligatione consummandi Matrimonium post eventum conditionis. Neque hæc verborum acceptio in Jure peregrina videri debet: quia etiam in *capit. 22. de Sponsal.* vice versa in *consummare* sumitur pro *contrahere*. Quod si quis evinceret, Pontificem *in cit. capit. 5.* loqui de iterum *contrahendo*, seu ponendo novum consensum, dicendus foret ideo id fecisse: quia dubium erat, an prior consensus sub conditione datus, non fuerit ante eventum conditionis revocatus.

Ad confirmat. explico, & dist. Asseritur, quod illiusmodi consensus non sit habendus pro consensu *de præsenti*, perfecto, absoluto, & irrevocabili, con. pro consensu imperfecto, conditionato, & ante eventum conditionis revocabili, neg. ant. & dist. similiter conf. Ergo non sufficit ad constituendum Matrimonium perfectum, absolutum, & indissolubile, con. ad constituendum Matrimonium imperfectum, conditionatum, & dissolubile, neg. hanc, & alteram conf. Itaque consensus, sub conditione de futuro contingenti præstitus, est de præsenti conditionato, & sufficit ad constituendum Matrimonium conditionatum, quod, purificata conditione, in absolutum absque novo consensu migrare contendimus, sicut Sponsalia, sub tali conditione inita, hac eveniente, transeunt in absoluta, quin ad id opus sit novo consensu. Porro Matrimonium conditionatum (quod addo majoris explicationis gratia) est contractus quodammodo medius inter Matrimonium absolutum, & Sponsalia; convenit enim cum Matrimonio absoluto, quatenus & ipsum fit per verba de præsenti, ac differt a Sponsalibus, quatenus non, ut ista, initur per verba de futuro: unde non obligat ut Matrimonium absolutum, neque ut mera Sponsalia, sed ut Matrimonium conditionatum, obstringens contrahentes ad expectandum conditionis eventum.

Dices tertio itidem contra tertiam partem: Matrimonium, inter fideles celebratum, est Sacramentum; ergo debet esse signum sensibile. Sed nisi ponatur novus consensus, verbis, aliisque signis expressus post eventum conditionis, non potest dici signum sensibile; ergo &c. Subsumptum prob. Si posset dici signum sensibile, id fieret propter verba conditionalia, quæ fuere prolata, quando Matrimonium sub conditione initum fuit: sed verba illa non videntur ad id sufficere; ergo &c.

Respondetur, concesso primo enthymemate (si nempe intelligatur de Matrimonio absolute celebrato, aut conditionate quidem celebrato, sed postmodum per eventum conditionis purificato) neg. subsumpt. Ad hujus prob. neg. min. Nam illa verba, ut substant eventui conditionis, sunt sufficiens signum consensus purificati: siquidem ab initio ita conventum est inter contrahentes, ut, quamprimum conditio evenerit, verba, in contractu Matrimoniali conditionato adhibita, transirent in absoluta, ipsumque adeo Matrimonium ratum, firmumque consisteret.

342. Petes, an necesse sit, ut conditio impleatur coram Parocho, & Testibus, aut impletio istis notificetur?

Respondetur negative, si prius coram ipsis conditionate contractum sit Matrimonium. Ita Sanchez *lib. 5. disp. 8. n. 24.* Fagnanus *loc. & n. cit.* adducens Declarationem Cardd. ac alii contra alios. Ratio est: quia Trid. præsentiam Parochi, & testium requirit solum eo tempore, quo Matrimonium contrahitur: atqui non contrahitur, quando impletur conditio, sed quando adjicitur; ergo &c. Confirmatur. Non est necesse, ut impletio conditionis sit nota ipsis contrahentibus; ergo nec est necesse, ut sit nota Parocho, & testibus.

Dices. Parochus, & testes ideo adhibendi sunt, ut constet Ecclesiæ de Matrimonio complete, & absolute contracto: sed, si Parocho, & testibus non intimetur, vel constet, conditionem esse impletam, non constat Ecclesiæ de Matrimonio complete, & absolute contracto; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Siquidem finis Tridentini (qui est, ne deserto priore Matrimonio contrahatur aliud) satis obtinetur per hoc, quod Matrimonium

coram Parocho, & testibus sub conditione sit celebratum, licet iisdem, vel Ecclesiæ, non constet de eventu conditionis; quoniam Ecclesia nunquam permittet recedi a Matrimonio conditionato, & aliud, seu cum alia persona, contrahi absolutum, nisi plene constiterit de non impleta conditione, aut de revocatione consensus ante conditionis impletionem facta.

343. Colliges, Matrimonium initum sub hac conditione, *si Antichristus veniet*, statim valere absolute tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti inter contrahentes fideles. Ratio est: quia, licet illa conditio (idem cogita de aliis id genus conditionibus) non sit eventura necessario, est tamen eventura infallibiliter, ob quam eventus infallibilitatem æquivalet hic conditioni necessariæ, non contingenti; adeoque non ad suspendendum consensum, sed ad ejus certitudinem demonstrandam apponi censetur, ut sensus sit v. g. sicut certum est Antichristum venturum, ita certum est me accipere te in conjugem. Palao *de Sponsal. disp.* 1. *pun.* 11. *n.* 2. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 2. *art.* 3. *n.* 24. & alii passim.

344. Quæres tertio, quid juris, quando Ministri contrahunt Matrimonium sub conditione impossibili, e. g. *si digito cœlum tetigeris; si e cœlo Lunam detraxeris; si mare ebiberis &c?*

Respondetur. Matrimonium, quod contrahitur sub conditione impossibili, sive hæc sit de futuro (modo non repugnet substantiæ Matrimonii; quam exceptionem explanabimus *n. seq.*) sive de præterito, aut præsenti, regulariter valet statim ut absolutum, & purum, tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti: adeoque vitiatur quidem conditio, non vero Matrimonium. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 5. *a n.* 40. Franciscus Schmier *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 99. & 107. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 60. & 73. aliique apud ipsos. Sumitur responsio ex *cap. fin. de Condit. apposit.* ubi conditio impossibilis in Matrimonio habetur indiscriminatim pro non adjecta, solumque, vel saltem magis attenditur impossibilitas, quam proprietas conditionis, & quidem ex præsumptione, qua Jus Canonicum in favorem Matrimonii, ut potius valeat, quam non valeat, præsumit contrahentes sub conditione impossibili velle potius, eam adjiciendo, jocari, & sic vere contrahere, non autem invalide, & cum gravi peccato: sicut Jus Civile in favorem ultimarum voluntatum eas vult haberi pro validis, quando eisdem apponitur conditio impossibilis, hanc vero pro non adjecta. §. 10. *Instit. de Heredit. instit. libr.* 3. & 6. *ff. de Condit. & Demonstr.*

Dixi autem: *regulariter*. Excipitur enim, si ex variis circumstantiis (ejusmodi præsertim sunt qualitas, affectus, & interesse contrahentium) colligi possit, quod conditionem impossibilem adjicienti non fuerit serius animus contrahendi: ut si Nobilis dicat puellæ pauperi, *duco te, si montem aureum in dotem attuleris*: tali quippe casu Matrimonium, sub ejusmodi conditione initum, vitiabitur, seu irritum erit. Perez *disp.* 16. *de Matrim. sect.* 3. *n.* 5. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *cap.* 1. *n.* 337. Reiffenstuel ubi supra *num* 44. & alii passim. Ratio patens est: quia sine intentione contrahendi dari non potest consensus requisitus ad valorem Matrimonii: atqui tunc deficit ejusmodi intentio; ergo &c. Quare conditio impossibilis tunc solum pro non adjecta habebitur, quando dubitatur, an serio, vel jocose adjecta fuerit? stante enim tali dubio Ecclesia in favorem Matrimonii præsumit esse adjectam joci gratia, & Matrimonium valere: idque merito, ne forte separentur, qui legitime conjuncti sunt, & aliis conjungantur per Matrimonium illegitimum. Nunc contra respons. ad Quæsit.

Dices primo. Alii contractus, quibus apponitur conditio impossibilis, reputantur pro nullis. §. 11. *Instit. de inutil. stipul. & l.* 31. *ff. de O. & A.* ergo etiam contractus Matrimonialis.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitatem suppeditat ipsa dispositio Juris facta in favorem Matrimonii, vi cujus istud præsumitur validum, quamdiu non constat, conditionem impossibilem esse serio appositam; ne cum animarum periculo illegitime dissolvatur, quod forte legitimo consensu initum est, sicque aperiatur via ad aliud Matrimonium illegitime contrahendum: velut proxime annotavimus.

Dices secundo. Matrimonium essentialiter perficitur mutuo consensu contrahentium, ita, ut talis consensus non sit supplebilis ab Ecclesia: sed qui sub conditione impossibili contrahit, non consentit. *cit. leg.* 31, imo dissentit; quando enim postulata volumus negare, dicimus v. gr. *dabo tibi, si digito cœlum tetigeris*; ergo tunc non adest mutuus consensus contrahentium: consequenter &c.

Confirmatur. Qui scit, conditionem esse impossibilem, & tamen adjicit, censetur ludere, & jocari; ergo non censetur vere consentire, seu se velle obligare: consequenter &c.

Respondetur ad argum. neg. min. relate ad forum externum; & contractum Matrimonii. Nam licet antefato modo contrahens Matrimonium in animo forte non consentiat, vel etiam dissentiat, adeoque in foro interno, & a parte rei nulliter contrahat; in foro tamen externo præsumitur consentire, & vere contrahere, donec hæc talis præsumptio per probationem in contrarium (quam utique admittit, cum non sit præsumptio Juris, & de Jure) elidatur. Neque idcirco Ecclesia consensum Matrimonialem supplere putanda est: quia solum præsumit, consensum verum ab ipsomet conditionate contrahente positum esse, & conditionem non serio, sed joco tantum adjectam; ut sæpe dictum. Ob quam ipsam Ecclesiæ præsumptionem communis ille dissentiendi, seu postulata negandi modus non tenet, nec locum habet in Matrimonio.

Ad confirmat. dist. ant. Censetur ludere apponendo conditionem, quam non præsumitur serio apponere, cons. ineundo Matrimonium, neg. ant. & consequentiam. Nam in Matrimonium præsumitur vere consentire.

Dices tertio. Si conditiones impossibiles in Matrimonio haberentur pro non adjectis, id fieret in favorem Matrimonii; prout ipsimet contendimus, & innuit textus *cap. fin. cit.* sed major est favor Matrimonii, quando hoc potius judicatur non valere, quam valere in casu, quo de ipsius valore non constat: cum sic magis consulatur libertati contrahentium; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Quia major est favor Matrimonii, si valeat, quam si non valeat; cum per hoc, quod valeat, seu valere præsumatur, excludantur pericula animarum, & obstruatur via Matrimonium, legitimo forte consensu initum, dissolvendi, aliudque illegitimum contrahendi; in quo favor ille Matrimonii præcise usus est. Neque hic talis favor adversatur libertati, ac spontaneo consensui ad Matrimonium requisito: siquidem Constitutio *cap. fin. cit.* tantummodo locum habet, quando consensus in ita contrahentibus præsumi potest; prout relinquitur ex dictis.

Dices quarto. Matrimonium juxta plerosque non valet, quod quis cum deflorata contrahit, sub hac conditione, *si virgo es*: sed ista conditio est impossibilis, cum impossibile sit defloratam esse virginem; ergo &c.

Respondetur, dist. min. Est impossibilis hic, & nunc, ac per accidens, con. min. per se, & ita, ut nunquam fuerit possibilis, neg. min. & eodem modo distinguendum est cons. ac dicendum, quod dispositio, in *cit. cap.* facta, præcise veniat intelligenda de conditionibus per se, & absolute impossibilibus.

345. Quæres quarto, quid juris, quando Ministri contrahunt Matrimonium sub conditione inhonesta, & turpi, ex. gr. *si patrem tuum occides; si centum florenos furto subleges, & mihi afferes* &c.

Respondetur Matrimonium, quod contrahitur (1) sub conditione inhonesta, & turpi de futuro, ex. gr. *contraho tecum, si patrem tuum occides*, regulariter quoque statim valet ut absolutum tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti, ita ut ejusmodi conditio (dummodo non repugnet substantiæ Matrimonii) habeatur pro non adjecta; secus est de Matrimonio, quod contrahitur (2) sub conditione inhonesta, & turpi de præterito, ex. gr. *si furata es dotem*, vel de præsenti, ex. gr. *si blasphemes*; hoc quippe Matrimonium non valet, quando conditio non subest, aut non est purificata. Prima Pars est communis, & sumitur ex sæpe allegato *cap. fin.* utpote in quo etiam turpis conditio de futuro reputatur pro non adjecta, seu non serio apposita; cum Ecclesia præsumat, contrahentes non

habuis-

habuisse intentionem contrahendi cum obligatione ad peccandum, sicut tamen contraherent, si illiusmodi conditionem serio apponerent. Dixi tamen rursus: *regulariter*; & nisi constet, aut colligatur ex circumstantiis, serio appositam esse turpem ejusmodi conditionem: tali quippe casu & hic cessaret præsumptio Juris, consensum absolutum præsumentis. Altera Pars est iisdem fer communis, & tenetur a P. Sanchez *lib.* 5. *de Matrim, disp.* 15. *n.* 5. P. Engel *lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 14. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 97. & multis aliis apud istum. Ratio insuper est: quia *cit, cap. fin.* utpote exorbitans a Jure communi, non est extendendum ad conditiones improprias, quales sunt conditiones de præterito, & de præsenti, præsertim cum non reperiatur eadem ratio in utrisque; nam conditiones turpes de præterito, & præsenti non invitant ad delinquendum, invitant autem conditiones turpes de futuro, ob quam præcipue causam videtur statutum Jure, ut conditio turpis de futuro habeatur pro non adjecta. Sed contra hanc partem

Dices, Conditio impossibilis, sive sit de futuro, sive de præterito, aut præsenti, habetur pro non adjecta; prout docuimus *num. præced.* ergo etiam turpis; præsertim cum *cap. fin. cit.* loquatur eodem modo de utrisque, per verba, *licet alia conditiones apposita in Matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*

Respondetur, neg. cons. Nec obstat allegatus textus: licet enim is videatur eodem modo loqui de conditione impossibili, & turpi, non tamen nititur eadem ratione, quæ est anima Legis; nam conditionem impossibilem ideo vult haberi pro non adjecta, *quia impossibilis est*, quod prædicatum æque reperitur in conditione de præterito, vel præsenti, ac in conditione de futuro: at vero conditionem turpem non ideo vult haberi pro non adjecta, *quia turpis est*, sed quatenus ad aliquid turpe, & peccaminosum invitat, quod tantum verificatur in conditione turpi de futuro; ut patet: consequenter &c.

Dixi autem in respons. tam ad hoc, quam præcedens Quæsit. *modo non repugnet* (conditio nempe impossibilis, vel turpis, de futuro) *substantia Matrimonii*. Talis quippe conditio non habetur pro non adjecta, sed pro vitiante, seu invalidante Matrimonium. Ita decisum est in sæpius allegato *cap. fin.* cui concordat Jus naturale dictans, nullam rem sine sua substantia subsistere posse. Conditio impossibilis, contraria substantiæ Matrimonii, est, si Cajus v. gr. dicat Titiæ, *duco te, si prius in meis exequiis comparueris*. Conditio turpis, contraria substantiæ Matrimonii, est, quæ ex sua natura adversatur alicui ex tribus bonis Matrimonii; nempe vel *bono prolis*, ut hæc, *contraho tecum, si generationem prolis evitabis* (positivè scilicet per poculum sterilitatis, imperfectum coitum &c.) *aut prolem natam occides*; vel *bono Sacramenti*, aut indissolubilitatis, ut hæc, *contraho tecum, donec inveniam digniorem*, aut *ditiorem*: vel *bono fidei conjugalis*, ut hæc, *contraho tecum, si pro quæstu adulterandam te trades*. Hæ, inquam, conditiones Matrimonium vitiant, & invalidum reddunt, si sint conceptæ, ac prolatæ *de futuro*; nam si *de præsenti*, aut *præterito*, Matrimonium non vitiant, sed hoc, illis existentibus, valet; sicut, non existentibus, non valet. Ratio hujus est: tum quia *cit. cap. fin.* solum loquitur de conditionibus proprie dictis, quales non sunt, quæ respiciunt tempus præteritum, vel præsens: tum quia conditio de præterito, vel præsenti adjecta Matrimonio non respicit obligationem, bonis, aut substantiæ Matrimonii contrariam, sed tantum actus executionem, quæ non adversatur substantiæ contractus Matrimonialis. Ita P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 115. P. Pichler. *ibid. num.* 12. & alii.

346. Colliges, hanc conditionem, *contraho tecum, si te invenero virginem*, in aliquo sensu posse haberi pro non adjecta, in aliquo sensu non posse. Potest, quando intelligitur de inventione per primum concubitum: quia tunc, cum provocet sponsam ad concedendam copulam, antequam vere contractum sit Matrimonium, est conditio turpis de futuro. Non potest, quando intelligitur de inventione per licitam indagationem, v. gr. per inspectionem factam a matronis: quia tunc est conditio honesta de futuro contingenti, adeoque consensus Matrimonialis suspensiva. P. Sporer ubi supra *num.* 329. & alii passim.

347. Quæres quinto, quid Juris, quando Ministri contrahunt Matrimonium sub *modo*, *causa*, vel *demonstratione*?

Antequam ad hoc Quæsitum respondeatur, oportet præmittere, quid significent isti termini. Et quidem quid sit *modus*, & qualiter a conditione differat, relinquitur ex dictis supra *num.* 340. Causa est ratio, vel motivum, quo quis ad donandum, paciscendum, vel contrahendum permovetur, v. gr. dono tibi centum, quia diligenter curasti mea negotia. Effertur per particulam *quia* &c. *Demonstratio* est appositio signi, quo denotatur vel persona, cum qua, vel res, de qua pactum, vel contractus, vel dispositio fit. Effertur per voces relativas *qui*, *qua*, *quod* &c. v. gr. duco te, quæ de hoc, vel illo es stemmate: lego Titio equum, quem emit a Cajo. His præscitis

Respondetur jam ad Quæsitum primo. Matrimonium sub *modo* initum statim valet ut absolutum, si modus sit honestus, & possibilis. *cap.* 4. *de Condit. apposit.* Imo etsi impossibilis sit, vel turpis, v. gr. ut *montem aureum in dotem afferas*, vel, *ut patrem tuum occidas*; non vitiatur Matrimonium, licet vitietur modus, seu pro non adjecto habeatur. *arg. cap. fin. eod.* Si vero adjiciatur modus turpis, substantiæ Matrimonii repugnans, v. gr. *ut generationem prolis positive impedias &c.* tunc probabilius vitiatur ipsum Matrimonium, seu redditur nullum, *arg. cap. fin. cit. & l.* 14. §. 1. *ff. de Usu, & habit.* Sanchez *lib.* 5. *de Matrim. disp.* 19. *numer.* 5. Pichler *lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 15. & alii apud istum contra alios. Ratio est: quia contrahentes sub tali modo per unum indivisibilem contractum se simul obligare intendunt ad Matrimonium, & ad Matrimonii eversivum; quod implicat. Confirmatur. *In cit. cap. fin.* Matrimonium pronunciatur nullum, quando fuit initum sub conditione turpi, substantiæ Matrimonii repugnante; ergo etiam reputandum erit nullum vi ejusdem *cap.* quando fuit initum sub modo turpi, substantiæ Matrimonii repugnante. Cons. videtur tenere; quia ubi est eadem ratio (uti est in præsenti) debet esse eadem dispositio; præsertim cum repugnet, ut quis eodem actu velit rem, & aliquid eversivum rei. Sed

Dices. Modus ille est posterior substantia Matrimonii; ergo hanc pessundare, ac evertere non potest.

Respondetur, dist. ant. Est posterior quoad nostrum concipiendi modum, con. reipsa, neg. ant. & cons. Cùm enim uno, eodemque indivisibili actu tendatur simul in Matrimonium, & modum ejus eversivum, nequit modus reipsa esse posterior, ac est substantia Matrimonii, aut hanc pro priori jam constitutam supponere: prout recte advertit P. Pichler *cit.* Accedit, quod, licet executio modi esset posterior Matrimonio, tamen obligatio ad modum, Matrimonii eversivum, ponatur simul cum illo per unum, eundemque indivisibilem actum, sive contractum: prout itidem notat *cit.* Author.

Respondetur ad Quæsitum secundo. Matrimonium sub *causa*, honesta, vel turpi, possibili, vel impossibili, vera, vel falsa, initum, per se, & regulariter loquendo, statim valet: uti & initum sub *demonstratione*, honesta, vel turpi, possibili, vel impossibili, vera, vel falsa. Engel *lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 20. Pithing. *ibidem num.* 29. Reiffenstuel *num.* 61. & alii passim. Sumitur a paritate cum ultimis voluntatibus, quæ per adjectionem causæ, vel demonstrationis, nec suspenduntur, nec vitiantur. §. 31. *Instit. de Legat. & l.* 17. *ac* 33. *ff. de Condit. & Demonstr.* Neque Matrimonium est minus favorabile, quam ultimæ voluntates. Confirmatur. Quæ Matrimonium vitiant, debent spectare ad substantiam contractus: causa autem, & demonstratio ordinarie non spectant ad substantiam contractus, sed solum ad qualitatem accidentalem; ergo &c. Nec refert, quod quis non contraheret, si sciret talem causam, vel demonstrationem, non subesse; quia talis voluntas est tantum habitualis, nec impedit, ut non actu, & absolute consentiat.

Dixi in respons. *per se, & regulariter loquendo*. Excipiendus enim est casus, quo ex. gr. demonstratio, vel causa reducitur ad errorem circa substantiam personæ, vel conditionem libertatis: ut siquis diceret, *contraho tecum Matrimonium, quæ, vel quia es libera, aut pri-*

mage-

megerita filia Petri; tale enim Matrimonium irritum foret propter errorem personæ, vel conditionis, ad quem demonstratio, vel causa tali casu spectaret. P. Schmalzgrueber *libro 4. titul. 5. numer.* 138. & alii apud ipsum.

CAPUT III.

De Proprietatibus Matrimonii.

PRoprietates Matrimonii potissimæ sunt *Unitas*, ac *indissolubilitas*; quas proinde in isto capite declaratum ibimus. Et quoniam oppositorum est eadem disciplina, sive scientia, eodem capite una discutiemus, quæ oppositam pluralitatem, ac dissolubilitatem concernunt. Sit igitur

ARTICULUS I.

De Unitate Matrimonii,

SUMMARIUM.

348. *Quid sit Unitas Matrimonii, seu* Monogamia, *quid* Polygamia, *& quid* Bigamia? 349. *Licita est Bigamia.* 350. *Solvitur objectio.* 351. *Polygamia masculina, sive Polyviria, probibita est non solum Jure Divino positivo, sed etiam Naturali, eoque stricto.* 352. *Polygamia feminina similiter prohibita est Jure Divino positivo, uti & naturali, sed minus stricte dicto.* 353. *& seqq. Dissolvuntur argumenta opposita* 356. *Pontifex in Polygamia, sive masculina, sive feminina dispensare non potest: bene vero* 357. *Deus in utraque; quamvis* 358. *de facto nunquam dispensaverit in Polygamia masculina, sed in sola feminina.*

348. PRænotandum, Unitatem Matrimonii, seu *Monogamiam*, in eo sitam esse, ut sit unius viri cum una femina, & unius feminæ cum uno viro. Huic opponitur *Polygamia*, quando scilicet unius vir in Matrimonium ducit simol plures feminas, & una femina plures viros. Inter utranque mediat *Bigamia*, quando unus in Matrimonium ducit successive plures feminas, & una femina plures viros, ita ut una, vel uno mortuo, Matrimonium ineatur cum alia, vel alio. Ita P. Schmalzgrueber *lib. 4. titul. 4. numer.* 8. P. Babenstuber *tractat. 8. part. 7. disp. 2. artic. 6. num.* 1. & alii prædictorum vocabulorum significationem usurpant; quibuscum & nos faciemus; esto non ignoremus, eadem vocabula ab aliis in alio, eoque grammaticaliter veriore sensu accipi, ita nimirum, ut *Monogamiam* vocent, quando unus vir unam feminam, & *Polygamiam*, quando unus vir plures feminas simul, ac *Bigamiam*, quando unus vir duas, vel plures feminas successive in Matrimonium ducit; non autem vicissim, si una femina duceret plures viros &c. Nunc pro declaranda velut ex contrario Unitate Matrimonii,

349. Dico primo. Licita est Bigamia, id est, Matrimonium secundum, tertium &c. post mortem prioris conjugis licite contrahitur. Ita DD. orthodoxi universim.

Probatur tum ex Apostolo 1. *Cor.* 7. ubi ait: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat &c.* Tum ex omnium Gentium, & temporum consuetudine: semper enim tam in Lege nova, quam in antiqua licitum fuit, post mortem conjugis aliud inire Matrimonium.

350. Objicies. In *cap. 3. de Secundis Nuptiis* sancitur, secundo contrahentes Matrimonium non esse benedicendos; ergo Matrimonium, quod mortuo priori conjuge initur a superstite cum alia, improbatur.

Confirmatur. In Concil. Laodiceno *can.* 1. transeuntibus ad secundas Nuptias imponitur pœnitentia; ergo secundæ Nuptiæ reputantur illicitæ.

Respondetur ad object. neg. conf. Nam secundo contrahentes Matrimonium Ecclesia non ideo prohibet benedici, quod contrahendo peccent; sed quia tale Matrimonium (ut tradit Doct. Angelicus *in Supplem. q. 63. art. 2. ad 2.*) *non habet plenam significationem, cum non sit unius, sicut est in Matrimonio Christi, & Ecclesiæ*. Ex qua eademmet ratione bigami etiam incurrunt irregularitatem. *cap. 2. & 3. de Bigamis.*

Ad confirmat. neg. itidem conf. Nam in *cit.* Concil. solum imponitur conjugibus pœnitentia ob præsumptam eorum intemperantiam, Matrimonio ceteroquin minime improbato.

351. Dico secundo. Polygamia masculina, sive conjugium unius feminæ cum pluribus viris (quapropter appellatur etiam *Polyviria*) prohibita est non solum (1.) Jure Divino positivo, sed etiam (2) naturali, eoque stricto. Est denuo communis DD. Catholicorum.

Probatur prima pars ex Apostolo 1. *Cor.* 7. ubi sic habet: *Iis, autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro reconciliari.* Per quæ verba, ut vides, mulieri, a viro quoad cohabitationem, & torum separatæ, interdicitur Jure Divino positivo Matrimonium cum alio ineundum; ergo a fortiori interdicitur Matrimonium cum alio ineundum, nulla prorsus facta separatione a priore viro.

Probatur secunda pars. Nam Polygamia masculina repugnat fini primario Matrimonii, a natura præcipue intento, nempe generationi, & bonæ educationi prolis: generationi quidem; quia hæc per commixtionem feminæ cum pluribus viris impeditur, ut vel nunquam, vel rarius subsequatur; prout impediri constat in meretricibus: bonæ educationi autem; quia cum proles in ejusmodi commixtione sit incerti patris, nullus illorum eandem tanquam suam educandam susciperet, quod tamen præcipuum officium patris est; ergo &c.

352. Dico tertio. Polygamia feminina, seu conjugium unius viri cum pluribus feminis (solet plerumque appellari *Polygamia* absque addito, ut notavimus *n.* 348.) similiter prohibita est (1) Jure Divino, uti & (2) naturali, sed (3.) minus stricte dicto. Prima pars est communis inter DD. Catholicos; uti & altera, præcisive sumpta, seu quatenus præscindit a tertia: hæc vero docetur a Scoto *in 4. distinct. 33. quæst.* 1. & Scotistis, multisque alii, contra alios, volentes, præfatam Polygamiam esse vetitam Jure naturali stricte dicto.

Probatur prima pars; imo clare decisa extat in Conc. Trid. *Sess. 24. de Sacram. Matrim. can.* 2. ibi: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit.*

Confirmatur ex illo *Genes.* c. 2. ibi: *Et erunt duo in carne una*: sed si unus vir haberet plures uxores, non essent duo in carne, ut patet; ergo &c. Item ex significatione Sacramenti Matrimonii: quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. *Ephes.* 5. utique unius cum una.

Probatur secunda pars. Illud est de Jure naturæ (saltem minus stricto) quod est valde consonum Legi naturæ; velut differit Scotus *loc. cit. §. ad argumenta*, sed ut unus vir in Matrimonium ducat, & habeat unam duntaxat feminam, non vero plures simul, est valde consonum Legi naturæ; ergo &c. Min. ostenditur; nam hoc tali modo proles melius, & commodius educatur, concupiscentiæ ex utraque parte opportunius providetur, ac tandem pax, & amicitia in familia facilius conservatur; ergo &c.

Probatur tertia pars itidem ex Scoto *cit.* sic discurrente. Illud solum est de Jure naturæ stricte dicto, quod vel (1) ex terminis est notum, vel (2) ex principiis per se notis evidenter, ac necessario deducitur: sed Monogamia feminina non est quid simile; ergo non est de Jure naturæ strictæ dicto; & per consequens Polygamia feminina, eidem opposita, non est prohibita Jure naturali stricte dicto. Min. prob. quoad primum membrum; nam Monogamia feminina non includitur in illo principio, *quod tibi non vis fieri*; cum prima uxor supponatur consentire in Matrimonium sui martiri cum alia, & consequenter in diminutionem juris ad debitum conjugale, ita ut dictum jus, quod alias ipsi soli privative competeret, in hypothesi eidem competat cumulative cum alia, vel aliis. Prob. eadem min. etiam quoad secundum membrum: si enim Monogamia feminina ex principiis per se notis evidenter, ac necessario deduceretur, prohibitio Polygamiæ femininæ non potuisset a tot Viris sapientissimis ignorari; cujusmodi erant Athenienses, qui, teste S. Hieronymo, duas admisere

misere uxores, utique cum opinione liceitatis, Socrates, Juris naturalis vindex severissimus, qui pariter duas admisit; Julius Cæsar, & Valentinianus senior, qui etiam sanxere Legem, cuilibet viro duas uxores permittentem.

353. Objicies primo contra hanc, & præcedentem conclus. In *can.* 2. *caus.* 2. §. *denique*, *quæst.* 1. dicitur: *communia debent esse amicorum omnia*. Et additur: *in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges*; ergo plures conjuges possunt esse communes eidem viro, vel feminæ; ergo Polygamia, sive feminina, sive masculina, nullo Jure prohibita est.

Respondetur, neg. utraque cons. Et ad ant. ajo cum P. Pichler *in Cand. Abbrev. lib.* 4. *tit.* 4. *num.* 3. ultima verba de conjugibus non esse Clementis I. qui allegati Canonis Author est, sed fuisse assuta a quibusdam Hæreticis: non enim reperiuntur in Codicibus, & Manuscriptis melioris fidei; uti notatur in Correctione Romana, allegato textui subjuncta.

354. Objicies secundo. Polygamia masculina est prohibita Jure naturali stricte dicto, prout asserit secunda pars conclusionis præcedentis; ergo etiam Poligamia feminina; quod tamen negat pars tertia conclusionis subsequentis.

Respondetur, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Polygamia masculina repugnat bono, seu fini primario Matrimonii, nempe generationi, & bonæ educationi prolis (prout ostensum manet supra *num.* 351. *in probat. secundæ partis*) non item Polygamia feminina: siquidem 1. per Polygamiam femininam, seu uxorum pluralitatem generatio prolis potius promovetur, cum constet ab uno viro fecundari plures uxores posse. 2. Posset adhuc haberi educatio prolis satis congrua; quia educari ea posset apud suam quæque matrem, ab aliis ejusdem tori consortibus separatam. Et licet hæc educatio aliquo modo melius, & commodius fieret in Monogamia, id tamen plus non evincit, quam appositam Polygamiam femininam esse contra Jus naturale minus stricte dictum; ut supra annotavimus. 3. Etiam finis secundarius Matrimonii adhuc satis commode obtineri posset, nempe remedium concupiscentiæ; uti & pax, atque amicitia in familia, quatenus uxores, si forte discordias, ac rixas excitarent, quoad habitationem separari possent.

355. Objicies tertio specialiter contra tertiam partem ultimæ, seu tertiæ conclus. Juris naturalis principia exigunt, ut ex nuptiali contractu uxori maritus præstet id, quod ipse ab ea exigit vi ejusdem contractus; nam maritus, & uxor quoad tori conjugalis fidem ad imparia non judicantur, *can.* 4. *caus.* 32. *quæst.* 1. atqui ex contractu nuptiali maritus ab uxore exigit, ut corpus suum ad actus ex se aptos ad generationem prolis nulli alteri tradat; ergo & ipsa vi ejusdem contractus, & Jure naturali stricte dicto exigit idipsum a Marito.

Confirmatur. Res vendita, & tradita uni, nequit denuo vendi, & tradi alteri sine læsione Juris naturalis proprie dicti, atque peccato contra Justitiam; ergo nec corpus mariti jam traditum uni uxori, potest tradi alteri absque simili læsione, & peccato: consequenter &c.

Respondetur ad objeck. conc. totum in hypothesi, quod prima uxor non consenserit, ut vir suum corpus etiam traderet per Matrimonium alii, vel aliis feminis. Sed nos versamur in hypothesi contraria, qua ponitur uxor in eam traditionem consensisse, & quidem consensu libero; quo proinde supposito nulla ipsi, utpote volenti, & consentienti, infertur injuria, dum vir suum corpus per alium contractum nuptialem tradit etiam feminæ alteri, tertiæ &c. Quare

Ad Confirmat. dist. ant. Non potest denuo vendi, & tradi alteri &c. quando primus emptor in talem venditionem, & traditionem non consentit, con. quando consentit, consensu nempe spontaneo, ac libero, neg. ant. & eodem modo distinguendum est cons. Nam ex conventione partium potest (si aliunde nihil obstet) induci inæqualitas, cum pacta dent legem contractibus, & volenti non fiat injuria. Itaque & venditor potest unam, eandemque rem vendere, ac tradere uni emptori, ac, cum libero hujus consensu, etiam alteri, adeo, ut neutri emptorum in illa re jus competat privative, sed utrique cumulative; & vir unum, idemque corpus uni uxori, ac, cum libero hujus consensu, alteri, ut neutri uxorum in tali corpore jus competat privative, sed utrique cumulative; seu (quod in idem recidit) ut utrique tale corpus sit debitum totum, non tamen totaliter.

Dixi per parenthesin: *si aliunde nihil obstet*: uti evenit, & obstat aliquid in Polygamia masculina, adeo, ut plures viri, esto primus consentiret in Matrimonium cum alio insuper contrahendum, & femina talem consensum acceptaret; hoc tamen pactum non daret legem contractui, utpote qui a Natura ordinatus est in generationem, & bonam educationem, prolis, ceu finem principaliter intentum, cui e diametro opponitur, & adversatur Polygamia masculina, non item feminina, prout relinquitur ex dictis: nec a viro consentiente amoliretur injuriam; cum consensus ille, & cessio juris, ob rationem immediate datam, esset inefficax. Revide, quæ tradidimus *part.* 4. *a n.* 326. Hinc contractus Matrimonialis, relate ad Polygamiam masculinam, a Natura dirigi debet, & non ex paciscentium arbitrio dependere, sicut dependere potest (in sensu exposito) relate ad Polygamiam femininam.

Instabis. Deus, & Christus instituit Matrimonium sub ratione Monogamiæ, ut non tantum sit unius feminæ cum uno viro, sed etiam unius viri cum una femina; ergo ex sua natura postulat intercedere inter virum, & feminam unam; ergo Jure naturali, & quidem stricto, prohibitum est Matrimonium viri cum duabus, aut pluribus feminis simpl.

Respondetur, concesso antecedente, dist. primum cons. Id postulat ex natura sua, prout *ly ex natura sua* idem sonat, ac *ex sua institutione* con. prout idem sonat, ac *ex natura rei*, neg. hanc, & alteram cons. Piore modo si accipiatur *ly ex natura sua*, Matrimonium petit esse unum, seu monogamum *ex sua natura* (sicut in hoc sensu dicitur *ex natura sua* indissolubile; veluti infra audiemus) etiam sic, ut non intercedat nisi inter virum, & feminam unam: non autem, si *ly ex natura sua* accipiatur posteriore modo. Quare hæc instantia, cum prohibitionem Polygamiæ femininæ refert in Institutionem Divinam, solum probat, eam (dictam nempe Polygamiam) repugnare Juri Divino, prout etiam advertit P. Pichler *in Candid. Ampliore lib.* 4. *tit.* 4. *n.* 9. ceteroquin Adversarius.

356. Quæres primo, an S. Pontifex in Polygamia mascolina, vel saltem feminina, possit dispensare?

Respondetur cum communi, in neutra posse. Ratio est: tum quia Pontificii non competit dominium in humana corpora: tum quia Deus, vel Christus non concessit illi potestatem hic dispensandi; cum talis concessionis nullum extet vestigium, aut fundamentum.

357. Quæres, an saltem Deus dispensare possit?

Respondetur, posse, & quidem in utraque Polygamia. DD. itidem communiter. Ratio est: quia Deus, tanquam supremus omnium rerum Dominus, potest uni feminæ tribuere jus in corpora plurium virorum, & uni viro jus in corpora plurium feminarum; quod est in utraque Polygamia posse dispensare, *materialiter* nempe, ac *indirecte*, secundum dicta *part.* 1. *a n.* 477. Imo in Polygamia feminina, cum non pugnet contra Jus naturale stricte dictum, sed Divinum positivum duntaxat (secundum nostra principia) videtur omnino posse etiam dispensate *formaliter*, & *directe*, ita ut, tanquam Legislator, suæ Legis prohibitionem in hoc, vel illo casu tollat, quin materiam, seu objectum ejusmodi prohibitionis secundum se immutet. Relege, quæ habentur *part. & n. citt.*

358. Petes, an Deus etiam de facto dispensaverit aliquando in Polygamia?

Respondetur, quod nunquam dispensaverit in Polygamia masculina; bene autem in feminina. Ratio est: quia in priore Polygamia dispensasse nullibi legitur; bene autem in posteriore, e. g. cum Abraham, Isaac, Jacob, & aliis, quibus plures fuisse uxores, ex S. Scriptura constat, interveniente scilicet dispensatione Divina, cujus finis erat ocyor propagatio generis humani.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Indissolubilitate Matrimonii.

EX contractu Matrimoniali, sive inter fideles, sive inter infideles valide celebrato, resultat (ut supra *n.* 282. insinuavimus) morale quoddam vinculum, quo conjuges inter se connectuntur, ne se invicem deserentes, ad alias Nuptias convolare possint, sed contractu semel inito stare debeant. Et hoc vinculum, sive Matrimonium quoad vinculum, dicitur *indissolubile*, quatenus mutuo contrahentium consensu dissolvi non potest; sicut dissolvi possunt Sponsalia, & alii contractus, saltem plerique. Habet autem hanc indissolubilitatem 1. *Ex Jure naturæ*, non quidem stricte, sed late sumpto, quatenus lumen naturale suadet, ut Matrimonia consistant perpetua; tum quia sic amor conjugum est fidelior, & solicitudo in rebus Domesticis accuratior, dum se indivisibiliter conjunctos esse, & perpetuo convivere debere sciunt; tum quia alias bono prolis, præsertim quoad educationem, institutionem, hæreditatem &c. non tam bene, & commode consuleretur. *Ex Jure Dei positivo*: ut patet ex illo *Genes.* 2. ibi: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* 3. Idem Matrimonium quoad vinculum novam, & intensiorem indissolubilitatem accepit in Lege nova *ex usu ad Sacramenti dignitatem elevatione*, quatenus inde, si ratum duntaxat sit, significat unionem Christi cum anima per charitatem, & gratiam; si vero consummatum, unionem ejusdem Christi cum Ecclesia per carnis nostræ assumptionem. *cap. de Bigamis*. Ceterum, etsi Matrimonium sit, & dicatur *indissolubile* (ut audivimus) non tamen desunt casus, quibus dissolvi potest; velut videbimus *in* §§. Unde indissolubilitati Matrimonii quoad vinculum, opponitur dissolutio Matrimonii quoad vinculum, quæ fit, quando totus Matrimonii status dissolvitur. Præter prædictam indissolubilitatem quoad vinculum, ratio status dissolvitur. Præter prædictam indissolubilitatem quoad vinculum, ratio status Matrimonialis exigit insuper *indissolubilitatem quoad cohabitationem, & torum*, vi cujus conjuges obligantur ad cohabitandum, & reddendum debitum: *Et erunt duo in carne una. Genes.* 2. Huic indissolubilitati opponitur *dissolutio quoad cohabitationem, & torum*, quæ specifico nomine appellant *divortium*, & fit, quando conjuges, manente conjugii vinculo, liberantur ab obligatione cohabitandi & reddendi debitum. His summarie præmissis, ad dirimendas quæstiones, circa Matrimonii indissolubilitatem, & dissolutionem respective occurrentes, progredimur, ponendo distinctionem inter Matrimonium infidelium, & fidelium. Sit igitur

§. I.

An, & quomodo Matrimonium infidelium sit indissolubile, aut dissolubile quoad vinculum?

SUMMARIUM.

359. *Matrimonium conjugum non baptizatorum, semel valide contractum, etsi per carnalem copulam non consummatum, hodie omnino est indissolubile quoad vinculum, quando, & quandiu uterque conjux in infidelitate persistit: si vero uterque convertatur ad fidem* 360, *& seqq. Matrimonium ratum Professione Religiosa, & dispensatione Pontificia solvi potest, nullatenus vero consummatum, nisi unus tantum convertatur, & alter cohabitare renuat.* 363. *& seqq. Qualiter, & quando tali casu dissolutio Matrimonii fiat?* 366. *Probabiliter fieri quoque potest per Professionem Religiosam, vel dispensationem Papalem.*

359. DIco primo. Matrimonium conjugum infidelium, id est, non baptizatorum, semel valide contractum, etsi per carnalem copulam non consummatum, hodie omnino est indissolubile quoad vinculum, quando, & quandiu uterque conjux in infidelitate persistit. DD. communiter.

Probatur; nam ex una parte Matrimonium, secundum se, & absolute loquendo (consequenter etiam Matrimonia infidelium) est indissolubile saltem Jure Divino positivo tam veteri, quam novo; prout relinquitur ex proxime dictis: ex altera vero parte constat, nullam extare causam, quæ Matrimonium vel olim dissolvere potuerunt, vel hodie possunt, apud infideles, ut sic permanentes, locum habere posse; nam (veluti patent per dicenda) Matrimonium hodie solvitur *favore Fidei, Professione solemni Religionis, & dispensatione Pontificis*; at horum omnium infideles, ut in sua infidelitate permanentes, existunt incapaces: olim vero apud Judæos ex permissione, & concessione Divina solvebatur *per libellum repudii*; verum hic omnino sublatus est per Christum *Matth.* 19. dicentem: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Neque dicant infideles sua Matrimonia dissolvi posse, vel ipso contrahentium consensu; vel saltem authoritate Principis, aut Magistratus secularis.

Contra enim est, id neutro modo fieri posse. Non enim priore: quia contrahentes suo consensu non induxerunt Matrimonii indissolubilitatem; adeoque nec tollere possunt. Neque posteriore: siquidem nullum prorsus extat vestigium, aut fundamentum, vi cujus Deus dicatur potestatem solvendi Matrimonium contulisse alicui Principi, aut Magistratui infideli.

360. Dico secundo. Si ambo conjuges infideles convertantur ad fidem, & baptizentur, Matrimonium eorum ratum (1) dissolvi quoad vinculum potest duobus casibus, videlicet *Professione Religiosa, & dispensatione Pontificia*; utpote cujus utriusque per susceptionem Baptismi capaces effecti sunt: consummatum vero (2) nullatenus est dissolubile; cum nulla possit assignari causa illius dissolutiva, id est, nec *Professio Religionis*, nec *dispensatio Pontificis*, utpote per quas solum Matrimonium ratum dissolvitur; nec *favor Fidei*: quia hic solum suffragatur quoad dissolutionem Matrimonii consummati in casu, quo unus conjugum ad fidem convertitur, altero renuente converti. Et quidem hæc omnia amplius elucescent ex dicendis. Ex modo autem dictis

361. Colliges, Matrimonium infidelium conversorum non solvi per ipsam susceptionem Baptismi. Ita deciditur *in cap.* 8. *de Divortiis*. Et ratio est: quia gratia non evertit naturam Matrimonii, nec tollit Legem Divinam universaliter latam; ergo cum Matrimonium infidelium substiterit ante Baptismum susceptum; etiam subsistet post illum. Unde in *cit. cap.* dicitur, quod *per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.*

362. Dico tertio. Si unus tantum conjugum infidelium convertatur ad fidem, & baptizetur, remanente altero in infidelitate, *Fidei favore* poterit quoad vinculum solvi Matrimonium illorum, quamvis sit consummatum. Ita DD. communiter.

Probatur ex *cap.* 7. *de Divortiis*, ubi Pontifex assertum promit, & ostendit ex Apostolo 1. *Cor.* 7. dicente; *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Ex quibus verbis PP. & DD. colligunt, in favorem Christianæ Religionis datum esse a Christo hoc privilegium conjugi ad fidem converso, ut a nolente converti liberari possit: non tantum *quoad obligationem tori, & cohabitationis*, sed *etiam quoad vinculum conjugale*; ne enim conversio ad fidem Christianam onerosa esset converso; si vel cælibem vitam ducere, vel moleste, ac cum salutis periculo conjugi obstinato cohabitare, ideo Christus voluit converso permittere, ut se hoc vinculo, & onere exolvere posset.

363. Itaque dissolutio Matrimonii etiam consummati conceditur *in favorem Fidei*, seu Religionis Christianæ ex privilegio, & dispensatione Divina (juxta Apostolum supra, & communem DD.) si unus conjugum infidelium se convertat ad Fidem, alter vero manens in infidelitate non velit cohabitare converso, vel saltem non sine injuria Creatoris, aut solicitatione conversi ad peccatum, modo conversus velit dissolvere. Et hinc conclusioni nostræ non obstant verba Christi apud *Matth.* 19. ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Negatur enim, quod dissolutio hæc authoritate humana fiat.

364. Quæres primo, quandonam, & quomodo solvatur talium Matrimonium?

Respondetur, solvi, quando conversus juxta privilegium, sibi a Christo concessum, transit ad secundas

Nuptias

Nuptias: tunc enim juxta *cit. cap.7. de Divortiis*. Matrimoniale vinculum ita solvitur, ut postea obstinatus conjux, sive tandem convertatur, sive non, priorem conjugem conversum non amplius repetere possit, sed ipse quoque possit aliud Matrimonium contrahere: esto hoc non possit, antequam conversus contrahat; quia privilegium directe concessum est converso. Ubi tamen conjux conversus, antequam ad secundas Nuptias transeat, conjugem infidelem admonere, vel interrogare debet (nisi jam aliunde moralem certitudinem habeat de ejus obstinatione) velitne converti? quia hoc privilegium non est concessum fideli, nisi cum scit, infidelem nolle converti; ergo, si hoc nesciat, & nihilominus contrahat, non procedit virtute privilegii, adeoque non solum illicite, sed & invalide agit, Habita autem notitia moraliter certa de obstinatione, & licite, & valide ad secundas Nuptias convolat, etiam sine interveniente Judicis authoritate, & sententia: siquidem hoc privilegium ipsi datum est immediate ab ipsomet Deo, & non tantum ab Ecclesia. Ita Sanct-Gallenses *de Matrim. pag.* 610. *& seqq.*

365. Sed quid si infidelis interrogatus respondeat, se quidem non suscepturum S. Christiana velle tamen cum consorte cohabitare sine ulla injuria Creatoris, hoc est, non velle se nomen veri Dei contemnere, aut blasphemare, nec consortem prohibere, aut avocare a vero Dei cultu, nec ullum Fidei deserendæ periculum creare, aut ad alia delicta pellicere &c. poteritne pars conversa nihilominus Matrimonium dissolvere, aliud ineundo?

Respondetur affirmative, exceptis casibus, in quibus fideli conjugi cum infideli cohabitare permissum est. Ita Sanchez *lib. 7. disp.* 74. *n.* 9. Sanct-Gallenses ubi supra *pag.* 613. *& seq.* Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *n.*127. aliique contra alios. Ratio est: quia, juxta testimonium D. Pauli supra adductum, tunc fidelis non est subjectus servituti prioris Matrimonii, sed libere aliud init, quando infidelis discedit, ac relinquit fidelem: atqui censetur hunc relinquere, ac deserere non solum, quando omnino discedit, sed etiam, quando habitationem fideli illicitam eligit; ergo fidelis neque hoc casu est subjectus servituti prioris Matrimonii, sed libere aliud init. Cum igitur hodie (ex dictis *part.* 2. *n.*68.) parti conversæ non sit permissum cohabitare cum infideli, converti renuente, quamvis iste vellet cohabitare sine injuria Creatoris, ob periculum perversionis, quod ordinarie subest; hinc fideli integrum erit tali casu Matrimonium prius dissolvere, & ad aliud convolare.

Dixi autem: *exceptis casibus, in quibus fideli conjugi cum infideli cohabitare permissum est*. Nam in istis casibus cessat ratio probativa responsionis nostræ; ut patet vel obiter consideranti. Ceterum cohabitatio conjugis fidelis cum infideli permissa erat (vel etiam, ut multi volunt, præcepta) in Ecclesia primitiva, & deinceps ad sexcentos fere annos, quando pars infidelis spopondit cohabitare sine injuria Creatoris, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 7. ibi: *Siquis frater uxorem habet, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*; & vicissim. Atque hoc ideo: quia in Ecclesia primitiva, quando nimirum & gratia dabatur amplior, & major erat fervor fidelium, non adeo magnum impendebat periculum perversionis, ut postea, ubi fervor fidelium intepescere, & minui cœpit. Porro talis cohabitatio etiam hodie (saltem ex dispensatione S. Pontificis, aut Episcopi; ut limitat Sanchez *cit. lib. disput.* 73. *numer.* 13.) permissa censeri posset, si afforet spes, infidelem conversum iri; vel fideli separato immineret periculum vitæ; vel nimiæ perturbationes in Republica oriretur, quando in aliquo infidelium Regno neophyti a suis conjugibus removerentur. Unde hodiedum (ut testatur Palao *tractat.* 18. *disputat.* 3. *pun.* 2. §. 3. *num.*10.) Æthiopes, & Indi neophyti cohabitant conjugibus suis infidelibus, periculo perversionis suæ aut nullo, aut exiguo, contra vero magna spe illas convertendi.

366. Quæres secundo, an Matrimonium in casu conclusionis, quamvis consummatum, etiam dissolvi possit per *Professionem Religiosam* a parte conversa emissam; vel per *dispensationem Pontificiam*; adeo, ut altera pars, in infidelitate perseverans, aliud Matrimonium inire valeat?

Respondetur probabiliter posse. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 76. *numer.*9. Salmanticenses *de Matrim. tractat.*9. *cap.* 4. *numer.* 52. Sanct-Gallenses *citt. pag.* 609. Clericatus *de Matrim. cap.* 5. *numer.* 71. & alii contra alios. Ratio est: quia Matrimonium ratum fidelium est insolubilius, & fortius, quam Matrimonium consummatum infidelium; siquidem istud per illud dissolvitur, ut supra dicebamus; ergo si Professio Religiosa, vel dispensatio Pontificia dissolvere possit illud (sicut potest secundum dicenda §. *seq.*) poterit & istud; veluti promitur ex illo trito, quod habetur *l.* 14. §. 3. *ff. de divers. & temporal. præscript. Si vinco vincentem te, multo magis vinco te.*

Dices. *Cap.*8. *de Divortiis*, habetur, uxorem infidelem, si convertatur ad Fidem, antequam maritus conversus secundas Nuptias ineat, debere in Matrimonium quoad torum recipi, & sic prius Matrimonium non fuisse dissolutum ante secundas Nuptias; prout etiam relinquitur ex dictis: sed qui conversus emittit Professionem Religiosam, aut petit dispensationem Pontificiam, non init secundas Nuptias; ergo ejus Matrimonium ut sic non dissolvitur.

Respondetur, in *cit. cap.* non dici, quod per solas Nuptias secundas possit dissolvi Matrimonium infidelium, seu quod casu, quo conjux infidelis conversus vult remanere in seculo, & alias Nuptias inire, non possit a vinculo prioris Matrimonii liberari, antequam illas actu, & effective ineat. Unde a dissolutione Matrimonii infidelium, quæ fiat, aut fieri possit per Professionem Religiosam, aut dispensationem Pontificiam, dictum *cap.* omnino præscindit. Deinde si allegatum *capit.* juxta mentem Adversariorum foret accipiendum, sequeretur, talem conversum etiam post emissam in Religione Professionem, v. g. teneri recipere uxorem, si post illam converteretur: quod tamen Adversariis non arridet. Ostenditur autem sequela; nam si uxor convertatur ante mariti prius conversi secundas Nuptias, debet recipi in torum: sed maritus, qui edidit Professionem in Religione, non contraxit secundas Nuptias, uti ponimus, vel supponimus; ergo &c.

Oppositam sententiam valde probabiliter, cum aliis a se relatis, propugnat P. Schmalzgrueber *lib.*4. *tit.*19. *a numer.* 39. signate de sola Professione loquens, quem vide, si placet.

§. II.

An, & quomodo Matrimonium fidelium sit indissolubile, aut dissolubile quoad vinculum?

S U M M A R I U M.

367. *Matrimonium fidelium consummatum in novo Testamento est omnino indissolubile quoad vinculum, quandiu conjuges vivunt.* 368. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 371. *Ratum dissolvi potest per Professionem Religiosam, & dispensationem Pontificiam.* 372. *& seqq. Diluuntur argumenta Adversariorum.* 375. *Matrimonium ratum æque dissolvitur, quando uterque conjux Religiosam Professionem edit.* 376. *Si unus Religionem ingrediatur, non indiget alterius consensu.* 377. *& seq. Ad quosnam conjuges privilegium primi bimestris extendatur?* 379. *Ut Pontifex in Matrimonio rato dispensare valeat, indiget justa causa.* 380. *Qualis hæc esse debeat?* 381. *Quid agendum, si Matrimonium esset invalide contractum?*

367. DIco primo. Matrimonium conjugum fidelium seu Catholicorum (idem esto judicium de Matrimonio infidelium baptizatorum, seu Hæreticorum) semel valide contractum, & consummatum, in novo Testamento est omnino indissolubile quoad vinculum, quandiu conjuges vivunt. Ita tenent omnes DD. Orthodoxi; estque de Fide, ut patebit.

Probatur primo ex Script. Nam *Luc.* 16. *v.* 18. dicitur: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Item *Marci* 10. *v.* 11. Christus inquit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et: *Si uxor dimiserit virum suum,*

& alii

& alii nupserit, mœchatur. Hi, & alii consimiles textus intelligendi veniunt de Matrimonio consummato, juxta *cap. 7. de Convers. conjug.* atque in specie etiam iste: *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth. c.* 19. vers. Proindeque satis indicant assertam indissolubilitatem Matrimonii consummati.

Probatur secundo ex Conc. Trid. quod *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim. can.* 5. ita definit: *Siquis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit*. Et *can.* 7. ibi: *Siquis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, aut docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. anathema sit.*

Probatur tertio. Juxta *cap.* 5. *Ephes.* & communem interpretationem Matrimonium fidelium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ conjunctio est indissolubilis; & Christus in novo Testamento sustulit *libellum repudii*, seu licentiam repudiandi uxorem propter adulterium, olim Judæis concessam. *Matth.* 5. vers. 32. quando apud eundem Evangelistam *capitul.* 19. protulit hæc verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo est innegabile, tale Matrimonium in novo Testamento pro omni casu esse, saltem Jure Divino positivo, indissolubile; consequenter nulla authoritate humana, etiam Pontificia, dissolvi posse.

Dixi in conclus. *quandiu conjuges vivunt*. Nam morte conjugum Matrimonii, etiam consummati, vinculum omnino dissolvitur, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 7. ibi: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat &c.* Unde si conjux mortuus resuscitaretur, non teneretur ad priorem conjugem redire; imo nec posset, nisi de novo cum ipsa contraheret: sicut nec Religiosus professus, & post mortem resuscitatus, teneretur redire ad Religionem: quia videlicet *mors omnia solvit*; quemadmodum dicitur *in Authent. de Nupt.* §. *deinceps. Coll.* 4.

368. Objicies contra conclus. primo Christus *Matth.* 5. dixit: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat*. Idem repetit *Matth.* 19. ubi inquit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ergo a contrario, qui ob causam fornicationis, seu adulterii, dimittit uxorem, & aliam ducit, vel dimissam ducit, non adulterat, non mœchatur; ergo Matrimonium dissolvitur propter fornicationem uxoris quoad vinculum; quia Judæi interrogabant Christum de omnimoda dissolutione.

Respondetur primo, neg. utranque cons. Textus, in antecedente adducti, interpretationem accipiunt ex ipso verborum ordine, quem Christus observavit: non enim post verba, *qui dimiserit uxorem suam propter fornicationem, vel ex causa fornicationis*, posuit verbum *adulterat*, vel *mœchatur*, sed post verba, *dimissam duxerit aliam duxerit*; ergo indicavit, licere propter fornicationem dimittere uxorem, scilicet quoad torum, at non aliam ducere, aut dimissam ducere sine adulterio: consequenter manere adhuc vinculum Matrimonii; alias enim ducens aliam non adulteraret, non mœcharetur. Neque huic interpretationi officit, quod subditur in probationem ultimæ consequentiæ; nam Christus duo interrogatus fuit a Judæis, unum, an *liceat dimittere uxorem*? alterum, *an propter quamcunque causam*? intelligendo hoc de omnimoda dissolutione: & respondit ad utrunque, concedendo dimissionem propter unicam causam fornicationis (in sensu §. *sequent. numer.* 393. adstruendo) at negando licentiam ducendi aliam; & sic permisit divortium quoad torum, non vero dissolutionem omnimodam Matrimonii, seu quoad vinculum.

Respondetur secundo. Dato, quod exceptio illa, *nisi ob fornicationem*, vel *excepta fornicationis causa*, referatur ad totam Christi sententiam, ut sensus sit, *quicunque dimiserit uxorem suam, nisi id faciat ob fornicationem illius, mœchatur; & quicunque aliam duxerit, mœchatur*; nullum tamen inde præjudicium subit conclusio nostra: quia dimittens uxorem insontem etiam dici potest *mœchari*, non quidem *mœchia propria*, sed *aliena*, quatenus uxori præbet occasionem mœchandi (prout innuunt verba, priori textui inserta, *facit eam mœchari*) ducens vero aliam *mœchatur mœchia propria*. Videri hic possunt S. Augustinus *lib. contra Adamantium cap.* 3. Cornelius a Lapide *in Matth. cap.* 19. Gonet *tom.* 9. *tractat.* 8. *disp.* 4. *articul.* 3. & iterum *in Manual. tr.* 7. *capit.* 5. *ad fin.* Sanct-Gallenses *de Matrim. pag.* 625. Unde a sensu contrario tantum sic inferri potest: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; ergo, qui dimittit uxorem ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur, ne quidem mœchia aliena, dimittendo fornicariam, utpote quam juste quoad torum dimittit, mœchatur tamen, mœchia scilicet propria, aliam ducendo*. Simile est, si dicas: *Qui jejunium violat sine dispensatione, & se inebriat, is peccat; ergo, qui non jejunat cum dispensatione, & se inebriat, non peccat non jejunando, sed se inebriando peccat*. Ita discurrunt prælaudati Sanct-Gallenses *pag. cit.*

369. Objicies secundo. In *l.* 1. 2. *&c. ff. de Divort. & l.* 8. *C. de Repud.* passim permittitur dissolutio Matrimonii, tametsi consummati, quoad vinculum vel mutuo consensu conjugum, ex variis casibus dato, vel per libellum repudii; ergo Matrimonium consummatum, etiam fidelium, non est omnino in novo Testamento indissolubile quoad vinculum.

Respondetur, omisso antecedente, neg. cons. Nam Jure Civile in materia spirituali, qualis est Matrimonium, postquam a Christo elevatum est ad rationem Sacramenti, nihil potuit authentice disponere. Unde illius dispositio non est hic attendenda; præsertim quoniam est contraria Juri Canonico, utique prævalenti, & magis, imo unice in tali materia respiciendo. Deinde Jus recentius *in Novell.* 117. *capitul.* 8. videtur correxisse antiquas Leges, & solum indulgere, ut conjux propter causas ibi expressas possit *domo expelli*, adeoque fieri separatio quoad torum, & cohabitationem) etiam cum amissione dotis, & donationis propter Nuptias.

370. Objicies tertio. Hæretici non intendunt aliter Matrimonium inire, quam solubiliter, seu sub conditione resolutiva, nisi videlicet alter conjux fidem conjugalem fregerit &c. ergo eorum Matrimonium, etiam consummatum, non est, saltem omnino, indissolubile quoad vinculum.

Respondetur, neg. ant. Quia ordinarie intendunt intentione generali contrahere Matrimonium eo modo, quo Christus instituit; adeoque indissolubiliter: cui intentioni non obest error particularis, quo credunt secundum morem loci, & principia suæ Sectæ, Matrimonium esse solubile quoad vinculum, v. g. propter compartis adulterium, absentiam, inobedientiam in reddendo debito, mutationem Religionis &c. Quod si tamen ejusmodi intentionem generalem non haberent, vel positive contrariam, & vellent contrahere non aliter, quam solubiliter, non esset Matrimonium validum, utpote deficiens in aliquo substantiali, sive ad substantiam, & valorem Matrimonii ex Divina institutione requisito. Quo casu cessaret quæstio, utpote quæ vertitur de indissolubilitate Matrimonii valide contracti.

Dices. Hæretici saltem non intendunt Matrimonium contrahere in ratione Sacramenti; ergo adhuc eorum Matrimonium, quamvis consummatum, nequit pronunciari omnino indissolubile quoad vinculum.

Respondetur, neg. ant. regulariter loquendo. Nam hoc ipso, quod velint regulariter contrahere Matrimonium, sicut a Christo institutum est, intendunt illud contrahere etiam in ratione Sacramenti. Quod si vero expresse, & positive intenderent excludere, & separare rationem Sacramenti Matrimonium in ratione contractus civilis, & politici valeret (secundum nostra principia, quæ tradidimus *num.* 301.) supposito, quod intenderent contrahere indissolubiliter. Neque tamen Matrimonium ejusmodi, si consummatum sit, non foret omnino, seu pro omni casu indissolubile quoad vinculum; nam hanc talem omnimodam indissolubilitatem non sortitur ex ratione Sacramenti (alias etiam Matrimonium ratum a fidelibus contractum, ea indissolubilitate gauderet) sed ex significatione sibi indita a Christo *Ephes.* 5. quatenus nempe, etiam sic contractum, significaret conjunctionem Christi cum Ecclesia

per

per assumptionem carnis humanæ, sicut eandem significat Matrimonium consummatum duorum infidelium, postquam ad fidem conversi sunt, & idcirco simpliciter, ac absolute, etiam quoad vinculum, dissolvi nequeat, quamvis ex eorum conversione non sit adeptum dignitatem Sacramenti, secundum principia, quæ adduximus supra *n.* 287.

371. Dico secundo. Matrimonium fidelium ratum, seu valide quidem contractum, at per copulam carnalem non consummatum, etiam quoad vinculum dissolvi potest (1) per Professionem Religiosam unius conjugum, ita ut alter aliud inire possit; & (2) per dispensationem Pontificiam, ita ut uterque conjux ad alias Nuptias transire queat. Prima pars est certa; imo de fide, ut patebit. Altera saltem est probabilior, & tenetur a modernis Theologis, ac Canonistis communiter contra P. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 29. *n.* 3. & alios, præsertim ex Theologis antiquioribus, inter quos solet etiam nominari Scotus, sed perperam, ut patebit legenti Mastrium *in* 4. *disp.* 7. *q.* 6. *n.* 198.

Probatur prima pars; imo expresse definita extat in Conc. Trid. *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim. can.* 6. qui ita sonat: *Siquis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idem jam decisum, & declaratum ante Synodum Tridentinam fuit *in cap.* 2. *& 7. de Convers. conjug.*

Probatur secunda pars primo. Matrimonium ratum quoad vinculum dissolvi potest per Professionem Religiosam; ut immediate audivimus, & Fides docet; ergo etiam per dispensationem Pontificiam. Cons. ostenditur; nam Professio Religiosa ipsa quoad vinculum dissolvi potest per dispensationem Pontificiam; ut relinquitur ex dictis *part.* 4. *numer.* 234. nec videtur negari posse; ergo etiam, & a fortiori, Matrimonium ratum, juxta notum axioma: *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te. arg. l.* 14. §. 3. *ff. de diversf. & temporal. Præscript.*

Probatur eadem pars secundo. Potestas Papæ in iis præsertim, quæ publicum Ecclesiæ, & animarum bonum concernunt, extendi debet, quantum potest hoc ipso, quod data sit pro universali Ecclesiæ gubernatione: atqui potestas dispensandi in Matrimonio rato concernit publicum Ecclesiæ, & animarum bonum, utpote per quam gravia Ecclesiæ, & animarum mala impediri, & bona procurari, aut promoveri possunt; ergo debet extendi, quantum potest. Sed potest extendi ad dissolvendum Matrimonium ratum, nondum consummatum; ergo &c. Subsumptum prob. Siquidem & est indefinite concessa *Matth.* 16. per verba, *quæcunque solveris &c.* & nullibi reperitur restricta circa dissolutionem Matrimonii rati, esto reperiatur restricta quoad dissolutionem Matrimonii consummati, illis Christi verbis apud *Matth.* 19. ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo &c.

Confirmatur ex Resolutione Congregationis specialis, jussu Clementis VIII. die 16. Julii anno 1599. super hoc puncto indictæ, in qua intervenerunt octo Cardinales, quatuor Auditores Rotæ, & duo alii Theologi, omnes Viri sapientissimi, qui unanimiter Pontifici adscripserunt potestatem dispensandi in Matrimonio rato; uti refert Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 148. *n.* 5. ergo &c.

Probatur tertio. Pontifices jam sæpius dispensarunt Matrimonio rato; ergo possunt dispensare. Cons. est bona, quippe formata affirmative ab actu ad potentiam. Ant. ostenditur; nam dispensarunt in illo Gregorius VII. Adrianus IV. Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. Julius III. Pius IV. S. Pius V. Gregorius XIII. qui uno die undecies dispensasse refertur a Clericato *de Sacram. Matrim. decis.* 15. *n.* 27. *& seqq.* Clemens VIII. Paulus V. Urbanus VIII. Innocentius X. & tandem anno 1720. Clemens XI. veluti refert, ac testatur P. Pichler *in Candid. Abbreviat. lib.* 4. *tit.* 19. *num.* 4. Asserere autem tot Summos Ecclesiæ Pastores in re tanti momenti, & ad mores maxime pertinente, errasse, & quidem toties, suæque potestatis limites excessisse, videtur esse temerarium, & Sedi Apostolicæ injuriosum; præsertim cum talis error non esset meri *Facti*, sed etiam *Juris*, videlicet super solubilitate Matrimonii, super valore, & honestate conjugii, post ita factam dispensationem de novo initi &c.

372. Objicies jam primo contra hanc secundam partem conclus. Innocentius III. *in cap.* 14. *de Convers. conjug.* dicit, Matrimonium *de præsenti* contractum (quale utique est Matrimonium ratum) viventibus personis (id est, conjugibus) *in nullo casu posse dissolvi, nisi forte secus fieret ex revelatione Divina.* Porro Innocentius VIII. ingenue fassus est (ut testatur Abbas *num.* 14. *in capit.* 7. *de Convers. conjug.*) se in Matrimonio rato dispensare non posse. Ergo &c.

Respondetur, neg. cons. Ad 1. quod in ant. opponitur, ajo, Innocentium III. id ibi non dicere assertive, sed per modum rationis dubitandi, veluti denotatur per verba, *etsi possit non inconsulte videri &c.* qua tamen ratione nihil motus ipsemet statuit, Matrimonium ratum dissolvi posse per Professionem Religiosam adeoque in aliquo casu sine revelatione Dei. Ad 2. ajo Si Innocentius VIII. vel alii quoque Pontifices fassi sint, se in Matrimonio rato dispensare non posse, *ly non posse* haud refundendum est in defectum potestatis secundum se spectatæ, sed in defectum causæ ad dispensandum requisitæ, secundum dicenda inferius *numer.* 308.

373. Objicies secundo. Matrimonium ratum quoad vinculum est indissolubile Jure Divino saltem positivo; ergo potestate humana, etiam Pontificia, dissolvi nequit.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Est indissolubile Jure Divino absoluto, neg. Jure Divino conditionato tantum, nisi videlicet Deus, in cujus dominio sunt corpora humana, & jura conjugum quæsita, dederit Pontifici, tanquam suo in terris Vicario, potestatem dissolvendi, con. ant. & neg. cons. Nam Pontifex accepit a Christo potestatem, vi cujus ex justa causa valeat dispensare in quibusdam, quæ Juris Divini sunt, in iis nimirum, quorum obligatio non est ita immediate a Deo imposita, quin præsupponat actum humanum, quo quis se obligare voluit; uti contingit in Matrimonio, voto, juramento &c. In his enim Christus concessit Pontifici, saltem ut plurimum, potestatem dispensandi tunc, quando eorum observatio saluti obligatorum obesset. Revideri possunt, quæ habentur *part.* 1. *n.* 480. *& seq.*

Dixi: *saltem ut plurimum*, ut exciperem Polygamiam, etiam femininam, & Matrimonium consummatum: in istis nanque, etsi præsupponant actum obligatorum, dispensandi potestatem Pontifex nullam habet: prout relinquitur ex dictis *numer.* 356. & *numer.* 367. Supra. Sed

Dices. Matrimonium consummatum non differt a rato essentialiter; cum carnale commercium, per quod consummatur, non spectet ad essentiam, sed solum ad integritatem, eamque veluti accidentalem, Matrimonii, juxta *l.* 30. *ff. de R. J.* ibi: *Non Nuptias concubitus, sed consensus facit*; ergo si Pontifex non possit dispensare in Matrimonio consummato, neque poterit in rato.

Respondetur primo per retorsionem. Matrimonium consummatum non differt a rato essentialiter; ergo sicut Professio Religiosa non potest dissolvere Matrimonium consummatum quoad vinculum, ita nec poterit ratum.

Respondetur secundo directe, concesso antecedente, neg. cons. & suppositum, quod diversa insolubilitas vinculi maritalis, ex Matrimonio consummato, & rato orti, desumatur, aut metienda sit ex differentia eorum essentiali, quam utique non habent: desumi enim debet ex diversa significatione utriusque, quatenus nempe Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, vel unionis hypostaticæ cum natura humana; quæ conjunctio est simpliciter insolubilis: ratum vero conjunctionem Christi cum anima per gratiam; quæ conjunctio non est ita insolubilis, sed solvitur, dum anima mortali peccato contaminatur.

374. Objicies tertio. Si Pontifex posset dispensare in Matrimonio rato, dispensaret in eo, ut est contractus, vel etiam (si a fidelibus, qua talibus, sit initum) ut est Sacramentum: atqui hoc facere nequit; ergo &c.

Respondetur, neg. maj. Nam ratio contractus, & Sacramenti jam transit, solumque residuum est vinculum, quod ex contractu Matrimoniali, vel etiam

Sacra-

Sacramentali resultavit: unde istud tantum Pontifex sua dispensatione tollit, quando in Matrimonio rato dispensat.

Dices. Princeps secularis, sive fidelis, sive infidelis, non potest solvere vinculum Matrimonii, a suis respective subditis contracti; ergo nec Pontifex.

Respondetur, neg. conf. Nam Pontifex potestatem solvendi accepit a Deo (ut dictum) non item Princeps secularis. Neque consultum erat, ut Principes seculares talem a Deo potestatem acciperent; eo quod & facile eadem fuissent abusi, & subditi illius exercitium sibi frequenter procurassent, inique prætexendo falsas, & libidini suæ patrocinantes causas: uti notat P. Illsung *tractat. 6. disput. 9. quæst. 5. artic. 2. numer.* 157. Nunc aliquot Quæstiones, huc pertinentes, resolutum ibimus. Itaque

375. Quæres primo, an Matrimonium ratum æque solvatur, quando uterque conjux Religiosam Professionem edit? Ratio dubitandi est: quoniam Jura tantum loquuntur de casu, quo alteruter conjugum profitetur.

Respondetur nihilominus, æque solvi, quando uterque profitetur. Ita Sanct-Gallenses *de Matrim. pag.* 616. & alii passim. Ratio est: quia privilegium illud concessum est Religiosæ Professioni absolute, non restricte ad unam, alteramve personam. Nec obstat, quod Jura de uno duntaxat casu signate loquantur. Nam id solum faciunt exempli causa, & ut remanens in seculo edoceatur, quid, secuta alterius Professione, facere possit. Ex quo fluit, quod si tales personæ post Professionem fornicarentur, seu aliis carnaliter commiscerentur, non committerent adulterium, sicut committerent illi, qui post Matrimonium consummatum professi fornicarentur.

376. Quæres secundo, an, ut unus conjugum valide, liciteque Religiosam Professionem faciat, & consequenter hac ratione Matrimonium ratum dissolvat, necessarius sit consensus alterius conjugis?

Respondetur negative: sed potest, eo etiam invito, ac repugnante, Religionem ingredi, & profiteri, atque per Professionem sic factam Matrimonium ratum dissolvere. Ita communis DD. & habetur expresse *in cap. 2. de Convers. conjug.* ibi: *Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri* (nempe conjugi) *altero etiam repugnante, eligere Monasterium &c. dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire.* Ratio insuper est: quia privilegium ingrediendi, & profitendi Religionem in tali casu nullibi legitur alligatum consensui alterius conjugis; imo *in cap. 7. eod. tit.* in hunc finem statuitur, quod conjux, qui de ingredienda Religione cogitat, vel dubitat, non teneatur intra primum bimestre, seu primos duos menses consummare Matrimonium, sed possit de ingressu Religionis, & conjugio dissolvendo deliberare. Quibus tamen duobus mensibus elapsis, tenebitur vel statim reddere debitum, si petatur, vel Religionem ingredi, ibique, quantum in se est, post annum circumactum, ut Matrimonium dissolvat, profiteri: quo tempore alter in seculo remanens expectare debet, nec alias Nuptias inire potest; quia, si eæ ante Professionem illius inirentur, invalidæ forent, cum prius Matrimonium non dissolvatur, nisi secuta Professione, prout supra animadversum. Sed ex modo dictis duplex emergit dubium; cui etiam utrique satisfaciam, ubi solvero antea sequens argumentum, quod pugnat contra resolutionem Quæsiti proxime redditam. Itaque

Dices. Conjux conversus debet requirere consensum conjugis infidelis, ut ad secundas Nuptias, vel Professionem Religiosam procedere possit, atque ita Matrimonium consummatum dissolvere, prout videtur a nobis insinuatum supra *n.*364. ergo etiam conjux fidelis tenetur requirere consensum alterius conjugis, ut ad Religionem transire, & profiteri valeat.

Respondetur, neg. ant. Sed solum tenetur (secundum dicta *numer. cit.*) conjugem infidelem admonere, & interrogare, velitne converti? (nisi jam aliunde moraliter certus sit de ejus obstinatione) habita autem notitia moraliter certa, transire ad secundas Nuptias, aut Religionem potest citra, imo contra voluntatem obstinati conjugis, atque ita Matrimonium consummatum prius dissolvere per posterius reipsa contractum, & probabiliter etiam per Professionem Religiosam; per Professionem, inquam: per solum quippe ingressum Religionis non dissolvitur Matrimonium; imo si conjux infidelis, mutato animo, se ad Fidem convertat, altero adhuc Religionis Novitium agente, potest nunc e Novitiatu revocare, ut iterum tanquam conjuges convivant. Secus quoad hoc res se habet in casu, quo unus conjux post Matrimonium ratum ingreditur Religionem: talis quippe utitur privilegio absolute concesso, vi cujus ipsi integrum est non tantum auspicari Novitiatum, sed & continuare (quidquid alter reclamet) quamvis dissolutio Matrimonii effectiva non sequatur, nisi Professione emissa. Nunc ut mentionatis duobus dubiis satisfiat,

377. Quæres tertio, an dictum privilegium *cit. cap. 7. de Convers. conjug.* de non reddendo debito intra primos duos menses a contracto Matrimonio, extendatur ad quosvis novos conjuges, puta non tantum ad illos, qui de Religione ingredienda cogitant, vel dubitant; sed etiam ad alios, quorum mentem nulla talis cogitatio, vel dubitatio subit? Nam de prioribus duntaxat non vero de posterioribus conjugibus loqui videtur allegatum *cap.*

Respondetur nihilominus, quod idem privilegium extendatur quoque ad conjuges posterioris generis. Ita mihi probabilior sententia, quam cum multis, & magni nominis DD. tenet Sanchez *lib. 2. disput.* 24. *n.*25. Ratio est: quia tametsi id genus conjuges hic, & nunc, seu dum ineunt Matrimonium (vel ante) de Religione ingredienda cogitationem, & propositum nullum habeant, adhuc tamen concipere, & habere possunt intra illud bimestre, pro quo toto privilegium non reddendi debitum, & intrandi Religionem concessum est; ergo non apparet, cur memorato privilegio priventur, teneanturque reddere debitum, & ab ingressu Religionis abstinere.

378. Quæres quarto, an privilegium intrandi Religionem censeatur adhuc concessum, & faveat illis quoque conjugibus, qui nec intra primum bimestre, nec postea Matrimonium consummarunt, sive licite quia, v. g. infirmi erant, & inhabiles ad consummandum, sive illicite, ac injuste, puta, transacto illo bimestri, debitum obstinate negando, vel non peragendo?

Respondetur itidem affirmative. Ita cum aliis a se relatis P. Sanchez ubi supra *num.* 27. Ratio est: quia privilegium intrandi Religionem absolute concessum est conjugibus, Matrimonio duntaxat rato ligatis: atqui conjuges in hypothesi quæstionis Matrimonio duntaxat ratio ligati sunt; ergo &c. Nec refert, quod *in cit. cap. 7. de Convers. conjug.* idem privilegium videatur restringi ad primum bimestre. Ea namque restrictio in hoc tantum sita est, quod conjuges, si intra illud tempus Religionem non elegerint, teneantur reddere debitum. Itaque sæpe dictum privilegium continet duo relate ad primum bimestre, id est, & liberat conjuges a reddendo debito, & indulget Ingressum Religionis. Transacto eo bimestri, cessat quoad primum; quia tempus deliberandi jam expiravit: adhuc tamen perseverat quoad secundum. Sed

Dices. Conjux etiam post primum bimestre denegando debitum, conjugi petenti irrogavit injuriam; ergo non videtur amplius gaudere privilegio intrandi Religionem, & dissolvendi Matrimonium, etsi adhuc ratum.

Respondetur, neg. conf. Nam peccatum illud injustitiæ (præterquam quod jam sit transactum, & præterierit) non est aggressum alteram privilegii partem, nec eam, utpote separabilem, vitiavit; quæ proin salva manet, & conjugi, etiam injuriose prædicta ratione agenti, relinquit libertatem intrandæ Religionis, & solvendi Matrimonii.

379. Quæres quinto (ut perveniamus ad alteram conclusionis partem) an S. Pontifex ad dispensandum in Matrimonio rato, indigeat causa?

Respondetur. Pontifex ad ita dispensandum indiget justa, & gravi causa, adeo, ut alias non solum illicite (quod omnes concedunt) sed etiam invalide dispenset. Tannerus *tom. 3. disputat. 8. dub. 4. numer.* 68. Pirhing *lib. 4. titul.* 1. *num.* 145. Sporer *de Matrim. n.* 403. aliique satis communiter; & fluit ex dictis *part. 1. n.* 510. Ratio est: quia ut S. Pontifex licite, & valide

dispen-

dispenset in Jure Divino, indiget justa causa; prout *part. & n. citt.* ostensum: atqui Matrimonium, etsi adhuc ratum, est Jure Divino indissolubile; ergo ut Pontifex in tali Jure licite, & valide dispenset, & ejusmodi Matrimonium dissolvat, indiget justa causa. Sed

380. Quæres sexto, quænam sint causæ justæ, & sufficientes ad dandam, & impetrandam dispensationem in Matrimonio rato?

Respondetur primo, certum esse, quod non sufficiat quælibet causa, sed requiratur omnino gravis. Ratio est: quia in casibus, in quibus obligatio nascitur ex Jure Divino, urgentiora dispensationis motiva postulantur, ac in casibus, in quibus obligatio ex Jure duntaxat humano descendit. Non autem opus est semper causa publica, vel bonum publicum directe concernente; nam Innocentius X. (teste Gobat *in Theol. Experim. tr.* 10. *n.* 691.) præmissa accurata discussione, dispensavit cum homine plebeo, ubi nulla dispensandi causa, bonum publicum directe, & immediate spectans, suppetebat.

Respondetur secundo. Causæ justæ, & ad hic dispensandum sufficientes cogitari possunt sequentes. 1. Valde notabilis disparitas in statu, & conditione inter conjuges. 2. Metus magni scandali, magnarumque rixarum inter conjuges, & eorum consanguineos. 3. Lepra, aut aliud malum grave superveniens, ratione cujus alter nunquam posset accedere ad alterum. 4. Impotentia superveniens Matrimonio rato. 5. Si Vir eligatur in Episcopum, casu quo Persona electa valde necessaria est bono publico. 6. Si Sponsa, præsertim Regia, cum ad Sponsum deduceretur, ab hostibus fuisset intercepta, & ejus liberandæ, aut recuperandæ non affulgeret spes. P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 19. *a numer.* 54.

381. Quæres tandem septimo, quid agendum, si Matrimonium (sive ratum, sive consummatum) esset invalide contractum?

Respondetur, quod necessario debere fieri dissolutio, vel separatio conjugum (si nollent impetrata dispensatione illud restaurare, vel cohabitare adinstar fratris, & sororis) quam tamen publice, & sine authoritate Judicis Ecclesiastici, probato plene impedimento, nullitatem declarantis, facere prohibentur ipsi conjuges, licet, postquam impedimentum ipsis innotuit, occulte teneantur a toro separationem instituere. Ita verbatim P. Pichler *in Candid. Abbreviat. lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 6. Sed hoc dictum esto incidenter, & occasionaliter: nam in §§. præcedentibus erat, & in subsequente erit sermo de solo Matrimonio valide contracto.

§. III.

Ex quibusnam causis Matrimonium sit dissolubile quoad torum, & cohabitationem, manente ejus vinculo?

S U M M A R I U M.

382. *& seqq. Causa instituendi divortium perpetuum sunt Professio Religiosa, & adulterium, ab alterutro conjuge commissum.* 385. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 388. *&* 389. *Non solum marito ob adulterium uxoris, sed etiam uxori ob adulterium mariti divertere licet; & quidem propria authoritate: neque nocentem* 390. *excusat metus, ad commissionem adulterii compellens.* 391. *Adulterio in ordine ad pariendum jus divortii æquivalet copula Sodomitica, vel bestialis.* 392. *Recensentur causæ, ob quas divortium temporale institui potest.* 393. *&* 394. *Solvuntur objectiones.* 395. *Redditur ratio, quare ob has causas non nisi temporaliter, ob adulterium autem perpetuo liceat divertere.* 396. *&* 397. *Non solum uxori, sed etiam marito competit jus divertendi, & quidem propria authoritate, ob causas prædictas.* 398. *An conjux innocens teneatur conjugem in hæresim lapsum, sed ad Fidem Catholicam reversum, recipere &c.* 399. *Apud quem ex conjugibus, divortio separatis, & cujus sumptibus, educandi, & alendi sint liberi?*

MAtrimonium quoad torum, & cohabitationem, manente ejus vinculo, licite in certis casibus dissolvi posse, vel in perpetuum, vel ad tempus, nemini dubium est. Unde solum remanet quæstio, quinam sint illi casus, seu ex quibusnam causis ea dissolutio, sive divortium institui queat? Ut ordinate, & clare procedamus,

382. Dico primo. Duæ præcipue sunt causæ, ob quas Matrimonium quoad torum, & cohabitationem licite dissolvi potest, seu institui divortium perpetuum, nempe (1) *Professio Religiosa unius, vel utriusque conjugis*, & (2) *adulterium alterutrius*. Conclusio est communissima.

Probatur prima pars tum *ex cap.* 4. 5. *&c. de Convers. conjug.* tum ex ratione; nam licet Professio Religiosa non dissolvat vinculum Matrimonii (consummati) impedit tamen jus copulæ.

Probatur etiam secunda pars tum *ex Math.* 5. *&* 19. tum *ex capit.* 4. 5. *&* 8. *de Divort.* tum ex ratione; quia cum adulterium per se, & directe fidei conjugali repugnet, ex ipsa natura contractus Matrimonialis oritur, ut liceat innocenti discedere ab adultero, idque Jure naturæ dictantis, quod frangenti fidem fides servanda non sit.

383. Ceterum Professio Religiosa debet reipsa, & valide emitti; nam solus Religionis ingressus, vel Professio invalide emissa non sufficit ad faciendum divortium perpetuum; ut patet. Porro Professio non potest valide emitti ab habente vinculum Matrimonii consummati, nisi (extra casus Jure expressos, & *part.* 3. *n.* 583. recensitos, atque expositos) accedat consensus alterius conjugis: quia per consummationem Matrimonii traditur corpus conjugi; consequenter, sine ejus consensu, alteri, nempe Religioni per Professionem, tradi amplius non potest, *cap.* 3. *&* 12. *de Convers. Conjug.* Id quod jam advertimus *cit. part.* 3. *num.* 581. Revide. Quapropter conjux ejusmodi sine alterius conjugis consensu Professus, teneretur ad torum reverti, & debitum reddere; nunquam tamen posset petere: quia, licet invalide sit Professus, voluit tamen se obligare ad Castitatem, in quantum potuit; potuit autem se obligare ad debitum non petendum; ergo ad hoc (saltem ex præsumptione Juris) est obligatus. Ita habetur *cap.* 12. *de Convers. Conjug.* ubi tamen additur, *mortua conjuge non teneri talem ad Monasterium redire*. Dixi per parenthesin: *saltem ex præsumptione Juris*. Nam si conjux profitendo Religionem noluerit se obligare ad Continentiam, nisi dependenter a valore Professionis, cum hæc sit invalida, ad illam servandam non obstringitur, sed potest libere debitum petere: idque in foro conscientiæ est certum; imo & in foro externo procedit, si suam intentionem probet: quia præsumptio cedit veritati. Schambogen *lib.* 3. *tit.* 32. *numer.* 8. Schmalzgrueber *ibid. n.* 26. & alii. Quid sit observandum conjugi, qui alteri ad ingrediendam Religionem consensum præbuit, reperies explicatum *cit. part.* 3. *n.* 584.

384. Ut adulterium sufficiat ad faciendum divortium perpetuum, debet esse 1. *formale*, id est, scienter, & libere commissum: quia jus divortii competit propter solam injuriosam fidei conjugalis violationem, qualis fit per adulterium formale tantum, saltem proprie loquendo. Unde si maritus cum alia, quam bona fide credebat suam esse conjugem, concubuit: si uxor justis ex causis putavit, maritum suum jam esse demortuum, & alteri nupsit, vel alias copiam corporis fecit: si per violentiam ab alio fuit oppressa &c. non contigit adulterium, ob quod conjugi innocenti divertere liceat. 2. Adulterium, & illata inde injuria non debet ab innocente, adulterii conscio, fuisse condonata: siquidem cum jus divertendi principaliter concessum sit in favorem innocentis injuriam passi, is favori renunciare potest. Estque perinde, sive condonatio hæc facta sit expresse, sive tacite, puta petendo, aut reddendo debitum conjugale, amplexando, osculando, aut alia familiaritatis, vel amoris signa specialia exhibendo, v. gr. per jocos, lusum &c. nam & hic *expressi, ac taciti eadem est efficacia*; ut habet notum axioma. 3. Non debet una pars alteri fuisse causa adulterii, v. gr. consentiendo, vel illud non impediendo, cum facile posset, vel etiam suadendo &c. siquidem & tali casu pars non adulterata censetur expresse, vel tacite parti adulteratæ injuriam remisisse. Videri potest *capit.* 6. *de Eo, qui cognovit &c.* 4. Qui instituere divortium vult propter adulterium, non debet etiam ipse esse reus adulterii; nam paria deli-

cta, quando civiliter, sive ad utilitatem privatam agitur, prout fit, cum ob adulterium agitur ad separationem tori, mutua compensatione rolluntur, *cap. fin. de Adult.* & *cap. 3. de Divort.* Nec refert, quod divortium jam sit factum, antequam pars altera adulterii ream se constitueret: quia adhuc delicta mutuo compensantur, & pars ante deserta ad torum, & cohabitationem recipi debet, *cap. 5. de Divort.* cum jus divertendi concessum sit innocenti, non absolute, sed conditionate, nisi videlicet ipse quoque se nocentem, & adulterii reum faciat. Et ita sentiunt DD. passim, quorum multos refert P. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 19. a n.* 104. Quæstiones quasdam aliquo modo controversas, & interseri hic solitas proponemus commodius, & resolvemus, postquam unum, alterumve argumentum, quod contra conclusionem, ejusque expositionem opponi potest, diluerimus. Itaque

385. Objicies contra secundam partem conclus. primo. *In cap. 3. de Adult.* habetur, *quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet iste, sed non sæpe, recipere peccatricem;* ergo adulterium non tribuit jus faciendi divortium, saltem perpetuum.

Respondetur cum P. Pichler *in Candid. Abbreviat. lib. 4. tit. 19. n.* 8. neg. conf. Et ad ant. cum eodem Authore ajo, quod per *ly debet* in allegato textu non intelligatur debitum *necessitatis*, sed *honestatis*; vel, si uxor certo incontinentiæ periculo exponatur, & viro per reconciliationem, ac receptionem nullum impendeat grave incommodum, etiam *charitatis*.

386. Objicies secundo. Si adulterium præbeat causam instituendi divortium perpetuum, licebit utrique conjugi, seu tam nocenti, quam innocenti, mutare statum, & ingredi Religionem: sed hoc permittitur soli innocenti; cum favor ille istum unice respiciat; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Licebit utrique &c. modo tamen dissimili, ac dispari, con. modo simili, ac pari, neg. maj. Conjux innocens statum mutare, & Religionem ingredi, vel SS. Ordines suscipere facto divortio potest, etiamsi nocens contradicat: iste vero ut statum mutare possit, intrando Religionem vel assumendo SS. Ordines, indiget consensu innocentis expresso, vel tacito; quem posteriorem præcipue acquirit. 1. Quando innocens SS. Ordinibus initiatur, aut Religionem profitetur. 2. Quando innocens nocenti jam emendato, & sæpius reconciliationem petenti, eam denegat. Videri potest P. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 19. a n.* 124. Unde dist. etiam min. Permittitur soli innocenti (quem etiam favor ille unice, id est, directe, respicit) modo proxime dicto, con. secus, neg. min. & conf. Privilegium uni directe concessum, indirecte etiam in favorem alterius, licet nocentis, redundare potest, & solet.

387. Objicies tertio *contra n. 4. limitationis ante object.* 1. Si uterque conjux fiat hæreticus, non datur compensatio inter delicta, nec impeditur divortium; ergo neque, si uterque adulteretur.

Respondetur, concesso antecedente (esto id cum quibusnam aliis neget P. Franciscus Schmier *lib. 4. tr. 2. cap. 5. n. 117.*) neg. conf. Siquidem compensationi in delicti pœna imposita est in favorem alterius, quemadmodum imposita est pœna privationis juris conjugalis ob adulterium; id quod *cit. n. 4.* satis aperte indigitavimus. Atqui non sic imposita est pœna privationis juris conjugalis propter hæresim; cum imposita sit ob injuriam, & violationem fidei, non conjugi, sed Deo datæ; ergo &c. P. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 19. n.* 154. P. Pichler *ibid. n.* 17. & alii passim. Sed nunc

388. Quæres primo, an ergo tam marito ob adulterium uxoris, quam uxori ob adulterium mariti liceat divortium perpetuum instituere?

Respondetur affirmative. Ita S. Bonaventura *in 4. dist. 35. qu. 3.* Bosco *de Matrim. disp. 12. sect. 16. conclus.* 2. Reiffenstuel *lib. 4. tit. 19. num.* 58. & alii communiter. Sumitur ex Apostolo, qui 1. *Cor.* 7. uxorem, si a viro (ob justam, scilicet fornicationis, id est, adulterii, causam) discesserit, ex præcepto Domini jubet manere innuptam, aut reconciliari viro; consequenter supponit, illam posse ob talem causam a viro discedere. Ratio insuper est: quia jus divortii, quod nascitur ex adulterio, fundatur præcipue in violatione fidei conjugalis: atqui hanc æque violat maritus, si adulteretur, ac uxor; uti etiam quoad hoc æquiparantur *can. 5. caus. 28. q. 1. can. 19. caus. 22. q. 5. cap. 2. 4. & 5. de Divort.* ergo &c.

Dices. Christus solis viris permittit divortium; veluti patet *ex Matth. 5. & 19. Ego autem dico vobis, quicunque dimiseris uxorem suam, excepta causa fornicationis &c.* ergo feminæ divertere nequeunt.

Confirmatur. Repudium in Lege veteri solis viris concedebatur. *Deuter.* 24. ejus autem loco successit divortium in Lege nova; ut constat *ex Matth. capit.* 5. ergo &c.

Respondetur ad argum. neg. conf. Et ad ant. ajo, quod Christus signate loquatur, & mentionem faciat de sola dimissione uxoris, vel ideo, quia tantum de dimissione uxoris a Judæis ibi fuerat interrogatus; vel quia per modum exempli voluit exprimere id, quod frequentius contingit; frequentius autem contingit, ut viri uxores de adulterio accusent, quam uxores viros, juxta *can. fin. caus. 32. q. 5.*

Ad confirmat. explic. & dist. min. Repudii loco successit divortium cum omnimoda æqualitate, neg. secus, con. min. Quod autem in præsenti puncto divortium loco repudii successisse dicendum non sit, colligitur ex dispari utriusque permissione; nam in antiqua Lege repudium permittebatur ad præcavendam occisionem conjugis adulterantis, cujus periculum cum inventum fuerit in solis viris, his solis permissum fuit repudium; prout advertit Doctor Angelicus *in 4. dist. 35. q. un. art. 4. ad* 1. At vero divortium in Lege nova indultum est ad præcavendam violationem tori, & fidei conjugalis, cujus periculum datur in utroque conjuge: consequenter &c.

389. Quæres secundo, an conjugum uno in adulterium lapso, innocens divertere ab eo valeat propria authoritate?

Respondetur, quod valeat divertere propria authoritate, seu ab adultero recedere simpliciter id est, tam quoad conjugalis debiti redditionem, quam quoad cohabitationem, quando (1) adulterium est notorium; imo etiam (per se loquendo) quando (2) adulterium est privatim, moraliter tamen certo, cognitum. Ita cum aliis a se allegatis P. Reiffenstuel ubi supra *n. 89. & seqq.* Pars prior habetur tum *in cap. 4. de Divort.* ibi: *Si notorium est, mulierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir* (qui propria authoritate eam prius repulerat) *cogi non debet &c.* tum *ex cap. 9. de Sponsal.* ibi: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere*; ergo per argumentum a sensu contrario ea ob manifestam fornicationem dimitti potest. Pars posterior sumitur ex hac ratione: quia Matrimonium ex sua natura aliter non obligat ad cohabitationem, & redditionem debiti conjugalis, quam sub conditione, si etiam alter conjux fidem conjugalem servet; prout aperte colligitur *ex capit. 25. de Jurejur.* & nos jam supra *n.* 382. insinuavimus; ergo si hanc conditionem alter conjux non adimpleat, conjux innocens, spectata ipsa Matrimonii natura, adeoque proprio marte, & authoritate, sese eximere potest a cohabitatione, & redditione debiti conjugalis. Confirmatur. Quando adulterium est notorium, licet conjugi innocenti a nocente divertere propria authoritate, ut proxime ostensum; ergo etiam, quando est privatim, moraliter tamen certo, cognitum; nam jus divertendi non fundatur in publicitate, sed in natura delicti.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam per accidens, nempe ratione scandali, vix fieri poterit divortium quoad cohabitationem, quando adulterium est occultum: quia enim tale divortium innotesceret coram populo, is veniret in notitiam adulterii antea incogniti. Secus esset de divortio quoad redditionem debiti conjugalis: siquidem negatio debiti, cum omnino occulta sit, non innotesceret populo; & consequenter nullam ei præbere posset occasionem scandali. Schmalzgrueber ubi supra *n.* 113.

Dixi præterea: *moraliter tamen certo cognitum*. Nam dubietas, aut mera probabilitas de adulterio conjugis perpetrato non sufficit, ut alter facere divortium possit sive authoritate propria, sive authoritate Judicis; cum in dubio nemo sit judicandus, aut condemnandus reus delicti; ut sæpe dictum. Interim cum adulteria per-

tia perpetrari soleant in occulto, atque ideo difficilis sint probationis, ad faciendam certitudinem moralem, uti & legitimam probationem in Judicio, sufficiunt præsumptiones violentæ, in indiciis delicto valde vicinis, & ordinarie conjunctis fundatæ; ut si uxor, alias suspecta, deprehendatur sola cum solo, de nocte, & in loco ad peccandum apto. Unde etiam oscula, amplexus, tactus impudici &c. quamvis non æquiparentur adulterio, nec de se sufficiant ad divortium, in quibusdam tamen circumstantiis possunt fundare violentam præsumptionem adulterii, & sic, si non ad condemnationem criminalem, saltem ad divortium sufficere. Palao *tr.* 28. *disp.* 3. *punct.* 6. §. 4. *n.* 8. Engel *lib.* 4. *tit.* 18. *n.* 14. & alii passim.

Dices nunc contra respons. primo. *In cap.* 3. *de Divort.* diserte negatur, separationem conjugum fieri posse absque judicio Ecclesiæ. Secundo. *In can.* 1. *caus.* 33. *q.* 2. excommunicari jubentur viri, qui uxores suas sine judicio Ecclesiæ dimittunt. Tertio. Maritus propria authoritate conjugem adulteram dimittens, sibi ipsi jus diceret, contra *l. unic. C. ne quis in sua causa &c.* Quarto. Matrimonium authoritate Ecclesiæ est celebratum; ergo etiam authoritate Ecclesiæ, & non ipsomet conjugum, dissolvi debet. Hæc fundamenta adversus nostram respons. opponi possunt. Sed perfacile enervantur. Itaque

Respondetur ad 1. *in cit. cap.* 3. sermonem esse de separatione conjugum quoad vinculum propter impedimentum dirimens; quæ utique necessario fit authoritate Judicis Ecclesiastici: non vero de separatione quoad torum, & mutuam cohabitationem. Ad 2. In textu allegati *can.* 1. non agitur de viro, qui uxorem dimisit ex legitima causa, qualis est adulterium, sed absque causa sufficiente, & legitima, animo ad illicita consortia accedendi. Ad 3. Maritus non sibi dicit jus, sed jure jam dicto, seu concesso utitur. Ad 4. neg. cons. de dissolutione Matrimonii quoad redditionem debiti conjugalis, & mutuam cohabitationem: sic enim ipso Jure permittitur conjugi innocenti propria authoritate dissolvere Matrimonium, & a conjuge nocente, seu adulterii rea discedere: veluti ex dictis liquet.

390. Quæres tertio, an maritus uxorem, gravi metu ad perpetrandum adulterium compulsam, nihilominus dimittere possit?

Respondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Sanchez, Laymann, Bosco, Reiffenstuel ubi supra *n.* 64. & alii contra alios. Ratio est: quia maritus ab uxore, formalis adulterii rea, discedere potest: sed uxor, quamvis sit gravi metu compulsa ad adulterandum, adhuc censetur rea formalis adulterii; cum metus ut ut gravis (secus est de violentia) culpam adulterii non tollat, esto eandem, intra lineam culpæ mortalis, extenuet; ergo &c. Confirmatur. Jus divertendi ab adultera non solum Jure Ecclesiastico, a cujus observatione excusare posset metus, sed etiam Jure Divino, & Naturali est concessum; ut relinquitur ex dictis supra *n.* 382. ergo non adimitur marito per hoc, quod uxor adulterium perpetrarit ex gravi metu: consequenter &c. Interim Charitas suadet (non obligat) ut maritus uxori, talem metum passæ, condonet injuriam &c.

391. Quæres quarto, an adulterio in ordine ad pariendum jus divortii perpetui æquivaleat copula sodomitica (exercita cum persona aliena) vel bestialis completa?

Respondetur affirmative. Ita Sanchez *lib.* 10. *disp.* 4. *n.* 3. Basilius Pontius *lib.* 9. *de Matrim. cap.* 16. *num.* 5. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 59. & alii communiter. Ratio est: quia jus divortii nascitur ex eo, quod conjux contra fidem Matrimonii carnem suam dividat in aliam carnem, ac suæ uxoris; prout innuitur *Genes.* 2. & *can.* 2. *caus.* 32. *qu.* 1. atqui hoc facit, dum completam exercet copulam sodomiticam cum persona aliena (id est, cum persona diversa a consorte tori, sive dein ea mas, sive femina sit) vel bestialem; ergo &c. Talis proin copula sodomitica, vel bestialis (etiam passiva) est sufficiens causa, ut conjux innocens instituere valeat divortium etiam perpetuum &c.

Dixi per parenthesim: *exercita cum persona aliena.* Quando enim sodomia exercetur cum consorte, puta coeundo in vase innaturali, & præpostero, quamvis completa sit, non præbet causam sufficientem instituendi divortium perpetuum: quia per talem copulam caro conjugis non dividitur in aliam. Sanchez ubi supra *numer.* 8. Pirhing *libr.* 4. *tit.* 19. *numer.* 5. *vers. Et hinc* Schmalzgrueber *ibid. numer.* 104. & alii passim. Qui tamen omnes fatentur, uxorem posse ad tempus a viro divertere, si is, ab ipsa monitus, nolit desistere a tali flagitio.

Dices contra respons. Dispositio Juris, vi cujus adulterium constituitur justa causa divortii perpetui, est odiosa; ergo non debet extendi ad casum non expressum, quamvis in isto eadem militet ratio.

Respondetur, dist. ant. Est odiosa, relate ad nocentem, omitto, relate ad innocentem, neg. ant. & cons. Jus divertendi inductum est in favorem innocentis, esto redundet in odium nocentis. Unde cum innocens præ nocente omnino respiciendus sit, ea dispositio principaliter attenditur relate ad innocentem; adeoque ut favorabilis est: consequenter &c.

392. Dico secundo. Matrimonium quoad torum, & cohabitationem dissolvi, seu institui ab innocente divortium temporale potest (1) ob plures causas; eæque (2) sunt, quas recensebimus. Conclusio, sic proposita, communiter admittitur a DD.

Probatur prima pars ex Trid. quod *Sess.* 24. *de Sacram. Matrim. can.* 8. ita definit: *Siquis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit*; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars, speciatim enumerando illiusmodi causas. Prima est *adulterium spirituale*, seu lapsus unius conjugis in hæresim, vel apostasiam a tota Fide Christiana. *cap.* 6. *& 7. de Divort.* quia conjugi Catholico, ejusque prolibus ex cohabitatione cum pertinaci hæretico, vel apostata plerumque impendet periculum perversionis. Secunda est *periculum animæ*; ut si unus conjugum compartem vehementer instiget ad grave peccatum (secus, si non instiget, licet ipse scelerate vivat) v. g. sodomiam, apostasiam, veneficium, furtum &c. *can.* 5. *caus.* 28. *quæst.* 1. & *cap.* 2. *de Divort.* quia Naturali, & Divino Jure cuilibet permissum est, animæ periculum, & ruinam spiritualem evitare. Tertia est *periculum vitæ, vel corporis*; ut si unus struat insidias vitæ alterius; si unus merito timeat infectionem ex contagioso alterius morbo, v. g. lepra, lue venerea &c. nam neque Jus naturale, neque Divinum vetat declinare periculum vitæ, vel corporis, ex mutua cohabitatione imminens, & aliter non declinabile, quam facto divortio: consequenter &c. Quarta est *sævities*, v. g. mariti, nimis crudeliter tractantis, verberantis conjugem, per *cap.* 8. *& 13. de Restit. spoliat.* quia uxor est consors thalami, & rerum humanarum, ac Divinarum socia; si igitur modo immediate facto tractetur, adeoque ut mancipium, & serva, tractatur injuste; ad quam proinde tractationem avertendam (si ea averti alia via nequeat) juste arripit remedium divortii, & separationis a crudeli marito. Quinta est valde molesta cohabitatio, v. g. propter perpetua jurgia, discordias, rixas, quas conjugum alterius inveterata, & indomita improbitas excitare solet: quia inde periclitatur salus animæ, & corporis. Ita cum aliis a se relatis P. Schmalzgrueber *loc. cit. a numer.* 140. *Sed*

393. Objicies primo contra primam partem conclus. *Matth.* 19. Christus dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c. mœchatur*; ergo (ut abstraham hic a Professione Religiosa &c.) solum delictum fornicationis, seu adulterii præbet causam divortii; ergo non extant plures causæ divortii, in aliis conjugum delictis fundatæ.

Respondetur, dist. utrunque cons. Et hoc verum est relate ad faciendum divortium perpetuum, con. temporale, neg. Christus *loc. cit.* locutus est de divortio perpetuo, ejusque causam esse fornicationem, seu adulterium asseveravit; non autem de divortio temporali, quale institui non ob plures alias causas, in conclus. assertum est.

394. Objicies secundo contra secundam partem conclus. Divortium institui non potest ob lepram, vel alium contagiosum morbum alterius conjugum; prout statuit Alexander III. *capitul.* 2. *de Conjug. lepros.* ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Textus, qui in *cit. cap.* extat, & specietenus facere videtur in contrarium, intelligendus venit de lepra (aliove morbo) quæ judicio Medicorum non est contagiosa, & propterea conjugi alteri nullum, aut leve duntaxat infectionis periculum creat. Nunc aliquot Quæstiones resolvendæ sunt.

395. Quæritur igitur primo, cur adulterium juxta conclusionem primam sit causa divortii perpetui; & illæ, de quibus conclusio secunda, divortii temporarii tantum?

Respondetur, quod ideo: quia adulterium directe repugnat naturæ Matrimonii; cum importet divisionem carnis a carne, & violationem fidei conjugalis; quæ divisio, ac violatio, cum e diametro opponantur unitati, & fidei Matrimonii, ceu bonis perpetuis, perpetuo durare censentur: consequenter &c. Ceteræ vero causæ non repugnant directe naturæ Matrimonii, sed tantum per consequentiam mali effectus, qui sicut ex se temporarius est, ita & tales causæ &c. Hæc est ratio disparitatis congrua, & a posteriori: ratio autem disparitatis a priori est dispositio Juris, utrique conclusioni immediate subjuncta. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 15. *n.* 2. Augustinus Michel *de Matrim. fol.* 728. *num.* 24. & alii apud ipsos.

396. Quæres secundo, an non solum uxori, sed etiam marito ob præfatas causas divortium temporale instituere liceat?

Respondetur affirmative. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. *n.* 8. Basilius Pontius *lib.* 9. *cap.* 23. *n.* 8. VViestner *lib.* 4. *tit.* 19. *num.* 104. Reiffenstuel *ibid. n.* 53. & alii, quamvis de sola sævitia signate loquantur. Ratio universim est: quia Jus naturale non solum uxori, sed etiam marito concedit facultatem memorata mala, malorumque pericula declinandi; ergo etiam Jus Canonicum, utpote quoad suas dispositiones, quas hic fecit, in Jure naturali fundatum.

Dices. SS. Canones, dum mentionem faciunt de divortio ex causa sævitiæ instituendo, de sola uxore, a viro sibi timente, loquuntur. Item *can.* 22. *cauf.* 32. *q.* 5. diserte pronunciatur: *Quidquid mulier contra virum cogitaverit, aut fecerit, non esse, excepta causa fornicationis, rejiciendam.*

Respondetur, neutrum argumentum obstare. Non primum; nam SS. Canones ideo solius uxoris meminerunt: quia viri in uxorem sævitia est frequentior, quam uxoris in virum: sicut supra *n.* 388. in respons. ad argum. simili modo exposuimus verba Christi apud *Matth.* 19. De cetero si maritus eandem sævitiam (aliave mala recensita) timere habeat ab uxore, textus SS. Canonum etiam maritum comprehendere censendi sunt: cum in correlativis, quod dispositum est de uno, etiam dispositum censeatur de altero, quando eadem est de utroque ratio. Videri hic utiliter potest Sanchez *loc. & n. citt.* Neque secundum: siquidem *can.* ille interpretandus venit de divortio perpetuo, non autem de temporali, de quo hic vertitur quæstio, & quod ob alias causas uxori permissum esse constat ex dictis.

397. Quæres tertio, an conjugi innocenti ob præmemoratas causas propria authoritate divertere liceat a nocente?

Respondetur, licere, per se loquendo, quando causa divortii est notoria, aut alias certo cognita. Ita Laymann *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 18. quocum reipsa multa alii concordant, esto verbis, & specietenus videantur esse contrarii. Ratio est: quia Jure naturali permissum est conjugi innocenti a nocente ob prædictas causas ad tempus recedere, & Jure Canonico nullibi positive, ac expresse requiritur, per se loquendo, authoritas Judicis Ecclesiastici; veluti patebit legenti textus, qui in contrarium afferri solent, & supra *n.* 389. expositi, atque soluti sunt. Confert etiam dicta superius *n.* 277. & cum grano salis huc applica. Interim cum prælaudato Laymanno non diffitemur, longe tutius esse, imo ratione scandali vitandi (adeoque per accidens) plerumque necessarium, ut Judicis Ecclesiastici officium imploretur; nisi periculum in mora sit. Conferri denuo possunt dicta *n. proxime cit.*

398. Quæres quarto, an conjux innocens teneatur conjugem in hæresim lapsum, sed ad Fidem Catholicam reversum, denuo recipere, & cum eo redintegrare Matrimonium?

Respondetur primo, Si conjux Catholicus propria authoritate divortium instituit, tenetur reversum omnino recipere. Et hæc quidem responsio contradictorem non habet, quantum scio. Ratio est: quia hæresis, præscindendo saltem ab authoritate, & sententia Judicis Ecclesiastici, non præbet causam perpetui divortii, sed temporalis tantum, donec nempe conjux, lapsus in hæresim, resipiscat, & ad bonam frugem redeat; ergo hoc facto, causa divortii, ob hæresim instituti, ipsumque adeo divortium cessat, & conjux, ab hæresi, ad Fidem Catholicam reversus, a consorte recipiendus est.

Respondetur secundo. Etiamsi conjux Catholicus divortium instituerit, interveniente authoritate, & sententia Judicis Ecclesiastici, adhuc (nisi Religionem ingredi velit) tenetur conjugem, ab hæresi ad Fidem Catholicam reversum, recipere, & cum eo conjugaliter cohabitare. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Engel *lib.* 4. *tit.* 19. *num.* 21. Pirhing *ibid. num.* 31. Reiffenstuel *num.* 32. & alii contra alios. Ratio est: tum quia inter delicta solum adulterium carnale a Christo *Matth.* 19. assignatum est pro causa divortii perpetui; tum quia separatio conjugum propter periculum incontinentiæ, & alia scandala, ac damna non est facile concedenda, præsertim si uterque conjux vivere velit in seculo: tum quia id satis colligitur *ex cap.* 7. *in fin. de Divort.* Confirmatur. Sicut ipsa hæresis, ita & sententia Judicis non tribuit jus divertendi absolute, & in perpetuum, sed conditionate, & ad tempus, nisi scilicet, & donec conjux, in hæresim lapsus, resipiscat, & ad Fidem Catholicam revertatur; ergo sicut si resipiscat, & revertatur, recipi debet, quando divortium est factum, sententia Judicis non interveniente, ita etiam, ea interveniente.

Dixi per parenthesin: *nisi* (conjux Catholicus, seu innocens) *Religionem ingredi velit*: tali nanque casu ex speciali privilegio Religionis non tenetur recipere conjugem ab hæresi reversum; sicut decisum est *capit. final. de Converf. conjug.* Sed *contra respons. secundo.*

Dices, Ecclesia potuit statuere pœnam divortii perpetui adversus hæreticum, sicut eundem mulctare potest bonis fortunæ, famæ, vel etiam vitæ; & reipsa, actuque statuit *cap.* 6. *de Divort.* quod ita sonat: *De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier (maxime si ea intentione discessit, ut lapsus in hæresim tædio pariter, & confusione affectus se ab errore suo converteret) ei, cum reversus fuerit, est reddenda; quæ etiam si reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus decimus compellendam.* Ergo &c.

Respondetur, quod utique textus iste, spectato verborum cortice, omnino favere videatur sententiæ oppositæ; quia tamen ut sic pugnaret cum textu finali *cit. cap.* 7. *eod.* explicandus est juxta *cit. capit. fin. de Converf. conjug.* & intelligendus de casu, quo conjux innocens Religionem ingredi cogitat. Atque hæc explicatio non solum datur ab Authoribus, nostræ sententiæ Patronis, sed & habetur expresse *in Glossa super citat. capit.* 6. *de Divort.* ubi *lit. C.* subjungitur; *Potest dici, quod ei standum est, ut in utroque casu compellatur redire ad virum, nisi cum judicio Ecclesiæ separata voluerit Religionem intrare, de Converf. conjug. cap. ultim.* Idem legere est *in Glossa super cit. cap.* 7. *eod. lit. E.*

399. Quæres tandem quinto, apud quem ex conjugibus divortio separatis, & cujus sumptibus, educandi, & alendi sint liberi?

Respondetur, Educandi, & alendi sunt regulariter loquendo apud conjugem Innocentem, sed sumptibus nocentis. *Authent. Si pater, C. divort. fact. & Novell.* 117. *cap.* 7. Ex quo fluit, educandos, & alendos esse apud matrem, sumptibus patris, si pater divortio causam dederit; si vero mater, apud patrem, sumptibus matris, modo hæc ita locuples sit, ut sumptus subministrare valeat. Neque hic faciendum est discrimen patrem inter, & matrem; cum enim sit eadem ratio, & pater, ac mater sint correlativa, dispositum de uno, censetur dispositum de altero etiam in Lege pœnali, & odiosa, *can.* 1. *& seqq. cauf.* 32. *qu.* 6. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 2. *n.* 2. Pirhing *lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 63. Reiffenstuel *ibid. n.* 105.

Dixi tamen: *regulariter loquendo*. Excipitur enim: nisi pars innocens, seu quæ divortio causam non dedit, sit infidelis, pars nocens autem fidelis. Hoc quippe casu, proles relinquenda est conjugi fideli in favorem fidei, *per cap. fin. de Convers. infidelium*. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 19. n. 182.* & alii passim.

CAPUT IV.

De Solemnitatibus Matrimonij.

Solemnitas Matrimonii prima sui divisione dispescitur in *Substantialem*, & *Accidentalem*. Prior est, quæ requiritur ad valorem Matrimonii: atque hujus nomine venit *Præsentia Parochi, & Testium*. Posterior est, quæ non requiritur ad valorem Matrimonii; & subdividitur in *Antecedentem*, & *Consequentem*. Antecedens dicitur, quæ Matrimonio contrahendo præmitti debet, cujusmodi est *Trina Denunciatio Sponsorum*, Matrimonio copulari volentium. Consequens dicitur, quæ Matrimonium jam contractum subsequitur: hujusmodi impræsentiarum intelligitur, ac est *Benedictio Nuptialis*. Nunc sit

ARTICULUS I.

De Matrimonii Solemnitate substantiali, seu de Præsentia Parochi, & Testium.

Matrimonium, hac tali solemnitate destitutum, vocatur *clandestinum simpliciter, & absolute*: quæ clandestineitas, cum sit de classe impedimentorum dirimentium, a multis, nec abs ratione, exponi solet, ubi de id genus impedimentis sermo instituitur; ab aliis vero, idque commodius, discutitur in præsenti ob rationem itidem non improbandam, imo magis congruam, quia nempe hic de Matrimonii solemnitatibus agendum venit. Unde & nos posteriorum Authorum vestigia lecturi, idipsum faciemus.

§. I.

Quinam, Matrimonium contrahere volentes, teneantur id facere coram Parocho, & Testibus?

SUMMARIUM.

400. *Matrimonia simpliciter clandestina jam ante Trid. fuerunt graviter illicita, attamen valida; at post illud etiam invalida existunt, si* 401. *præfato modo contrahantur a Catholicis in Loco, ubi Trid. viget: excepto unico.* 402. *Solvitur objectio.* 403. *Specificantur Loca, in quibus dispositio Tridentini, hanc solemnitatem præscribens, fuit promulgata, & recepta, vel non.* 404. *An, si urgeat gravis necessitas (privata) contrahendi Matrimonii, & recurri ad Pontificem pro dispensatione impetranda non valeat, eam impertiri possit Episcopus, dispensative remittendo præsentiam Parochi, & Testium?*

400. Prænotandum primò, Matrimonia *simpliciter clandestina* semper quidem (absente justa causa) Jure antiquo ab Ecclesia graviter prohibita, adeoque ex genere suo mortaliter illicita fuisse; prout liquet ex Trident. *Sess. 24. de Reform. Matrim. capit.* ibi: *Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa* (Matrimonia clandestina) *semper detestata est, atque prohibuit:* valuisse tamen usque ad contrariam dispositionem altefati Concilii Tridentini; veluti patet ex *cap. 2. de Clandest. Desponsat.* Nec obstat, quod Evaristus Papa, qui sedit ante Tridcnt. clancularia Matrimonia vocet *adulteria, stupra, fornicationes, can. 5. caus. 30. quæst. 5.* Siquidem non ita vocat propter defectum publicitatis, seu solemnitatis; sed propter defectum legitimi consensus, cum addat: *nisi voluntas propria suffragaverit*. Ast hodie illiusmodi Matrimonia sunt etiam invalida; quippe ab eodem Trid. *in Sess. & cap. citt.* irritata, dum ait: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

Prænotandum secundo, & supponendum tanquam certum, infideles non baptizatos, tametsi degant in terris Christianorum, valide, & licite contrahere Matrimonium sine Parocho, & Testibus. Ratio patens est: quia id genus infideles non subjiciuntur Legibus mere Ecclesiasticis; prout relinquitur ex dictis *part. 1. numer. 398.* atqui Lex Concilii Trident. assistentiam Parochi cum Testibus præscribens, est mere Ecclesiastica; ergo &c. Atque hæc ipsa ratio probat, quod illiusmodi infideles neque obligentur ad observandas ceteras duas Solemnitates, in trinis Denunciationibus, & Benedictione Nuptiali consistentes. Quid sentiendum de infidelibus baptizatis, seu Hæreticis, commodius, & congruentius discussum ibimus *disput. seq. capit. 1. artic. 1.* Unde quæstio, in §. proposita, & hic decidenda, ad solos devolvitur fideles, seu Catholicos.

401. Dico igitur, Fideles, seu Catholici quicunque, Matrimonium contrahere volentes, in Loco, & Parochia, ubi præfatum Tridentini decretum viget, tenentur id facere coram Parocho, & Testibus, sub nullitate actus aliter gesti; unico duntaxat casu excepto.

Probatur. Fideles, & Catholici quicunque tenentur observare præfatum Tridentini Decretum, ubi hoc viget; prout est in confesso apud DD. Orthodoxos: atqui idem Decretum prohibet sub nullitate actus, ne Matrimonium aliter contrahatur, quam coram Parocho, & Testibus; ergo &c. Min. præterquam quod satis pateat ex ipsis Decreti terminis, *num. præced.* recitatis, amplius sic ostenditur, & declaratur. Quando Jus actum aliter, quam certo modo fieri prohibet, apposita clausula actum aliter gestum irritante, secundum receptam doctrinam modus ille pertinet ad formam (nempe substantialem) actus, quæ ad ungem observanda, & quia esse dat actui, ita necessaria est, ut sine ipsa actus esse, & subsistere nequeat: atque clausula hujusmodi irritans apponitur in Decreto prohibitorio Tridentini supra; ergo &c.

Dixi 1. *Fideles, seu Catholici quicunque*; adeoque etiam *peregrini, & vagi:* siquidem & isti subsunt Legibus localibus contractuum, utpote ratione quorum sortiuntur forum, *capit. fin. de For. compet.* Et nominatim de Matrimonio habetur *in capit. 1. de Sponsal.* quod sit regulandum juxta Leges Loci, in quo contrahitur.

Dixi 2. *Matrimonium contrahere volentes in Loco, & Parochia, ubi præfatum Tridentini Decretum viget.* Nam si alicubi Decretum tale non viget, puta quia vel nunquam ibi promulgatum, vel contrario usu abrogatum est, Matrimonia, eo in Loco sine Parocho, & Testibus contracta, valent haud secus, ac valebant ante prædicti Decreti emanationem.

Dixi 3. *unico duntaxat casu excepto*; qui est, si præfatum Tridentini Decretum in Loco quidem sit promulgatum, *communiter* tamen observari non possit; ut si Locus ille diu, puta per annum, aut ultra, careat proprio Parocho, vel nesciatur, ubi talis Parochus lateat v. g. propter persecutiones Hæreticorum: vel sciatur quidem, sed ad eum, aut Episcopum tutus non pateat accessus. Tali proinde casu Matrimonium valide contrahitur sine assistentia Parochi: modo (si haberi possint) adhibeantur duo, vel tres Testes; horum quippe præsentiam requirit Declaratio S. Congreg. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, quæ incipit: *In una Belgii*, & prodiit *die 27. Martii anno 1632.* Ubi etiam affertur ratio casus excepti, quod Tridentinum eo casu obligare non voluerit. Atque ita sentiunt Laymann, Tannerus, Petrus Marchant. Herincx, Diana, Sporer, Bosco, Petra, & alii, relati a P. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 4. n. 116.*

Addidi tamen signanter: *si Decretum Tridentini communiter observari non possit*, ut indigitarem, requiri necessitatem communem, ac publicam, & non sufficere particularem, ac privatam. Unde non valeret Matrimonium absque assistentia Parochi contractum, v. g. ob hujus absentiam, vel mortem: pariter non valeret

Matrimonium, quod cuncubinatius morituriens contraheret cum concubina ad legitimandas proles, ob præsentaneum mortis jamjam imminentis periculum non expectato adventu Parochi &c. Sed contra hoc, & conclus.

402. Objicies. Leges positivæ, præsertim humanæ, non obligant in casu necessitatis, etiam privatæ tantum, sed admittunt epikiam; veluti patet in Lege jejunandi, in Lege recitandi Divinum Officium, in Lege præmittendi denunciationes Sponsorum ante Nuptias &c. atqui Lex illa Tridentini, præcipiens, ut Matrimonium contrahatur coram Parocho, & Testibus, est Lex positiva, & quidem humana; ergo non obligat ad ita contrahendum in casu necessitatis, etiam privatæ tantum: consequenter &c.

Confirmatur. Matrimonium clandestinum ante Concilium Trid. non contrahebatur illicite in casu necessitatis, etiam privatæ tantum; ergo nec in casu talis necessitatis post Trid. contrahetur invalide. Cons. prob. Siquidem Trid. dum Matrimonium clandestinum irritat, inhæret vestigiis Concilii Lateranensis, & solummodo irritat illud, quod olim detestata est Ecclesia: atqui Ecclesia nunquam est detestata Matrimonium clandestinum, seu clandestine initum in casu necessitatis, etsi privatæ tantum; ergo &c.

Respondetur ab object. dist. maj. Idque verum est de Legibus positivis mere præcipientibus, aut prohibentibus; vel præscribentibus solemnitatem aliquam accidentalem tantum, quales sunt in exemplis adductæ, con. etiam de Legibus non mere præcipientibus, aut prohibentibus, sed una irritantibus, & præscribentibus solemnitatem substantialem, de quarum classe est Lex Tridentini præscribens, & requirens pro contrahendo Matrimonio præsentiam Parochi cum Testibus, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons.

Ad confirmat. neg. cons. Nam Lex, qua ante Tridentinum erat vetitum Matrimonium clandestinum, fuit mere præcipiens, sive prohibens, ne Matrimonium aliter contraheretur, quam in facie Ecclesiæ, seu (quod in idem recidit) coram Parocho, & Testibus: at Lex, quæ post Tridentinum prohibet Matrimonium clandestinum, una annexam habet clausulam irritantem Matrimonium ita contractum, præscribitque præsentiam Parochi, & Testium pro forma substantiali actus. Unde ad probat. cons. ajo, Concilium Trid. irritando Matrimonium clandestinum inhærere vestigiis Concilii Lateranens. secundum quid tantum, non tantum simpliciter, seu in omnibus, hoc ipso, quod præsentiam Parochi, & Testium, quæ antea erat solemnitas mere accidentalis, constituerit substantialem, & formam actus; ipsasque etiam personas ad aliter, quam coram Parocho, & Testibus, contrahendum Matrimonium inhabiles reddiderit.

403. Quæres primo, in quibusnam Locis fuerit, vel non fuerit promulgatum sæpe dictum Decretum Tridentini?

Respondetur, promulgatum, & receptum fuisse in Hispania, Lusitania, Italia, Germania potissimum ex Zelo Imperatorum Austriacorum laudato ab Eminent. Card. Pallavicino *l.* 24. *cap.* 12. *n.* 11. In Gallia jussu Regis *anno* 1602. veluti præter Cassabutium, & Mendo testatur Nausser apud P. VVex *part.* 3. *Ariad. tr.* 2. §. 4. *n.* 25. In Hungaria sub Emin. Cardin. de Colonitsch. ex P. Kugler *de Matrim. num.* 389. In Hollandia, Zelandia, Frisia, & toto Belgio confœderato *an.* 1570. antequam a Rege Hispaniarum Philippo II. discederet. In Regnis vero, & Provinciis, a vera Fide *ante annum* 1564. quo confirmatum, vel promulgatum est Tridentinum, apostatis, Anglia, Scotia, Hibernia, Svecia, Dania, Saxonia, Brussia, Pomerania, promulgatum non fuit. Vide P. VVex *loc. & n. citt.*

404. Quæres secundo, an si urgeat gravis necessitas (privata) contrahendi Matrimonii, & recurri ad Pontificem pro dispensatione impetranda non valeat, eam impertiri possit Episcopus, dispensative remittendo præsentiam Parochi, & Testium?

Respondetur negative. Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 5. *n.* 5. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 17. *n.* 6. Basilius Pontius *lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 16. & alii passim. Ratio est: quia Concilium Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* præterquam quod præsentiam Parochi, & Testium constituat formam substantialem contractus Matrimonialis, & hunc, sine ea celebratum, decernat esse irritum, etiam personas, seu Sponsos ad aliter contrahendum Matrimonium reddit *omnino* inhabiles, per quam dictionem *omnino* excluditur omnis dispensatio Prælati inferioris Pontifice: prout bene advertit Sanchez *loc. & n. citt.* Confirmatur. Altefata Synodus Trid. *cit. cap.* statuit, ut contractui Matrimoniali & præmittantur denunciationes, & assistat Parochus cum Testibus: super priore puncto dispensationem permittit Episcopo, non item super posteriore; ergo super puncto posteriore dispensandi facultatem censetur Episcopo denegare; si enim de uno duorum expressorum aliquid conceditur, non obscure intelligitur denegatum de altero, *argum. capit.* 5. *de Præsumpt.* Quare licet in Lege Pontificis, aut Concilii Tridentini (vel Concilii alterius) nonnunquam dispensare possit Episcopus, uti potuit per decursum Theologiæ nostræ; id tamen non potest in præfata Lege Tridentini, ob fundamenta proxime adducta.

§. II.

Qualis debeat esse Parochus, Matrimonio assistens?

SUMMARIUM.

405. *Parochus, Matrimonio assistens, debet esse proprius contrahentium (vel saltem alterutrius ex illis) & quidem ratione domicilii, vel quasi domicilii, habitationis, & non originis tantum.* 406. *Explicantur hæc domicilia.* 407. & 408. *Solvuntur objectiones.* 409. *Quinam veniant nomine Parochi?* 410. *Integrum est Sponsis Matrimonium inire coram hoc, vel illo Parocho domicilii (vel quasi domicilii) habitationis, si duo domicilia habeant.* 411. *Parochus, Matrimonio assistens, non necessario debet esse Sacerdos; bene vero alius, qui cum ipsius licentia assistit.* 412. & 413. *Solvuntur objectiones.* 414. *Valide assistit etiam extra propriam Parochiam Matrimonio sui Parochiani, non autem licite.* 415. *Alius Sacerdos, ut assistere valeat, indiget licentia Parochi expressa, vel tacita.* 416. *Parochus (vel alius Sacerdos de ipsius licentia) valide assistit Matrimonio, licet sit excommunicatus &c.* 417. *Solvitur objectio.* 418. *Nec obstat specialis prohibitio Episcopi.*

405. Dico primo. Parochus, Matrimonio assistens, debet esse (1) proprius contrahentium (vel saltem alterutrius ex contrahentibus) & quidem (a) ratione domicilii (vel quasi domicilii) habitationis, & non originis tantum. Ita communis DD.

Probatur prima pars ex Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* ubi requirit assistentiam *Parochi*, & in antecedentibus præcipit denunciationes fieri *a proprio contrahentium Parocho*, ac in subsequentibus punit *alterius Parochiæ Sponsos conjungere ausum*; ergo ex mente Tridentini requiritur Parochus proprius contrahentium; vel (ut addidi per parenthesin) saltem alterutrius ex contrahentibus, quando nempe hi sunt ex diversis Parochiis, vel etiam Episcopatibus, nam cum contractus Matrimonialis sit individuus, Parochus, qui est proprius respectu unius ex contrahentibus, censetur etiam proprius respectu alterius in ordine ad Matrimonium contrahendum.

Confirmatur. Ille Parochus ex mente Tridentini assistere Matrimonio debet, qui potest alii Sacerdoti dare licentiam assistendi; ut patet ex textu Tridentini *in cit. capit.* 1. sed solus Parochus proprius contrahentium dare ejusmodi licentiam potest: cum ipse solus jurisdictionem in contrahentes habeat; ergo &c.

Probatur secunda pars. In materia Sacramentorum, & Jurium Parochialium solus ille reputatur esse proprius Parochus, qui talis est ex domicilio, vel quasi domicilio habitationis, *per cap. fin. de Paroch. & cap.* 2. *de Sepult. in* 6. sed ex mente Tridentini requiritur proprius Parochus contrahentium; ergo requiritur Parochus ex domicilio, vel quasi domicilio habitationis; nam habitatio, non autem origo, Parochiatum constituit: consequenter &c.

Confirmatur. Vagi relate ad contrahendum Matrimonium censentur nullum habere Parochum peculiarem, & proprium, tametsi habeant Parochum originis; ergo signum est, Parochum solius originis non reputari

tari pro Parocho proprio contrahentium, seu volentium inire Matrimonium.

406. Ceterum *domicilium habitationis* (quod etiam vocatur *accidentale*, seu *adscititium*) habere dicitur, qui io aliquo loco habitare actualiter cœpit cum animo ibi perpetuo manendi: *quasi domicilium*, qui in loco habitare actualiter cœpit cum animo oon perpetuo, sed tantum per notabilem anni partem (per quod differt *a domicilio*) ibidem subsistendi, v. g. per aliquot saltem menses, vel per dimidium, aut majus anni tempus, vel per plures anoos: sic Studiosi in Academiis, famuli, milites præsidiarii, negotiorum gestores &c. in urbibus obtinent quasi domicilium. Igitur ad obtinendum sive domicilium, sive quasi domicilium, habitationis requiruntur duo copulative, videlicet *animus* perpetuo, vel ad ootabile tempus in loco subsistendi, & *factum*, seu habitatio in loco actualiter cœpta saltem per momentum. Unde siquis venit ad locum, non intendens ibi manere perpetuo, oec ad tempus notabile, haud acquirit (ob defectum prioris requisiti) domicilium, vel quasi domicilium, habitationis; etsi præter intentionem primo habitam, & per accidens, ibidem moretur per integrum, vel plures annos. Item siquis reliquit suum domicilium cum animo alibi illud figendi, at nondum attigit locum, in quo habitare decrevit, sed est adhuc in itinere constitutus, pro illo tempore (ob defectum posterioris requisiti) nullum actu habere censetur domicilium, vel quasi domicilium, habitationis, sed æquiparatur vago *per l. 7. §. 2. ff. ad municip.* Videri potest P. Schmalzgrueber *lib. 2. tit. 2. a n. 9.* vel alii Caoonistæ *ibid.* Domicilium *originis* (quod etiam *naturale* appellatur) est locus, in quo quis oriundus, vel natus est, si pater ibi fuit incola, vel domicilium habitationis habuit. Sed de hoc iterum videri potest *cit.* Auctor *a n.* 20. vel alii Canonistæ. Nunc

407. Objicies primo contra primam partem conclus. Ille Parochus assistere Matrimonio debet, cui incumbit facere deounciationes Matrimonio contrahendo præmittendas: sed quando Sponsi pertinent ad diversas Parochias, utriusque Parocho incumbit facere illas denunciationes; ergo utriusque Parochus assistere Matrimonio debet; ergo non sufficit, si assistat Parochus alterutrius ex Sponsis, seu contrahentibus.

Confirmatur. Ille Parochus assistere Matrimonio debet, qui alia Sacramenta mioistrare contrahentibus potest: atqui non uterque Parochus utrique Sponso ministrare alia Sacramenta potest; ergo &c.

Respondetur ad object. neg. maj. & parit. de denunciationibus faciendis ante Matrimonium, & assistentia Parochi præstanda in Matrimonio assumptam. Siquidem denunciationes jubentur fieri ad acquirendam notitiam de impedimento, quo forte Sponsus, aut Sponsa gravari tenentur; quæ notitia non sufficienter acquireretur, si denunciationes in una duntaxat Parochia, seu ab uno tantum Parocho fierent, saltem in casu certe non raro, quo alteruter Sponsorum ibi, seu in ea Parochia ignotus esset. At vero assistentia Parochi cum Testibus præstari jubetur Matrimonio, ne conjuges, Matrimonio clandestino copulati, se invicem separent, & ad alia Matrimonia convolent, atque ita in perpetuis adulteriis vivant; uti habet Trid. *Sess. 24. de Reform. Matr. c. 1.* cui malo satis obviatur, si cum Testibus assistat Parochus alterutrius ex contrahentibus.

Ad confirmat. neg. itidem majorem, & parit. Nam in ordine ad perceptionem aliorum Sacramentorum Parochus unius ex Sponsis non fit Parochus alterius, cum ibi vinculi conjugalis nexus per accidens se habeat. E diverso relate ad contrahendum Matrimonium Parochus unius censetur fieri, & esse Parochus alterius propter connexionem in contractu, & Sacramento Matrimonii repertam, quæ connexio per se, & essentialiter hic attendenda venit, cum consistat in hoc, quod Matrimonium sit unus, & individuus contractus, unum, & individuum Sacramentum; veluti insinuavimus supra *in probat.*

408. Objicies secundo contra secundam partem. Ordines æque recipi possunt ab Episcopo domicilii originis, ac ab Episcopo domicilii habitationis, *cap. 3. de Tempor. Ordinat. in 6.* ergo etiam Matrimonium poterit æque celebrari coram Parocho domicilii originis, ac coram Parocho domicilii habitationis.

Confirmatur. Domicilium originis firmius est domicilio habitationis; cum illud sit naturale, & inamissibile, istud vero ascititium, & amissibile, *l. 11. C. de Senator.* ergo si coram Parocho domicilii habitationis contrahi Matrimonium possit, etiam contrahi poterit coram Parocho domicilii originis.

Respondetur ad object. neg. coos. Nam quando *in cit. capit.* Episcopus domicilii originis agnoscitur pro Superiore, id non venit intelligendum generaliter respectu omnium Sacramentorum, sed specialiter respectu Sacramenti Ordiois tantum; quod proinde conferre potest, non item alia, nec assistere Matrimonio: adeoque hoc neque poterit Parochus domicilii originis præcise.

Ad confirmat. omisso antecedente, explico, & dist. rationem ejus probativam. Domicilium origiois est inamissibile quoad munera, & honores, trans. quoad jurisdictionem, neg. Assistentia Parochi in Matrimonio est aliquis quasi actus jurisdictionis, vel potius jurisdictioni ipsius per se connexus; adeoque præstari nequit a Parocho domicilii solius origiois, utpote qui in subditum ex origine tantum nullam obtinet jurisdictionem; bene vero in subditum ex domicilio, vel quasi domicilio habitationis. Unde oeg. cons. Ita cum aliis a se relatis P. Schmalzgrueber *libr. 4. tit. 3. num.* 146.

409. Colliges primo, nomine Parochi venire. 1. Papam respectu omoium Christianorum. 2. Archi-Episcopum, vel Episcopum respectu suorum Diœcesanorum. 3. Capitulum Sede vacante, & Vicarium Generalem respectu eorundem. 4. Abbates exemptos, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suum territorium, & quasi Diœcesim, respectu suorum Subditorum, & quasi Diœcesanorum. 5. Legatos Apostolicos respectu degentium in Provincia, ad quam missi sunt. 6. Vicarios curam Parochialem exercentes, tam temporales, quam perpetuos. 7. Cooperatores, quibus in genere committitur cura animarum in aliqua Parochia. Ita P. Reiffenstuel *lib. 4. tit. 3. n.* 85. P. Schmalzgrueber *ibid. a num.* 136. & alii passim, adductis etiam Juribus.

410. Colliges secundo, contrahentibus, qui habent duplex domicilium habitationis, vel in uno loco domicilium, & io altero quasi-domicilium, integrum esse, malintne eligere Parochum hujus, vel illius domicilii, aut quasi-domicilii respective. Ratio est: quia sive hunc, sive illum Parochum eligant, eligunt Parochum proprium, jurisdictione ad assistendum Matrimonio requisita pollentem. Nec est ratio dicendi, quasi domicilium haud sufficere ad Sacramentum Matrimooii suscipiendum: cum enim ad alia Sacramenta (excepto Ordine *cap. 3. de Tempor. Ordinat. in 6.* percipienda sufficiat, haud apparet, cur non etiam sufficiat ad Matrimonium. P. Pichler *lib. 4. tit. 3. n.* 18. & alii communiter.

411. Dico secuodo. Parochus, tametsi (1) non sit Sacerdos, valide, & licite Matrimonio assistere potest; esto alii (2) quam Sacerdoti, assistendi licentiam dare oequeat. Reiffenstuel *lib. 4. tit. 3. a num.* 70. cum communi.

Probatur prima pars. Nam Conc. Trident. *Sess. 24. de Reform. Matrim. capit.* 1. solum requiri præsentiam Parochi (nempe proprii) sed potest, qui non est Sacerdos, esse Parochus, *capit. 14. de Elect. in 6.* ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Quia Concil. *loc. cit.* ait: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio* NB. *Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii, licentia &c.* Ubi io alio, qui loco Parochi assistit, exigit qualitatem Sacerdotii, seu ut sit Sacerdos, sive deinde curatus, sive simplex; ergo &c. Unde si Diaconus ex licentia Parochi, vel Ordinarii, assisteret Matrimonio, hujus contractio non modo illicita, sed & irrita foret.

412. Objicies primo contra primam partem. Trid. *loc. cit.* vult, ut Matrimonium non aliter contrahatur, *quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote:* sed to *alius* est vox relativa, & repetitiva similium; ergo sicut ille alius, quem substituere potest Parochus, debet esse Sacerdos, ita & ipse Parochus.

Respondetur, neg. min. universaliter intellectam. Nam (ut plura alia exempla in contrarium facientia

prætercam) utique in illo textu *Luc*, 23. *ducebantur autem & alii duo nequam cum Eo*, videlicet Christo, to *alii* denotare nequit similitudinem qualitatis in Christo, & latronibus, Quare dicta vox tunc solum repetitiva est similis qualitatis, quando id exigit subjecta materia, vel identitas rationis. Atqui in proposito id non exigit subjecta materia, nec identitas rationis. Non prior: cum enim assistere Matrimonio non sit actus Ordinis, Sacerdotium in Parocho assistente non necessario præsupponit. Neque posterior: alia quippe ratio est in Parocho, alia in Delegato. Siquidem in Delegato Sacerdotalis prærogativa specialiter requiritur, ut per eam Officium Parochiale, quo caret, suppleatur: Parochus e diverso jam præfulgeat Officio Parochiali, quamvis non sit Sacerdos; unde prærogativa, & dignitas Sacerdotii non habet, quod suppleat in Parocho relate ad assistendum Matrimonio. Sed

Dices. Parochus, Sacerdotali dignitate destitutus, non potest Sponsos benedicere; ergo neque eorum Matrimonio assistere.

Respondetur, dist. ant. Parochus, Sacerdotali dignitate destitutus, non potest benedicere Sponsos, benedictione magis, & simpliciter solemni, qualis impertitur in Missa, con. benedictione minus, & non simpliciter solemni, qualis impertitur in ipso acto copulationis, quando assistens dicit: *Ego vos conjungo &c.* neg. ant. & cons. Imo ex ipso, quod Tridentinum, insistens Juri antiquo *can.* 1. *& seqq. caus.* 30. *qu.* 5. ad impertiendam benedictionem, magis, & simpliciter solemnem, exigat in benedicente dignitatem Sacerdotii, non item in Parocho assistente, satis aperte (a sensu nempe contrario) denotat in isto, seu Parocho, eam dignitatem, & prærogativam non esse necessariam.

413. Objicies secundo contra secundam partem. Si assistentia Matrimonialis non alteri, quam Sacerdoti posset committi, id maxime probaretur ex illis verbis, *vel alio Sacerdote*; prout ipsimet inde probavimus supra: sed ex allegatis verbis nihil probatur; nam in causis favorabilibus, qualis est Matrimonium, nomine Sacerdotis etiam venit Diaconus; ergo &c.

Respondetur, neg. min. & rationem ejus probativam explic. ac dist. In causis favorabilibus nomine Sacerdotis etiam venit Diaconus, quando non agitur de necessariis ad valorem Sacramenti, trans. quando agitur de necessariis ad valorem Sacramenti, ut hic, neg. De his quippe dum agitur, verba accipienda sunt secundum propriam, & usitatam significationem, ne alias periclitetur Sacramenti valor,

414. Quæres primo, utrum Parochus Matrimonio Parochiani sui assistere possit intra fines duæ duntaxat Parochiæ, vel etiam intra fines Parochiæ alienæ?

Respondetur primo, quod valide possit assistere etiam intra fines alienæ Parochiæ. Ita Sanchez *libr.* 3. *disput.* 19. *num.* 11. *&* 14. Bosco *de Matrim. disput.* 11. *sect.* 9. *conclus.* 13. *a num.* 482. Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 14. Pirbing *ibid. num.* 22. *&* 23. Reiffenstuel *num.* 57. *&* 63. aliique communiter contra paucos. Et procedit responsio non tantum, quando contrahitur Matrimonium coram Parocho in Parochia alterius Sponsi sibi non subditi, sed etiam, quando in neutrius Parochia, vel etiam Diœcesi. Ratio est: quia Concilium Tridentinum solum exigit, ut assistat proprius Parochus, non vero, ut assistat in propria Parochia, vel Diœcesi, cum de hoc nullam omnino mentionem faciat; ergo &c. Confirmatur. Præsentia, seu assistentia Parochi in copulatione Matrimoniali non est actus jurisdictionis contentiosæ, imo probabilius nec voluntariæ proprie loquendo (veluti ostendemus infra *num.* 417.) sed actus testis qualificati, qui cum aliis duobus, vel tribus testibus de Matrimonio inito authenticum testimonium perhibere, & certam fidem Ecclesiæ facere possit; ergo non apparet, cur potestas assistendi se non valeat protendere ultra fines propriæ Parochiæ. Nec obstat, quod ad hanc assistentiam requiratur cognitio de statu, & conditione personarum contrahentium. Nam cognitio hæc talis, prætetquam quod ab assistentia separari, & antecedenter in Parochia propria peragi queat, non est proprie jurisdictionalis, & publica, sed privata, nec Parochus aliquid statuere valet, sed omnia Episcopo referre debet.

Respondetur secundo, quod Parochus assistendo solemniter, ac publice Matrimonio sui Parochiani intra fines alienæ Parochiæ sine licentia Parochi ibidem, graviter peccet, & idcirco puniri possit. Pirhing *libr.* 4. *tit.* 3. *num.* 16. Schmalzgrueber *eod. lib. & tit. num.* 158. ac alii, Idque vel maxime verum est, si etiam Nuptias solemniter in Missa benedicere præsumat. Ratio est: quia involat in alienum officium publicum, & quidem in re gravi. Quodsi tamen assisteret in loco privato, sine strepitu, concursuque hominum, & sine impertitione solemnis benedictionis, utpote quam postmodum in Parochia propria supplere intenderet, a culpa, & pœna immunis esset. Nec refert, quod Episcopus peccet, extra suam Diœcesim Ordinando etiam proprios subditos in loco, quantumvis privato, sine licentia Ordinarii illius Diœcesis. Nam de hoc extat specialis prohibitio in Concil. Trident. *Sess.* 6. *de Reformat. cap.* 5. qualis tamen nulla reperitur, aut assignari potest de assistentia Matrimoniali privatim præstanda.

415. Quæres secundo, qualem præbere licentiam debeat Parochus proprius alii Sacerdoti, ut hic Matrimonio, quod ab illius Parochianis initur, legitime assistere valeat?

Respondetur, non sufficere licentiam mere præsumptam, sed requiri vel expressam, vel saltem tacitam. Responsio est reipsa communis, & colligitur *ex cap.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* ac *leg.* 25. §. 4. *ff. de acquir. vel amitt. hered.* Ratio insuper est; nam quæ requiruntur ad valorem actus (sicut impræsentiarum requiritur licentia) actualiter, & pro priori, seu antequam ponatur talis actus, adesse debent: atqui licentia mere præsumpta ante positionem actus actualiter non est, sed tantum esset, si peteretur, ex dictis *part.* 3. *num.* 597. ergo licentia mere præsumpta impræsentiarum non sufficit, sed requiritur vel expressa, vel saltem tacita, qualis censeretur adesse v. gr. si Parochus actum assistentiæ videret, & non contradiceret, cum tamen posset, *R. J.* 43. *in* 6. & *arg. cap. unic.* §. 2. *de Despons. impub. in* 6. ac *l.* 5. *C. de Nupt.* Confirmatur a pari. Præsumptus consensus Superioris non sufficit, ut quis valide absolvat subditos non suos juxta communem; ergo neque sufficit, ut quis valide assistat Matrimonio subditorum non suorum.

Dices tamen primo. Ad dandam Eucharistiam, & Extremam Unctionem sufficit licentia præsumpta proprii Parochi; ergo etiam ad assistendum Matrimonio.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis licentia Parochi solum requiritur ad licitam administrationem illorum Sacramentorum; in casu autem consequentis requiritur etiam ad validam administrationem Sacramenti Matrimonii. Considera rationem probativam responsionis.

Dices secundo. Valet Matrimonium contractum sub conditione, *si Papa dispensaverit*, quando impedimentum est Juris Ecclesiastici, in quo Papa dispensare solet; ergo etiam valet Matrimonium contractum sub conditione, si Parochus postea consenserit; ergo sufficit consensus, seu licentia de futuro, qualis est præsumpta.

Respondetur, neg. utranque cons. Disparitas est, quod in potestate Papæ sit, impedimenta Juris Ecclesiastici tollere per dispensationem; non vero in potestate Parochi per ratificationem validare Matrimonium antea nulliter contractum.

Dices tertio. Ad licitam, & validam occupationem, usumque rei alienæ sufficit consensus Domini rationabiliter præsumptus; ergo etiam ad licite, & valide assistendum Matrimonio consensus, seu licentia Parochi rationabiliter præsumpta.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis non requiritur, ut occupans, vel utens re aliena specialem habeat potestatem ad agendum, sed satis est, quod censeatur agere Domino non invito: id quod etiam salvatur per respectum, & subordinationem ad voluntatem Domini præsumptam. At in casu consequentis, seu impræsentiarum requiritur specialis potestas ad agendum, & quidem ad procurandum valorem Sacramenti Matrimonii; adeoque licentia de præsenti, quæ non habetur per hoc, quod Parochus eam daret, si peteretur, sed quod eam hic, & nunc, seu actu det. Revide dicta *part.* 3. *numer.* 600.

416. Di-

416. Dico tertio. Parochus valide assistit Matrimonio, ramesi excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis sit. Idem cogita de Sacerdote delegato, Basilius Pontius *lib.* 5. *cap.* 17. *n.* 6. Bosco *disp.* 11. *sect.* 9. *conclus.* 9. Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 14. Konig *ibid. n.* 16. & alii passim. Proceditque hoc, licet Parochus sit excommunicatus non toleratus &c.

Probatur hac ratione generali: quia Concil. Trid, (veluti iterato advertimus) solum requirit pro valide præstanda Matrimoniali assistentia præsentiam proprii Parochi: sed Parochus excommunicatus, etiam non toleratus (dummodo non una privatus sit Beneficio Parochiali) suspensus &c. adhuc est proprius Parochus; ergo &c.

Confirmatur. Præsentia Parochi requiritur ad præstandam authoritatem contractui Matrimoniali: atqui hanc præstare potest etiam præsentia Parochi excommunicati, suspensi &c. *arg. l.* 209. *ff. de V. S.* ergo &c.

417. Objicies. Assistentia Parochi in copulatione Matrimoniali est actus jurisdictionis saltem voluntariæ: sed excommunicatus non toleratus actum jurisdictionis validum gerere nequit *cap. un. Ne Sede vac. in* 6. ergo &c.

Respondetur, neg. maj. proprie loquendo: contrarium quippe evincitur inde, quod assistentia Patocbi, etiam positive inviti, & contrariam intentionem habentis, valeat; prout cum communi, & per praxim firmata sententia dicemus infra *n.* 477. nullus autem actus jurisdictionis proprie dictus exerceri potest a positive invito, & contrariam intentionem habente; prout bene advertit P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 175. consequenter &c. Sed

Dices. Posito etiam, quod assistentia Matrimonialis, a Parocho præstanda, non referatur inter actus jurisdictionis, referri tamen debet inter actus Officii Parochialis; cum Parochus assistat qua Parochus: atqui actus ab excommunicato non tolerato gesti ex Officio publico, quale est Officium Parochiale, sunt irriti ipso Jure. *cit. cap. un. Ne Sede vac. in* 6. *cap.* 16. *de Elect. cap.* 8. *&* 14. *de Sent. Excommun. in* 6. ergo &c.

Respondetur, neg. min. universaliter intellectam: siquidem excommunicatus illos duntaxat actus sui Officii invalide gerit, quos Jura allegata irritant, cujusmodi sunt actus electionis, collationis, institutionis &c. actus vero assistentiæ Matrimonialis, licet geratur a Parocho excommunicato, etiam vitando, nec in *citt.* Juribus, nec alibi reperitur irritatus. Neque Jura, alios actus irritantia, ad actus, in causa Matrimoniali gestos, extendenda veniunt, eo quod irritatio sit odiosa; causa vero Matrimonii reputetur a Jure inter causas favorabiles.

Instabis. Parochus Matrimonio assistit tanquam Testis qualificatus: sed testimonium escommunicati vitandi, non est idoneum. *cap.* 8. *&* 14. *de Sent. Excomm. in* 6. *citt.* ac *cap.* 38. *in fin. de Test. & Attest.* ergo, &c.

Respondetur itidem, neg. min. universaliter intellectam, etiam in causis Matrimonialibus; in his enim, ceu favorabilibus, ad probandum recipiuntur Testes etiam infames, & alias minus habiles; prout audiemus infra *n.* 420.

418. Colliges, conclusionem extendi quoque ad casum, quo Episcopus Parocho specialiter interdixit assistentiam Matrimonialem. Laymann. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 5. Bosco ubi supra *a num.* 335. Engel *loc. & n. citt.* aliique passim. Ratio est: quia Parochus assistit jure proprio, & Parochiali: atqui per specialem etiam prohibitionem Episcopi hoc jus non amittit, sed manet Parochus; ergo &c.

§. III.

Quot, & quales debeant esse Testes, Matrimonio assistentes?

S U M M A R I U M.

419. Ad legitime celebrandum Matrimonium requiruntur præter Parochum duo, vel tres Testes: quamvis 420. *non necessario, debeant esse omni exceptione majores.* 421. *& seq. Solvuntur objectiones.* 423. *Nec specialiter rogati.* 424. *Solvitur objectio.*

IN §. præcedenti actum est de Teste qualificato, seu Parocho; in præsenti §. disseremus de Testibus simpliciter dictis, una cum Parocho a Tridentina Synodo ad legitime celebrandum Matrimonium exactis; ut jam jam videbimus.

419. Dico igitur primo. Ad legitime celebrandum Matrimonium præter Parochum requiruntur duo, vel tres Testes. Communissima.

Probatur conclusio breviter, imo expresse decisa extat in Trid. sæpe *cit. Sess.* 24 *de Reform. Matrim cap.* 1. ubi irritat Matrimonium, non contractum coram Parocho, & duobus, vel tribus Testibus; ergo ad legitime, & valide contrahendum Matrimonium præter Parochum concurrere debent, & requiruntur duo, vel tres Testes.

Confirmatur. Quando Statutum aliquod requirit ad certum actum duo personarum genera, nequit persona unius generis gerere vicem personæ alterius generis: ut recte docet Felinus *in cap. Ex literis*, *n.* 10. vers *modo adverte, de Probat.* atqui Statutum, seu Decretum Tridentini *loc. cit.* ad contrahendum Matrimonium requirit duo personarum genera, cum præter Parochum requirat duos, vel tres Testes; ergo persona unius generis, nempe Parochus, nequit gerere, & supplere vicem personæ alterius generis, videlicet Testis, aut Testium; ergo præter Parochum requiruntur duo, aut tres Testes &c.

420. Dico secundo. Ejusmodi Testes non necessario debent esse legitimi, & omni exceptione majores. Bosco *disp.* 11. *sect.* 9. *conclus.* 15. *a n.* 598. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 9. *n.* 520. Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 18. Reiffenstuel *ibid. n.* 103. & alii communiter.

Probatur primo. Jura diligenter exprimunt qualitates, quando aliquas requirunt, uti in Testamentis: sed Tridentinum, quando ad valorem Matrimonii requirit duos, vel tres Testes, nullam facit mentionem de eorum qualitatibus; ergo &c.

Confirmatur. Tridentinum est correctorium Juris antiqui, quo nullus omnino testis ad valorem Matrimonii necessarius erat; ergo illius dispositio continet odium, & stricte, seu ut verba sonant, interpretanda venit. Atqui verba non exprimunt ullam qualitatem Testium; ergo nec ulla requiritur: subintellige, exceptis iis, quas exigit Jus naturale, quo Jure nemo repellitur a dicendo Testimonio, nisi de quo justus timor est, quod verum dicere vel non possit, vel non velit.

Probatur secundo. In causis favorabilibus admittuntur Testes alias non legitimi, & idonei, *per cap.* 5. *de Heret. in* 6. atqui causa Matrimonii in se favorabilis est, *cap. fin. de Sent. & re judic.* ergo &c.

Probatur tertio. Si requirerentur Testes, omni exceptione majores, Matrimonia non infrequenter exponerentur periculo dissolutionis, vel saltem litium; sicut de facto ob eam causam simili periculo exponi solent Testamenta solemnia: hoc autem militat contra finem Tridentini, præsentiam Parochi, & Testium præscribentis, ne imposterum tam facile, & frequenter, ut olim, Matrimonia negari possent; ergo &c.

Quapropter impræsentiarum Testes esse poterunt, servi, feminæ, impuberes, pauperes, criminosi, & infames, excommunicati, parentes, & consanguinei, familiares, & quicunque alii, qui Jure naturali non reprobantur: qualiter reprobantur perjuri in Judicio; parentes, aut consanguinei, qui tale Matrimonium valde affectant; vel alii, de quibus justus est timor, fore, ut falsum perhibeant testimonium. DD. pro conclus. adducti.

421. Objicies primo. In causa Matrimonii Jus antiquum exigit Testes *circumspectos, idoneos, omni exceptione majores*, *cap.* 1. *de Consang. c.* 10. *de Desponf. impub. & c.* 22. *de Testib.* ergo etiam Jus novum Tridentini tales exigere Testes censendum est.

Respondetur, explic. & dist. ant. in causa Matrimonii iterum dissolvendi, con. in causa Matrimonii primum contrahendi, neg. ant. & conf. De priore casu, non de posteriore, loquuntur *citt. c. c.* 1. *&* 10. In *cap.* autem 22. *cit.* repulsa est mater tanquam testis inhabilis Jure naturali: quia nimis affectabat Matrimonium filiæ suæ cum viro nobili, & divite &c.

422. Objicies secundo. Jure antiquo requirebantur Testes legitimi, ut Matrimonium contraherent licite.

cap. 2. *de Claud. Desponf.* ergo Jure novo Tridentini requiruntur Testes legitimi, ut Matrimonium contrahatur valide.

Respondetur, neg. ant. Nec refert, quod *cit. cap.* requirat Matrimonii contracti *legitimam probationem*; nam hæc jam habebatur tunc, & habetur nunc per Testes *de se non legitimos*, communi tamen partium consensu (Baldus *in l. 6. C. de Testib. n. 1.*) vel cum Conteste specialiter habili, & excellenti (juxta §. 6. *ff. de edendo*) qualis est Parochus, adhibitos: hoc quippe modo fiunt *idonei*, & *legitimi respective*, faciunt que *legitimam probationem*, saltem in causa favorabili, qualis est causa Matrimonii contrahendi. Unde neg. etiam conf.

423. Dico tertio. Nec Testes ad contrahendum Matrimonium requisiti, necessario debent esse rogati. Ita communior, & probabilior sententia, quam tenent Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp.* 39. *n.* 7. Palao *tr.* 28. *disp.* 2. *pun.* 13. §. 13. *num.* 1. Laymann. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. VViestner *lib.* 4. *tit.* 3. *nu.* 64. & alii contra alios.

Probatur. In aliis contractibus, & actibus sufficiunt Testes non rogati (excepto Testamento, ubi Jura specialiter exigunt rogatos) ergo etiam in contractu Matrimoniali, præsertim cum nullum Jus assignari queat, quod Testes hic rogatos esse jubeat; imo Tridentinum eo ipso, quod, sicut de nulla alia qualitate, ita nec de rogatione Testium mentionem faciat, satis innuit, nec unam, nec alteram requiri.

Confirmatur. Finis Tridentini adæquate, & perfecte obtinetur per Testes etiam non rogatos, modo moraliter præsentes sint; ergo nulla est ratio, cur debeant esse rogati, sed sufficit eorum præsentia casualis, moralis tamen.

424. Objicies. Declarationes Cardd. apud Bossium, & Basilium Pontium volunt, ut Testes sint *formaliter adhibiti*; atqui non censentur *formaliter adhiberi*, nisi adhibeantur specialiter rogati; ergo &c.

Respondetur cum P. Pichler *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 25. in primis, illas Declarationes non esse illico habendas pro authenticis; tum quia non sunt authentice productæ; tum quia non sunt comprehensivæ, sed extensivæ Tridentini, utpote nullas qualitates in Testibus requirentis. Deinde, permissa majore, neg. min. Nam tunc Testes (idem cogita de Parocho) censentur *formaliter adhiberi*, quando sunt moraliter præsentes, & satis percipiunt, quid agatur; sive dein id fiat casualiter, sive ad instantiam illorum, quorum interest.

§. IV.

Expenduntur residua Quæstiones, huc pertinentes.

SUMMARIUM.

425. *Qualis Parochus possit, ac debeat assistere Matrimonio vagorum?* 426. *Quid ante eorum copulationem teneatur observare?* 427. *Quisnam sit Parochus competens militum in ordine ad solemnizandum eorum Matrimonium; & quænam advertere habeat?* 428. *Qualiter Parochus, & Testes debeant esse præsentes contractui Matrimoniali?* 429. *An Sponsi, sine præsentia Parochi (vel Sacerdotis ab eo delegati) & Testium contrahere Matrimonium attentantes, sint puniendi, & qualiter? Idem quæritur de Parocho, vel alio Sacerdote præsumente alienos Parochianos copulare, aut benedicere eorum Nuptias, absque licentia competentis, seu proprii Parochi.*

425. QUæres primo, qualis Parochus (1) possit, ac (2) debeat assistere Matrimonio vagorum, sive eorum, qui nullibi domicilium, vel quasi domicilium, habitationis actu habent, sed hinc inde vagantur, vel domicilio, quod habuerunt, deserto, aliud quærunt, aut ad certum locum animo ibi domicilium constituendi proficiscuntur?

Respondetur. Assistere & (1) potest, & (2) debet Parochus loci, in quo id genus homines transeunter existunt. Primam partem respons. DD. communiter admittunt tanquam certam. Ratio est: quia vagi ratione contractus sortiuntur inibi forum. Deinde possunt alia Sacramenta a tali Parocho percipere; ergo & Matrimonium inire. Proceditque hæc doctrina, sive uterque, sive unus duntaxat contrahentium sit vagus: quia enim natura contractus Matrimonialis est individua, Parochus unius censetur etiam Parochus alterius contrahentis; ut proinde ipsis integrum sit, malintne contrahere coram Parocho illius loci, in quo vagus existit, vel coram Parocho alterius loci, in quo incola degit. Alteram partem tanquam probabiliorem tenent Laymann *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *capit.* 4. *numer.* 3. Palao *tractat.* 28. *disput.* 2. *pun.* 13. §. 10. *numer.* 12. Pirhing *lib.* 4. *tit.* 3. *numer.* 19. Schambogen *ibid. num.* 14. Reiffenstuel *numer.* 88. Pichler *n.* 20. & alii contra alios, volentes, quod in libero vagorum arbitrio sit, ligere quemcunque Parochum, coram quo Matrimonium contrahant, adeo, ut, si existant in pago A. possint accersere Parochum pagi B. & coram eo Matrimonium inire in pago A. Sed ratio nostræ sententiæ est: quia probabilius est, quod vagi Sacramenta alia recipere debeant a Parocho loci, in quo pro tempore morantur; ergo etiam probabilius est, quod ipse debeat eorum Matrimonio assistere. Unde quando dicitur, proprium vagorum Parochum esse quemlibet Parochum, id quidem verum est, sed subintelligendum, *pro eo tempore, quo in cujuslibet Parochia morantur*.

426. Ceterum ut Parochus loci Matrimonio vagorum licite assistat, prius instituere debet sedulam inquisitionem de eorum statu, & habilitate ad contrahendum Matrimonium, ac insuper impetrare ab Ordinario Diœcesano licentiam assistendi: ita enim præcipit Trid. Sess. 24. *cap.* 7. *de Reform. Matrim.* propter periculum, ne uxoribus, quas forte alibi habent, temere relictis, alias ducant. Hoc præceptum si Parochus prævaricetur, graviter peccat; ut de se patet. Imo Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 13. & plures alii docent, a vagis exigendum esse juramentum, quod alio Matrimonio ligati non sint, neque impedimento quopiam Canonico laborent.

427. Quæres secundo, quisnam sit Parochus competens militum in ordine ad solemnizandum Matrimonium eorum?

Respondetur primo. Si milites Curionem, seu Capellanum Castrensem, cui potestas administrandi illis Sacramenta, & animarum cura a Pontifice, vel Episcopo concessa sit, non habeant, proprius eorum Parochus erit Parochus loci, in quo tempore existunt: idque verum est, non solum (1) quando per talem locum transeunt, aut in expeditionibus, & castris sub papilionibus degunt, sed etiam (2) quando sunt in hybernis, vel præsidiis. Lessius *in Auctar. V. Matrimonium*, *n.* 26. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 9. *n.* 496. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 94. & alii passim. Ratio primi est: quia tunc æquiparantur vagis, quorum Matrimonio assistere potest, & (secundum dicta *n.* 425.) etiam debet Parochus loci, in quo versantur. Unde circa hos observanda pariter erit cautela *numer. præced.* relata, ut scilicet de statu illorum prius a Parocho fiat diligens inquisitio, & impetretur licentia Ordinarii ad assistendum Matrimonio; vel etiam (ut plures docent) exigatur ab ipsis juramentum de carentia impedimenti &c. Ratio secundi est: quia tunc vel nanciscuntur quasi domicilium habitationis, si nempe hybernis, vel præsidiis per majorem, aut notabilem anni partem addicti sint; vel, si per partem anni non notabilem, itidem æquiparantur vagis: consequenter &c. P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 165.

Respondetur secundo. Si milites habeant Curionem, seu Capellanum Castrensem, a Pontifice, vel Ordinario deputatum, & cura animarum, ac potestate administrandi ipsis Sacramenta in genere, vel etiam in specie assistendi Matrimonio, instructum, coram hoc contrahere debent, dum in castris degunt; imo etiam, dum vivunt in hybernis, & præsidiis, si facultas, tali Capellano concessa, etiam sonet pro hybernis, & præsidiis. Ratio est: quia tunc illiusmodi Capellanus respectu militum quoad spiritualia sibi concreditorum, & ad suam Legionem pertinentium, constitutus censetur proprius Parochus. Ubi tamen tria advertenda veniunt. 1. Si milites in hybernis, vel præsidiis per majorem, vel notabilem anni partem versentur, sicque nanciscantur quasi domicilium habitationis, optionem habent contrahendi Matrimonium, vel coram Curione (ex hypothesi, quod hujus facul-

tas

tas etiam se porrigat ad hyberna, & præsidia) vel coram Parocho loci: tunc quippe duplicem sortiuntur Parochum, quorum neutri (secluso speciali privilegio, aut consuetudine) privative competit potestas assistendi. Ita P. Schmalzgrueber ubi supra *num.* 167. affirmans, sic a S. Congreg. responsum, & Generali Decreto confirmatum fuisse. 2. Si ex Sponsis contrahentibus altera persona militaris, & altera Parocho loci subdita sit, nec Parochus loci sine Capellano militari, nec hic vicissim sine illo celebrationi ejusmodi Matrimonii assistere, aut Benedictionem impertiri, sed uterque concurrere, & assistere debet, atque æqualiter stolæ emolumenta, siquæ licite percipi solent, inter se dividere. Revideatur Forma Brevis Apostolici, quo Jurisdictio, & Facultas administrandi Sacramenta, una cum aliis Privilegiis, Exercituum Sac. Cæsareæ Majestatis Capellanis concedi solet, a nobis verbatim adducta *part.* 5. *n.* 758. Ubi etiam ad propositum faciunt resolutiones quæstionum allatarum *ibid. n.* 759. *& seqq.* 3. Si Cappellanus Castrensis potestatem assistendi Matrimonio acceperit ab Ordinario Diœcesano tantum, & non a Pontifice, atque milites migrare contigerit in Diœcesim alterius Episcopi, ibi non amplius vi facultatis sibi concessæ poterit assistere Matrimoniis, nisi ab Episcopo hujus quoque Diœcesis potestatem assistendi obtinuerit: quia licentia, a priore Ordinario data, extra ipsius Diœcesim se non protendit. P. Reiffenstuel ubi supra *n.* 99. *&* 101. Aliud est de Parochis, Beneficium Parochiale habentibus, qui potestatem assistendi, saltem valide, suorum Parochianorum Matrimoniis etiam retinent extra fines suæ Parochiæ, vel etiam Diœcesis: partim quia ipsis non competit ex privilegio, sed ex Officio, & Jure ordinario; partim quia assistentia Matrimonialis non est actus jurisdictionis &c. Relege, quæ tradidimus supra *n.* 414. *&* 417.

428. Quæres tertio, qualiter Parochus, & Testes debeant esse præsentes contractui Matrimoniali?

Respondetur. Debent esse præsentes non tantum præsentia physica, & corporali, sed etiam morali, & humana, ita, ut Sponsos in Matrimonium de præsenti consensisse intelligant, & de hoc Ecclesiæ testimonium perhibere queant. P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 160. & alii communissime. Ratio est: quia in Jure non censetur esse præsens, qui solo corpore adest, & non etiam animo, seu intellectu, ut advertat, quid agatur. *lib.* 209. *ff. de V. S.* Deinde Concilium. Tridentinum exigit præsentiam Parochi, & Testium, ut de contracto Matrimonio facere fidem queant: atqui hanc facere nequeunt, nisi sint moraliter, & humano modo præsentes; ergo &c. Quod autem huic præsentiæ nullum creet præjudicium vis, metus, aut dolus, quo Parochus, & Testes compulsi, aut inducti sunt ad assistendum Matrimonio, liquebit ex dicendis infra *numer.* 477.

Respondetur secundo. Præsentia Parochi, & Testium debet insuper esse simultanea, adeo, ut & ille, & isti simul adsint, dum ambo contrahentes consensum Matrimonialem exprimunt. Unde nullum est Matrimonium, si solus Parochus præsto sit, dum consensum suum exprimit vir, & soli Testes, dum consensum exprimit mulier; vel vir, & mulier suum consensum modo exprimat coram solo Parocho, & postea coram solis Testibus. Ratio est: quia ex mente Tridentini Parochus, & Testes de uno, eodemque actu contractus Nuptialis fidem facere Ecclesiæ debent, si ita necessitas postulet: sed hoc non possunt, nisi simul præsentes fuerint contractui Nuptiali; cum successive præsentes non habeant se ut contestes (quales a Trid. requiruntur) sed ut testes singulares tantum. Salmanticenses *tr.* 9. *cap.* 8. *pun.* 3. *n.* 37. Perez *de Matrim. disp.* 40. *sect.* 9. *n.* 3. & alii communiter.

429. Quæres quarto, an Sponsi, sine præsentia Parochi (vel alterius Sacerdotis cum Parochi licentia) & Testium, contrahentes Matrimonium, sive (ut rectius loquar) contrahere attentantes, sint puniendi, & qualiter? Idem quæritur de Parocho, vel alio Sacerdote præsumente alienos Parochianos Matrimonio conjungere, aut benedicere eorum Nuptias, absque licentia competentis, seu proprii Parochi?

Respondetur, ita contrahentes, præterquam quod graviter peccent, & nulliter contrahant, adeoque proles eorum, in tali Matrimonio procreatæ, sint illegitimæ, pœna arbitraria ab Episcopo, & quidem gravi, puniendos esse: Parochum vero illum (vel Sacerdotem) ipso Jure incurrere suspensionem duraturam, donec ab Ordinario Parochi, qui Matrimonio assistere debebat, & Benedictionem impertiri, absolvatur. Responsio ad utrunque Quæsiti membrum clare prodita extat in Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. Matrim.* ver. *quod siquis*. Porro Parochus, quamvis sit proprius contrahentium, subjacet & ipse pœnæ arbitrariæ Episcopi, quando sine duobus, vel tribus Testibus assistit Matrimonio: idem dicendum de alio Sacerdote, qui sic assistit cum licentia Parochi: item de Testibus Matrimonio cum authoritate interessentibus sine Parocho, vel Sacerdote delegato. Trid. *loc. cit.* ver. *insuper*.

ARTICULUS II.

De Matrimonii Solemnitate Accidentali, tam antecedente, quam consequente.

INitio Capitis jam dictum est, Matrimonii Solemnitatem accidentalem esse duplicem; unam *antecedentem*, cujus nomine venit *Trina Denunciatio Sponsorum*, Matrimonio copulari desiderantium; & alteram *consequentem*, cujus nomine intelligitur hic *Benedictio Nuptialis*. De utraque ista Solemnitate in præsenti articulo, sed per duos distinctos §§. disseremus. Esto igitur.

§. I.

De Matrimonii Solemnitate Accidentali antecedente, seu de Trina Denunciatione Sponsorum Matrimonio præmittenda.

SUMMARIUM.

430. *& seq. In quem finem, quando, ubi, & a quo trina Denunciatio Sponsorum fieri debeat? Item* 432. *in quanam Parochia, si Sponsi, antequam denunciarentur, suum domicilium alio transtulerint?* 433. *Denunciationes non sunt necessaria necessitate Matrimonii, sed tantum necessitate præcepti, graviter tamen obligantis.* 434. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 437. *&* 438. *Super Denunciationibus dispensare potest Ordinarius; modo justam causam dispensandi habeat.* 439. *Recensentur causæ dispensandi.* 440. *Quænam sit obligatio populi ad manifestandum impedimentum post factas Denunciationes?* 441. *An ipsimet quoque contracturi, quando sciunt impedimento aliquo occulto se gravatos, illud manifestare Superiori Ecclesiastico teneantur?* 442. *Qui se gerere debeat Parochus, quando impedimentum aliquod, inter Sponsos latens, ad ipsum fuit delatum?* 443. *Quænam sint pœnæ omittentium denunciationes absque dispensatione, vel legitima causa?*

430. PRænotandum, & supponendum, trinam hanc Denunciationem, sive Proclamationem, esse faciendam in Ecclesia coram frequenti populo in eum finem, ut, siquis aliquod Matrimonii impedimentum Canonicum, seu dirimens, seu impediens, inter contrahere volentes intercedere novit, illud intra terminum competentem manifestet Parocho, ad ulteriorem ejus investigationem obligato ex Officio, & Constitutione præceptiva Concilii. Lateranensi relata *in cap. fin. de Cland. Despons.* ac innovata per Patres Concilii Tridentini dum *Sess.* 24. *cap.* 1. ver. *cui male, de Reformat. Matrim.* præceperunt, *ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum &c.* Quod si igitur probabilis conjectura afferatur, subesse aliquod impedimentum, Parocho incumbit Matrimonium interdicere, donec vel cognoscat, ejusmodi impedimentum reipsa non subesse, vel, si subesse deprehendat, super eo dispensationem obtineat. Dixi *probabilis conjectura*: hæc quippe sufficit, ut interdicatur Matrimonium contrahendum, esto non sufficiat, ut dissolvatur jam contractum; cum enim in priore casu agatur de

tur de

tur de peccato vitando, quod committeretur, si Matrimonium iniretur cum impedimento, non requiritur plena probatio; quæ tamen requiritur, in posteriore casu, utpote in quo non agitur de peccato vitando; cum conjuges defendantur beneficio possessionis, per contractum bona fide Matrimonium captæ. Nunc

431. Dico primo. Denunciationes regulariter fieri debent ante contractum Matrimonialem ter, tribus diebus festivis continuis, in Ecclesia inter Missarum solemnia, a proprio Parocho utriusque contrahentis, vel alio ex commissione ipsius. Ita communissima DD. & decisum prostat in Trid. *loc. cit.*

Explicatur conclusio. Dicitur 1. *ante contractum Matrimonialem*. Quod si ante hunc factæ non fuerint, supplendæ erunt post illum ante consummationem Matrimonii; quia sic præscribit Trid. *loc. cit.* ut nempe, si forte subsit impedimentum, ante copula detegatur. Unde conjuges in hoc tali casu a Parocho monendi sunt, ut interim a toro abstineant; prout recte advertit Oberascher apud P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 15. Nec refert, quod forte constet, nullum subesse impedimentum: quia Lex non desinit obligare, etiamsi ejus ratio in particulari hic, & nunc cesset.

Dixi 2. *ter.* nisi dispensetur, vel timeatur, Matrimonium malitiose impeditum iri, si tertiæ denunciationes fiant: tunc enim juxta communem DD. videtur una sufficere, quamvis, hac facta, non illico ad contrahendum Matrimonium procedi debeat, sed expectandum sit aliquanto temporis spatio, v. g. duobus, vel tribus diebus; cum alias inutilis foret denunciatio, eo quod nulla posset, moraliter loquendo, fieri impedimenti detectio. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 6. *n.* 8.

Dicitur 3. *tribus diebus festivis continuis*. Continui autem ex mente Tridentini dicentur dies festi, inter quos non mediant alii dies festi; esto mediare, ac intercedere possint, & debeant aliquot dies profesti, & feriales, queis obtineri valeat finis altefatæ Synodi, qui est, ut detegantur impedimenta, quod tam facile fieri non posset, nisi aliquot dies feriales mediarent. Haud tamen illico gravis culpæ condemnandus videretur Parochus, qui non continuis diebus festivis, uno, alterove, etiam non immediate succedente, Festo neglecto, denunciationes faceret; quia similis dilatio, & interruptio, cum esset modica, a peccato gravi excusaretur ob parvitatem materiæ. P. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 6. & alii apud ipsum.

Dicitur 4. *in Ecclesia inter Missarum solemnia*: id quod exigitur a Concilio ob majorem populi concursum, qui ibidem fieri consuevit. Hinc si etiam extra Ecclesiam, & Missarum solemnia (uti etiam die non festo) numerosus populus confluerct v. g. ad concionem audiendam, tali quoque loco (vel die) denunciari Matrimonium posset; cum sic æque, vel satis obtineretur finis Tridentini, utpote quod Ecclesiam (uti & diem festum) ac Missarum solemnia ideo designasse videtur, quod tunc soleat frequentes adesse populus, sicque certius deveniri valeat in notitiam impedimenti, inter Sponsos forte intercedentis. Bosco *part.* 5. *disp* 11. *sect.* 10. *conclus.* 3. *nu.* 44. Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 4. Pirhing *ibid.* *n.* 8. *in fin.* & alii, qui tamen recte monent, hac in re cujusque Ecclesiæ consuetudinem observandam esse.

Dicitur 5. *a proprio Parocho utriusque contrahentis*: adeoque si Sponsi pertineant ad duas diversas Parochias, in ambabus denunciandi erunt, per se loquendo. Si enim denunciarentur in una tantum, non obtineretur satis, & adæquate finis Tridentini, volentis denunciationes fieri, ut impedimenta, si qua forte lateant, facilius, & certius innotescant. Engel ubi supra, aliique passim. Per accidens tamen possunt sufficere denunciationes in alterutra tantum Parochia factæ. Ut 1. si Parochiæ sint valde propinquæ, & ambo Sponsi in una æque, ac altera noti. 2. Si alicubi vigeat consuetudo, ut denunciationes solum fiant in Parochia illius Sponsi, in qua celebrandæ sunt Nuptiæ. P. Babenstuber *loc. cit.* *n.* 32.

Dixi tandem 6. *vel alio ex commissione ipsius*. Non enim Tridentinum proprio contrahentium Parocho, a quo fieri denunciationes cupit, denegat potestatem eas faciendi per alium, cui hoc negotium committat; præsertim cum ipsi concedat, ut per alium Sacerdotem assistere Matrimonio possit, quod majoris est momenti, & concernit contractus Nuptialis valorem, quam facere denunciationes, quæ solum sunt necessariæ necessitate præcepti; ut infra dicemus. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 6. *n.* 5. ubi addit, licentiam denunciandi non solum alteri Sacerdoti, sed etiam Clerico, Sacerdote inferiori, a Parocho committi posse; imo & Laico v. g. Ædituo: sed hoc ultimum, nisi forte alicubi ita habeat consuetudo, non videtur satis conveniens.

432. Quæres, in quanam Parochia fieri denunciationes debeant, quando Sponsi, antequam denunciaretur Matrimonium, domicilium suum alio transtulere?

Respondetur cum distinctione. Vel enim Sponsi in loco, in quo de facto domicilium, aut quasi domicilium habent, ita diu morati sunt, ut ibidem sint satis noti; vel contra recens illuc venerunt, ut non sint sati noti. Si primum; sufficiet, quod denuncientur in Parochia, in qua tempore denunciationum domicilium, vel quasi domicilium habent. Ratio hujus est: quia Tridentinum solummodo requirit, ut denunciationes fiant a proprio contrahentium Parocho, per se loquendo; atqui solus Parochus illius Parochiæ, in qua contracturi de facto domicilium, vel quasi domicilium, habitationis obtinent, est proprius ipsorum Parochus; cum ipse solus possit, ac debeat eorundem Matrimonio assistere, & alia Sacramenta administrare; ergo si ab illo denunciationes fiant, satis erit per se loquendo. Si secundum; censeo, denunciationes esse faciendas tam (1) in Parochia, in qua contracturi modo habitant, quam (2) in Parochia, in qua ante habitarunt. Ratio primæ partis est: tum quia denunciationes fieri debent a proprio contrahentium Parocho, qualis est ille, in cujus Parochia contracturi de facto habitant; ut immediate dictum: quia, licet per breve solummodo tempus in eo loco hucusque commorati sint, nihilominus contrahere potuerunt impedimentum vel impediens v. g. per Sponsalia cum alia persona inita, vel dirimens v. g. per copulam carnalem, cum sorore Sponsæ, aut vicissim cum fratre Sponsi, exercitam. Ratio secundæ parti est, quod hoc modo menti Tridentini magis satisfiat, cum in tali loco, aut domicilio parentum, ubi Sponsi diu commorati sunt, major possit haberi notitia impedimentorum. Basilius Pontius *lib.* 5. *de Matrim.* *cap.* 30. *num.* 5. Bosco *part.* 5. *disp.* 11. *sect.* 10. *conclus.* 3. *num.* 59. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 3. *a n.* 11.

Dices. Tridentinum solummodo requirit, ut denunciationes fiant a proprio Sponsorum Parocho: sed Parochus loci, in quo Sponsi antea habitarunt, non est amplius ipsorum proprius Parochus; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. maj. Solummodo requirit, ut denunciationes fiant a proprio Sponsorum Parocho, per se loquendo, & quando per denunciationes, ab eo factas, sufficiens comparari impedimentorum notitia potest. con. per accidens, & quando sufficiens impedimentorum notitia sic comparari non potest, prout evenit in secundo casu, neg. maj. &, concessa minore, eodem modo distinguendum est cons. Finis Tridentini est, ut impedimenta forte latentia detegantur; quia finis non obtineretur, si Sponsi, recens ad aliquam Parochiam delati, ibi tantum, non item in Parochia, in qua diutius versati sunt, denunciarentur; consequenter neque Lex Tridentini observaretur. *arg. Reg.* 88. *in* 6. ibi: *Certum est, quod is committit in Legem, qui Legis verbum complectens, contra Legis nititur voluntatem.*

Ceterum quando fieri debeant denunciationes etiam in alia Parochia, quam in ea, in qua quis de facto ratione domicilii, vel quasi domicilii Parochianus est, relinquitur judicio prudentum, præsertim Ordinariorum, ad quos recurrendum erit Parochis, dubitantibus, ubinam facere denunciationes debeant; ut provide monent Pontius, & Reiffenstuel *citt.*

433. Dico secundo. Denunciationes non sunt necessariæ (1) ad valorem Matrimonii; quamvis sint (2) de præcepto graviter obligante. Communis DD.

Probatur prima pars: siquidem nullum exstat Jus, quo Matrimonium, sine præviis denunciationibus contractum, irritetur; nam de Jure antiquo certo valebat, *cap. fin. de Clandest. Desponſ.* Jure autem no-

vo Tri

vo Tridentini prohibetur quidem, sed sine clausula irritante, cum Tridentinum expresse dicat, se velle insistere vestigiis Concilii Lateranensis, ex quo desumptum est *cit. cap. fin.* juxta quod omissio denunciationum non impedit Matrimonii valorem. Accedit recepta Ecclesiæ praxis.

Probatur etiam secunda pars tum ex gravitate materiæ; nam ex omissione denunciationum sequi nata sunt mala oppido gravia, puta invalida Matrimonia, actus fornicarii, illegitimæ proles &c. tum ex gravitate pœnarum, quas (ut videbimus infra *numer.* 443.) Ecclesia fulminat adversus eos, qui denunciationes Matrimonio contrahendo non præmittunt.

434. Objicies primo contra primam partem. Quæ contra Jus fiunt, pro infectis habenda sunt, juxta *Reg. J.* 64. *in* 6. ergo Matrimonium, sine bannis, seu denunciationibus a Jure præscriptis initum, est nullum.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Quæ fiunt contra Jus irritans, con. contra Jus mere prohibens, quale est Jus Tridentini quoad denunciationes, neg. ant. & cons.

435. Objicies secundo. Tridentinum utitur Ablativo absolute posito per verba, *quibus denunciationibus factis*: sed Ablativus absolute positus importat *conditionem sine qua non*, & dat formam actui; ergo sine denunciationibus non valet Matrimonium.

Respondetur, dist. min. Ablativus absolute positus importat *conditionem sine qua non*, proprie, vel improprie dictam, & dat actui formam, vel substantialem, vel accidentalem; prout videlicet innuunt verba Legis, trans. importat semper conditionem proprie dictam, & dat actui formam semper substantialem, neg. min. Aspicienda sunt verba Legis; quæ si non exprimant, aut innuant conditionem proprie dictam, vel formam substantialem, Ablativus etiam absolute positus talem non importat; prout evenit in proposito.

436. Objicies tertio contra secundam partem. Potest alicui moraliter certo constare, quod inter contracturos nullum intercedat impedimentum; ergo saltem tali casu præceptum de faciendis denunciationibus non obligabit, præsertim graviter.

Respondetur, neg. cons. Nam Lex generaliter aliquid præcipiens, & fundata in periculo universali fraudum, incommodorum &c. non cessat, tametsi in particulari casu illiusmodi periculum cesset; prout ostendimus *part.* 1. *num.* 366. Et hinc graviter peccat, & pœnam excommunicationis incurrit, qui scienter legit librum hæreticum, quamvis moraliter certus sit, nullum inde periculum perversionis sibi imminere.

437. Quæres primo, quis dispensare possit super denunciationibus?

Respondetur, quod Ordinarius possit. Liquet ex verbis Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* quæ sic sonant: *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur: quod ipsius prudentiæ, & judicio S. Synodus relinquit.* Nomine *Ordinarii* autem venit non solum Episcopus, &, Sede vacante, Capitulum Cathedrale, sed etiam Vicarius Generalis; item Prælatus quicunque, jurisdictione quasi Episcopali in certum territorium, & populum præditus, nullique Diœcesano subjectus. Ita communis DD. sententia, & praxis. Quali tamen potestate dispensandi non gaudet Parochus, ne quidem in casu necessitatis, esto in hoc tali casu, ver. gr. si concubinarius in articulo mortis vellet ducere concubinam ad legitimandas proles; vel si Sponsus, deserta Sponsa, meditaretur; vel periculum foret, ne Matrimonium malitiose impediretur, ubi recursus ad Episcopum fieret pro impetranda dispensatione &c. pertineat ad illum declarare, Legem de faciendis denunciationibus non obligare per epikiam: veluti cum Laymanno, & aliis notat P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 36. Quod si Sponsi sint ex diversis Diœcesibus, utriusque Prælatus potest cum utroque dispensare, & unius Prælati dispensatio sufficit: quia in hac re conjuges censentur una persona, & propter connexionem causæ uterque alterius Prælato subjectus. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 36. & alii passim. Sed

438. Petes, an Ordinarius (idem cogita de aliis ipsius nomine venientibus) ad dispensandum super denunciationibus indigeat (1) justa causa, & (2) quali?

Respondetur primo ad primum hujus Dubii membrum affirmative: idque adeo verum est, ut, si justa causa non suppetat, ne quidem valide dispensare queat. DD. communiter. Ratio est: quia inferior dispensans in Lege Superioris sine justa causa absolute transgreditur limites potestatis sibi concessæ; cum credibile non sit, quod Superior dederit potestatem dispensandi nisi rationabiliter, adeoque suppetente justa, & rationabili causa; imo contrarium satis indigitat Synodus Tridentina *loc. cit.* ubi dispensationem relinquit *prudentiæ*, & *judicio* Ordinarii; ergo &c. Aliud esset, si dispensaret S. Pontifex ipse; hic enim dispensaret valide sine justa causa, quoniam dispensaret in Lege sua. Revide, quæ tradidimus *part.* 1. *num.* 505. & 510. ac insuper nota, quod Ordinarius, priusquam super denunciationibus dispenset, accurate de justitia causæ cognoscere debeat, quamvis extrajudicialiter tantum; nam cognitionem causæ, & inquisitionem impedimenti, quæ fiat servato Juris ordine, non esse hic necessariam, patet tum ex usu, tum *ex cap. fin. de Voto, & cap. fin. de Hæreticis in* 6. cum hæc dispensatio sit actus jurisdictionis voluntariæ.

439. Respondetur secundo ad secundum Dubii membrum, causas justas, ut Ordinarius dispensare possit, esse sequentes. 1. *Erubescentiam, & pudorem*, qui ex denunciationibus oriturus creditur; ut si valde senex cum juvencula, valde nobilis cum plebea, vel alius cum valde dispari contrahere vellet Matrimonium. 2 *Moralem certitudinem*, quod nullum subsit impedimentum, vel aliunde, si forte subsit, detegendum; ut quando Magnates contrahere volunt. *Moralem inutilitatem denunciationum*; ut quando copulari desiderant vagi, aut penitus ignoti. Dixi: *ut Ordinarius dispensare possit*; nam subinde dispensare tenetur, quando nempe vel Sponsis, vel Communitati per dispensationem procuratur notabile bonum, v. g. honorum, fortunarum &c. aut grave avertitur malum, v. g. periculum infamiæ, punitionis ratione concubinatus, incontinentiæ, si Matrimonium differatur instante v. g. Quadragesima; vel probabiliter timeatur, ne alterutra Pars injuste resiliat, deflorator corruptam post longiorem moram iterum deserat, consanguinei Matrimonium malitiose impediant &c. P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 3. *numer.* 33. *& seqq.* aliique passim.

440. Quæres secundo, quænam sit obligatio populi ad manifestandum impedimentum post factas denunciationes?

Respondetur, quemlibet de populo, per se loquendo, obligari sub peccato mortali non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam Divino, & Naturali ad detegendum impedimentum, quod inter contracturos intercedit. Navarrus *in Manual. cap.* 22. *numer.* 83. VViestner *lib.* 4. *tit.* 3. *numer.* 14. Reiffenstuel *ibid. numer.* 49. & alii passim. Ratio est: quia detectio hæc talis pertinet ad vitandam ruinam spiritualem, & grave peccatum proximi, atque ad impediendam irreverentiam Sacramenti, ad quod omnes præcepto Divino, & Naturali obligantur.

Proceditque hoc 1. tametsi notitia impedimenti concredita alicui sit sub secreto naturali. Ratio est: quia juxta Regulam universalem reperiendam apud D. Thomam 2. 2. *q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. sub secreto naturali concredita, toties manifestanda sunt, quoties vergunt in damnum publicum, aut præjudicium personæ tertiæ: atqui id evenit in præsenti. Vel enim contracturi existunt in bona, vel in mala fide? si primum; reticentia impedimenti vergit in præjudicium ipsorum, utpote qui a contrahendo abstinerent, si impedimenti notitiam haberent: si secundum, & ponatur unus duntaxat existere in mala fide; tunc alter, qui existit in bona fide, & innocens est, graviter decipitur: quod si ponatur uterque existere in mala fide, reticentia impedimenti, quando hoc est dirimens, cedit in præjudicium Matrimonii, utpote quod sic nulliter contrahitur; quando autem est impediens, reticentia cedit in irreverentiam Sacramenti, in damnationem

tionem sic contrahentium, & sæpe in damnum tertii, cui frangitur fides; ut si impedimentum sit ortum ex Sponsalibus ante cum alia persona initis. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 13. *n.* 5. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 49. Schmalzgrueber *ibid.* *n.* 55. & alii passim.

Procedit 2. Tametsi quis solus, & præter ipsum nemo, impedimenti notitiam habeat. Navarrus *in Manual. cap.* 22. *n.* 83. Palao *tr.* 28. *disp.* 2. *pun.* 13. §. 6. *n.* 6. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 10. *n.* 534. Reiffenstuel *loc. & n. cit.* Ratio est: siquidem dum agitur de vitando peccato, & Matrimonio cum impedimento non contrahendo, unius etiam non jurati testis depositio in foro externo admittitur. Unde quando dicitur, quod uni testi non credatur, verum est in iis casibus, in quibus agitur de crimine aliquo puniendo, vel de jure, alteri jam quæsito, auferendo, vel de Matrimonio dissolvendo.

Procedit 3. Esto quis impedimentum noverit ex solo auditu, dummodo audiverit a persona fide digna. Sanchez *loc. cit. n.* 7. Rodriquez *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *cap.* 217. *n.* 9. Schmalzgrueber ubi supra *numer.* 58. Quod tamen intellige: nisi persona illa per seipsam (sicut tenetur) impedimentum denunciare velit. Ratio ampliationis sic intellectæ est: quoniam notitia ex auditu acquisita a persona fide digna est vera notitia, & ad fidem faciendam sufficiens, saltem in præsenti; potestque Episcopus, vel Parochus personam ipsam, occulte saltem, ad se vocare, ejusque testimonium recipere. Secus haud dubie esset, siquis impedimentum audivisset a persona, quæ fidem non meretur; tunc enim non teneretur denunciare: quia testimonium talis personæ, cum nullius sit momenti, non meretur recipi: consequenter nulla extat obligatio manifestandi, præsertim si impedimentum sit diffamatorium. Idem dicendum, siquis impedimentum audivisset a persona, & nesciret modo, a quanam audivisset; vel a persona nihil certum sciente: quia tunc manifestatio inutilis foret. Sanchez, *cit.*

Dixi in respons. supra: *per se loquendo*. Nam plures dantur casus, exceptionem patientes, & in quibus per accidens nulla est obligatio detegendi impedimenti: ut 1. quando impedimenti conscius Matrimonium aliter impedire potest, e. g. admonendo Sponsos, ut a Nuptiis desistant, vel dispensationem petant. Estque admonitio hæc necessario præmittenda, quando impedimentum resultavit ex delicto occulto, dummodo videatur profutura: siquidem Lex Charitatis exigit, ut peccatum proximi impediatur minimo, quantum fieri potest, ejusdem damno, incommodo, ac præjudicio. 2. Quando ex sua detectione sibi, aut aliis grave damnum probabiliter secuturum prævidet. 3. Quando prudenter credit, nihil se profuturum, aut detectionem bona fide contrahentibus obfuturam. 4. Quando probabiliter timet, detectionem parituram grave scandalum apud alios. Sanchez ubi supra *numer.* 3. 4. & 8. Clericatus *decis.* 34. *numer.* 16. Pithing *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 31. VViestner *ibid. n.* 14. Reiffenstuel *n.* 49.

441. Quæres tertio, an ipsimet quoque contracturi, quando noverunt impedimento aliquo occulto se gravatos, illud manifestare Superiori Ecclesiastico teneantur?

Respondetur affirmative. Idque verum est; sive a Superiore interrogentur, sive non. Ratio est: quia si interrogentur, debent obedire, ac respondere ad mentem interrogantis detegendo impedimentum; sicut Ordinandus, quando interrogatur, tenetur pandere vitium occultum, quod ipsum reddit incapacem Ordinis suscipiendi; prout fatentur omnes, & constat *ex cap.* 10. *de Renunciat.* Si non interrogentur, tenentur nihilominus illud manifestare, ne alioquin se ingerant contractui, quem jure celebrare non possunt. Ita cum Palao, & Salmanticensibus P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 38.

Dices primo. Judex inquirere nequit, quando non præcedit infamia. *cap.* 17. *de Accusat.* ergo non interrogat in casu juridice: atqui non interroganti juridice nulla ab interrogato debetur responsio; ergo &c.

Respondetur, textum *cit. cap.* exaudiendum esse, quando Judex inquirit in ordine ad puniendum delictum; non autem, quando inquirit in ordine ad delictum, quod alias committeretur, impediendum, ut in præsenti.

Dices secundo. Contracturi non videntur obligandi ad se diffamandos coram suo Superiore: sed hoc modo se diffamarent, saltem quando impedimentum est ortum ex delicto occulto; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Determinate, & absolute, con. indeterminate, seu disjunctive, vel ex hypothesi, quod nec a Matrimonio contrahendo abstinere, nec dispensationem super impedimento impetrare velint, neg. maj. Si enim horum alterutrum facere nolint, non excusantur ab obligatione impedimentum pandendi propter infamiam exinde secuturam apud Superiorem; imo propria culpa tunc illam subeunt, & sibimetipsis imputare debent.

442. Quæres quarto, quomodo se gerere debeat Parochus, quando impedimentum aliquod, inter Sponsos latens, ad ipsum fuit delatum?

Respondetur. Quando extra Confessionem Sacramentalem a Sponsis, vel aliis illud ad ipsum fuit delatum, Matrimonii celebrationem Sponsis interdicere debet. Patet *ex cap. fin. pr.* ver. *cum autem*, & §. *fin. Clandest. Despons.* De impedimento tamen cognoscere non potest, sed ejus cognitio spectat ad Ordinarium, ad quem proinde illud deferre debet: veluti rursus colligitur *ex cap. fin.* ver. *cum autem cit.* utpote in quo Pontifex utitur verbo *constituerit*, quod judicialem potestatem denotat. *cap.* 19. *de Judic.* quali potestate non pollet Parochus. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 15. *num.* 3. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 61. & alii passim. Proceditque, quamvis impedimentum sit occultum, & probari judicialiter non possit: quia, ubi opponitur impedimentum, non pertinet ad Parochum de illius veritate cognoscere, sed deferre rem ad Ordinarium debet, ut iste cognoscat, & judicet; prout dictum. Neque obstat, quod nullus impedimentum illud opponat. Nam Parochus ipse opponere tenetur coram Ordinario; sicut teneretur opponere alius similem de illo notitiam habens: imo Parochus tenetur a fortiori; cum ipsi id incumbat ex officio Pastoris spiritualis. Sanchez *n.* 11. & Schmalzgrueber *n.* 64. Sed contra hanc extensionem

Dices primo. Peccatori occulto publice Eucharistiam petenti Parochus eam porrigere debet; ergo etiam debet assistere Matrimonio impedimento occulto laborantis, quin teneatur, vel etiam possit rem deferre ad Ordinarium.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia licet in utroque casu agatur de peccato vitando; petens tamen publice Eucharistiam utitur jure suo, quo privari nequit nisi ob causam manifestam. E diverso petens in casu nostro assistentiam Matrimonii non utitur jure suo, sed petit id, quod Jure prohibitum est.

Dices secundo. Irretitus impedimento occulto, v. g. irregularitate, si a proprio Episcopo publice petat Ordines, non potest repelli. *cap.* 4. *de Tempor. Ordin. in fin.* ergo neque a contrahendo Matrimonio repelli potest, qui impedimento occulto laborat: consequenter &c.

Respondetur, neg. itidem conf. & parit. Nam in casu antecedentis Episcopus nequit esse Testis, cum sit Judex; adeoque impedimentum omnino est improbabile. At vero in casu consequentis Parochus, cum non sit Judex, agere Testem potest, impedimentum ad Ordinarium deferendo &c.

Dixi in respons. ad Quæsitum: *extra Confessionem Sacramentalem*. Nam si Parochus notitiam impedimenti acquisierit præcise ex Confessione Sacramentali, licet eo gravatum, vel gravatos possit, ac debeat in S. Tribunali admonere, ut a contrahendo desistant; imo si admonitionem respuant, illos, ceu indispositos, sine absolutione dimittere; assistentiam tamen Matrimonialem volentibus contrahere, denegare non potest absque fractione Sigilli Sacramentalis, utpote citra quam non possumus uti notitia, per solam Confessionem Sacramentalem (seu immediate, seu mediate, seu directe, seu indirecte &c.) obtenta, ad actum aliquem exteriorem; prout relinquitur ex dictis *part.* 5. *n.* 712. & 717.

443. Quæres quinto, quænam sint pœnæ omittentium denunciationes absque dispensatione, vel legitima causa?

Respondetur breviter, esse sequentes; nempe 1. triennalem suspensionem Parochi ab Officio, quæ tamen

pœna

pœna non latæ, sed ferendæ duntaxat sententiæ est *cap. fin. de Clandest. Despons.* reservata nihilominus S. Pontifici, postquam eandem Episcopus ministerialiter tulit. P. Kugler *de Matrim. n.* 246. 2. Ulteriorem punitionem arbitrariam tum contrahentium, tum Parochi, & Testium, atque aliorum cooperantium ad Matrimonium sine prævüs denunciationibus ineundum, *cap. fin. cit.* 3. Respectu contrahentium difficultatem super impetranda dispensatione, si postmodum aliquod impedimentum dirimens latuisse constiterit. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reform. Matrim,* Et hic in petitione dispensationis necessario exprimenda est omissio denunciationum. 4. *Illigitimitatem prolium*, si forte Matrimonium ratione impedimenti latentis fuisset nullum. Videri potest P. Schmalzgrueber *loc. cit.* 4 *n.* 73.

§. II.

De Matrimonii Solemnitate Accidentali consequente, seu de solemni Benedictione Nuptiarum.

S U M M A R I U M.

444. *Benedictio Nuptiarum alia est* minus, *alia* magis, & simpliciter solemnis. 445. *Hæc saltem primis Nuptiis inter Missarum solemnia, spectato Jure, impendenda est sub præcepto, & quidem a proprio Parocho, vel ex hujus commissione ab alio Sacerdote.* 446. *Non est peccatum, consummare Matrimonium nondum solemniter benedictum.* 447. *Præfata Benedictio de Jure non potest, nec debet impendi secundis Nuptiis: si tamen impendatur.* 448. *non plus, quam venialiter peccatur.*

444. PRænotandum, Benedictionem Nuptiarum esse duplicem, Una fit immediate post initum Matrimonium, & istud quasi concomitatur, exprimiturque ab Assistente per illa verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* Atque hæc dicitur, ac est *minus Solemnis*; de qua in præsenti nihil. Altera, quæ *magis*, & *simpliciter Solemnis* est, impendi solet inter Missarum solemnia, Matrimonio jam ante contracto, & per Assistentem Benedictione minus Solemni benedicto. Atque de hac in proposito, quæ scitu necessaria sunt, afferemus. Itaque

445. Dico primo. Benedictio solemnis saltem primis Nuptiis (vel potius personis primas Nuptias celebrantibus) inter Missarum solemnia, spectato Jure, impendenda est sub præcepto, & quidem a proprio Parocho, vel ex hujus commissione ab alio Sacerdote. Sumitur ex *can.* 1. *& seqq. caus.* 30. *q.* 5. atque ex Trid. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. Consonat praxis, & communis DD.

Explicatur. Dicitur. 1. *inter Missarum solemnia, spectato* Jure, *impendenda est*: licet, ubi fert usus, impertiri quoque possit *extra Missarum solemnia* ante altare, vel in templo, imo etiam in domo privata. Dicitur 2. *sub præcepto*; non tamen graviter obligante, modo absit scandalum, & contemptus; quia Trid. non utitur verbis gravem obligationem significantibus, neque res de se gravis est. Dicitur 3. *a proprio Parocho, vel ex hujus commissione ab alio Sacerdote*. Ita enim requirit Trid. *loc. cit.* ubi etiam fulminat pœnam suspensionis ipso Jure incurrendam a Parocho, vel alio Sacerdote, qui Sponsos alterius Parochiæ absque proprii Parochi, vel Ordinarii licentia benedicere ausus fuerit, & duraturam, donec ab Ordinario illius Parochi, a quo benedictio impertienda erat, relaxetur: prout jam insinuavimus supra *n.* 429.

446. Quæres, an sit peccatum consummare Matrimonium nondum solemniter benedictum?

Respondetur negative. Ratio est: quia non consummatio solum est *de consilio*; veluti patet ex verbis Tridentini *loc. cit.* quæ ita sonant: *Præterea eadem S. Synodus hortatur, ut conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent*: consequenter &c. Et licet ex consuetudine Ecclesiæ Sponsi Benedictionem Nuptialem recipere compellantur, hoc tamen ideo præcipue fit, ut Parochi præceptum, quoad impertiendam recens Nuptis Benedictionem adstringuntur, implere valeant. Sanchez *lib.* 3. *disp.* 12. *n.* 7. & alii passim.

447. Dico secundo. Benedictio solemnis non potest, nec debet de Jure impendi secundis Nuptiis; quando nimirum vel uterque, vel saltem unus contrahentium eam Benedictionem jam semel recepit, puta in celebratione Matrimonii præcedentis. Sumitur ex *cap.* 3. *de Secundis Nupt.* atque ex ratione; quatenus, ut major sit Benedictionum solemnium reverentia, eas Ecclesia non vult repeti super eadem re, vel persona.

Dixi in conclus. *de Jure*. Nam vi consuetudinis, vel Statuti Diœcesani, etiam secundæ Nuptiæ benedicuntur, saltem si unus conjugum nunquam receperit Benedictionem, puta quia nullo alio Matrimonio antea copulatus fuit. De qua consuetudine, & Statuto consulendum est Rituale Diœcesanum.

448. Quæres, quantum peccet Parochus, si in casu, vi consuetudinis, aut Statuti non permisso, secundas Nuptias benedicat?

Respondetur, eum non plus peccare, quam venialiter. Ita insinuant, & supponunt Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 21. *num.* 34. Schmalzgrueber *ibid. n.* 45. & apud istum multi alii. Ratio est: quia nec Jus, Benedictionem Nuptiarum secundarum prohibens, utitur terminis, gravem obligationem indicantibus; neque reverentia, solemni Benedictioni debita, graviter læditur. Sed

Dices. Juxta *cap.* 1. *de secundis Nupt.* Capellanus, seu Parochus, secundas Nuptias benedicens, incurrit pœnam suspensionis &c. ergo Parochus, secundas Nuptias in casu non permisso benedicens, peccat mortaliter; cum pœna gravis, qualis est illiusmodi suspensio, supponat culpam mortalem.

Respondetur, neg. cons. Ad ant. ajo, *cit. cap.* intelligendum esse de Benedicente secundas Nuptias, primis adhuc constantibus; vel existente dubio de morte prioris conjugis; cujusmodi Benedicens etiam vi Tridentini *cit.* suspensus est. Ita interpretantur *cap.* allegatum Sanchez *lib.* 7. *disp.* 82. *n.* 30. Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 8. Pirhing *lib.* 4. *tit.* 21. VViestner *eod. lib. & tit. n.* 30. Reiffenstuel *n.* 34. aliique plures.

C A P U T V.

De Usu Matrimonii.

POstquam pertractavimus illa, quæ ad Matrimonium, secundum se, & in actu primo consideratum, spectare existimavimus, restat, ut tractemus de iis, quæ ad ipsius usum, sive exercitium pertinere videbuntur. Porro *usus Matrimonii* ab Apostolo 1. *Cor.* 7. appellatur *debitum*, videlicet *conjugale*, quatenus vi contractus Matrimonialis unus conjux alteri sui corporis usum concedere tenetur (secundum dicenda) quod debitum conjugale reipsa est *viri, feminæque corporalis commixtio generandæ proli necessaria*. Nunc sit

A R T I C U L U S I.

De Usu Matrimonii licito, & illicito.

HIc articulus sat amplus est, pluraque complectitur puncta omnino practica; quæ ut dilucide ponamus ob oculos Lecturorum, binos statuimus paragraphos. Itaque sit

§. I.

An, & qualiter Usus Matrimonii sit licitus respective, vel illicitus?

S U M M A R I U M.

449. *Usus Matrimonii per se licitus, honestus, & meritorius est.* 450. & 451. *Solvuntur opposita.* 452. *Debitum conjugale recte persolvendum est quoad substantiam sub mortali; quoad modum vero sub veniali peccato.* 453. *Mulier sub mortali obligatur semen receptum retinere? uti & expectare seminationem viri, quando ipsa prior seminavit: secus discurrendum de viro &c.* 454. & *seqq. Licitum est*

extr-

exercere copulam ad generandam prolem; ad evitandam incontinentiam in comparte, vel etiam in seipso tantum; ad satisfaciendum sua obligationi; uti & solius sanitatis; non item mera voluptatis gratia.
458. *Quonam corporis situ peragi possit, ac debeat copula conjugalis?*

449. Dico primo. Usus Matrimonii per se licitus, honestus, & meritorius est. Ita DD. communissime, estque de Fide certum.

Probatur tum ex S. Script. *Genes.* 1. ubi legimus: *Benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Item *Genes.* 9. ibi: *Benedixitque Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos: crescite &c.* Quibus verbis Deus usum Martimonii, a se instituti, peculiariter benedixit, & approbavit. Tum ex ratione: quia usus Matrimonii respicit finem per se honestum, imo & necessarium ad perfectionem humanæ naturæ, videlicet procreationem, ac educationem prolis instituendam modo homini qua homini conveniente; qui modus juata Aristotelem 8. *Ethic. cap.* 11. & 12. est, ut parentes filiis suppeditent *esse*, *nutrimentum*, & *disciplinam*; ergo prædictus usus per se licitus, honestus, & meritorius est. Conf. patet: quia in moralibus actus, qui sunt propter finem aliquem, ex fine æstimari debent.

Diai in conclus. *per se &c.* Nam per accidens illicitus, & mortaliter peccaminosus evadit usus Matrimonii. 1. Si conjux per incestum, commissum cum conjugis consanguinea in primo, vel secundo gradu contraxerit affinitatem. Talis quippe incestuosus adulter (idem cogita de incestuosa adultera) non solum amisit jus petendi copulam obligatorie, id est, ut suam conjugem innocentem ad reddendum obligare possit, sed etiam licite. Secus est de adultero (vel adultera) non incestuoso: prout dicemus infra *numer.* 468. *in* 2. *probat. conclus. & tertio casu.* 2. Si unus conjugum ante, vel post Matrimonium ediderit votum castitatis: quia talis vi voti tenetur servare continentiam, quantum ex sua parte potest absque præjudicio consortis: atqui hoc potest non petendo; ergo &c. Tenetur nihilominus debitum consorti petenti reddere: excepto tempore primi bimestris, quo conjuges in favorem Religionis, siquam forte ingredi velint, a reddendo exempti sunt, vel casu, quo alter conjux in editionem voti dedisset consensum positivum, & sic renunciasset juri suo ad petendum (aliter esset, si tantum dedisset consensum permissivum; per bunc enim non abdicasset se jure suo) vel casu, quo ambo conjuges mutuo consensu per modum reciprocæ conventionis continentiam vovissent; tunc emim nec reddere, nec petere absque peccato mortali possent, multo minus tenerentur. P. Sporer ubi supra *a num.* 476. & alii passim. Nunc

450. Objicies contra conclus. primo. Actus conjugalis est ejusdem speciei cum actu fornicationis, & adulterii; ergo cum actus fornicationis, & adulterii sit malus, malusquoque erit actus conjugalis.

Respondetur, dist. ant. In genere naturæ, seu in esse physico, con. in genere moris, seu in esse morali, neg. ant. & conf. In genere moris actus præmemorati differunt; quoniam actus conjugalis est *accessus ad suam*, reliqui autem duo, *accessus ad non suam &c.*

451. Objicies secundo. Si usus Matrimonii esset per se honestus, & meritorius, deberet cadere vel sub præceptum, vel sub consilium; quidquid enim per se honestum, & meritorium est, cadit sub eorum alterutrum: atqui sub neutrum cadit; ergo &c. Min. prob. Non enim cadit sub præceptum; cum conjugibus utique liberum sit se mutuo continere. Neque sub consilium; alioquin mutua conjugum abstinentia, illi usui opposita, non caderet sub consilium; cum implicet duo opposita qua talia cadere sub consilium.

Respondetur primo, hoc argumento probari, neque contractionem Matrimonii esse bonam, & honestam, contra Apostolum 1. *Cor.* 7. ita scribentem: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit. Et, si nupserit virgo, non peccabit.*

Respondetur secundo Matrimonii usum (sicut & Matrimonium ipsum) cadere sub præceptum, non quidem quod obliget singulos conjuges (vel homines) sed quod obliget totam conjugum (hominum) communitatem ad procurandum, ut species humana per liberorum procreationem, & educationem propagetur, vel conserveiur.

Dices. Tale præceptum vel esset naturale, vel positivum, nempe Divinum: neutrum dici potest; ergo &c.

Respondetur, neg. min. & ajo, esse Divinum positivum, non vero naturale proprie dictum, ut putat Rebellus *lib.* 2. *de Matrim. q.* 2. Unde spectato Jure naturali præcise, & abstrahendo a Jure Divino positivo nec Adamus, nec Noe, nec alii unqnam fuissent obligati ad Matrimonium, ejusve usum: licet enim natura illos inclinarit ad speciem humanam propagandam, vel conservandam; talis tamen inclinatio non denotabat præceptum naturale proprie, & stricte dictum, potuissentque illam æque licite contemnere, ac nos possumus, nisi accessisset præceptum Divinum positivum: prout notant Sanct-Gallenses *tom* 10. *tr.* 4. *q.* 2.

Instabis. Non potest ostendi, quibusnam verbis Deus tale præceptum prodiderit, & imposuerit; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Prodidit enim tale præceptum, & imposuit, dum Protoparentibus nostris, Matrimonio copulatis, benedixit, & dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Genes.* 1. Et rursus *Genes.* 9. ubi post diluvium benediait Noe, & filiis ejus, inquiens *Crescite, & multiplicamini &c.* Hæc quippe verba protulit Deus tam per modum benedicentis, quam per modum imperantis propagationem generis humani. Hoc autem fine postmodum obtento, & mundo satis propagato, præceptum illnd, quod antea personas etiam in particulari obstrinxerat, obstrinxit quidem adhuc, & obstringere pergit totam hominum communitatem, non vero amplius quempiam in particulari per se loqnendo, Christo nos ad contrarium invitante, ac dicente: *Qui potest capere, capiat. Matth.* 19. Sanct-Gallenses *loc. cit.*

451. Dico secuudo. Debitum conjugale recte persolvendum est quoad substantiam (1) sub mortali; quoad modum vero (2) sub veniali peccato. Ita re ipsa communis.

Probatur prima pars. Siquidem debitum conjugale tunc recte persolvitur quoad substantiam: quando cavetur, ne semen extra vas legitimum effundatur: atqui hæc cautela sub mortali peccato adhibenda est, ne alioquin committatur peccatum pollutionis contra naturam, & finem, propter quem copula inter conjuges est licita; ergo &c.

Probatur secunda pars. Quia, dum peccatur in modo tantum, adhuc obtinetur finis a natura intentus, solumque intervenit inordinatus affectus, & captatur voluptas ex re secundum se licita: sed salvo fine prædicto per affectum inordinatum, & captationem voluptatis ex re secundum se licita non committitur plus quam veniale peccatum; ergo &c.

453. Colliges primo, quod femina sub mortali obligetur semen receptum retinere; uti & expectare seminationem viri, quando ipsa prior seminavit. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 4. *art.* 2. *n.* 6. Ratio est: quia semen muliebre se solo inutile est, & insufficiens ad generationem prolis, propter quam, ceu finem primarium, copula inter conjuges est licita. Aliter discurrendum de viro; hic enim, postquam seminavit, non tenetur expectare, donec & femina seminet, sed potest membrum extrahere, ac recedere. Sporer ubi supra 491. Ratio dari opposita potest: nam, secundum permultos & Medicos, & alios Doctores, semen virile se solo, & quin concurrat semen muliebre, sufficit ad generationem prolis. Accedit, quod femina, postquam vir recessit, possit (esto non teneatur) vel per proprium tactum (ut cum satis communi docuimus *part.* 2. *n.* 684.) vel per tactum a viro admissum (ut docet Baucius apud La Croia *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 335.) seipsam excitare ad seminandum, modo id statim post viri recessum fiat; cum tunc concubitus maritalis adhuc moraliter perseveret &c. Revide super hoc, quod *citt. part.* 2. & 684. diaimus. Videri etiam P. Sporer ubi supra. Sed cum P. La Croia *loc. & n. citt.*

Dices. Postquam vir seminavit, & recessit, concubitus, & copula maritalis censetur completa; ergo si femina se tunc excitet ad seminandum, censetur id facere

eere post concubitum, & copulam maritalem. Atqui hoc est graviter illicitum, & reipsa constituit peccatum pollutionis; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Censetur completa physice, trans. moraliter, neg. ant. & dist. etiam conf. Femina censetur se excitare ad feminandum post copulam physice completam, trans. moraliter completam, neg. conf. Concubitus, & copula maritalis in casu posito censetur moraliter adhuc durare; ut *citt. part.* 2. *& numer.* 684. dictum, & ostensum est. Dixi: *transeat*. Nam supposita sententia (quæ a multis docetur, & omnino probabilis est) quod ad generationem prolis etiam semen muliebre sit necessarium, & non tantum conducens, ant. posset simpliciter negari; cum copula maritalis sit *viri, feminæque corporalis commixtio generandæ proli necessaria*; prout animadvertimus initio hujus Capitis. Ad subsumpt. ajo, feminam graviter peccare peccato pollutionis, si se excitet ad feminandum post copulam maritalem tam physice, quam moraliter completam, & absolutam; non item, si id faciat, quando copula maritalis nondum est completa, & absoluta, saltem moraliter. Sed cum memorato Authore

Instabis. Si copula maritalis in casu posito non censeretur moraliter completa, & absoluta, sequeretur, quod femina soluta carnaliter congrediens cum mare soluto v. g. prius seminante, & post immissum semen recedente, non committeret peccatum a copula, & fornicatione distinctum, si post recessum maris sese excitaret ad seminandum; & per consequens in Confessione satisfaceret, dicendo: *fornicata sum*: atqui hanc sequelam admittere non possumus; ergo &c.

Respondetur, neg. minor. supposito, quod femina congrediens in peccatum completæ fornicationis consenserit, & excitatio ad seminationem immediate fiat post recessum maris. Tunc quippe fornicatio vere completur, & consummatur, si non physice, saltem moraliter, per seminationem immediate subsequentem; prout aperte colligitur ex descriptione fornicationis, quam attulimus *part.* 2. *n.* 653. ubi diximus cum communi aliorum, quod fornicatio sit *concubitus hominis soluti &c. cum soluta in ordine ad generationem*.

454. Colliges secundo, licitum, honestum, & meritorium esse, copulam conjugalem exercere (1) ad generandam prolem (2) ad vitandam incontinentiam in comparte; & (3) ad satisfaciendum obligationi suæ. Ratio corollarii quoad omnia, & singula tria membra est: siquidem primo modo intenditur finis primarius Matrimonii; secundo, finis secundarius, & respectu compartis ex Charitate debitus; tertio autem satisfit obligationi Justitiæ, quam conjux vi contractus Matrimonialis erga conjugem gerit. P. Sporer ubi supra *n.* 486. & alii communiter.

455. Colliges tertio, etiam licitum esse, exercere copulam conjugalem ad evitandam incontinentiam in seipso tantum, esto exercens non intendat formaliter generationem prolis; imo etsi prævideat, hanc certo non secuturam. Ratio est: quia Matrimonium (secundum dicta superius *n.* 280.) in statu naturæ lapsæ ordinatum est in remedium concupiscentiæ; prout clare indigitat Apostolus 1. *Cor.* 7. dum inquit: *Propter fornicationem* (evitandam) *unusquisque uxorem habeat &c.* Confirmatur: quia alioquin conjuges senes, vel steriles, aut post fœtum jam conceptum, non possent amplius licite congredi; cum non amplius possent intendere conceptionem, & generationem prolis, quippe hic, & nunc impossibilem: sequela autem est falsa, & laqueus animarum; ergo &c. Laymann *libr.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. & alii passim.

456. Colliges quarto, uti conjugio solius sanitatis corporalis causa probabilius non esse illicitum. Ita cum aliis a se relatis P. Sporer *loc. cit. n.* 489. Ratio est: quia cum Matrimonium primario institutum sit ad propagationem speciei humanæ, videtur etiam secundario institutum ad conservationem individui generantis, quatenus species, nisi salvis individuis, propagari non valet: consequenter &c.

457. Colliges quinto, illicitum e diverso esse, & venialis culpæ inductivum, uti conjugio solius voluptatis gratia. Ita hodie communissima, & certa DD. sententia, postquam ab Innocentio XI. confixa est hæc propositio *ordin.* 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, & defectu veniali.* Ratio insuper est: quia in re secundum se licita invertere ordinem naturæ est culpa venialis: sed, uti conjugio solius voluptatis gratia, est invertere ordinem naturæ in re secundum se licita; ergo &c. Min. ostenditur, & declaratur: siquidem opus conjugii a natura institutum est ad procreandas proles, cui voluptas annexa est ut medium, quo homines ad subeunda Matrimonii onera alliciantur; ergo qui opus conjugii exercet solius voluptatis gratia, in re secundum se licita invertit ordinem naturæ, quatenus voluptatem sibi præficit tanquam finem, eaque *fruitur*, cum tamen sit medium, quo *uti* oporteret. Revide dicta *part.* 1. *num.* 637.

458. Colliges sexto, ut copula conjugalis licite exerceatur, requiri situm corporis aptum semini virili intra vas femineum naturale infundendo, & retinendo. Ratio est: quia alias conceptio, & generatio prolis, quæ est finis primarius Matrimonii, omnino frustraretur, & committeretur grave peccatum contra institutionem Matrimonii, & naturam. Hinc mortaliter peccant conjuges se polluentes tactibus, vel, abrupta voluntarie copula, semen profundentes; ut si vir, antequam seminet, a copula se retrahat, & semen extra vas uxoris dispergat, vel si uxor semen jam receptum ejiciat, quacunque de causa id faciant: quia omnis voluntaria seminis effusio extra vas naturale femineum est actio intrinsece mala, & grave peccatum contra naturam.

Ceterum corpora conjugum situari possunt sequentibus præcipue modis, ad semen infundendum, recipiendum, & retinendum magis, minusve idoneis. Primus est, isque ordinarius, magisque naturalis, & idoneus, ac ceteri, si conjuges jaceant, & mulieri succumbenti vir incumbat. Secundus est, si conjuges jaceant, & mulier incumbat viro. Tertius est, si jacentes a parte anteriori corpora conjungant. Quartus, si id faciant a tergo, seu a parte posteriori, ita tamen, ut & membrum, & semen viri in vas naturale feminæ immitatur. Quintus, si coeant stando. Hi quatuor modi posteriores si adhibeantur citra justam causam, v. g. solius commoditatis, & majoris voluptatis captandæ gratia, culpam saltem venialem continent: quia a primo, & naturali modo coeundi aliquatenus deviant, ordinemque naturæ saltem leviter invertunt; quod omni culpa vacare nequit, nisi justa aliqua causa cohonestetur, qualis esset, si per hoc, quod vir incumberet mulieri prægnanti, crearetur periculum fœtui; si taliter coeundo vir debilis suum membrum satis stabilire non posset &c. Dixi: *culpam saltem venialem continent*. Siquidem Authores non pauci culpam etiam mortalem hic agnoscunt. Sed mitius sentiunt Sanchez *lib.* 9. *disput.* 16. *num.* 3. Navarrus *in Manual. cap.* 16. *num.* 42. Sporer ubi supra *num.* 493. Michel *de Matrim. fol.* 732. *numer.* 18. qui negant, plus peccari, quam venialiter, quocunque demum ex recensitis quatuor modis conjuges coeant, tametsi nullam ita coeundi causam habeant præter majorem v. g. corporis commoditatem, aut voluptatem; dummodo ceteroquin servent vas debitum, & caveant (sicut cavere possunt, & sub mortali cavere tenentur) ne semen extra illud effundatur. Ratio hujus mitioris sententiæ est: partim quia licet tunc ordo naturæ invertatur, inversio tamen illa solum versatur circa accidentalia copulæ: partim quia periculum effundendi semen extra vas feminæ tantum non est, quin per cautelam coeuntium facile caveri valeat. Sed contra hoc

Dices. Saltem si conjuges coeant secundo modo, ita, ut mulier incumbat viro, non videtur semen virile deferri posse per vas femineum ad matricem; ergo tunc semen iterum effluit, vel saltem conceptioni prolis inservire nequit; consequenter &c.

Respondetur, neg. ant. Siquidem semen virile, vasi muliebri immissum, non devenit in matricem mulieris per descensum (veluti argumentum supponit) sed per attractionem, a virtute attractiva, quæ in matrice muliebri respectu seminis virilis reperitur, exercitam: prout docent Medici, & ipse etiam tenet Aristoteles *lib.* 2. *de gener. animal. cap.* 4. Confirmationem hujus si desideres, lege P. Sanchez *loc. & n. citt.*

§. II.

Expediuntur adhuc aliæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

459. & seqq. An usus Matrimonii licitus sit in quolibet loco; die Communionis; tempore diurno; tempore fluxus menstrui; prægnationis; ante absolutam in puerpera sanguinis purificationem; aut dum lactatur infans? 466. Utrum conjux dubitans de valore Matrimonii possit petere, & reddere debitum? 467. An, quoties unus conjux debitum illicite petit, alter illicite reddat?

459. QUæres primo, an usus Matrimonii licitus sit in quolibet loco?

Respondetur negative: sed prohibitus est, atque illicitus in loco publico, & sacro. In loco publico illicitum esse probat ratio scandali, quod præberetur aspicientibus: & in loco sacro, Lex Ecclesiæ, extra casum necessitatis: de quo revideri possunt dicta *part.* 2, *n.* 337. & 667.

460. Quæres secundo, an usus Matrimonii licitus sit die Communionis, quam Conjuges sumere intendunt?

Respondetur affirmative, per se loquendo, & si debitum conjugale exerceatur ex legitimo fine, ac cum moderamine. Sanchez *lib.* 9, *disp.* 13. *n.* 5, Sporer ubi supra *n.* 494. Michel *de Matrim. fol.* 731. & alii hodie communiter. Ratio est: quia exercitium debiti conjugalis, si modo præfato fiat, est actus virtutis; ergo non apparet, cur non sit licitum die Communionis.

Lex Ecclesiastica, quæ actibus venereis sive licitis, sive illicitis deditos olim (ut volunt nonnulli) ad unum diem a S. Communione removebat, hodie in desuetudinem abiit. Rationes porro, quæ in contrarium afferri solent, ad summum evincunt congruitatem, non vero obligationem a Communione abstinendi. Id quod totum relinquitur ex dictis *part.* 3. *n.* 81. ubi etiam subjunximus nonnullas animadversiones pro praxi.

461. Quæres tertio, an usus Matrimonii non solum tempore nocturno, sed etiam diurno sit licitus?

Respondetur itidem affirmative, per se loquendo, & si cæteroquin in loco occulto, remotisque arbitris, copula peragatur. DD. communiter, & praxis hactenus non improbata. Ratio est: quia licet verecundia, & lumen naturale suadeant, non tamen præcipiunt oppositum, sicut nec Lex aliqua positiva.

462. Quæres quarto, an licitus sit usus Matrimonii tempore fluxus menstrui?

Antequam ad Quæsitum respondeatur, notandum est, duplicem esse fluxum sanguinis, quem patiuntur feminæ. Unus dicitur *innaturalis*, quo velut morbo quasi continue laborant. Alter dicitur *naturalis*, qui juxta ordinem naturæ quibusdam feminis tertio quovis mense, aliis etiam singulis mensibus solet accidere, & durat frequenter ad octo circiter dies. Pat. Illsung *tract.* 6. *disput.* 9. *quæst.* 4. *artic.* 1, *num.* 130. & cum eo P. Babenstuber *tract.* 8. *part.* 7. *disput.* 4. *art.* 1. *num.* 7.

Respondetur nunc ad Quæsitum primo. Tempore menstrui innaturalis licitus est usus Matrimonii, tam petendo, quam reddendo debitum conjugale. Sanchez *libr.* 9. *disput.* 21. *numer.* 1. Babenstuber *loc. & numer. citat.* aliique communiter. Ratio est: tum quia durissimum esset, conjuges adstringere ad tam frequenter, & quasi continue abstinendum ab usu Matrimonii: tum quia ex coitu, quem conjuges tali tempore exercent, nullum proli damnum, damnive periculum creatur.

Respondetur secundo. Neque tempore menstrui naturalis, usus Matrimonii est illicitus saltem graviter. Sanchez ubi supra *n.* 5. Michel *fol.* 731. *n.* 12. Elbel *de Matrim. n.* 389. & alii satis communiter. Ratio est: quia fundamentum sententiæ contrariæ desumptum ex periculo nocendi concipiendæ proli, aut feminis incassum profundendi non urget, nec evincit interventum culpæ, saltem lethalis, in copula maritali, quæ exercetur tempore menstrui; ergo &c. Ant. prob. Nam in primis innumeri conjuges coeunt tempore menstrui, & tamen rarissime proli damnum aliquod evenit, puta ut nascatur defectuosa, morbida, leprosa &c. quemadmodum tradit Sanchez *loc. citat. numer.* 7. & quid si eveniret, an non melius esse: proli esse morbidam, defectuosam &c. quam omnino non esse? Deinde conjuges non semper tenentur a copula abstinere, quando prævident, vel autumant, ex illa non secuturam generationem, sed semen frustra profusum iri; alioquin senes, & steriles nunquam uti Matrimonio possent, contra communem sensum DD. & praxim conjugum.

Dixi in respons. *saltem graviter &c.* Nam Sanchez *loc. & num. citt.* (aliique cum ipso) censet, non defore culpam venialem, si conjuges (secluso periculo incontinentiæ, & fornicationis) coeant tempore menstrui naturalis: idque evincere nititur, haud quidem ex periculo nocendi concipiendæ prolis, aut feminis infructuose profundendi, sed ex quadam turpitudine, & indecentia interveniente in accessu mariti ad uxorem eo tempore, quo ejus natura vacat consuetæ purgationi, ipsaque minus apta est commodæ feminis receptioni, & retentioni; præterquam quod sapiat aliquam incontinentiam non expectare tempus generationi magis idoneum, brevi affuturum. At hæc ratio efficaciter probare, ac evincere non videtur aliis, & in specie P. Benedicto Schmier *Theol. Sacr. tract.* 24. q. 29. *num.* 135. interventum culpæ etiam venialis tantum in antefato coitu; unde censent, dissuadendum quidem conjugibus esse coitum tempore menstrui, non autem sub peccato, ne veniali quidem, interdicendum, præsertim si inde quærant remedium concupiscentiæ, incrementum, aut conservationem amoris conjugalis &c. Unde uxor tunc licite reddit debitum sicut & maritus licite petit, aut vicissim; imo si una pars petat, & urgeat debitum, altera reddere tenetur. Videri potest La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 322. & prælaudatus P. Schmier recte advertens, & ostendens, prælegatam turpitudinem esse solum physicam, non vero moralem, fere sicut in coitu, qui fit tempore menstrui innaturalis; nullamque tunc incontinentiam committi.

463. Quæres quinto, an licitus sit usus Matrimonii tempore prægnationis, seu quando conjux est gravida?

Respondetur primo. Quando subest probabile periculum abortus, usus Matrimonii illo tempore est graviter illicitus. Ita cum communi aliorum P. Babenstuber ubi supra *num.* 9. Ratio est: quia tunc concubitus conjugum vergit in interitum fœtus, seu prolis innocentis. Ubi tamen recte advertit Illsung *tract.* 6. *disput.* 9. *q.* 4. *art.* 1. *n.* 132. probabilitatem ejus periculi debere constare per experientiam: siquidem per se, & ordinarie nullum subest periculum propinquum abortus, ratione cujus conjugibus usu Matrimonii tunc supersedendum sit. Id etiam advertit Palao *de Sponsal. disp.* 3. *pun.* 4. §. 4. *n.* 10.

Respondetur secundo. Secluso abortus periculo, usus Matrimonii omni culpa vacat, quando exercetur tempore prægnationis. Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *pun.* 6. *num.* 11. Illsung *loc. & n. citt.* Elbel *num.* 390. & alii, utique probabilius. Ratio est: tum quia nulla Lex extat, quæ usum Matrimonii tunc vetet: tum quia esset gravissimum onus, & res mille peccandi periculis exposita, si vir toto tempore, quo uxor uterum gestat, nempe per novem menses, idque singulis fere annis, ipsaque etiam uxor, tenerentur abstinere ab usu Matrimonii, in eodem lecto cubantes. Authoritates, quæ afferuntur in contrarium, interpretandæ, ac intelligendæ sunt vel de consilio, vel de casu, in quo est periculum abortus.

464. Quæres sexto, an licitus sit usus Matrimonii tempore, quo post partum in puerpera continuatur sanguinis purificatio?

Respondetur affirmative. Et quidem culpa mortali vacare, Authores fere concordant. A veniali etiam excusat P. Schmier ubi supra *n.* 143. nosque cum ipso. Ratio est; nam illa immunditia corporis est solum materialis, & physica, non vero moralis; ergo non obstat copulæ maritali, neque hanc efficit peccaminosam, etiam venialiter tantum; sicut supra *n.* 462. de immunditia, qua menstruata laborat, dictum relinquitur. Ne-

que

que coitus, qui tali tempore exercetur, sapit aliquam incontinentiam, sed solum denotat liberum exercitium juris, conjugibus ad utendum Matrimonio competentis. Si dicas, talem coitum videri prohibitum *can. fin. dist.* 5. hisce verbis: *Nisi purgationis tempus prius transierit, mulieres viris suis non debent admisceri*: repono cum Aversa, & aliis apud La Croix *lib. 6. part.* 3. *n.* 325. & ajo, in allegato *can.* contineri consilium, non præceptum. Videri etiam potest Glossa *ibid.*

465. Quæres septimo, an licitus sit usus Matrimonii tempore, quo lactatur infans?

Respondetur itidem affirmative. Illsung ubi supra *n.* 133. La Croix *n.* 326. Elbel *num.* 390. & alii passim. Ratio est: tum quia non extat Lex prohibens; nam *can. cit.* qui & hic allegari in contrarium potest, consilium continet, non præceptum abstinendi; ut dictum: tum quia periculum inficiendi lac ex novo fœtu, & inde afferendi nocumentum infanti, qui lactatur, rarum est, teste experientia, nec tantum, ut conjugibus usum Matrimonii per integrum annum, vel ultra interdicere possit, utique in continuo peccandi discrimine sic versaturis; quemadmodum recte notant Sanchez *libr.* 9. *disp.* 22. *numer.* 14. & Michel *fol.* 372. *num.* 15.

466. Quæres octavo, an conjux dubius de valore Matrimonii possit petere, & reddere debitum?

Respondetur ad Quæsit. primo. Non potest petere, sive dein bona, sive mala fide contraxerit Matrimonium, donec, adhibita diligenti veritatis inquisitione, dubium deposuerit: potest vero, imo tenetur interea reddere conjugi, qui de valore Matrimonii non dubitat. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 1. *an.* 327. & alii passim. Ratio primi est: siquidem nunquam licet operari cum conscientia practice dubia; veluti ostensum manet *part.* 1. *num.* 77. sed petere debitum in casu posito est operari cum conscientia practice dubia, ut patet; ergo non licet petere. Ratio secundi est: quia tunc alter conjux est in possessione sui juris ad petendum debitum, qua privari nequit propter dubium, vel probabiles rationes, quas consors habet pro nullitate Matrimonii; ad talem quippe privationem requiruntur rationes certæ: atqui privaretur antefato jure, si ei debitum negaretur, ut patet; ergo &c. Sed contra hoc

Dices. Qui de valore sui Matrimonii dubitat, reddendo debitum exponit se periculo fornicationis; ergo non potest reddere.

Respondetur, dist. ant. Exponit se periculo fornicationis materialis, con. formalis, neg. ant. & conseq. Nam major est obligatio non irrogandi certam injuriam alteri conjugi, quam vitandi periculum fornicationis materialis, quod dubitans vitare nequit sine injuria alterius.

Respondetur ad Quæsit. secundo. Quando, post factam veritatis inquisitionem, dubium adhuc perseverat, dubitans petere debitum licite potest, si Matrimonium bona fide contraxerit. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 46. & 47. Michel *fol.* 724. *num.* 28. & *seq.* Schmalzgrueber ubi supra *num.* 330. cum aliis a se relatis. Ratio est: quia bonæ fidei possessor, quando dubitat, sitne res, quam possidet, sua, vel aliena, & post sufficientem veritatis inquisitionem, dubium deponere nequit, potest non tantum rem retinere, sed etiam illa uti: atqui conjux, qui bona fide Matrimonium contraxit, est bonæ fidei possessor; ergo quando dubitat, an Matrimonium valeat, adeoque an femina ducta, sit sua legitima uxor, nec ne, & dubium, post diligens examen, deponere nequit, potest non tantum uxorem retinere, sed etiam illa uti, & petendo, & reddendo debitum. Confirmatur. Bonæ fidei possessor propter dubium superveniens, quod, adhibito in veritate indaganda studio, vinci nequit, ejici sua possessione non potest: atqui conjux in casu posito est possessor bonæ fidei; ergo sua possessione ejici non potest propter dubium superveniens: consequenter sicut ante dubium exortum possederat jus utendi Matrimonio per petitionem, & redditionem debiti, ita istud retinet post exortum dubium &c.

Itaque in hoc tali casu conjux dubitans de valore Matrimonii, potest, & tenetur formare judicium practicum (licet forte dubium speculativum expellere non valeat) quo prudenter judicet, licitum sibi esse hic, & nunc usum juris conjugalis juste acquisiti, applicando communem Regulam: *In dubio melior est conditio possidentis*: vel *In dubio nemo privandus est jure semel legitime acquisito.*

Dices primo. Ante adhibitam diligentiam in investigando veritatem, non licet conjugi dubitanti petere debitum; ergo etiam post adhibitam illiusmodi diligentiam, si dubium adhuc perseveret.

Respondetur, neg. conf. & parit. Nam in priore casu operaretur conjux cum conscientia practice dubia, utpote quam non deposuisset. At in posteriore casu non operaretur cum conscientia practice dubia, utpote quam deposuisset (ut supponitur) dependenter v. g. ab hoc principio: *In dubio melior est conditio possidentis*: & formasset sibi conscientiam reflexe certam de liceitate operationis. Itaque, ante adhibitam in investiganda veritate diligentiam, conjux dubitans de valore Matrimonii, bona fide contracti, habet quidem jus, ne suo consorte spolietur (catenus enim suffragatur ipsi titulus possessionis bona fide cœptæ) non autem habet jus (subintellige proximum, & expeditum) ut suo consorte utatur, exigendo ab eo debitum, donec, adhibito ad veritatem assequendam sufficiente studio, obligationi suæ fecerit satis, & jus, antea propter dubitationem suspensum, reddiderit expeditum.

Dices secundo. In *cap.* 44. *de Sent. excom.* dicitur: *Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest* (conjux) *sed postulare non debet* &c. ergo conjux dubitans de valore Matrimonii, quando, post factam veritatis inquisitionem, dubium perseverat, non potest petere, sed tantum reddere debitum.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, *citat. cap.* esse intelligendum de conjuge, qui ad deponendum dubium requisitam veritatis inquisitionem non adhibuit: vel (ut vult Lugo infra citandus) de conjuge habente dubium unilaterale in sensu statim infra post respons. tertiam ad Quæsit. exponendo.

Respondetur jam ad Quæsit. tertio. Quando, post factam veritatis inquisitionem, dubium adhuc perseverat, dubitans etiam petere debitum licite potest casu, quo Matrimonium contraxit mala fide. Ita P. Elbel *de Matrim. n.* 146. & reipsa alii plures. Ratio est: quia licet dubitans hoc tali casu resolutionem practicam de valore, & licito usu sui Matrimonii formare non possit ex titulo possessionis, utpote mala fide cœptæ; potest tamen eandem formare ex istis v. g. principiis: *Matrimonium, cum sit causa favorabilis, in dubio valere potius, quam non valere judicandum est, arg. cap.* 3. *tertii de Probat. Post positionem actus, quando de ejus valore dubitatur, pronunciandum in utroque foro est pro valore, regulariter loquendo, & quando aliunde nihil obstat*, sicut nihil obstat in hypothesi responsionis &c.

Argumentum, quod contra hanc tertiam responsionem opponi posset, solvetur commodius infra *numer.* 645.

Supponebamus autem tam in secunda, quam in tertia respons. ad Quæsit. dubium illud de valore Matrimonii contracti esse vere tale, & bilaterale, id est, versans non tantum circa nullitatem, sed etiam circa valorem Matrimonii contracti. Si enim dubium sit unilaterale, versans circa solam nullitatem Matrimonii, adeo, ut dubitans habeat rationes pro nullitate, non item pro valore Matrimonii, debitum petere non potest. Ratio est: quia sic dubitans censetur moraliter certus (certitudine nimirum æquivalenter, & respective tali, secundum dicta *part.* 1. *numer.* 122. & 189.) de nullitate Matrimonii; ergo ei in ordine ad formandam conscientiam practicam de valore Matrimonii suffragari non possunt Regulæ, & principia in responsionibus allata; ut patet consideranti: consequenter &c. Ita reipsa Lugo *de Justit. disputat.* 17. *numer.* 88. Cardenas *in* 1. *Crisi. disputat.* 6. *a numer.* 113. La Croix *libr.* 6. *part.* 3. *numer.* 301. & *sequent.*

Ceterum ex responsionibus datis sequitur corollarie, & veluti illative. 1. Si uterque conjux dubitet de valore Matrimonii contracti, neuter potest petere, neuter reddere debitum, antequam, re sufficienter discussa, dubium practicum deponant, & conscientiam, saltem reflexe certam, sibi forment de valore, & licito usu

do &c. non peccabit saltem mortaliter, dummodo petens non videatur admodum ægre laturus, aut periculum incontinentiæ subiturus. Ratio est: quia talis tergiversatio non est simpliciter, & absolute dicta negatio debiti: & per consequens non importat injuriam gravem, ac mortaliter peccaminosam: imo nec levem, si alter statim acquiescat; cum tunc jus petendi non urgendo censeatur obligationem reddendi pro tali vice libere remittere, & condonare. Idque præsertim tenet, ac verum est, si vir debitum petat: feminæ enim ob connaturalem verecundiam, qua petunt, minus repellendæ sunt per tergiversationem: unde judicio P. Sporer *in Theolog. Sacram. part.* 4. *n.* 507. a mortali facile excusandus non est maritus, qui uxori, sese pro debiti redditione insinuanti, obsequi sine justa causa tergiversatur, sive detrectat; quia hic locum habet notum axioma: *Taciti, & expressi est eadem efficacia*. Certe autem mortaliter peccat maritus (idem hic esto judicium de uxore) quando ex indignatione, vindicta, invidia, contemptu uxoris, eidem debitum negat, vel non reddit nisi post rixas, aut magna cum difficultate. Sporer *loc. & n. citt.*

Alter casus est, quando compars petit irrationabiliter. P. Babenstuber *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 4. *art.* 1. *num.* 1. & alii passim. Ratio est: quia petitio debiti, obligans ad reddendum, debet esse humana, & rationabilis. Unde si conjux petat debitum reddendum in aliorum præsentia, non peccat alter illud denegando: si petat eadem nocte quater, non tenetur reddere quarta vice: si petat, dum est plene ebrius, aut plene amens, itidem non tenetur reddere; secus est, si tantum sit semiplene ebrius, aut semiplene amens. Ratio discriminis est: quia petitio in hoc posteriore statu, non item in priore, esset humana, & rationabilis; ut patet. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 394. & 396. cum aliis a se relatis. Porro si reddenti debitum timeatur grave incommodum, vel periculum salutis corporalis, a reddendo excusatur: quia conjuges, dum ineunt Matrimonium, promittunt propagationi speciei humanæ operam se daturos, salva tamen incolumitate suarum personarum: imo nec aliter promittere possunt; cum non sint domini suæ vitæ, magisque debeant servire suo quisque individuo conservando, quam alteri procreando. Unde si petens sit peste, lepra, lue Gallica, aliove morbo contagioso infectus, alter reddere non tenetur, quando inde sibi impendet periculum infectionis: si mulier ex Medicorum judicio, vel experientia antecedentis partus conjiceretur in periculum mortis, ex novo partu consecuturæ, a reddendo debito immunis esset: si ob multiplicationem prolium vel ipsimet conjuges, vel eorum liberi essent redigendi ad extremam inopiam, itidem cessat obligatio reddendi. Secus videtur dicendum, si tantum essent redigendi ad gravem inopiam; nam licet tunc valeat pactum de non reddendo, nec petendo debitum, ne multipliplicentur proles, & præfata inopia sequatur; imo, extra periculum incontinentiæ, idem pactum etiam liceat; secluso tamen ejusmodi pacto, negare debitum petenti titulo paupertatis tantum, non videtur permissum. Quare Confessario incumbit inculcare uxori, v. g. ut suæ obligationis memor obediat, & marito petenti debitum reddat, ne illum per continuam denegationem (nam aliquoties negando, & aliis vicibus reddendo finem intentum non assequitur) exponat periculo incontinentiæ: de cetero confidat in auxilio Dei, *qui volatilia pascit*, & piorum hominum. Gobat *in Theol. Experim. tr.* 10. *a n.* 623. Sporer ubi supra *n.* 516. La Croix *num.* 392.

Tertius casus est, quando alter non petit juste, id est, non habens jus petendi, utpote quo legitime privatus est. Ratio est: quia ubi periit jus petendi, ibi nulla potest esse obligatio reddendi; cum jus petendi, & obligatio reddendi sint correlativa, quorum uno sublato alterum subsistere nequit. Ceterum privatio illa fit vel per divortium, de quo egimus supra *a num.* 381. vel per incestum, secundum dicenda *n.* 479. vel per adulterium. Circa hoc notanda veniunt sequentia. 1. Quod adulterium conjugi innocenti debeat esse certo cognitum; nam propter suspicionem, aut probabilem opinionem de commisso adulterio alter jure certo jam quæsito, & possesso spoliari nequit. 2. Quod conjux, adulterii reus (nisi sit simul incestuosus) non ita privetur jure petendi debitum, quin possit licite petere, sed tantum, quin possit obligatorie petere, id est, petendo obligare conjugem innocentem ad reddendum: quia adulterium conjugem reum solummodo privat jure petendi ab altero conjuge usum corporis tanquam sibi debitum. 3. Quod adulter etiam obligatorie possit petere debitum, quamdiu a conjuge innocente per exceptionem non repellitur: quia adulter non privatur jure petendi debitum, nisi supposita voluntate, & quasi sententia conjugis innocentis. Solet autem adulter non repelli, vel quia conjux innocens commissionem adulterii ignorat; vel scit quidem, sed nescit, se idcirco posse uti exceptione; vel quia non vult uti exceptione. Hoc postremum si fariat, & libere debitum reddat, censetur (nisi expresse habeat intentionem contrariam) adultero remittere injuriam, nec potest amplius eidem negare debitum ratione illius adulterii, & nisi aliud, seu novum subsequatur. 4. Quod neuter conjugum privetur jure petendi debitum, quando uterque adulterii crimine se contaminavit: quia duo adulteria mutua compensatione tolluntur, *c. fin. de Adult.* Sporer ubi supra *a n.* 508. Reding *tom.* 8. *q.* 7. *art.* 1. *controv.* 3. *n.* 2. & alii apud ipsos.

Quartus casus est, quando alter conjux petit illicite, id est, absque debito fine, debito modo, aliisque circumstantiis, ad honestum copulæ maritalis exercitium requisitis. Tunc quippe plerumque cessabit obligatio reddendi; imo sæpe non erit licitum reddere, puta, quando petitio est illicita ob circumstantiam se tenentem ex parte actus conjugalis; ut si copula petatur in loco sacro, cum periculo pollutionis &c. Sed de hoc jam explicatius actum supra *n.* 467. In præsenti autem ex dictis pro prima parte conclusionis.

469. Colliges, maritum, si crebro vel seipsum polluat, vel ad alias accedat; si immoderata jejunia, vigilias, aut labores imprudenter assumat, animadvertens, se notabiliter inde impotentem reddi ad usum conjugalem, & uxori, considerata ejus complexione, satisfaciendum, peccare contra obligationem reddendi debitum, adeoque contra Justitiam, & mortaliter ex genere suo; ut proinde non satisfaciat in Confessione dicendo: *toties me pollui: tot, vel tot adulteria perpetravi &c.* sed addere debeat, se idcirco impotentem redditum ad debite satisfaciendum conjugi, maritalem copulam exigenti. Idem vicissim esto judicium de uxore, si antefato modo se gerat. Ratio est: quia conjux eadem obligatione Justitiæ, qua tenetur reddere debitum, prohibetur se efficere impotentem ad reddendum debitum. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 3. *n.* 3. & 4. Filliucius *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 10. *n.* 305. & 306. Laymann *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. Ordinarie tamen non tenetur conjux abstinere a moderatis jejuniis, vigiliis &c. tametsi advertat, suas vires aliquo modo debilitari: siquidem ad talem abstinentiam Lex conjugii non adstringit. Unde ratione debiti conjugalis reddendi non excusatur in jejuniis, ab Ecclesia præscriptis, extra casum, quo, nisi comestione carnium, aut sumptione binæ refectionis se potentiorem efficeret, conthoralis periculo incontinentiæ exponeretur. Laymann ubi supra, & alii passim; possuntque revideri, quæ tradidimus *part.* 3. *n.* 16. & 18.

470. Dico secundo. Neuter conjugum tenetur petere debitum, per se, & regulariter loquendo. DD. communissime.

Probatur. Nemo tenetur uti jure suo, cujus usus per se ad salutem corporis, & animæ non est necessarius, atque utentis commodum ita respicit, quin non usus vergat in præjudicium aliorum, sed potest eo jure cedere, *cap.* 16. *de Regular.* atqui tale jus est jus petendi debitum; ergo &c.

Dixi tamen: *per se, & regulariter loquendo*, sive ex obligatione Justitiæ, per contractum Matrimonialem inducta. Nam per accidens, & ex obligatione Charitatis conjux tenetur petere debitum, quando ex non petitione sibi, vel consorti impendere periculum incontinentiæ animadvertit; cum Lex Charitatis postulet, ut peccatum, peccatique periculum a nobis, & proximis, præsertim si commode possimus, avertamus. Sanct-Gallenses *tom.* 10. *tr.* 4. *q.* 2. *dub.* 5. Filliucius ubi supra *n.* 304. & alii communiter.

CAPUT VI.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

471. *Standum est in utroque foro pro nullitate Matrimonii, contra cujus valorem reclamavit Eusebius; eo quod quidem illud verbis absolute prolatis cum Sempronia contraxerit, antea tamen coram multis asseveraverit, se in uxorem ducturum Semproniam, si dotem mille aureorum afferret; si secus, non ducturum, & Sempronia primo statim Nuptiarum die ultro fassa sit, pro dote sibi non suppetere nisi centum aureos.* 472. *Validum non est Matrimonium, quod contraxit Eugenius cum Eugenia sub conditione, si honesta sit, quando postmodum inhoneste vixisse comprobatur.* 473. *Matrimonium, quod Eutropius cum Euphemia in favorem sui Heri, & speciesenus coram Parocho, ac Testibus celebravit, judicandum est invalidum in foro interno, validum autem in foro externo: & hinc in priore foro adigi non potest ad cohabitandum Euphemia, sed permittendus est aliam ducere; secus respective est in foro posteriore.* 474. *Eulogius non peccat, per se loquendo, contrahendo Matrimonium cum Julia contra voluntatem patris, reclamantis, & ipsi, etiam sub comminatione exheredationis, Julianam obtrudentis.* 475. *Epiphanius licite potest perpetuum instituere divortium ab Eugenia conjuge sua ob perpetratum ab ea adulterium, quamvis ipse ad hoc causam remotam, vel potius occasionem prabuerit, illam a se abigendo, & alimenta negando.* 476. *Evagrius tenetur recipere suam conjugem, a qua ob adulterium ab ea commissum feceras divortium authoritate, & sententia Judicis, si postmodum & ipse sit prolapsus in adulterium.* 477. *Quando Emericus suam conjugem ob patratum adulterium dimissam revocat, ea tenetur redire ad conjugaliter cohabitandum, nisi forte interea statum mutaverit.* 478. *Emeranus Mercatur, dum mercimoniorum causa se confert in Brussiam, ac suam Sponsam, ut & ipsa exteras videat oras, comitem habet, valide ibidem contrahit Matrimonium clandestinum: non item, si se illuc conferret pracise animo ibi ineundi clam Matrimonium,* 479. *Matrimonium, quod Eucatianus & anima sua, & prolium legitimationi prospicere volens, cum sua concubina clam contrahit in articulo mortis, nec in vim Matrimonii, nec in vim Sponsalium valet.* 480. *Euphrosina valide cum suo Sponso init Matrimonium coram Testibus, & Parocho, ut ut hic invitus sit, atque reclamet.* 481. *Elisabetha, esto obtinuerit ab Ordinario licentiam cum paris conditionis Juvene (ejus nomine, & familia non expressis) contrahendi Matrimonium coram Sacerdote non Parocho, invalide nihilominus coram tali Sacerdote contrahit cum Elisao, paris quidem cum ipsa conditionis Juvene, sed cur ab eodem Ordinario propter litem super Sponsalibus, & defloratione cum Caja pendentem, ne quid in istius prajudicium innovaret, Matrimonium fuerat interdictum.* 482. *Eligius maritus, dum carnaliter cum sua uxoris consanguinea in secundo gradu congreditur, sciens gravitatem delicti, etiam ut ab Ecclesia specialiter prohibiti, incurrit pœnam privativam juris ad petendum debitum conjugale, etiamsi hanc invincibiliter ignoret &c.* 483. *Qualiter Eulalia a Confessario judicanda, dum confitetur, se cum suo marito exercere non raro tactus, oscula, amplexus mutuos in corpore: miscere sermones de copula invicem habita, & habenda: coire modo, & situ non consueto; attamen debito vase servato, & citra periculum seminis extra effundendi?*

CASUS I.

471. *Eusebius, Juvenis non bonis fortuna, sed natura dives, contraxit Matrimonium cum Sempronia verbis absolute, & sine adjecta conditione prolatis. Sed quoniam paulo ante celebrationem dicti Matrimonii coram multis iterato asseveraverat, se in uxorem ducturum Semproniam, si dotem mille aureorum afferret; si secus, non ducturum, & Sempronia primo statim Nuptiarum die ultro fassa erat, pro dote sibi non suppetere nisi centum aureos, Eusebius contra Matrimonii valorem reclamavit, seseque a toro, & carnali commercio cum Sempronia abstinuit. Standumne pro valore, vel nullitate Matrimonii sic contracti?*

Respondetur, standum esse pro nullitate, & quidem in utroque foro. Ita cum Sanchezio, Basilio Pontio, Filliucio, Reginaldo, & Pignatelli P. La Croix *lib. 6. part. 3. num.* 247. Ratio est: quia si satis constet, defecisse consensum ex parte saltem unius contrahentis, ad validitatem Matrimonii exactum, standum est pro nullitate Matrimonii in utroque foro: atqui in Casu satis constat, defecisse consensum ex parte unius contrahentis, nempe Eusebii, ad validitatem Matrimonii exactum; ergo standum est pro nullitate Matrimonii in utroque foro. Maj. est extra controversiam. Min. prob. Nam Eusebius per verba, ante celebrationem Matrimonii coram aliis iterato, & tam asseveranter prolata, *se non ducturum Semproniam, nisi in dotem afferat mille aureos*, satis indicavit, suum consensum in contrahendo fore alligandum eventui memoratæ conditionis; proindeque nullum, conditione non eveniente: cum igitur conditio non evenerit, seu substiterit, satis constat, defecisse, seu nullum fuisse consensum ex parte Eusebii, ad validitatem Matrimonii exactum; consequenter &c. Nec præsumi Eusebius potest priorem suam voluntatem mutasse, dum postea in contrahendo nullam apposuit conditionem: contrarium quippe satis ostendit gemino signo, dum, intellecta conditionis deficientia, actuum reclamavit contra valorem Matrimonii, ac insuper cum Sempronia idcirco noluit commisceri. Non igitur a priore sua voluntate recessisse, sed potius in ea virtualiter perstitisse censendus est.

Dices primo, In *capit.* 10. *de Probat.* dicitur: *Nimis indignum est (juxta legitimas Sanctiones) ut, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare*: sed Eusebius, dum iniit cum Sempronia Matrimonium, propria voce dilucide protestatus est, se eam ducere absolute, & sine adjecta conditione, utpote qualem verba contrahentis non expressere; ergo indignum est (juxta legitimas Sanctiones) ut illam voluntatem, seu consensum suum proprio valeat testimonio infirmare, dictitando, se conditionate contraxisse; ergo infirmare nitenti fides adhibenda non est saltem in foro externo.

Respondetur, id, quod in adducto textu, & formato inde argumento dicitur, ad summum tenere, quando ad tale testimonium non accedunt aliæ conjecturæ, & adminicula, facientia cum illo certitudinem moralem; non autem, quando accedunt, uti accedunt in Casu, utpote in quo antecesserat voluntas contrahendi conditionata tantum, coram aliis expresse, ac iterato declarata, nec revocata, sed virtualiter continuata; prout aperte indicant, & reclamatio contra valorem Matrimonii immediate ab Eusebio opposita, & abstinentia a carnali commercio cum Sempronia. Videri potest Sanchez *lib.* 2, *disp.* 45. *n.* 7.

Dices secundo, Quando dubitatur, an Matrimonium jam contractum valeat, nec ne, standum, & pronunciandum est pro ejus valore, non pro nullitate, *cap. fin. de Sent. & re judic.* sed in Casu dubitatur, an Matrimonium jam contractum valeat, nec ne; ergo standum, & pronunciandum est pro ejus valore, non pro nullitate.

Respondetur, explicando, & dist. min. Dubitatur &c. attento præcise dicto Eusebii, transeat, attentis etiam circumstantiis, & adminiculis, quibus dictum Eusebii firmatur, neg. min. Sic enim habetur de nullitate Matrimonii certitudo moralis veluti reflexa, cum dubio saltem practico incompatibilis circa unam, eandemque rem, seu objectum. Unde dist. etiam conseq. standum, & pronunciandum est pro valore &c. attento præcise dicto Eusebii, transeat (solum quippe tenet pro foro externo) attentis etiam circumstantiis, & adminiculis, quibus dictum Eusebii firmatur, neg. conseq.

CA-

CASUS II.

472. *Eugenius, Juvenis dives opum, de Sponsa non quidem opulenta, sed elegantis forma juxta, ac honestæ vitæ, sibi prospicere meditans, incidit in Eugeniam raræ pulchritudinis puellam, de cujus tamen vita, & conversatione nullam adhuc notitiam habet, neque tam cito habere potest. Unde celebrat quidem cum illa Nuptias coram Parocho, & Testibus (præmissis de more proclamationibus) sed sub conditione, si honesta sit Eugenia, seu vitam hucusque duxerit honestam; cujus proinde testimonium ab ea expetit, tempore opportuno exhibendum; quod ipsa etiam exhibere pollicetur intra quatuor circiter septimanas. Interea Eugenius, suæ Sponsæ pulchritudine, & amore illectus, cum eadem carnaliter congreditur terque, quaterque, non expectato, quod desideraverat, testimonio. His peractis, & elapso quatuor, vel etiam quinque septimanarum spatio, tantum abest, ut Eugenia promissum testimonium obtinere, atque producere queat, ut potius Eugenio per duos, vel tres testes, omni exceptione majores, innotescat contrarium, videlicet Eugeniam per quatuor fere annos vitam omnino lubricam duxisse. Quæritur, an Matrimonium, quod Eugenius cum Eugenia antefato modo contraxit, validum consistat?*

RESpondetur, non consistere validum. Ita DD. communiter, & fluit ex dictis *n.* 344. *in respons. ad 4. argum.* Ratio est: quia conditio de præsenti, vel præterito ejus est naturæ, & indolis, ut, dum adjicitur Matrimonio, huic statim tribuat absolutum valorem, si ipsa subsistat tempore contractus, vel absolutam nullitatem, si ipsa deficiat, seu non subsistat, ex dictis *n.* 341. atqui conditio, quam Eugenius Matrimonio in Casu adjecit, est hujusmodi, & defecit tempore contractus: prout liquet ex Specie Facti; ergo statim tribuit Matrimonio non valorem, sed nullitatem absolutam. Verum contra hanc rationem responsionis probativam, ipsamque etiam responsionem.

Dices primo. Conditio impossibilis, etiam de præsenti, vel præterito, quando non repugnat substantiæ Matrimonii, cui apponitur, habetur pro non adjecta, nec vitiat, seu invalidat Matrimonium, quamvis ipsa vitietur, seu non subsistat: prout cum communi aliorum tradidimus *n.* 344. atqui hæc conditio, *si honesta sit Eugenia*, in Specie Facti est de classe conditionum impossibilium; cum impossibile sit, inhonestam esse honestam, defloratam virginem, corruptam non corruptam; nec repugnat substantiæ Matrimonii; ergo habetur pro non adjecta, nec vitiat, seu invalidat Matrimonium &c.

Respondetur, majorem argumenti, ac doctrinam *cit. n.* 344. a nobis traditam, uti & dispositionem *cap. fin. de Condit. apposit.* intelligi debere de conditionibus per se, & absolute impossibilibus, non autem per accidens tantum, & hypothetice impossibilibus: conditio autem illa, *si es honesta*, est quidem impossibilis respectu Eugeniæ, ceu inhonestæ, sed per accidens solum, & ex hypothesi, quod inhoneste vixerit; non autem per se, & absolute, seu ita, ut nunquam fuerit possibilis. Id quod totum relinquitur ex dictis *cit. n.* 344. *in respons. ad 4. argum.*

Dices secundo. Eugenius hoc ipso, quod carnaliter cum Eugenia congressus sit post Matrimonium coram Parocho, & Testibus conditionate contractum, præsumendus est a conditione recessisse, & substituisse consensum absolutum; ergo Matrimonium jam consistit validum. Ant. prob. Nam qui ante adventum conditionis cognoscit carnaliter Sponsam, præsumitur accedere affectu maritali, non fornicario, adeoque recedere a conditione, seu velle, eam haberi pro non apposita, juxta *cap. 6. de Condit. apposit.* cum quis licite potius, quam illicite agere velle præsumendus sit, *leg. merito, ff. pro soc.* ergo supposito, vel præsumpto illiusmodi affectu, & accessu maritali, Matrimonium, antea coram Parocho, & Testibus contractum, consistit absolute validum, vel saltem in foro externo tale præsumitur.

Respondetur, quod huic argumento vis inesset, si Eugenius cum Eugenia Matrimonium contraxisset sub conditione de futuro, actus quoad valorem absolutum suspensiva (de tali quippe hypothesi procedit, quod in utroque enthymemate commemoratum est) non autem, si Eugenius ponatur (sicut ponitur in Casu) cum Eugenia Matrimonium contraxisse sub conditione de præsenti, vel præterito: siquidem Matrimonium sub tali conditione initum, statim atque initum fuit, irritum fuit propter non existentiam, seu deficientiam conditionis, nec revalidabile per copulam subsecutam: uti cum aliis expresse, & quam optime tradit Covarruvias *in 4. Decret. part. 2. cap. 3. §. 1. n. 13.* hisce omnino verbis: *Si post defectum conditionis sequitur copula, nil conducit ad conjugii præsumptionem, cum jam promissum Matrimonium omnino defecerit.* Videri etiam potest P. Gobat *lib. 10. n. 457.*

CASUS III.

473. *Euphemius, sua nuper conjuge orbatus, cum peracres carnis stimulos pateretur, copiam corporis sibi fieri ab Euphemia ancilla postulat, impetratque sæpius, præmissa Matrimonii promissione in eventum, quo ingravidata fuerit. Fœtu concepto, Euphemius, ut dispendium famæ, & executionem Sponsalium, cum Euphemia initorum, declinet, subornat, proposita notabili pecuniarum quantitate, Eutropium famulum suum, ut ipse se patrem prolis mentiatur, & celebret, saltem specietenus, cum Euphemia jam ad id persuasa Matrimonium. Obsequuntur famulus, & famula, factisque de more proclamationibus, copulari se curant coram Parocho, & Testibus, non tam animo vere contrahendi, quam studio gratificandi suo Hero, & promissis ab eo pecuniis potiundi: id quod testati sunt ipso facto; nam celebratis antefata ratione Nuptiis, non modo nullum actum conjugalem exercuerunt, sed postera mox die, divisis inter se, quas statim post Nuptias ab Hero acceperant, pecuniis, & Herum, & locum deserunt, alioque migrant ab invicem separati. Quæritur jam 1. An Matrimonium Eutropii cum Euphemia judicandum sit validum? & consequenter 2. An non possint procedere ad alias, seu cum aliis personis celebrandas Nuptias? vel vero 3. potius adigi valeant ad cohabitandum, ac reddendum alter alteri petenti debitum?*

RESpondetur primo ad primum membrum Casus, Matrimonium Eutropii cum Euphemia in foro interno judicandum esse invalidum; in foro autem externo validum. Ratio primi est: quia ex parte utriusque contrahentis *defuit omnino consensus* (quemadmodum liquet ex Specie Facti) *sine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale* (sunt verba *cap. 26. de Sponsal. & Matrimon.*) ergo Matrimonium reipsa fuit invalidum, & ut tale in foro interno, utpote in quo sola attenditur veritas victrix præsumptionis, judicandum. Ratio secundi est opposita: siquidem Forum externum nititur præsumptione, quando veritas, cui præsumptio cedat, non constat, nec probari potest: atqui in Casu pro valore Matrimonii adest præsumptio, & quidem Juris de Jure, formata scilicet ex verbis in contrahendo adhibitis, & verum utriusque consensum significantibus, neque veritas constat, aut probari potest, cum contra præsumptionem Juris de Jure non admittatur probatio, *capit. 30. de Sponsal.* ergo Matrimonium in Casu a Tribunali, & foro externo judicandum est validum. Supponimus autem hic, quod Eutropius simulationem non probet: hoc namque si fieret, oppositum foret decidendum, conformiter dictis *num.* 117. *in Except.* Pergendo autem in nostro supposito,

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, Eutropium, & Euphemiam in foro interno libere, & secure posse transire ad alias Nuptias; non item in foro externo. Ratio primi est: quia in foro interno, & reipsa sunt personæ solutæ, nec irretitæ impedimento ligaminis, utpote quod non inducitur nisi a Matrimonio valido, quale in tali foro non judicatur Matrimonium Eutropii cum Euphemia. Unde si Eutropius, & Euphemia versentur in regione remota, in qua de Matrimonio ab ipsis antecedenter contracto haud constat, non prohibentur cum aliis contrahere. Ratio secundi est itidem opposita: quia in foro externo, in quo Matrimonium judicatur validum, Eutropius, & Euphemia præsumuntur veri

conjuges adeoque irretiti impedimento ligaminis, quod nisi forte Pontificia dispensatione sublatum sit) ab alio Matrimonio contrahendo retrahit, atque arcet irretitos. Unde si Eutropius, & Euphemia existant in loco, in quo habetur notitia de eorum Matrimonio prævie inito, cum aliis contrahere non permittentur. P. La Croix *lib. 6. part. 3. n. 274.*

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus, Eutropium, & Euphemiam in foro interno non posse adigi ad cohabitandum, ac reddendum debitum; posse vero adigi in foro externo, licet quoad redditionem debiti parere non possint. Ratio primi est: quia Matrimonium eorum in foro interno est invalidum; ergo ipsos non obligat ad cohabitandum, & reddendum debitum, imo (saltem ad reddendum debitum) ne quidem licentiat; prout liquebit ex immediate dicendis. Ratio secundi rursus est opposita: quia eorum Matrimonium in foro externo præsumitur, & judicatur validum; ergo in hoc tali foro ad præstandas obligationes, ex Matrimonio resultare natas, adigi possunt per Sententiam Judicis Ecclesiastici, etiam excommunicationis illativam: licet quoad redditionem debiti parere non possint, utpote quæ a parte rei esset vera fornicatio, intrinsece mala, & nec per authoritatem Judicis, nec alio modo cohonestabilis; prout constat ex *propositione 48. inter damnatas ab Innocentio XI.* quæ sic sonat: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. Deberent ergo potius excommunicationis sententiam* (quæ tamen animam non ligaret, ut alibi dictum) *humiliter sustinere, quam per commercium carnale* (per redditionem debiti) *peccatum operari mortale, cap. 44. de Sent. excom.*

C A S U S IV.

474. *Eulogius ambit Nuptias se dignas cum Julia nobili virgine: quod & aperit patri; sed hic reclamat, & obtrudit filio Julianam, paris nobilitatis puellam, graviter minitans, imo etiam exhæredationem intentans, ni pareat, & abjecta cogitatione de ineundo Matrimonio cum Julia, contrahat cum Juliana. Attamen Eulogius, neglectis minis paternis, copulari se facit cum Julia, ad quam magis, ac ad Julianam afficitur. Quæritur, an Eulogius peccet contra reverentiam patri debitam?*

Respondetur negative, per se loquendo. Tenetur responsio a Doctore Angelico, 2. 2. q. 104. *art. 5. in Corp.* & Doctore Subtili *in 4. dist. 29. q. unic. ad fin.* quibus subscribunt Sanchez *lib. 4. de Matrim. disp. 23. num.* 10. Burghaber *centur. 3. cas. 55.* Reiffenstuel *lib. 4. tit. 1. n. 25.* & alii passim. Ratio est: quia *cap. 12. de Regular.* habetur, quod liberi *liberum habeant arbitrium, & in electione propositi* (seu status) *sequi parentum non cogantur voluntatem*: atqui Eulogius in Casu eligit statum, nempe Matrimonii; ergo liberum habet arbitrium, & sequi parentum non cogitur voluntatem; ergo contra voluntatem, & consensum patris ineundo cum Julia Matrimonium non peccat, per se loquendo: fere sicut non peccaret, si contra voluntatem patris intraret Religionem, ex dictis *part. 3. n.* 584. Confirmatur ex Doctore Angelico (quocum concordat authoritas Doctoris Subtilis) qui *loc. cit.* inquit: *Inferior non tenetur obedire Superiori suo si ei aliquid præcipiat, in quo illi non subditur*; indeque infert, quod homo in iis, *quæ ad naturam corporis pertinent, non teneatur homini obedire*, puta in iis, quæ pertinent ad hominis sustentationem, & prolis generationem; ac tandem concludit hisce verbis: *Unde non tenentur filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel Virginitate servanda*. Ergo &c.

Dixi autem: *per se loquendo*, & supposito, quod pater non habeat justam causam contradicendi. Nam per accidens, & supposito, quod pater habet justam contradicendi causam, Eulogius contrahendo Matrimonium cum Julia contra voluntatem patris illicite agit (secundum dicta *n. 170. in limitatione conclus.*) non tamen invalide; prout definit Tridentinum *Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* ubi anathemate percellit *affirmantes, Matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*. Neque etiam tali casu pater exhæredare filium posset: prout colligitur, imo fluit ex dictis *part. 4. n. 737.* quæ relege.

C A S U S V.

475. *Epiphanius, homo ferus, Eugeniam conjugem suam primo asperis verbis, deinde etiam verberibus non infrequenter excipit; & tandem omnino a se abigit, nec tamen ipsi de vita sustentatione providet. Sic deserta Eugenia, impellente paupertate, consentit in adulterium, cum Eustachio liberalem mercedem pollicente committendum. Quod ubi rescit Epiphanius, perpetuum divortium instituere cogitat ab Eugenia, ob commissum ab ea adulterium. Quæritur, an id facere licite, & jure possit?*

Respondetur affirmative. Ita Dicastillo *de Matrim. disp. 8. n. 37.* Burghaber *centur. 3. cas. 27.* Reiffenstuel *lib. 4. tit. 4. n. 70.* & alii contra alios, qui tamen nobiscum conciliari posse videntur, prout infra annotabimus. Interim nostra responsio ad Casum aperte colligitur ex *capit. 4. de Divort.* ubi sic habetur: *Mulier non continuit, sed sobolem de alio viro suscepit, nec minus postulat viro restitui, asserens, se ab ipso injuste dimissam, & eundem sibi materiam adulterandi dedisse -- quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet &c.* Confirmatur. Maritus non censetur consentire in adulterium uxoris, quod nec prudenter prævidere potuit, nec intendit, esto ad id causam aliquam remotam præbeat, v. g. debitum conjugale, aut alimenta negando, ex domo ejectæ non cohabitando &c. atqui Epiphanius in Casu nec prudenter prævidere potuit, nec intendit (ut supponitur) adulterium Eugeniæ, esto ad id causam remotam, vel potius occasionem præbuerit, illam a se abigendo, & alimenta negando; ergo non censetur in Eugeniæ adulterium consensisse, etiam tacite solum, ac indirecte; consequenter non apparet, quare privetur suo jure instituendi perpetuum ab adultera divortium. Major ostenditur, & declaratur: siquidem uxor agere tunc deberet contra maritum, & petere alimenta; interea autem mala potius pati omnia, quam in corpus suum peccare, aut malo tanto consentire, *can. 3. caus. 33. quæst. 2. cap. de His, quæ vi, metusve caus. l. 43. ff. de Rit. Nupt.* ubi Ulpianus loquit: *Neque enim ignoscendum est ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam agit.*

Dices. *Can. 20. caus. 27. q. 2.* sic sonat: *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam* (id est, occasionem, ut exponit Glossa *ibid.*) *& peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ*: quæ occasio est urgentior, quando uxor domo expellitur, & abigitur, alimentisque privatur, ut in Casu; tunc enim debito, cohabitatione, ac sustentatione defraudatur; ergo peccatum, seu adulterium Eugeniæ in Casu imputatur Epiphanio; ergo propter illud repudiare Eugeniam non potest per divortium; cum sit communis doctrina Theologorum, quod maritus divertere non possit ab uxore propter hujus adulterium, in quod ipse, saltem indirecte, ac tacite consensit, quodque ipsi ad culpam imputatur.

Respondetur, neg. utramque cons. Siquidem Epiphanius in Casu non dedit Eugeniæ causam, sive occasionem proximam adulterandi, sed remotam duntaxat, propter quam ei peccatum adulterii imputari non potuit, nec eundem privare jure instituendi divortium, sibi competente propter adulterium ab Eugenia commissum; cum ipsam (videlicet Eugeniam) non conjecerit in periculum proximum adulterandi; nec prudenter potuerit prævidere, vel intenderit crimen adulterii, ab Eugenia perpetratum: id quod colligitur ex Specie Facti, penitius considerata, & perpensa. *Can. cit.* in antecedente intelligendus venit de Casu, quo maritus per denegationem debiti exponit uxorem proximo periculo incontinentiæ, sive adulterii; vel quo prudenter prævidere potest, aut intendit uxoris adulterium: sic quippe censetur consentire in peccatum adulterii, sibi imputabile; prout indigitant ultima verba *can. cit.* Videri possunt Krimer *lib. 4. tit. 19. n. 2430.*

Schmalz-

Schmalzgrueber *ibid.* a. 106. *ad fin.* La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 433. Quare si Authores adversi loquantur de istbac hypothesi (de qua plane loqui videntur) a nobis non dissident.

CASUS VI.

476. *Evagrius, Vir primæ Nobilitatis, & Officio militari clarus, illustrante, & movente Divini Spiritus gratia, Lutheranismum, in quo natus, educatusque erat, & huc usque vivebat, post maturam deliberationem abjuravit, Catholica Sacra professus una cum sua Illustrissima Conjuge, dum ambo in hybernis agerent. Contigit autem brevi post utriusque conversionem, ut Evagrius inaudiret, & certo comperiret, conjugem suam, cujus fidei conjugali vel arcem se inædificare posse hactenus existimaverat, cum alio belli Duce carnaliter congressam, & adulterii ream esse. Quo ita comperto, acriter offensus, conjugisque pertæsus, Judicis Ecclesiastici Officium imploravit, & per ipsius sententiam petiit, impetravitque separationem ab adultera, sive divortium. Sed vix duo effluxere menses, etiam ipse prolabitur in adulterium. Quæritur jam, an Evagrius, facto per sententiam Judicis divortio, teneatur, adulteram dimissam recipere, sicut recipere teneretur* (secundum dicta n. 384.) *si propria authoritate fecisset divortium, & postmodum in crimen adulterii lapsus esset?*

RESpondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent Coninck *disput.* 35. *a n.* 13. Palan *tr.* 28. *disp.* 3. *pun.* 6. §. 6. *n.* 11. Engel *lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 15. Reiffenstuel *ibid. n.* 87. & alii contra alios. Ratio est: quia sicut ipsum adulterium, ac Jura, ita & sententia Judicis, non absolute tribuit jus divertendi, sed solum conditionate, nisi nempe etiam innocens postea in crimen adulterii prolabatur. Confirmatur. Per sententiam Judicis non fuit datum Evagrio jus fornicandi, sive adulterandi, sed tantum jus separandi se a sua conjuge quoad cohabitationem, & torum, quandiu ipse innocens est; ergo, innocentia per adulterium deperdita, etiam amisit jus memoratæ separationis: consequenter &c.

Dices primo. *Can.* 6. *cauf.* 6. *q.* 4. habetur, non esse retractandum, quod semel est bene decisum. Secundo. Etsi adulterii exceptio alio adulterio extinguatur, exceptio tamen rei judicatæ aboleri non potest, adulterio post sententiam admisso. Ergo &c.

Respondetur. Et quidem ad primum, concedendo, rite decisum non esse retractandum ex illis causis, ex quibus decisum est; posse tamen retractari, quando nova supervenit causa: neque hæc talis retractatio tam est retractatio prioris sententiæ, quam decisio novæ causæ. Ad secundum, concedendo, exceptionem rei judicatæ semper nocenti obstare, ne possit in dubium revocare sententiam latam; non tamen obstare, quin ob aliam causam, denuo supervenientem, litem intentet, novamque sententiam postulet. Unde neg. cons.

CASUS VII.

477. *Emericus, postquam probe, certoque cognoverat, uxorem suam duplicis adulterii ream esse, sine longiori cunctatione ab eadem divertit, inque statu separationis plus, quam biennium transegit. Ast tandem hujus solitariæ, & quasi cælibis vitæ pertæsus, acribusque præterea carnis stimulis agitatus, in animum induxit uxorem revocare, & conjugalem cum ea vitam restaurare. Quapropter ad illam, in loco non multum dissito habitantem, ablegat fidelem nuncium cum literis veniam delictorum, & petitionem reditus asseveranter, ac sincere continentibus. Quæritur, an uxor ad conjugaliter cohabitandum redire teneatur?*

RESpondetur affirmative, nisi forte interea statum mutaverit. Ita S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 35. *art. un. q.* 5. Basilius Pontius *lib.* 9. *de Matrim. c.* 19. *a n.* 1. Bosco *disp.* 10. *sect.* 16. *conclus.* 10. Engel *libr.* 4. *tit.* 19. *n.* 19. Reiffenstuel *ibid. n.* 100. & alii passim. Ratio est: quia divortium ex causa adulterii præcipue in gratiam innocentis concessum est (ex sæpe dictis) ergo non debet in ejus odium, & incommodum detorqueri, per *Regulis Juris* 61. *in* 6. Idque procedit etiam in casu, quo divortium celebratum est per sententiam Judicis: siquidem, præterquam quod sententia non debeat prodesse reo, contra quem lata est, *l.* 16. *ff. de Exceptione rei judicatæ*, innocens per sententiam nullum amisit jus (secundum dicta *n. præced.*) neque nocens obligatione revertendi aliter liberatus est, quam sub conditione, nisi fuerit ab innocente revocatus.

Dixi in respons. *nisi forte interea statum mutaverit*, *v. g.* Religioni se addixerit. Sed occasione hujus,

Petes, an ergo stante divortio, per adulterium inducto, liceat uni, vel utrique conjugum, mutare statum, ingrediendo Religionem, vel Ordines Sacros suscipiendo respective?

Respondetur primo, innocenti certo licere, tametsi nocens invitus sit, vel reclamet. Ratio est: quia nocens, seu adulter jus conjugale, quod solum ex parte innocentis obsistere posset assumptioni talis status, amisit.

Respondetur secundo, nocenti e diverso per se, & regulariter non licere, quamvis divortium factum sit per sententiam Judicis. Pichler *lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 14. & alii. Ratio est: quia divortium, etsi authoritate Judicis institutum, nocentem non eximit ab obligatione cohabitationis, & tori conjugalis; veluti constat ex proxime dictis. Itaque ex parte nocentis manet integra obligatio redeundi ad consortium innocentis, si hic petierit; adeoque nullum ponendi obstaculum, quo reditus præcludatur; quale tamen obstaculum poneret, si Statum Regularem, aut Clericalem, cum consortio conjugali incompassibilem, assumeret; consequenter &c.

Dixi: *per se, & regulariter*. Excipitur enim 1. Si nocens petat, & obtineat ab innocente licentiam ejusmodi statum assumendi. 2. Si innocens ipse prius talem statum assumpserit. 3. Si nocens jam emendatus sæpius reconciliationem petat, & innocens deneget; quia hac tali denegatione innuit, saltem tacite, nolle se unquam sibi nocentem reconciliari, adeoque omnem spem reconciliationis præcisam esse; præcisa autem tali spe, injuste, & irrationabiliter vellet, nocentem de suo statu semper existere suspensum.

CASUS VIII.

478. *Emeranus, mercator Viennensis admodum opulentus, cum Emerentiana, puella æque opulenta, init Sponsalia, anno proxime secuturo per solemnem Matrimonii celebrationem executioni mandanda. Interea Emeranus mercimoniorum causa se confert in Brussiam, ac Emerentianam, ut & ipsa exteras videat oras, regionesque, sibi comitem, ac sociam itineris jungit. Sed quoniam in via aliquoties habuere commercium carnale, & sibi necdum (uti bene sciebant) licitum, ad evitanda imposterum peccata, peccatorumque pericula præcludenda, constituunt anticipare terminum Sponsalibus præfixum, & extemplo Matrimonium contrahere; quod & faciunt coram aliis Mercatoribus in eodem hospitio commorantibus. Quæritur, an valide?*

RESpondetur affirmative. Ita Sanchez *lib.* 3. *disp.* 18. *n.* 28. Bosco *disp.* 11. *sect.* 9. *conclus.* 6. Engel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 20. Reiffenstuel *ibid. n.* 123. & alii satis communiter, sumiturque *ex c.* 1. *de Sponsal. & c. fin. de For. compet.* Ratio est: quia peregrini recte celebrant contractus juxta leges, & consuetudines locorum, ubi existunt, nec egressi e suis locis obligantur legibus eorum; veluti ex professo ostendimus *part.* 1. *n.* 141. cum ergo in Brussia, ubi Emeranus, Emerentiana modo tanquam peregrini existunt, Decretum Tridentini, de contrahendo sub nullitate actus Matrimonio coram Parocho, Testibus, promulgatum non sit (prout insinuavimus *n.* 403.) recte (quantum ad valorem actus) contrahunt Matrimonium, haud secus, ac recte, & valide contraherent, si Decretum prædictum nunquam emanasset.

Dixi per parenthesin: *quantum ad valorem actus*. Negari quippe non potest, Matrimonium etiam in tali loco, ubi Decretum Tridentini vel nunquam promulgatum, vel contrario usu rursus abrogatum est, illicite contrahi absque Parocho, & Testibus. Ratio hujus est: quia Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de Reform. Matr.* inter alia habet hæc verba: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa* (Matrimonia nempe clandestina)

semper

semper detestata est, atque prohibuit: quæ antiqua prohibitio nunquam fuit revocata, neque vim obligandi amisit: consequenter &c. Filliucius *tr.10. part.1. cap.5. n.166.* & Palao *de Sponsal. disp.2. pun.13.§.8. n.3. ac 4.* Sed contra respons. ad Quæsit.

Dices. Trid. in Decreto immediate commemorato ad contrahendum sine Parocho, & Testibus Matrimonium inhabilitavit ipsas personas; ergo hæc inhabilitas est personalis, & comitatur personas, quocunque ierint; ergo istæ ad contrahendum sine Parocho, & Testibus Matrimonium inhabiles manent, etiamsi egrediantur (quacunque de causa) in locum, ubi Decretum Tridentini non viget.

Respondetur, neg. utranque cons. Nam inhabilitatio personarum, non inflicta per sententiam specialem, sed per decretum generale pro existentibus in aliquo loco, afficit locum, & existentes in tali loco; siquidem ejusmodi decretum imitatur naturam Legis, quæ respicit territorium, adeoque inhabilitas, per illud statuta, localis est, non personalis &c.

Sed quid si Emeranus cum Emerentiana se contulisset in Brussiam non mercimoniorum causa, vel alio simili fine, sed ex sola intentione ibi clandestinum contrahendi Matrimonium, contraxissetque nihilominus valide?

Respondetur negative. Ita Cardinalis de Lugo *Respons. Moral. lib.1. dub.36.* Boscn ubi supra. Gobat *in Theol. Experim. tr.9. num.481.* VVex *in Ariadn. part.5. tr.2. §.4. n.29.* VViestner *lib.4. tit.3. num.39.* Schmalzgrueber *ibid. n.112.* Pichler *n.14.* & alii de facto communiter contra Sanchez, Coninck, Basilium Pontium, & alios. Ratio est: quia ex una parte Lex Tridentini irritat Matrimonia clandestina (*citt. Sess.24. & cap.1. de Reform. Matrim.*) propter generale periculum, ne iterum dissolvantur, & contrahantur alia; quæ ratio etiam pugnat in egredientibus ex sola intentione clam contrahendi: ex altera vero parte non apparet fundamentum prudens præsumendi, dictam Legem cessare, & permittere egressum præcise ex tali intentione, & fine; præsertim cum ejusmodi egressum manere prohibitum, ipsamque Legem irritantem tunc perseverare, & stringere, habeatur ex Declaratione Cardinalium approbata ab Urbano VIII. die 14. April. 1627. per speciale Breva, quod ex autographo refert Lugo, & Decretis Synodalibus Archi Diœceseos Coloniensis ann.1662. insertum est, ac insuper non modo in Archi-Episcopatu Coloniensi, & eidem subjectis Episcopatibus, sed etiam in aliis Germaniæ Diœcesibus videtur esse receptum. Sed contra hanc respons.

Dices primo. Contractus sunt regulandi secundum Leges loci, in quo ineuntur: sed Matrimonium est contractus; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Si non obstet Exceptio, aut Lex aliqua, con. si obstet, neg. maj. Impræsentiarum obstat Lex Tridentini, ut explicata a Cardd. approbante Urbano VIII. secundum immediate dicta.

Dices secundo. Nemo obligatur legibus sui territorii, dum extra hoc existit; unde si subditus exeat e suo territorio, in quo est jejunium, & accedat ad aliud, non tenetur hic jejunare, secundum principia doctrinæ traditæ *part.1. n.421. & 439.* quamvis id faciat præcise ea intentione, ut se a jejunio eximat; ergo si Matrimonium contrahere volentes exeant e suo territorio, in quo prædicta Constitutio Tridentini viget, in territorium, ubi non viget, ea Constitutione non adstringuntur; adeoque valide ineunt Matrimonium sine præsentia Parochi, & Testium, quamvis exeant præcise ea intentione, ut ibi clam contrahant, & hoc facto ilicet ad suum territorium revertantur.

Respondetur, dist. ant. sicut prius, Si non obstet specialis aliqua Lex, uti non obstat in exemplo de jejunio, con. si obstet, uti in proposito Lex Tridentini, ex dictis, neg. ant. & cons. Ille, qui egreditur e suo territorio, in quo est jejunium, ad territorium, in quo non est jejunium, eximitur ab obligatione jejunandi, quia, cum egressus, etsi fiat ex præcisa intentione excutiendi obligationem jejunii, nulla speciali Lege illi prohibitus sit, utitur jure suo, neque agit in fraudem Legis; ut proinde hic locum habeat *Reg. 55. ff. de R. J.* ibi: *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.* At vero, qui egreditur e suo territorio, in quo sæpe dicta Constitutio Tridentini viget, ad locum, ubi non viget, præcise eo fine, ut ibi clandestinum contrahat Matrimonium, cum ipsi egressus talis speciali Lege Tridentini prohibitus sit, non utitur jure suo, sed convincitur agere in fraudem Legis prohibentis, & irritantis actum: consequenter &c. Revideri possunt, quæ tradidimus *part. 1. num.440. in corollar. 2.*

Dices tertio. Vagis, quamvis sola intentione clam contrahendi Matrimonium accedant locum, ubi Tridentini dispositio non viget, valide nihilominus contrahunt; ergo & peregrini.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia Constitutio Tridentini, ut explicata a Cardd. approbante Urbano VIII. solum loquitur *de retinentibus domicilium*; adeoque afficit solos peregrinos, non item vagos, utpote qui, cum nullibi habeant domicilium, dici non possunt illud retinere. Reiffenstuel *lib.4. tit.3. n.129.* Schmalzgrueber *ibid. n.112.* & alii passim.

CASUS IX.

479. *Eventianus plus quam triennii spatio domi sua aluit concubinam Eventianam, ex qua etiam duas proles suscepit. Contigit autem, ut, morbo correptus, in periculum mortis valde propinquum devolveretur. Quapropter & animæ suæ, & prolium legitimationi prospicere volens, cum Eventiana clam contrahit Matrimonium, ratus, se, in tali rerum articulo versantem, non obstringi Lege Tridentini, Matrimonium clandestine contractum irritante. Quæritur 1. An valeat Matrimonium sic contractum? & 2. An, si non valeat in vim Matrimonii, valeat saltem in vim Sponsalium?*

Respondetur primo ad primum membrum Casus negative. Sanchez *lib.3. disp.17. n.4. & 10.* Basilius Pontius *lib.5. cap.6. n.v. & 18.* Pirhing *lib.4. tit.3. n.6. & 7.* Engel *ibid. num.19.* aliique communiter. Ratio est: quia ex una parte non valet Matrimonium clandestine contractum (in Loco, ubi Tridentinum viget) nisi quando Decretum Tridentini, quo Matrimonia clandestina irritantur, *communiter* observari non potest (per dicta *n.401.*) adeoque dum urget necessitas communis, & publica, haud vero particularis, & privata tantum (*eod. n.*) qualis intervenit in posito Casu: ex altera vero parte ignorantia, licet (si invincibilis sit, & bonam fidem constituat) excuset a peccato, Matrimonium tamen, solemnitate substantiali, seu forma, destitutum, reddere validum non potest, sicut valida reddere non potest alia Sacramenta, substantiali quopiam requisito destituta; ergo &c.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus itidem negative. Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 23. a n.143.* Fagnanus *in cap.9. de Desponsf. impub. num.52.* Gonzalez *in cap. eod. n.4.* VVex *Ariadn. part.5. tr.2. §.4. n.35.* Konig *lib.4. tit.3. n.28.* & alii communius, mihique probabilius, contra alios. Ratio est: quia Tridentinum in Decreto, irritante Matrimonia clandestina, non solum clam contrahentes ad sic contrahendum reddit inhabiles, sed insuper decernit, contractus, sic initos, absolute irritos, & nullos esse; prout denotat per voculam *omnino*: atqui non essent absolute irriti, & nulli contractus Matrimoniales clandestini, si valerent in vim Sponsalium, atque ideo parerent obligationem ad contrahendum Matrimonium; veluti bene advertit Bonacina *de Matrimon. q.2. pun.8. n.48.* ergo &c. Accedit Declaratio Cardinalium, ubi (quemadmodum refert Joannes Gallemart ad Trident. *Sess.24. cap.1. de Reform. Matrimon. §. qui alias, quam præsente Parocho, v. Matrimonium contractum*) responsum fuit Episcopo Patavino, hujusmodi Matrimonium in Sponsalia de futuro non resolvi. Sed contra secundam respons. nostram, ejusque rationem probativam,

Dices primo. Trident. in suo Decreto inhabilitat ad sic, id est, clandestine, contrahendum Matrimonium; ergo non ad Sponsalia: consequenter ad hæc extendi non debet, præsertim cum correctorium Juris antiqui.

Respondetur, hoc argumentum plus æquivocationis, sive obscuritatis habere, quam realitatis. Conces-

so igi-

so igitur antecedente, claritatis gratia explic. & dist. conf. Ergo non ad Sponsalia, adeo, ut hæc sint iovalida, si io forma Sponsalium clandestinorum eootrahantur, con. adeo, ut fiot invalida, si cootrahantur in forma Matrimonii clandestini, neg.conf. Quæstio non vertitur, ao valeant Sponsalia, io forma Sponsalium clandestinorum contracta (ea enim contracta valere patet ex dictis supra *n.150.*) sed an valeant in forma Matrimonii clandestini contracta, adeo, ut vim Sponsalium obtineant virtute ipsius contractus Matrimonialis elandestini invalide initi, qoin ineuntes habeant expressam, & specialem intentionem, qua velint saltem Sponsalia de futuro contrahere in eventum, quo ipsum Matrimonium oon subsistat? & resposum est negative. Ad rationem consequentiæ probativam ajo, Decretum Tridentini, etsi Juris antiqui correctorium, recte extendi ad Sponsalia (modo immediate dicto se habentia) propter dictionem *omnino*, & propter Declarationem supra mentionatam.

Instabis. Tridenonum *in eod. Decreto* simpliciter non vult Spoosos conjungendos esse, *nisi præmissis denunciationibus*, & tamen iis omissis contractus Matrimonialis non destituitur omni vi, prout liquet ex dictis *n.431*. ergo nec propter voculam *omnino* debet vis omnis negari contractui Matrimoniali, sine præsentia Parochi, & Testium celebrato,

Respondetur, neg. conf. & parit. Disparitas est; siquidem recepta Ecclesiæ praxis ostendit, circa denunciationes non adesse Jus irritans; quin potius Trident. expresse se refert ad Conc. Lateran. & Jus antiquum *in cap. fin. de Clandest. Despons.* vi cujus omissio denunciationum noo obstat valore Matrimonö, secundum dicta *cit. n.431*, E diverso dum altefata Synodus Trid. requirit præsentiam Parochi, & Testium pro celebratione Matrimonii, statuit Jus irritaos, & decernit, contractum Matrimonialem sine illa initum, omnino nullum, atque irritum esse,

Dices secundo, Matrimonium impuberum, clandestine contractum, valet in vim Sponsalium, *cap. unic, §. idem quoque, de Despons. impub. in 6.* ergo idem dicendum de Matrimonio puberum, quales erant Eventianus, & Eventiana.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est; quia Trid. *in cit. Decreto irritatorio* nihil disposuit de Mattimoniis impuberum, neque vim, quam Jure aotiquo habebant, iisdem ademit; bene vero de Mattimooiis puberum, quæ proinde suam vim omnem, quam Jure antiquo habuerant, per & post Trid. amisere. Fundamentum ita distinguendi, & discurrendi est: quoniam Tridentinum irritavit ea duntaxat Mattimonia (sine Parocho, & Testibus celebrata) quæ Jure antiquo censebaotur esse Matrimonia vere talia, qualia non erant Matrimonia duorum impuberum, vel unius impuberis, & alterius puberis; bene vero Mattimonia duorum puberum, Deinde quod Matrimonium, Jure irritum, valeat in vim Sponsalium, ei oon competit a natura, sed tantum ex præsomptione Juris Ecclesiastici: atqui ista præsumptio solum stat pro Matrimonio clandestino impuberum, *§. idem quoque cit.* non vero puberum: consequenter &c,

Dices tertio. Qui attentant contrahere de præsenti, virtualiter volunt contrahere eo modo, quo valide possunt, juxta illud: *Si actus non valeat, ut ago, valeat meliori, quo potest, modo per l.27.§.9.ff. de Pact.* cum ergo Matrimonium, clandestine contractuum, non possit valere in vim Matrimonii, valebit in vim Sponsalium, qualiter valere potest.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo, axioma illud solum procedere, quando præcise est defectus ex parte causæ efficientis non simpliciter inhabilitatæ; non item quando defectus se tenet (ut in Casu) ex parte formæ substantialis, qua si actus careat, idem est, ac si non esset gestus. Unde hic subintrat aliud axioma; *Quod voluit, non potuit, &, quod potuit, non voluit, v.23. de Offic. deleg.*

CASUS X.

480. *Euphrosina, oppido dives puella, init Sponsalia cum Edilberto, insigni Jurisperito, & Professore actuali. Fit autem post breve temporis intervallum, ut Euphrosina concepto (nescio qua de causa) erga Edilbertum tædio, affectum suum transferat in Emmanuelem Principis Consiliarium, eique, contra fidem priorum Sponsalium, promittat Matrimonium, duobus post mensibus ineundum. Quod ubi rescit Edelbertus, adit Reverendissimum, & Celsissimum Ordinarium, ac Principem, rogitatque, ut Euphrosina, seu Sponsæ omni Jure sibi debita, Matrimonium cum Emmanuele interdidicat. Annuit precibus Edilberti Princeps, & Euphrosina vetat, sub mulcta pecuniaria valde notabili non paritura solvenda, ne ad celebrandas cum Emmanuele Nuptias procedat. Verum Euphrosina, interdicto, & mulcta pensi non habitis, die quopiam feriali ad D. Parochum, in Sacristiam existentem, cum Emmanuele, & duobus Testibus in hunc finem assumptis intrat, & per verba de præsenti cum eodem Emmanuele Matrimonium contrahit contra reclamante Parocho. Quæritur, an hæc coacta Parochi præsentia ad valorem Matrimonii in Casu sufficiat?*

Respondetur affirmative. Sanchez *lib.3. disp.39. n.9.* Basilius Pontius *lib.5. cap.12. num.5.* Bosco *disp. 11, sect.9. conclus. 14.* Gobat *tract. 9. num.492.* Pirhing *lib. 4. tit. 3. num.23.* Reiffeostuel *ibid. num.108*, & alii, allegantes pro se Declarationes Cardinalium, inter quas apud Farinacium *pag. 368.* una sic sonat: *Dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id, quod agit, licet dissentiat, & contradicat*: alia autem ita habet: *An vero, si invitus, & compulsus adsit Parochus, ... tale Matrimonium subsistat? Congregatio respondit subsistere.* Ratio insuper est: quia Patochus assistens Mattimonio, non est Minister hujus Sacramenti, sed solum Testis (nempe qualificatus) in quo oon requiritur consensus, vel intentio, sed tantum moralis præsentia, ut intelligat, quid agatur, *l. 209. ff. de V.S.*

Dices primo. Quando in Jure aliquid præcipitur fieri coram aliquo, debet is interesse moraliter juxta præscriptum modum, & officium, quo fungitur; officium autem Parochi assistentis Matrimonio noo est præcise agere personam Testis, sed etiam, oomine Ecclesiæ, apptobare Matrimonium, & præstare Sacramento authoritatem, quod noo fit a dissentieote, & reclamante; ergo &c,

Respondetut, utranque a Tridentioo reqoiri in Parocho, nempe ut agat Testem qualificatum, & nomine Ecclesiæ præstet Mattimonio authoritatem: sed necessitate inæquali; oam ut agat Testem qualificatum, ex mente Tridentini necessarium est necessitate contractus Mattimonialis; ut vero præstet nomine Ecclesiæ Mattimonio authoritatem, solummodo necessarium est necessitate præcepti.

Dices secundo, Io Jure idem est abesse, & adesse, siquis adsit sine consensu; quemadmodum tradit Baldus, *l. cum non solum, §. necessitate, num. 5. Cod. de bon. quæ liber. &c.* ergo dum Parochus adest invitus, ac sine consensu (prout in Casu) perinde est, ac si abesset, Sed si abesset, Matrimonium non valeret; ergo &c,

Respondetur, explic, & dist. ant. Idque procedit, quando una cum alicujus præseotia iosuper exigitur consensus, coo, quando exigitur sola præsentia, oeg. ant. & conf. In Mattimonio exigitur (& sufficit) sola præsentia, non vero consensus Parochi, ad valorem contractus Matrimonialis: consequenter &c,

Dices tertio. Non valet contractus a pupillo celebratus in præsentia Tutoris dissentientis, *l. quanquam, ff. de auth. & consens. tutor.* ergo nec valebit Matrimooium celebratum ab Euphtosina in præsentia Patochi dissentientis,

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: siquidem ad valorem contractus, qui celebratur a pupillo, requiritur præsentia authoritativas Tutoris, quæ præstari absque consensu nequit. E diverso ad valorem Matrimonii oon requiritur præsentia authoritativa Parochi, utpote qui in ordine ad procurandum contractus Matrimooialis valorem præcise sustinet personam Testis qualificati; esto ea præsentia authoritativa Parochi requiratur ad licentiam Matrimonii, ex dictis *in respons. ad 1. argum.*

CASUS

CASUS XI.

481. *Elisabetha obtinuit ab Ordinario Diœcesano licentiam, ut conjungi Matrimonio possit cum paris conditionis Juvene (ejus nomine, & familia non expressis) a quocunque Sacerdote. Elisabetha, hoc favore usura, coram suo Cognato Sacerdote simplici, & Testibus, Matrimonium init cum Elisæo, paris quidem cum ipsa conditionis Juvene, sed cui ab eodem Ordinario propter litem super Sponsalibus, & defloratione cum Caja pendentem, ne quid in istius præjudicium innovaret, Matrimonium fuerat interdictum. Vertitur jam quæstio, an Matrimonium, quod Elisabetha cum Elisæo coram Sacerdote non Parocho vi licentiæ ab Ordinario sibi concessæ celebravit, validum, vel invalidum sit pronunciandum?*

RESpondetur, pronunciandum esse invalidum. Ita censet P. VViestner *lib.4.tit.3.n.80.* eumque secutus P. Schmalzgrueber *ibid. n.215.* Ratio est: quia licentia contrahendi contra quovis Sacerdote, Elisabethæ ab Ordinario generatim concessa, se non porrigebat ad sic contrahendum cum Elisæo; ergo &c. Ant. ostenditur ex *Reg. Jur. 81. in 6.* quæ sic sonat: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus:* atqui Ordinarius concedens Elisabethæ generatim licentiam contrahendi Matrimonium cum paris conditionis Juvene coram quocunque Sacerdote, non fuisset illam verisimiliter in specie, seu relate ad Matrimonium cum Elisæo ineundum, concessurus, si pro eo petita fuisset; uti ex specie Facti, bene perpensa, videtur fluere; ergo generalis illa licentiæ concessio se non porrigebat ad Matrimonium præfata ratione ineundum cum Elisæo; consequenter Matrimonium, ab Elisabetha cum Elisæo sic initum, erat invalidum, & ut tale pronunciandum.

Confirmatur. Ordinarius, dum Elisæo prohibuit, ne quid innovaret in præjudicium Cajæ, per hanc ipsam prohibitionem voluit eundem esse exceptum, & exclusum a generali concessione facta Elisabethæ; ergo &c. Ant. probatur ex eo, quod utique Matrimonium, cum Elisabetha ab Elisæo celebratum, si fuisset validum, cessisset in grande præjudicium Cajæ; consequenter &c.

CASUS XII.

482. *Eligius maritus carnaliter congreditur cum Susanna, probe gnarus, hanc esse consanguineam uxoris suæ in secundo gradu, & illiusmodi cum ea congressum specialiter ab Ecclesia esse prohibitum; ignarus tamen (idque vincibiliter) esse prohibitum sub pœna privativa juris ad petendum debitum conjugale. Quæritur 1. An Eligius, non obstante hac tali ignorantia, incurrat nihilominus prædictam pœnam, sive impedimentum petendi debitum conjugale? & 2. Quis, ex hypothesi, quod incurrat, cum eo dispensare valeat, ne a petitione debiti impediatur?*

RESpondetur primo ad primum membrum Casus affirmative. Ita mihi verior, & doctrinæ, tum *part.5.n.687.* tum alibi traditæ, conformior sententia, quam tenent Perez, & alii apud Bueghaber *centur.3. cas.64.* contra ipsum, & alios. Ratio nostra (relictis aliorum probationibus) hæc esto. Lex statuens impedimentum pœnale, quando ratio impedimenti, seu inhabilitatis est primaria, & ratio pœnalitatis secundaria tantum, operatur suum effectum, licet, etiam invincibiliter, ignoretur; ut patet in Legibus statuentibus impedimenta pœnalia Matrimonii, irregularitates ex delicto &c. atqui Lex Ecclesiastica (quæ extat *cap.10. de Eo, qui cognovit.*) statuens impedimentum pœnale petendi debitum conjugale in Casu, est hujusmodi; ergo &c. Minor probatur. Nam tale impedimentum rationem impedimenti, seu inhabilitatis moralis ad petendum debitum, importat principaliter, & rationem pœnæ minus principaliter, seu secundario tantum: quod ostendo. Ideo principaliter sortiretur, & importaret rationem pœnæ; quia statuitur ex motivo vindicandi delictum: atqui hæc causalis non probat intentum; cum alioquin etiam impedimenta pœnalia Matrimonii, utpote quæ & ipsa statuuntur ex motivo vindicandi delicta (idem cogita de irregularitatibus ex delicto) principaliter sortirentur rationem pœnæ, contra Adversarios, saltem plerosque; ergo &c. Revide, quæ habentur *part. 5. & n. 687. citt.*

Atque hinc fit, ut Incestuosus adulter, etiam non obstante prædicta ignorantia invincibili, non modo amiserit jus petendi debitum obligatorie (uti amittit adulter non incestuosus, secundum dicta *n.468. cas. 3.*) sed & licite. Conjugi tamen innocenti licet ab incestuoso debitum petere: cum (ut deciditur in *cit. cap. 10. de Eo, qui cognovit*) *affinitas, post Matrimonium inique contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit.* Ex quo recte subinfert Sanchez *lib. 9. disp. 6. n. 12.* conjugem innocentem non peccare, si incestuoso petenti debitum reddat; cum enim ipse sit in plenissima possessione juris conjugalis, potest eo uti & petendo, & reddendo debitum, perinde, ac si nulla affinitas intercederet. Neque tunc reddens debitum peccato petentis cooperatur formaliter, sed actui, ex se licito conjugatis, sibique debito.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, quod super Impedimento petendi debitum cum adultero incestuoso, adeoque cum Eligio (vel cum conjuge, votum simplex castitatis habente) dispensare valeat Episcopus potestate ordinaria, saltem per consuetudinem acquisita; uti testantur Laymann *lib. 5. tr. 10. part. 3. cap. 1. num. 15.* Babenstuber *tr. 8. part. 7. disput. 4. artic. 2. num. 5.* & alii passim, quos vide. Eadem dispensandi potestate, sed per Privilegium obtenta, gaudent Religiosi Mendicantes, ad id a suis Provincialibus deputati; veluti legere est apud Illsung *tract. 6. disput. 9. quæst. 4. num. 135.* Sporer *Theol. Sacrament. part. 4. num. 483.* Babenstuber ubi supra, & alios. Ubi pro praxi duo advertenda sunt. Primum est, quod ad valorem, imo & liceitatem ejusmodi dispensationis, non requiratur consensus conjugis innocentis; ut in confesso est apud omnes. Secundum est, quod Episcopus, vel Religiosus Mendicans facultatem dispensandi exercere possit non solum intra, sed etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, & erga absentes. Unde si Parochus v.g. Franciscano cuipiam scribat: *Peto a R.V. ut dispenset cum N.* (tacito proprio nomine) *super impedimento petendi debitum*; & Franciscanus rescribat: *dispenso*, res salva erit; dummodo subsit justa causa dispensandi, quæ vix deesse potest. Gobat *in Theol. Experim. tr. 10. n. 604.* Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. n. 483.* & alii.

CASUS XIII.

483. *Eulalia Conjux fatetur in S. Tribunali, se cum suo marito exercere non raro tactus, oscula, aspectus mutuos in corpore: miscere sermones de copula invicem habita, & habenda: maritum præterea suum non raro exigere debitum conjugale, modo, & situ non consueto, idque solum ob majorem commoditatem, & voluptatem inde hauriendam, citra tamen periculum effundendi seminis extra vas legitimum; seque hoc modo reddere. Quæritur, qui judicanda Eulalia sic confessa?*

RESpondetur primo ad primum punctum, Eulaliam, ejusque maritum non peccare, saltem mortaliter, per illiusmodi mutuos tactus, oscula, & aspectus: modo absit periculum pollutionis. Ita DD. communiter. Ratio est: quia tales mutui tactus, oscula, & aspectus de se (puta, si referantur ad copulam conjugalem, ad quam disponunt) sunt liciti conjugatis, juxta unanimem sensum Theologorum; ergo Eulalia, ejusque maritus illos invicem exercendo (licet ad prædictum finem non referant) mortaliter non peccant, secluso periculo pollutionis. Porro neque venialiter peccare censendi sunt, quando memoratos actus exercent in ordine ad copulam hic, & nunc habendam, aut dum istam actu peragunt. Ratio est: quia sicut Matrimonium licitam reddit copulam, ita etiam omnia reddit licita, quæ ad illam ex natura sua ordinantur, cujusmodi sunt actus recensiti. Similiter iidem actus culpa vacant, quando exercentur ad contestandum,

aut

aut fovendum amorem conjugalem; esto non referantur ad ipsam copulam hic, & nunc habendam. Ratio est eadem: quia nempe Matrimonium, cum cohonestet contestationem, & conservationem amoris conjugalis, etiam actus, illuc de se servientes, cohonestare dicendum est. Quod si vero actus ejusmodi, præciso simili fine honesto, & meræ voluptatis gratia exerceantur, culpam venialem continent. Ratio est: quia ipsum opus conjugii, meræ voluptatis gratia exercitum, non vacat culpa veniali, quatenus nempe continet excessum, seu inordinatum usum rei alias conjugatis licitæ; prout liquet *ex prop. 9.* inter damnatas ab Innoc. XI. Videri potest P. Sporer ubi supra *a n.501.*

Respondetur secundo ad secundum punctum, neque Eulaliam, ejusque maritum, peccare mortaliter miscendo sermones de copula invicem habita, vel habenda, præciso periculo pollutionis. Ratio itidem est: quia ejusmodi sermones versantur circa objectum de se licitum, quale est copula conjugalis inter ipsosmet conjuges mutuo habita, vel habenda; ergo non apparet, unde gravi aliqua iniquitate conspergantur. Ut autem culpa etiam veniali vacent, referantur, necesse est, ad honestum, & licitum finem, puta ad copulam imposterum exercendam, vel ad contestandum, aut fovendum amorem conjugalem; ut immediate de tactibus, osculis &c. dictum; nam si colloquia ejusmodi instituantur solius voluptatis ergo, erunt & ipsa venialiter peccaminosa, ob defectum debiti finis, & quatenus continent excessum, seu inordinatum usum rei alioquin licitæ. Ita Augustinus Michel *de Matrim, fol.733. n.21.* & alii passim.

Respondetur tertio ad tertium punctum, Eulaliam, ejusque maritum, præfata ratione congrediendo peccare venialiter, toties, quoties, per se loquendo. Relinquitur ex dictis *n.452.* & ratione ibi reddita: quia nimirum ordinem congrediendi, a natura institutum, accidentarie invertunt. Quare Eulalia, ut imposterum a tali culpa veniali immunem se præstet, moneat, necesse est, obsecretque maritum, ut copulam exerceat modo, & situ consueto. Quod si monitione, & obsecratione sua nihil proficiat, sed virum potius ad indignationem, vel aliquid deterius provocet, tuta conscientia parebit, redderque debitum sic exigenti: quia cum actus ille ex se, & intrinsece malus non sit ob peccatum mariti exigentis, potest Eulalia ex causa justa excusari a culpa veniali, quam ex cooperatione contrahere deberet; causa autem talis omnino sufficiens est, ne alioquin maritum ad indignationem commoveat, conjugalem amorem minuat, vel omnino extinguat &c. Fluit ex dictis *n.467.* & traditur a Sanchezio *lib.9. disp.16. n.8.* Basilio Pontio *lib.10. cap.11. n.* Burghaber *centur.3. cas.23.* qui recte subdit, Eulaliam non solum posse absque peccato reddere debitum in ejusmodi circumstantiis, sed etiam debere: cum enim reddendo non peccet, haud apparet, cur ab obligatione reddendi eximatur.

DISPUTATIO III.

De Impedimentis Matrimonii.

IMpedimentum Matrimonii, generice sumptum, est inhabilitas ad contrahendum, seu ineundum Matrimonium: estque in prima sui divisione biceps, *impediens* scilicet, ac *dirimens*. Impediens (tantum) est, quod obstat, ne Matrimonium contrahatur licite, quamvis contractum in suo valore subsistat. Dirimens est, quod obstat, ut Matrimonium nec licite, nec valide contrahatur. Vocatur *dirimens*, non quod Matrimonium *validum* dirimat, sed quod dirimat Matrimonium *attentatum*, & obsit, ne valide ineatur. Porro impedimentum, quod est, & dicitur *impediens respectu Matrimonii*, evadit *dirimens respectu Sponsalium*, & hæc facit nulla: hoc ipso enim, quod Matrimonium, stante impedimento impediente, v.g. voto simplici castitatis, vel promissione Matrimonii alteri facta, illicitum fit, non potest induci obligatio ad illud contrahendum, quæ tamen induceretur, si Sponsalia valerent, *c.fin.de Pact.* His per modum præambuli præmissis, disputationem istam duobus capitibus, in suos tamen articulos, vel etiam paragraphos subdividendis, expediemus, in capite tertio subjuncturi Casus. Sit igitur

---

CAPUT I.

Expediuntur Quæstiones, quæ concernunt Matrimonii impedimenta in genere, & impedientia in specie.

ARTICULUS I.

De Matrimonii Impedimentis in genere.

§. I.

Quinam possint statuere Impedimenta Matrimonii.

SUMMARIUM.

484. *An, & respectu quorum possit, vel non possit impedimenta Matrimonii statuere Magistratus Secularis? Item an possit.* 485. *Episcopus?* 486. *Solvitur objectio.* 487. *Pontifex impedimenta Matrimonii tam dirimentia, quam impedientia statuere valet pro omnibus hominibus baptizatis; secus, pro non baptizatis, nisi hos temporaliter sibi subjectos teneat.* 488. *Solvitur objectio.* 489. *Quibus etiam ligantur de facto Heretici in nostra Germania.*

484. DIco primo. Spectata rei natura, & seclusis Ecclesiasticis Constitutionibus, omnis Magistratus secularis, qui gaudet absoluta potestate ferendi Leges subditis suis, potest pro iisdem statuere impedimenta Matrimonii, tam impedientia, quam dirimentia. Ita D. Thomas *in 4. dist. 34. q.unic. art. 1. ad 4.* Sanchez *lib.7. disp.3.* & alii passim.

Probatur hac ratione: quia Matrimonium æque est contractus humanus, atque sunt alii contractus; ergo æque, ac alii contractus, subjacet dispositioni Magistratus secularis, quatenus scilicet necessarium, vel expediens judicatur ad bonum cujusque Reipublicæ, ut personæ aliquæ inter se contrahere prohibeantur.

Nec obstat, quod Matrimonium sit Sacramentum; nam ratio Sacramenti in Matrimonio non evertit naturam contractus humani, cui superaddita est. Quod fit, ut Magistratus secularis, & politicus, etsi directe nihil possit statuere circa Sacramenta, possit tamen indirecte in proposito circa Sacramentum Matrimonii, impediendo videlicet valorem contractus Matrimonialis, cui, inter fideles celebrato, superaddita, & annexa est ratio Sacramenti: fere sicut homines non possunt quidem directe efficere, ut vinum desinat esse materia Sacramenti Eucharistiæ, possunt id tamen efficere indirecte, puta, aquæ, aceti, aut alterius liquoris affusione substantiam, sive usualitatem vini destruendo, ut desinat esse materia prædicti Sacratissimi Sacramenti.

Dixi autem: *spectata rei natura, & seclusis Ecclesiasticis Constitutionibus*. Nam Ecclesia Principibus Christianis (1.) directe, &, juxta probabiliorem sententiam, Principibus Ethnicis (2.) indirecte, potestatem prædictam ademit, sive restrinxit circa Matrimonia fidelium (quorum nomine hic veniunt omnes baptizati, adeoque non solum Catholici, sed etiam Hæretici) ob rationem, & dignitatem Sacramenti, Matrimonio, inter fideles celebrato, annexam. Ratio utriusque generalis est: quia omnino decuit, rerum sacrarum, & maxime Sacramentorum causas a sola potestate Ecclesiastica pendere. Ratio primi quodammodo specialis est: quia Ecclesia illam potestatem Principibus Christianis, seu sibi quoad spiritualia subjectis, directe adimere potuit, & reipsa ademit; uti colligitur *ex c.3. de Ord. cognit.* & Concil. Trid. *Sess.24.can.12.* ac universali consuetudine Ecclesiæ. Ratio secundi itidem aliquo modo specialis est: quia Ecclesiæ plurimum interest, ut omnes ejus subditi uniformes sint in Matrimonio contrahendo; estque credendum, quod Ecclesia, ad ejusmodi uniformitatem pro possibili procurandam, fideles sibi subjectos exemerit a Legibus Principum Ethnicorum de Matrimonii licentia, vel

valore

valore disponentibus; atque Magistratibus, sive Principibus Ethnicis indirecte (quod non transcendit activitatem Ecclesiæ) ademerit potestatem statuendi impedimenta Matrimonii pro fidelibus sibi quoad temporalia subjectis. Ita Layman (signate loquens de Impedimentis dirimentibus) *lib.5.tr.10.c.1.n.3.* & alii. Oppositum tamen hic non improbabiliter cum aliis tenet Sanchez *lib.7. disp.3.n.5.* quem vide, si placet. Possunt nihilominus prædicti Magistratus seculares, sive Christiani, sive Ethnici, plura decernere etiam pro fidelibus sibi subjectis, quæ Matrimonii substantiam nec mutant, nec impediunt, sed illi extrinseca sunt, & accessoria; ut circa dotem, arrhas, donationem inter conjuges, & similia. Palao *de Sponsal. disp.4. pun.1.* Sanct Gallenses *tom.10. tr.4. q.3. pag.651.* & alii communiter. Porro iidem Magistratus, & Principes, adhuc hodie Leges ferre queunt pro Matrimoniis subditorum infidelium, eisque statuere impedimenta, quæ secto regimini convenire judicaverint. Sanct-Gallenses *loc. cit. pag.651.* & alii passim. Ratio est: quia ex una parte Matrimonium infidelium non est Sacramentum; & ex altera infideles ipsi non obligantur Legibus, seu Constitutionibus Ecclesiasticis; prout relinquitur ex dictis *part.1.n.398.*

485. Dico secundo. Episcopi non possunt statuere impedimenta Matrimonii (1.) dirimentia; esto possint (2.) impedientia. Ita cum satis communi DD. Perez *de Matrim. disp.21. sect.5, n.7.* Fagnanus *in c. perniciosam 1. de Offic. Ordin. num. 63,* Card, de Lugo *lib.1. Responf. moral. dub.45. a n.1,* Clericatus *de Sacram. Matrim. decis.18. num. 22.* Gobat, Pirhing, Konig, VViestner &c. Imo quoad secundam partem nemo DD. quantum scio, se opponit.

Probatur prima pars. Nam potestas statuendi impedimenta Matrimonii dirimentia (pro suis nempe Diœcesanis) non competit Episcopis *ex natura rei*; cum nec jurisdictio generalis hoc tali modo ipsis competat, secundum dicta *part.1. n.282.* Neque ex Jure Pontificio; cum nuspiam legatur, quod ea potestas a Pontifice concessa sit Episcopis; imo oppositum aperte constet ex *can.8. caus.3. q.6.* ubi causæ majores, de quarum classe procul dubio sunt causæ Matrimoniales, concernentes valorem Matrimonii, reservantur Pontifici. Neque ex consuetudine; cum hæc omnino contraria sit, juxta ipsosmet Adversarios. Ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Tum quia prohibitio Matrimonii citra irritationem non videtur esse una ex gravioribus causis. Tum quia *Ecclesiæ Vetitum* numeratur inter impedimenta Matrimonii impedientia; prout infra *num.499.* videbimus: possunt autem Episcopi ex justa causa certis personis Matrimonii contractionem vetare, ac interdicere, & quidem judicialiter, secundum dicenda inferius *num.501. in Not.4.* Ergo &c.

486. Objicies contra primam partem conclus. Quod potest Papa in tota Ecclesia, hoc potest Episcopus in sua Diœcesi: sed Papa potest in tota Ecclesia statuere impedimenta Matrimonii, etiam dirimentia; ergo etiam Episcopus in sua Diœcesi, utpote in qua est verus Pastor, & Princeps ordinarius.

Confirmatur. Siquidem impedimenta quædam Matrimonii, etiam dirimentia, olim ab Episcopis, & Conciliis Provincialibus, vel Nationalibus introducta sunt; veluti præter alios testatur Basilius Pontius apud Pater Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 1. num. 360.* ergo &c.

Respondetur ad object. Regulam illam, in majore assumptam, nisi varie limitetur, falsam esse præter alios pronunciat Suarez *lib.6. de Legib. cap. 14. n.6.* & multis probat Fagnanus *loc. cit. num.29.* Imo, cum Episcopi sint a Romano Pontifice vocati *non in plenitudinem potestatis, sed in partem solicitudinis, can. 11. caus.2. q.6.* potius vera est Regula contraria, videlicet Episcopos quoad actus jurisdictionis plus non posse, quam quod ipsis conceditur a Pontifice. Explic. ergo, & dist. maj. Quod Papa potest in tota Ecclesia, hoc potest Episcopus in sua Diœcesi, exceptis iis, quæ Pontifici specialiter, id est, expresse reservata sunt, trans. iis non exceptis, neg. maj. Jam vero causæ majores, & per consequens etiam Matrimoniales, quæ concernunt valorem Matrimonii, Pontifici specialiter, seu expresse reservatæ sunt; veluti constat ex *cit. can.8. caus.3. q.6.* & aliis Juribus. Nec refert, quod Episcopi dicantur, & sint veri Pastores, & Principes ordinarii suarum Diœcesium: id quippe verum est cum subordinatione ad S. Pontificem, qui est Pastor, & Princeps supremus, ac universalis omnium Diœcesium; a quo proinde totam suam jurisdictionem accipiunt (ut dictum) consequenter &c.

Ad confirmat. ajo, nos non negare Episcopis jurisdictionem statuendi impedimenta Matrimonii dirimentia, quæ suam vim obtineant *comprobatione summi Pontificis*; sed quæ obtineant ante. Nec exempla, quæ refert *cit.* Pontius aliud probant. Nam esto illi Episcopi in Conciliis suis statuerint quædam illiusmodi impedimenta, plura tamen a SS. Pontificibus rejecta sunt; alia confirmata, sine qua confirmatione nec ista vim ullam habuissent: uti notat P. Schmalzgrueber ubi supra *num. 363.*

487. Dico tertio. S. Pontifex potest statuere impedimenta Matrimonii, non solum impedientia, sed etiam dirimentia, pro omnibus fidelibus, sive hominibus baptizatis. Ita Orthodoxi DD. universi.

Probatur tum ex Concil. Trid. *Sess.24. can.4.* ibi: *Siquis dixerit, Ecclesiam* (adeoque S. Pontificem) *non potuisse constituere impedimenta, Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Tum ex ratione: quia Matrimonium consistit in contractu legitimo, & valido: in potestate autem Legislativa Ecclesiæ, sive S. Pontificis est, contractum Matrimonialem non minus, quam alios contractus, regulare, hoc, vel illo modo initum approbare, aut irritare, prohibere, permittere, personas ad contrahendum habiles (respective) vel inhabiles reddere, prout commune, & spirituale bonum animarum exigit; cum ad id a Christo potestatem acceperit *Matth. 16.* ergo &c.

Dixi: *pro omnibus fidelibus, sive hominibus baptizatis.* Nam pro infidelibus, sive hominibus non baptizatis, Pontifex nulla impedimenta statuere potest: siquidem Apostolus *1. Corinth. 5.* inquit: *Quid mihi de iis, qui foris sunt* (nempe extra gremium Ecclesiæ, ut infideles) *judicare?* Excipe: nisi ejusmodi infideles commorentur in territorio temporali Pontificis; nam in tali territorio Pontifex potest statuere impedimenta Matrimonii pro infidelibus sibi temporaliter subjectis, sicut potest alius Princeps, secundum dicta *num. 484. ad fin.*

488. Objicies contra conclus. Pontifex nihil potest immutare circa materias Sacramentorum: sed contractus, & mutuus consensus maris, ac feminæ, sibi mutuo tradentium jus in corpora, est materia Sacramenti Matrimonii; ergo circa ejusmodi contractum Pontifex nihil potest immutare, eundem reddendo invalidum, qui ex se, & spectato Jure naturali, ac Divino, est validus: consequenter &c.

Respondetur, omissa majore (de qua videri potest, quod dictum *part. 5. n. 12.*) dist. min. Mutuus consensus maris, ac feminæ &c. sive contractus, spectatis Legibus humanis validus est, materia Sacramenti Matrimonii, con. spectatis Legibus humanis invalidus, neg. min. Christus reliquit determinationi Ecclesiæ, quemnam hæc contractum, quonam modo, & a quibusnam personis celebratum, velit habere pro valido, & legitimo: atque hinc Ecclesia, statuendo impedimenta Matrimonii, nihil immutat contra mentem, & voluntatem Christi, sed tantum, conformiter ad eam, determinat, quinam contractus sit validus, & consequenter materia Sacramenti Matrimonii, a Christo instituta; & quinam non sit validus, adeoque nec materia legitima dicti Sacramenti &c.

Instabis. Pontifex nequit facere, ut panis, & vinum non sint materia Consecrationis in Sacramento Eucharistiæ; ergo nec potest facere simile quid in Sacramento Matrimonii.

Respondetur, neg. conf. Quia in Eucharistia, & aliis quibusdam Sacramentis Christus instituit materiam determinatam quoad speciem infimam; in Sacramento autem Matrimonii quoad speciem subalternam tantum, seu quoad genus, & rationem genericam contractus legitimi, relinquendo potestatem Pontifici, ut determinet, quinam contractus sit legitimus; quemadmodum immediate dictum. Relegi etiam possunt, quæ habentur *cit. part. 5. n.11.*

489. Quæres, an Hæretici in nostra Germania de facto ligentur impedimentis Matrimonii, Jure Pontificio, seu Ecclesiastico tantum statutis?

Antequam ad hoc Quæsitum respondeatur, notandum, & supponendum primo tanquam certum, Hæreticos ligari impedimentis Matrimonii, quæ sunt Juris naturalis, aut Divini. Ratio patens est: quia Hæretici (imo & infideles, seu homines non baptizati) obstringuntur Legibus naturalibus, & Divinis; cum ipsi haud minus, ac Catholici, Deo, a quo præfatæ Leges (nulla consuetudine contraria abrogabiles, aut temperabiles, secundum dicta *part.* 1. *n.*460.) emanant, subjecti sint: ergo etiam obstringuntur impedimenti, Matrimonii, quæ a dictis Legibus suam originem, & virtutem trahunt. Unde si pater hæreticus in uxorem accipiat suam filiam, vel uni uxori copulatus superinducat aliam, Matrimonium nullum est.

Notandum, & supponendum secundo itidem ut certum, Hæreticos, degentes in Locis, in quibus Leges Ecclesiasticæ, impedimenta Matrimonii statuentes, nunquam fuerunt promulgatæ, aut usu receptæ, vel rursus abrogatæ, vel *communiter* inobservabiles, non obligari id genus impedimentis. Ratio est: quia tunc, & in ejusmodi Locis prædictæ Leges vel nunquam obligarunt Hæreticos (uti neque Catholicos ibidem degentes) vel obligare cessarunt. Quo fit, ut in Loco, ubi Tridentinum, præsentiam Parochi ad valorem Matrimonii requirens, nunquam fuit promulgatum, aut usu receptum, vel contraria consuetudine denuo abrogatum, vel *communiter* observari nequit, quia verb. grat. *communiter* haberi nequit copia Sacerdotis, aut Parochi Catholici, Hæretici (uti & Catholici secundum dicta *num.* 401.) valide contrahant Matrimonium sine assistentia Parochi &c.

Status igitur propositi Quæsiti est, an Hæretici in nostra Germania defacto, &, spectatis hodiernis moribus, ligentur impedimentis Matrimonii, statutis per Decreta Ecclesiæ, debite promulgata, usu recepta, respectu Catholicorum, quibus permixti vivunt, adeoque per se adhuc vigentia, & *communiter* observatu possibilia; ut Augustæ, Ratisbonæ, Kauffburæ &c. Ad quod

Respondetur affirmative. Ita Lessius *in Auctar. v. Hæreticorum conversatio, cas.*5. Pignatelli *tom.* 5. *consult.* 79. *num.* 26. & *tom.* 8. *consult.* 104. Gallemart ad Trid. *Sess.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. *num.* 10. Gobat *in Theol. Experim. tract.* 9. *a num.* 41. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *num.* 772. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 140. & *seqq.* ac novissime Bockhn *eod. lib.* & *tit. num.* 35. & alii quam plurimi contra alios sat multos, oppositam sententiam tradentes quoad impedimenta dirimentia saltem. Promitur responsio 1. ex Declaratione S. Congreg. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, de die 26. Septembris 1602. quam refert Eminentissimus Vincentius Petra, qui per multos annos dictæ Congregationis Secretarium egit (ut testatur P. Bockhn ubi supra) & sonat, *Hæreticos quoque, ubi Decretum est publicatum, teneri talem formam observare, & propterea ipsorum etiam Matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, & irrita esse.* Alia Declaratio omnino similis, & iisdem verbis expedita fuit ad Nuncium Apostolicum in Belgio de die 19. Jan. 1605. videnda apud Bockhn *cit.* Cui utrique Declarationi, seu omnino authenticæ (cum non esse authenticam nec ratio, nec authoritas probet) vel maxime assurgendum est.

Respondent Authores adversi, has Declarationes fuisse expeditas illo tempore, quo necdum invaluerat Hæresis, & liberum ejus exercitium, ut modo; adeoque mutatas nunc esse circumstantias, & contrariam consuetudinem sic invaluisse, ut prædictis Declarationibus vim obligandi ademerit.

Verum hæc responsio viribus omnino cassa, irritaque redditur per aliam recentissimam, & famosissimam Declarationem, quæ non dudum in causa Comitis de Lippe acatholici (Franciscanis tamen nostræ Provinciæ in Coovento Egrano commorantibus valde addicti) qui, cum suum prius cum persona acatholica more Lutheranorum contractum Matrimonium nullum declarari petiisset, ut cum persona Catholica aliud ritu debito inire posset, obtinuit hoc Rescriptum a Sacr. Congreg. de die 4. Augusti 1725. *Cum nonnullis abhinc annis contractum fuerit in Franconia, & in Loco, in quo Concilium Tridentinum fuit acceptatum, Matrimonium inter Comitem Fridericum Christianum de Schaumburg, & Lippe secta Lutheranæ, & ejusdem sectæ mulierem, non præsente Parocho Catholico, sed juxta ritum, & praxim Protestantium; acceptaque a muliere fuga ad partes Anglicas, fuerit prædictum Matrimonium nullum declaratum ab Episcopo Paderbornensi, & Monasteriensi una cum ejus Suffraganeo Episcopo Thiatiræ, & in simul Comiti data facultas transeundi ad alia vota juxta authenticum, quod adnectitur, documentum, idem Comes humillime supplicat pro dicta sententia confirmatione. Die 4. Augusti 1725. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilium Tridentini Interpretum, censuit, dandum esse Decretum editum die 26. Septembris 1602. & a Pontifice confirmatum, tenoris sequentis, videlicet: Hæreticos quoque, ubi Decretum cap.* 1. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. est publicatum, teneri talem formam observare, & propterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis contracta coram Ministro hæretico, vel Magistratu Loci, nulla atque irrita esse.* Hæc postrema Declaratio de 4. Augusti 1725. (quam refert P. Bernardinus Thenhaven, Ord. FF. Min. SS. Theol. Lector Jubilatus, & Provinciæ Saxoniæ Sanctæ Crucis Minister Actualis *in suo Nucleo Juris Canonici lib.* 4. *fol.* 527. ac P. Bockhn ubi supra, qui & testatur, se illius authenticum transumptum ex Romana Curia accepisse) reflectit ad primam de die 26. Septembris 1602. & permittit memorato Comiti de Lippe, ut vivente priori uxore, quam sine præsentia Catholici Parochi ritu suæ Sectæ duxerat, cum alia coram Parocho Catholico Nuptias celebret: quod & factum; ergo prius Matrimonium fuit agnitum pro invalide contracto; alias contracto posterioris, propter impedimentum ligaminis, permittit haud potuisset; ergo etiam hoc tempore, ubi Hæresis, & liberum ejus exercitium invaluit, Matrimonia Hæreticorum, absque præsentia Parochi Catholici contracta, habentur a Curia Romana pro invalidis: consequenter &c.

Promitur responsio ad Quæsitum secundo ex hac ratione. Hæretici hoc ipso, quod Ecclesiam per Baptismum ingressi sint, subjiciuntur jurisdictioni, & Legibus ejus etiam connubialibus; ergo ipsorum Matrimonia, contra Leges Ecclesiæ irritantes contracta, judicanda sunt invalida, sicut Matrimonia Catholicorum taliter contracta. Ant. ostenditur, in quantum negatur ab Adversariis, nimirum relate ad Leges connubiales. Si aliquid Hæreticos eximeret a Legibus connubialibus Ecclesiæ, eximeret consuetudo contra eas introducta: sed hæc non eximit; ergo &c. Maj. est Adversariorum. Min. prob. Ut consuetudo, contra Legem introducta, sit legitima, & a tali Lege eximat, seu deobliget, præter alias conditiones, requiritur consensus Legislatoris saltem tacitus; ut omnes fatentur: atqui impræsentiarum non adest consensus Legislatoris, nempe Pontificis, etiam tacitus solum; cum de constanti dissensu expresso manifeste constet ex Declarationibus allatis, & aliis; ergo &c. Plane si consuetudines Hæreticorum prævalerent adversus Leges Ecclesiasticas, nullis amplius obligarentur, cum contra omnes induxerint consuetudinem, nec major sit ratio, cur talis consuetudo prævaleat contra unas, v. g. connubiales, & non contra alias; prout elucescet ex solutione argumentorum, quæ ab Adversariis opponuntur, & jamjam adducuntur. Unde

Dices primo. Conjuges hæretici, quando ad fidem convertuntur, non urgentur ab Episcopis ad revalidanda sua Matrimonia, licet hæc sciantur contraxisse cum impedimento aliquo dirimente, v. g. clandestinitatis, per Decretum Ecclesiæ introducto: atque deberent urgeri, si tali impedimento ligati fuissent, dum contraxerunt; quoniam ut sic contraxissent invalide, & viverent, etiam post conversionem, in mero concubinatu, vel incestu &c. ergo &c.

Respondetur complures nostræ sententiæ Defensores primo, neg. min. & dist. causalem. Contraxissent invalide &c. probabilius, & secundum principia nostræ sententiæ, con. certo, & secundum principia oppositæ sententiæ, neg. Supposita vera probabilitate, licet minori, oppositæ sententiæ, standum est pro valore Ma-

trimo-

trimoniorum jam contractorum cum impedimento alias dirimente; nam, quando est probabile, quod Matrimonium contractum valeat, & probabile, vel etiam probabilius, quod non valeat, judicandum est certo valere, certitudine nimirum reflexa, desumpta ex hoc principio: *quando post positionem actus, dubitatur, an valeat, nec ne, standum est pro ejus valore.* Videri hic potest Cardenas *in 2. Crisi dissert.2. a n.529.* vel La Croix *lib.6.part.3. n.417. & 772.* nec non, quod diximus *n.466.* Hæc responsio bona foret ex hypothesi, quod oppositæ sententiæ adhuc vera inesset probabilitas: sed quoniam alii, itidem complures, ex nostræ sententiæ Patronis illiusmodi probabilitatem merito negant, vel saltem de ea dubitant, inter quos sunt Lessius *loc. cit.* qui nostram sententiam vocat certam, & Thenhaven ubi supra, qui scripsit post Declarationem in causa Comitis de Lippe expeditam, ac superius in terminis allatam; ideo

Respondetur aliter, & melius, secundo, neg. rursus min. at con. primam partem causalis, quod scilicet contraxerint invalide; neg. tamen alteram, quod nempe, etiam post conversionem, viverent in concubinatu &c. Nam licet ejusmodi Matrimonia non fuerint valide contracta, nec convalidata ante conversionem conjugum, fuere tamen convalidata post illam, ex consuetudine, conniventia, & tacita dispensatione Pontificis, per secutam eorum, qui conversi sunt, cohabitationem conjugalem, in Casibus, in quibus ab Episcopis vel non potuit dari, vel non est data dispensatio, nec conjuges post conversionem adacti ad Matrimonia revalidanda. Ita censet P. Bockhn *loc. cit. num.36. in respons. ad 4.* & ego cum ipso. Ratio autem, cur Pontifex post conversionem ejusmodi conjugum, & non ante, credatur in illam consuetudinem consentire, connivere, ac tacite dispensare, est: tum quia conjuges ante conversionem erant de gremio Subditorum rebellium, & tanto favore indignorum; post conversionem vero de gremio Subditorum obedientium, & eo favore dignorum: tum quia Pontifex contra consuetudinem, quam Hæretici induxere, contrahendi Matrimonia cum impedimento dirimente, per Jus Ecclesiasticum constituto, continuata annorum serie, & toties, quoties mota desuper quæstio fuit, protestatus est per Declarationes supra adductas, & alias, quas, brevitatis ergo, recensere supersedimus; e diverso contra consuetudinem, qua Conjuges neoconversi relinquuntur in Matrimoniis antea initis, nunquam reclamavit, cum tamen commode potuisset, saltem ut plurimum, adeoque in eam tacite consensit, connivit, & dispensavit.

Instabis contra hanc secundam respons. In casu, quo unus duntaxat conjugum hæreticorum ad Fidem Catholicam convertitur, alter vero in sua Secta persistit, non ambo conjuges sunt digni favore dispensationis Pontificiæ; ergo saltem tali casu non est credibile eam concedi: consequenter &c.

Respondetur, neg. cons. Siquidem conjux conversus beneficio dispensationis adhuc dignus est; cui proin directe conceditur, & quoniam ipsi soli concessa nihil prodesse posset, censetur etiam indirecte concedi alteri non converso. Nec est quid novi, aliquam gratiam concedi uni promerito, & digno, quæ indirecte redundet etiam in favorem alterius non promeriti, sive non digni.

Aliam adhuc responsionem ad argum. reddit prælaudatus P. Bockhn *loc. & n. citt.* ubi inquit, Pontificem per dissimulationem velle conjuges noviter conversos relinqui in bona fide; esto eorum Matrimonium fuerit, & maneat invalidum. Ex qua responsione consequitur, illos vivere in concubinatu, sed materialiter tantum, non formaliter. Habet autem hæc responsio fundamentum in Declaratione Sacr. Congreg. Cardd. Concilii Tridentini Interpretum, expedita ad Episcopum Castoriensem, Vicarium per Provincias confœderatas in Belgio Apostolicum, quam ex Vincentio Petra prælaudatus P. Bockhn *loc. & n. citt.* adducit, ac ita sonat: *Proposito dubio, an in Provinciis Belgii confœderatis valeant Matrimonia Catholicorum cum heterodoxis contracta coram Magistratu hæretico, non obstante Decreto Concilii de solemnitate Matrimonii illis Provinciis publicato, & recepto, Sacr. Congregatio Concilii respondit Secretario cum Sanctissimo ad mentem, quæ erat, quod, si respondendum esset ad dubium, dicendum esset, Matrimonia non valere: attamen animadversum fuit, id non expedire; quia potius deberent permitti in eorum bona fide permanere, quam tot periculis exponere Catholicos.* Videsis nominatum Patrem Bockhn. Per utranque responsionem satisfit argumento ab Adversariis proposito. Porro pro priori, seu immediate præcedenti responsione adhuc facit, quod per eam valde commendetur Benignitas S. Matris Ecclesiæ, ad suum gremium conversos amorose complectentis, & speciali favore prosequentis; evitentur peccata, etiam materialia, aliaque incommoda plura præpediantur, ac excludantur.

Dices secundo. Si Hæretici ligarentur impedimentis dirimentibus, Jure tantum Ecclesiastico inductis, & ideo cum tali aliquo impedimento Matrimonia invalide contrahere, sequeretur 1. Quod viverent, saltem quamdiu existunt hæretici, in concubinatu, vel incestu &c. 2. Quod proles eorum essent habendæ pro illegitimis. 3. Quod illorum animi magis alienarentur a Catholicis, & sic magis a conversione absterrerentur &c.

Respondetur ad singula. Et quidem ad primum, con. seq. de concubinatu, vel incesto, aut formali, quando eos a peccato non excusat, aut saltem materiali, quando a peccato excusat invincibilis ignorantia. Ad secundum, neg. seq. Nam liberi Hæreticorum haberi possunt, & solent pro legitimis saltem in foro politico, ac in ordine ad effectus civiles, quatenus prognati sunt ex Matrimonio tolerato, & agnito pro legitimo in illo foro: in foro autem Ecclesiastico, & in ordine ad effectus Ecclesiasticos censentur legitimari, quando ad fidem Orthodoxam convertuntur, per dispensationem tacitam Pontificis. Ad tertium ajo, periculum animos Hæreticorum alienandi a Catholicis, eoque a conversione absterrendi tantum non esse, ut non potius Hæreticis, qui a conversione sæpe absterrerentur propter uxores simul converti nolentes, spes novi Matrimonii in simili casu facienda sit; præsertim cum etiam alioquin, si ipsi nihilominus convertantur, & non uxores ipsorum, remedio concupiscentiæ carere debeant, atque ita post ejuratum peccatum hæreseos periculo aliorum peccatorum, quæ ob præcedentem conjugii consuetudinem non ita facile evitaturi sunt, exponantur.

Dices tertio, Legum Ecclesiasticarum connubialium observantia in Hæreticis amplius sperari nequit, proindeque videtur moraliter impossibilis; ergo &c.

Confirmatur. Prudentis Legislatoris est non urgere observationem Legum, quando inde plus damni timendum, quam utilitatis sperandum est: atqui si Ecclesia urgeret observationem Legum suarum connubialium, plus inde damni timendum, quam utilitatis sperandum foret; cum sicut illarum cassatio plurimum conferret ad conservationem pacis, & tranquillitatis publicæ Catholicos inter, & Hæreticos, istorumque ad Ecclesiæ gremium faciliorem reductionem, ita e contrario obligatio licite ad utrumque prædictum finem plurimum obest; ergo &c.

Respondetur primo ad argument. & confirmat. inde sequi, quod Ecclesia censenda quoque foret consentire in cessationem aliarum Legum suarum, utpote quarum observantia similiter in Hæreticis amplius sperari nequit, &, si urgeatur, plus inde damni animabus Hæreticorum, quam boni enascitur; ut patet considerandi: sequela autem est absurda, licet Hæreticis semper fuerit, & sit in voto, quippe semper cupientibus, & quærentibus Ecclesiæ jurisdictionem penitus excutere.

Respondetur secundo directe, aliud esse, non posse sperari Legis observantiam *defectu potentiæ*, vel etiam *voluntatis* ob difficultates extrinsecas, & insuperabiles moraliter, quando talis defectus se tenet ex parte illorum, qui Legem observare deberent; aliud, quando talis defectus non est in Subditis. Quare argumentum, & confirmatio solum procederent, & vim haberent, si illarum Legum observantia sperari non posset, & obligatio ad eam magis damnifera, quam proficua esset, defectu potentiæ, vel voluntatis independente a subditorum arbitrio; secus tamen est, quando ea moralis impossibilitas, & damnificatio nascuntur ex

tur ex

tur ex ipso arbitrio, vel etiam contumacia subditorum, prout evenit in præsenti. Ita P. Krimer *lib.* 4. *numer.* 1898. *& seq.* ac Pater Kerchne *de Matrim. fol.* 299.

§. II.

An cum opinione Juris vere probabili de non existentia impedimenti dirimentis valide, & licite Matrimonium contrahi possit?

S U M M A R I U M.

490. *Exponitur status quæstionis.* 491. *Valide, & licite contrahitur Matrimonium cum dubio Juris practice deposito, seu cum opinione vere probabili de non existentia impedimenti dirimentis, quod est Juris solum Ecclesiastici.* 492. *& seqq. Diluuntur argumenta opposita.* 495. *Etsi impedimentum sit Juris naturalis, vel Divini, adhuc in casu posito Matrimonium contrahitur licite, non autem valide.* 496. *&* 497. *Solvuntur argumenta contraria.* 498. *Non licet tamen contrahere Matrimonium, quando præsumptio stat pro impedimento, sive dein hoc ponatur esse Juris Ecclesiastici tantum, sive Juris naturalis, aut Divini.*

490. QUæstio hæc maximi momenti est, scituque summopere oecessaria, cum ex illius decisione multarum aliarum resolutio dependeat. Sita autem in eo est, ao, si post debitam veritatis ioquisitionem (quam oportet præmittere) dubium maneat de Lege, Jure, obligatione, & tale dubium, per sui, in quantum practici, depositionem, in solam probabilitatem (directam, veram tamen, & non solum tenuem) resolvi valeat, ac resolvatur, pro hoc casu, quo quis intendit Matrimonium contrahere, impedimentum dirimens a Jure non esse statutum, possit valide, & licite contrahere? Et cum ista quæstio non solum de impedimento Juris Ecclesiastici, sed naturalis quoque, ac Divini, agitari queat, eam per duas conclusiones decidemus. Itaque

491. Dico primo. Valide, & licite contrahitur Matrimonium cum dubio Juris practice deposito (esto speculative depelli nequeat) seu cum opinione vere probabili de non existentia impedimenti dirimentis, quod est Juris Ecclesiastici tantum. Ita Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 6. *numer.* 18. Viva *super propos. ord.* 1. *ex damnatis ab Innoc. XI. num.* 29. Kugler *de Matrimon. part.* 2. *quæst.* 4. *a numer.* 1533. La Croix *libr.* 6. *part.* 3. *n.* 527. *&* 538. Krimier *lib.* 4. *de Matrim. a n.* 2435. Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *a n.* 100. & alii satis communiter, esto Quæstionem in terminis terminantibus non omnes illorum moveant.

Probatur autem conclusio in hunc modum. Qui sequitur opinionem, directe probabilem duntaxat, reflexe vero certam, licite procedit, tametsi agatur de valore Sacramenti, & valide, quando talis valor ab aliquo per Ecclesiam tantum requisito dependet: sed qui contrahit Matrimonium cum opinione Juris probabili de non existentia impedimenti dirimentis, sequitur opinionem, directe quidem solum probabilem, reflexe vero certam, &, quando tale impedimentum est Juris mere Ecclesiastici, valor Sacramenti ab aliquo per Ecclesiam tantum requisito dependet; ergo procedit licite, & valide. Min. prob. ab experientia: videmus quippe, passim oriri lites super valore Matrimonii, ac existentia impedimenti Ecclesiastici, & Ecclesiam consuesse decernere pro non existentia impedimenti, & pro valore Matrimonii, utpote valde favorabilis in *Jure* (quamvis opinio, asserens adesse impedimentum, ac negans, Matrimonium valere, secundum se, & directe sit æque probabilis, vel etiam probabilior, & comparative tutior) ergo hoc ipso Ecclesia censetur, saltem implicite, impertiri licentiam tali casu ineundi Matrimonium sioe obtentu dispensationis; nam salvo valore Matrimonii, verum vel maxime est, quod in dubio possessio stet pro libertate contrahere volentium. Atqui consuetudo Ecclesiæ accedens opioioni directe probabili, reddit eandem reflexe certam, & tutam, haud minus, ac si Lex Ecclesiæ accederet præcipiens, vel saltem declarans, talem opinionem tutam esse; nam consuetudo est Lex non scripta, Legum optima interpres, & vim habens abrogandi Leges humanas non modo certas (*cap.* 8. *de Consuet.*) sed etiam, & multo magis dubias, aut probabiles de impedimentis Matrimonii dirimentibus; ergo &c.

Respondebis forte, Ecclesiam decernere quidem pro valore Matrimonii in casu posito, quando illud jam est contractum; quia tunc est in possessione, & in dubio post positionem actus pro ejusdem valore standum: nno vero, quando Matrimonium primum est contrahendum.

Verum contra est. Eatenus præcipue Ecclesia in casu posito decernit, & stat pro valore Matrimonii, quando hoc est contractum; quia causa Matrimonii est valde favorabilis (per *cap. fin. de Sent. & Re judic.*) & favores (juxta *Reg.* 15. *Jur.*) sunt ampliandi: atqui ista ratio etiam militat, quando Matrimonium primum est contrahendum; ergo &c. Deinde Urbanus VIII. in suo Responso (quod infra *numer.* 495. *in prob. primæ partis* afferemus) loquitur etiam de Matrimoniis contrahendis, ut patebit consideranti: consequenter &c. Videatur P. Viva *cit. numer* 29. *ac fin.*

Confirmatur jam conclus. a pari. Confessarius cum jurisdictione probabili, saltem quando hæc conjuncta est cum tituto colorato, valide, & licite absolvit pœnitentem, quamvis agatur de valore Sacramenti; quia talis valor dependet ab aliquo per Ecclesiam tantum requisitum, videlicet jurisdictione, quam, si forte reipsa non adsit, Ecclesia eo casu certo supplet, seu confert; prout relinquitur ex dictis *part.* 5. *numer.* 683. ergo etiam Sponsi cum impedimento dirimente, quod est Juris mere Ecclesiastici, probabiliter non existente, valide, & licite contrahunt Matrimonium, quamvis agatur de valore Sacramenti; quia talis valor dependet ab aliquo per Ecclesiam tantum requisitum, nempe a non existentia illius impedimenti, quod Ecclesia pro tali casu vel nunquam constituit, vel certo aufert. Ubi proinde io utroque caso proceditur cum opinione reflexe certa, & tuta, de existentia nimirum jurisdictionis ex una parte, & de non existentia impedimenti ex altera parte: consequenter &c.

492. Objicies primo. Innoc. XI. damnavit hanc propositionem ordine primam: *Non est illicitum in Sacramenti conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore:* sed Matrimonium est Sacramentum, & quando agitur de impedimento illius dirimente, agitur de valore, atque sententia, asserens, existere impedimentum, est tutior; quia removet omne periculum peccati, etiam materialis; ergo &c. Deinde, si impedimentum reipsa adsit, Matrimonium etiam contrahitur invalide; ut patet.

Respondetur io primis, argumentum retorqueri posse per id, quod in confirmatione dictum. Deinde neg. suppositum, quod cum dubio, & vera probabilitate Juris de carendo impedimenti contrahens sequatur opinionem mere probabilem; nam per consuetudinem, & praxim Ecclesiæ, quæ vim Legis obtinet, opinio illa evehitur ad gradum certitudiois moralis, & reflexæ. Neg. similiter suppositum, quod impedimentum tunc reipsa adesse censeri possit; siquidem Ecclesia impedimentum pro ejusmodi casu vel nunquam constituit, vel certo aufert. Id quod totum patet ex probatione conclusionis.

493. Objicies secundo. Ante exortum dubium, præceptum non contrahendi Matrimonium cum impedimento dirimente, est certum; ergo possessio videtur stare pro tali præcepto, ex qua exturbari non potest per subsequens dubium; ergo Matrimonium sic contrahitur illicite uti & invalide, si impedimentum revera subsit.

Respondetur primo, præceptum quidem esse certum, ut nullus cum notitia certa impedimenti contrahat Matrimonium, non autem ut non contrahat cum dubio Juris invincibili; sicut certum est præceptum restituendi, qoando constat rem esse alienam, non autem quando est tantum dubium, an sit aliena? quod adhibita diligentia vinci non potest, & ante dubium fuit bona fide possessa. Unde

Respondetur secundo in forma, distin. ant. Ante

exortum dubium, præceptum non contrahendi cum impedimento dirimente, est certum hypothetice, seu ex suppositione, quod in volente contrahere sit tale impedimentum, con. est certum absolute, neg. ant. Per hoc autem, quod certum sit, neminem posse contrahere cum impedimento dirimente, solum ex suppositione impedimenti existentis in volente contrahere, præceptum non est, sed tantum esset in possessione contra libertatem volentis contrahere, si suppositio vera foret. Quare negatur utraque cons.

494. Objicies tertio. Si sit dubium, seu probabilitas facti, v. g. si sibi tantum probabile sit, te in quarto gradu non esse consanguineum Berthæ, cum hac illicite contrahis, &, si revera sis consanguineus, etiam invalide, nisi per legitimam dispensationem, priusquam contrahas, removeri impedimentum cures; ergo idem dicendum, si sit dubium, seu probabilitas Juris.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia cum circa factum per se, & communiter deprehendi veritas rei possit, ac solum per accidens, atque subinde in particulari casu ab hac, vel illa persona non deprehendatur, ideo Ecclesia Matrimoniis, cum dubio, seu probabilitate impedimenti versante circa factum contractis, non assistit, certum dando valorem; imo potius resistit *in cap. de Sent. excomm.* ubi deciditur, quod habens probabilitatem de impedimento Matrimonii possit quidem reddere, sed non petere debitum: id quod evidenti signo est, Ecclesiam Matrimonium, stante probabilitate facti, non habere pro certo valido. Ex quo fluit, quod contrahens Matrimonium cum dubio, seu probabilitate impedimenti dirimentis, versante circa factum, Sacramentum exponat formali periculo nullitatis, agatque illicite (juxta prop. damnat. ab XI. supra *numer.* 492. recitatam) uti & invalide, si impedimentum reipsa subsit. E diverso in iis, quæ sunt Juris, & a Doctoribus in utranque partem disputantur, uti sunt multæ sententiæ circa Matrimonii valorem versantes, vix unquam in genuinam rei veritatem deveniri potest. Unde Ecclesia consultum, imo & necessarium censuit, ut Matrimoniis, cum dubio, seu probabilitate impedimenti dirimentis Ecclesiastici circa Jus versante, assisteret, certumque attribueret valorem; ne alioquin cum grandi hominum incommodo Matrimonia, communi bono maxime proficua, plus quam sæpe impedirentur. Quo fit, ut contrahens Matrimonium cum dubio (practice deposito) seu probabilitate impedimenti dirimentis Ecclesiastici circa Jus versante, non exponat Sacramentum periculo, saltem formali, nullitatis, nec agat illicite, cum sequatur sententiam reflexe certam ex praxi Ecclesiæ; uti nec invalide, quoniam Ecclesia vel nunquam statuit impedimentum pro simili casu, vel illud certo aufert: prout relinquitur ex hucusque dictis.

495. Dico secundo. Etiam (1) licite (modo non obstet specialis prohibitio Ecclesiæ, & concurrat justa causa necessitatis, vel utilitatis) contrahitur Matrimonium cum dubio practice deposito, seu probabilitate Juris de non existentia impedimenti dirimentis, quod est Juris naturalis, vel Divini; quamvis contractum (2) non valeat, quando ejusmodi impedimentum revera subest. Primam conclusionis partem tenent Authores pro præcedenti conclusione relati. Alteram propugnat P. Kugler ubi supra *n.* 1540.

Probatur prima pars ex decisione Urbani VIII. qui, teste Lugo (ut refert Nicolaus del Techo *in Historia Paraquariæ lib.* 10. *cap.* 15.) ad propositum sibi dubium, an Indi Neophyti, qui plures habebant uxores non sine dubio, an primam valide duxerint, adstringerentur ad hanc re incundam, vel possint contrahere cum quacunque baptizata sibi prius juncta, non obstante dubio de impedimento ligaminis? respondit, & statuit, *ut, ubi Doctorum sententiæ utrinque probabiliter intercederent, sequerentur* (Missionarii) *opiniones pro conditione locorum, ac hominum barbaris favorabiliores*. Atqui hic movebatur quæstio super impedimento dirimente, quod est Juris Divini, & naturalis (saltem minus stricte relate ad casum quæstionatum, justa dicta *n.* 352.) nempe ligamine, & opiniones, barbaris favorabiliores, erant tantum probabiles; ergo juxta declarationem Pontificis licitum est contrahere Matrimonium cum dubio practice deposito, seu probabilitate Juris de non existentia impedimenti dirimentis, quod est Juris Divini, & naturalis.

Confirmatur, Qui sequitur opinionem, de se quidem, & directe solum probabilem, reflexe tamen certam, licite procedit, tametsi agatur de valore Sacramenti; ut supra argumentabamur: sed qui contrahit Matrimonium cum probabilite Juris de non existentia impedimenti dirimentis, quamvis hoc sit Juris Divini, aut naturalis, sequitur opinionem, de se quidem, & directe solum probabilem, reflexe tamen certam, derivata hac tali certitudine ex declaratione, ac decisione altefati Pontificis; ergo licite procedit.

Dixi autem in conclus. per parenthesin 1. *modo non obstet specialis prohibitio Ecclesiæ*. Excipiendus quippe est casus, quo mulieri probabile duntaxat est, virum in prælio, aut aliter obiisse: tunc enim non potest licite ad secundas Nuptias transire, donec sibi comparet notitiam moraliter certam de obitu mariti; prout declararunt Lucius III. & Clemens III. secundum dicenda inferius *nu.* 591. Ratio quoque hujus prohibitionis videtur hæc esse; siquidem Matrimonium certo valide contractum (quale hic inter ejusmodi mulierem, & virum intercessisse supponitur) manet in possessione sui valoris, ex qua exturbari nequit per dissolutionem solum probabilem &c. Aliud est, quando Matrimonium non fuit certo valide contractum, & insuper accedit declaratio, vel decisio Ecclesiæ; ut in casu supra de Matrimoniis Indorum neophytorum supponebamus.

Dixi 2. *& concurrat justa causa necessitatis, vel utilitatis*: talis nanque ad verificandam hanc partem conclusionis præsentis exigitur, etsi non exigatur ad verificandum id, quod in conclusione precedenti relate ad licentiam contrahendi assertum fuit. Ratio discriminis est: quia Matrimonium, quod cum opinione probabili de non existentia impedimenti, Jure Divino, vel naturali dirimentis, contrahitur, probabilem duntaxat valorem nanciscitur, quatenus probabile duntaxat est, impedimentum non existere, & si impedimentum a parte rei subsit, illud suo valore destituitur (secundum dicenda) cum super tali impedimento Ecclesia dispensare non valeat, & Deus dispensare dicatur absque solido fundamento: unde Sacramentum Matrimonii, quod sic contrahitur, materialiter exponitur periculo frustrationis; id quod licite fieri nequit, nisi concurrat justa causa necessitatis, vel utilitatis. E diverso Matrimonium, quod cum opinione probabili (Juris) de non existentia impedimenti, Jure duntaxat Ecclesiastico dirimentis, contrahitur, certo valet; quatenus Ecclesia impedimentum pro simili casu vel nunquam statuit, vel, sicut potest, certe aufert, ut dictum.

Probatur nunc altera quoque pars conclus. Nulla Lex Ecclesiastica, aut consuetudo potest prævalere contra Legem Divinam, aut naturalem; prout relinquitur ex dictis *part.* 1. *n.* 460. ergo non potest impedimentum Juris Divini, aut naturalis tollere, siquod revera subest; ergo nec facere, ut Matrimonium, cum tali impedimento initum, subsistat. Dicere autem, quod ejusmodi impedimentum sit Juris Divini, aut naturalis solum conditionati, nisi nimirum Ecclesia ex justis causis permittat, vel approbet talia Matrimonia, est mere divinare; nec fundamentum ita dicendi desumi potest ex Responso Urbani VIII. supra in probatione primæ partis conclusionis allegato; ut mox infra *n.* 497. ostensuri sumus.

496. Objicies primo contra primam partem conclus. Qui contrahit Matrimonium cum probabili existentia impedimenti, Jure Divino, aut naturali dirimentis, exponit Sacramentum periculo nullitatis; si enim impedimentum a parte rei existat, & subsit, contractus Matrimonialis initur nulliter: sed contrahens cum probabili non existentia impedimenti, contrahit Matrimonium etiam cum probabili existentia talis impedimenti; ergo exponit Sacramentum periculo nullitatis; ergo procedit illicite.

Respondetur, distin. maj. distinctione jam insinuata. Exponit Sacramentum periculo nullitatis materialiter, con. formaliter, neg. maj. & concessa minore, dist. similiter primum cons. Ergo exponit Sacramentum periculo nullitatis materialiter, con. formaliter, nego hanc, & alteram cons. Nam periculum nullitatis materialis,

terialis,

tertialis, cui Sacramentum exponitur, per justam causam necessitatis, vel utilitatis cohonestatur.

497. Objicies secundo contra secundam partem conclus. Quando Ecclesia permittit, vel statuit, etiam circa valorem Matrimonii sequendas esse opiniones favorabiliores vere probabiles, licet minus tutas, nullum ponit discrimen inter quæstiones Juris naturalis, Divini, & humani: imo Declaratio Urbani VIII. superius allata concernit quæstionem Juris Divini, & naturalis (in sensu ibidem insinuato) ergo decisio, ac declaratio Ecclesiæ, seu S. Pontificis universaliter accipienda venit etiam de impedimento dirimente Juris Divini, & naturalis, ita, ut certo valeat Matrimonium cum opinione probabili de non existentia talis impedimenti initum, sicut certo valet, si impedimentum sit Juris Ecclesiastici tantum.

Respondetur, quod Ecclesia quidem non exprimat discrimen inter quæstiones Juris cujuscunque quoad sequelam, & licitum usum opinionis probabilis, versantis circa valorem Matrimonii, adeoque, salva Ecclesiæ authoritate, licite quis possit Matrimonium inire cum opinione probabili Juris de carentia impedimenti, sive dein hoc sit Juris mere Ecclesiastici, sive Divini, aut naturalis: nihilominus aliunde discrimen est, jam supra insinuatum, circa ipsam consistentiam, & valorem Matrimonii; nam hoc cum probabilitate Juris de carentia impedimenti dirimentis, quod est Juris mere Ecclesiastici, contractum, certo valet; contractum vero cum probabilitate Juris de carentia impedimenti, quod est Juris Divini, aut naturalis, tantum valet probabiliter: idquod totum jam tactum, atque expositum est supra *in* 2. *limitatione conclusionis*. Unde Urbanus VIII. non decidit, a parte rei certo subsistere valorem Matrimoniorum, cum probabili opinione de non existentia impedimenti ligaminis initorum, sed tantum, ea licite iniri ita postulante necessitate, & utilitate illorum Barbarorum, qui alias tam facile converti non potuissent. Sed

Dices. Usus conjugalis post contracta illa Matrimonia erat prædictis Barbaris certo licitus; alias non potuisset eisdem dari licentia contrahendi; ergo supponebat certum valorem Matrimoniorum.

Respondetur, dist. ant. Erat certo licitus, certitudine reflexa, seu desumpta ex principio reflexo (id quod evincit ratio probativa) con. certitudine absoluta, seu desumpta ex principio directo, neg. ant. Dist. pariter cons. Ergo supponebat certum valorem Matrimoniorum certitudine reali, vel absoluta, seu desumpta ex principio directo, neg. certitudine morali, ac reflexa, seu desumpta ex principio reflexo, con. cons. Explicatio distinctionis, qua distinguitur antecedens, petenda ex dictis *part.* 1. *n.* 13. Distinctio consequentis in hoc sita est, quod valor Matrimonii, qui re ipsa, & absolute, seu ex principio directo solum probabilis est, reddatur moraliter, & reflexe, seu ex principio reflexo certus, quale principium reflexum est, quod in dubio post positionem actus standum sit pro valore actus, quandiu non potest veritas deprehendi, nec adest declaratio Legislatoris, aut alias legitima, dicens, standum potius esse pro nullitate. Quod ultimum necessario addendum propter declarationem Urbani VIII. supra, juxta quam standum non est in dubio pro valore Matrimoniorum, quæ Barbari contraxerant cum primis uxoribus; alias relinqui illis libertas non potuisset contrahendi cum secundis, aut tertiis &c. sed adstringi debuissent ad retinendas primas; ut patet.

498. Quæres, an etiam liceat contrahere Matrimonium, quando præsumptio stat pro impedimento?

Respondetur negative. Unde qui peccavit cum sorore Berthæ, & dubitat (quod est dubium facti) an seminaverit intra vas? proindeque an contraxerit impedimentum affinitatis, & idcirco teneatur (ubi involvitur dubium Juris) abstinere a Nuptiis cum Bertha celebrandis, celebrare has non potest, nisi prius obtenta super impedimento dispensatione. Ita Sanchez ubi supra Krimer *n.* 2438. La Croix *n.* 537. & alii communiter. Ratio est: quia præsumptio præponderat pro impedimento ex communiter accidentibus, nempe seminationem factam esse intra vas, quando coitus cum femina exercitus fuit intra vas, & idcirco abstinendum esse a Nuptiis cum Bertha celebrandis.

ARTICULUS II.

De Matrimonii Impedimentis impedientibus.

SUMMARIUM.

499. *Adstruuntur, & enumerantur Impedimenta Matrimonii impedientia.* 500. *Quænam notanda sint* circa Tempus Sacratum, seu Feriatum? 501. *Quænam* circa *Vetitum* Ecclesiæ? *& quænam*, 502. circa Votum? 503. *Quomodo Vota, Matrimonio licite contrahendo obstantia, differant inter se?*

499. IMpedimenta Matrimonii impedientia olim erant duodecim, nempe *Sacratum tempus*, *Vetitum*: *Sponsalia*, *Votum* deinde *Catechismus*, seu quædam cognitio spiritualis imperfecta, orta ex instructione in fidei dogmatis Baptismum antecedente, ac fieri solita per interrogationes, & responsiones baptizandi ante fores Ecclesiæ; atque adhuc alia septem ex variis delictis, nempe *incestu*, *raptu Sponsæ alienæ*, *suscepta propria sobolis*, *occisione Sacerdotis*, *occisione conjugis*, & tandem *ex Matrimonio cum Moniali attentato*, ac *pœnitentia solemni propter crimen inflicta*. Verum *Cathechismus* per Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform. Matrim.* & *Crimen*, seu impedimenta impedientia Criminis, sive ex recitatis delictis orta, omnino omnia per universalem consuetudinem abrogata sunt; veluti cum Navarro, & Sanchez passim notant DD. Unde solum in suo vigore remanent prima quatuor, nempe *Sacratum tempus*, *Vetitum*, *Sponsalia*, *Votum*. Quibus tamen recte accensetur geminum impedimentum *Clandestinitatis secundum quid* (Clandestinitas autem simpliciter talis est de classe impedimentorum dirimentium) consistens in omissione Parochi, & Testium, quando contrahitur Matrimonium, ubi Tridentinum, præsentiam Parochi, & Testium ad valorem contractus Matrimonialis requirens, non viget; ibi enim sine assistentia Parochi, & Testium Matrimonium initur quidem valide, non autem licite, secundum dicta *n.* 401. atque in omissione trium denunciationum, quæ fieri debent, ut Matrimonium licite iniri possit, secundum dicta *n.* 433. Verum de hoc gemino impedimento jam actum *disp. præced. locis, seu n. n. immediate citt.* sicut & de Sponsalibus *disp.* 1. Unde de tribus duntaxat impedimentis impedientibus, nempe *de Tempore Sacrato*, *de Vetito*, ac *de Voto*, adhuc tractandum restat; idque breviter solum, cum circa ea non occurrant magnæ difficultates enodandæ, ut patebit.

500. Dico igitur primo. *Circa Tempus Sacratum*, sive *Feriatum* notanda sunt, quæ sequuntur.

1. Per illud denotari tempus computatum ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & a Feria IV. Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, quo Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 10. *de Reform. Matrim.* solemnes Nuptias interdicit.

2. Prædicto tempore non ipsas Nuptias, secundum se spectatas, a Concilio interdici, sed tantum solemnitates quasdam, in earum celebratione alias adhiberi solitas, cujusmodi sunt solemnis benedictio, solemnis Sponsæ traductio in domum Sponsi, externa pompa, publica vanæ lætitiæ signa, choreæ, convivia &c. Sumitur ex Trident. *cit.* ubi habet: *Antiquas NB. solemnium Nuptiarum prohibitiones ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit*: idque in venerationem illius temporis sacrati, quo orationi, & jejuniis, non tripudiis, aliisve vanæ lætitiæ signis vacandum est. Unde tali tempore privatim, sive omissis ejusmodi solemnitatibus, contrahere Matrimonium coram Parocho, & Testibus, per se loquendo, & spectata prohibitione Tridentini supra, non est illicitum. Sanct Gallenses *tom.* 10. *tr.* 4. *q.* 3. *dub.* 1. *pag.* 657. & alii communiter.

3. Sponsos, si tempore sacrato contra prohibitionem Tridentini Matrimonium celebrent cum prædictis solemnitatibus, peccatum mortale haud effugere, & ad tempus a toro separandos esse, nisi saltem unus illorum subeat periculum incontinentiæ, ad quod evitandum expediat aliam infligere pœnam, arbitrio Episcopi taxandam. Similiter & Sacerdotem benedicentem tunc Nuptias graviter peccare, ac pœnæ arbi-

trariæ obnoxium esse. Videri potest Sanchez *lib.* 7. *disp.* 7. *a n.* 3.

501. Dico secundo. *Circa Vetitum* (Ecclesiæ) notanda veniunt sequentia.

1. *Vetitum Ecclesiæ* coincidere *cum interdicto Ecclesiæ*, si hoc presse accipiatur, prout accipi debet, ut faciat ad præsens institutum. Nam si late, & generaliter accipiatur, denotat omne impedimentum Matrimonii tam dirimens, quam impediens, ab Ecclesia introductum, cum Ecclesia omnibus, sive uno, sive altero impedimento gravatis, inhibeat, seu interdicat Matrimonium.

2. Per Vetitum, seu interdictum Ecclesiæ, modo immediate fato acceptum, reipsa nihil aliud intelligi, quam specialem prohibitionem, qua Superior Ecclesiasticus ob gravem causam, v. g. ob dubium de aliquo impedimento, vel ad evitandum scandalum, inimicitias, rixas &c. certis personis Matrimonium, donec ejusmodi causa examinetur, vult esse prohibitum.

3. Sponsos, huic tali prohibitioni contravenientes, seu ea pensi non habita, Matrimonium contrahentes, graviter delinquere, gravique pœna, ac separatione a toro, arbitrio Episcopi puniendos esse: ipsumque etiam Sacerdotem benedicentem Nuptias subjacere pœnæ arbitrariæ, ab Ordinario infligendæ. Sanct-Gallenses ubi supra *pag.* 659.

4. Non solum Papam, & Episcopum, hujusque Vicarium Generalem, sed etiam Parochum justa de causa certis personis Matrimonii contractionem vetare, seu interdicere posse; Imo debere pro re nata sub pœna triennalis suspensionis ab Officio. *cap. fin. de Clandest. Desponf.* Ubi tamen modus interdicendi in Parocho est diversus, utpote qui non agit tunc, nec agere potest judicialiter, sicut Papa, Episcopus &c. sed extrajudicialiter tantum, instar Pastoris, quatenus ad ipsum pertinet, omne malum peccari a suis Ovibus, seu Parochianis pro possibili avertere. Ratio hujusce disparis in interdicendo modi est: quia cognitio, & decisio judicialis causarum Matrimonialium, consequenter etiam prohibitio Matrimonii, quæ judicialiter fiat, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, penes quem residet jurisdictio pro foro externo, *cap.* 1. *de Consang. & Affinit.* talis autem Judex est solus Papa, aut Episcopus, hujusque Vicarius, vel delegatus, non vero Parochus qua talis. Laymann *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 15. *n.* 1.

502. Dico tertio, *Circa Votum* notanda sunt ista, nempe

1. Per illud impræsentiarum, & quatenus constituit impedimentum Matrimonii Impediens, intelligi *votum simplex Castitatis, seu Continentiæ perpetuæ* (imo & temporalis, relate ad tempus, quo durat) *votum ingrediendi Religionem; votum suscipiendi SS. Ordines; & votum Cælibatus, seu non ineundi Matrimonium.*

2. Nullum ex his votis impedire valorem Matrimonii, seu esse impedimentum ejus dirimens, sed impediens tantum. Ita decisum extat *cap. un. de Voto in* 6. Ratio insuper est: quia per nullum eorum traditur dominium corporis, sed tantum jus Religionis in illud: nempe Deo, consequenter vovens etiamnum retinet sui corporis dominium, valide, quamvis illicite, in alterum transferibile.

Hæc tamen doctrina nonnullas patitur exceptiones. Nam in primis excipitur Votum simplex Castitatis, quod cum aliis duobus Paupertatis & Obedientiæ emittitur in Societate Jesu post biennium Novitiatus. Istud enim juxta Bullam, *Ascendente Domino*, quam edidit Gregorius XIII. vim habet dirimendi Matrimonium contrahendum.

Excipitur præterea communiter ille casus, quo uxor in seculo manens, edito voto castitatis, marito dedit licentiam suscipiendi SS. Ordines. Talis namque uxor post obitum mariti non potest valide contrahere aliud Matrimonium; prout constat *ex can.* 14. *dist.* 3. & aliis Juribus Ecclesiasticis. Videantur Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disp.* 40. *a nu.* 2. & Sporer *in Thel. Sacram. part.* 4. *n.* 43.

Excipitur denique casus, quo Matrimonium contrahitur sine animo illud consummandi. Unde si contrahatur Matrimonium sub conditione, & modo servandi perpetuam continentiam, id fit non solum valide, sed etiam licite, per se loquendo; ut proinde tali casu castitas promissa nullum ponat obicem Matrimonio licite ineundo. Revideatur, quæ tradidimus supra *n.* 337. Nunc pro conclus.

3. Notandum, quod (1) votum Castitatis usum Matrimonii contracti reddat illicitum, uti & contractionem novi Matrimonii, priore dissoluto; secus respective est (2) de votis Cælibatus, suscipiendi SS. Ordines, & ingrediendi Religionem. Ratio primi est; quia castitas, ante initum Matrimonium (imo & post illud) promissa, adhuc observari potest a vovente absque præjudicio conjugis, abstinendo videlicet a petitione debiti conjugalis, & a contractione novi Matrimonii, si prius fuerit dissolutum; ergo observari debet, vel peti dispensatio &c. Ita aperte habetur *in cap.* 3. *&* 12. *de Convers. Conjug.* Cum quo tamen stat, quod hujusmodi vovens, etiam non dispensatus, reddere debitum conjugale licite possit, imo teneatur. Ratio hujus est: siquidem altera pars, nullo (ut supponitur) ligata voto, acquisivit jus proximum, ac expeditum in corpus conjugis, etsi voto obstricti, quo jure sine sua culpa, aut causa privari non debet. Colligitur *ex cap.* 11. *de Convers. Conjug.* & aliis Juribus passim.

Ratio secundi membri est 1. Siquidem nemo tenetur servare, quod vel non promisit, vel saltem non promisit actu: sed qui fecit votum Cælibatus, non promisit Castitatem; qui vero fecit votum suscipiendi SS. Ordines, aut ingrediendi Religionem, non promisit Castitatem actu; ergo &c. Min. declaratur. Nam qui fecit votum Cælibatus, promisit tantum abstinere ab ineundo Matrimonio; qui vero fecit votum suscipiendi SS. Ordines, aut ingrediendi Religionem, se solummodo obligavit actu ad illorum susceptionem, & hujus ingressum: quæ objecta voti sunt diversa a Castitate: consequenter &c.

Ratio ejusdem membri est 2. Nam votum, cujus materia reddita est impossibilis, non amplius obligat: sed, Matrimonio semel contracto, materia voti de non ineundo Matrimonio, ac de suscipiendis SS. Ordinibus; imo (postquam Matrimonium est consummatum) etiam de ingredienda Religione, hic, & nunc reddita est impossibilis, ut patet; ergo &c. Sed pro dictorum meliore intelligentia

530. Colliges, vota Cælibatus, suscipiendi SS. Ordines, & ingrediendi Religionem, convenire cum voto servandi Castitatem relate ad effectum impediendi, ne Matrimonium a voventibus iniri licite possit; relate autem ad alios effectus ab eo discrepare: prout relinquitur ex dictis. Porro tria illa vota nec inter se plene conveniunt, etiam relate ad usum Matrimonii. Nam, si voto Cælibatus, aut suscipiendi SS. Ordines, obstrictus, Matrimonium semel contraxit, illud licite consummat, esto illicite contraxerit: quia materia voti jam reddita est impossibilis; & votum non amplius obligat voventem obligatione inhibente usum Matrimonii contracti. Secus dicendum de habente votum Religionis ingrediendæ: hic quippe talis mortaliter peccat saltem Matrimonium consummando (an etiam, & qualiter peccet illud ineundo, patet ex alibi dictis) cum per ejusmodi consummationem se primum conjiciat in statum, in quo votum implere amplius non potest; quod antea adhuc potuisset, quatenus in statu Matrimonii mere rati ipsi integrum fuisset ingredi Religionem &c.

Dices. Etiam ligatus voto Cælibatus, aut suscipiendi SS. Ordines, potest adhuc ante consummationem Matrimonii Religionem ingredi, & tamen Matrimonium consummando non peccat; ergo neque peccabit ligatus voto ingrediendi Religionem &c.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia vovens prioris generis, esto possit in casu, non tamen tenetur Religionem ingredi; cum hoc facere non promiserit: at vovens posterioris generis non modo gaudet potestate, sed etiam premitur obligatione intrandæ Religionis, quippe per votum, seu legem privatam, sibimet imposita.

CAPUT

CAPUT II.

Expediuntur Quæstiones, quæ concernunt impedimenta dirimentia.

JUre antiquo duodecim tantum impedimenta Matrimonii dirimentia erant; modo autem, seu Jure novo Tridentini numerus ille duodenarius auctus est, additis adhuc duobus aliis id genus impedimentis, *Clandestinitatis* nempe (in absentia Parochi, & Testium sictæ) ac *Raptus* &c. ut jam sint, & numerentur *communiter* quatuordecim, hisce versibus comprehensa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas:
Si sis Affinis; si forte coire nequibis;
Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Dixi: *communiter*. Non enim desunt Authores, qui impedimenta Matrimonii dirimentia adstruunt, sive assignant numero septemdecim, dum *Cognationem*, quæ (ut videbimus *art.* 4.) triplex est, in tria impedimenta subdividunt; & *Ætatem* (Impuberum nempe) ab Impotentia seorsim computant, diversumque ab ea impedimentum statuunt. Sed procedamos cum communi, numerum ejusmodi Impedimentorum, ab aliis passim adstrui solitum retinentes, & *Cognationem* pro uno duntaxat (secundum speciem subalternam) impedimento computantes; atque *Ætatem* ad Impotentiam reducentes. Ceterum ea quatuordecim Impedimenta distincte ut pertractemus juxta ordinem, quo in recitatis Hexametris exprimuntur, singulis singulos articulos assignabimus. Sit igitur

ARTICULUS I.

De Impedimento Erroris.

SUMMARIUM.

504. & 505. *Statuuntur duo prænotanda ob conclusiones subjungendas.* 506. *Error versans circa substantiam personæ, sive sit antecedens, sive concomitans, dirimit Matrimonium Jure naturæ.* 507. & *seqq. Solvuntur objectiones, ac deducitur corollarium.* 511. *Error qualiscunque, versans circa qualitatem personæ, regulariter non dirimit Matrimonium.* 512. *Limitatur conclusio.* 513. & *seqq. Solvuntur objectiones, ac deducitur corollarium.*

504. PRænotandum primo; triplicem errorem in contractu Matrimoniali posse contingere. Errari enim potest 1. *circa substantiam personæ*, id est, circa personam ipsam, quacum contrahitur. Sic errat, qui ducit Annam, credens esse Susannam. Errari potest 2. *circa meram qualitatem personæ*, quacum contrahitur: eamque vel intrinsecam, vel extrinsecam. Circa qualitatem intrinsecam errat, qui ducit v. g. Titiam, putans esse nobilem, aut virginem, cum tamen sit plebea, aut corrupta. Circa qualitatem extrinsecam errat, qui ducit Cajam, existimans esse divitem, cum tamen sit pauper. Errari potest 3. *circa conditionem*: quo nomine hic intelligitur status servitutis, aut libertatis. Hoc modo errat, qui, cum sit liber, ducit servam, autumans esse liberam.

505. Prænotandum secundo, errorem (de quo *in n. præced.*) posse esse vel *antecedentem*, vel *concomitantem*. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita, ut hic sine illo non fieret: ut si Titius duxerit Bertham pauperem, ratus esse divitem, eam non ducturus, si scivisset non esse divitem. Concomitans (appellatur etiam *incidens*) est, qui non dat causam contractui, sed eidem mere per accidens conjungitur: ut si Titius duxerit Bertham, quam credebat esse divitem, eam nihilominus ducturus, licet scivisset non esse divitem. Si altera pars se fingat talem, qualis non est, & sic compartem inducat ad se ducendam, cum errore conjungitur *deceptio*, & *dolus*. De *errore conditionis* agemus *in art. seq.* de reliquis *in præs.* Nunc

506. Dico primo. Error versans circa substantiam personæ, sive sit antecedens, sive concomitans, reddit Matrimonium Jure naturæ irritum. Communis DD.

Probatur. Quia sicut ad valorem aliorum contractuum, ita etiam ad valorem Matrimonii, requiritur Jure naturæ consensus liber, & voluntarius positive: sed quando intervenit error circa substantiam personæ, sive is sit antecedens, sive concomitans, deficit consensus liber, & voluntarius positive; ergo &c. Minor probatur, & declaratur. Siquidem nihil potest esse volitum, adeoque liberum, & voluntarium positive, quod non est cognitum: atqui errans, sive errore antecedenti, sive concomitanti, circa substantiam personæ, non cognoscit substantiam personæ; ergo ei deficit consensus liber, & voluntarius positive in substantiam personæ.

Itaque neuter error, antecedens nempe, & concomitans, compatitur voluntarium positivum, & consensum liberum actualem, vel virtualem in personam, quacum contrahitur. Aliunde tamen inter illos discrimen est, quod antecedens reddat consensum involuntarium positive; concomitans vero involuntarium negative tantum, seu mere non voluntarium: id quod nihil facit ad præsens institutum, utpote ubi ad valorem Matrimonii requiritur consensus positive voluntarius, qualis non est dabilis in errante, sive antecedenter, sive concomitanter solum, uti dictum, atque ostensum est.

507. Objicies primo. Validum fuit Matrimonium Jacob cum Lia, Rachelis loco substituta; ergo error versans circa substantiam personæ, non reddit Matrimonium irritum.

Confirmatur. Si Titius putet se equam vendere Cajo, vendat autem reipsa Sempronio, venditio valet; ergo etiam Matrimonium valet, si Titius putet se contrahere cum Caja, contrahat autem cum Sempronia.

Respondetur ab object. dist. ant. Fuit validum vi primi consensus, neg. vi alterius consensus, post deprehensam fraudem eliciti, con. ant. & neg. cons. Primus Jacobi consensus, stante errore elicitus, non valuit; unde & copula fuit materialiter fornicaria. Valuit autem consensus alter, quo Matrimonium cum Lia revalidavit partim ex commiseratione erga ipsammet Liam jam defloratam, partim potiundæ etiam Rachelis gratia.

Ad confirmat. neg. cons. Disparitas est: quia in contractu venditionis non persona, cui res venditur, sed res, quæ venditur, est materia circa quam, & objectum substantiale contractus: at in contractu Matrimonii ipsa persona, ejusque corpus individuale constituit materiam circam quam, seu remotam, & objectum substantiale talis contractus.

Instabis. Error, versans circa materiam remotam, non vitiat alios contractus; valida enim est venditio, quam e. g. venditur vinum Franconicum pro Rhenano, modo sit ejusdem valoris, & utilitatis; ergo nec vitiat contractum Matrimonii.

Respondetur, dist. ant. Idque verum est, si una materia non differat ab altera substantialiter, saltem in morali æstimatione hominum, con. si differat, neg. ant. & cons. In dicto exemplo una materia non differt ab altera substantialiter juxta moralem æstimationem hominum. Unde, licet circa eam erretur, error tamen non versatur, nec redundat in substantiam contractus, & per consequens hunc non vitiat. Contra in Matrimonio una persona differt ab altera substantialiter justa moralem æstimationem hominum: consequenter &c. Revide, quod diximus *part.* 4. *n.* 779.

508. Objicies secundo. Isaac valide benedixit Jacob, licet erraverit in persona, ratus, benedictionem cadere in filium suum primogenitum Esau; ergo etiam valide quis poterit inire Matrimonium, licet ducatur errore personæ, cum qua illud init.

Respondetur cum Cornelio a Lapide in Genesin. *cap.* 27. quod Isaac non erraverit in persona quoad primariam suam intentionem, qua intendebat benedicere primogenito, qui talis sit secundum voluntatem Divinam; talis autem primogenitus erat Jacob, non Esau: esto erraverit quoad intentionem secundariam, qua intendebat benedicere Esau, putans eum esse primogenitum &c. Unde hoc ipso errore per instinctum Dei cognito, benedictionem suam præcedentem confirmavit, dicendo: *benedixique ei* (nempe Jacobo) & *erit benedictus*. Qualem confirmationem

si faceret etiam contrahens Matrimonium ea errore personæ, utique ex tunc illud valeret; consequenter objectio nihil urget.

509. Objicies tertio. In aliis Sacramentis valorem non impedit error circa personam, ut si Sacramentaliter absolvas Petrum, putans esse Paulum; si baptizes infantem, putans esse masculum, cum sit femella &c. ergo nec in Sacramento Matrimonii.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia in aliis Sacramentis persona recipiens se tantum habet tanquam subjectum, cujus conditiones individuales nihil conferunt ad finem per illa intentum. Unde Ministri nihil interest, an illa conferat huic, vel alteri personæ? an baptizet masculum, vel femellam? an absolvat Petrum, vel Paulum, &c. & hinc suam intentionem, ac actionem ordinarie dirigit in personam præsentem, quæcunque ea sit. E diverso in Sacramento Matrimonii persona, ejusdemque corpus constituunt materiam remotam, ac objectum substantiale contractus Matrimonialis; & conditiones individuales illius per se, & suapte natura quam maxime conferunt ad consuetudinem vitæ inter conjuges retinendam. Unde plurimum interest contrahentis Matrimonium, cum quanam persona contrahat, eo quod contrahendo ad individuam vitæ societatem se obliget; & hinc ordinarie censetur tantum consentire in personam mente conceptam. Quod si tamen in casu aliquo extraordinario contrarium fieret, & contrahens consentiret in personam præsentem, sive hæc sit Anna, sive Susanna, utique Matrimonium valeret: sicut contra non valeret Baptismus, si baptizans intenderet determinate baptizare hominem sibi oblatum, si sit masculus, & ponatur esse femella &c. Sed hoc nihil contra conclusionem; ut patet.

510. Colliges, non valere Matrimonium, quod Titius init cum Caja, quam putat esse Semproniam, licet *habitualiter* ita animo comparatus sit, ut, si sciret esse Cajam, eam nihilominus duceret, vel etiam libentius duceret, ac Semproniam. Ratio est: quia Titius ob errorem concomitantem destituitur intentione tam actuali, quam virtuali (quarum tamen alterutra ad valorem Matrimonii necessaria est) contrahendi cum Caja (imo nec habet intentionem habitualem proprie sumptam, cum hæc sit intentio actualis semel habita, & non revocata, qualem intentionem actualem in Titio præcessisse non supponitur) illa autem dispositio mere habitualis, cum non importet intentionem actualem, vel virtualem (imo nec habitualem proprie dictam) actu nihil operatur, nihilque ponit in esse.

511. Dico secundo. Error versans circa personæ qualitatem, licet sit antecedens, vel etiam ex alterius partis deceptione, aut dolo proveniens, non reddit, regulariter loquendo, Matrimonium irritum. Ita DD. rursus communiter contra paucos.

Probatur. Nam si ejusmodi error irritaret Matrimonium, vel irritaret Jure positivo, vel Jure naturæ: neutrum affirmari potest; ergo &c. Min. prob. Non enim potest affirmari prius: quia in contrarium stant & praxis Tribunalium, errorem circa qualitates non curantium, & paritas cum aliis contractibus, quos error ne quidem Jure positivo invalidat, per *l. 11. §. 1. & lib. 43. ff. de contr. empt.* neque circa contractum Matrimonii aliquid peculiare quoad hoc reperies in ullo Jure constitutum. Posterius itidem affirmari nequit: quia quod non tollit substantiam Matrimonii, non irritat Matrimonium Jure naturæ; prout de se patet, & fatentur omnes: sed error versans circa qualitatem, tametsi sit antecedens, & ex alterius contrahentis deceptione, aut dolo proveniens, non tollit substantiam Matrimonii; cum non impediat consensum simpliciter voluntarium, nec aliud quidquam causet, quo substantia Matrimonii evertatur; ergo &c.

Confirmatur. Si error, versans circa qualitatem personæ, irritaret contractum Matrimonialem, innumera Matrimonia forent irrita, vel saltem dubia, & litibus exposita; cum etiam ocularissimus Argus raro advertat ad omnes qualitates, quæ circa objectum emergere, detegi, & displicere possunt: id quod vergeret in maximum præjudicium, atque incommodum prolium; conjugum, & ipsius quoque Reipublicæ: consequenter &c.

512. Dixi in conclus. *regulariter loquendo*. Excipiendi quippe sunt tres præcipue casus. Primus est, quando liber contrahit cum serva, quam putat esse liberam: contrahit enim irrite, quamvis ducatur errore circa solam qualitatem personæ, cum error conditionis servilis Matrimonium irritet; prout videbimus *art. seq.*

Secundus casus est, quando contrahens actualiter, vel virtualiter adducit qualitatem in conditionem, sive (quod in idem recidit) quando suum consensum alligat qualitati tanquam conditioni, v. g. *duco te, si es nobilis, si es dives &c.* Sic nanque contrahens non consentit in personam absolute, sed conditionate, si nempe tali qualitate, sive prærogativa polleat: consequenter, quando deficit conditio, contractus est nullus; & qualitas illa non amplius habet se per modum causæ impulsivæ, aut demonstrationis tantum, sed per modum causæ finalis, & tanquam pars objecti principalis.

Tertius casus est, si error qualitatis redundet in personam. Quandonam autem hoc contingat, explicatu difficile est. Placet explicatio P. Illsung *tr. 6. disp. 9. n. 68.* juxta quem error qualitatis tunc redundat in personam, quando qualitas est individualis determinatio ipsius personæ, veluti contingeret, si velles contrahere cum primogenita, adeo, ut tua intentio ferretur in illam, quatenus primogenitam, licet de cetero tibi ignotam, & sisteretur secundogenita, tuque cum illa contraheres: Matrimonium quippe contractum procederet ex errore qualitatis redundante in personam, esseque irritum; siquidem & hic qualitas illa se haberet per modum causæ finalis, & tanquam pars objecti principalis. Ex quo patet, tertium hunc casum reipsa parum, aut nihil differre a secundo.

Interim quæ de utroque isto posteriore casu dicta sunt, in foro duntaxat interno procedunt. Nam in foro externo nullus contrahentium præsumitur suum consensum alligasse qualitati tanquam conditioni, aut in eam tetendisse, prout est quædam individualis determinatio personæ, quacum contrahit, nisi idore proferat, aut aliter manifestet, ante vel in contractione Matrimonii; neque ex postfacto asserenti creditur, nisi probet.

513. Objicies nunc contra conclus. primo. Consensus contrahentis tendens in personam, & qualitatem, seu in personam ut affectam hac qualitate, est indivisibilis; ergo pro partiali objecto etiam habet qualitatem. Atqui sublato objecto etiam partiali, perit actus, seu consensus indivisibilis; ergo, deficiente qualitate, deficit quoque consensus in personam: consequenter Matrimonium est nullum.

Respondetur primo, per hunc talem argumentandi modum probari, vix ullum contractum valide iniri; quia vix unquam intenditur sola substantia rei, omnibus qualitatibus viduata, & raro contingit, ut omnes qualitates, quæ ad contrahendum impellebant, ita se habeant, sicut prius se habere existimabantur.

Respondetur secundo in forma, dist. ant. Consensus contrahentis est indivisibilis entitative, con. objective, quasi recuset objectum, nisi omnis qualitas in eo repræsentata subsistat, neg. ant. & cons. intellectam de objecto partiali substantiali, vel per se intento. Dist. pariter subsumpt. Atqui sublato objecto partiali substantiali, vel per se intento, perit consensus indivisibilis, con. sublato objecto partiali accidentali, & per se non intento, neg. subsumptum, & utranque cons.

514. Objicies secundo. Qui se fingit pauperem, cum sit dives, non fit dominus eleemosynæ sibi datæ, & datio est invalida; prout relinquitur ex dictis *part. 2. n. 183.* ergo etiam contractus Matrimonii, initus cum persona paupere, habita pro divite, pronunciandus est invalidus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia datio eleemosynæ pro objecto substantiali, ac specificativo respicit sublevationem paupertatis, seu miseriæ alienæ; consequenter ubi non præsupponitur paupertas, ibi non datur, nec subsistit datio eleemosynæ, prout hæc ab aliis dationibus distinguitur. Aliud est in Matrimonio, cujus substantia, & essentia in traditione corporis pro corpore consistit; quæ substantia, & essentia salvatur, licet corpus, quod vicissim tradito accipitur, destituatur qualitatibus, quas in eo erronee præconcepit accipiens.

Aliæ objectiones, quæ in præsenti etiamnum proponi possent, anticipatæ, & solutæ sunt *part. 4. a n. 659.*

515. Colliges tamen pro hucusque dictorum meliori intelligentia, quod, licet error qualitatis sit antecedens, & dans causam contractui Matrimoniali, si

tamen

tamen qualitati, tanquam conditioni, consensus non alligetur, absolute consentiatur in personam, & Matrimonium teneat; nam modo antefato errans, dum contrahit, sic tendit: *volo ducere Titiam v. g. quam puto esse divitem*; non autem sic: *volo ducere divitem, qualem puto esse Titiam*: hoc quippe posteriore modo si tenderet, conditionatum poneret consensum, qui, deficiente cundinone, irritus esset. Porro qualitas conditionis intendi potest *actualiter*, vel *virtualiter*: prout *n.* 510. insinuatum est. Actualiter intenditur, dum quis actu intendit non ducere Titiam v. g. nisi sit dives; vel etiam ore profert, dicendo: *non duco Titiam, nisi sit dives*. Virtualiter intenditur, dum quis antea eam intentionem formavit, & postea nunquam revocavit. Sit exemplum, & casus, quo res optime declaratur. Femina quædam serio dixerat, idque non semel tantum, se potius mortem sibi illaturam, aut quidvis aliud passuram, quam ituram Matrimonium cum certo quopiam viro, si is esset ex Judæorum progenie, ex qua tamen fuisse post contractum Matrimonium inventus est. Femina enim nulliter contraxit; nam, licet mentionatam conditionem non apposuerit tunc, quando contraxit, & actualiter, apposuit tamen antea (ac nunquam, ut supponitur, revocavit) & virtualiter. Ita Basilius Pontius *lib.* 4. *de Matrim. cap.* 21. *n.* 13. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *nu.* 6. & alii.

ARTICULUS II.

De Impedimento Conditionis.

SUMMARIUM.

516. *Servi alii sunt* improprie, *alii* proprie *tales.* 517. *Solum difficultas est circa Servos posterioris generis. Si igitur* 518. *homo liber cum persona conditionis servilis servitute proprie dicta Matrimonium contrahat, invalide contrahit, quando laborat errore, vel ignorantia ejusmodi qualitatis: idque* 519. *ipso Jure natura.* 520. *Diluitur argumentum oppositum*; & 521. *deducitur corollarium.*

516. PRænotandum primo, servos alios esse *improprie*, alios *proprie* tales. Servi improprie tales sunt, qui glebæ, seu prædio colendo in perpetuum ita adscripti existunt, ut inde recedere non possint, nisi a suis Dominis vel gratis, vel pro pretio manumittantur: quapropter *adscriptitii*, vel *glebarii*, nati vero ex ipsis *originarii*, appellantur. Quibus accensendi veniunt *homines proprii* (Germanice Geibeigene) cujusmodi reperiuntur in Suevia, Polonia, VVestphalia &c. Servi proprie tales sunt, qui contra naturalem libertatem alieno dominio ita subjecti existunt, ut instar aliarum rerum vendi, aut aliter alienari valeant: cujusmodi fiunt vel *ex nativitate*, si nimirum nati sunt ex *serva*, vel *ancilla* stricte dicta, seu ex femina propriæ servituti obnoxia; *vel ex captivitate*, si nimirum in bello justo, cum exteris Nationibus gesto, capti, & servati sunt. Inter Christianos tamen non amplius dantur; sed servitus proprie dicta hodie in reverentiam Christianæ libertatis, qua nos Christus donavit, sublata est, licet Turcæ, Gentiles, & Pagani, si a Christianis in bello justo capiantur, vere fiant, maneantque hodiedum servi Christianorum, quandiu non fuerint baptizati.

517. Prænotandum secundo, & supponendum tanquam certum, Matrimonium, quod cum *servo* (vel *serva*) *improprie dicto*, nempe *adsciptitio*, aut *originario*, vel *homine proprio*, contrahitur, esse validum, quamvis alter contrahentium non sit simili servituti obnoxius, & obnoxium esse compartem ignoret. Ratio est: partim quia hi tales servi absolute sunt liberi, licet arctius, quam ceteri subditi, suis Dominis adstricti sint, & quandam servitutis speciem præseferant: partim quia illiusmodi Matrimonium nullo Jure reperitur irritatum. Manet ergo validum, haud minus, ac si contraheretur cum ignorantia, vel errore versante circa aliam qualitatem personæ. Unde solum remanet quæstio de Matrimoniis servorum proprie dictorum, & discutiendum venit, an, & quo Jure tales servi impediantur a contrahendis Matrimoniis? Pro cujus resolutione

518. Dico primo. Si homo liber, seu ingenuus contrahat Matrimonium cum persona conditionis servilis, invalide contrahit, quando laborat errore, vel ignorantia ejusmodi qualitatis. DD. universi.

Probatur conclusio, imo expresse continetur in *cap.* 2. & *cap. fin. de Conjug. Servor.* Ratio autem, ut Jus ita disponeret, fuit nimia inæqualitas inter contrahentes, & præjudicium, quod personæ liberæ, imo & ipsi statui Matrimoniali, ex tali Matrimonio, secundum Jus naturale forte valido, crearetur.

Dixi: *si homo liber &c.* Nam si servus contrahat Matrimonium cum serva, valide, & licite contrahit, etiam invito Domino. Ita habetur *cap.* 1. *de Conjug. Servor.* Et ratio est: quia licet servi non habeant proprie velle, & nolle in iis, quæ sunt Juris Civilis. *l.* 4. *ff. de R. J.* habent tamen tale in illis, quæ sunt Juris naturalis, uti est Matrimonium; in ordine ad quod proinde considerandi sunt secundum naturam, secundum quam sunt æque liberi, ac alii homines ingenui, nullique servituti obnoxii.

Nec obstat, quod servi, invito Domino, non admittantur ad Professionem Religiosam, aut SS. Ordines. Nam per Professionem Religiosam, aut SS. Ordines totaliter abstraherentur a servitiis suo Domino debitis, cum servitio Divino ex asse, & in perpetuum manciparentur. Aliter fit per Matrimonium, utpote per quod non eximuntur a servitiis Domino præstandis: imo usum Matrimonii ita temperare debent, ut non vergat in notabile præjudicium Domini, obsequia sibi debita poscentis.

Dixi præterea: *quando laborat errore &c.* Si enim liber conditionem servilem alterius partis, quacum Matrimonium contrahit, præsciat, & nihilominus contrahat, Matrimonium omni procul dubio valet. per *can.* 2. 4. 5. *caus.* 29. *quæst.* 2. & *cap.* 2. *ac fin. de Conjug. Servor.*

Nec refert, quod in *l.* 3. *C. de incest. Nupt.* Matrimonia libetorum cum ancillis vocentur *contubernia*. Siquidem, præterquam quod in causa Matrimoniali Leges Canonicæ potius, quam Civiles attendendæ sint, per *contubernia* ibi possunt intelligi Matrimonia absolute vera, sed minus honorata, minusque proli favorabilia; eo quod ex ancilla non nascantur nisi servi. *l. partum. C. de rei vindic.* & *cap.* 3. *de Conjug. Servor.*

519. Dico secundo. Conditio servilis ignorata non tantum Jure Ecclesiastico, sed etiam naturali irritat Matrimonium. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 30. *qu.* 1. §. *Ad istam Quæstionem*, & *dist.* 42. *q. unic.* §. *Ex dictis.* Hiquæus, Joannes Pontius, Mastrius, Reiffenstuel, Pangerr, & alii contra alios, quorum tamen sententiam censeo æque probabilem.

Probatur autem nostra conclusio in hunc modum: Error redundans in personam Jure naturali irritat Matrimonium, prout supra *nu.* 512. *in except. cas.* 3. animadversum est, & ultro fatentur ipsimet Adversarii: sed error, sive ignorantia conditionis servilis redundat in personam; ergo &c. Min. prob. Contrahens non solum intendit contractum, sed etiam æqualitatem dari, & accepti ex vi præsentis contractus; ergo sicut unus e contrahentibus Matrimonium transfert liberam potestatem sui corporis in alium, ita intendit acquirere liberam potestatem corporis alterius; ergo illius consensus tendit in personam, ut hæc habet affixam rationem æqualitatis quoad translationem liberæ potestatis in suum corpus: atqui persona servilis non habet affixam rationem talis æqualitatis, ut patet; ergo &c.

520. Objicies. Error versans circa alias qualitates personæ non irritat Matrimonium Jure naturæ; ergo nec error versans circa qualitatem libertatis.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia error circa alias qualitates personæ non redundat (regulariter loquendo) in personam, nec tollit substantiam Matrimonii, cum non impediat consensum simpliciter voluntarium, & liberum, nec aliud quidpiam causet, quo substantia Matrimonii evertatur. Aliter res se habet cum errore versante circa qualitatem libertatis, ut constat *ex probat.* Et sane ipsa quoque Jura agnovere hanc disparitatem, dum ob prædictam inæqualitatem inter contrahentes, & præjudicium, quod personæ liberæ ex valore talis Matrimonii (secundum Jus naturale, & propter oppositas DD. sententias dubio)

createtur, ordinatione positiva retulerunt errorem, versantem circa qualitatem libertatis, in classem impedimentorum Matrimonii dirimentium; non vero errorem, versantem circa alias qualitates &c.

521. Colliges, valere omni Jure Matrimonium contractum a servo cum libera (aut vicissim a serva cum libero) si is (vel ea) antequam contraheret, libertate donatus sit; secus, si primum postea. Prima pars est communis, & ratio patula: siquidem tunc non contingit error circa qualitatem libertatis, quippe contrahenti tempore contractus jam inexistentem. Alteram docent itidem DD. communiter, & ratio est: quia carentia servitutis est conditio, a qua contractus Matrimonialis in suo fieri dependet; ergo ut is fiat, seu celebretur valide, in eo instanti, in quo celebratur, servitus abesse debet.

ARTICULUS III.

De Impedimento Voti.

SUMMARIUM.

522. *Quid intelligatur hic nomine* Voti? 523. *Votum solemne Religionis dirimit Matrimonium contrahendum: sed* 524. *Jure Ecclesiastico tantum; quo eodemmet Jure dirimit quoque Matrimonium jam contractum, si adhuc ratum, & necdum consummatum sit.* 525. *Solvitur argumentum oppositum.*

522. PRænotandum, nomine *Voti* impræsentiarum venire *Votum solemne*, quale emititur in professione Religionis, seu Ordinis Religiosi a Sede Apostolica approbati, & in susceptione SS. Ordinum (si tamen hic aliquod emittatur; de quo revidenda sunt, quæ tradidimus *tr. præced. disp.* 2. *n.* 103.) De priore voto agemus in hoc articulo, de posteriore autem *in art.* 8. inferius. Unde quæritur hic 1. An votum solemne Religionis dirimat Matrimonium contrahendum? 2. A quo Jure hanc dirimendi vim obtineat? Quæ autem decidemus de Voto solemni Religionis, intellecta quoque sunto de Votis simplicibus, emissis a Scholasticis, & Coadjutoribus Societatis Jesu, propter Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, editam anno 1584. Nunc

523. Dico primo. Votum solemne Religionis dirimit Matrimonium contrahendum. Conclusio extat definita in Trid. *Sess.* 24. *de Sacr. Matr. cap.* 9. Ratio quoque est: quia ejusmodi votum inducit statum moraliter incompatibilem cum Matrimonio. Deinde idem votum dirimit Matrimonium jam contractum, si necdum sit consummatum, secundum dicta *n.* 371. ergo etiam, & multo magis, dirimit contrahendum.

524. Dico secundo. Votum solemne Religionis vim dirimendi Matrimonium contrahendum (uti & contractum, non tamen consummatum) obtinet a Jure Ecclesiastico tantum, non autem a naturali, vel Divino. Scotus *in* 4. *dist.* 38. *q. unic.* cui adstipulantur non modo Scotistæ, sed etiam Recentiores passim, & Thomistæ complures.

Probatur primo, Votum solemne Religionis non obtinet prædictam vim, quatenus præcise votum est (alias eadem vis competeret etiam voto simplici; quod nemo asserit) sed quatenus est solemne; ergo illam obtinet a Jure Ecclesiastico tantum. Conf. constat: siquidem voti solemnitas Juri Ecclesiastico tantum suam debet originem: *cap. unic. de Voto, & voti Redemp. in* 6.

Probatur secundo. Sedes Apostolica non potest dispensare in iis, quæ sunt de Jure naturali, & Divino, (nisi forte hujusmodi Jus existat conditionatum duntaxat, & hypotheticum, quale impræsentiarum existere gratis diceretur) atqui altefata Sedes dispensare potest cum Religiosis professis in ordine ad contrahendum Matrimonium, si gravis causa, & necessitas ita postulet: imo actu sic dispensavit cum Ramiro, Monacho juxta, ac Sacerdote, ex Regia Aragonum Stirpe oriundo, & aliis pluribus; ergo signum est, quod votum solemne Religionis vim dirimendi Matrimonium non obtineat a Jure naturali, aut Divino, sed Ecclesiastico tantum.

525. Objicies. Quod jam est traditum uni, non potest amplius alteri valide tradi, etiam spectato Jure naturali; sed Religiosus mediante solemni voto suum corpus jam consecravit, & tradidit Deo; ergo etiam spectato Jure naturali non potest illud amplius tradere uxori; ergo votum solemne Religionis dirimit Matrimonium Jure naturali.

Confirmatur. Femina, quæ suum corpus tradidit per Matrimonium uni viro, nec de Jure naturali illud valide tradit alteri viro per novum Matrimonium priore viro superstite; ergo nec de Jure naturali se valide tradit viro per Matrimonium, postquam se tradidit Deo per Professionem Religiosam: consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Quod jam est traditum uni, non amplius potest valide tradi alteri, etiam spectato Jure naturali, traditione translativa juris, quod sit ejusdem rationis, con. quod sit diversæ rationis, neg. maj. Religiosus per sacram Professionem in suum corpus tribuit Deo jus, oriundum ex virtute Religionis tantum; per Matrimonium vero in idem corpus dat uxori jus, oriundum ex virtute Justitiæ; quæ jura sunt diversæ rationis, & tradi diversis possunt sine implicantia in Jura naturæ fundata: ut patet in exemplo voti simplicis, quo quis in suum corpus tribuit Deo jus oriundum ex virtute Religionis, & postmodum mediante contractu Matrimoniali in idem corpus dat uxori jus, oriundum ex virtute Justitiæ, sine implicantia. &c. Unde

Ad confirmat. con. ant. & neg. cons. Disparitas est: quia in casu antecedentis interveniret traditio translativa juris, quod utrobique esset ejusdem rationis, quippe fundatum in titulo Justitiæ: at vero casu consequentis fieret traditio translativa juris, quod esset diversæ rationis; cum relate ad Deum fundaretur in titulo, & virtute Religionis, relate autem ad maritum in titulo, & virtute Justitiæ. Sed

Dices. Esto Religiosus, media Professione, in suum corpus tradat Deo tantum jus, fundatum in titulo, & virtute Religionis, ipsi tamen Ordini, seu Religioni tradit jus fundatum in titulo, & virtute Justitiæ; ergo adhuc nequit, spectato etiam Jure naturæ, tradere feminæ jus in idem corpus per Matrimonium; consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Tradit Religioni jus fundatum in titulo, & virtute Justitiæ, quod tamen est diversæ rationis, & ordinis, ac sit jus, quod traditur per Matrimonium, con. quod est ejusdem rationis, & ordinis cum jure, quale traditur per Matrimonium, neg. ant. & cons. Jus, quod aliquis, mediante solemni Professione, in suum corpus, ac personam tradit Religioni, licet fundetur in titulo Justitiæ, & ideo secundum speciem superiorem conveniat cum jure, quod traditur per Matrimonium; secundum speciem tamen inferiorem hæc duo jura sunt omnino disparata, & inter se diversæ rationis, ac ordinis: siquidem jus, quod Religioni traditur, tendit ad usus Religiosos, & spirituales, finemque supernaturalem; jus autem, quod traditur per Matrimonium, tendit ad usus conjugales, & carnales, finemque naturalem. Unde traditio prioris juris non impedit ex natura rei traditionem posterioris. Id quod evincitur in exemplo. Nam licet servus, proprie dictus, suo Domino sit obstrictus titulo Justitiæ quoad ipsam quoque personam, valide nihilominus suum corpus tradit per Matrimonium tum servæ, tum personæ liberæ (modo ex parte hujus error conditionis servilis non interveniat) quia nempe jus Domini servum, & jus mulieris in maritum sunt disparata, ac diversæ rationis; ergo similiter, & a potiori &c. Accedit, quod illa ipsa traditio fundata in titulo Justitiæ, quæ fit per votum solemne Religionis, non oriatur ex natura voti, sed solum ex Jure Ecclesiastico, ex quo habet, quod sit, & dicatur solemne; ut supra animadversum est: consequenter &c.

ARTICULUS IV.

De Impedimento Cognationis.

COgnatio triceps est, videlicet *carnalis*, quæ ex carnali generatione derivatur; *spiritualis*, quæ ex regeneratione spirituali in Sacramentis Baptismi, ac Confirmationis oritur; & *Legalis*, quæ ex Legis adoptione resultat. Cognatio carnalis involvit duplex impedimen-

pedimentum, *Consanguinitatis* videlicet, ac *Affinitatis*. De impedimento consanguinitatis (quæ, cum rationem cognationis carnalis principalius participet, plerumque nominari etiam solet *simpliciter cognatio carnalis*) acturi sumus in hoc articulo; de impedimento autem affinitatis (quæ rationem cognationis carnalis minus principaliter participat, & ordinarie non cognatio carnalis, sed nomine specifico *affinitas* appellatur) *in art.* 9. ut sic singula impedimenta juxta ordinem, quo in versibus supra recitatis expressa sunt, expendamus. Ceterum cum cognatio, cujus discussionem hic suscipiemus, juxta primam sui divisionem triceps sit (ut meminimus) hunc articulum in tres paragraphos divisimus. Sit igitur

§. I.

De Cognatione carnali, seu Consanguinitate.

S U M M A R I U M.

526. *Describitur* Cognatio carnalis, seu Consanguinitas. 527. *Describuntur etiam* Stipes, Linea, & Gradus, *Consanguinitatis*. 528. *Assignantur Regula pro dignoscenda distantia unius consanguinei ab altero in ordine ad Matrimonium contrahendum*. 529. *Recensentur, & explicantur Nomina Consanguineorum*. 530. *Adstruitur Schema Consanguinitatis*. 531. *Additur praterea facilis Praxis indagandi Consanguinitatem, & Gradus ejusdem*. 532. *Consanguinitas non solum in primo, sed etiam in ulterioribus gradibus linea recta usque in infinitum valde probabiliter Matrimonium dirimit ipso Jure natura*. 533. *Solvuntur objectiones*. 534. *Deus super impedimento consanguinitatis in quocunque gradu etiam linea recta dispensare posset*. 535. *Consanguinitas linea oblique probabilius nec in primo gradu dirimit Matrimonium Jure natura*. 536. *& seqq. Diluuntur fundamenta contraria*. 539. *Consanguinitas in linea recta de Jure positivo humano dirimit Matrimonium in infinitum (quousque secundum nos etiam dirimit de Jure natura) in linea autem obliqua solum usque ad quartum inclusive*. 560. *Non est in ordine ad contrahendum Matrimonium facienda distinctio inter consanguinitatem ortam ex copula licita, vel illicita*.

526. PEr *Cognationem carnalem* pro consanguinitate sumptam, sive per ipsam *consanguinitatem* intelligitur *propinquitas personarum, ab uno Genarcho, sive eodem stipite, carnali propagatione descendentium*; ad quam, quatenus impedimentum Matrimonii inducit, rite percipiendam, tria nosse oportet, nempe *Stirpem*, vel *Stipitem*, *Lineas*, & *Gradus*.

527. *Stipes* dicitur illa persona, a qua eandem carnem, & sanguinem participant personæ, de quarum consanguinitate quæritur: unde consanguinitas est quasi una sanguinitas, sive unus sanguis, & inde nati vocantur *consanguinei*. Ceterum nihil interest in ordine ad Matrimonium impediendum, utrum persona, nomine stipitis denotata, mas sit, vel femina, pater, vel mater, avus, vel avia &c. nam in ordine ad præfatum finem non attenditur discrimen inter *agnatos*, uti nuncupantur, qui ex mare tanquam stipite, seu principio communi, & per lineam masculinam descendunt, atque inter *cognatos*, uti appellantur, qui descendunt ex femina tanquam principio communi, & per lineam femininam. Pariter hic nihil interest, an personæ, in quarum consanguinitatem inquiritur, in vel extra Matrimonium prognatæ sint.

Linea est *ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, diversos continens gradus*. Estque biceps, videlicet *recta*, & *obliqua*. Linea *recta* complectitur illas personas, quarum una est (sive immediate, sive mediate) ab altera, ita, ut sine deflexione ad latus vel ascendatur ad progenitores, patrem, aut matrem, avum, aut aviam &c. & vocatur linea *ascendentium*; vel descendatur ad progenitos, filium, aut filiam, nepotem, aut neptem &c. & nominatur linea *descendentium*. Linea vero *obliqua*, seu *transversa*, vel *collateralis*, complectitur personas, quarum nulla ab altera ducit originem, stirpem tamen communem, sive Genarchum habent eundem, uti sunt duo fratres, frater, & soror, patrueles, consobrini &c. quando nempe deflectitur ad latus alterutrum. Ubi nota, quod, quamvis hæc linea sit collateralis, si conferatur cum altera, cum non ingrediatur alteram, sed ad latus excurrat, sit tamen & ipsa, abscisse considerata, & in se, linea recta, quando in ea sunt plures personæ; sic duo fratres, si generent filios &c. singuli constituunt novam lineam rectam. Linea obliqua subdividitur in *æqualem*, & *inæqualem*. Prior est, quando personæ, in utraque linea collocatæ, distant æqualiter a communi stipite, & in pari gradu; ut duo fratres &c. Posterior est, quando illiusmodi personæ distant inæqualiter, & una stipiti est propinquior, quam altera, ut frater, & fratris filia &c.

Gradus denique est *intervallum, sive distantia unius persona ab altera in linea consanguinitatis*; quæ distantia major, vel minor fit per plures, aut pauciores generationes numeratas usque ad communem stipitem.

528. Ut autem dignosci queat, quo gradu unus consanguineus ab altero distet in ordine ad Matrimonium contrahendum, sive impediendum, tres de Jure Canonico (*can. 6. cauf. 35. quæst. 5. post arborem consanguinitatis*) extant regulæ; una pro linea *recta*, altera pro *transversa æquali*, & tertia pro *inæquali*. Regula lineæ rectæ est hæc: *tot sunt gradus, quot generationes intercedunt*: sive (quod in idem recidit) *tot sunt gradus, quot persona, una dempta*, nimirum stipite communi. Id quod exemplificabitur, & elucescet ex Schemate Consanguinitatis afferendo inferius *num.* 530. Regula lineæ transversæ æqualis est hæc: *quo gradu distant singula persone* (quarum consanguinitas indagatur) *a communi stipite, eodem gradu distant inter se*: sic duo fratres, vel frater, & soror, inter se distant uno, fratrum, vel sororum liberi duobus, horum liberi, (seu nepotes fratrum, vel sororum) tribus gradibus &c. Regula lineæ transversæ inæqualis est ista: *eo gradu distant inter se persone, quo persona remotior distat a communi stipite*: sic quia filia fratris mei distat duobus gradibus a suo avo, qui respectu mei est pater, ac simul respectu mei, & ipsius stipes communis, distamus inter nos duobus gradibus, licet ego a communi stipite distem tantum uno gradu: sic pronepos meus, & filia sororis meæ distant inter se quatuor gradibus, quia quatuor gradibus pronepos distat a communi stipite, qui est pater meus, licet filia sororis ab eodem, qui respectu ipsius est avus, solum distet duobus.

Dixi: *de Jure Canonico in ordine ad Matrimonium contrahendum* &c. Nam de Jure Civili in ordine ad hæreditarias successiones, sine ulla distinctione inter lineas, statuitur unica regula, nimirum illa, quam pro linea recta assignavimus, & est: *tot sunt gradus, quot sunt persona, una dempta*, scilicet communi stipite, *t. t. Instit. de Grad. cognat.* & *leg.* 10. §. 9. *seqq. ff. de Gradib.* Unde de Jure Civili in ordine ad successiones hæreditarias frater, ac soror, vel duo fratres jam duobus distant gradibus inter se, quia sunt duæ personæ, dempto patre: patruus a filio fratris tribus, patrueles quatuor, & sic deinceps. Cum enim hæreditas transferatur ab una persona ad alteram, ideo *Jus Civile* singulis personis singulos constituit gradus in ordine ad successionem in hæreditate. Porro idem Jus relate ad successionem in feudis facit discrimen inter *agnationem*, & *cognationem*, appellando *agnatos*, qui ex mare, & per lineam masculinam, ac *cognatos*, qui ex femina, & per lineam femininam descendunt; ut supra insinuatum. At vero *Jus Canonicum*, cum respiciat Matrimonium, & hoc inter duas personas contrahatur, duas semper personas in uno gradu computat; ideoque observandum est, quoties agitur de gradibus in ordine ad Matrimonium, *can. 2. cauf. 35. qu. 5. & cap. fin. de Consanguinit.* Neque in ordine ad Matrimonium contrahendum facit discrimen *agnatos* inter, & *cognatos*; prout itidem supra insinuatum.

529. Sed non inutile erit, si consanguineorum nomina, & gradus lineæ tam rectæ, quam obliquæ hic tibi ob oculos ponam. Itaque

Nomina in linea recta ascendentium sunt
Titii

Pater,	Mater.
Fatter,	Muner.
Avus,	Avia.
Grossvatter,	Grossmutter,

Oder

Anherz,	Anfrau.
Proavus,	Proavia,
Uranherz,	Uranfrau.
Abavus,	Abavia.
Ururanherz,	Ururanfrau.

Atavus, Atavia: Tritavus, Tritavia; & ultra ascendentes appellantur communi nomine *Majores*, Forelteren, oder Forfahrer.

Nomina descendentium in linea recta
Titii

Filius,	Filia.
Sohn,	Tohter.
Nepos,	Neptis.
Enkel,	Enkelin.
Pronepos,	Proneptis.
Urenkel,	Urenkelin.
Abnepos,	Aneptis,
Ururenkel,	Ururenkelin.

Atnepos, Atneptis; Trinepos, Trineptis; & ultra descendentes communi nomine appellantur Posteri, Rakommling.

Collaterales

considerantur in triplici ordine, nimirum vel ratione Patris, vel ratione Matris, vel ratione Fratris, & Sororis.

Nomina in linea obliqua, seu transversa ascendentium
Ratione Patris
Titii

Patruus, Amita. { dess Fatters } Pruder, Shvester.
Magnus Patruus, Magna Amita. { dess Anherzn } Pruder Shvester
Propatruus Proamita. { dess Uranherzn } Pruder, Shvester
Abpatruus, Abamita. { dess Ururanherzn } Pruder, Shvester

Ratione Matris
Titii

Avunculus, Matertera. { der Mutter } Pruder, Shvester.
Magnus Avunculus, Magna Matertera. { der Anfrau } Pruder, Shvester.
Proavunculus, Promatertera. { der Uranfrawen } Pruder, Shvester.
Abavunculus, Abmatertera. { der Ururanfraven } Pruder, Shvester.

Ratione Fratris, & Sororis
Titii

Frater,	Soror.
Pruder,	Shvester.

Sunt autem Fratres, sicut & Sorores, in tripliei differentia, scilicet *Germani*, *Consanguinei*, & *Uterini*.

Germani sunt ex iisdem Patre, & Matre, leiblihe Pruder, folbürtige Pruder, oder Shvestern.

Consanguinei ex eodem Patre, sed diversa Matre; vel Frater, aut Soror ex Patre, halb Pruder, oder Shvester fom Fatter.

Uterini ex eadem Matre, sed diverso Patre, halb Pruder, oder Shvester, fon der Mutter.

Nepos, Neptis. { ex Fratre, Pruders } Sohn, Tohter.
Pronepos, Proneptis. { vel, oder } Enkel, Enklin.
Abnepos, Abneptis. { ex Sorore, Shvesters } Urenkel, Urenklin.

Nomina reliquorum Collateralium.

Patrueles, aveger, oder mehrer Pruder Kinder.
Consobrini, zveger, oder mehrer Shvester Kinder.
Amitinus Amitina. { dess Fatters Shvesters } Sohn, Tohter.
Matrueles { der Mutter Pruders } Sohn, Tohter.

Sobrinus proprior, dess Grosfatters, oder Grosmutters, Pruders, oder Shvesters Sohn.

Sobrina propior, des Grosfatters, oder Grosmutters Pruders, oder Shvesters Sohn.

Sobrinus, dess Grosfatters, oder Grosmutters Pruders, oder Shvesters Enkel.

Sobrina, des Grosfatters, oder Grosmutters oder Shvesters Enklin.

530. *Nunc adstruitur* SCHEMA CONSANGUINITATIS.

In linea recta Consanguinitatis

Titius est consanguineus cum
{ Abavo in 4. Proavo in 3. Avo in 2. Patre suo in 1. *Ascendendo* }
{ *Descendendo* Filio suo in 1. Nepote in 2. Pronepote in 3. Abnepote in 4. }
Gradu.

In linea obliqua aquali

Titius est consanguineus cum
{ Fratre suo, Sorore sua, } in 1.
{ Patruelibus, Matruelibus, Amitinis, Consobrinis. } in 2. Gradu.

In linea obliqua inaequali

Ratione Patris

Titius est consanguineus
{ Cum Propatruo, & Proamita, horumque Liberis, Nepotibus, & Pronepotibus in 4. Gradu.
Cum Patruo magno, Amita magna, horumque Liberis, & Nepotibus in 3. ac cum Prenepotibus in 4.
Cum Patruo, & Amita, horumque liberis in 2. cum Nepotibus in 3. cum Pronepotibus in 4. }

Ratione Matris

Titius est consanguineus
{ Cum Proavunculo, Promatertera, horumque Liberis, Nepotibus, & Pronepotibus in 4. Gradu.
Cum Avunculo magno, & Matertera magna, horumque Liberis, & Nepotibus in 3. cum Pronepotibus in 4.
Cum Avunculo, & Matertera, horumque Liberis in 2. cum Nepotibus in 3. cum Pronepotibus in 4. }

Ratione Fratris, & Sororis.

{ Cum Liberis Fratris sui, & Sororis suæ, sive cum Nepote, & Nepte tum ex Fratre, tum ex Sorore sua in 2. Gradu, cum horum Liberis, sive Pronepote suo, & Pronepte sua tum ex Fratre, tum ex Sorore in 3. Gradu, cum horum Nepotibus, sive Abnepote suo, & Abnepte sua ex Fratre, & Sorore in 4. Gradu. }

Titius est consanguineus
{ Cum Sobrinis propioribus in Linea obliqua inæquali Grad. 3.
Cum Sobrinis in Linea obliqua æquali etiam Gradu 3. }

531. *Additur nunc etiam facilis*

P R A X I S

Indagandi consanguinitatem, & gradus ejus.

Itaque consultus a Sponsis, Matrimonium contrahere volentibus, vel ab aliis, ratione consanguinitatis, investiget

1.

Num inter illas personas, de quarum propinquitate quæritur, sit revera consanguinitas, vel tantum affinitas? Si consanguinitatem esse deprehendat, tunc videat

2.

In quanam linea, an scilicet in *recta*, an in *obliqua*? Si in *recta*, tunc observet Regulam: *tot sunt gradus, quot sunt personæ, una dempta*. Quod si adverterit, eas esse cognatas in linea obliqua (ut ordinarie contingit) tunc scribat infra medium chartæ, vel tabulæ eorum nomina, & quidem ex dextera parte scribat v.g. *Titius*, ex sinistra vero *Bertha*.

3.

Interroget Titium, quis tuus est pater, & mater? ac forte respondebit: *Petrus & Paulina*. Scribat ergo supra Titium hæc duo nomina. Deinde inquirat a Bertha, quis te genuit? & dicet forte: *Antonius, & Justina*. Scribat ergo etiam supra Bertham hæc duo nomina.

4.

Interroget iterum Titium, quis generavit tuos parentes, Petrum scilicet, ac Paulinam? & forte reponet: *Cajus, & Sempronia*. Scribat ergo hæc duo nomina supra Petrum, & Paulinam. Postea similiter interroget Bertham, quis generavit parentes tuos, Antonium nempe, & Justinam? & ubi reposuerit v. gr. *Joannes, & Anna*, hæc quoque nomina scribat supra Antonium, & Justinam: atque ita deinceps, donec ad communem *Titii, & Berthæ* stipitem perveniat. Et postmodum

5.

Videat, num æqualiter, vel inæqualiter a communi hoc stipite distent? Si æqualiter, applicet Regulam: *quot gradibus personæ singula distant a communi stipite, tot gradibus etiam distant inter se*. Si inæqualiter, applicet Regulam: *quot gradibus distat persona remotior a communi stipite, totidem gradibus ipsæ etiam personæ distant inter sese*. Sin autem non reperiatur stipes communis, in quo Titius, & Bertha tandem conveniant, signum est, quod non sint consanguinei.

Hanc praxim suggerunt, & consulunt PP. La Croix *lib. 6. part. 3. n. 607.* & Pichler *lib. 4. tit. 14. n. 8.*

Modo per conclusiones procedendum, & nonnullæ Quæstiones, sat difficiles, resolvendæ sunt. Itaque

532. Dico primo. Consanguinitas (1) in primo gradu lineæ rectæ dirimit Matrimonium Jure naturæ: imo valde probabiliter (2) in aliis quoque gradibus ulterioribus ejusdem lineæ usque in infinitum, adeo, ut si Adam hodie viveret, uxorem ducere non posset. Prima pars est communis. Alteram tenent Doctor Subtilis *in 4. dist. 40. quæst. unic. §. de secundo*. Mastrius *in 4. disp. 7. n. 457.* Herincx *de Matrim. disp. 6. n. 50.* Sporer *part. 4. Theol. Sacram. n. 86.* Reiffenstuel *lib. 4. tit. 14. n. 27.* & alii quam plurimi contra alios.

Probatur prima pars tum a priori, tum a posteriori. A priori quidem: quia incredibile est, quod Deus, & natura dederit hominibus potestatem transferendi dominium corporis sui in alios, ad eum usum, qui perpetuo esset inhonestus, & lumini naturæ, reverentiæ parentibus debitæ contrarius; atqui talis est usus Matrimonii inter consanguineos in primo gradu lineæ rectæ, puta inter parentes, & liberos; cum isti illis ceu principio immediato suæ existentiæ, debeant summum honorem ac reverentiam, cui utique juxta ipsum lumen naturæ actus conjugalis repugnat; ergo &c. A posteriori autem: quia omnes Gentes, honestatis, & bonæ educationis laude florentes, Nuptias in primo gradu lineæ rectæ execrantur tanquam nefandas; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Siquidem omnes posteri debent progenitoribus suis reverentiam tantam (vel saltem fere tantam) quantam liberi parentibus: cum ergo consanguinitas inter parentes, & liberos, seu in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Jure naturæ, etiam sic dirimet inter alios progenitores, & posteros. Cons. videtur tenere. Ant. ostenditur tum ex phrasi S. Scripturæ, qua Judæi dicuntur filii Abraham, Isaac, & Jacob, Christus filius David, & nos omnes nascimur filii Adæ secundum originem, virtute cujus etiam contrahimus maculam originalem; tum ex verbis Juris statim recitandis, queis progenitores nomine parentum, & posteri nomine liberorum venire dicuntur. Unde sic

Confirmatur conclusio ex *l. 53. ff. de Ritu Nupt.* ibi: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumque sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint, usque in infinitum*. Quam Juris Civilis dispositionem, vel potius declarationem expresse receperunt, & approbarunt SS. Pontifices, nempe Calixtus I. *in can. 2. caus. 35. qu. 2.* & Nicolaus I. *in Responsis ad consulta Bulgarorum cap. 39.*

Nec dicas, inde solum, & ad summum probari, quod consanguinitas in linea recta, spectato Jure positivo Humano, Matrimonium dirimat in infinitum, non autem, quod sic dirimat, spectato Jure naturali.

Contra enim est, neg. assumptum. Nam Jus Civile, a Canonico receptum, in allegato textu progenitores, & posteros computat in numero parentum, & liberorum; ergo vult inter illos æque Matrimonium Jure naturæ dirimi, ac dirimitur inter istos; sive dein præallegatum Jus *loc. citat.* faciat meram declarationem Juris naturalis, sive superaddat novam dispositionem positivam.

533. Objicies primo contra primam partem conclus. Aliquæ Nationes admittebant Matrimonia inter parentes, & liberos; ergo non repugnant rationi, & Jure naturali.

Respondetur, dist. ant. Nationes male moratæ, & æstu libidinis excæcatæ, con. Nationes bene moratæ, neg. ant. & cons. *Quid enim naturale sit, spectandum in his, quæ bene secundum naturam se habent; non in depravatis*, ait Aristoteles.

Objicies secundo. Matrimonium patris cum filia, & matris cum filio non repugnat fini primario Matrimonii, qui est generatio prolis: neque secundario, qui est remedium concupiscentiæ; ergo non est nullum Jure naturæ.

Respondetur, dist. cons. Non est nullum &c. nullitate orta ex repugnantia cum fine, con. nullitate orta ex alio capite, neg. cons. Nullitas Matrimonii inter patrem, & filiam, matrem, & filium, oritur ex defectu potestatis ad tradendum jus mutuum in corpora, utpote quam præmemoratæ personæ non censentur a Deo, & Natura accepisse ob rationem in probatione allatam, videlicet ob naturalem, eamque summam turpitudinem, qualis reperitur in usu talis Matrimonii, juxta lumen naturale omnium hominum non depravatorum.

Dices. Licet usus Matrimonii, seu copula inter personas, voto castitatis obstrictas, juxta lumen naturale turpis sit, earum tamen Matrimonium non est irritum Jure naturæ; ergo neque Matrimonium patris cum filia &c.

Respondetur, neg. cons. & parit. Nam turpitudo, quæ deprehenditur in copula patris cum filia, est intrinseca, id est, radicata in ipsa oppositione cum reverentia a filia patri naturaliter debita; a qua proin Natura ita abhorret, ut ipsis affectibus inseverit fugam quandam ejusmodi commixtionis, & merito censeatur idcirco denegasse talibus personis potestatem tradendi jus mutuum in corpora carnaliter commiscenda. Ast turpitudo, quæ relucet in copula personarum, voto castitatis obstrictarum, solum ab extrinseco provenit, videlicet actu voluntatis, quo illæ personæ, voto castitatis libere emisso, sibimetipsis copulam interdixere: quæ proinde turpitudo, quamvis sufficiat ad Matrimonium inter tales personas reddendum Jure naturæ illicitum, haud tamen sufficit ad illud eodem Jure reddendum insuper invalidum, ac nullum.

Objicies tertio contra secundam partem conclus. Pater tantum est filii principium per se, avus autem, & ceteri ascendentes tantum per accidens, cum possit esse filius sine avo, ut patet in filiis Adami; ergo patri tantum debetur per se naturalis illa reverentia, & subjectio, avo autem, & reliquis ascendentibus tantum per accidens; consequenter nec tanta debetur, nec ita naturaliter, cum Natura non spectet ea, quæ sunt per accidens.

Confirmatur. Minor est participatio sanguinis inter avum, & nepotem, quam inter patrem, & filium, atque adhuc minor inter proavum, & pronepotem &c. ergo tandem in distantioribus omnino tolletur; & sic conse-

consequenter magis distantes desinent esse consanguinei, ac inhabiles ad Nuptias.

Respondetur ab object. dist. ant. Avus, & ceteri ascendentes respectu suorum descendentium tantum sunt principium per accidens physice rem pensando, trans. moraliter rem pensando, neg. ant. In æstimatione morali majores, & ascendentes censentur per se principium respectu minorum, & descendentium suorum: id quod similiter Natura, & ratio naturalis spectat. Unde negatur utraque cons. Confirmatur responsio: siquidem in æstimatione morali etiam tunc unum alteri adversatur Jure naturali, & per se, quando illud huic juxta debitum naturæ ordinem non congruit; prout ex Doctore Angelico tradit P. Melchior Friderich (hic ceteroquin Adversarius) *de Consanguinit. pag. 26. in resp. ad* 3. atqui talis non congruentia relate ad conjugium datur inter avum, & neptem, proavum, & proneptem &c. ergo &c.

Ad confirmatur, neg. in primis suppositum, quod sola participatio sanguinis attendatur in linea recta, sicut in obliqua; attenditur enim in illa etiam, & præcipue ratio principii. Deinde licet in distantioribus minor sit propinquitas sanguinis, est tamen major inæqualitas ætatis, & consequenter ratione hujus major indecentia, ut proinde sanguinis propinquitas tali inæqualitate, moraliter rem æstimando, compensetur.

Objicies quarto. In *cap. 8. de Consanguinit.* restringitur impedimentum consanguinitatis ad quartum gradum, nec fit distinctio inter lineam rectam, & obliquam; ergo nequit dici, quod consanguinitas in linea recta dirimat Matrimonium Jure naturæ ultra quartum gradum, minus in infinitum; alias illa restrictio non potuisset fieri per Jus humanum, utpote quod nihil disponere valet contra Jus naturæ.

Respondetur, *cit. cap.* loqui de linea obliqua tantum, & licet signatis verbis non faciat distinctionem inter lineam rectam, & obliquam, illam tamen facit, & indigitat assignatione rationum, quæ solum in linea obliqua procedunt, & sunt; quia nec sine dispendio animarum, nec sine magna difficultate, observari potest prohibitio Matrimonii ultra quartum gradum: atqui hæ rationes non militant in linea recta; siquidem moraliter nunquam erit periculum, imo nec possibile, ut quis consanguineam in linea recta ultra quartum gradum in uxorem ducat, v. gr. filiam abnepotis sui; quia nemo tandiu vivit: neque magna difficultas est scire, vel deprehendere gradus in linea recta, sicut tamen est in linea obliqua. Cum igitur non pugnent eædem rationes in linea obliqua, & recta, atque dispositio *cap. 8. cit.* sit correctoria Juris antiqui (veluti patebit ex dicendis infra *n.* 539.) extendi ea non debet a linea obliqua ad rectam, neque intelligi de utraque, sed de obliqua tantum. Accedit, quod Concilium Lateranense, ex quo desumptum est *cit. cap.* 8. egerit solum de consanguineis lineæ transversæ, seu obliquæ: consequenter &c.

534. Colliges, quod, licet consanguinitas in primo, ceterisque gradibus lineæ rectæ Matrimonium irritet Jure naturæ, Deus nihilominus posset dispensare (subintellige, *materialiter*, & *indirecte*) super tali impedimento, atque efficere, ut Matrimonium, patrem inter, & filiam &c. contractum, subsisteret. Ita fat communis DD. Ratio est: quia Deus, ceu supremus omnium rerum, & jurium Dominus, posset tollere jus, quod obtinent parentes ad reverentiam alioquin sibi debitam a liberis; tali autem jure sublato cessat irreverentia, ac turpitudo in Matrimonio patris cum filia &c. & consequenter impedimentum in dicta irreverentia, ac turpitudine fundatum. Quare consanguinitas in linea recta dirimit quidem Matrimonium Jure naturæ, non tamen absoluto, sed conditionato solum, *nisi scilicet Deus det potestatem &c.* Revideri possunt, quæ habentur *part.* 1. *n.* 481.

535. Dico secundo. Consanguinitas lineæ obliquæ probabilius nec in primo gradu dirimit Matrimonium Jure naturæ, ut adeo frater, & soror valide contraherent, nisi Lex Ecclesiastica obstaret. Ita Basilius Pontius *de Matrim. lib. 7. cap.* 32. *n.* 3. Mastrius ubi supra *n.* 460. Franciscus Schmier *tom.* 3. *lib. 4. tr.* 3. *cap.* 3. *a num.* 62. Marinus Panger *lib. 4. disp.* 3. *de Matrim. n.* 159. & alii contra alios.

Probatur primo. Nec frater sororis, nec soror fratris est principium, sed ambo ab alio communi principio descendunt; ergo non debent sibi tantam reverentiam, ob quantam Jus naturæ valori Matrimonii resistit. Hinc in *l. 35. ff. de V. O.* conjugium fratris cum sorore refertur inter ea, quæ *Leges fieri prohibent*, ad distinctionem eorum, quæ *Natura fieri non concedit*.

Probatur secundo. Si Matrimonia inter fratres, & sorores essent irrita Jure naturæ, nullo unquam tempore fuissent licita: atqui ab initio mundi, ut genus humanum latius propagaretur, fuerunt licita, tametsi postea, genere humano satis propagato, fuerint interdicta; uti notavit S. Augustinus *lib. 15. de Civit. Dei, cap.* 16. ergo signum est, ea Matrimonia Jure naturæ irrita non esse.

Nec dicas, Deum in Jure naturæ pro tunc ob prædictam causam dispensasse; qua dispensatione supposita illiusmodi Matrimonia potuerint valide, & licite iniri.

Contra enim est, quod non appareat credibile, Deum, ceu Authorem naturæ, voluisse statim initio naturæ conditæ legem naturæ rursus infringere per dispensationem: potius igitur credendum, quod creasset plures masculos, & feminas, queis genus humanum fuisset propagatum.

Si inferas, ex hoc sequi, Matrimonia illiusmodi fuisse etiam licita in principio mundi absque prævia Dei dispensatione.

Respondetur, con. illatum. Siquidem ad illa cohonestanda sufficiebat gravissima necessitas generis humani propagandi sine speciali Dei dispensatione. Unde prædicta Matrimonia jam in principio mundi illicita quidem erant Jure naturæ, sed conditionato tantum, seu involvente hanc conditionem, *nisi justa causa, sive necessitas* (qualis erat necessitas generis humani propagandi) *eorum contractionem exposcat, ac cohonestet*: fere sicut homicidium est illicitum Jure naturæ conditionato, seu involvente istam conditionem, *nisi necessitas propria vita tuenda occisionem hominis* (puta injusti aggressoris) *exposcat, vel permittat*. Nunc

536. Objicies contra conclus. primo. Matrimonium fratris cum sorore omnes bene moratæ Gentes semper fuerunt detestatæ; ergo signum est, quod de Jure naturæ repugnet, & invalide contrahatur.

Respondetur, neg. ant. Nam Athenienses, Assyrii, Ægyptii, aliæque Gentes, prudentiæ, morumque laude florentes, permisere Matrimonia fratres inter, & sorores, prout referunt, ac testantur Tirinus *in cap.* 18. *Levit.* Paleotus *lib. de nothis filiis capit.* 3. *n.* 2. *& seqq.* Gonzalez, Ludovicus Vives &c. Porro liberi Adæ similia Matrimonia absque prævia speciali Dei dispensatione contraxerunt valide; uti & licite propter interventum justæ causæ, qualis tunc erat necessitas propagandi genus humanum: quemadmodum relinquitur ex dictis. Unde neg. etiam cons.

537. Objicies secundo. Innoc. III. *in cap.* 8. *de Divort.* decernit, infideles conversos, si in infidelitate contraxerunt Matrimonium in secundo, vel ulteriori consanguinitatis gradu (subintellige, *lineæ obliquæ*) non esse separandos; ergo insinuat, fore separandos, qui in primo consanguinitatis gradu, etiam lineæ obliquæ, contraxissent; ergo inter fratrem, & sororem agnovit irritum esse Matrimonium Jure naturali, & non Ecclesiastico tantum, cum istud infideles non stringat.

Respondetur, neg. utranque cons. Et ad ant. ajo, Pontificem respondisse solum ad id, de quo erat consultus: atqui erat consultus de secundo tantum, & tertio consanguinitatis gradu (lineæ obliquæ) non de primo; ergo &c. Pontifex igitur abstraxit a primo gradu, de quo acriter in utranque partem disputabant, & hodie disputant DD. an Matrimonium dirimat Jure naturali, vel Ecclesiastico tantum? Deinde qui unum negat, non hoc ipso alterum affirmat (vel vicissim) nisi in contradictorie oppositis: sed primus gradus non contradictorie opponitur secundo &c. ut patet; ergo &c.

538. Objicies tertio. Cum frater, & soror in sua causa essent unus sanguis, ipsa Natura eos divisit; ergo Natura horret, ac repugnat, ut iterum conjungantur, & fiant una caro: consequenter &c.

Respondetur primo, hoc argumento probari, neque patruum, & neptem posse valide contrahere Matrimonium spectato Jure naturæ; siquidem & ipsos, ex com-

communi principio ortos, Natura in generatione divisit: quod tamen est contra Adversarios. Nec refert, quod frater, & soror immediatius ex eodem principio descendant, quam patruus, & neptis. Nam hæc descendentiæ differentia non facit, quin & illi, & isti in generatione per Naturam sint, & dicantur separati: consequenter argumentum in terminis, in quibus est propositum, apte retorquetur contra Adversarios.

Respondetur secundo directe, dist. cons. Natura horret, & repugnat, ut iterum conjungantur valide, neg. licite, subdist. si naturalem indecentiam non cohonestet justa causa, con. si cohonestet, neg. cons. Quamvis sit indecens, & suo modo contra Naturam, fratrem cum sorore Matrimonio copulari, ea tamen indecentia, cum non fundetur in dependentia unius, tanquam principiati, ab altero, tanquam principio, tanta haud est, ut Jure naturæ contractum irritet, sed solum, ut illicitum reddat, quando non intervenit justa causa sic contrahendi. Et quidem in principio mundi justa causa sic contrahendi censebatur sola necessitas propagationis generis humani absque speciali dispensatione Dei; ut supra dictum: hodie autem, cum tam gravis necessitas non amplius supperat, præter justam causam veluti objectivam requiritur insuper justa causa quasi efficiens, nempe dispensatio Pontificis, ita ut ex utraque hac tali causa coalescat, & integretur causa sufficiens, seu sufficienter cohonestans copulationem Matrimonialem fratris cum sorore. Sed contra hoc

Dices, Pontifex non legitur aliquando dispensasse in ordine ad contrahenda id genus Matrimonia; ergo censendum est, illum non potuisse dispensare, eo quod obstet Jus naturale.

Respondetur, transmisso antecedente (nam Martinum V. & alios quosdam Pontifices dispensasse referunt Silvester, Cajetanus, S. Antoninus, & Gonzalez) neg. cons. Non enim ex parte Pontificis potestas, sed ex parte dispensandorum defecerat, & deficit passim justa causa dispensandi.

539. Dico tertio. Consanguinitas in linea recta de Jure positivo humano dirimit Matrimonium (1) in infinitum (& secundum nos supra *numer.* 532. etiam sic dirimit de Jure naturæ) in linea autem obliqua (2) solum usque ad quartum gradum inclusive. Primam partem docent Abbas, Hostiensis, Pichler *lib.* 4. *titul.* 14. *num.* 10. & alii contra alios. Secunda est communissima.

Probatur autem prima pars ex supra *cit. l.* 53. *ff. de Ritu Nupt.* ibi: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumque sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint, usque in infinitum.* Neque hæc Juris Civilis dispositio correcta est in *cap.* 8. *de Consanguinit.* utpote ubi sermo est de Consanguinitate in linea obliqua; prout ostensum supra *n.* 533. imo expresse recepta, & approbata est a SS. Pontificibus, nempe Calixto I. *in can.* 2. *caus.* 35. *quæst.* 2. & Nicolao I. *in Responsis ad consulta Bulgarorum cap.* 39. Id quod jam dictum supra *num.* 529. *in confirmat. conclusionis quoad secundam part.* Hoc tamen impræsentiarum adhuc adverte, quod illi, qui docent, consanguinitatem in linea recta dirimere in infinitum solo Jure positivo humano, dicere necessario debeant, dispositionem talis Juris esse veram, & positivam legem; alii vero, qui nobiscum tenent, consanguinitatem eousque dirimere etiam de Jure naturæ, perinde sit, sive dicant, memoratam dispositionem esse meram declarationem Juris naturalis, sive legem superadditam; ut jam supra insinuatum.

Probatur nunc altera quoque pars conclusionis ex *cit. cap.* 8. *de Consanguinit.* ubi jus antiquum, per quod *can.* 7. *caus.* 35. *quæst.* 2. consanguinitas in linea obliqua dirimebat Matrimonium usque ad septimum gradum, correctum est, & restrictum, ita, ut dicta consanguinitas hodie dirimat solum usque ad quartum gradum inclusive. Verba *cit. cap.* ita sonant: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat.* Causa restringendi erat; quia experientia docuit, non posse his temporibus, quibus non charitas minus, quam ætas decrevit, aucta vicissim concupiscentia, absque magna difficultate, imo & gravi dispendio, observari tot graduum prohibitionem, ut *cit. cap.* dicitur; cum sæpe recordari non possint homines tantæ multitudinis collateralium consanguineorum, atque affinium, ac propterea conjunctos reputarent extraneos, & vel ex ignorantia, vel ex negligentia cum illis contraherent invalide, si vetus prohibitio etiamnum duraret: ex quo angores, lites, scandala orirentur. Quartæ autem generationis non est difficilis recordatio.

540. Colliges, non esse hic, seu in ordine ad contrahendum Matrimonium, faciendam distinctionem inter consanguinitatem, quæ ortum habet ex copula illicita, & inter consanguinitatem, quæ exurgit ex copula licita. Ita communiter DD. & nos jam insinuavimus supra *n.* 527. Ratio est: quia per utranque copulam communicatur idem sanguis, in qua communicatione fundatur impedimentum consanguinitatis. Unde nec Lex, seu Jus *cit.* distinguit. Quamvis vero Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform. Matrim.* restrinxerit affinitatem ex copula illicita ortam ad secundum gradum, de consanguinitate tamen orta ex tali copula nullam prorsus facit mentionem, & ideo, utpote dispositio Juris correctoria, ad consanguinitatem extendi non debet. Est quoque dispar ratio: siquidem frequentior est, & minus nota affinitas ex copula illicita, quam consanguinitas; quia affinitas oritur ex copula, etiamsi hanc non consequatur generatio, consanguinitas vero contrahitur ex sola actuali generatione, sive ex copula, quam generatio actu consecuta est.

§. IX.

De Cognatione spirituali.

S U M M A R I U M.

541. *Quid sit* Cognatio spiritualis; *quo Jure dirimat Matrimonium; & quare resultet solum ex Baptismo, & Confirmatione?* 542. *&* 543. *A quibusnam personis contrahatur?* 544. *Etiam privatim, & in necessitate baptizans illam incurrit; non vero sic levans.* 545. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 550. *Si designati pro patrinis solum assistant, quando supplentur ceremonia Baptismi antea omissa, non evadunt obnoxii huic impedimento.* 551. *Siquis munus patrini per procuratorem obeat, ipse, non procurator, contrahit cognationem spiritualem.* 552. *& seq. Diluuntur opposita.* 554. *Istud impedimentum est perpetuum.*

541. PEr *Cognationem spiritualem*, ut est hujus loci, & impedimentum Matrimonii, intelligitur *propinquitas personarum, ex collatione, & susceptione Sacramentorum, Baptismi, & Confirmationis, resultans.* Dirimit Matrimonium inter certas personas, quas afficit ex dispositione Ecclesiæ, adeoque Jure Ecclesiastico tantum. Constat ex tota *caus.* 30. *quæst.* 1. & toto *tit. de Cognat. Spirit.* ac *cap. fin. eod. in* 6. Voluit autem Ecclesia hoc impedimentum Matrimonii resultare solum ex Baptismo, & Confirmatione (juxta *cit. cap. fin. de Cognat. spirit. in* 6.) propter analogiam cognationis spiritualis, quæ fit in his duobus Sacramentis, cum generatione carnali seu naturali: sicut enim ex ista oritur aliqua conjunctio arctior inter certas personas, indeque obligatio mutuæ reverentiæ, ob quam nequeunt decenter copulari in ordine ad actus conjugales exercendos, ita ex illa, quatenus fit per Baptismum, per quem homo quasi concipitur, & animatur in utero Ecclesiæ, atque per Confirmationem, per quam nascitur quasi, & ex utero in lucem progreditur, specialis oritur conjunctio, & quasi parentela, inter certas personas, fundans inter eas obligationem mutuæ reverentiæ, ob quam Ecclesia judicavit non decere, ut tales personæ Matrimonio copulentur. Nunc per conclusiones decidendum venit, quænam personæ, quomodo, & quando contrahant hoc impedimentum?

542. Dico igitur primo. Impedimentum cognationis spiritualis contrahunt *baptizans, confirmans, & patrini* (ad quos referuntur & *patrina*, sive potius *matrina*) ex una, ac *baptizatus, & confirmatus, hujusque pater, & mater,* ex altera parte. Ita DD. communissime.

Probatur ex Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform. Matrim.*

Matrim. ubi restringit Jus antiquum, vel cujus dictum impedimentum oriebatur 1. inter baptizantem, & baptizatum, confirmantem, & confirmatum; item inter patrinos, & baptizatum, vel confirmatum: quæ cognatio dicebatur, & dicitur *paternitas directa*. 2. Inter baptizantem, confirmantem, & patrinos ex una, ac inter baptizati, vel confirmati parentes naturales: quæ cognatio appellabatur, & appellatur *compaternitas directa*. 3. Inter uxorem baptizantis, & patrini, ac inter baptizatum: quæ cognatio vocabatur *paternitas indirecta*: item inter uxorem, prius carnaliter cognitam, baptizantis, & patrini ex una, ac inter baptizati parentes naturales ex altera parte: quæ cognatio nominabatur *compaternitas indirecta*. 4. Inter baptizatum, vel confirmatum tanquam filios spirituales, & inter filios naturales, seu carnales baptizantis, vel confirmantis, si quos habuit: quæ cognatio nuncupabatur *fraternitas*. Hoc, inquam, Jus antiquum (quod habetur *can. 5. caus. 30. quæst. 1. can. 1. & seqq. caus. 30. quæst. 3. can. 1. & 3. ead. caus. quæst. 4. capit. 4. 6. 7. de Cognat. Spirit. & cap. 1. eod. in 6.*) a Jure novo Tridentini correctum, atque restrictum est, solaque *paternitas*, & *compaternitas directa* remansit, *paternitate*, ac *compaternitate indirecta*, uti & *fraternitate*, sublatis.

543. Colliges proinde, quod impedimentum cognationis spiritualis hodie afficiat tantum quinque personas, ita, ut ex collatione Baptismi solus *baptizans*, & *patrinus* (ad quem refertur etiam *patrina*, seu *matrina*, ut dictum) illud contrahant cum *baptizato*, & baptizati *patre*, ac *matre*: ex collatione Confirmationis autem solus *confirmans*, & *patrinus*, cum *confirmato*, & confirmati *patre*, ac *matre*. Id quod liquet ex Trid. *cit.*

544. Dico secundo. Etiam privatim, & in necessitate (1) baptizans, sive Laicus sit, sive Clericus, incurrit impedimentum cognationis spiritualis; non item (2) sic levans. Prima pars est communis. Secunda videtur mihi probabilior, eamque tenent Sanchez *lib. 7. disp. 62. num.* 14. Salmanticenses *tr. 2. de Baptismo, cap. 7. punct.* 2. 25. Herincx *disp. 7. de Baptism. quæst. 6. num.* 31. Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. numer.* 89. & alii contra alios.

Probatur prima pars. Siquidem Jura, dum statuunt hoc impedimentum, relate ad baptizantem non distinguunt, sive explicite, sive implicite, inter Baptismum solemniter, & privatim, extra & in casu necessitatis collatum; ergo illud a baptizante incurritur, sive Baptismus administretur uno, sive altero modo; alias dictum impedimentum fere suo frustraretur effectu, viribusque cassum redderetur, cum fere solus Sacerdos, jam aliunde, videlicet ratione Sacri Ordinis, ad contrahendum Matrimonium inhabilis, Baptismum solemniter, & extra casum necessitatis conferre debeat, ac soleat; utpote qui solus, si jurisdictionem habeat, licite prædicto modo baptizat ex officio, & potestate ordinaria.

Confirmatur. Impedimentum cognationis spiritualis a baptizante incurritur ratione Sacramenti Baptismatis, & spiritualis regenerationis: atqui Sacramentum Baptismatis, & spiritualis regeneratio fit, sive quis baptizet solemniter, & extra casum necessitatis, sive insolemniter, & intra casum necessitatis; ergo &c.

Probatur etiam secunda pars. Levans non efficitur vere patrinus, ideoque nec contrahit impedimentum cognationis spiritualis, nisi baptizatum levet, seu suscipiat ex instituto Ecclesiæ: sed hoc non præstat, qui suscipit in Baptismo privato, seu insolemni, cum susceptio ab Ecclesia instituta sit ut ceremonia Baptismi solemnis, secundum dicta *part. 5. numer.* 154. ergo &c.

Confirmatur. Nomina privatim suscipientium non solent a Parochis inscribi Libro Baptismali, nec eisdem inculcari impedimentum cognationis spiritualis; quod tamen præscribit Tridentinum *Sess. 24. de Reformat. Matrimon. capit.* 2. ergo signum est, quod non evadant vere patrini, neque dicto impedimento obnoxii.

545. Objicies primo contra primam partem. In *cap. fin. de Cognat. Spirit.* ubi hoc impedimentum statuitur, fit mentio de Sacerdote, qui regulariter non baptizat, nisi cum solemnitate Ecclesiastica; ergo si Laicus, vel alius Clericus, imo ipse etiam Sacerdos baptizet sine tali solemnitate, non incurrit hoc impedimentum.

Respondetur, explic. & dist. ant. Fit mentio de Sacerdote narrative tantum, quatenus narratur factum Baptismi solemnis, ex quo impedimentum cognationis spiritualis contractum erat, con. dispositive, & per modum Juris, neg. ant. & cons.

546. Objicies secundo contra secundam partem. Baptizans etiam in privato Baptismo contrahit impedimentum cognationis spiritualis: ut proxime dictum; ergo & levans.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia privatim baptizans exercet proprie, & formaliter munus baptizantis, cum substantialiter idem præstet, quod baptizans solemniter. E diverso privatim levans non exercet proprie, & formaliter munus levantis, seu patrini, cum non levet juxta institutum Ecclesiæ, & prout munus levantis, seu patrini qua talis requirit; ut dictum. Sed contra hoc ipsum

Dices. Potest levans etiam in privato Baptismo habere intentionem vere levandi, ac fungendi munere patrini; ergo saltem tali casu contrahet hoc impedimentum: id quod unice, vel saltem præcipue volunt Authores adversi.

Respondetur, omisso antecedente, neg. cons. Siquidem intentio levantis non facit Baptismum esse solemnem, & per consequens nec facit, ut levans formaliter, ac juxta institutum Ecclesiæ munus patrini obeat; prout relinquitur ex dictis. Accedit, quod ad munus patrini formaliter obeundum requiratur præterea, ut levans pro infante respondeat, & quidem eo ipso tempore, quo ceteræ solemnitates ab Ecclesia præscriptæ exercentur: hoc autem non præstat levans privatim, tametsi ponatur habere intentionem vere levandi.

547. Objicies tertio. Jura, hoc impedimentum inducentia, etiam relate ad levantem loquuntur indefinite, neque faciunt distinctionem inter Baptismum solemnem, ac insolemnem; ergo levans incurrit illud in utroque.

Respondetur, dist. ant. Non faciunt distinctionem explicite, trans. implicite, neg. ant. & cons. Implicite distinctionem facere convincuntur, quatenus volunt, & indigitant, solum patrinum, proprie, & formaliter talem, impedimento sæpe dicto ligari: sed levans in Baptismo privato, ac insolemni non fit patrinus proprie, & formaliter talis; fit vero in Baptismo solemni: consequenter &c.

548. Objicies quarto. Ecclesiæ voluntas, ac intentio est, ut quilibet baptizatus habeat suum fidejussorem, & instructorem in fide, qualis est patrinus proprie dictus; ergo juxta voluntatem, ac intentionem Ecclesiæ etiam levans in Baptismo privato fit patrinus proprie dictus: & consequenter incurrit impedimentum cognationis spiritualis.

Respondetur, neg. ant. vel dist. Per se loquendo, & quando Baptismus confertur regulariter, seu cum aliis quoque ceremoniis, ac solemnitatibus per Ecclesiam præscriptis, con. per accidens, & quando Baptismus confertur sine illis solemnitatibus, v. gr. ab obstetrice, neg. ant. & utranque cons. Licet voluntas, & intentio Ecclesiæ sit, ut extra casum necessitatis, ac regulariter adhibeantur omnes solemnitates, & ceremoniæ per ipsam institutæ; intra casum necessitatis tamen, ac irregulariter eas adhiberi non desiderat, minus præcipit: consequenter tunc non desiderat, aut præcipit, ut adhibeatur patrinus, qui sit fidejussor, & instructor baptizati in rebus fidei, adeoque patrini proprie dicti officium subeat.

549. Objicies quinto. Si levans in Baptismo privato non contrahat impedimentum cognationis spiritualis, neque hoc contrahent parentes prolis privatim baptizatæ: sed sequela non videtur admittenda; ergo &c.

Respondetur, dist. seq. majoris. Non contrahent hoc impedimentum cum levante, con. cum baptizante, neg. seq. majoris, &, distinctione applicata minori, cons. Sicut ex dictis privatim baptizans contrahit impedimentum cognationis spiritualis, ita & contrahunt parentes prolis, sic baptizatæ, cum illo: e diverso sicut levans privatim non contrahit dictum impedimentum, ita nec contrahunt parentes prolis, sic levatæ, cum illo.

550.

550. Colliges, quod patrini, sive designati pro patrinis, non contrahant cognationem spiritualem, quando solæ ceremoniæ supplentur in Ecclesia, prius omissæ in Baptismo privato. Sanchez *libr. 7. disput. 62. numer. 5.* Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. lib. 8. capit. 8. numer. 6.* Krimer *libr. 4. quæst. 11. numer. 1103.* & alii. Ratio est: quia hoc impedimentum ex Baptismo non contrahitur, nisi in collatione Baptismi: sed dum solæ ceremoniæ, omissæ in Baptismo privato, supplentur in Ecclesia, non confertur Baptismus, ut patet; ergo &c. Nec obstat, quod tunc fiat, seu peragatur solemnitas Baptismi: hæc quippe peragi potest, quando Baptismus non confertur, sed jam antea collatus fuit. Quare aliud est levare in solarum solemnitatum suppletione, & aliud in solemnis Baptismi collatione; ex priori levatione non contrahitur cognatio, cum tunc non conferatur Baptismus, sed solum suppleantur ceremoniæ Baptismi; bene autem ex posteriori, ob rationem oppositam.

551. Dico tertio. Siquis munus patrini in collatione Baptismi, vel Confirmationis obeat per Procuratorem, ipse tanquam principalis, non vero Procurator, cognationem spiritualem contrahit. Basilius Pontius *lib. 7. capit. 39. numer. 10.* Palao *tract. 19. disput. unic. puncto undecimo, §. 2. numer. 16.* Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. numer. 96.* Engel *libr. 4. titul. undecimo, numer. 6.* Reiffenstuel *ibid. numer. 23.* & alii satis communiter.

Probatur primo. Siquis per Procuratorem contrahat Matrimonium, solus ipse, ceu principalis Contrahens, non vero Procurator, fit conjux, & incurrit ortum inde impedimentum publicæ honestatis; ergo etiam in hypothesi conclusionis solus principalis Levans, non autem Procurator, evadit patrinus, & incurrit impedimentum cognationis spiritualis inde enatum, haud secus, ac si levasset per se ipsum; ut proinde hic locum habeat *Reg. 72. Jur. in 6.* ibi: *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.*

Probatur secundo. Ad contrahendam cognationem spiritualem non sufficit, quod quis levet infantem quomodocunque, sed requiritur, ut levet cum intentione agendi patrinum: atqui Procurator non levat cum intentione agendi patrinum; cum non levet suo nomine, & ut ipse evadat patrinus, sed alieno nomine, seu ut alter, cujus ipse vices gerit, fiat patrinus; ergo &c.

552. Objicies primo. *Can. 7. caus. 30. q. 1.* & *cap. 1. de Cognat. spirit. in 6.* ad hoc, ut quis evadat patrinus, & contrahat cognationem spiritualem, requiritur tactus physicus baptizati, vel confirmati: atqui non ipse Principalis, bene vero Procurator physice tangit baptizatum, vel confirmatum; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. maj. Requiritur tactus physicus, vel a Principali, vel a Procuratore adhibendus, con. necessario adhibendus ab ipsomet Principali, subdist. si hic munus levandi exerceat per seipsum, con. si per alium a se deputatum, seu per Procuratorem, neg. maj. & concessa minore, distinctio majoris adaptanda est consequenti.

553. Objicies secundo. Si Parochus alteri committat munus baptizandi, non ipse, sed Commissarius spiritualem cognationem contrahit; ergo idem dicendum de Procuratore.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est: quia qui confert Baptismum ex commissione Parochi, eundem confert nomine non committentis, sed proprio, & Christi, cujus Ministrum agit. Contra Procurator, e Baptismo infantem levans, eundem levat non suo, sed Principalis mandantis nomine.

554. Quæres, an impedimentum cognationis spiritualis sit perpetuum?

Respondetur, esse perpetuum, nec cessare, morte baptizati, vel confirmati. Ratio est dispositio Jurium, illud nullibi limitantium.

§. III.

De Cognatione Legali.

S U M M A R I U M.

555. *Quid sit* Cognatio Legalis? *Quid, & quotuplex* Adoptio, *ac qualem habere conditionem debeat? Impedimentum istud est Juris Humani tantum; probabiliter tamen oritur* 556. *non solum ex adoptione perfecta, sed etiam imperfecta.* 557. *Solvitur argumentum contrarium.* 558. *Recensentur personæ, inter quas dictum impedimentum resultat.* 559. *An perpetuo duret?*

555. Per *Cognationem Legalem* (sic dictam, quia a Legibus Juris Civilis primo adinventa fuit, licet postea a SS. Canonibus sit recepta) intelligitur *propinquitas personarum ex adoptione proveniens*. Porro adoptio, in genere sumpta, definitur (ex *l. 1. & 11. ff. de Adopt.*) *actus legitimus, quo, qui natura filius non est, in filium assumitur:* seu quo persona extranea assumitur in filium, vel filiam, nepotem, vel neptem. Dividitur in *perfectam*, & *imperfectam*. Perfecta (quæ vocatur *arrogatio*) contingit, quando paterfamilias, seu homo sui juris, & extra potestatem patriam constitutus, authoritate, vel Rescripto Principis ita assumitur in filium, ut subjiciatur patriæ potestati assumentis, atque in ejus familiam transeat, & hæres necessarius efficiatur non minus, ac filii naturales, §. 3. *Instit. & l. 2. Cod. de Adopt.* Imperfecta (appellari solet *adoptio simplex*) contingit, quando filiusfamilias, seu sub alterius potestate existens, authoritate inferioris Magistratus in filium recipitur, ita, ut non transeat in potestatem, & familiam adoptantis, jus autem succedendi ab intestato (non tamen ut hæres necessarius) acquirat, §. 1. 2. & 10. *Instit. eod.* Si tamen filiusfamilias ita reciperetur ab avo paterno, vel materno, veniret in familiam, & patriam potestatem adoptantis; censereturque adoptatus adoptione perfecta, §. 2. *Instit. eod.* Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 12. num. 4.* & alii passim. Omnis adoptans debet esse mas, paterfamilias, major viginti quinque annis, adoptatum ita excedens ætate, ut posset esse illius pater naturalis; item debet esse ex natura sua potens ad generandum, persona autem adoptata esse præsens adoptanti, & intervenire authoritas Principis, vel Magistratus inferioris, prævia cognitione causæ, §. 3. 4. 9. 10. *Instit. l. 2. 24. 25. ff. l. 1. & fin. Cod. eod.* Tandem hoc impedimentum esse solum Juris Ecclesiastici, patet ex *can. 1. ac 5. caus. 30. qu. 3.* & *cap. unic. de Cognat. Legal.* His breviter insinuatis, ac prælibatis,

556. Dico primo. Omnino probabile est, quod impedimentum cognationis legalis non tantum ex adoptione perfecta, sed etiam imperfecta oriatur. Glossa *in cap. unic. de Cognat. Legal.* & *ibi* Abbas *num. 5.* Guttierez *de Matrim. cap. 102. num. 5.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. allegat. 51. num. 189.* quibus favet Scotus *in 4. dist. 42. qu. unic. vers. juxta quod notandum*, ubi opinionem Glossæ allegat, & non refutat. Mastrius, Bosco, Reiffenstuel, aliique Scotistæ passim, cum multis Recentioribus.

Probatur. Siquidem textus utriusque Juris indistincte loquuntur de adoptione in ordine ad præsentem materiam, & inducendum impedimentum Matrimonii; ergo possunt, imo debent intelligi etiam de adoptione imperfecta, cum nostrum non sit Leges generaliter loquentes distinguere, & limitare, *arg. l. 32. ff. de Recept. qui arbitr.* quando scilicet non suppetit, aut suggeritur per ipsas Leges, vel aliunde sufficiens, aut urgens ratio distinguendi, qualis non suppetit in præsenti; ut jamjam ostensum imus. Unde

Confirmatur conclusio. Ideo distinguendum hic esset inter adoptionem perfectam, & imperfectam, ac dicendum, impedimentum cognationis legalis oriri quidem ex illa, non vero ex ista, quia ista in perfectione deficit ab illa, estque, & nuncupatur *imperfecta* tantum: atqui hæc ratio non sufficit ad distinguendum; ergo &c. Min. prob. Siquidem hæc adoptio non nuncupatur *imperfecta* distractive, seu adversative, quasi non sit vera, & proprie dicta adoptio, sed solum comparative ad perfectam, & quatenus est minus perfecta, ac ista; ergo allegata ratio non sufficit ad distin-

distinguendum. Prob. conf. Licet consanguinitas lineæ obliquæ sit minus perfecta, ac est consanguinitas lineæ rectæ, nihilominus in ordine ad dirimendum Matrimonium utraque sufficiens judicatur a Juribus; ergo similiter &c.

557. Objicies. Impedimentum cognationis legalis a Juribus introductum est ad cavendum periculum fornicationis, quod alioquin immineret inter personas in eadem familia commorantes, & sub eadem potestate constitutas: hæc autem ratio non militat in adoptione simplici, & imperfecta; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Ita ut periculum fornicationis assumeretur a Juribus tanquam causa adæquata, vel principalis disponendi, neg. tanquam causa inadæquata, & minus principalis, transeat maj. Dispositio Jurium attendenda venit penes causam disponendi magis principalem, qualis erat reverentia, quæ ex adoptione etiam minus perfecta, oritur inter adoptantem, & adoptatum; non autem periculum fornicationis. Imo P. Bosco rotunde negat, ullo Jure sive Civili, sive Canonico, constare, hoc impedimentum fuisse inductum ad fornicationem impediendam (unde in distinctione transmisi majorem) adeoque periculum fornicationis extitisse causam disponendi vel partialem tantum, & minus principalem.

558. Dico secundo. Impedimentum cognationis legalis datur inter sequentes personas. 1. Inter adoptantem, & filium, vel filiam adoptatam, ac adoptati liberos, & descendentes. Atque hæc species in linea recta vocatur *paternitas*. 2. Inter adoptatum, & liberos, naturales ac legitimos (non vero illegitimos) adoptantis, inque hujus patria potestate constitutos. Atque ista species in linea collaterali appellatur *fraternitas*. 3. Inter adoptantem, & uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Et hæc species vocatur *affinitas*. Primum membrum sumitur ex §. 1. *& 2. Instit. de Nupt. l. 55. de Rit. Nupt. can. 1. caus. 30. q. 3. & cap. unic. de Cognat. Legal.* Secundum ex §. 2. *Instit. de Nupt. l. 17. de Rit. Nupt. & cap. unic. cit.* Tertium ex *l. 14. de Rit. Nupt. & can. 1. cit.*

559. Quæres, an hoc impedimentum sit perpetuum, & semper duret, etiam sublata adoptione?

Respondetur, quod, in quantum supponit *pro paternitate*, & *affinitate*, semper duret, etiam sublata adoptione, *arg. §. 1. cit. & cap. 8. de Consanguinit.* non item, quatenus supponit *pro fraternitate*: sic quippe tollitur sublata, seu soluta adoptione, quæ solutio fit per emancipationem vel ipsius personæ adoptatæ, vel filii, aut filiæ naturalis ipsius adoptantis, quocum persona adoptata cupit inire Matrimonium: item per mortem tum naturalem, tum civilem adoptantis &c. *l. 17. & cap. unic. cit.*

ARTICULUS V.

De Impedimento Criminis.

SUMMARIUM.

560. *Impedimentum criminis Jure Ecclesiastico inductum est propter duo delicta, adulterii nempe, & conjugicidii, eaque vel seorsim, vel simul sumpta.* 561. *& seqq. Quænam requirantur, ut dictum impedimentum incurratur ob adulterium sine conjugicidio? ubi etiam solvuntur duæ objectiones intermediæ.* 568. *Quænam requirantur, ut impedimentum criminis incurratur per conjugicidium sine adulterio; & quænam, ut* 569. *per adulterium, & conjugicidium simul?* 570. *Corollarium.*

560. UT conjuges magis absterreantur ab adulterio, & conjugicidio, introductum est a Jure Ecclesiastico tantum (cui proinde soli suam debet originem) *Impedimentum Criminis* dirimens Matrimonium inter personas delicti complices (non inter alias) adeo, ut etiam priore Matrimonio, vel Matrimoniis per mortem conthoralium dissolutis, aliud inter sese absque dispensatione prævia, ne quidem valide, inire queant. Introductum proinde est hoc impedimentum ob duo delicta, quorum unum *adulterium*, alterum *conjugicidium* (indigitatum nomine *homicidii*) eaque vel seorsim, vel simul sumpta. Et hoc quidem continetur in toto quasi titulo *de Eo, qui duxit, quam polluit per adulterium*, ac *in cap. 1. de Convers. infidel.* Sed ut planius fiat, magisque dilucidetur, tres conclusiones statuendæ sunt. Quapropter

561. Dico primo. Ut adulterium seorsim, seu sine conjugicidio inducat impedimentum criminis, requiritur una vel Matrimonium cum complice attentatum, vel promissio Matrimonii contrahendi cum ipso. Communis DD.

Probatur ex *capit. 5. & 6. ac fin. de Eo, qui duxit &c.* quorum ultimum ita sonat: *Siquis, uxore vivente, fide data promisit, aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante, nec post (legitima ejus*, nimirum conjuge, *superstite) cognovit eandem… non est tamen Matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum. Ceterum tolerari non debet, si prius, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset*; ergo, si simul cognovit, ante, vel post datam fidem de futuro, vel præsenti, seu si cum alia femina adulterium data fide commisit, dirimitur Matrimonium cum tali femina post mortem legitimæ uxoris attentative contractum.

562. Porro ex communi DD. sensu requiritur præterea. Primo. Ut adulterium sit perfectum, & consummatum per copulam cum immissione seminis in vas femineum exercitam. Secundo. Ut sit formale ex utraque parte, hoc est, utrique cognitum, etiam feminæ, quod nimirum vir, cum quo peccat, sit conjugatus, & vicissim. Tertio. Ut & adulterium, & promissio contigerit conjuge adhuc superstite. Quarto. Ut promissio sit seria, non ficta. Quinto. Absoluta. Sexto. Acceptata. Septimo. Non revocata ante adulterium secutum; si vero & promissio, & adulterium jam contigissent, ac primum postea revocaretur promissio, non cessaret impedimentum, utpote jam contractum. Octavo. Ut sit completa per acceptionem repromissionis; quamvis circa hoc ultimum requisitum DD. dissideant. Ratio autem istorum requisitorum generalis est: quia versamur in materia pœnali, in qua termini debent stricte accipi, & Jura loqui censentur de tali promissione, quæ alias, & communiter in personis solutis requiritur ad Sponsalia. Videbis P. Bockhn *libr. 4. tit. 7. a numer.* 10. ubi circa ultimum requisitum præclare discurrit. Sed contra conclus.

563. Objicies primo. In *can. 1. & 3. caus. 31. qu. 1.* generaliter asseritur, *nemini licere ducere eam, quam per adulterium polluit*; ergo ut adulterium causet impedimentum criminis, non requiritur alia conditio ex specificatis in conclus.

Respondetur, neg. conf. Nam textus citatorum Canonum intelligendi sunt juxta doctrinam traditam in *capit. 6. de Eo, qui duxit &c.* ubi simul cum adulterio requiritur *occiso conjugis*, vel NB. *conjugii promissio*. Nec obstat *capit. 1. eod.* ubi dicitur: *Nullus copulet Matrimonio, quam prius polluerat adulterio, illam maxime, cui fidem dederat uxore sua vivente, aut quæ machinata est in mortem uxoris.* Hoc quippe non sic accipiendum est, quasi adulterium se solo, & sine aliis adjunctis, ac conditionibus sufficiat ad pariendum impedimentum criminis; sed particula *maxime* sumitur pro *inquam*, vel simili aliqua dictione, ut determinet prius dicta, & ostendat, Canones modo ante citatos, qui absolute dicunt, *adulterium impedire Matrimonium*, cum prædicta restrictione esse intelligendos. Ita Coninck *disput. 31. num. 64.* & cum eo Sanct Gallenses *tom. 10. tract. 4. quæst. 3. dub. 2. fol. 687. ac seq.*

564. Objicies secundo. Promissio Matrimonii vivente priori conjuge est nulla, & irrita; ergo nullum producit effectum; ergo non irritat, vel concurrit ad irritandum Matrimonium cum promissaria contrahendum: consequenter &c.

Respondetur, con. ant. (saltem quando eam promissionem antecessit, vel secutum est adulterium) dist. primum conf. Nullum producit effectum sibi intrinsecum, & ad quem per se ordinatur, con. extrinsecum, & ex dispositione Juris intentum, atque actui de se nulli annexum, neg. hanc, & alteram conf. Tali namque promissioni, quamvis de se nullæ, & irritæ, vis irritandi Matrimonium annexa est ex dispositione Juris; ut ostensum. Sed propter verba parenthesi inserta,

565. Quæres primo, an promissio, qua maritus (aut vicissim) vivente uxore promittit alteri feminæ Matrimonium, post dissolutionem moderni Matrimonii ineundum, sit valida, & licita, quando non intervenit adulterium?

Respondetur, nec validam, nec licitam esse. Ratio est: quia adversatur bonis moribus, & reprobatur a Jure tanquam præbens ansam insidiandi vitæ alterius, *arg. cap. 2. de Concess. Præb.* ubi ex simili ratione vetatur, ne Beneficium Ecclesiasticum alicui promitti (promissione collativa juris ad illud; prout expositum habes *part. 3. n. 413. in respons. ad 1. argum.*) aut conferri possit, antequam vacet. Quamobrem tales promissiones non modo illicitæ, sed & ipso Jure invalidæ censeri debent, adeo, ut ex ipsis nulla prorsus obligatio oriatur. Layman *lib. 5. tr. 10. part. 4. cap. 10. n. 7.* Augustinus Michel *tom. 3. tr. 4. part. 2. fol. 683. num. 7.* Franciscus Schmier *lib. 4. tr. 3. cap. 4. sect. 1. n. 32.* & alii satis communiter contra alios, volentes, promissionem in hypothesi esse saltem validam. Interim licet promissor vi illius promissionis secundum nostra principia ad nihil obligetur, haud tamen prohibetur, post obitum suæ conjugis, promissariam ducere vi novæ promissionis tunc factæ, aut faciendæ: siquidem prior promissio nec impedimentum criminis, nec aliud operata est: ut notat cum Gonzalez P. Schmier *cit.*

566. Quæres secundo, an ad inducendum impedimentum criminis sufficiat, si ante scientiam de statu alterius complicis initum sit Matrimonium, vel ineundi promissio facta, & habita scientia, commissum adulterium?

Respondetur affirmative. Ratio est: quia talis copula, seu adulterium vere innititur fidei prius datæ, & (ut supponitur) non revocatæ; imo est quasi nova ejus confirmatio, præbeatque omnino cum eadem fide ansam captandi mortem alterius conjugis: quæ fuit causa inducendi istud impedimentum; ergo casus censendus est comprehendi sub dispositione Juris statuentis impedimentum criminis.

Dixi autem: *fidei non revocatæ &c.* Nam si complices, jam habita notitia, ponantur a fide data per mutuum consensum resiliisse, & postmodum alia occasione perpetrasse adulterium, non incurrunt dictum impedimentum; nam tali casu jam non concurrunt adulterium, & fides data, quippe per præviam resilientiam extincta. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 7. n. 8. 12. & 13.* aliique passim.

567. Quæres tertio, an promissio Matrimonii, vel ejus contractio, & adulterium fieri debeant eodem tempore, ut inducant impedimentum criminis?

Respondetur negative. Engel *lib. 4. tit. 7. num. 7.* VViestner *ibid. num. 4.* Reiffenstuel *num. 6.* & alii communiter. Colligitur aperte ex verbis *cap. fin. de Eo, qui duxit &c.* quæ sunt: *Ceterum tolerari non debet, si prius, vel postea, cum vixerit uxor ipsius, illam* (feminam complicem) *adulterio polluerit*; ergo perinde est in ordine ad contrahendum impedimentum criminis, sive adulterium præcesserit, sive secutum sit promissionem, vel contractionem attentatam Matrimonii; siquidem in utroque casu præbetur ansa captandi mortem alterius conjugis; veluti patebit consideranti. Supponitur autem & hic (sicut *n. præced.*) complices a fide data, si hæc adulterium præcesserit, non recessisse, antequam adulterantur: alias, ob rationem *num. præcedent.* allatam, impedimento criminis non fierent obnoxii.

568. Dico secundo. Ut conjugicidium seorsim, & sine adulterio inducat impedimentum criminis, requiritur, ut ambo, vir, & femina, conspirent, vel saltem consentiant in occisionem conjugis innocentis, actuque occidant sive per se, sive per alium, & quidem cum intentione contrahendi inter se Matrimonium *cap. 1. de Convers. infidel. & can. 5. caus. 31. quæst. 1.*

Ex quibus apparet, ad incursionem dicti impedimenti non sufficere 1. si conjugicidium sit attentatum duntaxat, sed requiri, ut effective secutum sit ex actione physica, vel morali, puta suasione, mandato &c. amborum complicum: quia Lex pœnalis, & odiosa, qualis est Lex inductiva hujus impedimenti, stricte interpretanda venit, ut nomine homicidii, seu conjugicidii non intelligatur mors attentata tantum, vel illata ab uno, v. gr. viro, sine concursu alterius. Nec obstat, quod Jura loquantur de machinatione mortis: siquidem verba in Legibus pœnalibus intelligenda sunt (nisi oppositum exprimant; ut non fit in præsenti) cum effectu, & de crimine consummato. Sola tamen ratihabitio cædis patratæ non sufficit; cum ratihabitio non sit causa cædis, sed eam supponat. Michel ubi supra *fol. 682. a n. 2.* & alii passim.

Apparet præterea, non sufficere 2. si occisio fiat ex alio motivo, quam ex intentione contrahendi cum persona complice Matrimonium, v. g. ex motivo cum tali persona liberius peccandi, ex vindicta &c. Nam hoc impedimentum a Jure statutum est, ne cupiditate alieni Matrimonii conjuges occidantur; qui finis locum non habet in occidentibus ex motivo liberius peccandi, vindictam sumendi &c. Sanct-Gallenses *loc. cit. fol. 686.* & alii communiter. Non tamen refert, maritusne uxorem, an uxor maritum occiderit ex memorata intentione ineundi Matrimonium. Nam licet pleraque Jura, impedimentum criminis statuentia, solum loquantur signate de occisione uxoris, eorum tamen dispositio porrigi quoque debet ad occisionem mariti, ob identitatem rationis, & præsertim quia dispositum in uno correlativo debet censeri dispositum etiam in altero. Deinde *can. 5. caus. 31. quæst. 1. & cap. 1. de Convers. infidel.* expresse loquuntur de occisione mariti. Sanchez *lib. 7. disput. 78. num. 8.* & alii communiter. Nec refert etiam, si unus ex mortem machinantibus sit infidelis. Sufficit enim, alterum criminis consortem esse fidelem: quia tunc directe fidelem, indirecte vero infidelem istud impedimentum constringit, adeo, ut, licet infidelis postea fidem susceperit, haud tamen possit eum complice fideli Matrimonium inire, quippe ex parte istius, seu impedimento dirimente ligati, invalidum. Quod si uterque supponatur esse infidelis, neuter afficitur dicto impedimento, utpote quod est Juris Ecclesiastici tantum, cui infideles, seu homines non baptizati, & extra Ecclesiam existentes, haud subjiciuntur. Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 10. num. 6.* Palao *tract. 28. disp. 4. pun. 12. num. 6.* & alii reipsa communiter.

568. Dico secundo. Ut adulterium, & conjugicidium, simul sumpta inducant impedimentum criminis, requiritur, ut adulterium (perfectum, & formale ex utraque parte) sit prævium, seu committatur ante actuale conjugicidium, esto hujus machinationem, vel attentationem non necessario præcedere debeat. Unde si mandasti sicario, ut occidat Bertham uxorem tuam, & post illud mandatum ante mortem Berthæ commisisti adulterium cum Caja, contraxisti impedimentum; non autem contraxisti, si cum eadem Caja primum post mortem Berthæ carnaliter congressus fuisti: quia jam non amplius commisisti adulterium, saltem quantum est ex parte tuæ personæ, quippe a Lege, & vinculo Matrimonii tunc liberatæ. P. Sporer *in Theolog. Sacram. part. 4. n. 105.* P. Schmier ubi supra *n. 25.* & alii apud ipsos.

Requiritur præterea, ut & hic cædes actu sit secuta, & quidem facta animo contrahendi Matrimonium cum complice adulterii; prout colligitur ex *can. 1. caus. 31. q. 1.* ibi: *occidisse notetur, ut conjungerentur.* Opus tamen non est, ut ambo adulteri hic conspirent in cædem, sed sufficit, si alteruter vel physice, vel moraliter, per se, vel alium cædem patret, etiam altera parte ignara, *cap. 1. de Convers. infidel. & c. 6. de Eo, qui duxit &c.* P. Schmier ubi supra *num. 22.* cum aliis a se relatis.

570. Colliges veluti per anacephalæosin, ut adulterium seorsim, seu sine conjugicidio inducat impedimentum criminis, requiri una Matrimonium cum complice attentatum, vel promissionem Matrimonii contrahendi: ut illud impedimentum inducat conjugicidium seorsim, & sine adulterio, requiri, ut ambo, vir, & femina, conspirent, vel saltem consentiant in occisionem conjugis innocentis, actuque occidant sive per se, sive per alium, & quidem cum intentione contrahendi inter se Matrimonium; promissio autem contrahendi Matrimonium non est hic necessaria, uti neque attentata illius contractio, quemadmodum legere est *in cap. 3. de Eo, qui duxit &c.* ut idem impedimentum inducant adulterium, &

conjugicidium, simul sumpta, requiri, ut adulterium committatur ante actuale conjugicidium, & hoc, seu conjugicidium effective perpetretur ex intentione contrahendi Matrimonium cum complice adulterii, ubi tamen similiter non est necessaria promissio, vel contractio attentativa Matrimonii: neque hic opus est, ut ambo adulteri conspirent, vel consentiant in cædem, sed sufficit, si alteruter vel physice, vel moraliter, per se, vel per alium cædem patret, etiam altera parte ignara. Et hæc repetita, atque (ut ita dicam) recapitulata sunto, memoriæ juvandæ gratia.

ARTICULUS VI.

De Impedimento disparis Cultus.

PEr *disparem Cultum*, sive *Disparitatem Cultus* intelligitur hic diversitas Religionis inter Matrimonium contrahentes; ut si fidelis cum infideli contrahere attentet. Et quamvis ly *infidelis* impræsentiarum accipiatur stricte, seu prout denotat personam non baptizatam, v.g. Judæum, Turcam &c. non vero late, & quatenus etiam comprehendit personam baptizatam, ab orthodoxa Fide apostatam, quales sunt Lutherani, Calvinistæ, aliique Hæretici, nihilominus discuti hic a Theologis solet, non modo, qualiter illicitum, aut invalidum sit Matrimonium fidelis, seu Christiani cum infideli, seu nunquam baptizata, sed etiam Catholici cum hæretica, aut vicissim. Unde, claritatis ergo, hunc articulum in duos paragraphos divisum imus.

§. I.

Quid sentiendum de Matrimonio fidelis cum infideli?

SUMMARIUM.

571. Matrimonium fidelis cum infideli per se semper fuit, & etiamnum est illicitum Jure naturali, & Divino; imo 572. hodie etiam irritum est, sed Jure Ecclesiastico tantum, eoque tradito, non scripto.

571. DIco primo. Matrimonium fidelis cum infideli per se semper fuit, & etiamnum est graviter illicitum Jure naturali, & Divino. Ita orthodoxi DD. universim.

Probatur partim ex periculo perversionis, vel ipsimet conjugi fideli, vel liberis ordinarie imminente; partim ex Apostolo 2. *Cor.* 6. ibi: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, id est (prout exponit S. Hieronymus *lib.*1. *adversus Jovinianum*) nolite conjugium inire cum infidelibus. Sed

Dixi: *per se*. Siquidem per accidens, puta si urgeret gravissima aliqua causa, abessetque periculum perversionis, saltem propinquios, vel casu quo Deus ipse per speciale instinctum ad tale Matrimonium ineundum impelleret, utique licitum foret; prout patet in exemplis; nam ita contraxit S. Cæcilia cum Valeriano, S. Monica, D. Augustini Mater, cum Patritio, Clotildis cum Clodovæo, Francorum Rege, Edelburga cum Eduino, Rege Anglorum, adhuc Paganis; quæ cum fuerint sanctissimæ Feminæ, utique ejusmodi Matrimoniis supersedissent, si ea contrahere in prædictis quoque casibus illicitum fuisset.

572. Dico secundo, Matrimonium fidelis cum infideli hodie etiam est invalidum, non quidem *(1.)* Jure naturali, aut (2.) Divino, sed (3.) Ecclesiastico tantum, eoque tradito, non scripto. DD. Catholici communiter.

Probatur prima pars: quia diversitas Fidei, seu Religionis ex natura sua nullam habet repugnantiam cum Matrimonio, ejusque usu; stante enim hac tali Religionis diversitate, conjuges obligari possunt ad mutuam cohabitationem, debiti redditionem, & prolis educationem, tametsi ea cohabitatio discordiis obnoxia sit, & rectæ prolis educationi periculosa, ex quo solum evincitur, ejusmodi Matrimonium per se, & regulariter esse illicitum, non vero, etiam esse irritum.

Probatur secunda pars: quia nullus textus in Sacra Scriptura extat, ex quo aperte colligi possit illiusmodi Matrimonii irritatio, licet extent ibi textus (quorum unum adduximus *in probat. in conclus. præced.*) luculenter exprimentes prohibitionem sine irritatione. In quam rem facit authoritas D. Augustini, qui *lib.* 1. *de conjug. adulterin.* ait: *Non enim tempore revelati Testamenti in Evangelio, aut ullis Apostolicis literis sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit* (sub irritatione actus) *fideles infideli jungi &c.*

Probatur etiam tertia pars. Et quidem ejusmodi Matrimonium esse, per se loquendo, irritum Jure Ecclesiastico tradito, patet ex omnibus Theologis Scholasticis *in* 4. *Sentent.* & Moralistis, ac Canonistis, qui universim docent, impedimentum dirimens disparis Cultus esse in usu per totam Ecclesiam, vim legis obtinente. Quod autem Jus illud Ecclesiasticum non sit scriptum, promitur ex eo, quod nullus extet Canon in Jure Canonico, qui de præfato impedimento testimonium perhibeat, nam Canones, qui adduci possent, meram continent prohibitionem, non vero irritationem; ut videre est apud Sanchez *lib.*7. *disput.*71. *n.*8. & alios.

§. II.

Quid sentiendum de Matrimonio Catholici cum hæretica?

SUMMARIUM.

573. An, & quando Matrimonium Catholici cum hæretica sit illicitum, ac quo Jure? 574. Solvitur objectio. 575. An idem Matrimonium sit insuper invalidum? 576. & 577. Diluuntur duo argumenta contraria.

573. DIco primo. Matrimonium Catholici cum hæretica (vel vicissim hæretici cum Catholica) per se, & ordinarie (saltem extra Loca, in quibus Hæretici Catholicis immixti degunt) est graviter illicitum Jure naturali, Divino, & Ecclesiastico, etiamsi non adjiciatur pactum de parte prolium educanda in hæresi. Communis.

Probatur. Nam Jus naturale, & Divinum graviter obligat parentes, ne se, suasve proles exponant periculo perversionis: atqui id ordinarie fit per hujusmodi Matrimonium, etiam secluso pacto de parte prolium educanda in hæresi; ergo tale Matrimonium per se, & ordinarie est graviter illicitum Jure naturali, & Divino, etiamsi non adjiciatur memoratum pactum. Accedit, quod Apostolus Hæreticos jubeat devitari, & Matrimonii Sacramentum, si contrahatur cum hæretico, ministretur indigno. Idem Matrimonium graviter esse vetitum Jure etiam Ecclesiastico ex *cap.*14. *de Hæret. in* 6. ubi mulierum, quæ scienter nupserunt viris hæreticis, dotes jubentur confiscari; quod est signum gravis delicti.

Dixi in conclus. *per se, & ordinarie*. Siquidem per accidens, & in casu extraordinario licitum esse potest Matrimonium Catholici cum hæretica, aut vicissim, nempe tunc, quando ex una parte moraliter certum est, nullum fore periculum scandali, perversionis, gravium, & perpetuarum dissensionum &c. & simul cavetur, ut omnes proles educentur in Fide Catholica; ex altera vero gravis apparet ratio, v.g. spes certa vel convertendi conjugem ad veram Fidem, vel sopiendi inimicitias, vel conservandi pacem, & tranquillitatem publicam &c. vel si inter Catholicos non reperiatur conjux paris conditionis. Quæ quia raro concurrunt saltem in Locis, in quibus Hæretici non vivunt permixti cum Catholicis, ideo in illis raro licitum erit tale Matrimonium.

Dixi præterea in conclus. *saltem extra Loca, in quibus Hæretici Catholicis immixti degunt*. Nam Sanchez *lib.*7. *disp.*72. *n.*5. Hurtado *disp.*24. *difficult.*2. Bonacina hic *q.*3. *pun.*7. *n.*2. & alii probatissimi DD. non verentur fere generatim asserere, quod in Regionibus, ubi passim Hæretici Catholicis commixti existunt, licita sint inter eos Matrimonia ob præscriptam consuetudinem, adeoque etiam per se, & ordinarie loquendo. Quamvis enim consuetudo Legem naturæ de evitando scandalo, & sacrilega administratione Sacramenti abolere non queat, tamen indicium præbet legitimæ excusationis, quod cesset scandalum, ac pericu-

periculum perversionis, ubi Hæretici cum Catholicis tranquille vivunt, & quod sit necessitas permittendi Sacrilegium in administratione Sacramenti interveniens, quia nempe aliud Matrimonium commodum inveniri, vel pax ulterior in dissonantes Religiones commodius conservari, aut reparari nequit &c. Quapropter licite agit, etiam per se loquendo, Orthodoxus, si cum heterodoxa contrahat Matrimonium in prædicta aliqua Regione, vel Loco, tametsi nullam habeat dispensationem super Jure Ecclesiastico, utpote cui per contrariam, eamque legitimam consuetudinem derogatum est. Magni autem Principes plerumque petunt consensum, aut dispensationem S. Pontificis, sive ad dijudicandam causæ sufficientiam, sive ad scandalum publicum certius amoliendum, ne ducendo hæreticas uxores videantur in fide vacillare &c.

Annoto tamen adhuc, & specialiter inculco verba Laymanni *lib. 5. tr. 10. part. 4. cap. 14. n. 3.* ibi: *Illud porro apud omnes in confesso est, si Matrimonio Catholici cum hæretica pactum adjiciatur, ut liberorum alii, puta masculi patrem fidelem; feminæ vero matrem infidelem sequantur, impium, & irritum esse* (pactum ejusmodi) *quandoquidem ad utrunque* (parentem) *pertinet cura liberos suos omnes in vera Fide, ac Religione educandi.*

574. Objicies contra conclus. & hucusque dicta. Nunquam licitum est indigno administrare Sacramentum; ergo semper, & in quibuscunque Locis illicitum est Matrimonium contrahere cum hæretico.

Respondetur, neg. ant. Siquidem talis administratio non est ita intrinsece mala, quin cohonestari ob certas circumstantias, vel causas possit, & administrans non censeatur formaliter cooperari peccato recipientis: ut patet in casu, quo Sacerdos ministrat Eucharistiam publice petenti, quem privatim scit esse indignum.

575. Dico secundo. Matrimonium Catholici cum hæretica (vel vicissim hæretici cum Catholica) est validum, quamvis adjiciatur pactum de parte prolium educanda in hæresi. Ita cursus DD. communiter, quibus tamen se opponit P. Franciscus Schmier *libr. 4. tr. 3. cap. 5. sect. 3. n. 57.* Sed nostra conclusio

Probatur tum negative, quia non reperitur Jus irritans; tum positive ex praxi Ecclesiæ, hujusmodi Matrimonia sustinentis. Imo Urbanus VIII. in quodam suo Decreto die 14. Mart. 1630. (teste Clericato *de Sacram. Matrim. decis. 26. n. 21.*) expresse declaravit, *post Matrimonia jam inita tolerari posse, mulieres hæreticas, quæ maritos habent Catholicos, cohabitare &c. ita tamen, ut proles catholice educentur*: quod tamen tolerari, vel permitti non potuisset, etiam sub memorata conditione, sive modo, nisi id genus Matrimonia fuissent valide contracta.

576. Objicies primo. In *can. 72.* Synodi VI. Oecumenicæ irritum pronunciatur Matrimonium, inter Hæreticum, & Orthodoxam initum; ergo &c.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. ajo, quod ille canon non sit Synodi Sextæ, sed post illam a quibusdam Episcopis apud *Trullum*, palatium Regium congregatis, fabricatus; qui Canones *Trullani* a Sergio Pontifice sunt aperte reprobati: veluti notat P. Pichler *lib. 4. tit. 1. n. 130.* aliique plures.

577. Objicies secundo. Si Matrimonio adjiciatur conditio, vel pactum, quod est contra bonum prolis, Matrimonium est invalidum, *cap. fin. de Condit. appos.* sed pactum de parte prolium educanda in hæresi, est contra bonum prolis; ergo &c.

Respondetur cum Authore proxime *cit.* dist. major. Si adjiciatur conditio, vel pactum, quod est contra bonum prolis naturale, & sic repugnat substantiæ Matrimonii, con. quod est contra bonum prolis spirituale, & substantiæ Matrimonii non repugnat, neg. maj. & distinctione applicata minori, conf. Quando conditio, vel pactum repugnat bono prolis naturali, quemadmodum contingeret, si conjuges paciscerentur, ut positive evitetur generatio prolis, vel impediatur educatio, v. g. per occisionem prolis generatæ, adversatur substantiæ Matrimonii, & hujus valorem evertit: prout relinquitur ex dictis *numer. 345. in limitatione respons.* Quando autem conditio, vel pactum repugnat tantum bono prolis spirituali, non adversatur substantiæ Matrimonii, neque hujus valorem vitiat; siquidem Matrimonii substantia dicit obligationem mutuam (saltem radicalem) ad actus, per quos generari, & educari potest proles, non vero educationem bonam, & sanctam prolis; alias etiam conditio, vel pactum, quod adjiciunt ambo conjuges Catholici de prole educanda ad furandum, ad impudicitiam, vel artem magicam &c. esset contra substantiam Matrimonii, istudque redderet invalidum; quæ tamen sequela nemini (ut reor) arridebit.

ARTICULUS VII.

De Impedimento Vis, sive Metus.

SUMMARIUM.

578. *Vis alia est* absoluta, *alia* conditionalis. 579. *& seqq. Deciditur, qualis vis, seu metus dirimat Matrimonium, & quo Jure: solvunturque argumenta opposita.*

578. Vis biceps est, nimirum *absoluta*, & *conditionalis*. Prior est *coactio omnimoda, & corporalis de præsenti illata reluctanti*; ut siquis violente cogatur ad porrectionem manus, quæ habetur, & accipitur pro signo consensus, esto a parte rei talis non præbeatur, imo dissensus adsit. Unde hujusmodi vis, cum consensum omnem excludat (ex dictis *part. 1. a num. 588.*) quippe reluctanti illata, non potest non obsistere Matrimonio valide contrahendo, ut in confesso est apud omnes; de qua proinde hic nulla quæstio movetur. Posterior impræsentiarum confunditur cum *Metu*, estque *trepidatio mentis ratione periculi instantis, vel futuri*. Igitur ex tali vi, vel metu fieri dicitur, quod quis facit mali declinandi causa, alioquin non facturus. Ex quo fluit, per vim hoc modo acceptam, & cum metu promiscue sumptam, non tolli voluntarium simpliciter, secundum quid duntaxat: prout exposuimus *part. 1. n. 593. & seqq.* Porro Metus multiplex est; veluti patet *ead. part. a n. 594.* Quæ, ne repeti debeant, revidenda sunt. Ut autem expediamus, quæ de vi conditionali, ac morali, seu metu hic ventilanda sunt,

579. Dico primo. Vis, seu Metus, non directe ad extorquendum Matrimonium, sed ob alium finem incussus, non dirimit Matrimonium, ut ut gravis sit, & injustus. Ita communior, & mihi probabilior sententia, quam tenent Sanchez *lib. 4. disp. 12. n. 3.* Perez *disp. 17. sect. 9. n. 3.* Herincx *de Matrim. disp. 3. q. 4. n. 23.* Pichler *lib. 4. tit. 1. n. 112.* & alii innumeri contra Franciscum Schmier, Schmalzgrueber, Bokhn &c. Unde si Princeps e. g. ab alio Principe in sua urbe injuste obsessus, ut evadat imminens exitium, contrahat Matrimonium cum filia, vel sorore obsessoris, valide contrahit. Similiter viator, cui latro ad pecuniam extorquendam intentat mortem, valide in uxorem ducere promittit, & ducit ejus filiam, ut hac ratione periculum mortis evadat &c.

Probatur autem statuta conclusio primo negative: quia nullitas Matrimonii, antefato modo contracti, nec infertur ex ratione, nec ex Jure, sive naturali, cum hoc in commemoratis casibus potius inclinet ad Matrimonium, ceu medium evadendi gravius malum; sive positivo, ut patebit ex solutione objectionum; ergo non est asserenda.

Probatur secundo etiam positive; nam SS. Canones, dum statuunt, vel declarant, irrita esse Matrimonia, per *vim* (conditionalem scilicet, ac moralem, hoc est, per metum) extorta, intelligunt (esto in terminis formalibus id non exprimant) vim non qualemcunque, sed injuriosam, & vitiatam ex intentione Matrimonii extorquendi: sed vis, ob alium finem, quam ad Matrimonium extorquendum, illata, non est injuriosa, nec vitiatur ex intentione Matrimonii extorquendi: ut patet consideranti; ergo &c. Sicut igitur nemo dixerit, feminæ inferri vim in pudicitia ab eo, qui illam spoliare nititur bonis fortunæ, illa vero ad hoc malum vitandum se offert ad impura; vel si bonis exuta postmodum vivat impudice, & turpi se quæstu alat: ita nec vim Matrimonio, aut hujus libertati, facere censendus est, qui injuste vexat feminam, si hæc vexæ redimendæ causa offerat sese ad Matrimonium, & istud sponte arripiat tanquam medium redemptionis.

580. Objicies primo. Eadem ratio pugnat in Matrimonio, quod ex gravi metu contrahitur, sive metus directe ad illum extorquendum inferatur, sive non; ergo &c.

Respondetur, neg. ant. Siquidem ratio irritandi fuit vis injuriosa, quæ Matrimonio, & ejus libertati infertur, qualis non infertur, quando metus ex alia causa, quam Matrimonii extorquendi incutitur. Deinde dato, non concesso, quod utrobique eadem pugnet ratio, non tamen propterea Lex irritans, ejusque dispositio extendenda venit, utpote odiosa, & a Jure naturali recedens.

581. Objicies secundo. In *c.14. de Sponsal.* ubi irritatur Matrimonium ex metu gravi, & injusto contractum, non est sermo de casu, quo metus fuit incussus directe ad extorquendum; ergo metus, etiam ex alio fine incussus, irritat Matrimonium.

Respondetur primo P. Pichler *cit.* neg. ant. Siquidem ibi Pontifex jussit puellam, quam duo volebant sibi Matrimonio copulari in loco tuto sequestrari, donec lis finiretur, ne ex timore *diceret* (videlicet puella) *sibi placere, quod odit*, nempe Nuptias, ex quibus invitis sequi posset infelix exitus; ergo ibi sermo est de casu, quo incussio metus directe respiciebat, ac intendebat Matrimonium. Sed

Respondetur secundo, & verius, magisque apposite, illius *cit.* capituli casum non esse ad rem, nec adversæ sententiæ (uti nec nostræ) aliquod ferre patrocinium: siquidem (ut liquet ex Glossa *ibid.*) duo illi corrivales non agebant de Matrimonio primum contrahendo, sed uterque prætendebat secum jam contractum; & ideo puella timebat ab illis inferendam sibi violentiam, ut fateretur, contractum esse Matrimonium, quod tamen contractum non erat: ad istud proinde malum avertendum jussit Pontifex dictam puellam sequestrari, & in tuto loco collocari.

Dices. Esto Casus ille non faveat adversæ sententiæ, favet tamen textus *cit.c.* quippe non distinguens, ex quo fine metus sit incussus, sed generatim dicens, quod *locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit &c.* ergo &c.

Respondetur, neg. ant. vel dist. Favet textus, spectato præcise verborum cortice, trans. spectata mente Pontificis, illum textum proferentis, neg. ant. & cons. Pontifex non sententiat ibi (aut alibi) de metu, sive vi morali qualicunque, sed injuriosa, & vitiata ex intentione Matrimonii extorquendi; veluti in conclusionis secunda probatione dictum, habetque fundamentum in Conc. Trid. *Sess.24. de Refor. Matrim. c.9.* quod vide.

582. Objicies tertio. Matrimonium spirituale, seu Professio Religiosa, ex metu, etiam ob alium finem, quam ad eam extorquendam incusso, facta, pronunciatur ipso Jure irrita, *cap. 1. de His, quæ vi, metusve causa*; ergo idem dicendum de Matrimonio carnali.

Respondetur, neg. ant. Nam allegatum *cap.* loquitur de metu gravi injuste, & simul ad extorquendam Professionem illato; cum pertractet casum, quo maritus quidam intentabat mortem uxori propter adulterium, cujus suspicione agebatur, milites vero, qui ad illam trucidandam constituti erant, *pietate ducti* eidem vitam donarunt sub conditione, *si fieret Monialis.* Ubi utique vis moralis, seu metus fuit illatus directe ad ingressum, & professionem Religionis extorquendam; cum milites ita procedendo idem egerint, ac si dixissent: *aut Religionem ingredere, aut morere.* Deinde posset transmitti ant. & neg. cons. quia Lex odiosa (qualis est Irritans) & a Jure naturali recedens, non debet extendi a casu expresso ad non expressum, etiamsi ponatur in utroque eadem militare ratio; ut jam insinuatum supra.

583. Dico secundo. Matrimonium, metu gravi injuste incusso initum, non valet (1.) quando metus eo fine, & directe est incussus, ut extorqueatur Matrimonium; & quidem (2.) probabilius etiam de Jure naturali. Prima pars est communis. Alteram docet Scotus *in 4. dist. 29. q. unic. §. de secundo dico*, quem sequuntur Scotistæ communiter, & præter hos D.Gletle *de Pactis cap.ult. §.1. n.14.* Krimer *lib.4.tit.1.n.434.* Franciscus Schmier *lib.3. tr.3. cap.1. num.387.* aliique plures.

Probatur prima pars ex *c.14. 15. & 28. de Sponsal.* itemque ex *cap.2. de Eo, qui duxit &c.* queis Juribus irritantur, vel irrita declarantur Matrimonia, illiusmodi metu extorta, eo quod non sint debite libera, & infelices soleant sortiri exitus.

Probatur etiam secunda pars. Nam si Matrimonium, quod est contractus ex sua natura irrescindibilis, de Jure naturali valeret, Natura illi daret valorem approbatione sua, ex quo longe majora mala bono communi nascerentur, quam bona ex ejusdem valore; approbaret enim actum, ex cujus consistentia innocens cogeretur indeclinabiliter pati malum, sæpe gravissimum innocenti, & reo etiam ex iniquitate sua lucrosum, quale est Matrimonium *perpetuo invitum, injuste extortum, ac directe cum gravi alterius injuria quæsitum*: quod sane foret iniquum, & nullatenus rectæ rationi consonum; ergo &c.

Nec sufficit, quod humana potestas contractum Matrimonium rescindere valeat absolute loquendo, & in certis casibus. Nam si vel nollet rescindere, vel non posset v.g. quia metus probatus non esset, innocenti non suppeteret remedium, quo juvaretur, sed cogeretur in perpetuo statu violentiæ citra spem redemptionis persistere: quod Natura, quæ in necessariis deficere non solet, nec approbat, nec permittit.

584. Objicies contra conclus. In *can. 22. caus. 22. q. 4.* approbatur Matrimonium cujusdam Ubaldi, interventu metus, & juramenti contractum; ergo metus, saltem si accedat juramentum, nullo Jure irritat Matrimonium.

Respondetur, neg. conf. & ad ant. dico, ibi approbari Matrimonium non jam contractum ex metu, sed cessante metu libere contrahendum de novo, ad quod ille Ubaldus aliunde obligabatur, ut nempe honestaret concubinam suam. Juramentum hic Matrimonio adjectum prorsus nihil facit; cum enim sit assertorium, & præcise asserat id, quod fit, ruente Matrimonio, tanquam principali, ruit & ipsum, tanquam accessorium. Revide dicta *part.4.n.679.*

ARTICULUS VIII.

De Impedimento Ordinis.

SUMMARIUM.

585. & seqq. Ordo Sacer dirimit Matrimonium contrahendum in Ecclesia tam Græca, quam Latina; sed Jure Ecclesiastico tantum. 588. & 589. Satisfit duobus argumentis oppositis.

585. DIco primo. Ordo Sacer (nam de non Sacro conclusio haud procedit) dirimit Matrimonium contrahendum. Ita definit Trident. *Sess.24. de Sacrament. Matrimon. can. 9.* ibi: *Siquis dixerit, Clericos, in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto ----- anathema sit.*

Dixi: *Matrimonium contrahendum*, nam Matrimonium jam ante contractum non dirimit, tametsi id adhuc mere ratum, & needum consummatum sit: prout liquet ex *cap. unic. de Voto, & voti Redempt. in 6.* ac *Extravag. Joann. XXII.* quæ sequentis est tenoris: *Antiquæ concertationi finem cupientes imponere ---- præsenti declaramus edicto, quod licet votum solemnizatum per Sacri susceptionem Ordinis quantum ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac dirimendum, si post contractum fuerit, secundum Statuta Canonum sit efficax reputandum; ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum (cum nec Jure Divino, nec per Sacros reperiamus Canones hoc statutum) invalidum est censendum.* Ratio autem, cur Ecclesia voluerit, Matrimonium etiam contractum, adhuc tamen ratum duntaxat, dissolvi per Professionem S. Religionis, non vero per susceptionem S. Ordinis, est: quia in susceptione S. Ordinis non fit tam perfecta traditio suipsius, sicut fit in Professione S. Religionis, utpote in qua eduntur tria vota, *Obedientiæ* scilicet, *Castitatis*, & *Paupertatis*; de quo-

quorum dignitate, & eminentia sic pronunciat altefatus Pontifex Joan. XXII. *in Extravag. de V.S. cap.1.* prope finem: *Magna quidem est Paupertas, sed major Integritas* (seu Castitas) *maximum autem bonum Obedientia, si custodiatur illæsa: prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, & animo.*

586. Colliges, hucusque dicta procedere in Ecclesia non modo Latina, sed & Græca. Constat partim ex *can. Apostolorum* 25. quem Patres Synodi VI. relati in *can.7. dist.32.* intelligunt etiam de Orientali, seu Græca Ecclesia: partim ex usu, & consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis declarante, quod Jus Ecclesiasticum, etiam relate ad Clericos Grecos, non solum prohibeat, sed & irriter Matrimonium post susceptos Ordines contrahendum, antea vero contractum non dissolvat. Hæc tamen inter utriusque Ecclesiæ Clericos impræsentiarum differentia est, quod Græcis, Matrimonio semel inito, permissum sit ascendere ad Sacros Ordines, & tamen in usu Matrimonii pergere; non item Latinis: quamvis & illi (nempe Clerici Græci) Matrimonio per mortem uxoris dissoluto, non possint, ne valide quidem, ad secundas Nuptias transire; cum Ordo Sacer, etiam relate ad ipsos, dirimat Matrimonium contrahendum ex proxime dictis. Sed contra hoc

Dices. In *can.fin.dist.3.* refertur, Orientalis Ecclesiæ *Sacerdotes, Diaconos, atque Subdiaconos Matrimonio copulari;* ergo in Ecclesia Orientali, seu Græca Ordo Sacer nec Matrimonium contrahendum dirimit.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, illis verbis *Matrimonio copulari*, non denotari contractum Matrimonialem, sed usum Matrimonii per copulam, quod ante susceptionem Ordinis Sacri contraxerant Græci, ac postea ad Sacros Ordines admissi sunt: qualis usus permittitur Sacerdotibus Ecclesiæ Græcæ, *c.6. de Cleric. Conjug.* non vero Sacerdotibus Ecclesiæ Latinæ; ut dictum.

587. Dico secundo. Sacer Ordo vim dirimendi Matrimonium contrahendum obtinet tantum ex Jure positivo Ecclesiæ. Ita S. Bonaventura *art.1. q.2. in Corp.* Scotus *in 4. dist. 37. q. unic. §. Dico igitur.* Palao *tr. 28. disp.4. punct.6. num.5.* Bosco *de Imped. Matrim. sect. 4. conclus.3.* Pirhing *lib.4. tit.6. n.6.* Reiffenstuel *ibid. num.15.* Schmalzgrueber *n.11.* & alii satis communiter.

Probatur primo tum ex *Extravag. cit.* ubi vis dirimendi Matrimonium contrahendum, quam obtinet S. Ordo, refertur in Statuta SS. Canonum. Tum ex *Trident.* relato supra *n.585.* a quo eadem vis refunditur in præceptum Ecclesiæ, vel in votum solemne Castitatis S. Ordinis susceptioni annexum; ergo S. Ordini competit ratione alterutrius, nempe ratione præcepti Ecclesiastici, veluti contingeret, si Clericus in susceptione Ordini Sacri positive votum Castitatis exclusisset; vel ratione voti solemnis, quod in susceptione S. Ordinis emitti debet, saltem tacite, & ordinarie solet, secundum dicta *part. præced. n.103.* Si competat ratione prioris; per se patet, quod a solo Jure Ecclesiastico proveniat. Si ratione posterioris; itidem patet: siquidem tunc non dirimit ratione voti *qua voti*, sed ratione voti *qua solemnis*, sive ratione *solemnitatis*, quæ est Juris Ecclesiastici tantum: consequenter &c. Super hoc revideri potest, quod habetur supra *n. 524. in probat.1.*

Probatur conclusio secundo. Ordo S. vim dirimendi Matrimonium non obtinet a Jure naturali, aut Divino; ergo a solo Jure Ecclesiastico. Conf. patet. Ant. ostenditur. Non enim a Jure naturali: siquidem Ordo S. ex sua natura non repugnat cum statu, & usu Matrimonii; alias iste Clericis Orientalibus concedi non posset. Neque a Jure Divino: siquidem in S. Scriptura non extat ulla prohibitio, qua Clerici arceantur a conjugiis. Neque juvat dicere, quod ejusmodi Lex Divina habeatur ex traditione. Licet enim ex traditione in Ecclesia Latina habeatur Cælibatus, & in utraque Ecclesia, tam Latina, quam Græca impedimentum, quo in Ordinibus Sacris constituti removentur a Matrimoniis contrahendis, ea tamen traditio non Divina, sed tantum Ecclesiastica est, nec aliquid ultra vim Legis Ecclesiasticæ habet.

Probatur tertio. Si Ordo S. dirimeret Matrimonium alio Jure, quam Ecclesiastico, Pontifex non posset cum Clericis, tali Ordine initiatis, dispensare ad contrahendum Matrimonium: sed potest dispensare, actuque dispensavit cum pluribus; ut insinuavimus jam supra *n. 524. in probat.2.* & legere est apud P. Schmalzgrueber *cit.* aliosque Authores passim; ergo &c.

588. Objicies primo. Jus Divinum, & naturale exigit, ut, qui sacra tractant, & ministrant, ac servitiis Divinis specialiter consecrati sunt, ab omni carnali commercio sint mundi, & non habeant cor divisum erga uxores, & Deum. *1. Cor.7.* ergo Ordine Sacro initiati Jure Divino, & naturali, non mere Ecclesiastico, obligantur ad Cælibatum, & inhabiles sunt ad Matrimonium.

Respondetur, dist. ant. Jus Divinum, & naturale exigit id, tanquam aliquid valde concedens, con. tanquam aliquid absolute necessarium, neg. ant. & conf. Licet homo per Sacram Ordinationem deputetur ad functiones Divinas, ad quas rite, & sancte obeundas omnimodo puritas, & perfecta continentia multum confert, non tamen ea absolute, sive de Jure naturali, sive Divino, necessaria esse comprobatur; cum alias illius observantia debuisset esse, & fuisse universalis, atque ab Ecclesia indispensabilis; cujus tamen oppositum contigisse, & hodiedum contingere, patet ex dictis.

589. Objicies secundo. Continentia, & abstinentia a Matrimonio, est res consilii, non præcepti, *1. Cor. 7. v.25.* & ipse Christus noluit eam præcipere; ergo nec Ecclesia potest Sacris initiatos obligare ad abstinendum a Matrimonio, & si sint obligati, talis obligatio dicenda est descendere ab ipso Jure naturali.

Respondetur, dist. ant. Est res consilii antecedenter ad præceptum Ecclesiæ, con. post præceptum Ecclesiæ, neg. ant. & conf. Licet enim Ecclesia neminem absolute cogat, nec cogere possit ad continentiam, & abstinentiam a Matrimonio; potest tamen cogere, & de facto cogit ex suppositione, quod quis libere se mancipaverit statui, & ministerio tam sancto, ac Divino; cum utique in concedentis aliquod beneficium (quale omni procul dubio est collatio Ordinis) arbitrio sit apponere conditionem, in adeptione, & fruitione illius necessario, & ex obligatione observabilem.

ARTICULUS IX.

De Impedimento Ligaminis.

SUMMARIUM.

590. *Quid sit Ligamen, & quo Jure dirimat Matrimonium?* 591. *Ut conjux superstes possit cum alio contrahere Matrimonium, requiritur notitia moraliter certa de morte conjugis.* 592. *& seqq. Solvuntur objectiones.* 595. *Quid agendum conjugi, qui contraxit Matrimonium cum alio, conjuge priore nondum e vita sublato, quem tamen sublatum credidit?* 596. *&* 597. *An valeat Matrimonium, quod conjux contraxit cum alio, existimans, vel etiam firmiter sibi persuadens, suum conjugem adhuc vivere, cum tamen jam esset mortuus?*

590. L*igamen* dicitur Matrimoniale vinculum, quo uterque conjux alteri sic alligatus est, ut, eo superstite, vinculoque durante, cum alio valide contrahere Matrimonium non possit. Nec refert, an Matrimonium, quo quis ligatus est, existat ratum duntaxat, vel consummatum, modo adhuc perseveret: quia utroque inducitur impedimentum ligaminis; prout sumitur ex Apostolo *1. Cor.7.* ubi inquit: *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Estque hoc tale impedimentum Juris Divini, & Naturalis stricte (respective) vel late dicti: veluti probatum, & explanatum ivimus supra a *n.351.* Impræsentiarum tres etiamnum Quæstiones breviter expediendæ restant. Prima est, qualis requiratur notitia de morte conjugis, ut superstes possit cum alio contrahere Matrimonium? Secunda, quid agendum conjugi, qui contraxit Matrimonium cum alio, conjuge priore nondum e vita sublato, quem tamen sublatum credidit? Tertia, an validum sit Matrimonium, quod conjux contraxit cum alio, existimans, suum conjugem adhuc vivere, cum tamen revera jam esset mortuus?

591. Dico igitur primo. Ut conjux superstes possit cum alio contrahere Matrimonium, requiritur notitia moraliter certa de morte conjugis. Ita Sanchez *lib. 2. disp. 46. n. 6.* Covarruvias *part. 2. cap. 7. §. 3. n. 3.* Pœpositus *q. 5. n. 163.* & alii satis communiter.

Probatur ex *cap. 19. de Sponsal.* cujus ultima verba decisiva sunt sequentia: *Consultationi ergo tuæ taliter respondemus, quod quantocunque annorum numero remaneant* (mulieres) *viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

Confirmatur ex *c. 2. de Secundis Nuptiis*, ibi: *Sane super Matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas Nuptias migrare præsumat, donec ei constet* (hoc est, moraliter certum sit) *quod ab hac vita migraverit conjux ejus.*

Ratio autem earum Apostolicarum decisionum est: quia pro priori conjuge stat possessio Matrimonii, qua nondum scitur excidisse, & præsumptio Juris, quod adhuc vivat, cum non sit impossibile centum annis vivere, *arg. l. fin. C. de SS. Eccles.*

Ceterum moralis certitudo non habetur ex sola diuturna conjugis absentia, ut volebant Leges Civiles antiquæ, *l. 6. ff. de Divort. & l. 7. C. de Repud.* Siquidem diuturna conjugis absentia ad summum generat suspicionem de obitu, aut dubium, in quo melior est conditio prioris Matrimonii possidentis, ut dictum: mors quoque, cum sit aliquid facti, non præsumitur, sed probari debet. Neque ex testimonio unius testis privati, licet ceteroquin fide digni, secundum se, & solitarie spectato: quia dum agitur hic de contrahendo secundo Matrimonio, agitur de re maximi momenti, & potente vergere in præjudicium tertii; ubi testimonium unius reputatur pro nullo, juxta illud tritum Jurium, & Juristarum: *vox unius, vox nullius*. Dixi autem: *unius testis privati*; nam si de obitu conjugis testimonium perhiberet testis oculatus qualificatus, v. g. Capellanus campestris, omnino sufficeret ad obitum conjugis reddendum moraliter certum, cum tali tantum, vel plus fidei adhibendum foret, quam duobus testibus privatis. Dixi præterea: *ex testimonio &c. secundum se, & solitarie spectato;* nam si testimonium unius testis privati adjuvetur gravibus indiciis de obitu conjugis, itidem sufficere potest, ut res in particulari a Judice Ecclesiastico (ad quem præsentis negotii cognitio spectat) tuto decidatur. Horum si neutrum accedat ad testimonium unius testis, necessarii sunt duo testes de visu, ut transitus ad secundas Nuptias conjugi superstiti concedi possit. Ita legere est in Authoribus passim. Sed contra conclus. & hucusque dicta

592. Objicies primo ex authoritate. *In cap. fin. v. si autem. Ut lite non contest.* plus non requiritur, quam *ut de obitu* (prioris nempe conjugis) *verisimiliter præsumatur* atque in *cit. cap. 19. de Sponsal.* dicitur sufficere *certum nuntium*; sed *unus nuncius*, seu testis, & *verisimilis præsumptio*, non faciunt certitudinem moralem; ergo &c.

Respondetur, quod, ad evitandum Jurium antilogiam, & propter possessionem stantem pro priori Matrimonio, Interpretes communiter per *præsumptionem verisimilem* intelligant *violentam*, quæ facit certitudinem moralem. Item *cap. 19. cit. de Sponsal.* dum requirit *certum nuntium*, accipiendum est *in genere neutro*, prout ly *certum nuncium* significat certam relationem, aut informationem, non vero *in genere masculino*, ut supponat pro uno homine, ac denotet testimonium unius.

593. Objicies secundo ex ratione. Licitum est sequi opinionem probabilem, etsi minus tutam; ergo &c.

Respondetur, explic. & dist. ant. Quod Jus non requirit certitudinem moralem, nec agitur de valore, aut efficacia actionis, vel de præjudicio tertii, conc. secus, neg. ant. & conf. In præsenti Jus requirit certitudinem moralem, prout relinquitur ex dictis: agitur de valore actionis, qua contrahitur posterius Matrimonium, ut patet: vertitur præjudicium tertii, prioris nempe conjugis, forte adhuc viventis, uti & prioris Matrimonii, forte adhuc perseverantis, prout itidem relinquitur ex dictis. Revideri propter hanc responsionem possunt, quæ tradidimus *part. 1. a n. 149.*

594. Objicies tertio. Si requiritur certitudo moralis de morte conjugis ad contrahendum aliud Matrimonium, tunc istud, superveniente postea dubio, statim debet dissolvi: sed hoc est falsum; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. majoris. Sed ille conjux, cui supervenit dubium, tenetur inquirere in veritatem, ac interim abstinere a petitione debiti conjugalis, licet hoc reddere possit, ac debeat non dubitanti, seu possessori bonæ fidei: quod si uterque dubitet, neuter reddere, vel petere potest, donec adhibita fuerit sufficiens diligentia ad veritatem deprehendendam: si hæc deprehendi nequeat, debitum reddi, ac peti licite potest, modo dubium, quatenus practicum est, deponatur, v. g. per hanc Regulam: *In dubio melior est conditio possidentis*. Sed ut veniamus ad decidendam alteram Quæstionem superius motam,

595. Dico secundo. Conjux, qui contraxit Matrimonium cum alio, conjuge priore nondum e vita sublato, quem tamen sublatum credidit, tenetur posteriorem conjugem deserere, & ad priorem redire, licet optima fide, & ex notitia moraliter certa de obitu prioris conjugis, cum posteriore Matrimonium inierit; imo licet sententia Judicis accesserit. Ita DD. communiter, & facile

Probatur: quia posterius Matrimonium reipsa est nullum ob impedimentum Ligaminis; cui valorem dare non potuerunt bona fides, certitudo moralis, aut sententia Judicis, esto contrahentem excusaverint a peccato; ergo &c. Proceditque, quamvis postea prior conjux moriatur: quia, juxta Regulam Juris, *non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit:* atqui secundum Matrimonium non subsistit ab initio; cum tunc prior conjux (ut supponitur) adhuc vixerit, atque ideo obstiterit impedimentum Ligaminis; ergo &c. Ita cum communi P. Sporer *in Theolog. Sacram. part. 4. n. 52.* recte addens, non teneri in hoc casu conjuges posterius illud Matrimonium revalidare, esto possint, &, ut faciant, omnino conveniat, præsertim si unam, vel plures jam proles inde susceperint,

596. Dico tertio. Validum consistit Matrimonium, quod conjux contraxit cum alio, erronee existimans, priorem suum conjugem adhuc vivere, cum tamen revera jam esset mortuus, modo, dum contraxit, habuerit intentionem, implicite saltem conditionatam, vere contrahendi, si, & in quantum possit. Conclusio, in his terminis veluti abstracte proposita, non videtur habere contradictorem.

Probatur: quia conjux in hypothesi conclusionis revera est habilis ad contrahendum novum Matrimonium, & habet veram intentionem illud contrahendi, nempe conditionatam, si possit contrahere; ergo non apparet, quid ultra desideretur ad valorem talis Matrimonii.

Confirmatur. Hæreticus, erronee existimans, Baptismum esse rem irrisoriam, nihilque valere, vere tamen baptizat, si vere intendat facere, quod, & quantum potest, ac intendit Ecclesia, atque ita cum errore, circa valorem Baptismi versante, est compossibilis verus consensus, veraque intentio baptizandi; ergo etiam in proposito cum errore, seu erronea existimatione, circa possibilitatem, & valorem Matrimonii versante, compossibilis est verus consensus, veraque intentio contrahendi, si contrahens intendat facere, quod, & quantum potest, ac Ecclesia intendit.

597. Sed quid si conjux non solum existimet quomodocunque, sed omnino firmiter sibi persuadeat, conjugem suum adhuc vivere, cum tamen jam sit mortuus?

Respondetur, adhuc probabilius valere Matrimonium, supposito, quod contrahens, dum contrahit, habeat voluntatem vere contrahendi, si, & in quantum potest. Ita Sanchez *libr. 2. disputat. 13. numer. 2.* Aversa, Mastrius, Brancatus, Panget, & alii communius. Ratio est eadem, quæ supra; siquidem & tunc conjux habilis est ad contrahendum novum Matrimonium, veramque habet intentionem illud contrahendi. Confirmatur etiam ut supra; nam licet Hæreticus

cus ponatur sibi firmiter persuadere, certoque credere, Baptismum esse quid inane, nihilque valere, si tamen baptizet cum intentione faciendi, quantum potest, & Ecclesia facit, vere baptizat; ergo a pari &c. Sed

Dices. Voluntas, saltem efficax, non potest ferri in impossibile, etsi falso duntaxat apprehensum; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Non potest fieri absolute in impossibile, con. conditionate, neg. ant. & con. Exemplum de Hæretico baptizante, immediate adductum, probat, & confirmat responsionem.

ARTICULUS X.

De Impedimento publicæ Honestatis.

SUMMARIUM.

598. *Describitur, & explicatur* Impedimentum publicæ honestatis. 599. *& seq. Ex quibusnam Sponsalibus oriatur, & ad quotum gradum se extendat?* 601. *Ex quali Matrimonio rato resultet, & ad quotum gradum se porrigat ex hac radice?* 602. *Nascitur etiam ex Matrimonio rato clandestino, seu absque Parocho, & Testibus contracto.*

598. Impedimentum *publicæ honestatis* (vocari etiam solet *publica Justitia*) est *propinquitas certarum personarum, vi Juris Ecclesiastici ex Sponsalibus tam de futuro, quam de præsenti, seu Matrimonio rato, proveniens, & conjugio cum certis illarum consanguineis contrahendo obstans.* Est igitur quasi affinitas orta ex conjunctione, & consensu animorum, per Sponsalia utroque modo accepta copulatorum; sicut vera affinitas oritur ex conjunctione, seu copula corporum: quia, sicut inhonestum est jungi Matrimonio cum consanguinea ejus, cui ipse prius erat conjunctus corpore per copulam carnalem, & factus vere affinis; ita inhonestum quoque visum est Pontificibus jungi Matrimonio cum consanguinea ejus, cui quis animo per Sponsalia de futuro, vel præsenti prius erat conjunctus, & sic factus quasi affinis. Nunc ut ad rem, & conclusiones procedamus.

599. Dico primo. Impedimentum publicæ honestatis (1.) solum oritur ex Sponsalibus de futuro, valide contractis; solumque post Trid. (2.) afficit personas, in primo gradu consanguinitatis conjunctas sponso, vel sponsæ; adeoque Sponsus tantum cum matre, sorore, & filia suæ sponsæ invalide contraheret Matrimonium; Sponsa vero cum patre, fratre, & filio sui sponsi. DD. communissime.

Probatur utraque pars conclusionis ex Tridentino, quod *Sess.* 24. *de Reform. Matrimon. cap.* 3. sic determinat, & eloquitur: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Quamvis igitur de Jure antiquo *cap. unic. de Sponsal. in 6.* publica honestas etiam orta fuerit ex Sponsalibus invalidis, modo non fuerint invalida propter defectum consensus; Tridentinum tamen illam oriri noluit ex Sponsalibus (de futuro) *quacunque ratione* invalidis. Porro idem impedimentum Jure antiquo, *arg. cap.* 8. *de Consang.* (nam expressus Juris textus de hoc non extat; ut testatur P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 100. cum aliis a se relatis) extendebatur ad quartum usque gradum inclusive; Jure novo autem Tridentini restrictum est ad primum gradum, *primum gradum non excedat &c.*

600. Quæres, an impedimentum publicæ honestatis oriatur etiam ex Sponsalibus incertis; ut siquis promittat se ducturum unam ex pluribus filiabus patris alicujus, & ipsæ repromittant: atque conditionatis; ut siquis promittat Matrimonium uni certæ personæ, sed sub conditione in futurum pendente, & consensum suspendente?

Respondetur primo, non oriri ex Sponsalibus incertis. Ita DD. communiter ex *cit. cap. unic. de Sponsal. in 6.* Ratio insuper est: quia Sponsalia incerta ante electionem, & quamdiu incerta existunt, non sunt Sponsalia, nempe perfecta, & simpliciter dicta; prout relinquitur ex traditis *n.* 270. ergo illis non correspondet effectus perfectorum Sponsalium, qualis est impedimentum publicæ honestatis.

Respondetur secundo, neque oriri ex Sponsalibus conditionatis. Ita rursus DD. communiter ex *eod. cap. unic.* Ratio est: quia cum conditio suspendat consensum ante eventum sui, contractus Sponsalitius non potest esse, ac dici simpliciter validus, & perfectus, antequam impleatur conditio, etiam ex defectu consensus: consequenter &c.

Quod si Sponsalia incerta per electionem personæ migrent in determinata, ac certa; & conditionata per impletionem conditionis in absoluta, omnino operantur impedimentum publicæ honestatis: uti colligitur a sensu contrario *cit. cap. unic.* & inde, quod tunc evadant Sponsalia perfecta, ac simpliciter valida.

601. Dico secundo, Impedimentum publicæ honestatis etiam oritur (1.) ex Sponsalibus de præsenti, seu Matrimonio rato tam valido, quam invalido (nisi invaliditas proveniat ex defectu consensus) dirimitque Matrimonium (2.) usque ad quartum gradum inclusive, cum consanguineis conjugis desponsati, vel desponsatæ. Doctores communiter; sumiturque ex *can.* 11. 12. 14. 15. *caus.* 27. *quæstion.* 2. *cap. unic. de Sponsal. in* 6. & *cap.* 8. *de Consanguinit.* Sed amplius

Probatur, & explicatur conclusio quoad utramque partem: siquidem, licet allegata Jura non ita clare, & explicite loquantur (excepto forsan *can.* 15. *cit.*) de Matrimonio rato, DD. tamen plerique omnes illa intelligunt, ac interpretantur etiam de isto propter majoritatem rationis, seu quod arctior animorum conjunctio fiat ineundo Matrimonium ratum, seu Sponsalia de præsenti, ac ineundo Sponsalia de futuro; propter quam rationem eadem Jura voluere, nasci ex Sponsalibus de futuro impedimentum publicæ honestatis. Et quamvis quartum gradum non determinent; quia tamen *cit. c.* 8. *de Consang.* eundem determinat in affinitate, ad cujus imitationem introductum est hoc impedimentum, ut oriundum ex Sponsalibus, ideo DD. communiter illud extendunt usque ad quartum gradum. Vel dic, eam gradus determinationem in publica Honestate deduci ex consanguinitate alterius Sponsi; nam *cap.* 6. *de Despons. impub.* indefinite dicitur: *Si puella alicui desponsata fuerit, non licet alicui de consanguinitate ipsius, cui desponsata fuerit, eam ducere in uxorem: cap.* autem 8 *de Consang.* proxime *cit.* consanguinitas prohibitiva Matrimonii restringitur (in linea obliqua) ad quartum gradum &c. Porro quoniam Trid. *Sess.* 24. *de Reform. Matrimon. cap.* 3. ubi dictum impedimentum restrinxit ad primum gradum, illudque oriri noluit ex Sponsalibus *quacunque ratione invalidis* (ut audivimus *n.* 599.) denotat tantum Sponsalia de futuro, idcirco idem impedimentum, ex Sponsalibus de præsenti oriundum, manet adhuc sub dispositione Juris antiqui, & oritur ex iis, etiam alia ratione, quam defectu consensus, invalidis, dirimitque usque ad quartum gradum: id quod patet ex Motu proprio S. Pii V. edito an. 1568. incipiente: *Ad Romanum*, in quo altefatus Pontifex declaravit, Decretum Tridentini, *cit. Sess.* 24. *cap.* 3. statuentis, *ut non oriatur publica honestas, nisi ex Sponsalibus validis*, duntaxat intelligendum esse de *Sponsalibus in futurum*, non autem de *Matrimonio contracto, sed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus casibus, & gradibus, quibus de Jure veteri introductum erat.* Atque hinc

602. Colliges, Impedimentum publicæ honestatis nasci etiam ex Matrimonio rato clandestino, seu contracto sine Parocho, & Testibus. Ita Basilius Pontius *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 36. *n.* 5. Palao *tr.* 28. *disput.* 4. *pun.* 10. *n.* 3. Pignatelli *tom.* 4. *consult.* 15. *n.* 2. & alii passim contra Sanchez *lib.* 7. *disp.* 17. *n.* 13. & Engel *lib.* 4. *tit.* 1. §. 6. *num.* 5. Ratio est: quia impedimentum istud secundum Jus antiquum inducitur per quodcunque Matrimonium ratum, etsi invalidum, modo non sit invalidum ex defectu consensus, & hoc Jus antiquum non est a Trid. correctum circa Matrimonium ratum,

Per Lineam descendentem

Privignus (filius ex alio conjuge) Stiff Sohn.

Privigna (filia ex alio conjuge) Stuff Tochter.

Proprivignus (filius privigni) Stiff Enkel.

Proprivigna (filia privignæ) Stiff Enklin.

Reliqua vocabula Abvitrici, & Abnovercæ &c. per vitricum, & novercam : item Abprivigni, & Abprivignæ &c. per Privignum, & Privignam explicari debent.

Per Lineam obliquam

Veniunt Vitrici, & Novercæ fratres, ac sorores, Patruus, Amita; Avunculus, Matertera &c.

Deinde Privignorum, & Privignarum fratres, & sorores, horumque filii, & filiæ &c. quorum nominum significatio germanica habetur supra in Linea consanguinitatis.

Speciali arbore, seu schemate affinitatis hic non est opus, sed sufficit schema consanguinitatis, quod adstruximus supra *n.* 530. & si una cum definitione affinitatis allata *n.* 603. notetur Regula, quam dedimus *n.* 605.

607. Ad rem tamen adhuc magis facilitandam sequitur

P R A X I S

Indagandi affinitatem veram, ejusque gradus.

1.

Si quæratur, an, & in quo gradu Titius, & Caja sint affines? indagetur omnium primo, an aliquando Titius, aut Caja habuerint cum aliqua tertia persona carnalem copulam, vel non? Si non; impossibile est, ut sint affines inter se.

2.

Si vero Titius, vel Caja habuerint copulam cum persona tertia, v. g. Titius cum Bertha, Caja autem cum Petro; tunc ulterius indagandum est, an Bertha sit consanguinea Cajæ, vel Petrus sit consanguinineus Titii? Si non; iterum nulla est affinitas inter Titium, & Cajam.

3.

Si vero reperiatur consanguinitas inter memoratas personas, adest etiam affinitas inter Titium, & Cajam in eodem gradu, in quo reperta fuerit consanguinitas.

Modo per conclusiones procedendum, & nonnullæ Quæstiones resolvendæ sunt.

608. Dico igitur primo. Nulla affinitas, sive ea sit orta ex copula licita, & conjugali, sive ex illicita, & fornicaria (oritur enim juxta communem ex utrique) dirimit Matrimonium Jure naturali, & Divino, ne quidem in primo gradu lineæ rectæ, sed Jure Ecclesiastico tantum. Ita communior, & probabilior sententia, quam tenent Doctor Subtilis *in 4. dist. 41. q. unic. §. Ad Quæstionem ergo dico.* Sanchez *lib. 7. disp.* 66. *n.* 7. Basilius Pontius *libr. 7. cap.* 34. *n.* 5. Mastrius, Bosco, Herincx, Panger, & alii contra alios, quorum tamen plerique solummodo tradunt oppositum de affinitate in primo gradu lineæ rectæ, orta ex copula licita, seu conjugali.

Probatur primo. Siquidem inter personas affines quascunque non datur ratio principii, & principiati, nec superioritas, & subjectio naturalis, nec specialis reverentia, vel amicitia, imo major sæpe aversio, v. gr. inter novercam, & privignum, quam inter extraneos; ergo deficit fundamentum asserendi, quod Matrimonium inter illiusmodi personas sit nullum nullitate ex Jure naturali inducta etiam pro primo gradu lineæ rectæ.

Probatur secundo. Affinitas ortum habens ex copula illicita nec in primo gradu lineæ rectæ dirimit Matrimonium Jure naturali, v. gr. si filius ducat concubinam sui patris; ergo neque sic dirimit affinitas ortum habens ex copula licita. Ant. admittitur ab Adversariis, saltem plerisque, & patet inde, quod Sacra Pœnitentiaria super illa tali affinitate, quando est occulta, etsi sit in primo gradu lineæ rectæ, non raro dispensare soleat, præsertim post Matrimonium jam contractum. Cons. vero prob. Siquidem, spectato Jure naturali, eadem fit conjunctio per copulam illicitam, ac licitam, cum per unam æque, ac alteram duo fiant una caro, & una cognatio attingat fines alterius; ergo &c.

Probatur tertio. Vinculum consanguinitatis strictius est, etiam in linea obliqua, ac quodcunque vinculum affinitas; cum ergo illud non dirimat Matrimonium Jure naturali, ut ostendimus supra *n.* 535. & concedunt Adversarii, neque istud dirimet tali Jure.

609. Objicies primo. Noverca, & privignus, socer, & nurus &c. parentum, & liberorum loco veniunt, §. 6. & 7. *Instit. de Nupt.* ergo eadem fere novercæ a privigno, & socero a nuru &c. debetur reverentia, quæ parentibus a liberis: sed inter hos Jus naturale dirimit Matrimonium; ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. antec. Parentum, & liberorum loco veniunt valde analogice, imo potius æquivoce, puta quoad solum potius nomen, quam quoad rem, con. secus, neg. antec. & conseq. Sed

Dices. In *l.* 53. *ff. de Ritu Nupt.* progenitores, & posteri univoce, vel quasi univoce veniunt nomine parentum, & liberorum; prout ipsimet contendimus supra *numer.* 532. ergo etiam noverca, & privignus, socer, & nurus &c. in §§. ab objiciente adductis sic veniunt loco parentum, & liberorum: consequenter &c.

Respondetur, neg. conseq. & parit. Disparitas est: quia ex una parte ratio principii in parentibus, & progenitoribus, invicem comparatis, atque ex altera parte ratio principiati in liberis, & posteris, itidem inter se comparatis, est eadem, vel quasi eadem; prout colligitur ex dictis supra *citat. numer.* 532. consequenter inter prænominatas, & sub dicta habitudine consideratas personas univocationem, vel quasi univocationem fundat. Simile fundamentum univocationis non reperitur in noverca, & privigno &c. relate ad parentes ex una, & liberos ex alia parte; per consequens &c.

610. Objicies secundo. Matrimonium inter affines in primo gradu lineæ rectæ continet naturalem, eamque gravissimam indecentiam; ergo inter ejusmodi personas Jure naturali dirimitur.

Confirmatur. Dicta affinitas est vinculum naturale, independenter a Jure Ecclesiastico, vel Civili consurgens; quod enim conjuges per carnis conjunctionem efficiantur una caro, est de Jure naturæ, cujus instinctu Adam dixit: *Erunt duo in carne una*. *Genes.* 2. ergo ipso Jure naturali dirimit Matrimonium.

Respondetur ad object. dist. antec. Et illa indecentia est talis, ac tanta, ut Matrimonium inter memoratos affines reddat, etiam de Jure naturali, gravissime illicitum, con. invalidum, neg. antec. & conseq. Nam etiam Matrimonium inter affines affinitate orta ex copula illicita in primo gradu lineæ rectæ continet naturalem, eamque gravissimam indecentiam, uti &c. atque a fortiori, Matrimonium inter consanguineos in primo gradu lineæ obliquæ, inter neutras tamen personas Jure naturali dirimitur; sicut dictum *in prob.* 2. & 3. atque admittitur ab ipsis quoque Adversariis saltem plerisque.

Ad confirmat. con. antec. & neg. conseq. Quia etiam vinculum affinitatis ex copula illicita est naturale, & tamen non dirimit Matrimonium Jure naturali, juxta ipsosmet Adversarios. Quod autem tale quoque vinculum affinitatis sit naturale, ostenditur facile: siquidem tota ratio, ob quam ex copula licita, seu conjugali, oritur affinitas Jure naturæ, est, quia vir, & uxor per copulam efficiuntur una caro ad prolis generationem, ac proinde consanguinei unius Jure naturali efficiuntur affines alterius: atqui hæc ratio, secluso omni præcepto humano, invenitur etiam in copula illicita, seu fornicaria; nam, ut Apostolus 1. *Cor.* 6. *v.* 16. ait: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*; ergo &c. Itaque vinculum affinitatis naturale facit quidem, ut Matrimonium inter affines sit, seclusa dispensatione, illicitum, non vero, ut sit invalidum de Jure naturali.

611. Objicies tertio. Apostolus 1. *Corinth.* 5. dicit: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita, ut uxorem patris sui aliquis habet*; ergo Novercam ducere in uxorem horrent omnes Gentes, etiam illæ, apud quas aliud Jus non est, nisi naturale: consequenter &c.

Respondetur, Apostolum loqui de Matrimonio, quod filius iniit cum uxore patris adhuc viventis: idque non obscure insinuat, dum illam appellat *uxorem*,

posterionis ex parte unius, aut utriusque contrahentium, fit, ut steriles non dicantur impotentes, seu laborare *impotentia coeundi*, & quæ sit impedimentum Matrimonii, sed *impotentia generandi tantum*. Sanct-Gallenses hic *fol.* 709. Est vero impotentia alia *naturalis*, nempe ex ipsius naturæ defectu orta; ut in viro frigiditas, & in femina arctitudo: alia *adventitia*, quæ vel per dæmonis maleficium, vel per humanam operam (ut in veris eunuchis, utroque nimirum testiculo mutilatis, contingit) effecta est. Porro impotentia dividitur in *absolutam*, quæ datur respectu omnium virorum, aut feminarum; & in *respectivam*, quæ non respectu omnium, sed tantum respectu unius, vel plurium personarum datur: sic arctitudo feminæ potest esse respectu unius, vel alterius duntaxat viri. Dividitur impotentia ulterius in *perpetuam*, quæ nec per media naturalia, nec per media spiritualia, puta, per orationes, benedictiones &c. nec citra miraculum, peccatum, aut mortis periculum tolli potest; & in *temporalem*, quæ per media naturalia, vel spiritualia, citra miraculum, aut peccatum, aut mortis periculum, auferibilis est. Dividitur tandem eadem impotentia in *antecedentem*, quæ jam existit ante contractionem Matrimonii, & in *supervenientem*, quæ primum datur post Matrimonium contractum. Præmissa Impotentiæ notione, & divisione,

619. Dico, Omnis, & sola impotentia coeundi perpetua, & antecedens, sive dein sit naturalis, sive adventitia, sive absoluta, sive respectiva, dirimit Matrimonium ipso Jure naturæ. Habetur in *cap.* 1. *& seqq. de Frigidis &c.* traditurque a Scoto in 4. *dist.* 34. *q. unic. per tot.* & aliis communiter.

Probatur conclusio etiam ratione: quia contrahentes Matrimonium de Jure naturæ debent tradere invicem jus, saltem radicale, ad usum corporis, & copulam conjugalem juxta communem omnium sensum: sed nequeunt tradere tale jus, quando corpora ad copulam existunt impotentia, seu inhabilia antecedenter, & perpetuo, sive dein hæc inhabilitas sit naturalis, sive adventitia, sive absoluta, sive respectiva; ergo &c. Veruntamen contra conclusionem, & particulas in eadem positas,

620. Objicies primo. Finis principalis Matrimonii est generatio prolis: atqui iste finis cessat in illis, qui laborant impotentia generandi, ut sunt senes, vel alias steriles; ergo non sola impotentia coeundi, sed etiam impotentia generandi est impedimentum dirimens Matrimonii.

Respondetur, explic. & distin. maj. Finis principalis Matrimonii est generatio prolis, tam per se, quam per accidens possibilis, neg. saltem per se possibilis, con. major. Dist. etiam minor. Iste finis cessat &c. id est, cessat generatio prolis, tam per se, quam per accidens possibilis, neg. tantum possibilis etiam per accidens, con. min. & neg. conseq. Responsionis intelligentia patet intuenti descriptionem impotentiæ, supra allatam.

Dices tamen, ex hac responsione sequi, quod laborantes impotentia coeundi perpetua quidem, & antecedente, at non nisi adventitia, ut eunuchi, valide possint contrahere Matrimonium, saltem spectato Jure naturæ; cum extrinsece solum, & per accidens sint Impotentes ad generandum, juxta descriptionem impotentiæ adventitiæ supra datam: sequela autem pugnat contra conclus. ergo &c.

Respondetur, neg. sequen. Rationem probativam distin. Extrinsece solum, & per accidens sunt impotentes &c. attenta habitudine ad principium effectivum talis impotentiæ, con. attenta habitudine ad ipsa corpora, & membra generativa, neg. Licet laborantes impotentia adventitia possint dici extrinsece tantum, & per accidens impotentes ad generandum, denominatione sumpta a principio effectivo talis impotentiæ, utpote quod est extrinsecum; sunt tamen, & dici debent intrinsece, ac per se impotentes ad generandum, sumpta denominatione a membris generativis, utpote vi modernæ constitutionis, & jam de se ineptis ad perficiendam talem copulam, ex qua fiat una caro, sive quæ ad Matrimonii consummationem, &, saltem per se loquendo, ad generationem sufficiat.

621. Objicies secundo. Consensus, non concubitus, facit Matrimonium; ergo cum impotentia ad concubitum potest validum consistere Matrimonium.

Respondetur, explic. & dist. ant. Consensus legitimus, quo traditur jus, saltem radicale, ad corpora mutua, de se generationi apta, con. quo non traditur tale jus, neg. antec. & conseq. Consensus quippe legitimus, & ejusmodi juris dativus non compatitur cum impotentia ad concubitum; ut patet ex *probatione conclusionis*.

622. Objicies tertio. Ex dictis superius *n.* 337. valet Matrimonium inter moraliter Impotentes, ut si contrahatur cum pacto servandi perpetuam castitatem; ergo etiam valet inter physice impotentes.

Respondetur, neg. conf. Disparitas est: quia prædicto modo moraliter duntaxat impotentes adhuc queunt sibi mutuo tradere jus radicale in corpora (prout *n. cit.* ostendimus) non vero (secundum dicta *in probatione conclusionis*) impotentes physice.

623. Objicies quarto. Matrimonium inter perpetuo impotentes parit obligationem mutuæ cohabitationis, seu efficit, ut cum tali impotentia contrahentes teneantur cohabitare instar fratrum, & sororum, *c.* 4. *&* 5. *de Frigidis &c.* atque inter illos dicitur dari *retinaculum conjugale*, *can.* 2. *caus.* 33. *q.* 1. ergo valet Matrimonium inter sic impotentes.

Respondetur, neg. ant. quoad primum membrum; nam in *cap.* 4. *&* 5. *cit.* non præcipitur, sed solum permittitur mutua illa cohabitatio instar fratrum, & sororum. Ad alterum antecedentis membrum ajo, in *can.* 2. per *retinaculum conjugale* solum intelligi vinculum Matrimoniale putativum, quia dicitur in potestate contrahentium esse illud dissolvere; non autem vinculum Matrimoniale verum, cujus dissolutio utique non est in potestate contrahentium.

624. Objicies quinto. Potentia ad copulam est de substantia Matrimonii, prout videtur ex dictis liquescere; ergo, si impotentia superveniat, corruit, & dissolvitur Matrimonium jam contractum; ergo non sola impotentia antecedens, sed etiam superveniens est impedimentum dirimens Matrimonii.

Respondetur, hoc argumento probari, quod etiam Matrimonium consummatum per impotentiam supervenientem dissolveretur; qualem sequelam nemo DD. saltem Orthodoxorum admiserit, cum esset error contra Fidem. In forma dist. ant. Idque verum est relate ad Matrimonium consideratum in fieri tantum, quatenus hoc iniri valide non potest a mare, & femina, potentia coeundi simpliciter destitutis, con. etiam relate ad Matrimonium consideratum in facto esse, sive quando valide jam est contractum, neg. ant. & utramque conf.

625. Objicies sexto. Impuberes, esto in illis solum detur impotentia coeundi temporalis, nequeunt contrahere Matrimonium, *cap.* 10. *de Desponf. Impub.* ergo non sola impotentia coeundi perpetua dirimit Matrimonium.

Respondetur, explic. & dist. ant. Nequeunt contrahere Matrimonium, spectato Jure Ecclesiastico, quale proditur in *cit. cap.* con. spectato Jure naturali, neg. ant. & conf. intellectam de Jure naturali, de quo loquitur conclusio.

626. Objicies septimo. Si Titius v. grat. non possit perficere copulam carnalem cum Caja, possit vero cum Sempronia, laborat impotentia coeundi respectiva, & tamen inire valet Matrimonium cum Sempronia; ergo impotentia respectiva non dirimit Matrimonium, tametsi ponatur esse perpetua, & antecedens &c.

Respondetur, concesso antecedente, dist. conf. Non dirimit Matrimonium inter illas personas, respectu quarum non datur, con. inter alias respectu quarum datur, neg. conf. Revide descriptionem impotentiæ respectivæ supra datam.

627. Colliges primo, validum regulariter esse Matrimonium, quod ineunt senes decrepiti, aut vetulæ. Communis DD. sensus, & praxis Ecclesiæ. Ratio est: quia vix ullus est senex, qui non vel incitamento naturæ, vel medicina quapiam, vel arte disponi valeat ad usum Matrimonii, veramque copulam exercendam. Nec refert, quod hujusmodi senum decrepitorum semen sit plerumque infecundum. Siquidem talis infecunditas non impedit verum coitum, utpote qui non necessario post se trahit generationem prolis; ut dictum.

ctum. Unde Lex Julia, & Papia, quæ viros sexagenarios, & feminas quinquagenarias a conjugiis arcet, non tantum Ecclesiæ praxi, sed & authoritate Imperatoria sublata est per *l. 27. C. de Nupt.* P. Bockhn *lib. 4. tit. 15. n.*

Dixi: *regulariter*. Nam si in rariori casu senex quispiam adeo exhaustus esset, ut veram copulam exercere non amplius posset, neque ad eam exercendam ullo modo licito citra miraculum juvari valeret, laboraret omnino impotentia dirimente Matrimonium contrahendum: uti cum receptissima DD. advertit Sanchez *lib. 7. disp. 92. n. 24.*

628. Colliges secundo, pariter validum consistere Matrimonium, etiamsi femina semen viri retinere non valeat, modo valeat illud recipere. Est itidem communis DD. sensus, & praxis Ecclesiæ. Ratio est: quia impotentia, per quam dirimitur Matrimonium, est sola impotentia seminandi in vase debito: unde si, seminatione peracta, semen retineri a femina nequeat, mere per accidens est, nec impedit valorem Matrimonii, imo nec licitum ipsius usum.

629. Colliges tertio, etiam in articulo mortis constitutos posse validum inire Matrimonium, regulariter loquendo. Ita Pirhing *lib. 4. tit. 15. n. 6.* Engel *ibid. n. 4.* Konig *n. 11.* Reiffenstuel *n. 20.* aliique communiter. Patet tum ex praxi Ecclesiæ, permittentis, ut concubinarius, versans in articulo mortis, ducat suam concubinam ad legitimandas proles, si quæ jam susceptæ fuerunt, & ad excludendum periculum ulterioris consensus in voluptatem carnalem illicitam: tum ex ratione; siquidem potentia ad actum conjugalem etiam in tali infirmo regulariter adest, etsi hic, & nunc vi morbi sit impedita.

Dixi: *regulariter loquendo*. Si enim potentia coeundi in simili infirmo per morbum esset penitus destructa, adeo, ut nulla humana arte, aut medio aliquo licito, & sine miraculo, restaurari posset, is pro simpliciter impotente, & Matrimonii contrahendi incapace habendus esset; haud secus, ac supra de senibus dictum.

§. II.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

S U M M A R I U M.

630. *An nullus Eunuchus Matrimonium valide inire possit?* 631. *An valeat Matrimonium, quod init hermaphroditus?* 632. *Quid faciendum, quando conjuges certi sunt de impotentia antecedente, & perpetua?* 633. *Quid Juris in dubio, an impotentia antecedens, quacum initum est Matrimonium, sit perpetua, vel temporalis?* 634. *Quid liceat conjugibus, si Matrimonio jam valide contracto superveniat impotentia?* 635. *Qui impotentia probari possit, ac debeat, ut Judex declaret, Matrimonium, semel contractum, non valere &c.* 636. *Quid agendum, quando ob impotentiam Matrimonium est dissolutum, & postea apparet, conjuges fuisse revera potentes? Ubi etiam fit mentio de* Impotentia ætatis.

630. QUæres primo, an nullus Eunuchus, Spado, aut Castratus Matrimonium valide inire possit?

Respondetur cum distinctione. Si enim uno duntaxat testiculo careat, & virilia sana, atque de cetero integra habeat, Matrimonium valide init: quia Medicorum judicio censetur potens ad coeundum, & generandum, maxime quod vis, & virtus, alias in duobus testiculis divisa, tunc in uno uniatur. Contra si careat utroque testiculo, Matrimonium invalide init: quia, licet vas mulieris penetrare valeat, caret tamen vero semine ad potentiam coeundi requisito. Sanchez ubi supra *num. 17.* Laymann *libr. 5. tr. 10. part. 4. cap. 11. num. 3.* Reiffenstuel *lib. 4. tit. 15. numer. 21.* & alii passim. Quod si tamen aliquis eunuchus factus sit post Matrimonium jam initum, copulam imperfectam, cum emissione scilicet, & immissione seminis non veri in vas uxoris, exercere haud prohibetur: uti docent Toletus *lib. 7. cap. 16. num. 4.* Sanchez *lib. 7. disp. 102. n. 7.* Laymann *loc. & n. citt.* Rationem dat Sanchez: quia talis eunuchus vacans actui conjugali utitur jure suo, per Matrimonium semel legitime initum acquisito: quod autem non emittat verum semen tunc, seu Matrimonio jam valide contracto, per accidens est.

Dices tamen contra hoc. Quando vir nullo modo potest seminare intra vas mulieris, illicitus est coitus; ergo etiam in nostro casu.

Respondetur cum prælaudato Sanchezio, neg. cons. & parit. Disparitas est: quia coitus extra vas non est actus conjugalis, quem proinde Matrimonium non permittit: e diverso coitus intra vas est actus conjugalis, jure Matrimonii prius legitime contracti permissus, & cohonestatus; ut dictum.

631. Quæres secundo, an valeat Matrimonium, quod init hermaphroditus, id est, homo constans organis tam maris, quam feminæ?

Respondetur breviter, valere, si (1) contrahat secundum sexum prævalentem, seu validiorem; secus (2) si contrahat secundum sexum non prævalentem, seu debiliorem. Ratio primi est: quia secundum illum sexum censetur hermaphroditus simpliciter vir, vel femina. *libr. 10. ff. de Stat. homin.* Unde si prævaleat sexus masculinus, valide contrahet ut masculus; si femininus, ut femina. Ratio secundi est opposita: quia hermaphroditus secundum hunc sexum non censetur simpliciter vir, vel femina. Prima pars communiter admittitur a DD. Secundam docent Barbosa, Clericatus, & alii quam plurimi contra alios. Ex quo consequitur, neque validum fore Matrimonium, quod init hermaphroditus, in quo ponitur uterque sexus æqualiter dominari: quia cum sic neuter sexus prævaleret, hermaphroditus non censeretur simpliciter, & absolute, sive mas, sive femina. Responsio hæc nostra est conformis doctrinæ traditæ *in hac ipsa Parte tr. præced. n. 95.* Revide.

632. Quæres tertio, quid faciendum, quando conjuges certi sunt de impotentia antecedente, & perpetua?

Respondetur primo, ipsis abstinendum omnino esse a petitione, & redditione debiti conjugalis, ab exercitio osculorum, tactuum &c. & delectatione morosa circa hujusmodi actus. DD. communissime. Ratio patens est: quia prædicti actus solum licent veris conjugibus, quales non sunt, qui cum impotentia antecedente, & perpetua contraxere Matrimonium, cum hoc sit reipsa nullum.

Respondetur secundo, ejusmodi conjuges (1) esse statim separandos, saltem quoad torum; idque (2) authoritate Judicis Ecclesiastici. Est itidem communissima DD. Ratio prioris membri est: quia alioquin exponerentur continuo periculo incontinentiæ. Ratio posterioris membri est: quia sic jubetur in *cap. 3. de Divort.* ob periculum scandali, & peccati, ne, temere dissoluto Matrimonio, aliud contrahatur invalide, atque ita in perpetuis vivatur adulteriis. Unde nec utrique conjugi, impotentiam allegantì, & fatenti, etiam sub juramento, creditur; quia posset contingere, ut mutuæ cohabitationis pertæsi prætenderent falso impotentiam. Sed de hoc ultimo infra *num. 635.* distinctius.

Dixi autem in respons. *saltem quoad torum*. Nam si mutuo consensu instar fratris, & sororis cohabitare velint abstenturi ab omni commixtione carnali, osculis, tactibus impudicis &c. id eis permissum est per *cap. 4. & 5. de Frigidis*. Quoniam vero & hæc cohabitatio non caret periculo lapsus in vitia carnalia, præsertim si ita cohabitantes adhuc sint juvenes, & calidi genii; ideo Judex Ecclesiasticus, antequam in illam consentiat, debet prius expiscari, ac rite perpendere inclinationes, & qualitates illorum conjugum putatitiorum, aliasque circumstantias, & tunc primum consentire, vel dissentire, prout in Domino expedire, vel licere judicaverit. Sanchez *lib. 7. disp. 97. a n. 5.* Palao *de Sponsal. disp. 4. pun. 14. §. 6. n. 1.* Babenstuber *tr. 8. part. 7. disp. 3. art. 2. n. 18.*

633. Quæres quarto, quid Juris in dubio, an impotentia antecedens, quacum initum est Matrimonium, sit perpetua, vel temporalis?

Respondetur, in tali dubio conjugibus concessum esse nisum ad copulam perficiendam, & quidem per triennium, si tandiu sit probabilis spes illam perficiendi, li-

di, licet præter intentionem pollutio, & totius seminis effusio extra vas contingat. Ita habetur *cit. cap. 5. de Frigidis*. Elapso autem triennio separandi sunt quoad torum, & concedenda alteri, qui potens est, licentia ad alias Nuptias transeundi, vel etiam utrique, si utrumque erga alias personas potentem esse possit ostendi, vel præsumi.

Dixi: *in tali dubio*: Item: *si tandiu sit probabilis spes &c.* Si enim illiusmodi conjuges certo cognoscant, adesse ex parte unius impotentiam perpetuam, abstinere tenebuntur ab omni ulteriore attentatione copulæ, tactibus lascivis, osculis &c. Cum enim tunc constet de invaliditate Matrimonii, supersedendum erit commemoratis actibus, quippe qui non nisi veris, vel saltem dubiis conjugibus concessi sunt. Pat. Reiffenstuel *lib. 4. tit. 15. n. 33.*

De cetero circa triennium, quod conjugibus a Jure indultum meminimus, advertenda veniunt sequentia. 1. Illud incipere, & computandum esse non a tempore Matrimonii contracti, sed a die primæ copulæ attentatæ; prout habet communis DD. cum P. Reiffenstuel *loc. cit. n. 27.* Neque contrarium evincitur ex *citt. cap. 5. de Frigidis*, ubi dicitur: *a tempore celebrati conjugii -- cohabitent per triennium*. Siquidem recitata verba tam Glossa in *citat. capit. vers. celebrati*, quam DD. unanimiter explicant, ac intelligunt de contractu Matrimonii per copulæ attentationem (prout ordinarie fieri solet) jam perfecto, & consummato. Nec deest ratio sic intelligendi; nam dictum triennium conceditur ad capiendum experimentum, sitne impotentia perpetua, nec ne? id quod ante attentationem copulæ inchoari de via ordinaria non potest. Secundo, quod conjuges intra hujus triennii lapsum morali, ac humana diligentia conari debeant perficere copulam, toties nimirum, quoties honesti conjuges ejusdem conditionis, ætatis, & qualitatis uti solent Matrimonio, v. gr. intra septimanam aliquoties. Ita cum aliis P. Pichler *libr. 4. titul. 15. num. 9.* Tertio, illud triennium oportere esse continuum moraliter tantum, ita, ut non censeatur interruptum, si negotii, vel alia de causa per aliquot duntaxat dies, vel unum, alterumve mensem, non cohabitent, aut ob infirmitatem abstineant ab attentatione copulæ: si vero diutius abstinerent in uno continuo, tale hoc tempus foret supplendum. Pichler *loc. & numer. citt.* Quarto, dictum triennium prorogari in iis, qui immediate post adeptam pubertatem Legalem contraxere Matrimonium; ut si Sponsa duodecim, vel Sponsus quatuordecim ætatis annos primum erat egressus: talibus quippe videtur indulta adhuc triennalis probatio post adeptam plenam pubertatem, quæ in feminis anno ætatis decimo quarto, & in maribus decimo octavo censetur adesse. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 110. n. 10.* cum benigniori, & rationi magis congrua opinione: quia dubium est, an non prius impotentia coeundi ex defectu ætatis, & virium imbecillitate proveniat.

634. Quæres quinto, quid liceat conjugibus, si Matrimonio jam valide contracto superveniat impotentia?

Respondetur primo. Si sit impotentia ad generandum præcise, ut in senibus, eunuchis utroque testiculo orbatis &c. possunt licite uti omni jure maritali, quo gaudent alii conjuges generare potentes; adeoque possunt coire, exercere tactus, etiam de se impudicos, amplexus, oscula &c. Fluit ex dictis, & ratione allegata superius, *n. 630.* Accedit, quod tales adhuc consequi valeant finem Matrimonii, saltem secundarium, qui est remedium concupiscentiæ.

Respondetur secundo. Si sit impotentia etiam ad coeundum, & quidem certa, licent ipsis nihilominus oscula, tactus, amplexus &c. exercendi in maritalis amoris signum. Ratio est: quia, tametsi tunc copula sit impossibilis, & ab illius attentatione abstinere teneantur; retinent nihilominus adhuc jus in corpora quoad exercitationem aliorum actuum præfatorum. Nec obstat, quod forte ex exercitio illiusmodi actuum sequatur pollutio, modo eam non intendant, nec in eandem consentiant: quia generaliter nemo tenetur abstinere ab actu alias sibi licito; etsi prævideat, fore, ut ex eo sequatur pollutio, modo hanc non intendat, nec in eandem consentiat, aut consentiendi periculo se exponat. Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. num. 650.* Reiffenstuel *lib. 4. tit. 15. n. 65.* & alii passim.

Respondetur tertio. Si impotentia coeundi, quæ Matrimonio valide jam contracto supervenit, existat dubia, licitus similiter est conjugibus nisus ad copulam per triennium, modo supra dicto de impotentia antecedente, de qua dubitatur, sitne perpetua, vel temporalis tantum.

635. Quæres sexto, qui impotentia probari possit, ac debeat, ut Judex declaret, Matrimonium, semel contractum, non valere, & separare valeat conjuges putatitios?

Respondetur, probationem fieri debere per inspectionem corporum (si aliunde sciri nequeat) in viro a Medicis, & chirurgis, saltem duobus fide dignis, & in arte expertis; in femina vero ab obstetricibus, vel aliis honestis matronis, itidem saltem duabus, fide dignis, & in arte, vel opere nuptiali expertis. Textus, & DD. in *cap. 6. & fin. de Frigidis, ac cap. 4. & penult. de Probat.* Neque his viris, aut feminis creditur, nisi sub juramento affirmantibus, vel negantibus impotentiam, per *cap. 51. de Testib.* Inspectione peracta, si signa impotentiæ sint physice certa, Matrimonium statim pro nullo declarandum est, & conjuges putatitii ab invicem separandi. Si vero signa impotentiæ tantum appareant valde verisimilia, & quasi moraliter certa, deferri debet juramentum tum conjugibus de impotentia habendæ copulæ, tum septimæ manui consanguineorum, id est, septem consanguineis (vel in horum defectu septem vicinis, aut si tot haberi nequeant, saltem duobus, vel tribus) qui jurent, se credere, quod conjuges verum jurent. Ita ex *capit. 5. de Frigidis*. Sanchez *lib. 7. disp. 107. n. 4.* Reiffenstuel *lib. 4. tit. 15. n. 43.* & alii. Si denique signa impotentiæ deprehendantur positive dubia, debet dari conjugibus triennium ad explorandam potentiam, vel impotentiam; ut supra *n. 633.* dictum. Elapso autem triennio, & impotentia adhuc manente dubia, deferendum est juramentum conjugibus de attentata copula, sed perfici impossibili, & consanguineis de credulitate, ut supra. Quod si uterque conjux jurato affirmet attentationem copulæ, & experientiam impotentiæ, Matrimonium est annullandum, sive declarandum pro nullo. Textus, & DD. in *cap. 5. & fin. de Frigidis*. Si unus duntaxat affirmet, & alter neget, seu contrarium asserat, huic credendum, & standum pro valore, ac favore Matrimonii, *cap. fin. de Sent. de Re judic.* Sanchez *lib. 7. disp. 109. n. 2. & 9.* Reiffenstuel ubi supra *n. 48. & seq.* aliique passim.

636. Quæres septimo, quid agendum, quando ob impotentiam, legitime in Judicio probatam, Matrimonium est dissolutum, & postea apparet, conjuges fuisse potentes, eo quod sive extra sive intra Matrimonium post dissolutionem prioris contractum, prolem generaverint &c.

Respondetur, Matrimonium, quod antea dissolutum est, restaurandum esse regulariter loquendo, & subsequens, siquod contractum est, dissolvendum. Ita DD. communiter ex *cap. 5. ac 6. de Frigidis*. Ratio est: quia in tali hac hypothesi, Matrimonium, quod putabatur invalidum, & idcirco ut tale declarabatur, fuit reipsa validum; ergo, deprehenso errore, erit redintegrandum.

Dixi: *regulariter loquendo*. Nam restaurandum non est 1. Si impotentia sit sublata per miraculum, vel peccatum: quia tunc fuit perpetua, & valorem Matrimonii impedivit. 2. Si impotentia extiterit respectiva, v. gr. ob arctitudinem feminæ, respectu prioris viri non curabilem; hæc enim impotentia similiter perpetua fuit, & Matrimonio valide contrahendo obstitit. 3. Si pars separata Religionem professa est: quia Professio Religiosa vinculum Matrimonii rati dissolvit. P. Pichler *lib. 4. tit. 15. n. 11.* & alii passim.

Quæ concernunt *Impotentiam ætatis*, sparsim dicta sunt per decursum, videlicet *n. 156. & 479. in respons. ad 2. arg.* item *n. 626. & 633. ad fin.* &c.

ARTICULUS XIII.

De Impedimento Clandestinitatis, seu Absentia Parochi, & Testium.

Intelligitur hic *Clandestinitas simpliciter talis*, consistens in defectu Parochi, & Testium; sine istis quip-

quippe si Matrimonium celebretur in Loco, ubi Tridentinum viget, suo valore frustratur: non autem *Clandestinitas secundum quid duntaxat talis*, consistens in omissione trium denunciationum, quæ Matrimonio celebrando præmitti debent, vel etiam in omissione Parochi, & Testium, cum non Matrimonium contrahitur in Loco, ubi Tridentinum non viget; nam si Matrimonium ineatur hoc posteriore modo clandestine, non destituitur suo valore, esto ineatur illicite; prout insinuatum supra *n.* 409. Verbo. Clandestinitas, simpliciter talis, est de classe impedimentorum Matrimonii dirimentium; foretque impræsentiarum pertractanda, nisi jam pertractata esset disp. præced. *cap.* 5. *artic.* 1. *a n.* 400. Clandestinitas vero secundum quid talis accensetur impedimentis Matrimonii solum prohibentibus; de qua pariter actum *disp. præced. cap.* 5. *art.* 2. *a num* 430. Transeundum ergo est ad explanandum decimum quartum, & ultimum impedimentum Matrimonii dirimens, quod est *Raptus*. Pro quo sit

ARTICULUS XIV.

De Impedimento Raptus.

SUMMARIUM.

637. *Quid sit Raptus, Matrimonii diremptivus, & quales post se pœnas trahat?* 638. *Quænam conditiones requirantur, ut Raptus dirimat Matrimonium, & inducat pœnas Jure statutas?* 639. *In ordine ad incurrendum impedimentum Raptus, non refert, an femina, quæ rapitur, fuerit alioquin honesta, vel inhonesta, virgo, vel vidua.* 640. *Impedimentum Raptus, & annexa pœna non incurruntur, quando femina rapit virum.* 641. *Solvitur argumentum contrarium.*

637. De *Raptu*, quatenus est species luxuriæ, jam actum est *part.* 2. *a num.* 673. nunc, & in præsenti eundem expendemus, quatenus est impedimentum dirimens Matrimonii. Definitur autem, hoc modo sumptus, *violenta abductio feminæ de loco in locum, Matrimonii contrahendi causa*. De Raptu sic intellecto Conc. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform. Matr.* sequentia verba habet: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso Jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, &, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.* Ex quibus Concilii verbis perspicuum est, quibusnam pœnis, præter nullitatem Matrimonii, obnoxius sit raptor, ejusque in crimine complices, ita tamen, ut hi, seu complices impedimento non afficiantur, quippe inter solum raptorem, & raptam resultare nato: quamvis nulla earum pœnarum (excepta excommunicatione) incurratur ante sententiam Judicis; prout advertit P. Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 118. apud quem etiam videri possunt aliæ præterea pœnæ raptoribus constitutæ a Jure Civili. Nunc sequuntur duæ conclusiones. Itaque

638. Dico primo. Ut Raptus inducat impedimentum dirimens Matrimonii, & pœnas annexas post se trahat, debet femina per violentiam physicam, aut moralem fuisse abducta de loco in locum, Matrimonii ineundi causa, & necdum restituta in locum tutum, seu necdum reposita extra potestatem raptoris. Colligitur partim ex descriptione hujus Impedimenti *n. præced.* allata; partim ex verbis Tridentini ibidem subjunctis.

Probatur juxta, ac declaratur conclusio. Dicitur 1. *Per violentiam*. Si enim femina in sui abductionem libere consentiat, non inducitur impedimentum, tametsi parentes, vel quasi parentes, puta Tutor, Curator &c. reclament; prout habet communis DD. cum Sanchez *lib.* 7. *disp.* 13. *n.* 13. Et ratio est: quia Tridentinum suo Decreto nihil intendit, quam ne præjudicetur libertati Matrimonii: atqui huic non præjudicatur, quando femina in sui abductionem libere consentit, ergo &c. Si tamen ipsa volens, parentibus invitis abducatur, in praxi solet separari ab amasio, atque in loco tuto constitui, ut & ibi consentiat; prout testatur Clericatus *decis.* 33. *n.* 13.

Dicitur 2. *Physicam, aut moralem*. Periode enim est, sive quis per seipsum, & physice, sive per alium a se deputatum, atque adeo moraliter tantum feminam abducat: siquidem in utroque casu libertas Matrimonii præjudicium subit. Secus esset, si alius pro ipso, sine ejus consensu, jussu, vel deputatione feminam abduceret: hoc nanque casu neque per se, neque per alium feminam abducere censeretur. P. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *n.* 31.

Dicitur 3. *Fuisse abducta de loco in locum*, nempe moraliter diversum; non enim sufficit, saltem probabilius, si femina abducatur violenter, v.g. de platea in locum obscurum, vel de una domo in aliam per aliquot inde passus distantem. Tamburinus *lib.* 7. *in Decal. cap.* 6. §. 2. *n.* 7. Haunoldus *tom.* 6. *de Just. tr.* 2. *n.* 541. Konig *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 34. & alii passim.

Dicitur 4. *Matrimonii ineundi causa*. Nam siquis feminam rapiat ex alio fine, v. gr. libidinis exercendæ causa, absque ordine ad Matrimonium contrahendum, committit quidem Raptum, qui sit species delicti, non vero Raptum, qui sit impedimentum dirimens Matrimonii. Ratio est: siquidem Tridentinum, statuendo impedimentum Raptus, præcise intendit, ne præjudicetur libertati Matrimonii; ut supra insinuatum: sed quando femina rapitur ob alium finem, quam Matrimonii ineundi, non præjudicatur libertati Matrimonii, ut patet; ergo &c.

Dicitur 5. *Et necdum restituta in locum tutum, seu necdum reposita extra potestatem raptoris*. Nam si femina post raptum reddita fuerit loco tuto, & e potestate raptoris retracta, potest raptori nubere, si velit; ut liquet ex verbis Tridentini *n. præced.* relatis. Et ratio est: quia tunc pristinam, ac plenam libertatem recuperavit. Ex quo fluit, hoc impedimentum non esse perpetuum, sed tantummodo durare, donec femina rapta, in pristinam libertatem asserta fuerit. P. Bockhn *lib.* 4. *tit.* 6. *n.* 44. cum communi.

639. Colliges, in ordine ad incurrendum impedimentum Raptus, non referre, an femina, quæ rapitur, fuerit alioquin honesta, vel inhonesta; an virgo, vel vidua. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 13. *n.* 14. Pichler *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 119. Bockhn ubi supra *n.* 52. & alii passim. Ratio est; nam S. Synodus Tridentina vult nec in feminis inhonestis, aut viduis offendi libertatem Matrimonii.

640. Dico secundo. Si femina rapiat virum, non incurrit impedimentum Raptus, & consequenter nec pœnas huic annexas. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 25. & *disp.* 13. *n.* 16. Basilius Pontius *libr.* 7. *capit.* 69. *num.* 6. Tamburinus *lib.* 7. *in Decal. cap.* 6. §. 2. *n.* 8. Schmalzgrueber *lib.* 5. *tit.* 17. *a n.* 24. & apud istum multi alii, contra alios itidem multos.

Probatur: quia Leges humanæ, præsertim pœnales, non respiciunt ea, quæ rarissime contingunt, *l.* 5. *ff. de LL.* atqui rarissime contingit, ut femina rapiat virum: id, de quo experientia testimonium perhibet; ergo &c.

Confirmatur. Decretum Conciliare supra, ubi hoc impedimentum, & pœnas connexas statuit, loquitur de solis raptoribus; ergo, cum odiosum, & pœnale sit, extendi ad raptrices non debet; præsertim quia non occurrit aliqua necessitas, aut urgens ratio illud sic extendendi. Sed

641. Objicies. In correlativis, uti sunt vir, & mulier, raptus, & rapta, dispositum de uno, dispositum quoque censetur de altero, si ratio disponendi sit eadem, quamvis dispositio existat odiosa, & pœnalis; prout ipsimet admisimus *part.* 1. *n.* 547. *in limitat. secunda conclusionis*: atqui ratio disponendi impræsentiarum est eadem; ergo &c.

Respondetur, neg. min. Nam ratio motiva statuendi impedimentum tantum erat, ne læderetur libertas Matrimonii, cujus lædendæ periculum longe frequentius extat in viris relate ad rapiendas feminas, quam in feminis relate ad rapiendos viros, cum rarissime contingat, ut femina rapiat virum. Unde posterius hoc periculum, utpote non nisi rarissimum, merito

non

non fuit pensi habitum a Tridentino in ordine ad impedimentum raptus constituendum; ut proinde impedimentum istud non debeat censeri reciprocum, id est, ligans tam raptores feminarum, quam raptrices virorum; esto alia Matrimonii impedimenta dirimentia sint reciproca.

Dices. Impedimentum Metus est reciprocum, non solum ligans viros, sed & feminas, quamvis ab istis rarissime illis incutiatur; ergo etiam impedimentum Raptus.

Respondetur, concedendo ant. sed negando suppositum ejus, seu quod feminæ rarissime incutiant metum viris in ordine ad contrahendum secum Matrimonium: contrarium quippe accidit perfrequenter, si non per illationem metus physicam, certe tamen moralem, puta intentando minas suis amasiis, quod propalare v. g. velint crimina luxuriæ secum, vel cum aliis feminis in occulto perpetrata, nisi ducantur in uxores. Unde & Jura, dum Metum, & Raptum pro impedimentis Matrimonii constituerunt, dispariter de illis locuta sunt. Nam Jus, statuens impedimentum metus, *cap.* 14. *de Sponsal. & Matrim.* simpliciter se fundat in defectu consensus, absque attentione, an mas, vel femina fuerit illius causa. Contra Jus Tridentini, statuens impedimentum raptus. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 6. diserte loquitur de Matrimonio inter raptorem, & raptam, nullam faciendo mentionem de raptrice, neque addendo rationem raptori, & raptrici communem. Cum igitur in pœnis benignior sit interpretatio facienda. *Regul.* 49. *Jur. in* 6. & in obscuris minimum sequendum. *Reg.* 30. *ead.* recte infertur, impedimento raptus non comprehendi, aut stringi feminam, esto stringatur impedimento metus.

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

642. Ordinarius permittere potest, ut Fabricius, qui prius coram Prædicante, & ritu acatholico contraxerat Matrimonium cum Sempronia, femina acatholica, valeat, hac superstite, aliud contrahere cum alia ritu Catholico. 643. Ferdinandus recte reclamavit contra valorem Matrimonii contracti cum filia Titii primogenita, quam firmiter credidit esse formosam, sicut secundogenitam a se visam, sed, inito Matrimonio, deprehendit esse deformem. 644. Fabianus, ad triremes in perpetuum damnatus, non evadit incapax ducendi uxorem, etsi ignaram servitutis, cui ille adjudicatus, & subjectus erat, antequam seipsum inde liberaverat. 645. Forbeius qualiter juvandus a Confessario, dum post contractum Matrimonium dubitare incipit, an non sit consanguineus suæ conjugis? 646. Faustinus, miles gregarius, acceptando munus patrini, sed illud deferendo Centurioni suo (qui & acceptavit, atque infantem levavit) non contraxit impedimentum cognationis spiritualis. 647. Firminus, qui, vivente conjuge sua Bertha, promisit Matrimonium Mævia, sed mortua Bertha, duxit Cajam, & dum hanc uxorem habuit, adulterium commisit cum Mævia, non contraxit impedimentum criminis, vi cujus nequeat, mortua Caja, ducere Mæviam. 648. Florianus maritus, & Florimunda femina soluta, non possunt ob impedimentum criminis incursum inter se (mortua Floriani conjuge) Matrimonium contrahere, prout interveniente etiam adulterio fatere spoponderant, licet ignoraverint, tali promissioni, & adulterio annexum esse impedimentum dirimens Matrimonii. 649. Fidentius invalide contraxit Matrimonium cum Susanna, cujus sorori antea desponsatus erat de futuro, licet cum hac Sponsalia dissolverit. Porro si, Sponsalibus primis non solutis, contra fidem eorum cum Susanna iniisset Sponsalia de præsenti, adhuc posset, ac deberet ejus sororem ducere, esto non potuerit ducere Susannam &c. 650. Fidentianus viduus non prohibetur ducere Semproniam viduam, & illius duo filii, duas filias istius. 651. Febronius invalide contraxit Matrimonium cum Sempronia, respectu cujus laboravit impotentia coeundi ex maleficio orta, eaque incurabili. 652. Felicitas, ejusque maritus, potentia invicem coeundi tandem amissa, licite nihilominus exercent tactus, oscula, amplexus, licet quandoque sequatur pollutio, dummodo hanc non intendant, nec in eam consentiant, vel consentiendi periculum subeant. 653. Florentinus, etiam rapiendo, sive secum abducendo propriam Sponsam, invitam, & reluctantem, in locum moraliter diversum, incurrit impedimentum Raptus, ut ibidem contrahere Matrimonium cum ea non valeat.

CASUS I.

642. Fabricius, Religione Lutheranus, cum Sempronia, ejusdem Secta femina, coram Prædicante, ritu que acatholico celebrat Matrimonium in Loco, ubi Tridentinum promulgatum, atque receptum est; cohabitatque cum sua conjuge ultra triennium. Verum elapso hoc tali tempore, tam suæ Sectæ, quam conjugis pertæsus Fabricius ad partes Catholicorum se transfert, &, ejurato Lutheranismo, Fidem Orthodoxam profitetur ore juxta, ac opere. Sed quoniam carnis stimulos perquam acres continuo sentit, percupit novo copulari Matrimonio cum persona Catholica more, ritu que in Ecclesia Romana consueto. Adit proinde Parochum Loci, eique suum desiderium exponit. Parochus rem ad Ordinarium defert. Quæritur jam, an Ordinarius permittere possit, ut Fabricius aliud Matrimonium præfata ratione ineat?

Respondetur affirmative. Ita P. Elbel *de Matrim. n.* 299. & fluit ex dictis *n.* 489. Ratio est: quia Matrimonium, quod Fabricius antea coram Prædicante contraxerat, habendum est pro invalido; ergo permitti eidem potest transitus ad aliud. Cons. de se patet. Ant. stabilitum manet *n. cit.* Confirmatur. Romana Tribunalia, si interrogarentur, prius Fabricii Matrimonium declararent invalidum, & permitterent transitum ad aliud, cum ita fecerint in paritormi Causa, & Casu Comitis de Lippe; prout liquet ex dictis *num. cit.* ergo etiam Ordinarius juxta exemplar, sibi ab Urbe monstratum, poterit idipsum; nam talis declaratio, & permissio Episcopalis, præsertim cum fiat in sequelam declarationis, & permissionis Pontificiæ, activitatem Ordinarii non transcendit. Sed

Dices primo. Sententia asserens, prius Fabricii Matrimonium valere, est saltem probabilis, cum nitatur & rationibus, & authoritate DD. omnino gravium; ergo illud Matrimonium manet in possessione, & pro ejusdem valore standum est. Ita argumentatur Pater La Croix *libr.* 6. *part.* 3. *numer.* 773. ubi testatur, se cum tribus aliis DD. resolutionem dedisse contrariam.

Respondetur, dist. ant. Est probabilis inspecta secundum se, & speculative, con. inspecta cum habitudine ad Declarationem Pontificiam (cui, ceu exemplari, Declaratio Episcopalis innititur) & practice, neg. antec. & conseq. Authores, priori Matrimonio Fabricii valorem attribuentes, totum fundamentum ponebant in tacito Pontificis consensu, ad quem tamen confugere modo non est integrum, ubi constat de expresso dissensu: atqui constat modo de expresso dissensu, præsertim si consideremus decisionem Romanam in Casu, & Causa Comitis de Lippe factam, & supra relatam, ante quam Authores adversi scripserant. Unde merito infert P. Bockhn *libr.* 4. *tit.* 3. *n.* 36. *prope fin.* quod si modo scriberent, haud dubie sententiam mutarent, sicut ipse, qui illius prius adhæserat, ob prædictam causam mutavit.

Dices secundo. Ex sequela nostræ resolutionis ingentia enascerentur scandala. Nam 1. publica contingeret protestatio adversus valorem, & indissolubilitatem Matrimoniorum ab Hæreticis contractorum. 2. Quilibet Lutheranus, cum sua conjuge male contentus, ab ea se facile separaret, & aliam duceret. 3. Catholici ipsi male sentirent, ac loquerentur de posteriore Fabricii Matrimonio, si rescirent, priorem illius conjugem adhuc esse superstitem. Ergo &c. Ita rursus cum Adversariis Pat. La Croix *loc. & numer. citt.*

Respondetur, neg. seq. Primum membrum probat.

dist.

dict. Publica contingeret protestatio adversus valorem, & indissolubilitatem Matrimoniorum, ab Hæreticis coram legitimo Parocho, cujus nomine venit unice Parochus Catholicus, contractorum, neg. coram Prædicante, qui non est Parochus legitimus, nec præscriptam a Tridentino assistentiam Matrimoniis præbere potens, con. Prius absurdum, & scandalosum foret, non posterius. Ad alterum membrum probat. ajo, non fore periculum, ut Lutherani, qui authoritatem Pontificis, aliorumque Antistitum Ecclesiasticorum, Pontifici subordinatorum, præfracte negant, & flocci pendunt, ex tali facto ansam sumant se separandi a conjugibus, utpote quas a se legitime ductas firmiter credunt, unaque sciunt, id sibi a Prædicantibus non permissum iri ex eo præcise capite, quod in Matrimonio non bene conveniant, & multo minus, si allegarent nullitatem, aut solubilitatem conjugii ob defectum debitæ assistentiæ ex parte Parochi oriundam. Deinde optandum omnino esset, ut Fabricii vestigia secuti, & suam Sectam, & conjuges desererent, Fidem Orthodoxam amplecterentur, aliasque uxores (si ita liberet) ducerent more, & ritu apud Catholicos usitato. Ad tertium membrum probat. dico, tantum abfore, ut Catholici male sentiant, vel loquantur de simili facto, ut potius illud collaudent, atque deprædicent tanquam exemplum infallibilitatis respective, ac prudentiæ in Pontifice, & Episcopis continuo relucentis; quos proinde, ceu Oracula, amplius revereri, ac adorare pergent. Sane nemo Catholicorum male sensisse, aut locutus fuisse noscitur de modo procedendi in causa Matrimoniali Comitis de Lippe; uti & in alia, quam refert P. Elbel *loc. & n. citt.*

C A S U S II.

343. *Ferdinandus, nobilitatis haud infima Juvenis, petiit in uxorem filiam Titii, quam valde formosam forte viderat. Verum illam denegavit Titius, causans esse secundogenitam; se tamen facile daturum primogenitam, quam nubere prius deceat. Ad hæc Ferdinandus petiit a Titio, ut primogenitam ostenderet cuidam Viro gravi, qui sincere, & ex fide sibi referret, an & ipsa pulchra esset? Annuit Titius: sed vero eidem ostendit secundogenitam; nam primogenita deformis erat. Ferdinandus ergo a Viro illo gravi conscius factus, eam quoque, sibi ostensam, pulchram esse, cum eadem contrahit Matrimonium, more Nobilium, vespere sub luce candelarum, quando ipsius formam advertere non poterat. Postmodum inventa est nequaquam pulchra. Contendebat proinde Ferdinandus, Matrimonium fuisse nullum. Standumne pro valore, vel nullitate potius hujusce Matrimonii?*

Antequam nostra sensa promamus, juvat breviter examinare, atque refutare aliorum Authorum circa propositum Casum opiniones, quarum præcipue duas reperio.

Una est P. Claudii La Croix, *lib. 6. part. 3. num.* 556. autumantis, nihil circa Casum, & Quæstionem propositam absolute definiri posse, sed attendendam esse intentionem Ferdinandi contrahentis, qualiter nempe is animo actualiter comparatus fuerit, quando contraxit?

Verum hæc responsio non placet; eo quod statum Quæstionis non videatur attingere: siquidem difficultas nulla fuisset, si notitia de intentione Ferdinandi comparari potuisset: tunc enim juxta qualitatem intentionis habitæ Casus, & Quæstio decidenda fuisset; prout nemo inficias ibit. Cardo igitur difficultatis in eo vertebatur, an, stante dubio de intentione Ferdinandi, is præsumendus fuerit vere consensisse in filiam primogenitam Titii, ad quam ducendam fuerat dolo inductus?

Altera opinio est Pat. Sanchezii, qui (& cum eo plures alii) *lib. 7. disp.* 18. *n.* 35. pro valore Matrimonii standum esse existimat. Ratio hujus opinionis est: quia Ferdinandus censendus est consensisse in primogenitam sibi a Titio oblatam, non vero in secundogenitam, quippe a Titio denegatam.

Verum nec ista responsio, tametsi de cetero statum Quæstionis attingat, arridere potest, eo quod innitatur rationi falsæ, ut jam jam patebit. Quapropter

Respondetur ad Casum, quod Matrimonium Ferdinandi pronunciandum fuerit irritum, & nullum. Ita Basilius Pontius *lib. 4. cap. 22. n. 5.* Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. n. 8.* & alii. Ratio est: quia Ferdinandus non censendus erat consensisse in primogenitam absolute, sed conditionate, si nempe pulchra fuerit; cum ergo talis non fuerit, conditio defecit, & consequenter consensus. Conf. fluit. Ant. colligitur inde, quod Ferdinandus formam Sponsæ per Virum prudentem, & solicite explorare voluerit; adeoque appositionem conditionis si non verbo, certe facto satis expresserit. Confirmatur. Ferdinandus censendus erat consensisse in Sponsam formosam, quam Vir ille prudens, formæ futurus testis, viderat; ea autem non fuit primogenita; ergo in hanc non erat censendus consensisse. Ex quibus patet, quod error Ferdinandi non fuerit præcise circa qualitatem (uti putant Authores secundæ opinionis) sed in ipsam quoque personam redundarit; cum qualitas pulchritudinis fuerit individualis determinatio ipsius personæ. Revide dicta superius *n.* 512. *in Except. cas.* 3.

C A S U S III.

644. *Fabianus, a latronibus captus, ut intentatam ab ipsis mortem evaderet, spopondit, se fidelem eorum asseclam, & complicem fore, modo vita donaretur. Condixere latrones, &, facta vitæ gratia, novum collegam abstraxere secum in speluncam, quæ illorum domus, ac latibulum erat. Ubi & interea mansit tanquam unus ex ipsis. Contigit autem paucis post septimanis, ut manipulus ille latronum a militibus, & satellitibus, in hunc finem emissis, comprehenderetur; omnesque extremo mulctarentur supplicio, præterquam Fabianus, quippe qui, ceu in comparatione aliorum multo innocentior, ad triremes in perpetuum damnatus fuit. Sed dura hujus servitutis impatiens, primo statim anno, disruptis feliciter vinculis, sibi fuga consuluit, nomen militiæ dedit, & brevi post uxorem duxit, ignaram servitutis, cui adjudicatus, & subjectus erat Fabianus. Quæritur, an hoc Matrimonium subsistat?*

Respondetur affirmative. Ita Sonnemann ad *Novell.* 22. c. 8. Clingensperger *lib. 1. Instit. tit.* 12. Pignatelli *tom. 2. consult. 57. n. 2. ad fin.* Elbel *de Matrim. n.* 99. & alii. Ratio est; nam ideo Matrimonium Fabiani pronunciandum foret irritum, quia is per sui ad triremes condemnationem effectus fuisset *servus proprie dictus* (nempe *pœnæ*) qui si Matrimonium contrahat cum persona libera, illiusmodi servitutis ignara, nulliter contrahit ex dictis *n.* 515. sed Fabianus per sui ad triremes condemnationem non fuit effectus *servus proprie dictus*; ergo &c. Min. ostenditur ex *præcitat. Novell.* 22. *cap.* 8. ubi ad opus publicum faciendum, vel ad remos ducendos, vel ad carceres perpetuos exantlandos condemnati, a contrahenda conditione *servitutis proprie dicta* authoritate Imperatoria præservantur immunes, ac liberi: inquit enim ibi Imperator: *Nos autem hoc* (ut scilicet præfata ratione condemnati evadant servi) *remittimus, & nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri servum. Neque enim mutamus Nos formam liberam in servilem statum &c.* Quare Matrimonium Fabiani (saltem in Romano Imperio, ubi prædicta Novella viget) æque subsistit, manetque indissolubile quoad vinculum, ac si ipse ad triremes nunquam damnatus fuisset: esto uxori illius possit competere jus divortii instituendi, quando nimirum ex cohabitatione, & consortio cum tali marito rationabiliter timet, aut experitur notabile quodpiam nocumentum in bonis famæ, corporis, vel fortunæ. Revide, quæ tradidimus superius *n.* 392.

C A S U S IV.

645. *Forbeius, Vir nobilis, postquam ultra triennium in statu conjugali vixerat, fundamentum non leve accipit dubitandi, an non sit consanguineus suæ conjugis? Hoc agitatus dubio Confessarium adit, fundamentum dubitandi exponit, & sciscitatur, quid sibi, ne contra conscientiam impingat, deinceps agendum sit? Quæritur, qualiter Confessarius Forbeium juvare possit, ac debeat?*

Respon-

Respondetur. Confessarius (nisi ipses existentiam, vel carentiam consanguinitatis ex qualitate fundamenti, aliisve circumstantiis deprehendere valeat) injungere Forbejo debet 1. ut modo humanitus, & moraliter possibili in veritatem inquirat, eandem caute expiscando a consanguineis, vel (quod forte securius, consultius, & factu melius erit) a D. Parocho, qui, Libro Baptismali adjutus, rem examinare, atque discutere non gravabitur, imo tenebitur. Injungere Forbejo Confessarius debet 2. ut interea, dum veritatis inquisitio durat, ab usu Matrimonii se abstineat, saltem debitum petendo. 3. Si, inquisitione veritatis debite peracta, dubium perseveret, standum erit pro valore, & licito usu Matrimonii tam quoad redditionem, quam quoad petitionem debiti conjugalis. Ratio hujus est: tum quia tunc Forbejo, cum bona fide (uti indigitat species Facti) Matrimonium contraxerit, suffragatur titulus possessionis: tum quia Matrimonium est causa favorabilis; proindeque judicandum valere potius, quam non valere, *arg. cap. 3. de Probat.* tum denique, quia, secundum saepius dicta, post positionem actus, quando de ejus valore dubitatur, pronunciandum in utroque foro est pro valore, regulariter loquendo, & quando aliunde nihil obstat, sicut impraesentiarum nihil obstare noscitur. Sanchez *lib. 1. disp.* 18. *a n.* 5. La Croix *lib. 6. part.* 3. *n.* 298. Elbel *de Matrim. n.* 145. & alii apud ipsos. Deponat ergo Forbejus dubium practicum ex allegatis principiis, vel aliquo eorum, & uti Matrimonio poterit, haud secus, ac si nullum unquam de ejus valore dubium concepisset.

Sed quid si Forbejus jam ante contractum Matrimonium dubitasset de impedimento consanguinitatis, & cum tali dubio practice non deposito, adeoque mala fide contraxisset?

Respondetur, quod nihilominus standum esset pro valore, & licito usu Matrimonii contracti, quando dubium, post debite factam veritatis inquisitionem, adhuc perseverat. Ratio est: quia licet Forbejus in hoc tali casu resolutionem practicam de valore, & licito usu sui Matrimonii formare non possit ex titulo possessionis, utpote mala fide coeptae; potest tamen eandem formare ex aliis duobus principiis (vel alterutro eorum) *in respons. praeced.* adductis; & sic Matrimonio contracto licite uti, quamvis illud contrahendo graviter peccaverit. P. Elbel *numer.* 146. & reipsa alii plures.

Dices. Jus petendi debitum conjugale non acquiritur, nisi per contractum Matrimonialem bona fide initum: atqui Forbejus, si ponatur contraxisse Matrimonium cum dubio de existentia impedimenti practice non deposito, contractum Matrimonialem non iniit bona fide; ergo non acquisivit jus petendi debitum conjugale: consequenter &c.

Respondetur, dist. maj. Jus certum. con. jus dubium, vel probabile, neg. maj. &, concessa minore, dist. similiter cons. Non acquisivit jus certum, con. jus dubium, vel probabile, neg. cons.

Instabis. Vi juris dubii, vel probabilis tantum non licet petere debitum; ergo &c.

Respondetur. Quando dubium non potest practice deponi, aut non deponitur, vel probabilitas non potest resolvi, aut non resolvitur in certitudinem reflexam, con. quando dubium praefato modo deponi potest, ac deponitur, vel probabilitas resolvitur (uti fieri potest, & fieri supponitur a Forbejo) neg. ant. & cons.

C A S U S V.

646. Faustinus, miles gregarius, rogatus a parente Felicitatis (sic nominanda) puellulae neo-natae, ut eam e sacro fonte levaret, acceptat dignitatem, & ad Ecclesiam cum ceteris vadit, suo ibi munere functurus. Sed quoniam in Ecclesia incidit in Faustinianum, Centurionem suum, dignitatem sibi oblatam eidem defert, ac cedit, gratia loco habiturus, si acceptarit. Faustinianus, non multum cunctatus, in locum, & officium Faustini succedit, ac infantem levat. Post sedecim circiter annos, a Baptismate Felicitatis elapsos, Faustinus cogitat eam in uxorem ducere. Sed quaerit, an non obstet impedimentum Cognationis spiritualis, a se forte in specie Facti contractum? Censendusne est Faustinus tali impedimento obnoxius, & idcirco arcendus a Matrimonio cum Felicitate ineundo?

Respondetur negative. Ratio est: quia Faustinus non levavit infantem, sive per se, ut patet ex specie Facti, sive per alium, puta per Faustinianum, utpote quem, ceu Superiorem suum, non potuit decerner, nec voluit constituere procuratorem, qui loco sui levaret infantem, imo Faustinianus munus procuratoris, ceu sibi politice dedecorosum, omni procul dubio repudiasset; ergo Faustinus non fuit reapse effectus patrinus; & consequenter non contraxit impedimentum Cognationis spiritualis. Atque hunc Casum ita fuisse resolutum in Consistorio Pragensi, refert, & testatur Caramuel *in sua Theolog. numer.* 553. ut legere est apud P. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *n.* 98. Sed

Dices. Ex hac resolutione sequitur, Felicitatem fuisse solemniter baptizatam absque interventu patrini: sed sequela est absurda, ex dictis *part.* 5. *n.* 154. ergo &c. Probatur autem seq. Nam patrinum non egit Faustinus, ut contendit resolutio: neque Faustinianus, quippe ad id munus a parente Felicitatis non designatus; quod tamen requiritur, ut quis verus patrinus evadat; ergo &c.

Respondetur, neg. seq. Ad prob. neg. alterum antecedentis membrum, & causalem, seu rationem probativam dist. Non fuit designatus &c. explicite, con. implicite, ac praesumptive, neg. Faustinianus infantem levavit Parocho non obsistente, & de consensu rationabiliter praesumpto parentis, utpote cujus favor vertebatur: qualis consensus procul dubio sufficit ad veri patrini praerogativam obtinendam. Sporer *cit.*

C A S U S VI.

647. Firminus, vivente conjuge sua Bertha, promittit Matrimonium Maevia; mortua autem Bertha, non Maeviam, sed Cajam ducit; quam dum uxorem habet, adulterium committit cum Maevia. Quaeritur jam, utrum Firminus, mortua Caja, possit adhuc ducere Maeviam, vel incurrerit impedimentum criminis, vi cujus ab ea ducenda arceatur?

Respondetur, quod Firminus in Casu non incurrerit impedimentum criminis, sed possit Maeviam ducere. Laymann *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Palao *tract.* 28. *disp.* 4. *punct.* 12. *num.* 8. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 79. *numer.* 6. Schmalzgrueber *libr.* 4. *titul.* 7. *numer.* 18. & apud hunc multi alii; imo est sententia fere communis DD. requirentium ad incurrendum impedimentum criminis, ex adulterio sine conjugicidio oriundum, ut tam promissio Matrimonii, quam adulterium facta sint sub eodem conjugio. Ratio autem istius sententiae, & nostrae resolutionis est: siquidem per posterius Matrimonium recessum est a fide data; proindeque solum remanet adulterium: atqui adulterium solum (nisi nempe sit conjunctum cum conjugicidio) non inducit impedimentum criminis, sed ona requiritur vel attentatio, vel promissio Matrimonii (quae scilicet adhuc perseveret, & a qua recessum non sit) secundum dicta *numer.* 562. ergo &c. Confirmatur. Ideo hoc impedimentum est inductum, quod ex ea promissione concipiatur spes futuri Matrimonii, & ex tali spe praebeatur ansa insidiandi vitae alterius conjugis; prout insinuatum est superius *n.* 566. sed hujusmodi spes evanuit inito posteriore Matrimonio; ergo &c.

Idem dicendum, si e converso adulterium commissum sit sub priore conjugio, fides vero data, vel Matrimonium attentatum sub posteriore. Id quod colligitur ex *cap. fin. de Eo, qui duxit &c.* ubi dicitur: *Dum vixerit uxor ipsius;* & *cap.* 1. *eod.* ubi habetur: *Et illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente &c.* qui textus aperte innuunt, ad incurrendum hoc impedimentum criminis requiri adulterium simul, ac promissionem, vel attentationem Matrimonii, vivente eodem conjuge; cum ponderent injuriam eidem Matrimonio irrogatam, & ansam datam insidiandi vitae ejusdem conjugis: atqui neutrum contingit, quando adulterium committitur sub priore conjugio, & fides datur, vel Matrimonium attentatur sub posteriore;

ergo &c. Sanchez *loc. & n. citt.* Schmalzgrueber ubi supra *n.* 19. aliique passim.

CASUS VII.

648. *Florianus, suæ conjugis Apolloniæ facile sexagenariæ jam pridem pertæsus, desiderat post ejus mortem, quam avide expectat, in uxorem ducere Florimundam. Quod quidem desiderium adeo excrescere sinit Florianus, ut, vivente adhuc Apollonia, Matrimonium promittat Florimundæ, post mortem Apolloniæ ineundum, unaque in hunc finem roget sibi fieri copiam corporis, quam etiam Florimunda sub spe potiundi in maritum Floriani absque tergiversatione concedit, reciproco etiam consensu in Matrimonium contrahendum clare prodito. Interim quamvis & Florianus, & Florimunda non ignorent malitiam adulterii, ignorant tamen, tali adulterio cum promissione ineundi post mortem prioris conjugis Matrimonium conjuncto, annexum esse Jure Ecclesiastico impedimentum dirimens, vi cujus arceantur a Matrimonio, post obitum Apolloniæ contrahendo. Quæritur, an nihilominus Florianus, & Florimunda incurrant impedimentum criminis, ut, defuncta Apollonia, Matrimonium invalide contrahant, nisi dispensatione juventur?*

REspondetur affirmative. Ita Gobat *in Theol. Experim. tract. 9. numer.* 202. Sporer *in Theol. Sacram. part. 4. num.* 114. Illsung *tract. 6. disp. 9. num.* 86. VVex *Ariad. part. 5. tract. 2. controv. 5. per totam*, Konig *lib. 4. tit. 7. num. 7.* Reiffenstuel *ibid. num.* 26. &, his Testibus, alii DD. plerique contra P. Krimer *lib. 4. tit. 7. a n.* 1011. P. Pichler *ibid. n.* 6. & quosdam alios. Ratio est 1. Nam SS. Canones *in tit. de Eo, qui duxit &c.* ubi hoc impedimentum statuunt, uti & Interpretes ejus tituli, loquuntur omnino generaliter, ac indistincte, neque illius incursionem restringunt ad personas desuper notitiam habentes, sed solum enumerant semper alias conditiones, a nobis recensitas supra *n.* 562. quas inter fere præcipuum locum obtinet notitia adulterii; ergo etiam generaliter, ac indistincte, & sine restrictione intelligendi veniunt. Confirmatur. Cum Pontifices certo sciant, pauciores hominum, præsertim computatis plebeis, & feminis, Juris peritos esse, & nihilominus, sine distinctione inter ignorantes, & non ignorantes, hoc impedimentum constituant (ubinam enim distinctionem faciunt?) procul dubio illud extensum volunt etiam ad ignorantes; alioquin vix unquam incurreretur contra intentionem Legum, ac Legislatorum. Ratio est 2. Cetera Matrimonii impedimenta omnia, & in specie etiam affinitas ex copula fornicaria (quidquid hic unus, vel alter, plane absque solido fundamento, contra sentiat) incurruntur ab ignorantibus Jura, queis illa statuuntur; quia nempe decens non est, ut tales inter se invicem Matrimonio copulentur: atqui similiter decens non est, ut in Casu Florianus, & Florimunda, aliive ejusmodi criminosi, inter se invicem Matrimonio copulentur; ergo &c. Ratio est 3. Si criminis impedimentum non incurreretur ab ignorantibus, neque incurreretur ab iis, qui tempore, quo hujusmodi crimen committunt, non recordantur annexi impedimenti; cum in ordine ad excusandum a pœna inter se æquiparentur ignorantia, & oblivio, vel inadvertentia: sequelam tamen nemo (ut reor) facile admittet; ergo &c. Ratio est 4. Pœnæ vindicativæ regulariter, & nisi prorsus præter ordinem exasperatæ sint, irrogantur etiam illis, qui nesciunt eas Jure statutas esse, modo sciant gravem prohibitionem actus, cui annexæ sunt: sic fur, cui ordinaria furti pœna fuit ignota, nihilominus suspenditur; homicida, assassinus, parricida, læsæ Majestatis reus pœna mortis, etiam acerbiori, vel acerbissima secundum qualitatem delicti in se spectati, plectuntur; adulter pœna divortii punitur; utut delinquentes ignoraverint id genus pœnas: atqui impedimentum criminis est pœna vindicativa, nec nimium, & præter ordinem exasperata; ergo &c. Ratio est 5. Qui delinquit, ubi nulla certa pœna est Jure imposita, punitur arbitrio Judicis secundum circumstantias rerum, & qualitatem delicti, quin ipsi suffragetur ignorantia pœnæ sic infligendæ; ergo etiam, qui delinquit, ubi certa pœna Jure imposita est, hanc (modo sit proportionata delicto secundum se spectato) incurrere censendus est; quin ei suffragetur ignorantia pœnæ sic impositæ. Ratio est 6. optima Juris dubii interpres consuetudo, seu praxis tum Romanæ, tum aliarum Curiarum Ecclesiasticarum, in quibus illi, qui hujusmodi crimen admiserunt, non permittuntur sine dispensatione contrahere Matrimonium, tametsi uterque, vel alteruter complicum ignoraverit impedimentum; uti præter alios testatur Pyrrhus Corradus *in Praxi dispensat. Apost. lib. 8. cap. 9. §. quandoque*; ergo &c.

Dices primo. Pœnæ a Jure statutæ non incurruntur ab ignorantibus Jus, quo illæ statuuntur: sed impedimentum criminis est pœna, quatenus a Jure constitutum est in pœnam modo supra dicto delinquentium, & in delicto complicum; ergo non incurritur ab ignorantibus Jus, quo illud statuitur; sive (quod in idem recidit) ab ignorantibus Jus qua sic pœnale.

Respondetur, dist. maj. Pœnæ medicinales, transeat. Pœnæ vindicativæ, delicto proportionatæ, & non nimium exasperatæ, neg. maj. Sed impedimentum criminis est pœna, sive sortitur rationem pœnæ, vindicativæ, con. medicinalis, neg. min. & conf.

Dixi: *transeat*: siquidem major argumenti, etiam intellecta de pœnis medicinalibus, solum tenet de illis pœnis medicinalibus, quæ ex sua ratione primaria sunt tales, cujusmodi sunt censuræ; non vero de aliis, quæ tantum sunt tales ex sua ratione secundaria, cujusmodi est verb. grat. reservatio peccatorum mixta, quæ, cum fiat (secundum dicta *part. 5. num.* 686.) ex gemino motivo, vindicandi scilicet delictum perpetratum, & præservandi a perpetrando, pœna medicinalis est, sed ex sua ratione secundaria tantum; nam ex ratione primaria importat in pœnitente inhabilitatem ad obtinendam peccati reservati absolutionem a Confessario, cui circa tale peccatum potestas est restricta: prout animadvertimus *cit. part. 5. numer.* 687.

Instabis. Impedimentum criminis est vel pure, vel saltem principaliter pœna, nempe vindicativa; prout videtur clare indigitari per verba *cap. 5. de Eo, qui duxit* &c. quæ sunt: *Synodus detestatur*, item *præcepit publicæ pœnitentiæ, subjici, ac perpetuo sine ulteriori spe conjugii permanere*; ergo adhuc non incurritur ab ignorantibus Jus, quo illud constitutum est.

Respondetur, neg. ant. & conf. Ant. nego; quia licet impedimentum criminis dici possit, ac debeat vere pœnale (id quod satis, & unice innuunt præallegata verba immediate *citati capit.* 5. non tamen obtinet rationem pœnæ pure, aut principaliter; cum etiam, & quidem magis principaliter sit inhabilitas, vi cujus in crimine complices non possunt invicem contrahere Matrimonium. Conf. nego; siquidem pœnæ vindicativæ, etiam pure, aut principaliter tales, uti sunt pœnæ furti, homicidii &c. ab ignorantibus incurruntur: prout relinquitur ex dictis *in ratione probativa quarta*, & admittitur ab ipsismet Adversariis. Sed contra hoc

Urgebis, & replicabis. Pœnæ medicinales, quæ ex sua ratione primaria, & principaliter medicinales sunt, non incurruntur ab ignorantibus, saltem si ignorantia existat invincibilis; ergo neque pœnæ vindicativæ, si existant pure, aut principaliter vindicativæ.

Respondetur, concesso antecedente tum propter superius, tum propter alibi dicta, neg. conf. & parit. Alia quippe est ratio pœnarum pure, aut principaliter medicinalium, puta censurarum, utpote quæ non incurruntur sine contemptu potestatis Ecclesiasticæ; is autem, qui Legem, sub censura aliquid vetantem, aut præcipientem invincibiliter ignorat, dici non potest Ecclesiasticæ potestatis contemptor, & in eam contumax; neque enim disciplinam contemnit, qui ignorat, *l.* 50. *ff. Locati.* Et alia ratio pœnarum, etsi pure, aut principaliter vindicativarum; hæ enim incurruntur absque contemptu (formali, vel virtuali speciali) potestatis Legislativæ, & contumacia in eam.

Dices secundo. Irregularitas ex delicto; reservatio peccatorum pure pœnalis; impedimentum petendi debitum conjugale, ex carnali copula mariti verb. grat. cum conjugis suæ consanguinea intra primum, aut secundum gradum exercita, oriundum, non incurruntur a delinquentibus, ignorantibus Jus, quo illa statu-

statuta, & peccatis annexa sunt; ergo idem dicendum de impedimento criminis.

Respondetur, neg. ant. quoad omnia, & singula membra; nam licet, quæ in illo commemorata sunt, rationem pœnarum habeant, si spectentur secundum conceptus objectivos secundarios; habent tamen rationem inhabilitatum, puta, ad suscipiendos Ordines, ad percipiendam absolutionem a peccatis, ad petendum debitum, si spectentur secundum conceptus, quos important principaliter: prout de irregularitate ex delicto dictum *part.* 3. *n.* 31. de reservatione autem pœnali peccatorum *part.* 5. *n.* 687. de impedimento denique petendi debitum supra *n.* 482.

Dices tertio. Ignorantia facti excusat ab incursione dicti impedimenti; nam mulier (idem cogita vicissim de viro) ignorans, virum, quocum ita peccat, esse conjugatum, illud non incurrit; prout cum communi animadvertimus supra *num.* 562. ergo etiam excusat ignorantia Juris, qua scilicet ignoratur impedimentum pœnale criminis esse tali delicto a Jure annexum.

Respondetur, neg. conf. & parit. Nam quod ignorantia facti, de qua in antecedente, excuset, est Juribus expressum; non autem, quod excuset ignorantia Juris, de qua in consequente. Ratio discriminis, ob quam Jura sic disposuere de una, & non de altera ignorantia, est: quoniam illa ignorantia facti immutat substantiam, & speciem peccati; cum impediat reatum veri, & formalis adulterii: e diverso ignorantia illa Juris non immutat substantiam, ac speciem peccati; cum solum terminetur ad pœnam, seu impedimentum pœnale criminis. Ex quo fit, ut, si ignorantia facti non excusaret ab impedimento criminis, incurreretur pœna excessiva, atque improportionata delicto; secus, si non excuset ignorantia Juris.

CASUS VIII.

649. *Fidentius contraxit Matrimonium cum Susanna, esto hujus sorori antea esset desponsatus de futuro; quia enim, huic oblata meliori conditione nubendi, Sponsalia consentiente Fidentio rursus soluta fuerunt, is a Matrimonio cum Susanna valide ineundo minime impediri videbatur. Re in vulgus delata, variisque varie de contracto Fidentium inter, & Susannam Matrimonio sentientibus, & loquentibus, causam examinandam assumpsit Tribunal Ecclesiasticum, in quo lata est sententia contra valorem talis Matrimonii. Quæritur jam 1. An cum Sponsalibus mutuo consensu solutis solvatur publica Honestas? 2. veluti occasionaliter, an, si Fidentius Sponsalibus primis non solutis contra fidem earum spopondisset Susannæ per verba de præsenti, nec Susannam, nec ejus sororem ducere potuisset?*

RESpondetur primo ad primum Quæsitum, publicam Honestatem non solvi cum Sponsalibus mutuo consensu solutis: consequenter in Tribunali Ecclesiastico recte latam fuisse sententiam contra valorem Matrimonii, a Fidentio cum Susanna contracti. Ita P. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *num.* 57. P. WVex *Ariadne part.* 5. *tractat.* 2. *de Sponsal.* §. 6. *a numer.* 34. Pichler *lib.* 4. *titul.* 1. *num.* 47. & alii passim; imo hodie est sententia communissima, ac certa. Sumitur autem hujus sententiæ certitudo ex authentica Declaratione Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, approbata ab Alexandro VII. & reperiunda apud Fagnanum (qui scripsit Romæ) *in cap.* 4. *de Sponsal. & Matrim. numer.* 29. cujus est sequens tenor: *Jubente Sanctissimo Domino nostro propositum fuit in Sacra Congregatione Concilii, an Sponsalibus valide initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis sit sublatum impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis? Et dubio pluries proposito, & mature examinato, tandem sub die 6. Julii anno* 1658. *Eminentissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consentientes censuerunt, non esse sublatum. Cujus sententia una cum rationibus hinc inde deductis, & recentibus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas Sua die* 10. *ejusdem mensis, prædictæ Congregationis probavit conclusionem, eamque jussit in dubium deinceps non revocari.* Hæc itaque Declaratio nostræ sententiæ certitudinem conciliat, & oppositam improbabilem reddit; prout candide fatetur Gobat *in Theol. Experim. tr.* 9. *num.* 362. & ideo suam priorem opinionem revocare non veretur.

Dices tamen. Publica Honestas dependet a mutuo consensu ineuntium valida Sponsalia; ergo sublato consensu, atque ita Sponsalibus ad non esse redactis, tollitur & illa.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Dependet &c. *in fieri*, con. *in conservari*, neg. ant. & cons. Publica Honestas est effectus a Jure Ecclesiastico Sponsalibus annexus, quin a privata contrahentium voluntate *in conservari* dependeat. Deinde argumentum retorqueri potest, quando Sponsalia alio modo cessant, v. gr. per mortem alterutrius Sponsi, ubi omnes ultro admittunt, non idcirco cessare etiam impedimentum publicæ Honestatis in Sponso superstite &c.

Respondetur secundo ad secundum Quæsitum negative; sed potuisset (imo & debuisset) Susannæ sororem ducere, esto non potuerit ducere Susannam ob impedimentum publicæ honestatis ortum ex Sponsalibus primo cum ejus sorore contractis. Communis DD. cum P. Pichler *libr.* 4. *titul.* 1. *numer.* 135. Ratio est: quia licet Sponsalia de præsenti, etiam invalida (secus, ac Sponsalia de futuro invalida ex dictis *numer.* 599.) alias inducant impedimentum publicæ Honestatis (ex dictis *num.* 601.) puta per quod arceatur Fidentius a Matrimonio contrahendo cum consanguineis ceteris Susannæ usque ad quartum gradum, tamen non inducunt respectu sororis, cum qua Fidentius antea contraxit Sponsalia de futuro; siquidem Sponsalia de præsenti, postmodum inita cum Susanna, non operantur retro, ut obsint prioribus Sponsalibus de futuro cum sorore Susannæ contractis, sed tantum impediunt, & dirimunt subsequentia; ut clare indicat textus *cap. unic. de Sponsal. & Matrim. in* 6. ibi: *Ad impediendum, & dirimendum sequentia Sponsalia, vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum oritur* (ex Sponsalibus de futuro, vel præsenti, prout a DD. passim intelligitur, sive extenditur) *efficax impedimentum Justitiæ publicæ Honestatis.*

Dices. Si Fidentius in Casu carnalem copulam exercuisset cum Susanna, nec ipsam, nec ejus sororem ducere in uxorem posset: non enim Susannam; quia obstaret impedimentum publicæ Honestatis ortum ex Sponsalibus cum ejusdem sorore contractis: neque sororem Susannæ; quia obsisteret impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita exercita cum Susanna; ergo idem dicendum in Casu, in quo Fidentius ponitur contraxisse Sponsalia (de futuro respective, & præsenti) cum duabus sororibus.

Respondetur, concesso antecedente (sicut jam tradidimus supra *num.* 616.) neg. cons. Disparitas est: quia impedimentum affinitatis agit retro, per *can.* 32. *caus.* 27. *q.* 2. & *cap.* 8. *ac* 9. *de Eo, qui cognovit, &c.* Simile quid non reperitur expressum de Impedimento publicæ Honestatis; imo contrarium luculenter habetur in *cit. cap. unic.*

CASUS IX.

650. *Fidentianus, Vir perhonesta inter suos familia, facultatumque, viduus efficitur; & quoniam, sine uxore rem domesticam utiliter administrari vix posse, sibi persuasum habet, ad alias Nuptias transire cogitat. Adjicit proinde animum ad honestam viduam, matrem duarum filiarum jam nubilium, parens ipse etiam duorum filiorum vix dum pubertatem egressorum. Ut vero omnes facultates illius viduæ, non habentis filios, transferret domum suam, ita gnaviter egit rem, ut conciliaverit Matrimonium inter suos filios, filiasque illius viduæ, quam & sibi desponsavit; adeoque uno, eodemque die duxit ipse matrem, uterque filius, ejus suasu, utramque filiam. Quæritur jam, an hæc tria connubia simul consistere possint; adeoque non obstet impedimentum affinitatis?*

RESpondetur, posse consistere, nec obsistere impedimentum affinitatis. Ita P. Gobat in *Theol. Experim. tract.* 9. *a n.* 396. qui *n.* 387. Casum hunc fere in ter-

in terminis proponit, factumque esse testatur. Ratio est: siquidem nulla proprie dicta affinitas, & consequenter nullum impedimentum derivatum fuit ex parentis Matrimonio cum matre Sponsarum, quas ducere cogitabant, & reipsa duxerunt duo illi fratres; ergo &c. Ant. præterquam quod jam ostensum sit supra *num.* 605. amplius roboratur ex *cit. ibi cap.* 5. *de Consang. & Affinit.* transferendo Rescriptum Innocentii III. quod ita sonat: *Super ea, quod pater, & filius cum matre, & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus, & nepos cum duabus sororibus contrahunt Matrimonia, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri, sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris, sint viri affines; inter consanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorundem, scilicet viri, & uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.* Hactenus Pontifex, ex cujus perspicua Declaratione elucescit veritas antecedentis: & consequenter responsio ad Casum.

CASUS X.

651. *Febronius, viginti annorum Juvenis, in uxorem ducit Febroniam. Sed vix dimidius elabitur annus, Febronia ex hac vita migrat. Unde Febronius, in statu viduitatis nec volens, nec commode potens persistere, ad alia vota transit, & Matrimonium init cum Sempronia. Verum infelici eventu: siquidem potentiam coeundi cum nova conjuge adeo in se impeditam sensit, ut semen virile in vas muliebre immittere nunquam posset, esto illud extra sibi effluere sæpius adverterit tam in attentatis cum Sempronia congressibus, quam in somno. Eapropter, quid sibi faciendum, anxius, consulit Confessarium, a quo percipit, adhibenda esse ad tollendum ejusmodi malum remedia tum naturalia, tum spiritualia. Audit præterea ab eodem Confessario, permissam sibi esse triennalem probationem copulæ conjugalis in ordine ad prædictum finem obtinendum. Febronius consilia respective, ac mandato Confessarii obsequitur per omnia: sed sine exoptato effectu, etiam post peractam triennalem probationem; prout fideliter totam rei seriem exposuit illi ipsi Confessario, qui suasit modo, atque injunxit, ut res deferretur ad Ordinarium: quod & factum. Ordinarius, omnibus rite perceptis, & perpensis, sententiam declarationis super nullitate Matrimonii tulit, & conjuges separavit, indulta Semproniæ facultate ad alias Nuptias transeundi. Contigit autem brevi post, ut Febronius certam quandam puellam carnaliter adamaret, & tandem, post aliquot cum ea exercitos congressus, omnino ingravidaret: quacum proinde Matrimonium inire cupit. Quæritur jam, an id Febronio permitti possit, vel potius adigi debeat ad restaurandum prius Matrimonium, cum Sempronia contractum?*

Respondetur, permitti Febronio posse, ut puellam a se ingravidatam ducat; nec teneatur redire ad Semproniam, licet hæc ponatur necdum contraxisse cum alio. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 94. *a n.* 8. Krimer *lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 1311. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 804. Elbel *de Matrim. num.* 262. & alii apud ipsos. Ratio est: quia Matrimonium, quod Febronius contraxerat cum Sempronia, fuit reapse nullum (atque ut tale declaratum ab Ordinario) ergo nulla extat obligatio, vi cujus teneatur Febronius illud restaurare, & ad Semproniam redire, sed potest libere ad aliud Matrimonium convolare. Conf. fluit. Ant. ostenditur. Impotentia coeundi antecedens, & perpetua, esto sit respectiva, & ex maleficio orta, dirimit, ac annullat Matrimonium ipso Jure naturæ; prout relinquitur ex dictis *n.* 619. atqui Febronius, quando cum Sempronia contraxit Matrimonium, laborabat illiusmodi impotentia, uti elucescit ex circumstantiis in specie Facti exhibitis, & ex iis, quæ tradidimus supra *n.* 618. ergo &c.

Dices primo, Casu, quo Febronius a Sempronia fuisset separatus, licet per sententiam Ordinarii, propter impotentiam coeundi, habitam pro naturali, seu orta ex defectu naturæ, teneretur redire ad Semproniam, nec posset inire Matrimonium cum puella a se ingravidata; ergo etiam, dum separatio facta est propter impotentiam coeundi, habitam pro orta ex maleficio.

Respondetur, dist. ant. Si ex postfacto deprehenderetur, impotentiam coeundi in Febronio non fuisse perpetuam, ne quidem respective, seu respectu Semproniæ, con. Si deprehenderetur, fuisse, & esse perpetuam respective, seu respectu Semproniæ, neg. ant. & conf. Siquidem impotentia coeundi in Febronio juxta speciem Facti orta ex maleficio erat perpetua respective, seu respectu Semproniæ; qualis impotentia non minus, ac absoluta, dirimebat Matrimonium cum Sempronia, esto non dirimeret respectu alterius feminæ: sicut impotentia coeundi perpetua respective, orta ex defectu naturæ, dirimit Matrimonium cum illa persona, respectu cujus datur prædicta impotentia, esto non dirimat Matrimonium cum alia, respectu cujus non datur. Id quod constat ex dictis *n.* 617. *& seqq.* Aliud haud dubie esset, si impotentia coeundi, orta v. gr. ex defectu naturæ, fuisset habita pro vera impotentia, saltem respective perpetua, & inde conjuges per sententiam Ordinarii ab invicem separati; at postea deprehenderetur, memoratam impotentiam solum fuisse temporalem, etiam respectu personæ separatæ: hoc quippe casu Matrimonium cum conjuge separata celebratum, cum omnino valuerit, esset restaurandum, atque ita refigenda Ordinarii sententia, ceu falsæ præsumptioni innixa. Habentur ista *in cap.* 1. *cap.* 5. 6. *&* 7. *de Frigid. & Malefic.*

Dices secundo. In *capit.* 3. *cit. tit.* sic legere est: *Si vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope Medicorum poterit adjuvari; viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem*; ergo a contrario sensu aliud dicendum est, ubi impedimentum non est a natura, sed ex maleficio: consequenter &c.

Respondetur, neg. conf. Nam argumentum, a contrario sensu doctum, nullius est momenti, ubi contrarium est decisum; prout advertit Sanchez *loc. cit. n.* 14. sed quod impotentia coeundi, etiam ex maleficio, si sit antecedens, & perpetua, dirimat Matrimonium, est decisum, atque expressum in Jure, videlicet in *can. fin. caus.* 33. *qu.* 1. ac *cap fin. de Frigid. & Malefic.* Itaque Matrimonium Febronii cum Sempronia contractum, æque fuit nullum, atque ut tale ab Ordinario recte declaratum ob impotentiam coeundi ex maleficio ortam, ac si hæc orta fuisset ex defectu naturæ; proindeque non est adigendus ad illud restaurandum, sed permittendus ad aliud convolare.

CASUS XI.

652. *Felicitas, uxor juvenis, jovialis, & calidi genii, maritum habet fere septuagenarium, aliquot tamen ex ipsa liberorum patrem, nunc autem senio confectum, & potentia amplius coeundi destitutum: amant nihilominus ambo! maritus amans, cum aliter non possit, rem tactibus agit: uxor patitur, & inde polluitur semel, bis, ter: anxia rogat opem; hinc enim Deum, & peccatum timet; illinc maritum amat; carnisque præterea stimulus patitur perquam acres. Quæritur, an nihil, vel quid remedii supersit, quo Felicitas juvari valeat, ipseque etiam maritus in conscientia securus reddi?* Quid dicendum?

Respondetur, dicendum esse, quod nec maritus, nec Felicitas in Casu peccaverint, modo neuter pollutionem intenderit, vel in eam consenserit. Diana *part.* 6. *tr.* 6. *resol.* 37. Sporer *in Theol. Sacram. part.* 4. *n.* 650. & *n.* 500. Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 65. ac alii. Ratio est: quia, tametsi jam copula inter Felicitatem, ejusque septuagenarium maritum sit exercitu impossibilis, & ab illius attentatione ipsis omnino abstinendum; retinent tamen adhuc jus ad exercendos alios actus conjugales, seu conjugibus permissos, puta tactus, oscula, amplexus &c. Nec refert, quod Felicitas profiteatur, se ob tactus a marito exercitos fuisse aliquoties, imo sæpius pollutam, modo nec maritus tangens, nec ipsa tactum admittens, pollutionem intenderint, vel in eandem consenserint: siquidem generaliter nemo tenetur abstinere ab actu alias sibi licito, & ad cujus exercitationem jus obtinet, tametsi prævideat, se inde pollutum iri, modo pollutionem non intendat, nec in eandem consentiat, aut consentiendi periculo se exponat: id quod totum jam advertimus supra *n.* 634. *in suspens.* 2.

CASUS

C A S U S XII.

653. *Florentius, Jurium Studiosus, donis naturæ, quam bonis fortunæ ditior, in sui amorem trahit Florentiam, opulenti mercatoris filiam, a qua etiam Matrimonii promissionem eblanditur. Sed quoniam timet, parentes Sponsæ Matrimonio ab ipsis contrahendo se oppositurus, procurat, inscia Sponsa, ab Ordinario licentiam contrahendi coram quocunque Parocho illius Diœcesis. Qua licentia in scriptis obtenta, Florentius rhedam constituit, eique impositam Sponsam, ut ut invitam, & reluctantem, avehit ad extremos fines Diœceseos, ut ibi coram Parocho aliunde sibi noto ambitum, & promissum ineat Matrimonium. Quæritur, an Florentius committat Raptum, Matrimonii inter ipsum, ejusque Sponsam Florentiam diremptivum?*

REspondetur affirmative. Ita mihi probabilior sententia, quam tenent VViestner *lib. 5. tit. 17. n. 14.* Schmalzgrueber *ibid. a n. 39.* Bockhn *lib. 4. tit. 6. a n. 54.* & alii contra alios, volentes, Raptum propriæ Sponsæ esse quidem impedimentum dirimens Matrimonii, si rapta justam habeat causam resiliendi a Sponsalibus; secus, si talem causam resiliendi non habeat: tunc enim, inquiunt, Sponsus rapit, quod suum est, nempe Sponsam, vi contractus Sponsalitii sibi debitam &c. Sed ratio nostræ responsionis est 1. Nam Lucius III. dum in *cap. de Raptorib.* a Raptu excusat abductionem desponsatæ factam cum istius consensu, non obscure indicat, abductionem invitæ, qualis erat in Casu Florentia, Raptum fore, Matrimonii diremptivum. Ratio est 2. Quia, licet legitime promissum raptori sit Matrimonium, & propterea Sponsam suam rapiens recipiat, quod suum est, per hoc tamen potestas ipsi non datur, eam sibi vindicandi authoritate sua privata, sed publica opus foret; ergo hanc sibi usurpando gravem raptæ injuriam facit, ejusque quoad hoc libertatem lædit; imo justam a Sponsalibus resiliendi causam præbet: uti gnaviter advertit P. Bockhn *cit.* Unde contra Adversarios sic confirmari responsio potest. Si Sponsa habeat justam causam a Sponsalibus resiliendi, Sponsus illam rapiens Matrimonii incundi causa, perpetrat Raptum, Matrimonii diremptivum; prout ipsi ultro admittunt: atqui Florentia in Casu habet justam causam a Sponsalibus resiliendi (quidni enim talis injuriosa violentia illiusmodi causam suppeditet?) ergo &c.

Dices. Ponamus, quod Florentia saltem in Loco, ad quem rapta est, libere jam velit cum Florentio Matrimonium inire, utique hoc casu Matrimonium valebit.

Respondetur, neg. assumptum. Siquidem Impedimentum Raptus, semel contractum, (sicut in Casu fuisse contractum ostendimus) non cessat, donec persona rapta, sive dein hæc sit Sponsa propria, sive alia femina, in Locum securum restituta sit: veluti liquescit ex verbis Tridentini *Sess. 24. cap. 6. de Reform. Matrim.* relatis supra *n. 637.*

De quibusdam Matrimonii Impedimentis nullos hic proposuimus Casus; quoniam propositi, & resoluti jam sunt alibi per decursum Operis. Accingimur ergo alteri, & ultimæ Disputationi tam hujusce Tractatus, quam totius Operis, in quo elaborando hucusque desudavimus.

D I S P U T A T I O IV.

De Dispensatione super Impedimentis Matrimonii, & hujus nulliter contracti Revalidatione.

HAnc Disputationem trinis Capitibus absolvemus. In primo agemus de Dispensatione super impedimentis Matrimonii. In secundo de Revalidatione Matrimonii nulliter contracti. In tertio proponemus, & resolvemus (more per decursum totius Operis usitato) Casus huc facientes. Brevior autem erit ista Disputatio præcedentibus, eo quod in ipsa tam numerosæ difficultates, præsertim theoricæ, non occurrant enodandæ. Sit jam

C A P U T I.

De Dispensatione super Impedimentis Matrimonii.

CUm Impedimenta Matrimonii alia sint, & dicantur *Impedientia tantum*, alia *etiam Dirimentia* (de quibus utrisque *præced. Disp.* actum) Caput istud subdividemus in duos articulos, in quorum priore de Dispensatione super Impedimentis Impedientibus, in posteriore autem de Dispensatione super Impedimentis Dirimentibus, differemus. Deinde superaddemus adhuc alium, seu tertium articulum, in quo proponetur Praxis petendi, ac exequendi Dispensationem.

A R T I C U L U S I.

Quis super Impedimentis Matrimonii Impedientibus dispensare possit?

S U M M A R I U M.

654. *Impedimenta Matrimonii impedientia alia sunt talia de Jure Humano, & Ecclesiastico tantum, alia etiam de Jure Naturali, & Divino.* 655. *Varietas Voti simplicis, prout constituentis impedimentum Matrimonii impediens.* 656. *Papa dispensare potest in omnibus impedimentis Matrimonii impedientibus, sive ea sint Juris Humani, sive Naturalis, & Divini: modus tamen dispensandi in iisdem* 657. *dispar est.* 658. *Episcopus etiam dispensare valet in dictis impedimentis, si sint Juris Ecclesiastici tantum; secus respective tenendum, si sint Juris Naturalis, & Divini.* 659. *Quænam causæ sint habendæ pro sufficientibus ad dispensandum super votis, sive reservatis, sive non reservatis, Matrimonium impedientibus.*

654. PRænotandum primo, Impedimenta Impedientia alia obstare Matrimonio licite contrahendo de Jure Humano, & Ecclesiastico tantum, ut *Omissio trium Denunciationum, Clandestinitas secundum quid, Tempus Sacratum, & Vetitum*; alia etiam de Jure Naturali, ac Divino, ut *Sponsalia*, & *Votum simplex Castitatis*, aut *Religionis ingrediendæ*, aut *Cælibatus servandi &c.* eo, quod Natura, & Deus obligent, ut data vel homini, vel Deo fides servetur. Relegenda hic sunt, quæ tradidimus *disp. præced. cap. 1. art. 2.* Interim tamen etiam in præsenti adhuc

655. Prænotandum secundo specialiter de Voto simplici, ut constitutivo Impedimenti impedientis Matrimonium, quod nempe sit multiplex. Nam ejus nomine 1. *Votum ingrediendi Religionem* ab Ecclesia approbatam. 2. *Votum servandi integram, & perpetuam Castitatem*, id est, perpetuam abstinentiam ab omni actione, & delectatione venerea tam licita, seu Matrimoniali, quam illicita, & extra-Matrimoniali. Atque hæc duo vota sunt *perfecta saltem ratione objecti*. 3. *Votum Castitatis integræ, at non perpetuæ*, puta servandum per aliquod menses tantum, vel annos, non vero per totam vitam. 4. *Votum Cælibatus*, seu ducendi vitam cælibem: quod non est proprie, & formaliter Votum Castitatis; siquidem illud edens solummodo spondet abstinentiam a contractione Matrimonii, non vero ab actu venereo illicito, imo nec licito, data hypothesi, quod aliquando contra votum contraxerit Matrimonium. 5. *Votum Virginitatis* tantum: quod non est Votum Castitatis integræ, & completæ; cum per illud præcipue voveatur abstinentia ab eo actu venereo, quo violatur claustrum Virginitatis, & hujus Laureola amittitur. Vide hic, quod tradidimus *part. 1. num. 711. 6.* Denique *Votum non fornicandi, non petendi debitum, servandi Castitatem conjugalem*. Atque hæc vota, incipiendo a tertio inclusive, sunt, & dicuntur *imperfecta ratione objecti*: quia nullum ex illis integram, & perpetuam Castitatem pro objecto habet, immediate saltem. Porro *Votum Castitatis*

(idem cum grano salis judicium ferto de aliis Votis juxta commemoratis) potest etiam esse *imperfectum propter modum vovendi*, *seu tendendi*: ut 1. Si illud emittatur ex metu, etiam levi, injuste incusso. 2. Cum advertentia, vel deliberatione imperfecta. 3. Cum intentione se obligandi tantum sub veniali. 4. Sub disjunctione, v. g. aut Castitatem perpetuam servabo, aut ægrotis in Nosocomio perpetua præstabo obsequia, ubi videlicet una duntaxat pars voti (spectata secundum se) est reservata &c. 5. Sub conditione, v. g. si convaluero, si naufragium evasero &c. perfecte me continebo a quibuscunque voluptatibus carnis. His, & aliis id genus modis editum *Votum Castitatis* (aliaque recensita) esto ponatur esse perfectum ex parte objecti, imperfectionem tamen aliquam attrahit ex parte actus, & modo vovendi, seu tendendi in objectum: prout relinquitur ex sparsim dictis *part. 2. tr. 2. c. 2.*

656. Dico jam primo, S. Pontifex dispensare potest in omnibus Impedimentis Matrimonii Impedientibus, sive ea sint (1) Juris Humani tantum, & Ecclesiastici, sive (2) Juris Naturalis, & Divini. Ita DD. communiter.

Probatur prima pars. Quia S. Pontifex est superior omni Jure Ecclesiastico; veluti patet ex *cap. 4. de Concess. Preb.* ubi de sua potestate loquens ait: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare*; ergo &c.

Confirmatur. Hic quippe vel maxime obtinet decantata Regula Juris: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*: atqui impedimentia hujus generis per Pontificem nata, seu constituta sunt; ergo &c.

Probatur secunda pars. Et quidem de impedimento impediente, *per Sponsalia* designato, jam decisa est res *n. 277.* & patet ex eo, quod Pontifex juxta communem DD. sententiam, etiam a nobis traditam *n. 371.* in ipsis quoque Sponsalibus de præsenti, seu Matrimonio rato dispensare valeat. De Impedimento autem impediente, *per Votum* (simplex) denotato, sumitur inde, quod Pontifex dispensare valeat in aliis quoque votis, & contractam erga Deum, aut hominem obligationem remittere; imo in ipso etiam *Voto solemni*, inducente impedimentum dirimens Matrimonii, secundum dicta superius *n. 524.* iterumque dicenda inferius *n. 661.*

657. Colliges, modum dispensandi, a Pontifice super prætactis Impedimentis Impedientibus exercibilem, esse disparem. Nam quando impedimentum est Juris Humani, & Ecclesiastici tantum, super eo directe, & formaliter dispensare potest; neque ad valide dispensandum, aliqua causa eget: quando autem impedimentum est Juris Naturalis, & Divini, non potest super eodem dispensare nisi indirecte, & materialiter; sicut dictum, atque expositum est *part. 1. a n. 477.* & indiget justa causa. Ratio corollarii est: partim quia Lex Ecclesiastica, cum sit Humana, & positiva, de se directe, & formaliter relaxabilis est; non sic Naturalis Divina (ex dicti *part. & n. citt.*) partim quia Jure Ecclesiastico superior est Pontifex; Naturali autem, ac Divino etiam Ipse subjicitur, ut adeo quod ista plus non possit, quam Deus, & Natura illi concesserint: atqui præsumi nequit, quod concesserint potestatem dispensandi temere, & absque justa causa; ergo &c. Revideri circa hoc possunt, quæ habentur *citt. part. 1. n. 505. & seqq.*

658. Dico secundo. In Impedimentis Matrimonii Impedientibus (1) Juris Ecclesiastici tantum, cum suis subditis dispensare etiam Episcopus potest, (uti & Vicarius Generalis) ac alii Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem in aliquod territorium habentes; non item in Impedimentis Impedientibus (2) Juris Naturalis, & Divini, saltem omnibus, & per se loquendo. Est itidem communis DD.

Probatur prima pars tum ex consuetudine omnium fere Diœcesium, quæ illis tribuit hanc potestatem: tum ex *cap. 2. de Eo, qui cognovit &c.* ubi concessa est Episcopo potestas dispensandi in impedimento impediente, orto ex copula cum consanguinea Sponsæ nondum cognitæ commissa (licet hoc impedimentum criminis modo sublatum sit) & a DD. communiter extenditur ad omnia impedimenta solum impedientia; ergo &c.

Excipitur casus, quo a Superiore, v. g. Papa, fuisset quibusdam specialiter interdictum Matrimonium: uti notat P. Pichler *lib. 4. tit. 16. n. 18.*

Ut autem Episcopus, aut quicunque alius Prælatus, inferior Pontifice, super dictis Impedimentis dispensare possit, etiam valide tantum, indiget justa causa; quali tamen ad valide hic dispensandum Pontifex ipse non indiget; nam Iste dispensat in Lege sua, ille vero in Lege Superioris: consequenter &c. Relege, quæ tradidimus *part. 1. 505. & 510.*

Probatur etiam secunda pars conclus. Nam Episcopus dispensare non potest 1. *in Sponsalibus*, seu in Impedimento ex Sponsalibus orto: siquidem solius supremi Principis (qualis prærogativa in Ecclesiasticis competit Pontifici privative) est, aliquem jure jam quæsito, cujusmodi habet Sponsus in Sponsam, ac vicissim, privare; imo & ille, seu Supremus Princeps, id non potest, nisi ita exposcat valde gravis causa, & fere publica tantum. 2. *In Voto ingrediendi Religionem, aut servandi integram, & perpetuam Castitatem*, undequaque perfecto: quia utrunque hoc votum Pontifici specialiter reservatum est, nec quidpiam juris in illa obtinet Episcopus, teste etiam experientia, qua constat, quod pro obtinenda dispensatione super is regulariter recurri soleat Romam.

Disi autem in conclus. 1. *saltem omnibus*. Nam Jure ordinario dispensare potest Episcopus, & ex Privilegio etiam Confessarii Mendicantes, *in Voto Castitatis non integra*, vel *integra quidem*, *non tamen perpetua*, adeoque involvente imperfectionem ex parte objecti: item in eodem Voto Castitatis (uti & in Voto Religionis ingrediendæ) perfecto quidem ex parte objecti, imperfecto autem ex parte actus, & propter modum tendendi in objectum; ut si non sit satis deliberate emissum, si sit pœnale, dubium, conditionatum &c. secundum dicta *n. 655.* Quod vero Episcopus tunc dispensare queat Jure ordinario, patet: quia per Jus antiquum poterat sic dispensare; ergo adhuc potest: cum hæc vota, propter alterutram imperfectionem, quam involvunt, etiam spectato Jure novo, non sint specialiter reservata Pontifici. Quod etiam Confessarii Mendicantes hic dispensare valeant, nempe vi Privilegii, & potestate delegata, constat ex dictis *part. 2. n. 459.*

Diligenter tamen observent omnes, ut regulariter non dispensent dispensatione totali, & simpliciter tali (veluti animadversum est *cit. part. 2. num. 473. in fin.*) sed aliquid commutationis admisceant, subrogando aliqua opera bona, licet non æqualia. Quænam vero opera congrue subrogentur, itidem constat ex dictis *part. 2. n. 467.*

Dixi præterea in conclus. 2. *per se loquendo*. Etenim per accidens dispensare Episcopus potest cum suis subditis in votis Religionem intrandi, & Castitatem servandi, licet ea undequaque perfecta existant, quando est difficilis recursus ad Papam, & adest gravis causa, urgens dispensationem. Ita docent Sanchez *lib. 8. disp. 9. n. 22.* Suarez, Lessius, Silvester, & alii passim. Idque merito: quia in his circumstantiis Pontifex censetur tacite consentire, cum sciat, hanc sententiam doceri, ac practicari, & non reclamet. Quod autem hæc potestas Episcoporum se non porrigat ad Religiosos Mendicantes, relinquitur ex dictis *part. 2. n. 461.*

659. Quæres, quænam causæ sint habendæ pro sufficientibus ad dispensandum super votis, sive reservatis, sive non reservatis, Matrimonium impedientibus?

Respondetur, a DD. recte assignari sequentes 1. *Magnum incontinentiæ periculum*, sive dein hoc ab intrinseco, puta ex propria fragilitate, sive ab extrinseco proveniat. 2. *Valde notabilis difficultas* exequendi votum v. g. Religionis apud eum, qui executionem nimis distulit, ut ad Religionem vix amplius sit aptus. 3. *Majus bonum Communitatis*, quod speratur ex Nuptiis. 4. *Cessatio causæ impulsivæ* v. g. apud illum, qui ex spe admissionis ad Religionem vovit Castitatem, & postea spe sua frustratur. 5. *Dubium*, an materia voti sit inutilis, aut mala &c. vel an ipsum votum sit satis deliberate emissum? 6. Quando votum est *metu injusto, etiam levi tantum, vel dolo extortum*. Relegi possunt, quæ tradidimus *part. 2. n. 463.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Quis super Impedimentis Matrimonii dirimentibus dispensare possit?

SUMMARIUM.

660. *Etiam impedimenta Matrimonium dirimentia alia sunt Juris Humani, & Ecclesiastici tantum, alia Juris quoque Naturalis, & Divini.* 661. *Papa in omnibus impedimentis dirimentibus prioris generis dispensare potest, absolute loquendo; secus respective est tenendum relate ad impedimenta dirimentia posterioris generis.* 662. *& seq. Solvuntur opposita.* 664. *Episcopus super impedimentis Matrimonii dirimentibus dispensare non potest, nisi in casibus, in quibus id ipsi a Pontifice permissum est.* 665. *Solvitur objectio.* 666. *Recensentur illi Casus &c. uti &* 667. *causa dispensandi.* 668. *An liceat accipere munus pro dispensatione?*

660. PRænotandum, etiam Impedimenta dirimentia alia obstare Matrimonio valide contrahendo de Jure Humano, & Ecclesiastico tantum; alia vero de Jure quoque Naturali, & Divino. Prioris generis sunt *Votum*, seu Professio Religiosa, *Cognatio Spiritualis, Legalis, & Naturalis in quocunque gradu Lineæ obliquæ* (esto quoad primum gradum multi DD. contra sentiant; ut dictum *num.* 535.) *& in secundo, ac ulterioribus gradibus Lineæ rectæ* (quamvis & hic Authores sat multi, quibuscum nos quoque fecimus *num.* 532. contradicant, velintque, consanguinitatem in Linea recta, etiam spectato solo Jure Naturali, dirimere Matrimonium usque in infinitum) *Crimen, Cultus Disparitas, Vis, seu Metus*) juxta probabilem sententiam) *Ordo Sacer, Publica Honestas, Affinitas, Clandestinitas, & Raptus*. Posterioris generis sunt *Error circa substantiam, seu individuum personæ, Conditio Servilis ignorata, Consanguinitas in primo gradu Lineæ rectæ*, imo (juxta complures, magnique nominis DD.) *etiam in gradibus ulterioribus ejusdem Lineæ usque in infinitum, Ligamen*, & *Impotentia perpetua*. Hoc prænotato,

661. Dico primo. Pontifex absolute loquendo, dispensare potest in omnibus Impedimentis Matrimonii dirimentibus, si ea sint (1) Juris Ecclesiastici tantum: non item (2) si sint Juris Naturali, & Divini. Ita DD. communiter.

Probatur prima pars. Quia cum potestas ligandi, & solvendi conjuncta sit, idem, qui tulit Legem, etiam tollere illam potest, & multo magis in illa dispensare, *arg. cap.* 8. *de Consang. & affinit.* ac *cap.* 24. *de Sent. Excomm. in 6.* atqui Pontifex, seu Ecclesia tulit Leges, quibus id genus impedimenta statuta sunt. Quare & hic subintrat, ac locum obtinet *Reg. Jur.* supra allegata: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*

Dixi: *absolute loquendo dispensare potest &c.* ut denotarem, quod actu in quibusdam non soleat dispensare; nimirum in gradibus consanguinitatis Lineæ rectæ, etiamsi (juxta probabilem sententiam) non nisi primus gradus Jure Naturæ dirimat: in primo consanguinitatis gradu Lineæ obliquæ, & in primo affinitatis gradu Lineæ rectæ: difficillime, & non nisi ob causam gravissimam in conjugicidio publico: cultus disparitate: cognatione spirituali, & Legali Lineæ rectæ: in gradu secundo consanguinitatis, & affinitatis Lineæ obliquæ solum cum magnis Principibus: & universim, quo arctius est vinculum, & major personarum conjunctio, eo difficilius dispensat, & majorem exigit causam.

Probatur nunc etiam secunda pars conclus. Quia inferior non potest tollere, & relaxare Legem Superioris, nisi ab hoc ejusmodi potestatem acceperit, *can.* 4. *dist.* 41. *cap.* 16. *de Majorit. & Obed. & Clement.* 2. *de Elect.* sed neque ex Sanctionibus Canonicis, neque ex traditione, & usu Ecclesiæ constat, quod Pontifex a Deo acceperit potestatem dispensandi super omnibus id genus Impedimentis; ergo &c.

Dixi: *super omnibus*. Nam super aliquibus, etiamsi sint Juris Naturalis, & Divini dispensare potest, super illis nempe, quæ supponunt liberam determinationem voluntatis humanæ, cujusmodi sunt *Votum simplex*, quod Jure naturali, ac Divino Matrimonium impedit; & *Matrimonium ratum*, quod eodem Jure aliud Matrimonium dirimit. Tunc quippe Pontifici est concessa potestas ex permissione Dei (uti declarat usus Ecclesiæ) dispensandi, tollendo directe Legem a voluntate humana voventis positam, & contractum a Sponsis initum; quibus sublatis cessat, indirecte, & per consequens, etiam obligatio Juris Naturalis, & Divini, ceu hypothetici tantum. Revide dicta *part.* 1. *num.* 480. Excipitur tamen hic Matrimonium consummatum; nam licet in eo reperiatur idem contractus libere initus, qui in Matrimonio rato, noluit tamen Christus illud dispensationi Pontificiæ, & dissolutioni subjacere; ut patet tum ex SS. Literis, tum ex usu, & sensu Ecclesiæ.

662. Objicies primo contra secundam partem conclus. *Matth.* 16. dixit Christus ad Petrum (& Successores ejus, Romanos Pontifices) *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; ergo data est Pontifici potestas solvendi omne omnino vinculum, etiam Juris Naturalis, & Divini, quando urgens necessitas, v. g. integri Regni conversio, vel conservatio, aut recta Ecclesiæ gubernatio id requirit.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, illa Christi verba non esse accipienda in generalitate absoluta (alias Pontifex etiam obligationem non mentiendi, non fornicandi &c. tollere posset, quod nemo dixerit) sed in generalitate accommoda, & relate ad illa duntaxat vincula, quorum solutio a Deo, vel Christo in SS. Literis, vel alia revelatione Pontifici concessa noscitur, ut absolutio ab omnibus peccatis, dispensatio in Votis &c.

663. Objicies secundo. Episcopus quandoque dispensat in Jure communi, & Lege Pontificis, non obstante, quod ille isto inferior sit; ergo etiam Pontifex dispensare quandoque poterit, quando scilicet urget gravissima necessitas, in Lege Naturali, & Divina, licet sit inferior Deo utriusque Legis Conditore.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Episcopus dispensat &c. ex concessione expressa, vel tacita Pontificis, con. sine illa, neg. ant. & conf. Vel dist. conf. Quando potestas dispensandi a Deo, vel Christo illi, nempe Pontifici, concessa noscitur, ut in Votis, & Juramentis, Matrimonio rato &c. con. secus, neg. conf.

664. Dico secundo. Episcopus super Impedimentis Matrimonii dirimentibus dispensare non potest, nisi in casibus, in quibus id illi a Pontifice permissum est. Communiter DD.

Probatur ex *can.* 4. *dist.* 41. *capit.* 16. *de Majorit. & Obed. Clem. de Elect. supra citt.* ac ratione inde deducta, itidem supra jam adhibita: quia inferior in Lege Superioris dispensare non potest, nisi id ipsi expresse, vel tacite concedatur: atqui Leges, quibus Impedimenta Matrimonii, præsertim dirimentia, introducta fuere, sunt Leges Pontificis, seu Ecclesiæ, qua Episcopus est inferior; ergo &c.

Dixi: *nisi in casibus, in quibus id illi a Pontifice permissum est*. Quinam autem sint hujusmodi casus, patefiet mox infra, *n.* 666. Interim.

665. Objicies contra conclus. In Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* conceditur Episcopo potestas dispensandi in irregularitatibus, & censuris occultis; ergo etiam in Impedimentis Matrimonii occultis.

Respondetur, con. ant. cum limitatione a Trident. ibi adhibita, & neg. conf. Siquidem illa concessio, cum exorbitet a Jure communi, non est trahenda in consequentiam, nec extendenda: prout habet *R. J.* 28. *in* 6.

666. Quæres jam primo, quinam sint casus, in quibus Episcopi Germaniæ ex Indulto Sedis Apostolicæ dispensare possunt super Impedimentis Matrimonii dirimentibus?

Respondetur, recensendo non solum facultatem dispensandi super dictis Impedimentis, sed & (veluti occasionaliter) alias facultates iisdem Episcopis concessas: id quod Lectori utile, & gratum fore confido, ut sciatur, in quibus ad illos recurri possit. Itaque altefati Episcopi obtinent facultatem

1. Absolvendi ab hæresi, & apostasia a fide, & a schismate quoscunque etiam Ecclesiasticos tam Seculares.

-res, quam Regulares, non tamen eos, qui ex Locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in Locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum.

2. Tenendi, & legendi libros prohibitos hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, & Nicolai Machiavelli, & libros de astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri &c. ex illis Provinciis non efferantur.

3. Dispensandi in gradu tertio, & quarto simplici, ac mixto, tam consanguinitatis, quam affinitatis cum pauperibus tantum, etiam ad contrahendum Matrimonium: ad perseverandum vero in Matrimonio jam contracto cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, modo illa conjunctio primum gradum nullo modo attingat. Quibus in casibus simul obtinent potestatem declarandi proles susceptas pro legitimis.

4. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis, ex Sponsalibus orto.

5. Dispensandi super impedimento criminis, quando neuter conjugum machinatus est in mortem alterius; & restituendi jus amissum petendi debitum.

6. Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum.

7. Hæ vero dispensationes Matrimoniales, videlicet tertia, quarta, quinta, & sexta, non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, &, si rapta fuerit, non amplius existat in potestate raptoris. Porro in hujusmodi dispensationibus declaretur expresse, illas concedi ab Episcopo qua Delegato Sedis Apostolicæ; ad quem effectum etiam tenor ejusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ; alias enim nullæ sunt.

8. Dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta illa, quæ contrahitur ex homicidio voluntario.

9. Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis, & Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ, in Locis tamen, ubi impune grassantur hæreses.

11. Delegandi Sacerdotibus simplicibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo prius benedicta, & in casu necessitatis etiam aqua non sic benedicta.

12. Conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, usque ad Sacerdotium inclusive.

13. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14. Consecrandi olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Cœnæ Domini, nisi necessitas illud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut Sacerdos celebrans in prima Missa non sumpserit ablutionem; celebrandi una hora ante auroram, & alia post meridiem, sine ministro, subdio, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel Sanctorum Reliquiis destitutum, & præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus, ac excommunicatis, & aliter celebrari non possit. Caveant autem, ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis utantur, in quo graviter ipsorum conscientiæ onerantur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsorum conscientiis injungitur, ut paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet Loco, sed ubi necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communicent, aut causas respective approbent.

16. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine; illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis, aut infidelibus immineat periculum sacrilegii.

17. Induendi se (vel etiam alios) vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad Loca suæ curæ commissa, vel in iis permanere non possint.

18. Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non possint, vel Divinum Officium ob aliud legitimum impedimentum persolvere non valeant.

19. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore Jejunii, præsertim Quadragesimalis.

20. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse juxta suam conscientiam judicaverint, Sacerdotibus idoneis, in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica, certior facta (id quod fieri debebit quamprimum) per Delegatos, aut unum ex eis alio modo provideat.

21. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede, exerceantur, & tantum concessæ intelligantur ad quinquennium: post cujus proinde lapsum de novo petendæ sunt.

22. Utendi eisdem facultatibus in Civitate, & Diœcesi N. tantum.

Petes, quænam præterea notanda sint circa prædictas facultates?

Respondetur, notanda adhuc esse seqq. Nam 1. valent tantum pro foro conscientiæ. 2. Illæ, quæ non sunt restrictæ ad certas personas, valent pro dandis absolutionibus, & dispensationibus respectu quarumcunque personarum etiam peregrinarum, & Regularium exemptarum, quamvis Superiores ignorent, vel inviti essent. 3. Si Sponsus, & Sponsa in tertio gradu consanguinei sint diversæ Diœcesis, sufficit alterutrum Episcopum dispensare: quia impedimentum, uti indivisibiliter conjunctione sanguinis utriusque personæ contractum est, & constat, ita indivisibiliter una dispensatione tollitur; cum impossibile sit, Sponsum manere ligatum impedimento consanguinitatis relate ad Sponsam, & hanc a tali impedimento relate ad illum esse liberatam, aut vicissim. Sanchez *lib. 8. disp. 26. n. 6.* La Croix *lib. 6. part. 3. n.* 853. & alii. Idem est, si unus Sponsorum sit vagus: tunc quippe quivis Episcopus dispensare potest, cui ille cum parte non vaga sese submittit, ac subjicit, modo in ejusdem Diœcesi contrahat; hoc enim in Indultis Episcoporum communiter requiritur, dum additur, *pro Matrimoniis in tua tantum Diœcesi contrahendis*. 4. Uterque Sponsus sit Catholicus, necesse est: quia in iisdem Indultis expresse habetur, *cum pauperibus Catholicis Fidei Catholicæ Romanæ Cultoribus &c.* Et Papa plus non delegat, quam ipse facere velit, & soleat, nisi oppositum exprimat; non solet autem aliter dispensare in tali casu, uti testimonium perhibent Declarationes Sacræ Congregationis apud Pignatelli *tom. 3. consultat.* 63. Sed

Dices primo contra quartum. Facultas dispensandi est restricta ad proprios subditos; ergo si personæ dispensandæ habeant diversos Episcopos, quælibet a suo Episcopo dispensationem obtineat, necesse est: sicut si duo ex diversis Monasteriis prohibeantur sibi socii esse in itinere sine dispensatione, licet Abbas A. dispensaret cum suo subdito, non posset idcirco hunc comitari subditus Abbatis B. nisi & ipse a suo Abbate dispensationem haberet.

Respondetur, dist. conf. Quando dispensatio est divisibilis, & impedimenta separabiliter impedientia, aut dirimentia, con. Quando dispensatio est indivisibilis, & impedimenta inseparabiliter impedientia, aut dirimentia, neg. conf. uti & parit. Nam sicut prohibitio ad simul proficiscendum est divisibilis (potest enim tantum Religiosus A. a suo Superiore esse prohibitus) ita & vinculum prohibitionis potest tolli ab uno, quin tollatur ab altero: e diverso impedimentum consanguinitatis ligat Sponsum, & Sponsam indivisibiliter, cum impossibile sit, ut Sponsus cesset esse consanguineus Sponsæ, & hæc maneat

consan-

consanguinea ipsi: quia ergo Sponsus dispensationem, a suo Episcopo impetratam, cessat quasi esse consanguineus Sponsæ (cum dispensatio moraliter faciat non amplius esse consanguineum in ordine ad effectum contrahendi Matrimonii, esto cetero quin, & physice consanguineus esse pergat) ita pariter Sponsa desinit esse consanguinea Sponso, cum uno correlativorum sublato cesset & alterum: uti bene discurrit P. La Croix *lib. 6. part. 3. n. 853.*

Instabis. Si Sponsus, & Sponsa ligati essent voto Castitatis, unusque impetraret dispensationem super eo, non idcirco censeretur dispensatus & alter; ergo similiter &c.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. Disparitas est: siquidem vota sunt impedimenta divisa, & separabiliter impedientia, vel (si solemnia existant) dirimentia Matrimonium: at vero consanguinitas (idem cogita de affinitate) est impedimentum indivisibiliter afficiens consanguineos; adeoque tollitur etiam indivisibiliter, sicut sublata albedine in uno pariete, tollitur indivisibiliter similitudo ab altero pariete albo, & universim uno correlativo sublato corruit etiam alterum, ut dictum. Sanchez *lib. 8. disp. 26. num. 6. & 7.* La Croix ubi supra, aliique.

Dices secundo contra quintum. Episcopus dispensare potest cum Sponsis impedimento ligatis, quando unus eorum vagus est, & alter subditus alienæ Diœceseos; ergo etiam dispensare poterit cum Sponsis, quorum unus est Diœcesanus Catholicus, & alter acatholicus.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est; nam in casu antecedentis nihil obstat, quo minus valide Episcopus dispensare queat; partim quia vagus fit subditus Episcopi, cui se subjicit; partim quia uterque Sponsus supponitur esse Catholicus; partim quia dispensatio fit in impedimento utrunque indivisibiliter ligante (prout itidem supponi debet) & per consequens necessario cadit quoque super partem, quæ est de aliena Diœcesi; ut supra dictum. At in casu consequentis validam dispensationem impedit, quod Episcopo non sit indulta facultas dispensandi, nisi uterque Sponsus sit Catholicus, adeo, ut, si alteruter sit acatholicus, ne quidem cum Catholico relate ad contrahendum cum parte acatholica Matrimonium, dispensare valeat; veluti in Indultis Episcoporum (secundum dicta superius) communiter exprimi, & addi solet.

667. Quæres secundo, quænam causæ sint habendæ pro sufficientibus ad dispensandum super Impedimentis Matrimonium dirimentibus?

Respondetur, esse sequentes juxta communem DD. & stylum Curiæ Romanæ. 1. Evitationem scandali, peccati, infamiæ, damni, inimicitiæ gravis &c. 2. Defectum paris conditionis ob ætatem puellæ nimis provectam, aut insufficientiam dotis, aut loci angustiam. 3. Conservationem familiæ, vel divitiarum in familia. 4. Excellentiam meritorum in Ecclesiam. 5. Prærogativam Majestatis, & Dignitatis Regiæ, Principalis &c.

Dices. Dantur etiam, quæ vocantur *Dispensationes sine causa*; ergo non est necessaria, saltem universaliter, ad dispensandum aliqua causa.

Respondetur, dist. ant. Dantur etiam, quæ vocantur *Dispensationes sine causa*, quod sine causa concessæ sint, neg. quod ipsa causa, propter quam Papa dispensat, in specie non exprimatur, sed tantum in genere addatur: *ex certis, & rationalibus causis*, con. ant. & neg. cons.

668. Quæres tertio, an liceat accipere munus pro dispensatione?

Respondetur, quod Dispensans intuitu dispensationis non possit quidquam, etiam sponte oblatum, accipere, sub excommunicatione latæ sententiæ, ut in Literis Apostolicis semper additur. Et intelligendum hoc etiam est de esculentis, ac poculentis, quæ paucis diebus consumptibilia sunt. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 35. n. 12.* Reinffenstuel *in Append. ad Lib. IV. n. 316.* Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 16. num. 227.* & alii apud ipsos. Ratio est: quia verba prohibitoria sunt generalia, adeoque generaliter intelligenda. *cap. 22. de Privileg.* Notario tamen pro examinandis testibus, & alii informationibus permittitur accipere quartam partem aurei; prout expresse declaravit S. Congregatio *die 25. Octob. anno* 1588. hisce verbis: *Gratis adeo dispensationes Matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam Ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum Officium gratis præstent, ita, ut nec ipso Vicarius aliquid suscipiat pro mercede; Notarius vero pro examinandis testibus, & sumendo ceteras informationes quartam partem aurei, seu ducati accipere possit.*

Dices primo. In ipsa *Dataria* Romæ dispensationes debent solvi in taxa sæpe satis magna; ergo dispensans intuitu dispensationis potest aliquid accipere.

Respondetur, neg. cons. & ad ant. ajo, quod non solvantur ipsæ dispensationes, sed exigatur summa taxata peccuniaria vel *titulo sustentationis* pro Officialibus Curiæ; vel *titulo pœnitentiæ* pro delicto injunctæ illis, qui ob delictum contraxerunt aliquam inhabilitatem, & ab ea liberari postulant; vel *titulo eleemosynæ*, in quam obligatio petentis dispensationem mutatur; vel ut dispensationes reddantur difficiliores, & rarius petantur, cum sint odiosæ, & vulnera Legum, Ita P. Pichler *lib. 5. tit. 3. num. 17.* ita & nos *part. 3. num.* 358,

Dices secundo. In Literis Apostolicis inseritur: *A quo* (videlicet munere) *te omnino abstinere debere monemus*: quæ verba propter terminum *monemus* videntur solummodo consilium, non vero præceptum importare; ergo non peccatur, dum munus pro dispensatione accipitur.

Respondetur, neg. ant. partim quod illa verba cadant super materiam aliunde graviter illicitam; cum simoniacum sit accipere aliquid temporale pro actu jurisdictionis spiritualis: partim quod in iisdem Literis receptio muneris prohibeatur sub excommunicatione latæ sententiæ; quæ pœna supponit culpam, eamque gravem. Adduco verba hujus pœnæ illativa: *Volumus autem, quod, si, spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras.* Unde ad argum. neg. etiam cons.

Dices tertio. In *cap. 11. §. insuper. de Rescript. in 6.* sub inhibitione receptionis munerum, esculenta, & poculenta excepta dicuntur; ergo & hic in Literis Apostolicis excepta censeri debent.

Respondetur, neg. cons. Disparitas est; nam *in cit. cap. 11.* sermo est de Delegato ad lites, cujus commissio, cum ordinarie diu duret, & magni laboris sit, stipendio aliquo digna videtur: quæ ratio non militat in expeditione dispensationum; utpote quæ facillimo negotio, & brevissimo tempore fieri potest.

Petes, an saltem expedita dispensatione aliquid sponte oblatum accipi possit?

Respondent Sanchez, Reiffenstuel, & Schmalzgrueber *cit.* affirmative; eo quod tunc cesset prohibitionis ratio, quæ est, ne Judex muneribus excæcatus inique dispenset. Sed sententia negativa videtur præferenda, & practicandum contrarium. Ratio est: quia in materia dispensationum sine distinctione prohibetur acceptatio muneris; ergo etiam acceptatio muneris sponte oblati expedita dispensatione.

ARTICULUS III.

In quo adstruitur, & proponitur PRAXIS *in Causis Matrimonialibus obtinendi Dispensationem.*

SUMMARIUM.

669. *Romæ duplex extat Tribunal pro concedendis dispensationibus, nempe* S. Pœnitentiaria, & Dataria. 670. *Quænam incumbant petentibus dispensationem?* 671. *& seqq. Proponitur Praxis petendi dispensationem a S. Pœnitentiaria, vel a Dataria, vel ab Episcopo; juxtaque additur, quænam in illius executione veniant observanda.* 683. *An facultas Episcopi, quam Romæ singulis quinqueniis obtinet ad dispensandum cum pauperibus pro Matrimonio contrahendo, in gradu v. g. tertio consanguinitatis, vel affinitatis, se extendat ad tertium mixtum secundo, vel tantum intelligatur gradus tertius mixtus cum quarto?* 684. *An in Supplica debeat exprimi gradus propinquior, remotiori prohibito mixtus?* 685. *&* 686. *An Episcopus (etiam extra casus, in quibus dispensandi specialem a Pontifice potestatem habet) possit aliquando dispensare super impedimento.*

mento dirimente in casu necessitatis tam ante, quam post contractum Matrimonium? 687. *Quænam notanda sint circa dispensationem* in forma pauperum? 688. *Adstruitur instructio, & norma conficiendi probationes, quando* in forma pauperum *petuntur dispensationes Matrimoniales a Sede Apostolica.*

669. PRænotandum primo, duplex pro concedendis dispensationibus Romæ erectum esse Tribunal. Unum appellatur *Sacra Pænitentiaria*, quæ dispensat pro foro interno tantum, & super impedimentis occultis duntaxat, tam ad contrahendum Matrimonium, quam ad permanendum in contracto, excepto impedimento consanguinitatis, in quo non dispensat ad contrahendum, sed solum ad permanendum in contracto, & quidem in tertio tantum, vel quarto gradu. Quando ab hoc Tribunali petitur dispensatio, non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed solum ficta, v. g. *Titius*, *Bertha &c.* aut per literas A. B. C. &c. Neque ullæ petuntur, vel solvuntur expensæ, aut taxa. Alterum vocantur *Dataria*, a qua dispensatur pro foro externo super impedimentis publicis. Et hic vera nomina dispensandorum exprimenda sunt, atque expensæ cum taxa pecuniaria, subinde sat magna, solvendæ, nisi expediatur dispensatio *in forma pauperum*: quam formam exhibebimus infra *n.* 687. Unde *Dataria* dicitur *Officium minoris gratiæ*.

670. Prænotandum secundo, Oratoribus, seu dispensationem petentibus, incumbere, ut fideliter exprimant, in primis omnes circumstantias facti, nihil addendo falsi, per quod dispensans moveri, & nihil reticendo veri, per quod absterreri a dispensando posset, si sciret: dein causam rationabilem dispensandi; quæ duplex est, nempe *finalis*, & *impulsiva tantum*. Prior est, quæ movet ex toto animum dispensantis, alias non dispensaturi: posterior, quæ solum movet ad facilius, & promptius dispensandum; adeoque sine illa adhuc dispensaretur, esto non tam facile, ac prompte. Si causa finalis non existat tempore dispensationis, hæc est invalida, quamvis petens dispensationem processerit sine dolo, & malitia, sed ex simplicitate, aut ignorantia. Si vero causa impulsiva tantum non existat, distinguendum est. Nam vel petens dispensationem processit ex, vel sine dolo, & malitia: si primum; adhuc invalida erit dispensatio, licet dolosa suppressio veri, vel expressio falsi fuerit solum causa impulsiva concessæ dispensationis, modo pertinuerit ad substantiam rei petitæ: si vero secundum; valida erit dispensatio. Revideatur super hoc doctrina tradita *part.* 1. *n.* 514. *per tot.*

P R A X I S

Obtinendi dispensationem a S. Pænitentiaria super impedimentis occultis.

671. LIteræ supplices hic 1. diriguntur ad Majorem Pœnitentiarium Cardinalem. 2. Nomina dispensandorum ponuntur ficta, v. g. *Titius*, *Bertha &c.* ut præmonui *n.* 669. cum veris tamen Diœcesibus, vel Diœcesi respective, eorum. 3. Scribens non debet Locum, ad quem dirigi Rescriptum cupit, nominare *Civitatem*, si ibi residere non soleat Episcopus, sed *Oppidum*; ita enim habet stylus Curiæ. 4. Debet de se exprimere, an sit Doctor Theologiæ, vel Canonum, vel aliunde ad Literas Apostolicas aperiendas privilegiatus. Quod si nec Doctor, nec Privilegiatus sit, & tamen Rescriptum ad se dirigi, & aperire desideret, eo quod dispensandus ad ipsum habeat specialem confidentiam, vel in illo Loco nullus existat Doctor, aut Privilegiatus, debet id in literis suis petere. Nunc ad Exempla procedendum est, ut res tota magis elucescat, & clarius statuatur ob oculos.

Exemplum I.

672. Pro dispensatione super impedimento mere impediente occulto, v. g. Voto Castitatis, *a Tribunali S. Pænitentiaria* obtinenda, in ordine ad Matrimonium contrahendum.

EMINENTISSIME, ac REVERENDISSIME DOMINE,

Exponitur humiliter Eminentia Vestra ex parte devoti Oratoris Titii Laici Diæcesis Constantiensis, quod ipse alias emiserit votum Castitatis perpetuæ: sed quoniam modo carnis stimulis adeo acribus agitatur, ut se continenter vivere posse diffidat, pro conscientia suæ tranquilitate cupit per Sedem Apostolicam votum prædictum ad effectum Matrimonii contrahendi commutari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, quatenus prædictum votum, ad hoc, ut Matrimonium publice juxta formam Concilii Tridentini contrahere, ac debitum conjugale exigere, & reddere licite possit, in alia pænitentia, ac pietatis opera dispensando commutare authoritate Apostolica dignetur, & Responsum dirigere Passavium Civitatem Diæcesis Passaviensis ad me infra scriptum, qui sum

Eminentiæ Vestræ
Servorum infimus
N.N. SS. Doctor, & Curatus in dicta Civitate.

Si autem scribens non sit Doctor, nec Privilegiatus, poterit, vel etiam debebit in Supplica isthæc addere: *Quia vero Orator ad me, tanquam Confessarium, cui conscientiam suam aperuit, specialem habet confidentiam, dignetur Eminentia Vestra disponere, ut concessam gratiam liceat mihi exequi &c.* Vel: *Quia vero in Oratoris Loco nullus reperitur Confessarius, Theologiæ, aut Canonum Doctor, vel alias ad exequendum Privilegiatus, dignetur Eminentia Vestra providere, & disponere, ut etiam alius exequi valeat.* Exterius epistola signata sic inscribatur: *Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Domino, S. R. Ecclesiæ Cardinali, Majori Pænitentiario*

Romæ.

673. Postquam redivit Rescriptum de exequenda dispensatione, debet Executor (qui secundum dicta sit Doctor, vel Privilegiatus, vel specialiter Roma Deputatus, & insuper Confessarius approbatus, cum inscriptio Rescripti sic soleat fieri: *Discreto Viro NN. Confessario, Theologiæ Magistro, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario per latorem pænitentem eligendo.* Sive: *Discreto Viro NN. Confessario ex approbatis ab Ordinario, ad intra scripta specialiter Deputato*) debet, inquam, Executor 1. clausulas accurate observare. 2. Examinare veritatem causæ allegatæ. 3. Monere dispensandum ea omnia, ad quæ se dispensatio extendit. 4. Commutare votum, prout dispensatio exigit. 5. Dispensare actu in ipsa Confessione juxta modernum stylum Curiæ, scilicet auditis peccatis, præmisso examine veritatis, & causæ, præmissis item monitis, ac commutatione seu injunctione aliorum operum, & injuncta pœnitentia Sacramentali pro peccatis, etiam aliis in Confessione detectis, demum pœnitentem absolvere: nimirum post datam a censuris, & peccatis consuetam absolutionem Sacramentalem subjungere: *Insuper Authoritate Apostolica, specialiter mihi delegata, tibi votum Castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut Matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere, ac exigere licite possis, in opera præscripta dispensando commuto in Nomine Patris, & Filii &c.*

Non refert, si pœnitens, prius mortalia confessus confiteatur Executori solum venialia, nulla habentia connexionem cum voto, vel materia dispensationis, modo durante Confessione Sacramentali fiat actu dispensatio. Poterit etiam loco Confessionis menstruæ, quæ tanquam opus commutationis solet præscribi, si ea ob negotia, vel alias causas foret nimium difficilis, injungi bimestris, vel trimestris, cum passim clausula sic habeat: *Singulis mensibus, vel quoties tibi videbitur*; sive: *prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris.*

Exemplum II.

674. Pro dispensatione super impedimento dirimente occulto, v. g. consanguinitatis in tertio gradu, a Tribunali S. Pœnitentiariæ obtinenda, ad remanendum in Matrimonio contracto,

EMINEN-

EMINENTISSIME, ac REVERENDISSIME DOMINE,

Exponitur humiliter Eminentia Vestra ex parte devotorum Oratorum, Titii, & Berthe, quod ii, alias ignorantes, aliquod impedimentum inter ipsos existere, vi cujus nequirent Matrimonio copulari, in tertio gradu simplici linea oblique conjuncti (si affines sint, ponatur: *se attinentes*; sic enim observant Practici Curiales) *Matrimonium inter se bona fide contraxerint publice, & factis in eorum Ecclesia Parochiali denunciationibus juxta formam Concilii Tridentini* (si scinter cum impedimento, vel omissis denunciationibus contraxissent, deberet necessario exprimi) *& copula carnali consummarint. Post aliquot annos, susceptis jam quibusdam liberis, intellexerunt, se impedimento dirimente ligatos, & præfata consanguinitate conjunctos esse (vel præfata affinitate se attinere) & nihilominus in eadem copula carnali perstiterunt* (si non pertexissent in copula, scribi deberet: *propter quod a carnali copula abstinuerunt.*) *Cum autem ex una parte sine gravi periculo magni scandali separari ab eadem domo nequeant, ex altera vero jussi a Confessario cohabitare adinvicem ut frater, & soror, id considerata humana fragilitate servare non valeant: hinc pro majori conscientia sua quiete humillime petunt dispensationem super hoc impedimento occulto adhuc, ut etiam prolem eam susceptam, quam suscipiendam legitimentur. Dignetur Eminentia Vestra Responsum dirigere &c. ut supra.*

Exemplum III.

675. Pro dispensatione super impedimento dirimente occulro affinitatis, ex copula illicita ante contractum Matrimonium ortæ, a Tribunali S. Pœnitentiariæ obtinenda, ad contrahendum Matrimonium.

EMINENTISSIME, ac REVERENDISSIME DOMINE.

Exponitur humiliter Eminentia Vestra, quod Titius, postquam carnaliter cognovit Bertham, impedimenti ignarus (vel conscius, si ita sit) *tractatum habuerit de contrahendo Matrimonio cum sorore Bertha. Cum autem impedimentum existat occultum, tractatus vero publicus, & nisi ad effectum deducatur, scandala inde oritura sint, Orator ad ea evitanda, & quietem sue conscientia procurandam cupit a præmisses, de quibus summe dolet, absolvi, & secum dispensari. Quapropter Eminentia Vestra demississime is supplicatum, ut super his de opportuno remedio Authoritate Apostolica providere dignetur. Placeat Eminentia Vestra Responsum dirigere &c.* ut supra.

676. Pro executione harum dispensationum præter superius notata adhuc observare oportet, quod Executor debeat literas adhuc clausas dare Oratori (vel Oratrici) ut pro libitu eligat Executorem Confessarium, approbatum tamen ab Ordinario, & Doctorem, vel Privilegiatum, vel specialiter Deputatum. 2. Executor electus examinare debet in Confessione, an preces veritate nitantur. 3. Amovere occasionem peccandi, si adhuc extet. 4. Post injunctam pœnitentiam a S. Pœnitentiaria præscriptam, & datam absolutionem Sacramentalem hac formula: *Insuper Authoritate Apostolica, mihi specialiter quoad hoc deputata, dispenso tecum super impedimento consanguinitatis in tertio gradu* (vel *affinitatis illicita in gradu primo*) *ut illo non obstante cum conjuge* (sic impertitur dispensatio super impedimento, de quo Exemplum II.) *prævia renovatione prioris consensus Matrimonium secrete contrahere, & consummare, debitum conjugale exigendo, ac reddendo, licite possis. Pariter eadem Authoritate prolem susceptam, & suscipiendam legitimam esse, & fore declare in Nomine Patris &c. Passio D. N. J. C. & merita B. M. &c.* Quod si dispensatio impendenda sit super alio impedimento, vel in ordine ad Matrimonium simpliciter, sive prima vice contrahendum, mutentur mutanda. 5. Instruere pœnitentem, qualiter de novo contrahere debeat. 6. Facta dispensatione, Literas S. Pœnitentiariæ dilacerare, vel alio modo, v. g. amoto sigillo, destruere, ut ad probandum pro foro externo nihil omnino valeant; quia pro solo foro interno concessa est dispensatio a S. Pœnitentiaria. 7. Nullum adhibere testem de dispensatione facienda, vel facta, 8. Se pro foro externo gerere, ac si nihil sciret de dispensatione, cum in foro Sacramentali præcise fieri debuerit, & facta sit.

Pro injunctione pœnitentiæ, & legitimatione prolis adhuc notandum: 1. Soli conscio impedimenti injungendam esse pœnitentiam. 2. Quando in Literis S. Pœnitentiariæ dictatur pœnitentia *gravis*, & *longa*, intelligendam esse juxta stylum Pœnitentiariæ (quæ scilicet ita premat delinquentem, ut sentiat gravitatem commissi criminis) v. g. Litanias, quinquies *Pater*, *& Ave*, Rosarium, jejunium, aut abstinentiam, largitionem eleemosynæ, vel certas preces pro defunctis, quæ apud pauperes servire pro eleemosyna possunt &c. quæ opera per annum, saltem semel in hebdomade, peragenda imponantur: per triennium vero, si in dictis Literis præscribatur pœnitentia *diuturna*; vel etiam per totam vitam, quando Literæ sic exigunt. Ubi tamen semper opus est prudentia, & discretione Confessarii; nam non omnes idem pondus levare possunt, & pœnitentia, quæ pro persona robusta reputatur levis, pro debili, ac tenere educata &c. potest censeri, & esse gravis. 3. Prolem, post dispensationem natam, esse legitimam ad omnes effectus Civiles, & Canonicos; item natam ex Matrimonio, licet invalido, tamen bona fide, saltem unius ex sponsis, contracto; natam vero ante dispensationem, & ante Matrimonium ex fornicatione, vel in Matrimonio, sed mala utriusque sponsi fide contracto, legitimari solum ad effectus spirituales, & Canonicos, v. g. ad Ordines, Dignitates Ecclesiasticas &c. quia Pontifex in ordine ad solos hos tales effectus disponere valet, non autem in ordine ad effectus etiam civiles extra suum territorium temporale: veluti docent Canonistæ *l. 4. tit. 17.*

P R A X I S

Obtinendi dispensationem a Dataria super impedimentis publicis.

577. Literæ diriguntur 1. ad ipsum Papam. 2. Nomina Oratorum vera, & cognomen sine abbreviatione literarum exprimenda sunt cum Diœcesi originis unius, vel amborum Oratorum. 3. Exprimendum est genus impedimenti, & totus casus, prout se habet, nihil addendo, vel demendo. 4. Solvendæ sunt expensæ cum taxa pecuniaria, subinde non modica; nisi expediatur dispensatio *in forma pauperum*, id est, quando Oratores sunt *pauperes*, & *miserabiles*. Ceterum juxta stylum Curiæ in ordine ad effectum dispensationis *pauperes* reputantur, qui ultra sustentationem suo statui convenientem non habent, ex quo *compositionem* (sic vocatur taxa pecuniaria, & jura Officialibus Curiæ Romanæ persolvenda) solvant. *Miserabiles* dicuntur, qui proprio labore, & industria vivunt. Pyrrhus Corradus *lib. 8. cap. 5. a n. 4.* ex Constit. Urbani VIII. Sed de hoc iterum, & explicatius infra *n. 687.* Ut autem sufficienter constet, quod Oratores vere sint pauperes, & miserabiles, debent ab Ordinario Loci obtinere attestationem Romæ exhibendam, quam Ordinarius formabit ex authentico proprii Parochi amborum Oratorum (nam ambo debent esse pauperes, & dicto modo miserabiles) & aliorum duorum Testium testimonio, qui proinde ab Ordinario, vel ejus Vicario Generali, desuper per certa interrogatoria Canonice examinandi sunt. De quo amplius infra *n.* 688. Porro stylus Curiæ habet (teste Corrado *citt.*) ut in *formam pauperum* non soleat dispensari, nisi propter copulam, vel suspicionem copulæ Oratores habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, & scandala vero similiter secutura, nisi Matrimonium inter ipsos sequatur, licet non allegetur copula; eam quippe suspicatur Curia Romana. Sit nunc

Exemplum.

678. Pro dispensatione super impedimento dirimente publico, v. g. consanguinitatis, a Tribunali *Datariæ* ad contrahendum Matrimonium obtinenda.

BEATIS-

BEATISSIME PATER.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Henrici Selzmann Diœcesis Constantiensis, & Susanna Liebin ejusdem Diœcesis ex Oppido Soloderano, quod cum dicta Oratrix habeat minus competentem dotem juxta status sui conditionem, cum qua, uti & propter angustiam dicti Loci Virum non consanguineum (vel *affinem) paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; & dictus Orator, qui in memorata Oppido domicilium habet, cum dicta minus competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat)* loco hujus potest causa quæcunque alia etiam allegari, v. g. extinctio litis, vitatio scandali, infamiæ &c. sic: *quod cum inter dictorum Oratorum parentes, vel consanguineos graves lites vigeant certo per Matrimonium extinguenda &c.) Quia vero tertio, & quarto gradu consanguinitatis conjuncti* (vel *affinitatis se attinent,* vel aliud impedimentum, quod subest, hic ponatur) *desiderium suum hac in parte adimplere non possunt, humiliter supplicant Sanctitati Vestræ, quatenus cum iisdem Oratoribus, ut, impedimento hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se, servata forma Concilii Tridentini contrahere, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, dispensare, prolemque inde susceptam letimam nunciare dignemini de speciali gratia, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque quibuscunque.*

679. 1. Si jam in forma pauperum dispensatio hæc peteretur, tantum accludenda foret attestatio Ordinarii. 2. Huic eidem Dispensatio, sive Rescriptum remittitur, quotiescunque ex *Dataria* petitur dispensatio. 3. Si forte pro executore deputetur Vicarius Generalis, vel Officialis, tunc Episcopus dispensationem exequi nequit, & vice versa: Successor tamen Vicarii Generalis, si executio demandata ei fuerit ratione dignitatis, & non sub ratione propriæ personæ, nequit eam subdelegare alteri; quia circa eam nudum ministerium, non vero jurisdictionem habet. *arg. cap. fin. ceterum. de Offic. deleg.* 4. Nihil, etiam sponte oblatum ob dispensationem potest recipere. 5. Debet accurate observare omnes clausulas Rescripti, & præmittere examen, informationem, ac cognitionem de veritate causæ, licet reipsa preces veritate nitantur; alias invalide dispensat. *arg. cap.* 22. *de Rescript.* Sufficit tamen informatio extrajudicialis. 6. Tametsi in Rescripto sit alius gradus, vel affinitas loco consanguinitatis, vel positum nomen *Petrus* pro nomine *Paulus* &c. potest tamen dispensationem exequi, si sufficienter constet, aut probetur, omnia in *Supplica* rite fuisse expressa; siquidem Papa præsumitur juxta tenorem Supplicationis a se lectæ dispensasse, ut proinde error accidentalis scribæ non officiat. Atque hæc omnia susios deducta reperire poteris apud P. Reiffenstuel *in Appendice ad Librum IV. Decret.* & P. Pichler *ad eund. Lib. tit.* 16.

P R A X I S

Obtinendi dispensationem ab Episcopo super impedimentis, super quibus dispensare valet.

680. Servanda est eadem praxis, scilicet 1. Pro impedimento publico servanda sunt ea, quæ servari debent apud *Datariam*: pro occulto ea, quæ apud *S. Pœnitentiariam*. 2. Titulus, & inscriptio literarum sit ad Episcopum, vel ejus Vicarium, si ab Episcopo specialiter ad id delegatus sit: stylus autem est idem; prout in exemplo clarescet. Esto igitur

Exemplum,

681. Pro dispensatione super impedimento dirimente publico v. g. affinitatis, ex copula Matrimoniali ortæ, in quarto gradu ab Episcopo obtinenda ad Matrimonium contrahendum.

REVERENDISSIME, ac CELSISSIME (SERENISSIME, si sit natus Princeps) S. R. I. PRINCEPS, DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.

Exponitur humiliter Celsitudini Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Petri Steinbach, & Paulina Stengerin, qualiter honeste inamorati familiariter notabili jam tempore invicem egerint, ex nullo tamen malo, aut alio fine, quam ut Matrimonium inire, & sic se alere, ac sustentare possent. Sed quia quarto affinitatis gradu se attinent, ex eo proveniente, quod Orator Matrimonio legitimo sibi copulatam habuerit Pauline Pre-avunculi neptem, nunc defunctam, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt; idcirco Celsitudini Vestræ humillime supplicant, quatenus, non obstante hoc tali impedimento, inter se publice, servata forma Tridentini, Matrimonium contrahere, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, dispensare dignetur, proles decernendo legitimas, De paupertate, causa dispensationis petita, & alii pro dispensatione impetranda requisitis, constat, testibus etiam juratis in hunc finem, si opus est, producendis, ambos vero dici, & esse pauperes, cum ex suis tantum vivant, & in sudore vultus sui, atque labore manuum se sustentare cogantur. Quare præsentibus insuper Reverendissimo Episcopali Officio humillime supplicant pro gratia dispensationis sub titulo paupertatis, eandem se benevole obtenturos fiducialiter sperantes, & hanc gratiam suis ad Deum precibus pro viribus demereri volentes.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ

Servus indignissimus
Sebaldus Schneider,
Oratorum Parochus.

682. Executori porro facienda sunt omnia cum proportione ad Executorem dispensationis Romanæ; in formula autem absolutionis, & dispensationis actualis loco, *Authoritate Apostolica*, ponatur: *Authoritate Episcopi mihi specialiter delegata dispenso tecum super &c.* Deinde legitimatio prolis data in foro interno æque nihil prodest pro foro externo, si impedimentum occultum, super quo petita est dispensatio, fiat publicum: si vero detur pro foro externo, se tantum extendit ad Ordinum Minorum, & Beneficii simplicis acquisitionem; nam potestas Episcopi ultra se non extendit. P. Pichler *lib. 4. tit. 16. n. 49.*

Ceterum quænam sint impedimenta, super quibus dispensandi facultas quinquennalis Episcopis Germaniæ concedi solet a Sede Apostolica, relinquitur ex dictis *n. 666.* Sed circa idipsum

683. Quæres primo, an facultas Episcopi, quam obtinet (ex dictis *n. immediate cit.*) ad dispensandum cum pauperibus pro Matrimonio contrahendo, In gradu v. g. tertio consanguinitatis, vel affinitatis, se extendat ad tertium mixtum secundo, vel tantum intelligatur gradus tertius mixtus cum quarto?

Respondetur, quod præmemorata facultas dispensandi se non extendat ad tertium gradum mixtum secundo &c. Ratio probativa sumitur ex Responsis Romæ datis *an.* 1690. ad Nuncium Coloniensem, & *an.* 1694. ad Suffraganeum, ac Vicarium Generalem Coloniensem D. de Anethan: S. Sedis autem est interpretari mentem suam; ergo &c. Jam vero Episcopi non obtinent, sive de Jure, sive de consuetudine, majorem facultatem, ac Nuncii. Non enim de Jure; cum hoc, utpote speciale, majus esse non possit, quam S. Sedes concedat: neque de consuetudine; cum desit consensus Superioris, utpote cujus dissensus colligitur ex eo, quod toties contradixerit, quotiuscunque fuerat hucusque interrogatus.

Dices. Solos gradus tertius præstat impedimentum ex *Declaratione S. Pii V. in Metu. an.* 1566. & a remotiori sumitur denominatio, in quo qui potens est dispensare, potest idem, si ille mixtus sit gradui propinquiori ex *Decretis S. Pii V. Clementis VIII. ac Gregorii IX.* ergo &c.

Respondetur, neg. conf. Et ad ant. ajo, quod *Declaratio, & Decreta citt.* hodie non amplius obtineant ob revocationem Urbani VIII. confirmari quotidie solitam

solitam per *Declarationem* illius, qui dictam facultatem concedit, quam concedit subinde uni, quin concedat alteri, uti dicitur concessisse Internuncio Bruxellensi, & forte aliis; id quod non juvat reliquos, cum non sit *Jus* commune, sed speciale, ad mentem concedentis limitatum.

684. Quæres secundo, an in Supplica debeat exprimi gradus propinquior remotiori prohibito mixtus?

Respondetur affirmative, adeo, ut dispensatio super gradu remotiori, cui propinquior mixtus est, sed in Supplica omissus, censeatur subreptitia, & invalida. Ita enim declaravit Urbanus VIII. *an.* 1624. dum ejusmodi dispensationem propter reticentiam gradus propinquioris pronunciavit esse nullam, teste Bernardino Campelli Audit. General. Favet *capit.* 3. *de Consang. & Affinit.* & ratio deprompta ex *R. J.* 15. *in* 6. vi cujus dispensatio, ceu vulnus Legis, restringenda est, ut gradum remotiorem mixtum propinquiori sub simplici remotiore comprehendere non possit. Accedit praxis Episcoporum, qui datam sibi facultatem dispensandi in tertio, & quarto gradu nolunt extendere ad tertium mixtum secundo.

Dices. *Cap. fin. de Consang. & affinit.* statuitur, in linea transversa inæquali distantiam sumi a remotione; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Pro casu illo particulari, quo remotior jam fuit extra gradus prohibitos, nimirum quintus, con. quo & propinquior, & remotior sunt prohibiti, neg. ant. & cons. ac parit. Disparitas est: quia ibi attenditur Lex prohibens, quæ cum determinet gradum quartum, ultra eum non debet extendi per *R. J.* 15. *cit. in* 6. hic intervenit dispensatio, quæ pariter tanquam odiosa ultra, id quod concedit, ampliari nequit per *eand. R. J.* concedit autem in gradu tertio posse contrahi Matrimonium; adeoque ad secundum protendenda non est.

Instabis. Pontifex *in cit. cap.* absolute vult, quod distantia remotioris gradus trahat ad se propinquiorem; ergo &c.

Respondetur, dist. ant. Quando sermo est de computatione graduum prohibitiorum in ordine ad Matrimonium contrahendum, con. quando sermo est de extensione dispensationis, super gradibus probibitis concessæ, neg. ant. ex ratione jam data; quia nimirum prohibitio Matrimonii intra certos gradus consanguinitatis, & dispensatio super illa est strictæ interpretationis, & consequenter non protendenda ultra id, quod in terminis concedit.

685. Quæres tertio, an Episcopus (etiam extra casus, in quibus dispensandi specialem a Pontifice potestatem habet secundum dicta *num.*666.) possit aliquando dispensare super impedimento dirimente in casu necessitatis ante contractum Matrimonium?

Respondetur, posse, si impedimentum sit tale, in quo Pontifex ipse, si adiri posset, dispensaret. Ita Vasquez 1. 2. *disputat.* 178. *capitul.* 2. Gobat *tractat.* 9. *numer.* 582. & apud illum Diana, Palao, Bonacina, Perez, Barbosa, aliique plures. Afferuntur autem a P. Gobat *n.* 583. tanquam exempla hi duo Casus. Unus est, si quis morti proximus adstringatur ad Matrimonium cum aliqua contrahendum, ut sic legitimetur proles ante suscepta, vel resarciatur honor puellæ, vel sedentur graves inimicitiæ. Alter est, quando Sponsa habuit copulam cum cognato Sponsi in secundo gradu, nec suppetit modus differendi Nuptias, vel evitandi grave incommodum, quod ex earum dilatione foret subeundum, nisi obvietur per dispensationem Episcopi. Ratio responsionis, eaque fundamentalis est: quia urgens gravis necessitas tribuit hoc jus Episcopo ex tacita licentia Pontificis *arg. capit.* 2. *de Despons. impub.* Unde Diana apud Gobat *cit. num.* 583. sic concludit, ac edisserit: *Episcopus potest ex causa maxime urgente dispensare in impedimento dirimente, etiam ante contractum Matrimonium, si omnibus tentatis, dispensatio judicetur necessaria ad vitandam gravem infamiam, vel grave scandalum; quia summa necessitas, cui aliter occurri non potest, eam facultatem tribuit Episcopo ex tacita S. Pontificis licentia.* Excipitur autem in specie impedimentum dirimens Clandestinitatis; bujus enim dispensatio reservata est, & privative competit S. Pontificii, etiam in casu necessitatis, prout ostensum manet superius *n.* 404.

686. Quæres quarto, an Episcopus possit, & quando, dispensare super impedimento dirimente in casu necessitatis post contractum Matrimonium?

Respondetur primo, posse, & quidem a fortiori, ac ante contractum Matrimonium. Sanchez *lib.* 2. *disputat.* 40. *n.* 3. & alii passim. Ratio est: quia ob frequentem dispensandi necessitatem, & ad evitanda gravia peccata potestas sic dispensandi moraliter necessaria est in Episcopis; ergo Papa censetur eandem concedere. Confirmatur. DD. passim ejusmodi potestatem dispensandi attribuunt Episcopis, & illa uti solent, sciente, & non contradicente Papa; ergo &c.

Respondetur secundo. Episcopum tunc posse dispensare, quando concurrunt quatuor sequentes conditiones.

Prima est, ut sit urgens necessitas dispensandi; qualis censetur esse, si conjuges nequeant separari absque gravi incommodo, vel scandalo, & si inseparati maneant, versentur in proximo periculo incontinentiæ, donec dispenset Papa, vel ab eo Delegatus. Gobat ubi supra *num.* 578.

Secunda est, ut in simili necessitatis casu non tantum Papa adiri non possit, sed nec ejus Delegatus, seu Nuncius, & Legatus Apostolicus potestate dispensandi munitus; communior enim, & verior sententia negat Episcopo potestatem dispensandi, quando facilis est aditus ad Legatum Apostolicum, qui dispensare valeat, atque ita necessitati occurrere. Sanchez *libr.* 2. *disputat.* 40. *numer.* 9. Basilius Pontius *libr.* 8. *capitul.* 13. *n.* 5. & alii.

Tertia est, ut impedimentum existat occultum, quale adhuc censetur, etsi sciatur a tribus, vel quatuor P. Kerchne *lib.* 4. *n.* 221. & videri potest Sanchez *libr.* 8. *disput.* 34. *n.* 55. ubi explicat, quandonam impedimentum censeatur occultum. Unde si post executionem dispensationis in foro interno, impedimentum evadat ex occulto publicum, petenda est a Pontifico obtentæ dispensationis ratificatio, ac interim per forum externum conjuges separandi; quia Commissarius pro hoc foro nequit dispensare. Nihilominus cum jam occulte impedimentum sit sublatum, restauratumque Matrimonium, conjuges per forum externum separati, manent reapse veri conjuges, &, si copulam exerceant, non peccant peccato fornicationis, sed solum contra debitam Ecclesiæ reverentiam, vel ratione scandali. Ita cum Tamburino P Kerchne ubi supra.

Quarta est, ut Matrimonium sit contractum bona fide. Colligitur ex Trid. *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat. Matrim.* ubi vult carere spe dispensationis *præsumentes scienter* contrahere. Sufficit autem bona fides ex parte unius; alias innocens puniretur, id est, spe dispensationis carere deberet, propter nocentem. Porro bona fides hic non censetur pessumdata, tametsi Matrimonium sit contractum cum ignorantia mortaliter culpabili; siquidem Trid. loquitur de *scienter præsumentibus* contrahere. Ceterum ut bona fides patrocinetur, opus est, ut præcesserint proclamationes, nisi ex dispensatione Episcopi fuerint remissæ. Ita cum Sanchezio, & aliis P. Kerchne *cit.*

687. Quæres quinto, quænam notanda sint circa dispensationem *in forma pauperum*?

Respondetur primo. *In forma pauperum* dispensatio tunc dari dicitur, quando pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus juxta, ac miserabilibus personis, non habentibus sufficientia media ad solvendam taxam, seu compositionem, ut vocant, pecuniariam, quæ in dispensationibus super quibusdam impedimentis exhiberi solet Officialibus Curiæ Romanæ. P. Schmalzgrueber *lib.* 4. *titul.* 16. *numer.* 231.

Respondetur secundo. Personæ *pauperes* ad effectum obtinendæ dispensationis in prædicta forma censentur esse, quæ ultra sustentationem, statui suo convenientem, non habent, unde compositionem, & jura Officialium Curiæ Romanæ solvant: *miserabiles* vero quæ proprio *labore, & industria tantum vivunt*, ita ut ex hoc suo labore, & industria ultra sustentationem, statui suo convenientem, non habeant, unde præmemoratam compositionem, seu taxam pecuniariam pendant. Parum autem interest, qualis ille labor, vel industria sit, qua vitam tolerant. Imo Gobat *Theol. Experim. tract.* 9. *numer.* 658. *fin.* testatur, in Diœcesi Constan-

Constantiensi vigere antiquam, & frequenti uso Consistorii Ecclesiastici firmatam consuetudinem, ut pro pauperibus, & miserabilibus, ad effectum gratis impetrandæ dispensationis, habeantur omnes illi, qui agricultura, opificio, vel arte, etiam liberali, qualis est pictorum, pharmacopolarum &c. se, suamque familiam alunt. Addit idem Author *n. 661.* pro Helvetis, etiam Nobilibus, & Senatoria dignitate conspicuis, dispensationes Matrimoniales consuesse *in forma pauperum*, & gratis concedi ex favore speciali Curiæ Apostolicæ.

Respondetur tertio. Ad impetrandam dispensationem *in forma pauperum* non sufficit, Oratores esse *pauperes*, sed debent etiam esse *miserabiles* in sensu proxime explicato. Ita Corradus *lib. 8. Prax. Dispens. Apost. cap. 5. a n. 4.* & alii passim. Ratio est: quia Pontifex in suis Literis id requirit copulative, dicens: *Dummodo ipsi sint pauperes, & miserabiles, & ex labore, & industria tantum vivant.* Porro non sufficit, unum ex Oratoribus esse pauperem, & miserabilem, sed omnino requiritur, ut ambo sint tales: prout recte advertunt, stylo, & Curiæ confirmant Corradus ubi supra *n. 2.* Reiffenstuel *in Append. ad Lib. 4. n. 397.* aliique. Et patet ex ipsa Clausula, quæ ambos Oratores *in plurali* pauperes, & miserabiles esse oportere affirmat; ergo in pluribus verificetur, necesse est, & de ambobus copulative sumptis; cum numerus pluralis saltem dualitatem requirat, *l. 12. ff. de Testib.* Unde pro praxi audiendus non est P. Gobat, dum *loc. cit. n. 659.* nititur probare contrarium, sufficere nimirum, si unus ex Oratoribus pauper, & miserabilis existat.

Respondetur quarto. Ne falso paupertatis prætextu Officiales Curiæ facile sportulis suis defraudentur, juxta instructionem, & normam Roma *an. 1671. die 6. Octob.* transmissam, atque a Corrado *n. 18.* relatam, Oratores, pro dispensatione super impedimento Matrimoniali *in forma pauperum* supplicantes, altefatæ Curiæ fidem facere debent attestatione proprii Parochi, & depositionibus duorum, vel trium testium fide dignorum coram Episcopi Officiale, vel Vicario Generali legitime examinatorum, quod pauperes, & miserabiles sint. Sed

688. Petes, quænam ergo sit instructio, & norma conficiendi probationes, quando *in forma pauperum* petuntur dispensationes Matrimoniales a Sede Apostolica?

Respondetur, esse sequentem. Itaque

Requiritur I.

Testimonium Parochi amborum dispensandorum, prævio juramento non solum ab ipsomet Parocho subscriptum, sed etiam a Notario publico, & Ecclesiasticæ Curiæ serviente recognitum, exprimens paupertatem utriusque dispensandi his fere verbis:

Formula Testimonii Parochi.

Ego Sigefridus VVidemann infra scriptus Parochus Ecclesiæ Parochialis ad S. Valentinum in page Pforzen *appellato Diœcesis Augustana medio juramento fidem facio, Titium esse meum Parochianum, ac ejus Genealogiam in affinitate* (si sit consanguineus cum Sponsa, scribatur: *in consanguinitate*) *esse infra scriptam.*

Hic Parochus inserat Genealogiam v. g. hoc modo:

Pro Consanguinitate

In linea transversa inæquali tertii, & quartii gradus inter Titium Sponsum, & Cajam Sponsam.

	Antonius N.	
	genuit	
Stephanum N.	&	Annam N.
hic		*hæc*
genuit		*genuit*
Gasparum N.		Petrum N.
hic		*hic*
genuit		*genuit*
Titium Sponsum		Reginam N.
		hæc
		genuit
		Cajam Sponsam.

Pro Affinitate.

In linea transversa inæquali tertii, & quarti gradus inter Sempronium, & Bertham.

	Adamus N.	
	genuit	
Jacobum N.	&	Barbaram N.
hic		*hæc*
genuit		*genuit*
Joannem N.		Susannam N.
hic		*hæc*
genuit		*genuit*
Sempronium Sponsum.		Petrum N.
		hic
hic		*genuit*
		Gasparum defunctum, qui habuit in uxorem
vult ducere		Bertham.

Post Genealogiam Parochus immediate ponat. *Item medio juramento fidem facio pariter ego infra scriptus, supra dictum meum Parochianum* (vel *Parochianam*) *esse pauperem, & miserabilem, ita, ut vivat propria industria, & labore tantum. In quorum fidem manu propria me subscripsi, & præsentes sigilli mei subimpressione firmavi. Actum Pforzii die 22. Januarii A. 1739.*

(L. S.)

Sigefridus VVidemann
Parochus Ecclesiæ Parochialis in Pforzen Diœcesis Augustanæ
propria manu subscripsit.

Formula documenti Notarii recognoscentis manum Parochi.

Fidem facio ego infra scriptus Ferdinandus Sennenberger Notarius publicus, quod anno, & die infra nominatis coram me comparuerint Henricus Ainsle, & Michael Rosenmann, ac medio juramento fidem fecerint, subscriptionem, & sigillum prætactas esse manum propriam, & sigillum R. D. Sigefridi VVidemann Parochi Ecclesiæ Parochialis Pforzii Diœcesis Augustanæ, causam scientiæ suæ allegantes, quomodo dictum Parochum scribentem, & sigillum, ac manum ejusdem sæpe viderint. In quorum fidem manu propria scripsi, subscripsi, & consueto Notariatus mei sigillo communivi. Actum Augustæ Vindelicorum anno 1739. die 28. Januarii.

(L. S.)

Ferdinandus Sonnenberger
Apost. & Cæsar. Authorit. publicus, atque approbatus Notarius manu propria subscripsit.

Requiritur II.

Examen duorum Testium, coram Ordinario, Archi Diaconis, vel Vicariis Foraneis jurisdictionem Ecclesiasticam exercentibus, asserentium prævio pariter juramento paupertatem dispensandorum per infra scriptas positiones.

Tenor positionum.

1. Cujus nominis, cognominis, patriæ, status, ætatis, quibus parentibus noti, & quam professionem exerceant ipsi Testes.

2. Cujus ætatis, patriæ, & quibus parentibus nati sint Supplicantes, si habeant ipsorum notitiam.

3. Quandiu habuerint notitiam ipsorum, qua occasione, & veram habeant familiaritatem, & practicam continuam cum ipsis.

4. Utrum sciant exercitium: sive artem, quam unusquisque ipsorum exercet, & quid possint lucrari.

5. Utrum sciant bona, quæ possident, tam immobilia, quam mobilia, censu, mercimonia, credita, animalia, aut alios effectus cujuscunque generis, & valorem ipsorum.

6. Utrum

6. Utrum sciant, & velint affirmare, quod non possideant alia bona, & quomodo habeant illius certam notitiam.

Quando hoc examen Testium non ab ipso Ordinario, vel Vicario Generali, sed ab alio per commissionem fit, solet illud in scriptis mitti ad Ordinarium positis ex utraque parte Interrogatoriis, & ex altera parte Dictis Testium v. g.

Examen Testium.

1. Interrogati de nomine, cognomine, patria, statu, ætate, genitoribus, & professione.	1. *Respondit Testis primus:* Vocor Joannes Holzle, sum annorum sexaginta ex Pago Schlingen, parentes mei fuerunt Thomas Holzle, & Susanna, ambo catholice mortui; sum professione sartor. *Alter respondit:* Voco David Sallinger, sum annorum quadraginta ex eodem Pago; pater meus erat Daniel Salinger, Catholice mortuus, & in Cæmeterio Ecclesiæ Parochialis in Schlingen rite sepultus: mater vero Sabina in præfato Pago etiamnum vivens. Sum professione textor.
2. Interrogati de nomine, cognomine, patria, ætate, genitoribus, & professione ipsorum Suplicantium	2. *Responderunt ambo Testes:* Sponsus vocatur Titius Herb; est annorum viginti quatuor, ex Pago vicino Pforzen oriundus; parentes Casparus Herb, & Catharina, ambo adhuc viventes in præfato Pago. Sponsa vocatur Caja Nansen; est annorum viginti, ex eodem Pago oriunda; parentes Paulus Nansen, & Barbara; hæc Catholice mortua, pater vero in præfato Pago opera servili se sustentat.
3. Interrogati, an noscant ipsos Supplicantes, qua ratione, & quandiu?	3. *Respondit Testis primi:* Novi ambos Sponsos; quia in illo Pago, ubi nati, & educati sunt, ego diu habitavi. *Respondit alter Testis:* Novi utrunque Sponsum; quia Pagus, in quo jam viginti quinque annis habito, est vicinus illorum Pago, ad quem etiam in variis occasionibus ventitare solitum sum.
4. Interrogati, an sciant exercitium ipsorum, quale illud, & quid in illo lucrari possint?	4. *Responderunt ambo Testes:* Scimus; siquidem tam Sponsus, quam Sponsa serviunt inter homines, & hac opera manuum suarum in sudore vultus sui se sustentare, atque vestire coguntur.
5. Interrogati, an habeant bona immobilia, vel alia bona, quid inferant, & cujus sint valoris?	5. *Responderunt ambo Testes:* Non habent quidquam, sed sunt valde pauperes; nec sperandum aliquid habent, nisi quod labore manuum suarum lucrabuntur.
6. Interrogati, an sciant notitia certa, ipsos Supplicantes nisi aliud possidere?	6. *Responderunt ambo:* Ex certa scientia, & bona conscientia dicimus, quod omnino nihil habent; &, quod diximus, id juramento confirmamus.

Ad sex hæc super paupertate interrogatoria puncta accedit ex consuetudine Diœcesium testimonium super consanguinitate, & familiaritate Sponsorum, v. g.

7. Interrogati, an sciant, & unde, ipsos Supplicantes, seu Oratores, in tertio, & quarto gradu, & non alio conjunctos esse?	7. *Responderunt ambo:* Quia novimus non tantum parentes illorum, sed etiam avum Sponsi, & proaviam Sponsæ, qui fuerunt frater, & soror; unde facile scimus, illos esse consanguineos.
8. Interrogati, an sciant, quod Supplicantes sibi jam pridem procati fuerint, & si separentur, quod aliqualem infamiæ notam apud vulgus incurrerent. NB. Quod si alia causa foret impetrandi dispensationem, tunc super illa causa Testes interrogari deberent.	8. *Responderunt ambo:* Jam a duobus annis vivunt in Pago nostro Schlingen, & famulantur, Sponsus apud vicinum nostrum Theobaldum Gastel, Sponsa e regione in domo Anastasiæ Greslin viduæ; a quo toto tempore jam observavimus, quod simul valde familiariter conversati fuerint: sed & tota Communitas nostra non aliter putat, quam quod omnino Matrimonium inituri sint; ut proinde, si separari deberent facile aliquam infamiæ notam eos incursuros esse credamus.
9. Interrogati, an hæc omnia, quæ hactenus dixerunt, ita in rei veritate se habeant?	9. *Responderunt ambo:* Quidquid diximus, & fassi sumus, id omnino in rei veritate ita se habet, & parati sumus, ubicunque in altiori foro omnia dicta nostra juramento confirmare.

Si Parochus, vel alius Delegatus hoc examem exceperit, subjungit:

Sic, & non aliter coram me infra scripto præfati Testes oblato illis prius juramento de veritate dicenda, ac seria præmissa adhortatione, ne ob aliquem respectum humanum, aut remunerationem undequaque factam, vel faciendam, falsitatem, aut dolum committant, de paupertate, obstante Matrimonii impedimento, & de allegata causa inter supra nominatus Oratores sincere, & plane præsentes de mane jurato dixerunt. In quorum fidem, & majus robur hoc attestatum sigillo consueto, & manus subscriptione roboravi. Actum die 22. Januarii anno 1739.

Formula autem Testimonii Ordinarii est ista:

Ego NN. infra scriptus fidem facio omnibus, & singulis, quorum interest, & ad quos spectat, Titium Herb, & Cajam Nansen esse pauperes, & industria tantum vivere, prout nobis constat ex attestatione proprii Parochi amborum Supplicantium, & ex depositionibus duorum, vel trium Testium fide dignorum coram nobis examinatorum cum juramento servata forma instructionis ab Urbe transmissa. In quorum fidem &c.

(L. S.)

Subscriptio.

Atque hoc tale Testimonium ab Ordinario, si petitur dispensatio *in forma pauperum*, Romam mitti debet.

CAPUT

CAPUT II.

De Revalidatione Matrimonii nulliter contracti.

ARTICULUS I.

An ad revalidandum Matrimonium, antea nulliter contractum, requiratur novus consensus utriusque contrahentis?

SUMMARIUM.

689. *Exponitur status quæstionis.* 690. *& seqq. Sive Matrimonium fuerit nulliter contractum ob aliud impedimentum, sive præcise ob defectum consensus ex parte unius contrahentis, necesse est, ut alteri contrahenti manifestetur nullitas Matrimonii (non item causa nullitatis) & uterque de novo in Matrimonium consentiat: ubi etiam diluuntur argumenta opposita.*

689. PRænotandum, quod Matrimonium nulliter contrahi possit ex duplici capite. 1. Propter defectum debiti consensus, quem vel utraque pars contrahentium, vel una non habuit, contrahendo ficte, aut ex metu gravi injuste incusso &c. 2. Propter aliud quodpiam impedimentum, puta consanguinitatis, affinitatis, criminis, publicæ honestatis &c. Jam quæstio est, eaque resolutu non adeo facilis, quando nimirum una duntaxat pars est conscia talis defectus, vel impedimenti (prævia dispensatione indigentis) & restaurare, ac convalidare vult Matrimonium, ponendo novum consensum, an tunc altera pars de nullitate Matrimonii certior reddi, & ipsa quoque novum ponere consensum debeat? Ut quæstio decidatur,

690. Dico primo. Si Matrimonium fuit nulliter contractum ob aliud impedimentum, quam sit præcise defectus consensus ex parte unius contrahentis, necesse est, ut alteri contrahenti manifestetur aliquo ex modis recensendis infra *n. 697.* nullitas Matrimonii, & uterque de novo in Matrimonium consentiat. Ita Doctor Subtilis *in 4. dist. 35. q. un. §. Respondeo: primus consensus.* Basilius Pontius *lib. 4. cap. 24. num. 2.* Bosco *disp. 12. de impedim. Matrim. sect. 14. conclus. 2.* & alii communiter.

Probatur: quia a neutro contrahente validus fuit positus consensus in Matrimonium; ergo uterque de novo consentiat, necesse est, post impetratam super impedimento dispensationem. Atqui non potest uterque consentire, si unus Matrimonii nullitatem penitus ignoret; cum errantis, & ignorantis non sit consensus *l. 8. & 9. c. de Jur. & Fact. Ignorant.* ergo &c. Ant. primi enthymematis probatur, & declaratur: siquidem impedimentum reddiderat ambos contrahentes ad ponendum consensum merum, & validum inhabiles; ergo consensus prior amborum contrahentium fuit reipsa nullus, sive invalidus.

Confirmatur primo. Si ambo conjuges, dum primitus Matrimonium contraxerunt, vel (ut rectius loquar) contrahere visi sunt, nullum prorsus posuissent consensum in Matrimonium, ad istud revalidandum necessarius de novo foret consensus utriusque; ergo etiam, si consenserunt quidem, sed invalide; cum paria sint, aliquid invalide, & omnino non factum esse. *l. 6. ff. Qui satisdar. cogant.*

Confirmatur secundo ex stylo Curiæ Romanæ; quando enim Pœnitentiaria dispensat ad remanendum in Matrimonio nulliter contracto, addere solet hæc verba: *muliere (viro) de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut Latoris delictum nunquam detegatur.*

691. Objicies primo. Consensus prior, hoc ipso, quod revocatus non sit, moraliter adhuc perseverare censetur. *arg. cap. ult. de Procurator. in 6. & l. 1. §. 1. ff. de Verb. Oblig.* ergo non requiritur novus consensus, præsertim utriusque contrahentis, ad revalidandum, sublato impedimento, Matrimonium.

Respondetur, neg. ant. Ad textus, qui in *citt.* Juribus extant, ajo, eos solum procedere, & probare de consensu valido: non item de consensu invalido; hic quippe cum revera nunquam extiterit, non potest, etiam moraliter tantum, perseverare, quoniam perseverantia alicujus rei necessario præsupponit ejus existentiam. Unde neg. etiam cons.

692. Objicies secundo. Matrimonium in hypothesi conclusionis non fuit invalidum ex defectu consensus (hic enim de se omnino sufficeisset, si personæ ad contrahendum habiles fuissent) sed ob latitans impedimentum; ergo satis est, per dispensationem tolli impedimentum, quin novus contrahentium consensus requiratur.

Respondetur, explicando, & dist. ant. Matrimonium non fuit invalidum ex defectu consensus directe, con. indirecte, neg. ant. & cons. Priore modo Matrimonium non fuit invalidum, quia defectus consensus non afficiebat immediate, & directe voluntatem contrahentium: at posteriore modo fuit invalidum, quatenus impedimentum redundabat, ac influebat in ipsam quoque voluntatem, & consensum contrahentium, ac istum reddebat inefficacem, & nullum.

693. Quæres, an parti ignoranti, ut Matrimonium revalidet, præter nullitatem Matrimonii antea contracti, detegi etiam debeat causa, ob quam nulliter contractum est?

Respondetur cum communi negative: imo nec est consultum, præsertim si causa sit crimen, ut patet ex verbis S. Pœnitentiariæ, quæ in similibus dispensationibus adhibere, & addere solet: *Sed ita caute, ut Latoris delictum nunquam detegatur*: secundum dicta superius *in confirmatione secunda.* Ratio præterea est: siquidem ex una parte conjux, antea impedimenti, & nullitatis nescius, postea autem conscius factus, jam libere potest (sublato videlicet per dispensationem impedimento) in renovationem Matrimonii cum altero conjuge consentire, quin sciat impedimentum in specie, adeoque causam nullitatis Matrimonii prioris, ut consideranti palam erit: ex altera vero parte detectio causæ plurimorum, & gravissimorum incommodorum occasio esse posset; prout infra *n. 697.* specificabitur.

694. Dico nunc secundo. Pariter verius nobis videtur, quod, licet ex parte unius tantum conjugis defecerit consensus, non revalidetur Matrimonium, dum ille consensum supplet, nisi & alteri conjugi nullitas Matrimonii fuerit detecta, & ab eo consensus innovatus. Ita Doctor Subtilis ubi supra, Basilius Pontius *lib. 4. cap. 25. n. 2.* Comitolus *lib. 1. Respons. Moral. q. 120.* Palao *disp. 3. pun. 7. §. 1. n. 7.* Mastrius, Gobat, Reiffenstuel, Panger &c.

Probatur primo authoritate Clementis VIII. qui in simili casu consultus a P. Stephano Tuccio, Romanæ Pœnitentiariæ Rectore, cui casum transcripserat, & commiserat P. Comitolus *cit.* respondit, *necessarium esse novum consensum utriusque coram Parocho, & Testibus, admonito prius marito* (nam femina ficte contraxerat) *de Matrimonii nullitate* &c. Et esto hoc Responsum dicatur redditum a Pontifice tanquam Doctore privato, magnum tamen pondus ab eo accedit conclusioni nostræ.

Probatur secundo ratione. Si Matrimonium fuit nulliter contractum ob aliud impedimentum, quam sit præcise defectus consensus ex parte unius contrahentis, necesse est, ut alteri contrahenti manifestetur nullitas Matrimonii, & uterque de novo in Matrimonium consentiat; prout asseruimus, & stabilivimus supra *num. 690.* fatenturque ipsimet hujus secundæ conclusionis Adversarii; ergo idem dicendum, si Matrimonium fuit nulliter contractum ob defectum consensus ex parte unius contrahentis. Prob. cons. Ideo in casu antecedentis necesse est, ut uterque contrahens de novo in Matrimonium consentiat, quia prius a neutro positus fuit validus consensus conjugalis: ut supra arguebamus: atqui etiam in casu consequentis neuter contrahentium posuit validum consensum conjugalem; ergo &c. Min. prob. Non enim ille, qui ficte consensit, ut de se patet. Neque alter, qui consensit serio; quia cum defecerit conditio, sub qua voluit contrahere, nempe si etiam compars habeat animum contrahendi, talis consensus nullus fuit, & nullus manet, utpote qui alligatus fuit conditioni, consensus primo præstiti, & non quocunque tempore præstandi.

Respondent Adversarii primo, negando paritatem assum-

assumptam de aliis impedimentis: ista quippe (inquiunt) impediunt legitimum consensum propter carentiam objecti, vel inhabilitatem subjectorum, seu personarum contrahentium: at defectus consensus in hypothesi secundæ conclusionis se tenet ex parte unius tantum contrahentis; consequenter si hic ex parte sua defectum suppleat, sive novum consensum præbeat, exurget consensus mutuus, atque ita convalidabitur Matrimonium.

Sed contra est. Etiam in hypothesi secundæ conclusionis, dum scilicet unus, quantum est ex se, vere, alter autem ficte consentit, deficit respectu illius (nimirum vere contrahere volentis) objectum legitimi consensus; ergo nulla disparitas, & responsio. Ant. ostenditur. Consensus conjugalis non tantum perficitur traditione proprii corporis, sed etiam acceptatione traditionis, factæ ab altero contrahente; prout relinquitur ex dictis *num.* 316. atqui hæc acceptatio caret objecto, si ab altero contrahente traditio ficte fiat; cum non ficta, sed vera traditio existat objectum memoratæ traditionis; ergo &c. Itaque fictio unius contrahentis efficit, ut etiam consensus alterius, utut vere contrahere intendentis, suo valore frustretur propter subtractionem, & carentiam objecti. Ex quibus colligitur, ipsa quoque subjecta, seu personas contrahentes & hic inhabiles esse, vel fuisse ad Matrimonium ineundum: siquidem ficte consentiens semetipsum inhabilitavit per fictionem; vere autem consentire volens, effectus est inhabilis per eandem alterius fictionem, quippe subtractivam legitimi objecti; ut dictum. Verbo. Carentia objecti redundavit in ipsam quoque personam, vere contrahere intendentem, eamque reddidit, veluti indirecte, incapacem, seu inhabilem ad agendum, seu vere contrahendum hic, & nunc Matrimonium.

Respondent Adversarii secundo, consensum, vere contrahere volentis, non alligari huic conditioni, si & alter consenserit.

Sed iterum contra est. In contractu oneroso, & bilaterali nemo censetur se obligatum reddere absolute ex suo duntaxat latere (nisi forte id exprimat) sed tantum sub conditione, si & alter pari obligationis nexu se obstringat; prout videtur decantatum apud Theologos juxta, ac Juristas: atqui Matrimonium est contractus onerosus, & bilateralis; ergo una Pars contrahentium non censetur se obligatam reddere absolute ex suo duntaxat latere, sed tantum sub conditione, si & altera Pars pari obligationis nexu se obstringat: consequenter &c. Nec quidquam evincunt Adversarii, si dicant, sufficere ad valorem consensus ab uno contrahente positi, quod alterius consensus ex post sequatur. Nam consensus Matrimonialis (quando scilicet Matrimonium contrahitur immediate ab ipsismet Sponsis) suapte natura talis est, ut, dum ponitur ab uno contrahente, respiciat consensum alterius non futurum, sed præsentem, seu qui ponatur simul (simultate scilicet morali) & coalescat in consensum mutuum cum consensu prius, seu simultanee contrahentis.

695. Objicies nunc contra conclus. primo. Ad Matrimonium non requiritur, ut consensus in illud ab utroque contrahente ponatur physice, & formaliter simul; sed sufficit, si ex intervallo sequatur consensus unius, & consensus alterius moraliter, & virtualiter adhuc perduret, *cap. fin. de Procurat. in 6.* atqui in hypothesi conclusionis adhuc perdurat moraliter, & virtualiter consensus illius partis, quæ prius serio consensit; cum inde moveatur, ut compartem adhuc tanquam conjugem tractet; ergo ad Matrimonium, ejusque convalidationem sufficit, si ex intervallo sequatur consensus compartis, quæ prius ficte consensit.

Respondetur, neg. min. Siquidem consensus invalidus, cum revera nunquam extiterit, non potest, etiam moraliter tantum, perseverare, quoniam perseverantia alicujus rei necessario præsupponat ejus existentiam; veluti arguebamus supra *num.* 691. atqui consensus, etiam serio contrahere intendentis, fuit invalidus propter carentiam objecti; prout relinquitur ex dictis: consequenter &c. Unde hoc argumentum retorqueri potest in hypothesi primæ conclusionis, ut patet consideranti. Ad *cit. cap. fin.* responsio jam est data superius *cit. num.* 691. ubi diximus, illud procedere de consensu valido, qualem principalis contrahens vere dedit, commisitque Procuratori referendum illi, quocum inita Matrimonium intendebat; & qualis ex intentione ipsiusmet contrahentis principalis respiciebat tempus, quo alter postea suum quoque consensum adjiciet. In hypothesi autem conclusionis consensus unius non fertur in consensum alterius futurum, sed præsentem; cumque iste nullus sit, etiam ille, suo quippe destitutus objecto, illico corruat, necesse est, ex supra dictis: & consequenter perdurare non possit. Nec refert, quod serio contrahens ficte contrahentem tractet instar conjugis: siquidem ad id faciendum movetur ex erronea persuasione, Matrimonium consistere validum; ex quo errore minime inferre valet perduratio consensus ante invalidi, aut ratificatio Matrimonii.

696. Objicies secundo. Matrimonium spirituale, seu Professio Religiosa, ob defectum debiti consensus profitentis convalescit, quamvis iste non renovetur ex parte Religionis, imo licet hæc invaliditatem omnino ignoret; prout eruitur ex *cap.* 11. *de Regular.* & *cap.* 1. *eod. in* 6. ac Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* ergo idem tenendum de Matrimonio carnali in casu conclusionis.

Respondetur, admisso antecedente (esto non admittatur ab omnibus) neg. cons. & parit. Disparitas est; nam Ecclesia, seu S. Pontifex, tanquam supremus omnium Religionum Prælatus, Prælati inferioris, atque Religionis consensum supplere potest, & supplet, novum profitentis consensum acceptando, non autem ita supplere Ecclesia, sive Pontifex potest consensum in Matrimonio carnali ex parte conjugis, nullitatem Matrimonii ignorantis, utpote qui Jure Divino, & naturali requiritur, & esse personalis debet. Deinde hoc argumentum sic retorqueri potest. Professio Religiosa, non tantum ob defectum debiti consensus, sed etiam ob defectum requisitæ ætatis (qualem faciunt sedecim anni completi) invalide emissa, ex sola professi ratificatione convalescit; ergo pariter (contra Adversarios) quando Matrimonium propter inhabilitatem personarum contrahentium, aliquo impedimento dirimente, v. gr. consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis &c. ligatarum, non valuit, illo sublato convalescet accedente novo consensu illius solius, qui impedimenti notitiam habuit, & super eo dispensationem obtinuit.

ARTICULUS II.

Resolvuntur nonnullæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

697. *Qualiter in praxi conjux ignorans nullitatem Matrimonii sui de ea certior reddi, & consensus de novo præstari possit, ac debeat?* 698. *Qui se gerere debeat Confessarius, advertens, pœnitentem suum laborare impedimento dirimente, & esse in Matrimonio invalido?* 699. *An ad revalidationem Matrimonii, in facie Ecclesiæ nulliter contracti, requiratur nova præsentia Parochi, & Testium?*

697. Quæres primo, qualiter in praxi conjux ignorans nullitatem Matrimonii sui de ea certior reddi, & consensus de novo præstari possit, ac debeat?

Respondetur primo. Si ex revelatione nullitatis nullum timendum sit periculum separationis, desertionis liberorum forte susceptorum, scandali, aut diffamationis (ut quando conjuges se mutuo amant) tutissimum, imo necessarium est, ut conjux impedimenti conscius conjugi ignoranti sincere, saltem in genere, patefaciat nullitatem Matrimonii, v. gr. dicendo: censeo, *Matrimonium inter nos ex aliqua causa non esse validum; hinc rogo te, ut ad pacandam conscientiam meam mecum de novo contrahas, meque in conjugem de novo accipias, sicut ego te ex nunc in conjugem accipio.* Nam si alter conjux respondeat: *placet, consentio, de novo te in conjugem accipio*, res salva est; ergo hic procedendi modus est tutissimus, imo & necessarius; eo quod S. Pœnitentiaria Romana, quando

dispenset super impedimento occulto, addere soleat (secundum dicta n. 690.) hanc clausulam: *muliere* (vel viro) *de nullitate prioris consensus certiorata*. Quod autem sufficiat dati notitiam impedimenti in confuso, & generatim, tali quoque casu, quo nullum periculum ex prædictis metuendum est, sumitur ex verbis, quæ S. Pœnitentiaria in eadem formulæ dispensationis subjicit: *sed ita caute, ut Latoris delictum nunquam detegatur*. Pro confirmatione servit, quod diximus *num.* 693. in ratione probativa, utpote quæ procedit, licet impedimentum non sit ortum ex delicto. Videri possunt Sanct-Gallenses *tom.* 10. *tract.* 4. *pag.* 723. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 16. *num.* 272. Bockhn *eod. lib. tit.* 3. *num.* 55.

Respondetur secundo. Si ex revelatione nullitatis timendum sit periculum separationis, desertionis liberorum, scandali, aut diffamationis, quam contraheret manifestatio nullitatem, ortam forte ex impedimento, supponente delictum, v. gr. ex affinitate, contracta ob copulam illicitam prius habitam cum conjugie consanguineo, sic procedi potest, v. gr. dicendo ad Partem nullitatis ignaram: *mi vir* (uxor) *puto, quod, dum contraximus Matrimonium, non habuerim verum, & sufficientem consensum* (nec mentitur sic loquendo; cum primus ejus consensus utique fuerit non verus, & non sufficiens, quippe invalidus) *vis ergo eum renovare, & renovas, sicut ego eundem nunc renovo*: si altera Pars respondeat, *renovo &c.* convalidatum est Matrimonium. Vel manifestari nullitas potest conditionate, nimirum sub conditione de præsenti, in hunc modum; *si Matrimonium nostrum ex aliqua causa esset nullum, atque ad quietandam conscientiam meam de novo consentis, & restauras illud, sicut ego de novo consentio, ac restauro*: si reponat: *consentio, restauro &c.* rursus convalidatum est Matrimonium. Sed

Dices. Altera Pars hoc tali modo non censetur certiorata de nullitate Matrimonii, sed tantum concepisse dubium, vel suspicionem: atqui debet esse certiorata, prout relinquitur ex dictis; ergo &c.

Respondetur, dist. maj. Non censetur certiorata absolute, & formaliter, con. conditionate, & virtualiter, seu æquivalenter, neg. maj. Atqui debet esse certiorata vel formaliter, vel virtualiter, & æquivalenter, con. semper, & pro omni casu formaliter, neg. min. & cons. Censetur autem altera Pars hoc tali casu certiorata æquivalenter, quatenus acquisivit tantam cognitionem, quanta requiritur, ut consensum novum jam non referat ad prius Matrimonium, quod antea putaverat esse validum, sed ad novum contrahendum sub conditione de præsenti, explicatum per verba, *de novo consentio*, vel *restauro Matrimonium, si forte sit nullum &c.* Sic quippe ponitur, & externe manifestatur voluntas secundo contrahendi, actuque vere contrahitur, & convalidatur Matrimonium. Secus esset, si Pars ignara nullitatis, non tamen suo modo edocta, solum diceret, *de novo consentirem, Matrimonium restaurarem &c. si foret nullum*: hoc enim non sufficeret; quia sic non poneretur actu voluntas secundo contrahendi, sed esset tantum ponenda, si cognosceretur prior contractus irritus. Sanct Gallenses ubi supra, Pichler *lib.* 4. *tit.* 16. *n.* 55. Bockhn *loc. cit. numer.* 56.

Sed quid si nullus ex prædictis procedendi modis successurus judicetur, ut si Pars ignara impedimenti, & nullitatis Matrimonii prævideatur propius institutam post generice, vel conditionate datam de latitante impedimento, & Matrimonii nullitate informationem, atque ursura, ut res sibi specifice, & aperte manifestetur, commissura alioquin negationem novi consensus; vel aliunde, ex. gr. ob aversum animum nulla affulgeat spes per novum consensum impetrandi convalidationem Matrimonii?

Respondetur, in his angustiis, & necessitatis casu posse usui esse sententiam, quæ docet sufficere, si omissa revelatione nullitatis post impetratam dispensationem obtineatur ab ignorante novus consensus per hoc, quod maritali affectu petatur, & reddatur debitum conjugale. Ita Sanchez *lib.* 2. *disp.* 36. *n.* 9. Bonacina, Palao, Sporer, Pichler, Bockhn &c. Ratio est: quia prædicta sententia in primis obtinet probabilitatem extrinsecam, petitam ab authoritate gravium DD. pro ea stantium: deinde non videtur destitui omni probabilitate intrinseca desumpta ex hoc fundamento, quod videlicet propter bonum publicum, & ne summa incommoda, ac mala enascantur, censeri forte possit, generalem contrahentium intentionem initio talem esse, ut, si occultum quoddam obstaculum conjugii valorem tunc remoretur, contenti sint occulta remotione dicti obstaculi, puta per petitionem, & redditionem debiti conjugalis, affectu maritali factam; cum illic non erectur gravius præjudicium, quam si idem obstaculum ante contractionem Matrimonii, inscia licet altera Parte, occulte fuisset remotum. Ergo non apparet, cur memorata sententia nequeat in praxim deduci, quando summa necessitas id postulat. Sed

Dices. Præallegatum fundamentum sententiam illam dubiam solum probabilem reddit; ergo ea secure practicari nequit, præsertim cum agatur de valore Sacramenti, seu Matrimonii contrahendi.

Respondetur, dissimulato antecedente, dist. cons. Extra casum gravis, & veluti extremæ necessitatis, con. in casu talis, & tantæ necessitatis, neg. cons. In casu posteriore licet sequi sententiam etiam dubie, vel tenuiter tantum probabilem, tametsi agatur de valore Sacramenti conferendi: prout relinquitur ex dictis *par.* 1. *n.* 126. & 155. quæ revideri possunt.

698. Quæres secundo, qui se gerere debeat Confessarius, quando advertit, pœnitentem suum laborare impedimento dirimente, & esse in Matrimonio invalido?

Respondetur primo. Si Confessarius advertat impedimentum occultum, & nullitatem Matrimonii, timeatque, ex monitione sua, & apertione impedimenti gravia secutura esse mala, itaque videat, conjuges putatitios esse in bona fide, præstat in ea relinquere pœnitentem, quam gravibus incommodis, & animæ periculis objicere. Ratio est: siquidem ex una parte non sequitur inde nullitas alicujus Sacramenti, cum hic non agatur de Sacramento conficiendo, sed de licito usu jam confecti licet invalide: nec infertur nocumentum bono publico; cum enim Matrimonii nullitas sit occulta non solum putatitiis conjugibus, sed etiam aliis (ut supponitur) nullum inde scandalum generatur in populo. Ex altera vero parte cesset finis correctionis; cum hæc non solum inutilis, & nihil profutura, verum etiam nociva, & obfutura prævideatur, utpote præbitura ansam peccatis formalibus, & aliis incommodis; ergo tantum abest, ut Confessarius pœnitentis errorem detegere teneatur, quin potius possit, ac debeat eundem prudenter dissimulare, ac tacere. In hoc proinde casu valet communis illa regula: *inter duo mala minus est eligendum*: utpote quæ tunc procedit, quando utrunque non potest declinari, & alterutrum moraliter eligi debet; prout evenit in proposito. Nam Confessarius vel debet transgredi, seu non observare obligationem, quam habet ex officio, tollendi errorem, quo pœnitentem laborare animadvertit; vel ansam præbere, & occasionem peccatis formalibus, errore sublato, committendis, aliisque incommodis inde secuturis. Inter quæ haud dubie prius malum est minus, imo verius non est malum in istis circumstantiis, utpote in quibus, ut dictum, cessat finis correctionis, & consequenter etiam obligatio corrigendi; ergo prius eligendum præ posteriori. Ita in resolutione alicujus Casus ratiocinati sumus *par.* 1. *n.* 60. & placuit hic, ceu in loco, & sede propria, repetere tam rationem, quam terminos.

Respondetur secundo. Si Confessarius ex monitione sua, & apertione impedimenti non timet sequelam hujusmodi malorum, monere pœnitentem tenetur de impedimento, & nullitate Matrimonii, tametsi ambo conjuges putatitii existant in bona fide. Idem esto judicium, quando memoratorum malorum sequela alio modo impediri potest. Ratio est opposita: quia tunc cessat fundamentum, quo Confessarius excusetur ab observatione obligationis, sibi ex officio incumbentis, vi cujus tenetur pœnitentem, conscientia erronea, etsi invincibili, laborantem, corrigere, & instruere per se loquendo, ut peccata, etiam materialia, evitare possit: prout annotavimus *par.* 1. *num.* 53. *respons.* 4. Porro modum prædicta mala avertendi, eorumque sequelam impediendi suggerit Pater Reiffenstuel *in Append. ad Lib.* 4. *Decret. n.* 603. ubi suadet, ut ipse Confessarius (debite tamen observato

Sigillo

Sigillo Confessionis) conjuges putatitios, productis in medium commodis Matrimonii legitime contracti, & frequentibus periculis, ne illegitime contractum sit, pro commoditate temporis, & circumstantiarum, inducat ad renovandum consensum per verba de præsenti, in hunc modum prolata veluti illative: *unde si Matrimonium inter vos non consisteret validum, utique illud per novum consensum revalidaretis*, & (quod necessario addendum) *alla ita revalidatis*. Tali quippe consensu (post sublatum dispensative impedimentum) sic præstito, Matrimonium est convalidatum, & tota res salva. Vide Authorem *cit*.

Sed quid si pœnitens de valore sui Matrimonii dubitans, interroget desuper Confessarium, teneturne iste dubitanti, & interroganti veritatem aperte edicere, Matrimonium videlicet esse nullum, supposito, quod nullitatem perspiciat?

Respondetur, hoc dubium distincte resolutum extare *par. 5. n. 736*. Revide ibi dicta, ne eadem hic repetere debeam.

699. Quæres tertio, an, si Matrimonium fuerit nulliter contractum in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho, & Testibus, ac conjuges illud de novo contrahere, ac restaurare velint, necesse sit, ut id faciant coram Parocho, & Testibus?

Respondetur, quod non sit necesse, si (1) existat ita occultum, ut in foro externo sufficienter probari non possit; secus (2) si probari possit. Secunda pars est communissima. Primam tenent Navarrus *in Manual. cap. 22. n. 70.* Sanchez *lib. 2. disp. 37. nu. 3.* Henriquez *de Matrim. disp. 5. qu. 3. n. 30.* Sporer *Theol. Sacram. par. 4. n. 464.* & alii hodie plerique omnes contra Basilium Pontium, Barbosam, & quosdam alios: atque ita declaratum esse a S. Pio V. eaque declaratione uti consuesse S. Pœnitentiariæ Prætorium, testatur Navarrus ubi supra. Ratio insuper primæ partis est, & sic proponitur. Decretum Tridentini, volentis, ut Matrimonia contrahantur coram Parocho, & Testibus, non comprehendit casum, quo Matrimonium jam semel publice contractum fuit, licet ob defectum consensus, vel aliud impedimentum omnino occultum, tunc non substiterit; ergo illius revalidatio fieri potest absque nova præsentia Parochi, & Testium. Cons. fluit. Ant. ostenditur. Quando ratio finalis, & primaria, qua Tridentinum fuit permotum ad immediate factam dispositionem faciendam, se non extendit ad illum casum, Decretum Tridentini eundem non comprehendit: atqui ratio finalis, & primaria, qua Tridentinum fuit permotum ad antefactam dispositionem faciendam, se non extendit ad illum casum; ergo Decretum Tridentini eundem non comprehendit. Min. prob. & declaratur: quia ratio finalis, & primaria Tridentini, Parochum, & Testes requirentis, fuit, ne alioquin Matrimonia absque illis valide contracta negarentur, & inirentur alia: sed ista ratio in præsenti casu cessat; nemo quippe negare præsumet, aut poterit Matrimonium in facie Ecclesiæ semel valide contractum; cum tunc contractum esse convinci possit ex libro Parochi, in quem juxta Tridentinum referenda sunt nomina eorum, qui coram ipso, seu Parocho, & Testibus contraxere; ergo &c. Quare sufficit in hoc tali casu, si putatitii conjuges, sublato impedimento, occulte renovent mutuum consensum sive verbis, sive affectu conjugali copulam exercendo, sive aliquo alio signo erga se invicem illum exprimendo. Ratio secundæ partis est: siquidem in hoc posteriore casu non satis constat Ecclesiæ de Matrimonio rite, & valide contracto, cum impedimentum dirimens, & Matrimonio obstans adfuisse, in foro externo probari possit; ut proinde Testes adhiberi cum efficacia testari de valore Matrimonii initi non valeant: & consequenter periculum sit, ne conjuges putatitii cum aliis personis Matrimonia ineant; ergo nondum in illo casu censetur satisfactum intentioni, & fini, per Decretum Concilii Tridentini supra intento; ergo, ut Matrimonium, remoto impedimento, legitime restauretur, adhuc satisfaciendum est per novam adhibitionem Parochi, & Testium. Confirmatur utraque pars responsionis; nam S. Pœnitentiaria Romana, quæ mandat dispensari in impedimento occulto, expresse ordinare, & addere solet, ut conjuges putatitii de novo contrahant *secrete* ad evitanda scandala; Dataria vero, quæ dispensationem concedit in impedimento publico, expresse præcipit, ut de novo contrahant in facie Ecclesiæ juxta normam Concilii Tridentini; ergo &c.

Dices contra primam partem primo. Præsentia Parochi, & Testium est forma, sive solemnitas substantialis Matrimonii; ergo debet adhiberi, quando substantia, & valor Matrimonii ponitur: consequenter &c.

Respondetur, dist. ant. Ordinarie, & in casibus, Decreto Tridentini comprehensis, con. semper, sive etiam in casibus, Decreto Tridentini non comprehensis, neg. ant. Decretum Tridentini non comprehendit nostrum hunc casum; prout relinquitur ex dictis. Unde neg. cons.

Dices secundo. Parochus, & Testes debent testari de Matrimonio legitime contracto: sed id in casu non possunt vi prioris assistentiæ; ergo requiritur nova.

Respondetur, dist. maj. Debent testari de Matrimonio legitime contracto quoad ea, quæ exterius apparuerunt, con. etiam quoad alia, quæ non apparuerunt, aut apparent, neg. maj. & distinctione applicata minori, cons. Testes non deponunt de rei veritate in se, quatenus dependet a circumstantiis occultis, sed re, prout per signa externa apparuit, aut apparet. Atque hoc posterius Parochus, & Testes imprævsentiarum præstare queunt vi primæ assistentiæ; per quam proinde sufficienter obtentus fuit finis a Tridentino intentus: consequenter &c.

Dices tertio. Si prius Matrimonium nunquam fuisset celebratum coram Parocho, & Testibus, deberet postea adhuc coram iis celebrari; ergo etiam quando coram iisdem fuit celebratum invalide; nam Matrimonium invalide fuisse celebratum, & omnino non fuisse celebratum, videntur in idem recidere.

Respondetur, concesso antecedente, neg. cons. & parit. Ad rationem vero paritatis ostensivam ajo, quod licet prædicta duo a parte rei, sive relate ad forum mere internum coincidant eatenus, quatenus valor Matrimonii nec in uno, nec in altero casu subsistit; non tamen coincidunt etiam relate ad forum externum, & finem Decreto Tridentini intentum. Si enim Matrimonium in facie Ecclesiæ nunquam fit celebratum, ne quidem apparenter validum est, & idcirco fini a Synodo Tridentina intento nullatenus satisfactum: si vero in facie Ecclesiæ semel celebratum fit, apparenter validum est; quod sufficit, ut fini, per altefatam Synodum intento, dicatur satisfactum, quemadmodum constat ex dictis.

Dices quarto. Lex non cessat, quando solum in particulari casu cessat ratio Legis: quia est lata propter bonum commune; ergo etiamsi in præsenti casu, quo Matrimonium jam aliquando est contractum in facie Ecclesiæ, cesset ratio Legis Tridentinæ de adhibendo Parocho, & Testibus, isti nihilominus adhibendi sunt in illius restaurationc.

Respondetur, dist. ant. Lex non cessat, quando in casu particulari cessat ratio legis, si lex, & ratio, ac finis legis se ab initio extenderit ad talem casum, con. si ad eum se non extenderit, neg. ant. & cons. ac suppositum, quod Lex Tridentini aliquando extiterit pro præsenti casu, eumque comprehenderit; contrarium quippe ostensum manet ex dictis supra.

Dices quinto. Clemens VIII. dispensavit, ut ejusmodi Matrimonium sine præsentia Parochi, & Testium renovari posset; ergo signum est, seclusa dispensatione, iteratam Parochi, ac Testium præsentiam fore necessariam.

Respondetur, altefatum Pontificem dispensasse, ut Matrimonium renovari clam posset, quia impedimentum, ob quod invalide contractum erat, occultum quidem, sed probationi obnoxium fuit; quo casu etiam nos admittimus, de se, & nisi dispensetur, novam Parochi, ac Testium præsentiam ad restaurandum Matrimonium requiri, ut constat ex *respons. ad Quæsit.* Dici præterea potest, dispensationem illam factam esse ad majorem securitatem, & tranquillitatem conscientiæ: quod novum non est; quia sæpe conceduntur ejusmodi dispensationes, privilegia, & facultates ob dictum finem, & ad omnem dubitationem tollendam. Ita Sanct-Gallenses hic *pag. 718.* & Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 3. n. 122.*

CAPUT III.

Proponuntur, & resolvuntur Casus ad hanc Disputationem pertinentes.

SUMMARIUM.

700 Gerimundus, unus de classe Tertiariorum Ordinis S. P. N. Francisci in Seculo viventium, licet in sua Professione emiserit votum Castitatis perpetuæ, validè tamen contraxit Matrimonium: usque etiam licite contraheret, dispensare potuisset Papa, isque solus, per se loquendo: at, Matrimonio contra votum non relaxatum contracto, ad petendum debitum dispensare etiam potuit Episcopus, vel Religiosus Mendicans. 701. Gerontius Subdiaconus ob causas, in Specie Facti allegatas, dispensationem super impedimento Ordinis ad Matrimonium ineundum petere tenetur, & Papa illam concedere. 702 Gilbertus, dum Matrimonialem amplecti statum cogitat, & idcirco ad impetrandam dispensationem super impedimento, ex Ordine Subdiaconatus, quo insignitus est, orto, allegat periculum incontinentiæ, non affert causam sufficientem ad dispensandum, nisi aliæ insuper circumstantiæ concurrant. 703. Gelasius, & Gelasia, illustres Personæ, Nuptias post quatuor hebdomades celebratura, quoniam advertunt inter se impedimentum dirimens intercedere, illico Cursorem mittunt Romam pro dispensatione procuranda; & quia is inde rescribit, dispensationem intra triduum certo expediendam fore, rectè post elapsum tale triduum celebrant Nuptias, etiamsi Literæ Papales dispensationis nondum advenerint, modo dispensatio ante Nuptiarum celebrationem reipsa fuerit data, & acceptata a Procuratore.

CASUS I.

700. *Gerimundus, Juvenis admodum devotus, cum audisset Franciscanum e suggestu energice perorantem de privilegiis, ac prærogativis, quibus gaudet tertius Ordo Seraphici P. N. S. Francisci, etiam ut complectitur personas in Seculo degentes, statuit & ipse eundem Ordinem amplecti. Unde accessit P. Præsidem Tertiariorum, in vicino PP. Franciscanorum Conventu commorantem, & pro susceptione ad antedictum Ordinem supplicavit perquam demisse, impetratoque susceptionis verbo, more, & ritu consueto investitus, annum Novitiatus fervidè inchoavit, atque complevit, dignus proinde judicatus, ut ad Sanctam quoque Professionem emittendam admitteretur: quod & factum. Unde præstiturus est ipsi dies, isque festivus, quo post solemne Sacrum publice in templo Franciscanorum ad præsentis populi ædificationem profiteretur: quod etiam exécutus est tanto animi ardore, & zelo, ut communi formula profitendi, qua alii id genus Tertiarii, in Seculo viventes, uti solent, non contentus, in ipso Professionis actu superadderet isthæc verba:* Voveo insuper, ac promitto Deo omnipotenti, & tibi Pater &c. servare perpetuam Castitatem. *Verum enim vero vix integer effluxit annus, & Gerimundus a suo primo fervore defecit, regulares observantias, saltem plerasque, neglexit, & tandem in gravia peccata, carnis præsertim, devolutus est, ipso facto comprobans illum Poetæ versiculum.* Principium fervet; medium tepet; ultima frigent. *Gerimundus miserum hunc statum suum cernens, & deplorans, ut saltem adversus vitia carnis arriperet remedium, init Matrimonium cum Gerimunda. Quæritur jam 1. An votum Castitatis, quod Gerimundus in sua Professione edidit, sit reputandum pro solemni, vel simplici tantum; & consequenter an contractum postea Matrimonium valeat, nec ne? 2. Quis potuisset cum ipso dispensare ad contrahendum licite Matrimonium; & 3. Quis, Matrimonio contra votum non relaxatum contracto, ad petendum debitum conjugale?*

RESpondetur primo ad primum membrum Casus, Votum Gerimundi non fuit solemne, sed simplex tantum; adeoque ipsius Matrimonium cum Gerimunda initum non diremit, aut invalidum reddidit, esto reddiderit illicitum. Ita P. La Croix *lib. 6. par. 3. n. 461.* P. Elbel *de Matrim. num. 77.* & alii communiter. Ratio est: quia votum solemne dicitur, quod ab Ecclesia loco Dei specialiter acceptatur, ita, ut ex dispositione Juris voventem reddat incapacem ad actus voto repugnantes; prout relinquitur ex dictis *par. 2. num. 415.* atqui votum Gerimundi non fuit tale, ergo &c. Min. prob. Siquidem nec Ecclesia, nec Seraphicus Ordo, aut is, qui authoritate Ordinis acceptat Professionem alicujus Tertiarii, in Sæculo, seu non claustraliter viventis, aliter illam acceptat, quam sub modo, & formula, ab Ecclesia, vel Ordine præscriptis: atqui modus, & formula Professionis emittendæ ab aliquo Tertiario, non claustraliter vivente, ex Ecclesiæ, vel Ordinis præscripto haud complectitur votum Castitatis (prout perlegenti palam erit) ergo illius modi Professio non acceptatur complexive cum voto Castitatis. Quare votum Castitatis, a Gerimundo emissum, sortitur rationem voti privati, & simplicis, Matrimonium impedientis solum; non vero publici, & solemnis, Matrimonium etiam dirimentis, Videri potest *cap. unic. de Voto in 6.*

Nec obstat, quod Gerimundus suum Castitatis votum ediderit publice in templo coram Persona publica, qualis censetur Tertiariorum Præses.

Non, inquam, hoc obstat; nam licet votum, sic editum, possit appellari publicum in latiori sensu, quatenus nempe aliis innotuit; haud tamen vocari potest publicum in strictiori sensu, quo coincidit, & promiscue sumitur cum voto solemni, Matrimonii contrahendi diremptivo; præsertim cum ut sic a nemine fuerit nomine Dei legitime, & specialiter acceptatum; uti relinquitur ex dicta in ratione probativa. Porro Tertiariorum Præses haud aliter, tanquam persona publica, acceptat, nec acceptare potest Professionem consimilis Tertiarii, ac sub formula, per Ecclesiam, aut Ordinem præscripta; ut sic autem non continet votum Castitatis, secundum proxime dicta: consequenter &c.

Respondetur secundo ad secundum membrum Casus, Dispensare cum Gerimundo in ordine ad Matrimonium licite contrahendum potuisset solus Papa, per se loquendo. Ita DD. communiter. Ratio est; quia Gerimundus, juxta Speciem Facti, edidit votum integræ, & perpetuæ Castitatis servandæ, undequaque perfectum, quale votum specialiter reservatum est Papæ, adeo, ut Episcopus nihil juris, aut potestatis in illud obtineat, per se loquendo, ex dictis *n. 658. & par. 2. num. 415. ad fin.* iterumque *num. 452.* consequenter &c.

Dixi autem: *per se loquendo*. Nam per accidens dispensare cum Gerimundo Episcopus (non vero Religiosus Mendicans) potuisset, casu quo fuisset difficilis recursus ad Papam, & adfuisset gravis causa, urgens dispensationem, ex dictis supra *cit. n. 658.* de quo tamen in Specie Facti nec minima mentio inserta est.

Respondetur tertio ad tertium membrum Casus, Matrimonio contracto, dispensare cum Gerimundo in ordine ad petendum debitum conjugale potuit quoque Episcopus potestate ordinaria, saltem per consuetudinem acquisita; uti & Religiosi Mendicantes, ad id a suis Provincialibus deputati, potestate per Privilegium obtenta. Quod totum patet ex dictis superius *n. 482. in respons. 2.*

CASUS II.

701. *Gerontius, perillustris Familiæ, ac jam Subdiaconus, Fratrem, quem habet unicum, inopina morte amittit; & nisi ipse per Matrimonium conservet Familiam, fiet 1. Ut diversa bona prænobilia una cum Subditis devolvantur ad Principem acatholicum, ex qua devolutione prævidetur ruina, saltem spiritualis, plurimorum subditorum. 2. Ut ad eundemmet Principem pariter devolvatur dispositio de pluribus Beneficiis Ecclesiasticis quæ extinguentur, vel non bene administrabuntur. 3. Ut bona prænobilia, quæ Familia Gerontii expectat sibi obventura ab Agnatis acatholicis, apud istos remaneant, adeoque spes omnis multorum hominum animas ad veram Fidem suo tempore adducendi penitus evanescat. Quæritur, an ob allatas causas Gerontio incumbat obligatio petendi, & Papæ concedendi dispensationem?*

RESpondetur affirmative. Ita Baldellus *tom. 2. lib. 2. disp. 18. n. 15.* Palao *tr. 6. disp. 1. pun. 9. n. 10.* La Croix *lib. 6. par. 3. n. 905.* & apud istum adhuc

alii

alii plures. Ratio est: quia, ubi versatur utilitas publica magna, urgensque necessitas spiritualis, tenetur quilibet, etiam privatus, subvenire, si efficaciter possit: sed in Casu versatur utilitas publica Religionis Catholicæ, urgensque necessitas spiritualis, quatenus alioquin multæ animæ exponendæ essent manifesto periculo æternum pereundi, & potest efficaciter subveniri per petitionem, & concessionem dispensationis; ergo Gerontio incumbit obligatio eam petendi, & Papæ eandem concedendi. Confirmatur. Pater omittere, vel differre tenetur ingressum Religionis, ut bene educet proles, & filius deserere Religionem, ut succurrat parentibus, etiam in necessitate corporali; ergo etiam Gerontius tenetur in Casu relinquere Clericatum, & transire ad Matrimonium, cum necessitas sit communis, & quidem spiritualis animarum: atqui Gerontium id præstare nequit, nisi a Papa petat, & iste concedat dispensationem super impedimento dirimente Matrimonii, quale inducit Ordo Subdiaconatus; ergo &c.

Dices. Si Papa cum Gerontio in Casu dispensaret, oriretur inde scandalum; ergo non potest esse obligatio dispensationem concedendi, & per consequens neque petendi.

Respondetur, neg. ant. Siquidem oriretur potius scandalum ex denegatione dispensationis, quatenus Papa, potestate a Deo accepta prædittus relaxat ad solvenda vota, ubi exigit animarum salus, pluris faceret observationem unius voti in persona particulari, quam æternam salutem in tot animabus suæ curæ, & providentiæ commissis.

C A S U S III.

702. Gilbertus, Studiosus perspicaci ingenio præditus, postquam insignes fecerat progressus in Literis humanioribus, ad Studia severiora capessenda incumbit, absolutaque per biennium Philosophia, cogitat Jurisprudentiæ, præsertim Civili, se accingere, animo persistendi in statu Laicali, & in uxorem acquirendi certam quandam puellam, alicujus Officialis aulici filiam, quam per decursum Studii Philosophici immodico amoris æstu deperierat. Verum enim vero Parentes, de hac sui filii intentione tempestive condocefacti, remis, velisque nituntur contra, & Gilberto persuadere conantur, ut, mutato proposito, animum adjiciat ad Studia sacratiora, & Statum Clericalem amplectendum. Quibus & obsequitur Gilbertus, suamque operam Theologiæ Scholasticæ juxta, ac Morali consecrat; atque in ea per annum versatus, Ordinibus Minoribus, & post servata Interstitia, etiam Ordine Subdiaconatus initiatur. Sed quoniam ad Sacrum huncce Statum evectus, Cupidinis faces, quas jam antea in se ardere senserat, non modo non extingui, sed magis accendi experitur, sibimet occinit illud Poetæ: Pœnitet, & facto torqueor ipse meo. *Unde tantum abest, ut ad reliquos Ordines, Diaconatus scilicet, ac Presbyteratus, ascendere cogitet, ut potius aspiret ad Matrimonium, cum memorata puella ineundum, sic, & non aliter incontinentiæ peccata, peccatorumve pericula sibi evadenda ratus. Accedit proinde Confessarium, rogitans, ut ad effectum Matrimonii contrahendi impetrare a S. Pœnitentiaria dispensationem velit, allegato periculo incontinentiæ. Quæritur, an hujusmodi periculum sit causa sufficiens ad dispensandum cum Gilberto super impedimento Matrimonii dirimente, ex susceptione Subdiaconatus orto?*

Respondetur negative, per se loquendo, & nisi aliæ circumstantiæ concurrant. La Croix *lib. 6. par. 3. n. 906. & n. 907.* magisque categorice Pichler *in Jure Canonico practice explicato decis. 76.* Ratio est: quia nullum potest assignari exemplum dispensationis, super impedimento Matrimonii dirimente, orto ex susceptione Sacri Ordinis, factæ ob incontinentiæ periculum præcise spectatum, & allegatum, seu non concurrentibus præterea aliis circumstantiis vestitum: idque merito; siquidem ex hujusmodi dispensationibus, sub prætextu difficultatis in servanda continentia petitis, & concessis, maxima scandala, & damna resultarent, ac redundarent in Rempublicam Christianam, quatenus passim a laxioris vitæ Ordinatis, antidota spiritualia adversus vitia carnis adhibere nolentibus, peterentur dispensationes prætenso periculo incontinentiæ, eoque pacto frænum laxaretur impudicitiæ; & Status Ecclesiasticus, de quo tam facilis esset transitus ad Laicalem, & Matrimonialem, gravissimum pateretur præjudicium.

Dixi aut in respons. *per se loquendo, & nisi aliæ circumstantiæ concurrant*, v. gr. ut evitentur publica scandala alioquin probabiliter secutura; & ut consulatur saluti ejusmodi animæ, alioquin fors contempturæ, si in profundum venerit, vel tandem in desperationem; hinc ad prudens arbitrium Superioris pertinet considerare circumstantias, an istæ, cum incontinentiæ periculo conjunctæ, sufficientem dispensandi causam constituant, nec ne? La Croix ubi supra *numer. 907.*

Dices. Periculum incontinentiæ, etiam præcisis aliis circumstantiis, est causa sufficiens ad dispensandum in voto Castitatis etiam perpetuæ; prout insinuavimus supra *n. 659.* ergo &c.

Respondetur, explicando, & dist. ant. In voto Castitatis simplici, inducente impedimentum Matrimonii impediens tantum (quod solum in *cit. num.* asseruimus) con. In voto Castitatis solemni, quali sese obstringere solent Subdiaconi in sui Ordinatione, & Religiosi in suæ Religionis Professione, neg. ant. & cons. Ratio discriminis est: quia per votum solemne Castitatis, Sacris Ordinibus annexum, constituitur vovens in certo, & sublimiori Statu Ecclesiæ, ad Dei gloriam, hominumque salutem, & ad utilissimas toti Ecclesiæ functiones specialiter ordinato; cui proinde ex dispositione Ecclesiæ specialis vis, Matrimonii contrahendi etiam diremptiva, & specialis, atque major insolubilitas inest, quam insit voto Castitatis insolemni, seu simplici, utpote quod non respicit bonum commune totius Ecclesiæ, sed privatum voventis, neque hunc incapacem reddit ad valide contrahendum Matrimonium, esto efficiat inhabilem ad illud licite contrahendum. Unde licet periculum incontinentiæ, etiam secundum se spectatum, possit esse causa sufficiens ad dispensandum super voto insolemni, quippe facilius solubili, non tamen illico comprobatur ut sic etiam esse causa sufficiens ad dispensandum super voto solemni, utpote difficilius solubili; ad cujus proinde solutionem, seu dispensationem requiruntur speciales, & ponderosiores causæ, quales retulimus supra *num. 667.*

C A S U S IV.

703. Gelasius, & Gelasia, illustres Personæ, Sponsalia contraxere, ipsasque una Nuptias indixere celebrandas post quatuor hebdomades. Sed quoniam, postero statim die a Sponsalibus contractis, deprehendunt, se impedimento dirimente, quantumvis occulto, ligari, & Nuptias ultra præfixum tempus differri haud posse absque gravibus incommodis, multum anguntur: in qua proinde mentis anxietate recurrunt ad Confessarium, sciscitantes ab eo, quid facto opus sit? Confessarius, existimans, Episcopum in tali quoque rerum articulo dispensare non posse super impedimento dirimente (contra id, quod tradidimus supra *num. 685.*) *suadet, imo necessarium esse asserit, ut dispensatio petatur, & obtineatur a S. Pontifice. Quo intellecto, illustres Sponsi licet Cursorem expediunt, & mittunt Romam, quo is delatus mox rescripsit, intra triduum haud dubie dispensationem a Papa impetrandam. Sic informati, præfixo tempore ad celebrandas Nuptias procedunt, antequam Literas Papales, dispensationem continentes, recipiant. Quæritur, an Nuptias, validè saltem, celebrare potuerint?*

Respondetur affirmative, supposito, quod dispensatio ante earum celebrationem expedita fuerit, & Cursori, seu Procuratori intimata. Sanchez *lib. 3. disp. 36. num. 6.* Burghaber *cent. 3. cas. 38.* & cum pluribus aliis a se relatis La Croix *lib. 6. par. 3. num. 987.* Ratio est: quia omnes gratiæ, & privilegia statim robur suum obtinent, cum datus est consensus petenti per Procuratorem, licet postulans Principalis dationem consensus ignoret; siquidem Procurator loco Principalis (adeoque, moraliter loquendo, ipse quoque Principalis) consensum dispensantis, ipsamque adeo dispensationem accepiat; ergo Nuptiæ in Casu

potuerunt celebrari, saltem valide: imo & licite; cum ex una parte urgeret necessitas celebrandi (juxta Speciem Facti) & ex altera fuerit moraliter certum, dispensationem a Papa jam esse datam: uti notant Burghaber, & La Croix *cit.*

Dices primo. Cajus v. gr. petens Roma dispensationem, nec dubius de ea intra viginti dies impetranda, & post hos Matrimonium contrahens, contrahit invalide; prout ipsimet nostræ responsionis Patroni, ut Sanchez *lib. 8. disp. 26. num. 5.* Burghaber *cent. 3. cas. 89.* & La Croix ubi supra *num. 988.* admittunt; ergo etiam in nostro Casu Gelasius, & Gelasia Nuptias invalide celebrasse dicendi sunt.

Respondetur, concesso antecedente, neg. conf. & parit. Ratio disparitatis est: quia dispensatio, cùm sit exemptio a lege adhuc vigente, & obligante, habeatque imbibitam conditionem, *si dispensando ita placeat*, debet, ut suum operetur effectum, esse nota dispensando, vel saltem ejus Procuratori, & ab alterutro acceptata: quod non fit in Casu objecto; bene autem in Casu nostro: consequenter &c.

Dices secundo. Sempronius, Titiæ consanguineus petens dispensationem ad Matrimonium contrahendum, sed, priusquam dispensatio a delegato Confessario expediretur, attamen postquam *Breve* delegationis ad dispensandam datum erat Romæ, ob causam, quam credit urgentissimam, contrahens, contrahit invalide, & Confessarius postea accipiens *Breve* nequit procedere ad ejus executionem; ergo a pari &c.

Respondetur cum P. La Croix ubi supra *num. 989.* concesso itidem antecedente (quidquid nonnulli contra sentiant) neg. conf. & parit. Disparitas est: quia licet commissio, sive delegatio ad dispensandum Romæ data præcesserit Matrimonium Sempronii, ipsa tamen dispensatio non præcessit; contrahens autem ante dispensationem scienter intra gradum prohibitum, juxta Trid. *Sess. 24. cap. 4. de Reform. Matr.* agit invalide, & amittit omnem spem dispensationis, eo quod, teste expressa *Declaratione S. Congreg. ad cit. cap. Tridentini num. 2.* Praxis Curiæ Romanæ habeat, apud dispensantem modo exprimendum esse, si Matrimonium fuerit contractum, vel consummatum; cum igitur Sempronius in Supplica meminerit Matrimonii contrahendi, & conformiter Supplicæ dispensatio a Confessario sit expedienda, hic ad executionem procedere nequit, quando reperit Sempronium jam actu contraxisse, utpote casu in dispensatione sibi commissa mutato. Videsis Authorem *cit.* Secus est in nostro Casu, utpote in quo dispensatio ad contrahendum immediate, & actu ab ipsomet Tribunali Romano (citra delegationem Executoris, seu executive Dispensantis) data supponitur, & per Procuratorem, ante Matrimonii contractionem acceptata.

Et hic esto finis Tractatus de Matrimonio, ac universæ Theologiæ meæ Moralis, tam Extra-Sacramentalis, quam Sacramentalis. Summas proinde Deo ter Optimo Maximo gratias devotissima mente persolvo, quod mihi vitam, & vires misericordissime prorogare dignatus sit, donec operosum hunc Partum totum eniterer: inque majorem Illius gloriam omnia, ac singula, quæ scripsi, relata cupio ardentissime; sicut & plenissime subjecta Apostolicæ Sedi, utpote quam, ceu Magistram veritatis, semper adoravi, adoro, & adorabo. Ita me adjuvet Deus! *Amen.*

FINIS VI. PARTIS.

PARS

PARS SEPTIMA,

SEU

INDEX GENERALIS,

Et veluti SYNOPSIS Omnium Rerum, ac Casuum in toto Opere contentorum.

interno, sive proposito furandi: non autem sufficit, si solum exprimat actum internum, reticendo externum. *num.* 626. Quotupliciter accipi, & considerari possit actus indifferens? *num.* 627. & 628. Datur actus indifferens secundum speciem; imo etiam in individuo. *n.* 629. & 630. Enervantur argumenta contraria. *n.* 631. & *seqq.* Gebhardus, qui ob studium die festo omisit Missam, satisfacit in Confessione, dicendo, se die festo omisisse Missam. *num.* 645. Geminianus satis se explicat in Confessione, dum dicit, se inflixisse lethale vulnus Gerontio, etiamsi non addat, quod iste postea ex eo vulnere obierit. *n.* 646. Gilbertus confitendo omissiones precum Confraternitatis, & ad pulsum Angelicæ salutationis &c. itemque mendacium inadvertenter dictum, non affert materiam sufficientem pro absolutione Sacramentali. *num.* 647.

Adjuratio.

Adjuratio est *actio, per quam persona quæpiam inducitur ad aliquid faciendum, aut omittendum, invocatione alicujus rei sacræ. part.* 2. *num.* 497. Solvitur objectio. *ibid. num.* 498. Differentia Adjurationis a Juramento, & Oratione. *num.* 499. Alia est Adjuratio *imperativa*, alia *deprecativa. num.* 500. Adjuratus nullam contrahit obligationem præstandi id, quod ab eo petitur. *n.* 501. Adjuratio, ut sit licita, easdem proportionaliter conditiones requirit, quas Juramentum. *num.* 502. Quinam habeant potestatem adjurandi dæmonem? *num.* 503. Qualiter dæmon sit adjurandus? *num.* 504. Utrum dæmonis desiderio, si ex obsesso egressurus aliquid petat, liceat satisfacere? *num.* 505. Potest dæmon ab Exorcista adigi ad dandum signum sui egressus ex obsesso, non vero amandari in infernum, vel locum desertum. *num.* 506. & 507. Quare dæmon non semper expellatur? *num.* 508. Nicolaus Sacerdos, dæmonem in persona obsessa adjuraturus, instruitur, qualiter se gerere debeat respective, ac possit ante, in, & post actum Adjurationis, *n.* 520.
Adoptatia. Vid. *Impedimenta Matrimonii*,

Adoratio,

Adoratio (religiosa scilicet, & sacra) est *subjectio erga alterum ob recognitionem alicujus excellentiæ supernaturalis in ipso. part.* 2. *num.* 276. Ejus differentia ab adoratione *politica*: item ab *honore*. *ibid.* Dividitur in *Latriam*, *Hyperduliam*, & *Duliam*. Ex quibus quælibet potest esse vel *absoluta*, vel *respectiva*. *num.* 277. Christus ut Deus adorandus est cultu Latriæ absoluto; quemadmodum & Christus ut homo unitus cum Verbo; at præcisive a Verbo cultu Hyperduliæ tantum. *num.* 278. B. Virgo adoranda est cultu absoluto Hyperduliæ; non autem Latriæ. *num.* 279. Solvuntur opposita. *numer.* 280. Esto B. Virgo ratione Maternitatis posset per se loquendo adorari cultu Latriæ respectivo; per accidens tamen tali cultu supersedendum est. *numer.* 281. Alii Sancti possunt adorari cultu Duliæ absoluto. *num.* 282. Argumenta contraria diluuntur. *num.* 283. Ut autem hujusmodi cultus iis publice exhiberi queat, debent esse ab Ecclesia canonizati, vel beatificati. *num.* 284. Christi, B. Virginis, & Sanctorum Imagines adorandæ sunt cultu respectivo ad sua Prototypa: uti & Eorundem Reliquiæ. *num.* 285. & 286. Quænam veniant nomine Reliquarum Christi, & Sanctorum? *num.* 287. Fit aliquorum exceptio. *num.* 288. Differentia in adorando veram Christi Crucem, & alias ad illius similitudinem efformatas. *num.* 289. Qualiter adorari possint Præputium, & Sanguis Christi in terra relictus? *num.* 290. Mamertius Sacratissima Nomina JESU, & MARIÆ, aliorumque Sanctorum reverendo laudabilissime facit. *num.* 385. Maximilianus Parochus Crucem variis reliquiis, etiam non approbatis, ornatam licite exponit ad publicam venerationem; non item reliquias approbatas, non approbatis permixtas. Idem Maximilianus ceris albis, seu Agnis Dei a Pontifice benedictis cultum Latriæ respectivum impendere potest: licita insuper est eorum contrectatio non modo Maximiliano, seu Sacerdoti, sed etiam aliis, v. g. Diaconis, Subdiaconis, Minoristis, imo & Laicis, maxime si justam contrectandi causam habeant. *num.* 386.

Adulterium. Adulter. Adultera.

Adulterium est *alieni tori violatio: sive est peccatum luxuriæ, quo fides conjugalis violatur:* estque peccatum mortale duplex, vel etiam triplex. *part.* 2. *num.* 655. A quo alenda sit proles, ex adulterio prognata? *ibid. n.* 658. An parentes, qui prolem ex adulterio (sive ex alio illicito congressu) prognatam, criminis celandi causa orphanotrophio alendam exponunt, teneantur refundere expensas, ab orphanotrophio in prolis alimentatione factas? *num.* 660. Vid. *Uxor*. Item *Liberi*. Recensentur pœnæ adulterorum, quæ adhuc hodie in usu sunt. *num.* 719. Etiamsi conjux ex consensu sui conjugis peccet cum tertio, adhuc committit adulterium. *part.* 4. *num.* 329. De reliquis, adulterium concernentibus, Vid. *Divortium*. Item *Impedimenta Matrimonii*, de impedimento Criminis ibidem.

Advocatio.

Advocatus (vel *Causidicus*) describitur *patronus causæ, Parti litiganti in Judicio assistens. part.* 3. *num.* 693. Tenetur clientibus, pro suæ causæ defensione ad ipsum recurrentibus, opportunum consilium, & auxilium præbere, eorum causas discutere, &, si justas cognoverit, earum merita, id est, omnia, quæ ad illas sive *de Jure*, sive *de Facto* conferunt, diligenter conquisita, & ordinate digesta, in Judicio proponere, easdemque contra Adversarios legitimæ defensionis viribus tueri. *ibidem*. Contra tenetur idem Advocatus abstinere a fallaciis, & falsis allegationibus; a studiosa litis protractione; a conviciis, & sarcasmis; a collusione cum Parte adversa, ei revelando arcana causæ sibi concreditæ, aut iis cognitis ad Partem adversam transeundo; a pacto de *quota* litis solvenda, aut de *palmario*, seu de aliquo extraordinario ultra salarium, in eventum victoriæ, dum lis adhuc durat, vel priusquam inchoetur; a defensione causæ certo injustæ &c. *ibid.* In omnibus his casibus, si Advocatus Clienti, vel Adversario, vel utrique injuste nocuerit, tenetur ad restitutionem. *ibid.* An, & quando causam etiam minus probabilem suscipere, & propugnare possit? *part.* 1. *num.* 173. An Religiosi, & Clerici possint Advocatos agere? *part.* 3. *num.* 694.

Ægyptii,

Qui Ægyptios, aut Zingaros, ut vocant, de fortuna sua, aut aliorum consulunt, peccant mortaliter, si illorum dictis firmam fidem adhibeant; si vero id faciant solum curiositatis gratia, & quin fidem saltem firmam adhibeant, communius ab Authoribus solent venialis duntaxat peccati, non autem mortalis, condemnari. *part.* 2. *num.* 598. Nihilominus, etiam hoc posteriore modo consulentes, mortaliter peccant per se loquendo, non quidem peccato proprio superstitionis ob defectum firmæ credulitatis, ac fidei, sed peccato scandali, & alienæ superstitionis, cujus, saltem in actu exercito committendi, Zingaris ansam præbent. *ibid.*

Ætas,

Pro prima Tonsura, & Ordinibus Minoribus licite recipiendis requiritur ætas discretionis: pro Subdiaconatu autem requiruntur viginti duo anni: pro Diaconatu viginti tres: pro Presbyteratu, seu Sacerdotio viginti quinque (sufficit tamen, ejusmodi annos esse inchoatos) & denique pro Episcopatu anni triginta completi. *part.* 6. *num.* 96. Ad Sponsalia valide contrahenda regulariter requiritur annus septimus completus: ad contrahendum vero Matrimonium in masculo annus decimus quartus, in femella duodecimus completus, nisi malitia ætatem suppleat. *cit. part. num.* 155. & 156. Ad Jejunium requiritur annus vigesimus primus completus: ad abstinendum vero a carnibus annus septimus. *part.* 3. *num.* 10. Ad valorem voti illa ætas sufficit, quæ satis est ad peccatum mortale. *part.* 2. *num.* 408. Excipitur Votum solemne Religionis, utpote quod invalide emittitur ante annum ætatis decimum sextum completum. *part.* 3. *num.* 581.
Affinitas. Vid. *Impedimenta Matrimonii*,

Aggressor iniquus.

Licitum est privata authoritate occidere iniquum, sive injustum aggressorem vitæ, seu propriæ, seu alienæ; uti & membrorum, si servetur moderamen inculpatæ tutelæ. *part.* 2. *num.* 582. Imo etiam injustum aggressorem rerum; modo istæ actu possideantur, & sint magni momenti. *ibid. num.* 583. Solvuntur objectiones. *n.* 584. & *seqq.* Prædicta occisio licita est quibuscunque personis. *num.* 588. Non licet autem occidere invasorem famæ, vel honoris saltem verbalem tantum. *num.* 589. Solvitur objectio. *num.* 590. Alapa v. g. injuriose percussus non potest repercutere percussorem ad compensandam ignominiam. *num.* 591. Discrimen inter personam, cui fugere probrosum, & personam, cui fugere non probrosum. *num.* 592. Licitum est occidere aggressorem pudicitiæ. *num.* 596.

Agnus Dei,

Agnus Dei est Cera alba a Pontifice benedicta. *part.* 2, *num.* 386. Ita nuncupatur a figura *Agni*, quæ semper illi imprimitur. *ibid.* Agnos Dei inaurari, aut colore alio pingi sub excommunicatione est prohibitum: quamvis forte jam miniatos, aut depictos retinere liceat, & venerari. *ibid.* Videtur nunc usus obtinuisse, ut etiam Laicis, & feminis eos attingere liceat. *ibid.*
Alba. Vid. *Paramenta*,

Alle-

Alleluja.

Alleluja non additur tempore Paschali ad Invitatorium, Antiponas, Responsoria, & Versiculos in Officio parvo B. Mariæ Virginis. *part.* 5. *num.* 389. *D. CXXII.*

Alluvio.

Alluvio (quæ est modus acquirendi dominium contentus sub Accessione tanquam species illius; uti insinuatur *part.* 4. *num.* 60) proprie dicitur *incrementum latens*, quando scilicet flumen paulatim, & insensibiliter aliquid glebæ adjicit fundo adjacenti. Atque hoc modo accepta confert domino fundi dominium partis adjectæ. *cit. part.* 4. *num.* 63. & 64. Quod si alluvio accipiatur latius pro incremento patente, domino fundi non confert dominum, nisi alter dominus partem a suo solo avulsam habeat pro derelicta. *ibid. num.* 65. Similiter si vi, aut violentia fluminis, & uno quasi impetu, pars, ex alieno fundo avulsa, meo fundo accedat, non evado illius dominus, donec longiori tempore meo fundo stabiliter adnascatur, & cum eodem coalescat. *ibid.* Quid si insula alicubi nascatur, vel fiat? *num.* 66.

Altare.

Altare, super quo celebrandum est Missæ Sacrificium, est, & vocatur mensa, super qua dictum Sacrificium peragitur. Dividitur in *fixum*, & *portatile*. Primum est, quod stabili fundamento, & basi innititur. Alterum est, quod amoveri, & de loco in locum transferri potest. *part.* 9. *num.* 171. Altare, sive fixum, sive portatile sit, ut in eo licite celebretur, debet habere sequentes conditiones. Prima est, ut sit lapideum. Secunda, ut sit consecratum. Tertia est, ut non sit constructum supra sepulchra hominum: imo si supra illa sit erectum, non debet consecrari. Quarta, ut sit stratum duplici saltem mappa linea, vel una duplicata, & corporali itidem lineo. Quinta, ut sit ornatum antipendio. Sexta, ut in eo prostent duæ candelæ accensæ &c. Septima, ut adsit, & prostet Imago Christi Crucifixi, quamvis expositum sit Venerabile. *ibid.* Altare consecrationem perdit, & consecratum esse desinit duobus præcipue modis. 1. Quando in altari fixo pars superior, seu mensa consecrata removetur ab altera parte inferiori, & fixa, cui erat compaginata. 2. Quando mensa illa, sive lapis ita notabiliter frangitur, ac destruitur, ut in nulla sui parte integer calicem cum patena quoad majorem saltem partem possit capere. *ibid.* Videtur etiam Altare portatile suam consecrationem perdere per hoc, quod sepulchrum illius, seu loculus, & cavitas, in qua reponi solent Sacræ Reliquiæ, frangatur, vel spolietur. *ibid.*

Altare privilegiatum.

Affertur consueta Formula Brevium Apostolicorum, quibus expediuntur Indulgentiæ pro Altaribus privilegiatis. *part.* 9. *num.* 392. Quomodo intelligenda veniat prima clausula (ex contentis in tali Brevi) *In qua (nempe Ecclesia) aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum?* ibid. *num.* 392. Quomodo secunda: *Dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur?* *num.* 393. Quomodo tertia: *Et in ea sit Altare Sancti N. nuncupatum?* *num.* 394. Quomodo quarta: *Sacerdos ejusdem Ecclesiæ &c.?* *num.* 395. Quomodo quinta: *Missam Defunctorum?* *num.* 396. Quomodo sexta: *In die Commemorationis omnium Defunctorum?* *num.* 397. Quomodo septima: *Et singulis diebus infra Octavam illius?* *n.* 398. Quomodo octava: *Ac Feria II. cujuslibet hebdomadæ?* *n.* 399. Quomodo nona: *Pro Anima*, juncta clausulæ: *Anima ipsa?* *num.* 400. Quomodo decima: *Ut a purgatorii pœnis liberetur?* *n.* 401. Quomodo undecima: *Præsentibus ad septennium tantum valituris?* *num.* 402.

Ambitio.

Ambitio est inordinatus appetitus honoris, vel dignitatis. *part.* 2. *num.* 704. Non excedit culpam venialem, nisi sit causa præceptum aliquod graviter violandi, aut proximo graviter nocendi. *ibid.*

Amens.

Perpetuo amentibus licite præbentur carnes diebus ab Ecclesia interdictis, & licite imponuntur opera servilia diebus festis, non autem licite excitantur ad blasphemandum, ad lædendum proximum &c. *p.* 1. *n.* 436. Amentes a nativitate, & perpetui, seu tales, qui usum rationis nunquam habuere, nec adepturi existimantur, statim baptizandi sunt, quamvis ad receptionem Baptismi se disponere nequeant. *part.* 9. *num.* 240. Si non sint amentes a nativitate, se aliquando sui compotes exstiterint, baptizandi non sunt, nisi tempore usus rationis, aut lucidi intervalli ostenderint voluntatem suscipiendi Baptismum: si vero talem voluntatem tunc ostenderint, baptizari possunt, & debent: modo non constet de peccato mortali personali ab ipsis perpetrato, & per contritionem perfectam, vel saltem imperfectam haud retractato. *ibid.* Si dubium sit, an tempore usus rationis, aut lucidi intervalli Baptismum petierint, baptizandi sunt sub conditione in hunc modum: *Si petivisti Baptismum, ego te baptizo &c.* nisi Baptismus in tempus, & occasionem commodiorem differri possit &c. *ibid.* Amentes, sive sint temporarie, sive perpetuo tales, Confirmandi sunt, observata in solo tempore differentia &c. *cit. part.* 5. *num.* 217. Amenti perpetuo nunquam est præbenda Eucharistia. *part.* 3. *num.* 44. Neque amenti temporario; præterquam in articulo mortis: ubi tamen certæ adhibendæ sunt cautelæ &c. *ibid.* *n.* 46. Sacramentum Extremæ Unctionis invalide impenderetur amenti perpetuo; valide autem amenti non perpetuo, modo, dum sanæ mentis erat, petierit, aut saltem Christiane vixerit. *part.* 6. *num.* 26. Sacramentum Ordinis cuicunque amenti, si sit mas baptizatus, conferri posset valide, non autem licite. *ibid. num.* 89. & 96. Amentes non possunt contrahere Sponsalia, aut Matrimonium. *ibid. num.* 153. & 326.

Amictus. Vid. *Paramenta.*

Amor.

Alius est *amor benevolentiæ* (vocatur etiam *amor amicitiæ*) alius *amor concupiscentiæ*. Amor benevolentiæ erga Deum est, quo diligimus Deum, ut bonum in se. Amor concupiscentiæ, quo diligimus Deum, ut nobis bonus est. *part.* 2. *num.* 235. Amor benevolentiæ erga proximum est, quo volumus proximo bona, ut ipsi bona sunt. Amor concupiscentiæ, quo proximo volumus bona, in quantum nobis bona sunt. *ibid. num.* 236. Vid. *Charitas.*

Amphibologia. Vid. *Juramentum.*

Amplexus.

Amplexus, si exerceantur ob delectationem mere sensibilem, & naturalem, culpa vacant, per se loquendo: & adhuc magis, si exerceantur ob civilitatem, morem patrium, contestationem honesti amoris &c. *part.* 2. *num.* 706. & 707. Si vero exerceantur ob delectationem veneream, culpam mortalem continent, etsi sint leves; eamque ejusdem naturæ, cujus sunt actus luxuriæ consummatæ &c. *ibid. num.* 708. & *seqq.*

Ancilla.

Non peccant graviter Ancillæ, nec sub mortali (imo neque sub veniali) tenentur ad restitutionem, etiamsi residua esculenta, & poculenta ordinaria sæpe sibi usurpent, vel pauperibus, aut operariis in familiæ obsequio occupatis, erogent; secus, si dent aliis personis extraneis, vel vendant. *part.* 4. *a num.* 631. Ubi etiam solvuntur objectiones interjectæ.

Animalia.

Animalia alia sunt natura sua mansueta; ut oves, boves, canes &c. alia natura sua fera, & silvestria; ut lepores, leones, perdices, pisces &c. Alia porro naturali libertate fruuntur; ut cervi, damæ, lynces in montibus, & silvis; pisces in fluminibus, & lacubus: alia conclusa tenentur; ut feræ, & aves in hortis, caveis, vivariis; pisces in stagnis, & piscinis &c. *part.* 4. *num.* 34. Vid. *Venatio.*

Animatio prolis.

Quando proles animetur anima rationali? *part.* 2. *n.* 598.

Antichreseos pactum.

Nomine ejus intelligitur *pactum, quo creditori conceditur facultas tamdiu lucrandi fructus, donec ei a debitore mutuum restituatur.* *part.* 4. *num.* 768. Est de classe pactorum usurariorum. *ibid.*

Antipendium. Vid. *Altare.*

Antiphona.

Antiphona illa, *istarum est enim &c.* si occurrant duo festa Virginum, & Martyrum, servanda est pro commemoratione. *part.* 5. *num.* 389. *D. CCLXXI.* Antiphona, *Ave Regina*, dicitur secunda Februarii etiamsi Festum Purificationis B. V. Mariæ transferatur. *ibid.* D. CLXIII. & CLXIV.

Apes.

Examen apum ex alveari tuo erumpens, & avolans, tamdiu permanebit in tuo dominio, quandiu versabitur in

tuo

tuo conspectu, & facile comprehendi poterit. Quod si disparuerit, ut ejus prosecutio impossibilis, vel multum difficilis existat erit, primo capientis. *part.* 4. *num.* 129.

Apochrypha Indulgentia. Vid. *Indulgentia*.

Apostasia. Apostata.

Apostasia a Fide est Hæresi affinis: imo ab ea essentialiter non distinguitur. *part.* 2. *num.* 83. Definitur *recessus a Fide Christiana ex toto*. *ibid. num.* 82. Omnis Apostata e Fide simul est Hæreticus, sed non vicissim omnis Hæreticus simul est Apostata a Fide, nisi velimus loqui improprie, & vulgariter. *ibid.* Quænam sint pœnæ Apostatarum a Fide? *num.* 86. De Apostasia ab Ordine, seu Statu Religioso. Vid. *Casuum Reservatio*. De Apostata Religioso. Vid. *Religiosus*.

Appellatio.

Appellatio est provocatio a Judice inferiori ad superiorem. *part.* 2. *num.* 552. Fieri non potest a Vicario Generali ad Episcopum. *ibid.*

Appetitus naturalis.

Appetitus naturalis non semper potest licite frui suis actibus ob solam voluptatem: unde comedens, vel bibens ob solam voluptatem in ea sistendo peccat saltem venialiter. *part.* 1. *num.* 637.

Applicatio Indulgentiarum. Vid. *Indulgentia*.

Applicatio Missæ. Vid. *Beneficiatus*: *Sacerdos*: *Sacrificium Missæ*.

Approbatio Confessarii.

Approbatio hæc est authenticum quoddam Testimonium, Episcopi de aptitudine, & capacitate Sacerdotis ad audiendas confessiones. *part.* 3. *num.* 668. Petenda igitur, atque obtinenda est ab Episcopo; cujus nomine hic etiam veniunt Prælati, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in Seculares: non item Provinciales, aut Generales Ordinum, relate ad approbandos Confessarios pro Secularibus. *ibid.* Adstruitur necessitas Approbationis &c. *num.* 669. & 670. Sacerdos pro audiendis confessionibus approbatus in una Diœcesi, non censetur etiam approbatus in alia. *num.* 671. Approbatio dividitur in *expressam*, & *tacitam*. *num.* 672. Petenda, & obtinenda est ab Episcopo illius Diœceseos, intra cujus limites Sacerdos approbandus cogitat se exponere pro excipiendis confessionibus. *num.* 673. Ad audiendas confessiones Monialium requiritur, per se loquendo, approbatio specialis. *num.* 674. Episcopus facit injuriam Sacerdoti, quem in examine pro exercenda cura animarum habilem repertum, non approbat. *n.* 675. Apollonius Franciscanus iter agens per Diœcesim, in qua non est approbatus, potest excipere Confessiones Sacerdotum Secularium, non autem Laicorum, ut nec Religiosorum alterius Ordinis, nisi ab eorum Superiore habeat licentiam. *num.* 743. An valida sit approbatio Confessarii, quando non datur gratis, sed pro pretio, & simoniace? *num.* 754. Quandiu duret approbatio Confessarii? *num.* 755. An revocari possit, & qualiter, approbatio Confessarii, semel illimitate concessa? *num.* 756. An Prælati Regulares per se, vel Sacerdotes Regulares sibi subditos confessiones suorum familiarum Secularium audire possint absque approbatione Episcopi? *num.* 757.

Aqua.

Aqua elementaris, seu naturalis, proxime apta ad abluendum, constituit materiam remotam Baptismi. *part.* 5. *num.* 92. Aqua, in confectione Sacramenti Eucharistici miscenda vino consecrando debet esse *modica*; imo *modicissima*. *ibid. num.* 257. Non tamen in praxi scrupulose agendum, modo quantitas aquæ admixtæ non excedat tertiam partem vini. *ibid.* Prædicta aqua vino consecrando admisceri necessario debet, non quidem necessitate Sacramenti, sed necessitate præcepti Ecclesiastici graviter obligantis. *ibid.* Admixtio illius aquæ, si debito tempore, puta ad primam vini infusionem omissa fuerit, suppleri debet, modo defectus advertatur (licet post consecrationem Hostiæ) ante consecrationem Calicis; secus, si post istam. *ibid.* Aqua per consecrationem Calicis non convertitur in Sanguinem Christi immediate, sed mediate solum, si scilicet, & quatenus antea in vinum conversa fuit. *ibid.* Aqua benedicta Canonici in Dominicis singillatim aspergendi sunt. 389. *D. L.*

Arbiter. Arbitrium.

Arbiter (*Schid Richter*) describitur *vir bonus*; *qui constituitur ad aliquod negotium arbitrandum, seu æstimandum, vel terminandum*, *part.* 3. *num.* 649. Si eligatur libero Partium consensu ad litem dirimendam, vocatur *Arbiter compromissarius*, vel *voluntarius*: si vero constitui debeat ex præscripto Legis, Statuti, vel Judicis, appellatur *Arbiter Juris*, vel *necessarius*. Arbiter compromissarius nullam obtinet jurisdictionem, obtinet vero jurisdictionem aliquam Arbiter Juris, non quidem ordinariam, vel delegatam, qualem obtinet Judex, sed quasi mediam inter utramque. *ibid.* Unde Arbiter, sive compromissarius, sive Juris, differt a Judice: sicut & Arbitrium a Judicio quamvis cum hoc aliquam similitudinem, & affinitatem habeat, quatenus lites dirimit, & ordinem, ac formam Judicii requirit. *ibid.*

Arbitrator. Arbitramentum.

Arbitrator (*Schid-Mann*) est vicinus Arbitro, & dicitur ille, *qui assumitur ad complananda negotia extrajudicialia*; & *per Arbitramentum* (sic vocatur ejus sententia) secundum æquitatem naturalem sine ullo Judicii ordine, ac forma Judiciali, absque jurisdictione pronunciat, quid sentiat. *part.* 3. *num.* 649. Differentia Arbitratoris a Judice (item *a Mediatore*, & *amicabili Compositore*) ac Arbitramenti a Judicio. *ibid.*

Arbitrium liberum.

Fide certum est, dari in homine liberum arbitrium, formaliter consistens in ipsa voluntate. *part.* 1. *num.* 567. & *seq.* Libertas est duplex, videlicet *exercitii*, & *specificationis*. *ibid. num.* 569. Arbitrium, seu voluntas hominis viatoris est principium effectivum actus humani, in quantum est libera, seu indifferens ad agendum, vel non agendum, vel etiam oppositum agendum. *numer.* 570. Deducitur corollarium, & præcluduntur argumenta contraria, *num.* 571.

Archi Episcopus.

Archi-Episcopi pollent potestate legislativa ordinaria respectu suarum Diœcesium. Nequeunt tamen condere leges, obligantes totum Archi-Episcopatum, nisi in Concilio Provinciali de consensu Coepiscoporum. *part.* 2. *numer.* 279. Pollent etiam potestate ordinaria ferendi censuras respectu sibi subditorum. *part.* 3. *num.* 88. Non possunt tamen concedere Indulgentias Plenarias, ne quidem pro suis subditis, seclusa speciali delegatione, & privilegio: uti neque pro defunctis, etiam partiales tantum. *part.* 9. *num.* 623. Possunt tamen (idque potestate ordinaria, quippe concessa Jure communi, & Dignitati Episcopali respective, atque Archiepiscopali annexa) in Dedicationibus Ecclesiarum suæ Diœceseos dare Indulgentias unius anni, & in earum anniversariis quadraginta dierum; ac præterea in sua Provincia, seu in Ecclesiis Suffraganeorum suorum, etiam extra visitationis tempus, & dum extra Diœceses ipsorum existunt, concedere valent quadraginta alios dies præter concessos a proprio Episcopo, ita, ut Ecclesias has in Dedicationum anniversariis visitantes octoginta dierum Indulgentias simul lucrentur. *ibid.*

Arrha.

Arrhæ est, quam sponsi in ipso contractu Sponsalium sibi mutuo tradunt tanquam pignus, & signum futuri Matrimonii. *part.* 4. *num.* 260. Est in dominio dantis, & secuto Matrimonio restitui debet illi, qui dedit. *ibid. num.* 261. Idem est, si Sponsalia ex justis causis dissolvantur. Quod si quis Sponsorum a Sponsalibus resiliat sine justa causa, adeoque culpabiliter, licet resiliens non receperit arrham, suam tamen, quam dedit, amittit. Si autem acceperit resiliens arrham, obligatur ad ejus restitutionem, & insuper condemnatur in simplum, id est, præter arrham ipsam compellitur in pœnam delicti superaddere pretium arrhæ æquivalens. *part.* 4. *num.* 262. Sed de his plura, & distinctius proposita habentur *part.* 6. *num.* 199. Porro ut res, quæ in securitatem futuri Matrimonii offertur, sortiatur rationem arrhæ, debet esse tradita, & non tantum promissa. *cit. part.* 6. *num.* 195. Potest autem valide, & licite Sponsalibus adjici arrha. *ibid. num.* 197. Solvitur objectio. *num.* 198. Etiamsi quis Sponsorum datam arrham perdere velit, a contractu Sponsalitio tamen recedere non potest, comparte invita. *num.* 200.

Ars notoria.

Ars notoria (una de speciebus *vanæ Observantiæ*) est, quæ continet quasdam determinatas orationes, aut jejunia ad consequendas scientias absque ullo labore, ad modum scientiarum infusarum. Per quam proinde saltem tacite, invocatur diabolus, eique tribuitur potestas infundendi scientiam, soli Deo propria. *part.* 2. *num.* 305.

Aspe-

num. 123. *&* 124. Parochus pro libitu munus baptizandi potest committere alteri Sacerdoti; ex gravi causa etiam Diacono, nullatenus autem Clerico inferiori. *num.* 125. *&* 126. Nullus potest seipsum baptizare. *num.* 127. An unus simul plures, & plures unum baptizare valeant? *num.* 128. *&* 129. Utrum peccent, qui simul baptizant unum? *num.* 130. Ubinam sit baptizandum? *num.* 131. Recensentur Parocho, & parentibus hic observanda. *num.* 32. *& seqq.* Subjectum Baptismi est omnis, & solus homo viator, nondum baptizatus. *num.* 136. Etiam infans partui vicinus. *num.* 137. Ubi aliqua observanda inculcantur. *num.* 138. An, & quando monstra sint subjecta capacia Baptismi? *num.* 139. An ex hominibus adultis baptizari quoque possint, ac debeant amentes? *num.* 120 Item proles infidelium, invitis parentibus? *n.* 121. Non est rebaptizandus infans, de quo mortali certitudine constat, quod jam sit baptizatus; secus, si rationabiliter dubitetur. *num.* 142. *&* 143. Nec est rebaptizandus, quem vel unicus testis fidelis testatur jam baptizatum. *num.* 144. An infantes ab obstetricibus, vel hæreticis baptizati, aut expositi, sint rebaptizandi? *num.* 145. *& seqq.* Baptismus causat duplicem effectum positivum, nempe 1. gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis, & donis Spiritus Sancti, ac 2. characterem. *num.* 149. Baptismi effectus negativus est pariter duplex, nempe 1. remissio omnium peccatorum, non solum originalis, sed etiam personalium (si adsint) tam mortalium, quam venialium; & 2. remissio pœnæ talibus peccatis debitæ. *num.* 151. Habet insuper aliquos effectus mediatos, & consequentes. *num.* 555. Ritus, ab Ecclesia universali pro administratione Baptismi solemnis præscriptos, omittere est peccatum mortale ex genere suo. *num.* 162. Sunt in triplici differentia; nam alii sunt, & dicuntur *antecedentes*; alii *concomitantes*; alii *consequentes*: qui & explicantur *num.* 165. Si fuerint omissi, regulariter suppleri debent; secus, si fuerint adhibiti in Baptismo invalido, & postea repetendo. *num.* 166. *&* 167. De iis, quæ concernunt designationem Patrini. Vid. *Patrinus*. Suppletoria Baptismi Sacramentalis sunt *Baptismus Flaminis*, & *Baptismus Sanguinis*, quatenus vicem illius in aliquibus supplent: esto ceteroquin non sint formaliter Sacramenta. Est autem *Baptismus Flaminis* perfecta ad Deum conversio per contritionem perfectam, aut dilectionem Dei super omnia, prout includentem votum Baptismi Fluminis, seu Sacramentalis, saltem implicitum. Dicitur autem *Flaminis*, quatenus perfecta illa ad Deum conversio fit impulsu Spiritus Sancti, qui *Flamen* appellatur. *Baptismus Sanguinis* est martyrium, prout ante susceptionem Baptismi Fluminis pro Christo exantlatum. ante *num.* 168. Baptismus Flaminis non est dabilis, nisi in hominibus usu rationis pollentibus. *num.* 168. Ex opere operantis supplet defectum Baptismi Fluminis quoad peccatorum remissionem, gratiæ infusionem, & pœnæ æternæ condonationem; non vero semper quoad relaxationem totius pœnæ temporalis. *num.* 169. *& seqq.* Baptismus Sanguinis tam in parvulis, quam adultis supplet defectum Baptismi Fluminis quoad remissionem peccati originalis (vel etiam personalium relate ad adultos) infusionem gratiæ, & condonationem pœnæ æternæ. *num.* 171. *&* 173. Solvuntur objectiones. *num.* 172 *& seqq.* Baptismus Sanguinis etiam supplet defectum Baptismi Fluminis quoad remissionem omnis pœnæ temporalis. *num.* 178 Et hos effectus præstat ex opere operato. *num* 179. Baptismus Flaminis, & Sanguinis non supplent defectum Baptismi Fluminis quoad impressionem characteris. *num.* 180. De iis, quæ ulterius concernunt Baptismum Sanguinis. Vid. *Martyrium*. Quintinus Parochus non peccat, dum ob extraordinarium hiemis rigorem baptizat infantes aqua prius calefacta. *num.* 184. Quaresimus invalide baptizat puerulum in flumen projiciendo, etsi simul debitam formam pronunciet. *num.* 185. Quintilianus nullum commisit errorem substantialem in administratione Baptismi obliviscendo facere intentionem baptizandi, & utendo hac forma: *Ego te baptizo in Nomine Patris, in Nomine Filii, & in Nomine Spiritus Sancti.* *num.* 186. Infans, ex femore viri excisus, veram tamen hominis formam referens, potuit, ac debuit baptizari *n.* 187.

Barbitonsor.

Barbitonsores communiter excusantur a peccato, tondendo die festo. *part.* 2. *num.* 546. Non excusantur a jejunio. *part.* 3. *num.* 15.

Bellum.

Bellum est *discordia Principum, vel Rerumpublicarum, vim, & arma mutuo sibi inferentium per exercitus*. Differt *a Rebellione*, quæ est discordia, vel pugna inter Principem, & subditos. *a Seditione*, quæ est discordia, & pugna inter Rempublicam, & subditos: *a Rixa*, quæ est discordia, & pugna inter privatos: *a Duello*, quod (saltem ordinarie) est pugna inter duos tantum. *part.* 2. *num.* 599. Dividitur bellum in *defensivum*, & *offensivum*. Primum est, quo vis, injuste illata, cum moderamine inculpatæ tutelæ repellitur. Secundum (quod etiam *aggressivum* vocari solet) est, quo vis infertur injuriæ vindicandæ causa. *ibid.* Bellum defensivum semper est licitum: offensivum vero, ut licite suscipiatur, tres conditiones requirit: quæ & specificantur, ac breviter exponuntur. *n.* 602. Quid requiratur, ne in belli prosecutione peccetur? *num.* 603. An sufficiens belli indicendi causa existat, si Rex aliquis v. g. advertat, vicinam Potentiam crescere, ac propterea metuat, ne sibi suoque Regno inde cum tempore nocumentum accrescat? *num.* 607. An detur aliquando bellum ex utraque belligerantium parte justum? *ibid.* An in bello captis fugere liceat? *ibid.* An peccent milites, qui navem, qua vehuntur, pulvere pyrio succendentes, se una privant vita, ne illa in hostium manus deveniat? *ibid.*

Benedictio.

Benedictio alia est *constitutiva*, qua res, quæ benedicuntur, constituuntur vere sacræ, & ab usu profano secernuntur; & alia *invocativa*, per quam solum invocatur specialis assistentia Dei circa usum illarum rerum, ipsæ vero res non evadunt vere sacræ, nec ad usum profanum inapplicabiles. *part.* 2. *num.* 394. De Benedictione Paramentorum. Vid. *Paramenta*. Benedictio Nuptiarum alia est *minus*, alia *magis*, *& simpliciter solemnis*. *part.* 6. *num.* 444. Posterior, saltem primis Nuptiis inter Missarum solemnia, spectato Jure, impendenda est sub præcepto, & quidem a proprio Parocho, vel ex hujus commissione ab alio Sacerdote. *ibid.* *n.* 445. Non est peccatum consummare Matrimonium nondum solemniter benedictum. *num.* 446. Præfata benedictio de Jure non potest, nec debet impendi secundis Nuptiis: si tamen impendatur, non plus, quam venialiter peccatur. *num.* 447. *&* 448.

Beneficiatus.

Beneficiatus ratione Beneficii tenetur & celebrare, & Missas applicare juxta intentionem Fundatoris. *part.* 5. *num.* 350. Solvitur objectio. *ibid.* *num.* 351. An satisfaciat, si celebrari curet per alium? *num.* 352. An si celebret illas diebus ferialibus? *num.* 353. An si infirmus sit, teneatur substituere alium, qui loco sui celebret, vel ipse, sanitati redditus, Missas interea omissas supplere? *num.* 354. Ursicinus Beneficiatus (sive Capellanus) obligatus ad duas Missas singulis septimanis pro defunctis Fundatoribus legendas, eas anticipare potest, & legere præcedenti septimana, quæ subsequenti legendæ forent. *num.* 380. De obligatione residendi in Beneficio, quæ Beneficiatis incumbit. Vid. *Residentia in Beneficio*.

Beneficium.

Beneficium Ecclesiasticum (vel *Præbenda* Ecclesiastica) est *jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis ratione spiritualis officii, authoritate Ecclesiastica pro persona Ecclesiastica constitutum*. *part.* 3 *num.* 402. Excluduntur nonnulla ratione Beneficii stricte accepti, & modo descripti. *Ibid.* *num* 403. Beneficium sic descriptum dividitur in *Seculare*, & *Regulare* in *Simplex*, & *Qualificatum*: in *Collativum*, *Electivum*, & *Patronatum*, seu *Mixtum*: in *Compatibile*, & *Incompatibile*. *numer.* 404. Singula hæc membra dividentia explicantur. *ibid.* De Collatione Beneficii. Vid. *Collatio*, *& Collator Beneficii*.

Bestialitas.

Bestialitas est *concubitus hominis cum bruto*: estque peccatum longe gravissimum, & pessimum. *part.* 2. *num.* 679. Bestiarius non tenetur in Confessione exprimere speciem bestiæ, cum qua congressum habuit, v. g. dicendo. *peccavi cum equa, ove, cane &c.* *ibid.* *num.* 680. Tenetur vero exprimere sexum bestiæ, seu utrum concubuerit cum bestia mare, vel femella? & si non exprimat, desuper interrogandus est. *num.* 681. Debet insuper exprimere (vel desuper interrogari) an cum bestia femella coierit in vase naturali (respectu bestiarum) vel præpostero? *n.* 682. Bestiariorum pœnæ. *n.* 719.

Bibliopola.

Bibliopola peccat 1. Si vendat libros prohibitos, vel lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro &c. *part.* 3. *num.* 705.

Bigamia. Bigamus.

Bigamia (nonnulli *digamiam* vocant) est triplex, nempe *vera*, *interpretativa*, & *similitudinaria*. *part.* 3. *num.* 369. Explicantur hæc membra dividentia. *ibid.* Laborantes

C

Calix.

Calix (uti & patena) debet esse ex auro, vel saltem argento, quod de consuetudine inauratur. Si tamen paupertas exposcat, poterit etiam confici ex stanno, vel cupro, dummodo bene inauretur; non tamen ex lapide, ferro, ligno, vitro, ære, aurichalco, plumbo &c. *part.* 5. *num.* 373. Calix (idem sentiendum de patena) consecrari debet, & quidem ab Episcopo: quamvis potestas hæc consecrandi ex consuetudine immemoriali competat quoque Abbatibus, & aliis Prælatis, usum Mitræ, & Baculi habentibus, probabilius etiam pro aliis Ecclesiis, saltem cum licentia Episcopi. *ibid.* Consecrationem suam perdit Calix (vel patena) quando notabiliter frangitur, vel amittit formam suam, ita, ut non amplius serviat ad finem, in quem consecratus est. Quod si per usum diuturnum interior illius deauratio absumeretur, non perderet consecrationem; licet probabiliter de novo consecrandus esset (vel saltem aqua benedicta abluendus) si de novo inauraretur. *ibid.*

Cambium.

Cambium est *contractus, quo pecunia permutatur pro pecunia negotiandi causa*: sive est *negotiatoria permutatio pecuniæ pro pecunia*. Unde est species permutationis. Qui rogatur, ut permutet, *campsor*; qui rogat, *campsarius* nominatur. *part.* 4. *num.* 809. Dividitur Cambium præcipue in *manuale*, seu *minutum*, & in *locale*, seu *per literas*. Primum est, quo commutatur pecunia major cum minore, pulchra cum deformi, vetus cum nova, legitima cum vetita, usualis in hac Provincia cum usuali in alia Provincia. Alterum est, quo præsens pecunia commutatur cum absente; quod communiter fieri assolet per literas, licet sine literis, aut certa earum forma fieri possit. *ibid.* Non committitur usura, vel injustitia, quando accipitur lucrum moderatum ratione cambii, sive manualis, sive localis. *ibid.*

Campana.

Campanæ non benedictæ non pulsantur pro templis. *part.* 5. *num.* 389. *D. CXLV.* Campanarum pulsatio in Sabbato Sancto sequi debet Parochiam. *ibid. D. CXXX.*

Candela. Vid. *Altare.*

Porro candelarum benedictio absente Episcopo fieri potest die Purificationis, ab eo, qui Missam est cantaturus. *part.* 5. *num.* 389. *D. CLXXI.* Earum distributio debet fieri stando cum mitra in capite ab eo, qui privilegium habet eam gestandi. *ibid. D. CLXXIII.* Ab aliis detecto capite. *D. CLXX.*

Canonicatus.

Canonicatus, seu Canonia est jus habendi stallum, seu sedem in Choro, & vocem in Capitulo. *part.* 3. *n.* 402. Differentia Canonicatus, seu Canoniæ, secundum se spectatæ, a Beneficio. *ibid.*

Canonicus.

Canonici tenentur Officium Divinum publice, & in templo, seu Choro recitare, vel decantare respective, per se loquendo. *part.* 3. *num.* 471. Debent per se ipsos onera, & officia præstare, nisi consuetudo prævaleat. *ibid. num.* 428. Debent canere alta voce. *part.* 5. *num.* 389. *D. LIII.* Ut lucrentur distributiones, tenentur canere Missam de die. *ibid. D. LVII.* In Quadragesima tenentur canere Missam cum Diacono, & Subdiacono. *D. LXI.* Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicarium Generalem. *D. CXVIII.* Soli Cathedrales incedunt parati in Processionibus. *D. CXIX.* Si canant Missam coram Episcopo, sedent in latere Epistolæ in scamno panno cooperto. *D. C.* Communicent in Cœna Domini de manu Celebrantis. *D. CXXXIII.* Hebdomadario debetur honor in Choro super omnes: in Horis Canonicis decantandis non debet uti stola. *D. CXLIX. CL. CCXLI.* In Sacramentorum administratione non debent adhibere rochetum, & cappam: in Processionibus debent intra Ecclesiam incedere detecto capite; extra eam cum birreto in capite. *D. CXCV. CCXIII.* Canonici Ecclesiæ Collegiatæ cedunt Cathedralibus. *D. CLIV.* Canonici Regulares possunt in publicis Processionibus uti rocheto, & superpelliceo. *D. CXCVI.*

Cantiones inhonestæ.

Cantiones inhonestæ, seu obscœnæ, si fiunt ex levitate, curiositate &c. veniales sunt per se loquendo: mortales vero, si fiant ex motivo venereo. *part.* 2. *num.* 716. & 727. Explicatur assertum pro praxi, *ibid.*

Capellania.

Capellania alia est *collativa*, alia *simplex*. Prior est, quæ Superioris Ecclesiastici, puta Episcopi, erecta est, & confertur in titulum perpetuum; sortiturque rationem Beneficii stricte dicti. Posterior est, quæ habet annexam obligationem legendi hebdomadatim, vel annuatim unam, vel plures Missas in aliqua Capella, vel Altari pro certis reditibus, aut stipendio, & non est erecta legitimi, seu Ecclesiastici Superioris authoritate, vel non confertur in titulum perpetuum; proindeque a ratione Beneficii stricte dicti deficit. *part.* 3. *num.* 403.

Capellanus Castrensis. Vid. *Decretum.*

Capitis diminutio.

Est status mutatio; & dividitur in *maximam*, *mediam*, & *minimam*. *part.* 4. *num.* 740.

Capitulum.

Capitulum Cathedrale, Sede vacante, obtinet potestatem ordinariam ferendi leges Diœcesanas. *part.* 1. *num.* 279. Non autem potest conferre Beneficia, quorum collatio privative spectat ad Episcopum; nec concedere dimissorias, nisi arctatis ratione Beneficii recepti, vel recipiendi; nec Clerico dare licentiam transeundi ab una Ecclesia ad aliam; nec solemniter excommunicare. *ibid. num.* 426.

Carcer. Vid. *Reus.*

Cardinalis.

In Cardinalibus residet potestas ordinaria ferendi leges pro suis Ecclesiis. *part.* 1. *num.* 279. Cardinalium Collegium, etiam Sede vacante, non pollet potestate Legislativa respectu totius Ecclesiæ. *ibid. num.* 281.

Carnium esus. Vid. *Jejunium.*

Castitas.

Castitas est *virtus inclinans ad moderandas voluptates carnis in rebus venereis*: estque alia *perfecta*, alia *imperfecta*. *part.* 2. *num.* 751. Serapia, puella casta, & virgo pudica, non tenetur in partibus verendis admittere a chirurgo curationem, etiamsi hæc ad vitam illius conservandam judicetur necessaria. *part.* 2. *num.* 723.

Casula. Vid. *Paramenta.*

Casuum Reservatio.

Casuum, seu peccatorum reservatio est *restrictio jurisdictionis, a Superiore pendentis, ad absolvendum in foro conscientiæ quoad nonnulla peccata*. *part.* 5. *num.* 685. Dividitur in *pœnalem*, *medicinalem*, & *mixtam*. *ibid. n.* 686. Ignorans incurrit reservationem, etiamsi ea pœnalis sit. *num.* 687. A quibus reservatio casuum fieri possit? *num.* 688. Quinam casus sint reservati S. Pontifici, & quis possit ab iis absolvere? *num.* 689. Quinam casus sint reservati Episcopis, & quis ab iis absolvere possit? *num.* 690. Quinam casus sint reservabiles, vel etiam de facto reservati Prælatis Regularibus, & quis valeat ab illis absolvere? *num.* 691. Qualia peccata reservari possint, & soleant? *num.* 692. Conclusio, seu resolutio hujus quæstionis illustratur per subjunctum corollarium. *num.* 693. An Superior possit, auditis solis peccatis reservatis, Sacramentaliter absolvere pœnitentem, remittendo eundem ad alium Confessarium pro impetranda absolutione a reliquis peccatis mortalibus non reservatis? *num.* 694. Qui se gerere debeat pœnitens, peccato reservato gravatus, dum Confessarium, a reservatis absolvere potentem, nancisci haud valet, & urgetur necessitate celebrandi, vel communicandi. *num.* 695. An pœnitens liberetur a reservatione, quando confitetur Confessario, habenti potestatem absolvendi a reservatis, peccata reservata, sed invalide, v. g. ob defectum legitimi doloris, & propositi; vel etiam valide, v. g. inculpabiliter obliviscendo peccati reservati, aut tale omittendo ex legitima causa? *num.* 696. & 697. Parochus, qui ab Episcopo accepit generalem potestatem absolvendi suos parochianos a casibus reservatis Episcopalibus, potest & ipse, si in casum reservatum incidat, illam committere alteri, ut ab eo absolvatur. *num.* 698. Fit hujus doctrinæ extensio ad Confessarium in Conventu Regularium. *num.* 699. Antonius Antoniam, suam in peccato complicem, valide, & licite absolvit, per se loquendo, & nisi sit de Diœcesi, in qua ejusmodi absolutio per Statutum Synodale est prohibita. *num.* 744. Andreas Confessarius, in Diœcesi Augustana approbatus, & expositus pro excipiendis ibi confessionibus non tamen potestate absolvendi a reservatis præditus, absolvere non valet peregrinum Passaviensem a casu reservato per Episcopum Augustanum, tametsi non sit reservatus Episcopo Passaviensi; valet e diverso ejusmodi peregri-

non

num absolvere a casu reservato per Episcopum Passaviensem, non item per Augustanum: modo peregrinus ille non advenerit in fraudem legis reservantis. *n.* 745.

Causa,

Causæ aliæ sunt *criminales*, aliæ *civiles*. Causæ criminales sunt, in quibus agitur super crimine criminaliter, seu in ordine ad vindictam publicam, adeoque de pœna inferenda. Et subdividuntur in *majores*, & *minores*. Causæ criminales majores dicuntur, ubi agitur de pœna mortis, vel mutilationis: minores vero, ubi agitur de pœna exilii tantum, aut corporis afflictiva; vel privatione officii, beneficii, & bonorum fortunæ. Causæ civiles dicuntur, ubi solum controvertitur de interesse Actoris. *part.* 3. *num.* 665. item *part.* 1. *num.* 169.

Causa pia. Vid. *Usus pius,*

Censura,

Censura in quadruplici potissimum significatione accipitur, Nam 1. significat dignitatem censoriam apud veteres Romanos celebrem, qua aliqui præfulgebant, & vi cujus tenebantur inquirere in mores civium, pravosque commeritis plectere pœnis, donec resipiscerent. 2. Significat correctionem ipsam, & quasi censionem, qua indigni ab honoribus arcebantur. 3. Significat sententiam correctoriam Judicis Ecclesiastici: quo sensu Authores librorum ad calcem subjicere amant: *Omnia, quæ scripsi, S. Matris Ecclesiæ judicio, ac censuræ submitto.* 4. Significat pœnam quandam spiritualem, a Judice Ecclesiastico propter aliquod crimen contumacibus impositam. *part.* 3. ante *num.* 83. Censura juxta quartam, & postremam acceptionem considerata, definitur *pœna spiritualis, per quam homini baptizato, delinquenti, & contumaci, per potestatem Ecclesiasticam quorundam bonorum spiritualium usus aufertur, donec a contumacia recedat.* *ibid. numer.* 83. Singulæ definitionis particulæ explicantur. *ibid.* Depositio, Degradatio, Cessatio a Divinis, & Irregularitas, non sunt censuræ. *num.* 84. Censura essentialiter, & adæquate dividitur in *Excommunicationem, Suspensionem*, & *Interdictum*. *num.* 85. Aliæ illius divisiones, puta in censuram, quæ est *a Jure*, & *ab Homine*: item in censuram *latæ*, & censuram *ferendæ sententiæ*, seu *comminatoriam*, sunt solum accidentales. *num.* 86. Potestas ferendi censuras alia est *ordinaria*, alia *delegata*. *num.* 87. Penes quos residear potestas ordinaria *num.* 88. An Episcopus, extra suam Diœcesim existens, valeat adversus suos subditos, in Diœcesi existentes, censuram ferre? *num.* 89. Penes quos sit potestas delegata ferendi censuras? *num.* 90. Modus ferendi censuras in prima sui divisione bicepa est, nimirum *essentialis*, & *accidentalis*. Prior ex natura rei ad valorem censuræ exigitur, & situs in eo est, quod voluntas Superioris censuram ferentis sufficienter exprimatur. Posterior Jure duntaxat Humano præscribitur, exigiturque ad solam licentiam censuræ, seu ut hæc absque peccato feratur, aut integrum suum effectum sortiatur. Priorem modum alii appellant *Formam substantialem*, posteriorem vero *Formam accidentalem*. ante *num.* 91. Ad valorem censuræ requiritur, ut Superior, præcipiens, vel prohibens sub censura, manifestet voluntatem suam signo aliquo sensibili. *num.* 91. Quod tamen non necessario consistit in verbis. *num.* 92. Requiritur præterea, ut verba, vel signa, queis censura fertur, sint determinata tam quoad speciem censuræ, quam quoad personam delinquentem, quæ censuratur. *num.* 93. Solvuntur opposita *num.* 94. Ad valorem cujuscunque censuræ prærequiritur aliqua monitio. *numer.* 95. Qualis illa monitio esse debeat? *num.* 96. Item an monitio specialis, quæ ad censuram ferendæ sententiæ prærequiritur, debeat esse trina, vel sufficiat una? *num.* 97. Quinque sunt modi accidentales, sive ad solam censuræ licentiam exacti. *numer.* 98. Singuli explicantur. *num.* 99. Soli baptizati, viatores, usu subrationis præditi, & censuranti subditi, sunt capaces censuræ. *num.* 100. Diluuntur argumenta opposita. *num.* 101. An pueri usu rationis præditi, sed adhuc impuberes, sint capaces censuræ? *n.* 102. An subditi, etiam extra Diœcesim existentes, possint a suo proprio Episcopo censura feriri? *num.* 103. An peregrini, & advenæ in Diœcesi, in qua commorantur, vel potius transeunt, censura ligari possint ab Episcopo illius Diœceseos? *num.* 104. An non tantum facientes, seu committentes delictum sub censura vetitum, sed etiam mandantes, vel consulentes illud fieri, sint subjectum ejusmodi censuræ, eandemque, effectu secuto, incurrant? *n.* 105. Exponitur status hujus quæstionis: *Ob quam causam feratur, aut ferri possit censura?* *num.* 106. Censura gravis ferri non potest, nisi ob culpam gravem. *num.* 107. Solvitur objectio. *num.* 108. Censura, esto ferri possit propter peccatum mere internum; regulariter tamen ferri non solet, nisi propter peccatum internum, & externum simul, atque omnino consummatum. *n.* 109. Non incurrit censuram Canonis, qui explodit bombardam in Clericum, & globo prætervolante aberrat. *n.* 110. Censura proprie dicta ferri nequit propter delictum mere præteritum, & non conjunctum cum præsenti contumacia. *num.* 111. Solvuntur opposita. *num* 112. Censura pariter ferri non potest nisi ob delictum ab Ecclesia sub incursione censuræ specialiter prohibitum. *n.* 113. Zenobius Parochus propria authoritate suum parochianum, ut ut reum, excommunicando, agit invalide. *n.* 143. Zosimus Episcopus valide interminat pœnam suspensionis sub disjunctione *n.* 144. Zephyrinus debitor Zephyrinæ, & huic intra mensem solvere jussus sub excommunicatione, istam, dilata solutione ultra mensem, non incurrit, si creditrix ante eventum conditionis terminum solutionis prorogarit. Idem dicendum, si Zephyrinna interea legitime appellarit *num.* 145. Zambranus, sub conditione, nisi intra bimestre restituat, excommunicatus, non facta intra tale tempus restitutione, censuræ reus evadit, licet ante eventum conditionis territorium, & domicilium mutaverit. *num.* 146. Zolandee Episcopus male processit, dum hominem advenam ob crimen, in sua Diœcesi sub excommunicatione vetitum, excommunicatum promulgavit. *num.* 147. Zoticus tot incurrit excommunicationes, quot vicibus moraliter interruptis Clericum percussit. *num.* 148. Zamarchus, reipsa, & in mente Judicis innocens, juridice tamen probatus nocens, licite excommunicatur, non item valide. *num.* 149. Zachæus, in articulo mortis constitutus, non potest confiteri Sacerdoti simplici in præsentia proprii Parochi. *num* 150 Judex, gravi metu, eoque injusto adactus, censuram ferens, istam fert valide, modo habeat intentionem ferendi. *num.* 151. Nemo *per modum Judicis* ferre censuram potest in propria causa. *ibid.* Qui dubitat, an sit censura ligatus, nec ne? non tenetur, cessante periculo scandali, se gerere tanquam censura innodatum; sive dein illud dubium, quo laborat, sit dubium Juris, sive dubium Facti. *ibid.*

Census,

Census est *jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius.* *part.* 4. *num.* 788. Ideoque contractus censualis est emptio, qua ejusmodi jus comparatur. Habens tale jus, vocatur *Censualista*, vel creditor; pensionem habens, *Censuarius*, vel debitor; estque in hoc contractu venditor, quia vendit Censua istæ jus exigendi annuam pensionem. *ibid.* Census dividitur in *realem*, & *personalem*: in *fructuarium*, & *pecuniarium*. in *perpetuum*, & *temporalem*. in *redimibilem* (*ex parte unius*, vel *utriusque* contrahentis) & *irredimibilem*; ac singula membra dividentia exponuntur. *ibid. num.* 789. Exponitur status hujusce quæstionis, an licita sit emptio census realis? *num.* 790. & 791. Licitus est census realis, etiam ex utraque parte redimibilis. *num.* 792. & 793. Solvuntur objectiones, & conclusio corollariis illustratur. *numer.* 792. & *seqq.* Emptio census personalis Germanici similiter est licitus, quamvis ex utraque parte sit redimibilis. *num.* 798. Solvuntur argumenta opposita, & conclusio illustratur per corollarium. *num.* 799. & *seqq.*

Cereus Paschalis.

Cereus Paschalis accendi debet ordinarie ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, Sabbato in Albis, & in Dominicis usque ad Ascensionem. *part.* 3. *num.* 389. *D.* CXX.

Certitudo moralis.

Certitudo moralis unius opinionis non potest componi cum probabilitate, saltem practica, alterius opinionis oppositæ. *part.* 1. *num.* 117. Unde differt a Probabilismo, etiam maximo &c. *ibid.* Vid. *Conscientia. Conscientia probabilis.*

Cessatio a Divinis.

Cessatio a Divinis (quæ & *Suspensio organorum*, vel *laudis Divinæ* dicitur) est *simplex prohibitio Ecclesiastica, Clericis imposita, ut abstineant ab Officiis Divinis, & certorum Sacramentorum administratione, in aliquo loco, ad contestationem mœroris.* *part.* 3. *num.* 290. Quomodo differat ab Interdicto? *ibid. n.* 291. Relaxari potest non solum a S. Pontifice, sed etiam ab Episcopo. *num.* 292.

Cessio bonorum,

Cessio bonorum fit quando debitor, videns, se non esse solvendo, palam profitetur suam impotentiam; ideoque bona sua creditoribus relinquit, inter ipsos juxta juris, quod quolibet habet, qualitatem, ac proportionem dividenda, ut singulis inde satisfiat, quantum potest. *part.* 4. *num.* 534. Non excusat a restitutione; sed ex dispositione Juris Civilis alios tres effectus favorabiles debitori præstat. Prior est, ut cessor bonorum in

carcerem conjici non possit, vel in eum conjectus liberari debeat. Secundus est, ut contra creditorum molestias, dum solvendo est impar, exceptione cessionis bonorum tueri se possit. Tertius, ut si post cessionem bonorum ad meliorem fortunam pervenerit, a creditoribus conveniri non possit ultra id, quod commode præstare potest, servatis sibi alimentis necessariis secundum qualitatem, & statum personæ. *ibid.* Ao hoc *flebile beneficium* (sic vocatur cessio bonorum) sit indultum omnibus debitoribus? *num.* 535.

Character Sacramentalis.

Character Sacramentalis imprimitur per Sacramenta initerabilia; perque ea causatur ex opere operato moraliter. *part.* 5. *numer.* 67. Est entitas realis, & absoluta de genere qualitatis. *ibid. num.* 68. Enervantur argumenta opposita. *num.* 69. *& seqq.* Subjectatur immediato in volunrate n. 71. Refelluntur fundamenta contraria. *n.* 73. *& seqq.* Est indelebilis tam in præsenti, quam in futura vita, juxta modernam Dei ordinationem. *num.* 77. Satisfit objectioonibus. n. 78. *& seqq.*

Charitas.

Charitas (habitualis) est *virtus Theologica, voluntatem creaturæ rationalis inclinans ad amandum Deum propter se, proximum autem, uti & seipsum propter Deum. part.* 2. *numer.* 128. Insinuatur, quid sit Charitas Actualis. *ibid. num.* 129. Objectum materiale Charitatis primarium est Deus qua Deus; secundarium vero nos ipsi, nosterque proximus. *num.* 130. Creaturæ irrationales a ratione objecti materialis recte excluduntur. *n.* 131. Objectum formale Charitatis est Bonitas Dei absoluta, eaque essentialis. *num.* 132.

Charitas erga Deum.

Charitas Dei habitualis omnibus omnino hominibus est necessaria necessitate medii ad justificationem, & salutem. *part.* 2. *numer.* 133. Actualis vero adultis, ratione pollentibus. *ibid. num.* 134. Ostenditur, qualis debeat esse Charitas Dei actualis, hominibus adultis prædicto modo necessaria. *num.* 135. Non est licitum, amare Deum propter æternam gloriam tanquam finem principalem, & ultimatum; bene vero propter eandem gloriam tanquam finem minus principalem, & inultimatum. *num.* 136. Excusandi sunt a peccato Patres, & Matresfamilias, dum intensius diligunt suas proles, quam Deum. *num.* 137. Datur præceptum Charitatis erga Deum tam affirmativum, quam negativum. *num.* 138. Affirmativum obligat per se, & graviter, ad sæpius eliciendos actus dilectionis Dei, diuque non differendos. *num.* 139. Fit, ac diluitur instantia. *num.* 140. Adstruuntur tempora prædictæ obligationis. *num.* 141. Solvitur instantia. *num.* 142. Idem præceptum sæpius etiam obligat per accidens. *n.* 143. Præceptum negativum obligat semper, & pro semper. *n.* 144. Læsus Sacerdos moribundo, præter actus fidei, spei, & doloris de peccatis, suggere quoque debet actum dilectionis Dei super omnia. *num.* 250.

Charitas erga seipsum, & proximum.

Quilibet post Deum super omnia dilectum tenetur ex præcepto Divino diligere seipsum, & proximum. *part.* 2. *numer.* 145. Explicatur, qualis debeat esse illa dilectio. *ibid. num.* 146. Dum movetur quæstio de ordine dilectionis inter personas diligendas servando, ea non procedit de ordine intensionis, sed appretiationis. *n.* 147. Bona, quæ nobis ipsis, vel proximis nostris velle possumus, sunt triplicis generis. *n.* 148. Ordo Charitatis postulat, ut quilibet amore appretiativo amet. 1. Seipsum quoad bona spiritualia necessaria. 2. Proximum quoad eadem bona spiritualia. 3. Seipsum quoad bona corporalia. 4. Proximum quoad eadem bona. 5. Seipsum quoad bona externa, ac deinde proximum quoad eadem bona. *num.* 149. Nunquam licet committere peccatum, aut velle amittere gratiam, vel gloriam, ut proximorum salus procuretur. *num.* 150. *&* 151. Si proximus versetur in extrema necessitate salutis spiritualis, teneris eidem succurrere cum jactura bonorum tuorum corporalium, & externorum quorumcunque; secus, si solum versetur in necessitate gravi, vel levi. *num.* 152. Ordo Charitatis etiam postulat, ut unus proximus diligatur magis, ac alter; idque tam affective, quam effective. *num.* 153. Hucusque dicta magis explicantur, & applicantur ad ordinem dilectionis in particulari. *num.* 154. *& seqq.* Leopoldus, Ordinis Seraphici Religiosus, potuit in naufragio apprehensam tabulam concedere dicti Ordinis Patrono. *numer.* 252. Leander non satisfacit præcepto Charitatis erga proximum, si hunc solummodo amet externe, vel ex motivo ipsi, aliisque placendi. *num.* 253. An, & qualiter diligendi sint inimici? Vid. *Dilectio inimicorum.*

Chirurgus.

Chirurgus peccat. 1. Si temere, & debita peritia destitutus, vulnera curare tentet, cum periculo errandi. 2. Si Medicum, quando gravitas vulneris exigit, non consulat. 3. Si curationem protrahat majoris lucri accipiendi gratia. 4. Si postulet mercedem justo majorem. 5. Si venam aperiat, vel aliud remedium adhibeat, procurandi abortus causa. *part.* 3. *num.* 702. Qualem sententiam sequi teneatur Chirurgus. *part.* 1. *num.* 16e.

Chorea.

Choreæ secundum se, & demptis circumstantiis vitiosis, non sunt illicitæ. *part.* 2. *num.* 718.

Chorus. Vid. *Hora Canonica.*
Chrisma. Vid. *Confirmatio.*
Ciborium. Vid. *Contactus rei sacræ.*
Cingulum pro Sacrificio. Vid. *Paramenta.*

Clavis Tabernaculi.

Clavis Tabernaculi a Sacerdote asservari debet. *part.* 5. *num.* 389. *D. CXLVIII.*

Clausura, nempe Regularium.

Circa hanc *Clausuram*, quam Ecclesia ordinavit ad Castitatem in Regularibus conservandam, notandum 1. nomine Monasterii (sive sit Virorum, sive Mulierum) in quo illa introducta est, & viget, intelligi totum illud spatium, quod ambitur, & clauditur muris, sive septis Monasterii. Hinc sub clausura comprehenduntur non tantum officinæ, & habitacula interiora, sed etiam horti, & similia, quæ intra Monasterii muros, sive septa consistunt; secus est de hortis, domibus, prædiis &c. extra sitis. Pariter sub clausura comprehenditur Sacristia, quando ad eam non patet ingressus, nisi per claustra Monasterii; secus, quando ad eam patet ingressus per Ecclesiam. Eodem modo videtur discurrendum de Choro &c. *part.* 3. *num.* 592. Notandum 2. observationem clausuræ Virorum duas in partes distribui: alia quippe est observatio, quæ fit non egrediendo extra Claustrum, & alia, quæ fit non admittendo intra illud feminas. Viri Religiosi obligantur ad non egrediendum e clausura absque licentia Superioris expressa, vel tacita, vel rationabiliter præsumpta. Quanta sit dicta obligatio? Sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & S. Pontifici reservata, interdicitur mulieribus, ne Claustra Virorum ingrediantur; ipsis vero Monasteriorum Superioribus, ac Regularibus sub eadem pœna, & insuper sub pœna privationis Officiorum, quæ de præsenti obtinent, ac inhabilitatis ad eadem, & alia imposterum obtinenda, nec non suspensionis a Divinis, ne illas introducere, vel admittere præsumant. Aliquæ tamen excipiuntur, quæ admitti, & ingredi possunt: imo etiam, alias ingressu prohibitæ, in certis casibus ingredi queunt. *ibid.* Notandum 3. etiam observationem clausuræ Mulierum, seu Monialium, dupliciter spectari posse: nempe quatenus Monialibus e Claustro egredi prohibitum est, & quatenus nemo intra idem Claustrum admittendus est. Omnes Moniales Professæ speciali, eoque strictissimo præcepto obligantur ad clausuram, ita, ut nulli earum extra septa Monasterii, quocunque prætextu, etiam ad breve duntaxat tempus sine justa causa, & legitima licentia egredi liceat. Assignantur causæ, ob quas illis egrediendi licentia dari potest. Quas pœnas sine licentia egredientes incurrant? Sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, prohibetur omnibus personis cujuscunque generis, conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, ne intra septa Monasterii Monialium ingrediantur sine licentia &c. Quædam tamen personæ excipiuntur, quæ & recensentur. *ibid.* Transgredientes clausuram modice, v. g. duos duntaxat pedes, aut etiam passus ponendo extra, vel intra clausuram, excusantur a mortali, & pœnis contra transgressores statutis. *ibidem.* Dympnæ Moniali, & periculose decumbenti, Episcopus non potest dare licentiam extra clausuram egrediendi ad recuperandam sanitatem. *numer.* 643.

Clericatus.

Clericatus est assumptio in hæreditatem Domini. *part.* 3. ante *num.* 402. Acquiritur per primam Tonsuram: estque necessarius, seu necessario præsupponitur ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum. *part. & numer. citt. ad fin.*

Clerici.

Clerici non sunt subditi Legibus civilibus, sive quoad coactivam, sive quoad vim directivam directe,

perpetua; vel ad tempus, & dicitur *Commenda temporalis*. *part.* 3. *num.* 203. Commenda temporalia non sortitur rationem Beneficii strictæ dicti, ob defectum perpetuitatis. *ibid.* Commendatario non defertur liber osculandus in Missa. *part.* 5. *num.* 389. *D. CXL.*

Commixtio, Vid. *Permixtio*.

Commodatum.

Commodatum est *contractus, quo res ad certum usum, vel tempus, gratis ea lege conceditur, ut, illo finito, eandem in individuo restituatur*. *part.* 4. *n.* 807. Itaque in commodato non transfertur dominium, sicut transfertur in mutuo. *ibid.* Porro commodator non potest (per se loquendo, & nisi causa interveniat) commodatum repetere ante tempus conventum, &, si repetat, tenetur commodatario resarcire damnum, siquod ex intempestiva commodati repetitione ei enatum sit. *ibid.*

Communicantes.

Infra Octavas Epiphaniæ, & Ascensionis, si occurrant alia Festa propriam habentia *Præfationem*, tamen *Communicantes* dici debet de Epiphania, vel Ascensione. *part.* 5. *num.* 389. *D. CLXXVIII.*

Communicatio cum Excommunicatis. Vid. *Excommunicatio*.

Communicatio cum Hæreticis. Vid. *Hæresis*.

Communicatio cum Judæis. Vid. *Judaismus*.

Communio. Vid. *Eucharistia Susceptio*. Item: *Communionis Præceptum*, ut sequitur.

Communionis Præceptum.

Præcepto Communionis non solum qua Divino, sed etiam qua Ecclesiastico obligantur omnes homines baptizati, sufficiente rationis usu pollentes: idque sub mortali. *part.* 3. *num.* 43. Solvitur objectio. *num.* 44. An ad S. Communionem admittendi sint semifatui; non perpetuo amentes; furiosi; epileptici; energumeni; surdi, & muti? *num.* 45. *& seqq.* Ut præcepto annuæ Communionis satisfiat, ea sumi debet tempore Paschali in propria Parochia, & e manu proprii Parochi; vel alieni cum proprii licentia expressa, vel tacita. *num.* 51. *& seqq.* Præcepto annuæ Communionis non satisfit per Communionem sacrilegam. *numer.* 54. Qui anno, vel Paschate elapso non communicavit, tenetur id supplere, quamprimum potest. *num.* 55. Satisfacit tamen talis unica Communione pro duobus annis. *num.* 56. Qui anno currente prævidet, se anno sequente a Communione impediendum, non tenetur eam anticipare; uti nec, qui prævidet, se impediendum tempore Paschatis. *n.* 57. 58. Secus est de eo, qui primis Paschæ diebus prævidet, se impediendum diebus ceteris. *n.* 59. An frequens, vel etiam quotidiana Communio permitti possit? *n.* 60. Quænam sint notanda circa Communionem, prout hæc obtinet rationem Viatici? Vid. *Viaticum*. An, & qualiter Parochus obligetur suis parochianis ministrare Communionem? *num.* 62. Qualnam incurrat pœnas Paschalis Communionis neglector? *num.* 63. Qualis ad S. Communionem requiratur dispositio? Vid. *Eucharistia Susceptio*. Xystus Sacerdos non adimplet præceptum Communionis Paschalis, dum hanc more laico accipit in aliena Parochia, & e manu Parochi non sui. *numer.* 78. Xaveria, dum petit, & impetrat a suo Parocho licentiam alteri Sacerdoti, & in aliena Parochia pro Paschate confitendi, non censetur eo ipso petere, & impetrare licentiam ibidem etiam pro Paschate communicandi; & consequenter, si nihilominus communicet, præceptum Communionis Paschalis non implet. *num.* 79.

Communitas.

Communitas alia est *perfecta*, alia *imperfecta*. Prior est, quæ moraliter unitur sub uno Capite, eam gubernante cum potestate politica jurisdictionis, & communium bonorum participatione: atque hæc talis Communitas sibi ipsi sufficit ad comparandam felicitatem, sortiturque nomen, ac rationem *Reipublicæ*. Posterior est, quæ regitur potestate mere dominativa, & œconomica, omniaque illius membra diriguntur ad bonum privatum Patrisfamilias, non ad bonum commune omnium. Prior Communitas est capax Legis proprie dictæ; non item posterior. *part.* 1. *num.* 203. Integra Communitas suspendi potest; non autem excommunicari. *part.* 3. *num.* 148. Potest etiam integra Communitas interdici &c. *cit. part.* 3. *num.* 178.

Commutatio Operum in Jubilæo. Vid. *Jubilæum*.

Commutatio Pœnitentiæ, seu Satisfactionis Sacramentalis.

Poenitens non potest propria authoritate poenitentiam, a Confessario sibi impositam, commutare in aliud opus,

ut melius. *part.* 5. *num.* 614. Solvuntur opposita. *num.* 615. Confessarius ex rationabili causa potest commutare poenitentiam, sive a se, sive ab alio æqualis potestatis Confessario injunctam, modo prior Confessio repetatur. *num.* 616. Quid agendum poenitenti, poenitentiæ injunctæ oblito?

Commutatio Voti, & Juramenti.

Quinam authoritate Ecclesiastica votum commutare possint, & quinam non? *part.* 2. *num.* 465. An, & quomodo vovens authoritate propria, & privata suum votum commutare valeat? *ibid. num.* 466. Quomodo commutatio voti instituenda sit? *num.* 467. An ad commutationem voti requiratur aliqua causa, & quanta? *num.* 468. An commutatio voti fieri possit ad tempus, vel pro uno duntaxat actu? *num.* 469. An, si actio, voto promissa, sit reservata Pontifici, & commutetur in aliam non reservatam, hæc posterior censeatur reservata? *n.* 470. An votum, semel commutatum, possit iterum, iterumque commutari? *num.* 471. An vovens, facta commutatione, ad priorem materiam promissam pro libitu redire, illamque exequi possit, relicta subrogata? *num.* 472. An vovens, facta commutatione, teneatur exequi opus primo promissum, quando materia subrogata fit inutilis, aut impossibilis? *num.* 473. Atque hæc, quæ impræsentiarum de commutatione Voti proposita sunt, etiam applicanda veniunt de commutatione Juramenti; prout insinuatum ante *num.* 497. Porro Casus, quos propositos, & resolutos invenies infra verbo: *Dispensatio Voti*: etiam huc pertinent, & trahendi sunt, ne eosdem bis ponere debeamus.

Comœdia turpis.

Qui comoedias turpes exhibent, aut exhiberi permittunt, mortaliter peccant; sicut & qui spectant, si hoc faciant animo inhonesto, & venereo, vel proximo periculo incidendi in delectationem, aut consensum venereum se exponant: alioquin, seu si ex sola vana curiositate interfuit, a mortali poterunt excusari. *part.* 2. *num.* 716. *&* 717.

Compensatio.

Compensatio alia est *juridica*, alia *vulgaris*. Prior definitur *debiti, & crediti inter se contributio*: & tunc fit, quando duo sunt sibi mutuo debitores. Per hanc compensationem, extra casus in Jure exceptos obligatio restituendi extinguitur, si debitum sit utrinque æquale &c. Posterior est *occulta recuperatio debiti*; & fit, quando creditor inscio debitore tantum surripit ex ejus bonis, quantum sibi debetur. *part.* 4. *numer.* 523. Licita est occulta compensatio, etsi vulgaris, modo debitis conditionibus vestita sit; & excusat ab onere restituendi tam debitorem, quam creditorem compensantem. *ibid num.* 524. Satisfit argumentis oppositis. *num.* 525. *& seqq.* Recensentur conditiones, ad licitam compensationem requisitæ. *num.* 528. Kockius ad negotia extraordinaria applicatus potest prætendere augmentum salarii, &, si illud impetrare non valeat, occulte compensare: nisi per contractum prævium suo juri cesserit. *num.* 551.

Complex.

Si complex manifestarit Confessario peccata complicis, ea sub Sigillum Sacramentale cadunt. *part.* 5. *num.* 706. Complex non debet Confessario manifestare complicem, quando hoc non est necessarium ad explicanda peccata, quæ sunt materia necessaria Confessionis; secus, quando id necessarium est. *ibid. num.* 593. Confessarius valide, vel etiam licite absolvit suum in peccato complicem, per se loquendo, & nisi sit in Dioecesi, in qua per Legem Synodalem Sacerdoti prohibita est absolutio sui complicis. *num.* 744.

Compositio cum Papa.

Compositio cum Papa fit, si quis ab Ipso super bonis alias restituendis accipit licentiam, & dispensationem, ut aliqua illorum parte, pauperibus, aliisve piis causis applicata, reliquam sibi reservet. *part.* 4. *numer.* 538. An, & quando hæc talis compositio excuset a restitutione? *ibid.*

Compositio super male ablatis incertis.

Faculta faciendi compositionem super ablatis incertis, (quando in Jubilæo conceditur, sicut quandoque concedi solet) ita venit intelligenda, ut, si poenitens per usuram, rapinam, furtum, aliove modo illicito contraxit debita, & absolute ignorat, quibus creditoribus idcirco sit obstrictus, ac obligatus, possit a Confessario Jubilæi impetrare remissionem vel totalem, vel partialem,

menti; neque necessario necessitate præcepti Divini, sed solum necessario necessitate præcepti Ecclesiastici non scripti, seu consuetudinarii, num. 558. Recensentur casus, in quibus aliter, quam ore fieri potest. n. 559. Eadem necessitas debet esse secreta. n. 560. Nemo per se loquendo tenetur confiteri publice, aut per interpretem. num. 561. & 562. Quid hic observandum, si pœnitens peccata gravia fuerit confessus uni Confessario, & levia alteri? n. 563. Quid si sit confessus Confessario dormitanti, surdastro, distracto, vel ita indocto, ut nesciat discernere inter lepram, & lepram? num. 564. & 565. Quid si Confessarius, ob debilitatem memoriæ v. g. sit oblitus statum pœnitentis confessi &c.? num. 566. Quomodo se gerere debeat pœnitens, in præcedenti confessione circumstantiæ, peccati speciem moraliter mutantis, oblitus? n. 567. Item quomodo se gerere debeat Confessarius, si pœnitens simpliciter fateatur, se hactenus non esse recte confessum? num. 568. Proponitur praxis facilitandi repetitionem confessionum. num. 569. Xantophius circumstantiam incestus, cum propria sorore commissi, reticere non potest in confessione, etiamsi Confessario, cui hic, & nunc necessario confitetur, soror sit nota. num. 593.

Confessionis Præceptum.

Præcepto Confessionis non solum qua Divino, sed etiam qua Ecclesiastico obligantur omnes homines baptizati, usu rationis prædati, & lethali culpa gravati: idque sub mortali. part. 3. num. 27. Exponuntur particulæ conclusionis. ibid. num. 28. Quænam Regula inserviat ad dignoscendum, an pueri, & puellæ rationis usu præditi sint. num. 29. Probabilius est, pueros, & puellas, necdum septennes, obligari præcepto Confessionis etiam qua Ecclesiastico, si mortali peccato gravati sint. num. 30. Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis satisfit, quocunque anni tempore Confessio fiat. numer. 31. Proponitur, & solvitur objectio, n. 32. Quomodo annus, intra quem peragi Confessio debet, sit computandus? n. 33. Non satisfit præcepto Confessionis per Confessionem sive voluntarie, sive involuntarie nullam. num. 34. Qui non est confessus (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) anno elapso, tenetur id supplere anno currente. num. 35. Satisfacit tamen similis una Confessione pro ambobus annis. Etiamsi quis anno currente prævideat, se anno sequente ab instituenda Confessione impeditum iri, non tamen tenetur eandem anticipare. n. 37. Secus est, si anno jam cœpto prævidet, se ita impeditum iri per reliquas illius partes. n. 38. Quas pœnas incurrat annuæ Confessionis neglector? n. 39. VVenceslaus ad finem anni in mortalia lapsus, tenetur adhuc eodem anno confiteri, si ante non nisi venialia habuerit, & confessus sit. num. 40. VVendelinus Parochus non potest imperare suis parochianis, ut Confessionem Paschalem sibi faciant, & non Religiosis Mendicantibus, ab Episcopo approbatis. num. 41. VVilibaldus, mortalia confessus, non tenetur eodem anno adhuc semel confiteri, dum recordatur peccati mortalis in peracta Confessione citra culpam omissi. num. 42. Xaverius incidens in periculum mortis tenetur adhuc confiteri (supposito mortali peccato) quamvis antea præcepto Confessionis annuæ jam satisfecerit. numer. 77. in torollar.

Confirmatio.

Confirmatio est *Sacramentum novæ Legis, ad homines baptizatos, in fide roborandos, institutum.* part. 5. num. 190. Ejus institutio contigit in ultima Cœna. ibid. num. 191. Solvuntur objectiones. num. 192. & 193. Adstruitur materia remota Confirmationis. num. 194. Diluuntur opposita. num. 195. Ad quem pertineat benedictio chrismatis? n. 196. An chrisma necessario debeat esse recens? n. 197. Adstruitur etiam materia proxima. n. 198. Solvitur objectio. n. 199. Forma Confirmationis Græcanica. n. 200. Forma Latina. num. 201. Non omnia, quæ in hac ponuntur, sunt de essentia. 202. Assignatur Minister ordinarius Confirmationis. num. 203. Satisfit argumentis in contrarium adductis. n. 204. & seqq. Statuuntur corollaria. n. 208. & seqq. Assignatur Minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis. n. 211. Solvuntur objectiones. n. 212. & seqq. Subjunguntur corollaria. n. 215. & 216. Subjectum hujus Sacramenti est omnis homo viator, baptizatus, & nondum confirmatus, cujuscunque ætatis, vel conditionis existat. n. 217. Nulla est obligatio directa, imo probabilius nec indirecta, suscipiendi Sacramentum Confirmationis. numer. 218. Duo sunt effectus Confirmationis; unus primarius, videlicet augmentum gratiæ sanctificantis cum jure ad gratias actuales, quibus adjuvantibus homo confirmatus fidem Christi intrepide, & constanter profiteatur: alter secundarius, nimirum character, qui in anima confirmati imprimitur, ibique indelebiliter inhæret. num. 219. Deducuntur corollaria. numer. 220. & 221. De iis, quæ concernunt designationem Patrini, Vid. Patrini designationem, & adhibitionem Patrini, observandi adhuc in Confirmatione sunt alii Ritus: qui & specificantur, ac declarantur, num. 226. Mandatum, ac monitorium ex Synodo Constantiensi pro Parochis hic affert P. Gobat, fere sic formatum: *Ut iteratam susceptionem hujus Sacramenti (Confirmationis) præcaveri, & melius etiam de cognatione spirituali judicari queat, mandamus Parochis, ut confirmatos, & eorum compatres ... in speciali libro, quantum fieri potest, inscribant.* numer. 227. Rembertus Episcopus illicite, & invalide agit, dum aliquem confirmat, loco chrismatis adhibendo oleum infirmorum. num. 228. Remigius Episcopus illicite facit, dum ad confirmandum utitur hac forma: *Confirmo te in Nomine Patris &c.* num. 229. Reinerius, quatuor annorum puerulus, morti proximus, licite Confirmatur. num. 230.

Confusio.

Confusio fit, quando duarum dominorum materiæ liquidæ, quæ liquefactæ, sive ejusdem, sive diversi generis, ita miscentur, ut ab invicem arte humana, sive via ordinaria separari nequeant; ut si vinum commisceatur vino &c. part. 4. num. 69. Qualem Confusio effectum operetur. ibid. num. 70.

Conjuges.

Arrha est in dominio dantis, &, secuto Matrimonio, restitui debet illi, qui dedit. part. 4. num. 261. Sponsalitia largitas, secuto Matrimonio, est in pleno dominio recipientis. ibid. num. 262. Bona paraphernalia sunt sub dominio uxoris: consultum est, ut eorum administratio uxoris nomine concredatur marito, nisi hic œconomiæ imperitus sit, vel incurius &c. num. 263. Dominium naturale dotis est penes uxorem, nisi sit dos æstimata æstimatione faciente venditionem &c. n. 265. Habet tamen maritus in tali dote non solum ususfructum, sed etiam dominium civile, illamque potest libere administrare, vindicare &c. ibid. Bona communia subjacent dominio utriusque conjugis. num. 266. Administratio tamen, & ususfructus pertinet ad maritum. ibid. Illa bona, quæ uxor sibi comparat industria, arte, aut labore suo extraordinario, sine tali, ad quem ut uxor non tenetur, sunt regulariter pleno jure uxoris, præsertim si marito attulit competentem dotem. ibid. Uxor, si ejus pater, mater, vel proles ex alio Matrimonio sint pauperes, ita, ut misere secundum suum statum vivant, & maritus eis succurrere nolit, potest ex suis bonis propriis, vel etiam communibus (modo post viri mortem omnia computet in sua parte) illis subvenire. num. 267. Uxor licite expendit bona paraphernalia, industrialia, parsimonialia, puta quæ ex vestium splendore, vel aliis sumptibus licitis, sibique ratione status debitis suum defraudando genium comparavit. num. 268. Potest uxor, marito etiam invito, ex bonis mariti facere eleemosynas moderatas, quales communiter ejusdem status, & conditionis mulieres facere solent. num. 269. Hyacintha ex bonis mariti defuncti potest absque injuria creditorum sublegere sibi necessaria ad competentem sustentationem, & jurare, se nihil subtraxisse. num. 284. Quoad alia, Vid. *Matrimonium. Debitum conjugale. Usus Matrimonii. Adulterium. Divortium.*

Consanguinitas. Vid. *Impedimenta Matrimonii.*

Conscientia in Genere.

Conscientia, spectando etymologiam nominis, nuncupatur a DD. *cordis scientia, concludens scientia, cum alio scientia.* part. 1. numer. 1. Hinc etiam quoad rem ipsam considerata pertinet formaliter ad intellectum, & non ad voluntatem. part. 1. num. 2. Solvuntur objectiones. part. 1. num. 3. & 4. Prout huc facit, consistit non in habitu, sed actu intellectus. part. 1. num. 5. Generatim, & late sumpta se porrigit ad actus præteritos, præsentes, & futuros. Relate ad primos dicitur *consequens*, estque mere speculativa: relate vero ad secundos, & tertios vocatur *antecedens*, estque practica. part. 1. n. 6. Dictamen, seu judicium intellectus in materia morum aliud est *improprie*, seu *speculative practicum*, & aliud *proprie*, seu *practice practicum*. Utrumque exponitur. Posterius appellatur etiam *ultimum*: in eoque essentialiter sita est conscientia, prout obtinet rationem proximam, & immediatam regulæ actuum humanorum in particulari. part. 1. num. 7. In qua proinde acceptione Conscientia (antecedens) definitur *dictamen intellectus practice practicum, & ultimum, dictans, quid sit agendum (tanquam honestum) vel saltem indifferens) vel non agendum tanquam inhonestum.* part. 1. num. 8. Solvitur objectio. part. 1. num. 9. Dictamen conscientiæ debet esse discursivum: idque vel formaliter, & explicite, vel saltem virtualiter, & implicite. part. 1. n. 10. Idem dictamen, ut sit regula sufficiens ad licite, & honeste operandum, debet esse certum saltem moraliter. part. 1. num. 11. Solvuntur opposita. part. 1. n. 12. Quomodo conscientia

Con-

menta opposita. *num.* 315. *& seqq.* Subnectitur corrollarium. *num.* 318. Contritio perfecta essentialiter differt ab imperfecta. *num* 319. Quid sentiendum de hac dolendi formula: *Summe doleo, quod Dominum Deum meum offenderim? num.* 320. *Contritio perfecta non necessario debet excindere veniam. num.* 321. Xaverius ex inferiore motivo, quam Charitatis sua peccata detestans non elicit perfectam contritionem. *num.* 391. De contritione imperfecta. Vid. *Attritio.*

Contumelia.

Contumelia est *dehonoratio alicujus per verba*) formalia, vel æquivalentia) *quibus id, quod est contra honorem illius, deducitur in ejus notitiam. part.* 2. *num.* 618. Quatuor præcipue sunt species contumeliæ, nempe *convitium, improperium, irrisio, & subsannatio*: quæ tamen non differunt inter se, nisi accidentaliter. *ibid. n.* 619. *&* 620. Contumelia est peccatum mortale ex genere suo, *num.* 621. A mortali excusantur parentes, dum filios suos appellant stupores, asinos, lurcones &c. *num.* 622. Uti & mulierculæ, dum ex ira se mutuis impetunt contumeliis. *num.* 623. Relandinus proximum afficiendo contumelia, & eidem detrahendo, committit peccata specie distincta. *num.* 630.

Convitium.

Convitium (quod est species contumeliæ dicitur, *quo alteri physice absenti vitium, vel defectus* (etiam verus, licet naturalis tantum) *cum aliquo ipsius dedecore objicitur. part.* 2. *num.* 619.

Cooperans ad damnum.

Recensentur, & explicantur causæ cooperantes ad damnum. *part.* 2. *num.* 433. Aliæ ex illis concurrunt ad damnum positive, aliæ negative. *ibid. num.* 434. Non solum causa cooperans ad injustum damnum proximi positive, & directe, sed etiam cooperans negative, & indirecte, quando hæc ex contractu, vel quasi contractu damnum impedire obligabatur, tenetur ad restitutionem &c. *num.* 435. Hæc conclusio illustratur per duas animadversiones. *num* 436. *&* 437 Obligatus ad restitutionem caupones, & ejusmodi, qui filiosfamilias domi suæ recepiant, ut ibi paternam pecuniam potu, vel lusu consumant, parentibus abnuitis, & quoad substantiam invitis *num.* 442. Qui suo suffragio subscripsit causæ iniquæ, nondum sufficienter convictæ, obligatur ad restitutionem. *num.* 440. Qui afflictum injuria irridet, eique exprobat ignaviam, quod injuriam non ulciscatur, tenetur ad restitutionem si hac tali ratione commoveat injuriatum ad vindictam sumendam. *num.* 441. Kempsianus, qui influit & cooperatus fuit ad furtum citius perpetrandum, nulli restitutionis oneri subjacet. *n.* 546. Vid. *Damnificans.*

Copula.

Copula alia est *perfecta*, alia *imperfecta*. Prior, si inter personas solutas exerceatur, est concubitus hominis soluti, verum semen habentis, cum soluta, in ordine ad generationem: & sic coincidit cum simplici fornicatione. *part.* 2. *n.* 833. Posterior (subintellige iterum, si exerceatur inter personas solutas) est concubitus hominis soluti, non habentis verum semen, cum soluta, vel habentis quidem verum semen, sed hoc extra vas muliebre penetratum effundentis, ac dispergentis. ut si eunuchus, utroque testiculo orbatus, adeoque vero semine destitutus, cum puella coeat, vel non eunuchus, & verum semen habens, sed recedendo, & semen in vas mulieris penetratum non immittendo. atque hæc copula non potest dici fornicatio simplex, sed qualificata, & necessario ut talis in Confessione exprimenda. *ibid.* Quare si puella aliqua confiteatur carnalem congressum v. g. cum soluto (vel hic cum illa) exercitum, tenetur Confessarius (nisi ipsa exprimat) interrogare, an mas recesserit, & copulam abruperit, nec ne *part.* 3. *num.* 733. De copula inter conjuges. Vid. *Debitum conjugale.* Item: *Usus Matrimonii.*

Corporale pro Sacrificio, Vid. *Paramenta.*

Correctio fraterna.

Correctio (vel *correptio*) fraterna est *conveniens admonitio, qua ex Charitate, & Misericordia proximum a malo, vel periculo peccati ad bonum honestatis convertere nitimur.* Quare correctio fraterna est opus Misericordiæ spiritualis, sicut eleemosyna est opus Misericordiæ corporalis. *part.* 2. *num.* 180. Obligatio illius oritur ex præcepto Naturali, Divino, & Humano. *ibid. num.* 185. Proponitur, & solvitur objectio. *num.* 186. Prædicta obligatio non stringit pro omni tempore. *num.* 187. Omnes, qui indigent correctione fraterna, corrigendi sunt. *num.* 188. Quis debeat adhiberi modus in corrigendo? *n.* 189. Omnes omnino homines, usu rationis præditi, obligantur præcepto fraternæ correctionis. *numer.* 190. Solvitur objectio. *num.* 191. Obligatio fraternæ correctionis non omnes obstringit æqualiter. *numer.* 192. In correctione fraterna regulariter servandus est ordo a Christo præscriptus. *num.* 193. Non tamen in Religionibus, in quibus viget speciale Statutum, vi cujus renunciant juri, quod habent in suam famam. *num.* 192. Bene vero in Religionibus, in quibus simile Statutum non viget. *n.* 195. Solvuntur objectiones, & deducuntur corollaria. *num.* 196. *& seqq.* Leontius advertens, nonnulla fieri de se meis ex ignorantia, etsi inculpabili, tenetur nihilominus ignorantes monere. *num.* 255.

Credere. Vid. *Fides.*

Creditor Vid. *Ordo restituendi servandus &c. Creditum, seu Chirographum.* Vid. *Empito-Venditio.*

Crimen falsi.

Crimen falsi est *immutatio veritatis dolose facta in præjudicium alterius. part.* 4. *num.* 335. Contingit autem quatuor sequentibus modis. 1. *Dictis*, vel verbis; ut si testis in Judicio scienter deponat falsum: si Advocatus causam sui clientis prodat Adversario, veras probationes, aut exceptiones dissimulando, & falsas admittendo: si Judex per munera corruptus sententiam iniquam proferat &c. 2. *Scripto*, vel per scripturam; ut si Notarius conficiat instrumentum, vel testamentum falsum: si quis alienum instrumentum vitiet, vel supprimat: alienum chirographum, aut manum imitetur: sigillum adulterinum faciat, vel adhibeat: referat literas publico Magistratus sigillo munitas &c. 3 *Facto*, vel *re*; ut si quis sine legitima authoritate cudat monetas, vel ex materia adulterina: si falsificet merces, pondera, vel mensuras: si limites transponat in agris, vel pratis: si supponat alienum partum &c. 4 *Usu*, vel potius *abusu*; ut siquis falsitate ab aliis confictis utatur, v. g. proferendo instrumentum falsum; leges, aut probationes falsas producat in Judicio, dolose colligat, & exponat monetas adulterinas; nomen, vel insignia alienæ Familiæ usurpet &c. *part.* 2. *& num.* 335. *cit.* Irenæus mercator committit crimen falsi, & peccat contra Justitiam commutativam, expendendo monetas adulterinas pro mercibus comparandis. *ibid.*

Crux.

Dum celebratur Missæ Sacrificium adesse, & prostare debet in Altari Imago Christi Crucifixi, etiamsi expositum sit Venerabile *part.* 3. *num.* 371. *in respons.* 2. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa. *ibid. num.* 89. *D. CCXLII.* Signum, quod fit cum patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo Crucis. *D. CLXXV.* In fine Missæ ad quodcunque Altare celebratæ fit reverentia Cruci infra gradus aperto capite. *D. CLXXX.* Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. *D. CLI.* Tolerari non debet, quod in locis publicis, & sordidis fiant depictæ diversæ Cruces, & Sanctorum Imagines in derisum Christianæ Religionis. *D. XXXV.* De Crucibus Jerosolymitanis. Vid. *Indulgentia.* De Adoratione Crucis Christi, & aliarum ad illius similitudinem efformatarum. Vid. *Adoratio.*

Culpa.

Culpa alia est *Theologica*, alia *Juridica*. Theologica est peccatum, sive offensa Dei, ideo sic dicta; quia eam præcipue solent spectare Theologi in foro conscientiæ, & in ordine ad Deum. Juridica (quæ etiam appellatur *civilis*, & *politica*) est omissio alicujus diligentiæ, qua damnum, vel incommodum proximi impediri potuisset; & debuisset, quin tamen coram Deo, & in conscientia ad peccatum imputetur. Dicitur *Juridica*; quia eam Jura attendunt pro foro externo, in quo interna non patent. *part.* 4. *n.* 379. Porro culpa Theologica alia est *gravis*, seu *mortalis*, alia *levis*, seu *venialis*. Vid. *Peccatum.* Culpa Juridica subdividitur in *latissimam*, *latiorem*, *latam*, *levem*, & *levissimam*. Latissima est, cum quis aliquid agit, vel omittit, intendens proximi damnum, quod ex sua actione, vel omissione secuturum prævidet & appellatur quasi generice *dolus apertus*; quasi specifice, si fiet verbis mendacibus, *fallacia*; si factis, *fraus* si arte verborum sine mendacio, *machinatio*. Culpa latior est, cum quis non quidem intendit, prævidet tamen damnum proximi ex sua actione, vel omissione secuturum, & vocatur *dolus præsumptus*: cui annumeratur ignorantia Juris communis, saltem in viris. Et hæc culpa quandoque confunditur cum latissima, diciturque *dolus* absolute, & simpliciter. Culpa lata est omissio diligentiæ, ab hominibus ejusdem conditionis communiter adhiberi solitæ: ideoque reipsa adjunctam habet positivam negligentiam. Levis est omissio diligentiæ, ab hominibus providentioribus in simili negotio adhiberi solitæ. Levissima est omissio diligentiæ, a providentissimis duntaxat

adhiberi

Dedica-

Dedicatio Ecclesiæ.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebrari debet à Secularibus in tota Diœcesi sub ritu primæ classis, sed sine Octava, præterquam in ipsa Civitate: Regulares autem merito accommodant se Decreto de non celebranda Octava Dedicationis Ecclesiæ, sed tantum de die ipso sub ritu secundæ classis sine Octava. *part.* 4. *num.* 473. *in respons.* 3. & *part.* 5. *n.* 389. *D. IV. & V.* Dedicatio Ecclesiæ Regularium ab his celebrari debet sub ritu duplici primæ classis cum Octava. *D. VI.* Si occurrat Dedicatio in Festo B. Virginis Mariæ, fit de ea. *D. III.* Dedicatio Salvatoris, & Apostolorum; item Octava Dedicationis dividit Vesperas cum duplici minore. *D. CCXLVI.*

Deductum ad forum contentiosum. Vid. *Absolutio a Censuris.*

Defectus Missæ.

Recensentur Defectus Missæ; sive Rubricæ Missalis de Defectibus, in celebratione Missarum occurrentibus, *part.* 5. *num.* 405. An tales Rubricæ sint omnes præceptivæ, vel aliquæ directivæ tantum? *ibid. num.* 406. Qualiter antevertendi, vel supplendi sint defectus Missæ *num.* 407. Quid faciendum in casu, quo aqua pro vino fuerit infusa, & consecrata? *num.* 408.

Defloratio. Vid. *Sponsalia.*

Defuncti.

Orandum est homini viatori pro omnibus animabus purgantibus in communi, & aliquibus (puta, quibus titulo pietatis, aut gratitudinis specialiter obstrictus es) in particulari. *part.* 2. *num* 274. Marcolphus non orando, nec orationes, vel suffragia aliorum procurando, nec Missas legi curando pro anima defuncti parentis, quam adhuc in piacularibus flammis detineri sibi firmiter persuadet, mortaliter delinquit. *ibid. num.* 384. Defunctis, in purgatorio existentibus applicari potest Sacrificium Missæ quoad fructum tam satisfactorium, quam impetratorium. *part.* 5. *num* 376. Iisdem defunctis applicari etiam possunt Indulgentiæ per modum suffragii. *ibid. num.* 641. Ceterum concedere Indulgentias animabus in purgatorio applicandas *per modum suffragii*, est ejusmodi animas liberare a pœnis, applicando solum satisfactione aliorum ex Thesauro Ecclesiæ. *num.* 666. Applicatio Indulgentiarum defunctis habet effectum infallibilem, haud secus, ac applicatio illarum pro vivis. *num. cit.* Fieri potest, ut quis, extra statum gratiæ positus, obtineat Indulgentiam pro defuncto. *num. cit. in respons.* 2. Quod Indulgentia Portiunculæ secunda die Augusti pro defunctis obtineri possit toties quoties &c. Vid. *Indulgentia.*

Defunctorum Officium.

Ad Horas Canonicas obligati, sub reatu gravis culpæ in currendo tenentur recitare Officium Defunctorum secunda Novembris, *part.* 3. *num.* 475. Non possunt Matutinum dicti Officii anticipare, seu pridie dicere prout decisum est luculento Decreto, quod emanavit die 2. Sept. anno 1697. & ita sonat *Matutinum Defunctorum pro generali earum Commemoratione recitandum est mane die secunda Novembris, non vero pridie vespere. ibid. num* 476. Illi, qui utuntur Breviario Romano, non tenentur, saltem extra Chorum, recitare Officium Defunctorum aliis diebus in Rubricis per annum præfixis &c. *num.* 474.

Degradatio.

Degradatio est *pœna Ecclesiastica, qua Clericus solemniter, & authentice non tantum Ordine, Beneficio, & Officio, sed etiam statu Clericali, id est, omnibus privilegiis Clericalibus, Fori; Canonis &c. privatur in perpetuum. part.* 3. *n.* 287. Degradatus nihilominus valide consecrat, si sit Sacerdos, non item licite, *ibid. num.* 288. Obligatur præterea adhuc, si sit in Sacris constitutus, ad recitandas Horas Canonicas, & servandam Castitatem. *num.* 289. Degradationem realem solus Pontifex, verbalem vero etiam Episcopus relaxare potest. *num.* 292.

Delatio criminis, seu delicti.

Delatio criminis occulti est obligatoria, si hæc sit necessaria ad cavendum damnum tertii, vel communitatis, *part.* 2. *num.* 193. & 197. Licet crimen occultum proximi cedat in damnum solius delinquentis, si tamen secreta admonitio, vel etiam testium adhibitio prævidetur nihil profutura, ea prætermissa, crimen immediate deferendum erit ad Superiorem, qua Patrem, si per hunc credatur proximus emendandus: nisi, illud sciens, certo sibi persuadeat, secretam admonitionem æque profuturam, ac correctionem Superioris, ad quem alioquin crimen deferendum esset. *part.* 2. *num.* 193. *cit.* Vid. *Correctio fraterna.* Delatio criminis emendati est illicita, & detractoria, nisi adsit periculum relapsus. *ibid. num.* 638. *in respons.* 2. & *Monitum.* 3. Vid. *Detractio.*

Delectatio morosa.

Delectatio morosa (prout constituit speciem luxuriæ non consummatæ, vel etiam versatur circa objectum vetitum extra lineam luxuriæ) est *simplex complacentia in re illicita, ab quo intentione eandem opere perficiendi. part.* 2. *num.* 693. Appellatur *morosa* non a mora temporis, quam quis consumit in illa; sed quod voluntas, dum eam advertit, adhuc moretur, & reprimere negligat: vel quod in illa sistat, moretur, & quiescat, nec ad opus progredi intendat. *ibid. numer.* 694. Dividitur in *rationalem*, & *sensibilem*: hæc in mere *sensibilem* & *veneream*: mere sensibilis vocatur etiam *naturalis*: venerea vero *sensualis*, *carnalis*, & *libidinosa*. *numer.* 695. Delectatio de cogitatione, vel modo aliquo ingenioso, aut artificioso rei illicitæ, nullum est peccatum per se loquendo: ast delectatio, sive sit sensibilis, sive rationalis tantum, de ipsa re illicita semper est peccatum mortale, quando ea res existit venerea, & extra Matrimonium; secus, quando talis res non existit venerea, vel intra Matrimonium. *num.* 696. Unde dignoscit possit, sitne delectatio de cogitatione tantum, aut modo rei illicitæ, vel de ipsa re illicita? *num.* 697. Qualiter is, qui de re venerea delectatus est, in Confessione se explicare debeat? *numer.* 698. An licita sit delectatio de opere venereo per accidens a culpa excusato? *num.* 699. Quid sentiendum de delectatione circa pollutionem ex causis naturalibus ortam? *num.* 700. An viduis de copula exercita, & sponsis de exercenda tempore Matrimonii, delectari sit licitum? *num.* 701. Quid sentiendum de delectatione circa objecta illicita extra materiam luxuriæ? *numer.* 702. Sebastianus non deliquit mortaliter, se ad tentationes, & motus carnis habendo permissive, seu negative, si elicuerit actum formalis, & absolutæ displicentiæ; secus, si talem actum non elicuerit. *num.* 723.

Delegatio. Delegatus.

Delegatio nihil aliud est, quam *unius, vel plurium causarum terminandarum ab alio facta commissio.* Unde Judices Delegati, a Practicis nuncupari solent *Commissarii*, *part.* 3. *num.* 630. Quomodo Delegatus differat a Vicario? Vid. *Judex.* An possit subdelegare? Vid. *Subdelegatio.*

Deliberatio.

Ad actum humanum, præter advertentiam, seu cognitionem prævia omnino, ut illum quis talem conterreretur, etiam requiritur prævia aliqua deliberatio. *part.* 4. *num.* 565 & 566. Georgius, dum ex subito iræ motu, usum rationis absorbente, in gravem erupit blasphemiam, non censendus est deliquisse, *ibid. n.* 571.

Denudatio.

Denudatio colli, vel pectoris in mulieribus non est graviter peccaminosa, si fiat ex consuetudine, & tantum majorem pulchritudinis ornatum intendendo; secus est, si consuetudo nondum vigeat, vel denudantes turpem sui amorem intendant, *part.* 2. *num.* 245. Vid. *Scandalum.*

Denunciatio.

Denunciatio (*Judicialis*) alia est *privata*, alia *publica*. Privata est, quando quis ex alieno delicto inique gravatus ad Judicem recurrit persequendo suum interesse, & satisfactionem, eo quod de Jure actionem proprie dictam non habeat, uti læsus infra dimidium; vel quando oppressus a potentiore denunciat Judici suum gravamen, ut is ex officio remedium afferat. Publica est, quæ tendit ad vindictam, vel pœnitentiam publicam, pro avertendo damno communi Reipublicæ, vel Ecclesiæ, per crimen læsæ. *part.* 3. *numer.* 681. Differunt proinde *Accusatio*, & *Denunciatio*, sive hæc sit privata, sive publica. A Denunciatione privata differt Accusatio, quod finis Accusationis sit publica vindicta, & punitio criminis; qualem finem non intendit Denunciatio privata. A Denunciatione publica differt Accusatio, quod (licet utraque tendat ad vindictam, & pœnitentiam publicam) Denunciator non teneatur se inscribere ad pœnam Talionis, ad crimen plene probandum, & ad causam judicialiter prosequendam, sicut Accusator, quantum est de Jure scripto; sed satisfaciat, si Judici suggerat indicia, & probationes, vel nominet testes, *ibid.*

Deposi-

omnibus pensatis, creditur fore Ecclesiæ *utilior*. *part.* 3. *num.* 416.

Dilectio inimicorum.

Signa dilectionis alia sunt *communia*, alia *specialia*. *part.* 2. *numer.* 157. Præceptum Charitatis omnes homines, quos vel Charitas, vel Justitia, vel causa rationabilis non excusat, obstringit ad exhibendum inimicis suis communia dilectionis signa, ac beneficia. *ibid. num.* 158. Deducitur corollarium pro praxi. *num.* 159. Præceptum Charitatis non obligat nos ad exhibendum inimicis nostris specialia dilectionis signa, & beneficia, per se loquendo. *num.* 160. Quilibet tenetur inimico a quo offensus fuit, primo, & ante omnia ex animo remittere offensam negative, tametsi is necdum veniam petierit. *num.* 161. Imo etiam positive, veniam sincere petenti. *num.* 162. Resolvitur quæstio, an quis præter offensam teneatur inimico etiam remittere injuriam, siquam passus est? *num.* 163. Quando is, qui alterum externe offendit, teneatur ab offenso petere veniam? *num.* 164. Quando duo se mutuo offenderunt, uter prius reconciliationem quærere, aut veniam petere teneantur? *num.* 165. An quis teneatur salutare, vel alloqui inimicum more solito, quem prævidet non resalutaturum, vel responsurum? *num.* 166. Qualiter se gerere debeat Confessarius inimicorum? *n.* 167. Leovigildo, ob contractas cum puella imparis conditionis Nuptias, veniam roganti, parentes ignoscere obligantur. *n.* 553.

Diminutio in conferendis Beneficiis.

Diminutio Beneficiorum fit per Divisionem, Dismembrationem, & Suppressionem. Vid. *Divisio Beneficii: Dismembratio Beneficii: Suppressio Beneficii.*

Dimissoriales.

Per *dimissoriales* (vocantur etiam *dimissoria*, *commendatitia*, aut *reverenda*) intelliguntur literæ, queis datur facultas Tonsuram, vel Ordinem accipiendi ab alieno Episcopo. *part.* 6. *num.* 86. *post rega fit.* 6. Illas dare potest Episcopus proprius Ordinandi, confirmatus tamen, & non excommunicatus: quia hæc concessio est actus jurisdictionis. Vicarius Generalis vero dimissoriales dare haud potest sine speciali mandato Episcopi, aut nisi Episcopus in remotis agat. Neque Capitulum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, nisi arctatis ratione Beneficii recepti, aut recipiendi. Superiores Regulares dare dimissoriales possunt Regularibus professis sibi subditis (imo & suis Novitiis ad Ordines Minores) at non ad Episcopum alienum, sed ad Episcopum suæ Diœcesis, nisi sint exempti, aut privilegio muniti, vel nisi longo tempore Episcopus proprius nullam instituerit Ordinationem. Secularibus vero, si quos forte habeant subditos Prælati Regulares, quantumvis exempti sint, & nullius Diœceseos esse dicantur, si tamen existant intra fines alicujus Diœceseos, dimissoriales dare nequeunt ad Episcopum alienum, sed eadem, intra cujus Diœcesis fines non existunt. *cit. part.* 6. *numer.* 88. An autem Prælati, habentes territorium omnino separatum, seu intra nullius Diœcesis fines existens, possint suis subditis, etiam Secularibus, Literas dimissoriales conferre? controvertitur inter Authores, dum alii negant, alii affirmant. Sed sententia affirmantium videtur probabilior, & præferenda. *ibid.*

Disc'pulus.

Discipulis eadem quodammodo incumbit obligatio erga Magistros, & Præceptores, quæ liberis erga Parentes. *part.* 2. *num.* 567. Unde discipuli peccant, quando Præceptoribus non exhibent amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ concernunt studia, & mores: quando non diligenter student, sed tempus, studio deputatum, potitando, otiando, ludendo consumunt: quando diligenter quidem student, sed ob malum finem: quando pecunias parentum dilapidant, vel inutiliter expendunt: quando stipendium debitum Doctori suo non solvunt: quando scientias perniciosas, aut vetitas discunt; vel libros prohibitos legunt &c. *ibid.* Pancratius studiosus qualiter contra Pietatem delinquat, dum Præceptorum suorum mandatis non obtemperat; reverentiam debitam denegat, negligenter studet &c.? *num.* 574.

Discordia.

Discordia est *dissensio voluntatis a voluntate proximi circa bonum, in quo quis deberet cum eo consentire.* estque peccatum mortale ex genere suo, oppositum Charitati concordiam, & consensionem in bonum debitum exposcenti: esto possit evadere veniale, quando destituitur vel plena deliberatione, vel versatur circa bonum exigui momenti. *part.* 2. *num.* 210.

Dismembratio Beneficii.

Dismembratio Beneficii est *ejus diminutio, dum salva illius unitate, & titulo, pars fructuum, quibus abundat, applicatur alteri.* *part.* 3. *num.* 441. Fieri potest ab Episcopo: at non sine causa necessitatis, vel utilitatis, nec sine consensu Capituli. *ibid.*

Disparitas Cultus. Vid. *Impedimenta Matrimonii.*

Dispensatio.

Dispensatio est *relaxatio legis pro aliqua, vel pluribus personis, aut casibus, facta ab habente legitimam potestatem, manente vigore legis ex parte materiæ.* *part.* 1. *num.* 472. Differentia dispensationis *ab abrogatione*, *absolutione a peccatis*, *ac censuris*; & *indulgentia Ecclesiastica*. *ibid. n.* 473. Dispensatio præcipue dividitur in *totalem*, & *partialem*: in *expressam*, & *tacitam*. *num.* 474. Ad tacitam dispensationem non sufficit voluntas Legislatoris mere præsumpta. *num.* 475. Superior censetur tacite dispensare, quando videt subditum aliquid agere lege prohibitum, & non contradicit, licet facile possit. *numer.* 476.

Dispensatio in Lege.

Neque a Deo, neque ab alio quocunque proprie, & directe dispensari potest in Lege Naturali præceptiva, vel prohibitiva. *num.* 477. Solvuntur objectiones. *n.* 478. *& seqq.* Quando materia Juris Naturalis pendet a certa conditione, quæ auferri possit, & sic mutata materia Jus Naturale mutari? *num.* 481. In Lege Divina dispensare potest Deus, & præter Ipsum nemo alius. *num.* 482. Solvuntur objectiones. *num.* 483. *&* 484. Potestas dispensandi alia est *ordinaria*, alia *delegata*. *num.* 485. Recensentur, qui in Lege humana dispensare possunt. *num.* 486. Prælatus inferior in Lege Superioris, quamvis ab hoc non expresse prohibeatur, aut reservetur dispensatio, jure ordinario dispensare non potest, exceptis quibusdam casibus. *num.* 487. Diluuntur argumenta contraria. *num.* 488. *& seqq.* Archiepiscopus non potest dispensare in Lege Concilii Provincialis pro tota Provincia. *num.* 491. Specificantur casus excepti, in quibus Episcopi, vel alii jurisdictione quasi Episcopali gaudentes, possunt dispensare in Lege Pontificia. *num.* 492. Dispensatio exercetur circa subditum. *num.* 493. Legislator nihilominus etiam secum ipso dispensare potest. *num.* 494. Solvuntur objectiones. *num.* 495. *& seqq.* Qualis sit dispensatio, quam Legislator exercet circa seipsum in lege sua? *num.* 498. *&* 499. Legislator etiam in votis, & juramentis, in quibus potest dispensare cum subditis, potest dispensare secum ipso. *num.* 500. Ordinarius Loci obtinet potestatem dispensandi in Legibus cum vagis, & peregrinis quasi domicilium in illo habentibus; non autem cum peregrinis solum transeuntes ibidem existentibus. *num.* 501. Eandem dispensandi potestatem habet in votis, juramentis, impedimentis, & irregularitatibus relate ad vagos, non item relate ad peregrinos, qualescunque demum hi sint. *num.* 502. Nec Archiepiscopus cum subditis suorum Suffraganeorum, nec Episcopus cum Religiosis exemptis dispensare potest regulariter loquendo. *numer.* 503. *&* 504. Legislator in lege propria valide, non autem licite dispensat sine justa causa. *num.* 505. *& seqq.* Legislator in sua lege sine causa dispensans committit peccatum mortale ex genere suo. *num.* 509. Legislator in lege Superioris sine causa non solum illicite, sed & invalide dispensat. *num.* 510. Peccatque mortaliter, si dispensare attentet in lege graviter obligante. *num.* 511. Recensentur justæ causæ dispensandi. *num.* 512. Quid sit dispensatio *subreptitia*, & *obreptitia*? item an utraque sit invalida? *num.* 513. Quando dispensatio censeatur subreptitia ob suppressionem veri, & obreptitia ob expressionem falsi? *numer.* 514. An in petitione dispensationis debeat fieri mentio, quod fuerit jam semel petita, & negata, si forte petita, & negata fuit? *num.* 515. An, cessante causa dispensationis, cesset ipsa quoque dispensatio? *numer.* 516. Fidentius, duplicis homicidii reus, non impetrat valide dispensationem super irregularitate in finem suscipiendi Ordines, si in Supplica nullam inserat mentionem de qualitate homicidii. *num.* 553. Fabricius, & Fabricia vi dispensationis, super voto Castitatis Romæ obtentæ, possunt etiam ad secundas Nuptias, alterutro mortuo, transire, si dispensatio in Rescripto non sit limitata ad primas. *num.* 554.

Dispensatio in Voto, & Juramento.

Papa habet potestatem ordinariam dispensandi in omnibus votis quorumcunque Christianorum. *part.* 2. *num.* 451. Solvitur objectio. *ibid. num.* 452. Episcopi (etiam nondum consecrati) obtinent potestatem ordinariam dispensandi in votis suorum Diœcesanorum (idem cogita de

Abbati-

Dispensatio in Observatione Festorum.

Dispensatio super Jejunia.

Dispensatio in Irregularitate.

Dispensatio super impedimentis Matrimonii.

pedimentum dirimens intercedere, illico Cursorem mittunt Romam pro dispensatione procuranda; & quia is inde rescribit, dispensationem intra triduum certo expediendam fore, recte post elapsum tale triennium celebrant Noptias, etiamsi Literæ Papales nondum advenerint, modo dispensatio ante Nuptiarum celebrationem reipsa fuerit data, & acceptata a Procuratore. *num.* 703.

Disputatio cum Hæreticis,

Non licet generatim omnibus Catholicis cum Hæreticis disputare de rebus Fidei. *part.* 5. *num.* 74.

Distantia.

Non potest regula generali facile definiri, quanta distantia ad excusandum ab auditione Missæ requiratur, & sufficiat. Unde licet permulti Authores velint, sufficere distantiam unius horæ respectu peditum; merito tamen reclamant alii, & negant, homines rusticos corpore validos ob distantiam unius horæ excusari, quando cœlum est serenum. Quare judicio prudentis determinandum est, quænam distantia in particulari, pensatis circumstantiis personarum, sexus, ætatis, tempestatis &c. sufficere queat. *part.* 2. *num.* 328.

Distillatio. Vid. *Destillatio*. Vid. *Pollutio*,

Distinctio specifica peccatorum.

Exposito statu quæstionis, concluditur, distinctionem specificam peccatorum recte colligi ex eorum objectis (aut circumstantiis respective) in genere moris specie distinctis; vel ex modis tendendi in idem objectum formaliter diversis. *part.* 1. *a numer.* 655. Hæc sententia non differt reipsa a sententia illorum, qui absolute dicunt, distinctionem specificam peccatorum colligi ex objectis. *ibid. num.* 657. Eadem distinctio etiam recte colligitur ex oppositione cum virtutibus specie distinctis; vel ex modis essendi contra eandem virtutem formaliter diversis. *num.* 658. Ostenditur, quomodo & hæc sententia possit conciliari cum illa, quæ absolute docet, peccatorum distinctionem specificam colligi ex oppositione cum distinctis specie virtutibus. *n.*659. Colligitur denique eadem distinctio ex oppositione cum legibus, vel præceptis qua talibus, formaliter, & specifice diversis. *num.* 660. Diluuntur argumenta opposita. *num.* 661. *& seqq.* Est in arbitrio Legislatoris, velitne materias diversas, vel etiam easdem, saltem de se indifferentes, præcipere, vel prohibere per leges formaliter, aut materialiter tantum diversas. *num.* 664. Peccatum mortale, & veniale semper specie distinguuntur; non item peccatum commissionis, & omissionis. *numer.* 665. *&* 666. Henricus, Sacerdos, & Canonicus, non committit duo specie peccata mortalia, Divini Officii partem notabilem omittendo. *num.* 744.

Distinctio numerica peccatorum,

Exposito statu quæstionis, concluditur, pluralitatem, sive distinctionem numericam peccatorum colligi ex pluralitate objectorum ejusdem rationis. *part.* 1. *numer.* 667. *&* 668. Solvuntur opposita. *ibid. n.* 669. *& seqq.* Deducuntur corollaria pro praxi. *num.* 673. *& seqq.* Alterum principium colligendi distinctionem numericam peccatorum est voluntas peccandi moraliter interrupta. *num.* 676. Quandonam voluntas peccandi censeatur moraliter interrumpi? *num.* 677. Deducuntur rursus varia corollaria practica interruptionem aut continuationem actuum. *n.* 678. *& seqq.* Hadrianus concipiendo pravum desiderium fornicandi, illud per aliquot horas sæpius iterando, sermones obscœnos, oscula, & tactus copulæ præmittendo, & denique ipsum fornicationis opus consummando, unum numero peccatum committit; plura vero, si illos sermones, oscula, & tactus exerceat post opus fornicationis jam consummatum. *num.* 746. Hermogenes Confessarius, in statu disgratiæ constitutus, tot peccata mortalia patrat, quot in statu absolvit pœnitentes. *num.* 747.

Distractio. Vid. *Attentio*,

Distributiones quotidianæ,

Distributiones quotidianæ, seu *Præsentia* sunt fructus, qui dantur intuitu cujuslibet interessentiæ, seu præsentiæ personalis (veræ, vel fictæ) quam Beneficiatus exhibet in Choro, vel Officio Divino. *part.* 3. *num.* 433.

Dives.

Lotharius, vir valde dives, pauperibus eleemosynam persæpe denegans, peccat mortaliter contra virtutem Charitatis, & Misericordiæ. *part.* 2. *n.* 254. Dives quando teneatur dare eleemosynam? Vid. *Eleemosyna*,

Ditior factus ex re aliena.

Tunc dicitur aliquis factus ditior ex re aliena, & obligatur ad restitutionem in eo, in quo factus est ditior, quando ex consumptione talis rei bona fide facta ipsi provenit per se aliquod emolumentum, vel evitavit aliquos sumptus, quos de suo fecisset, nisi re aliena usus fuisset. *part.* 4. *num.* 354.

Divinatio,

Divinatio est *superstitio, qua quis opem dæmonis tacite, vel expresse invocat, ut noscat res contingentes, & libere futuras, vel aliter occultas*. *part.* 2. *num.* 295. Dividitur, ac subdividitur in multas species. *ibid. num.* 296. Non solum divinatio, quæ fit per expressam invocationem dæmonis, sed etiam, quæ fit per tacitam, est peccatum mortale. *num.* 297. *&* 298. Ambæ sunt ejusdem speciei. *num.* 299. Pœnitens non tenetur in Confessione exprimere, per quæ signa divinaverit. *n.* 300. An omnis prædictio Astrologica, sive ex astris, sit illicita? *num.* 301. Ceterum Astrologia duplex est, nimirum *naturalis*, & *judiciaria*. *ibid.* Utrum sit aliquando licita conjectatio ex *somniis*? *num.* 302. Porro somnia sunt in triplici differentia. Nam 1. aliqua, imo pleraque, proveniunt naturaliter, seu ex causis naturalibus. 2. Aliqua immittuntur a Deo; & 3. aliqua excitantur a dæmone. *ibid.* Quarum sortium usus sit licitus, & quarum illicitus? *num.* 303. Aliæ autem sortes sunt *divisoriæ*, aliæ *consultoriæ*, & aliæ *divinatoriæ*. *ibid.* Mauritius efficitur reus sortilegii, dum sine speciali inspiratione, aut necessitate recurrit ad sortes consultatorias. *num.* 388.

Divisio Beneficii,

Divisio, seu *Sectio* Beneficii opponitur *Unioni Beneficiorum*, & est, *quando ex uno Beneficio fiunt duo* (vel plura) *ita, ut, divisis fructibus, imposterum duo instituantur Beneficia*. *part.* 3. *num.* 441. Permissa est divisio Beneficii Episcopo ex justa causa, & cum consensu Capituli, vel etiam præcepta, si necessitas urgeat; ut si parochiani magnam persentiscant difficultatem in adeunda Ecclesiam suam Parochialem, & hæc præbeat sufficientes reditus ad duos Parochos congrue sustentandos. *ibid.*

Divortium,

Ratio status Matrimonialis *præter indissolubilitatem quoad vinculum* exigit insuper *indissolubilitatem quoad cohabitationem, & torum*, vi cujus conjuges obligantur ad cohabitandum, & reddendum debitum. Huic indissolubilitati opponitur *dissolutio quoad cohabitationem, & torum*, quæ specifico nomine appellatur *divortium*, & fit, quando conjuges, manente conjugii vinculo, liberantur ab obligatione cohabitandi, & reddendi debitum. *part.* 6. ante *n.* 359. Divortium ex certis causis licite fieri potest vel in perpetuum, vel ad tempus. *ibid.* ante *num.* 382. Causæ instituendi divortium perpetuum sunt Professio Religiosa, & adulterium, ab alterutro conjuge commissum. *ibid. num.* 382. *& seqq.* Solvuntur argumenta opposita. *num.* 385. *& seqq.* Non solum marito ob adulterium uxoris, sed etiam uxori ob adulterium mariti divertere licet; & quidem propria authoritate: neque nocentem excusat metus, ad commissionem adulterii compellens. *n.* 388. *& seqq.* Adulterio in ordine ad pariendum jus divortii æquivalet cupula Sodomitica, vel bestialis. *num.* 391. Recensentur causæ, ob quas divortium temporale institui potest. *num.* 392. Solvuntur objectiones. *n.* 393. *&* 394. Redditur ratio, quare ob has causas non nisi temporaliter, ob adulterium autem perpetuo divertere liceat. *num.* 395. Non solum uxori, sed etiam marito competit jus divertendi, & quidem propria authoritate, ob causas prædictas. *num.* 396. *&* 397. An conjux innocens teneatur conjugem in hæresim lapsum, sed ad Fidem Catholicam reversum, recipere &c.? *num.* 398 Apud quem ex conjugibus, divortio separatus, & cujus sumptibus, educandi, & alendi sint liberi? *num.* 399. Epiphanius licite potest perpetuum instituere divortium ab Eugenia conjuge sua ob perpetratum ab ea adulterium, quamvis ipse ad hoc causam remotam, vel potius occasionem præbuerit, illam a se abigendo & alimenta negando. *numer.* 475. Evagrius tenetur recipere suam conjugem, & a qua ob adulterium ab ea commissum fecerat divortium authoritate, & sententia Judicis, si postmodum & ipse sit prolapsus in adulterium. *num.* 476. Quando Emericus suam conjugem ob patratum adulterium dimissam revocat, ea tenetur redire ad conjugaliter cohabitandum, nisi forte interea statum mutaverit. *num.* 477.

Dolus falsa.

Is, qui alterum culpabiliter induxit in errorem, tenetur ad restitutionem, errorem revocando, & damna inde conse-

ris, & *dubium Facti*. Dubium Juris est, quo dubitatur de lege, ejusve obligatione, vel de valore, aut licentia actus. Dubium facti est, quo dubitatur de existentia actus, vel circumstantiæ alicujus. Sæpius tamen quæstio, ac dubium facti post se trahit, ac infert dubium Juris, ac vicissim ut si dubites, an votum feceris quod est dubium facti, nasci inde potest dubium Juris, an ad votum explendum sis obligatus si dubites, an lex obliget? quod est dubium Juris, emergere inde potest dubium facti, an sit promulgata &c? 3. Subdividitur dubium formale (sed Juris tantum) in dubium *speculative practicum*, & *practice practicum*. Primum (quod etiam *generale* nuncupant) versatur circa actionem aliquam (vel omissionem) secundum se, & quasi in genere spectatam, abstrahendo a circumstantiis particularibus, saltem aliquibus, quibuscum hic, & nunc sit exercenda. Alterum (quod etiam *particulare* vocant) versatur circa operationem affectam omnibus circumstantiis, & in praxi exercendam &c. Dubium speculative practicum appellari solet *speculativum*, & practice practicum appellari *practicum* sine addito. Insuper dubium vel est *vincibile*, quod adhibita diligenti veritatis inquisitione deponi potest; vel *invincibile*, quod post diligentem inquisitionem deponi non potest. *cit. part. 1. num. 72.* Tandem dubium aliud est *bilaterale*, & aliud *unilaterale*. Primum est, quando dubitans habet rationes, seu motiva dubitandi pro utraque parte contradictionis, v. g. quod commiserit, & non commiserit homicidium. Secundum est, quando dubitans habet motiva dubitandi pro una parte contradictionis, v. g. quod commiserit homicidium; non item pro altera, seu quod non commiserit homicidium. *part. 5. num. 257.* Dubium bilaterale est dubium proprie dictum; unilaterale e diverso dubium improprie dictum, *part. 1. num. 73. & 122. in fin.*

Dubium temerarium.

Dubium temerarium est, *quando quis dubitat v. g. de malo proximi absque indiciis sufficientibus ad dubitandum*. *part. 2. num 626* Unde dignosci possit, quod indicia aliqua sint sufficientia, vel insufficientia ad dubitandum? *ibid. num. 627.* Dubium temerarium videtur esse peccatum mortale ex genere suo; licet in particulari, & in praxi, ordinarie quasi, sit veniale tantum. *num. 628.*

Duellum.

Duellum est *pugna singularis duorum* (vel etiam plurium) *adversus se invicem pugnantium ad mortem, vel mutilationem, vel gravia vulnera infligenda, ex condicto ad certum locum, & tempus. part. 2. num. 600.* Addunt aliqui: *ex causis privatis*. Sed refutantur. *ibid.* Duellum dividitur in *solemne*, & *privatum*. Solemne est, quod fit cum certa forma, & ritibus, nempe adhibitis *patrinis*, seu *secundantibus*, missis literis provocatoriis, vel chirotheca, aut dato annulo, & subinde etiam loco, securitatem præstante, constituto &c. *ibid.* Itaque ad rationem duelli necessarium est, ut pugna fiat ex condicto, seu ex conventione per aliquod temporis intervallum prævia, designato non solum certo loco, sed etiam certo tempore ad congrediendum armis, occisionem, mutilationem, vel gravem vulnerationem causare per se aptis. *n. 601.* Assignantur aliqui casus, in quibus duellum est licitum, & alii, in quibus est illicitum. *num. 604.* Quinam Confessarii, etiam extra articulum mortis, absolvere possint duellantes, eorumque socios, & fautores *n. 607.* Quadratianus potest non solum acceptare, sed etiam offerre duellum, si alias officium, ex quo sustentari debet, amittere necesse foret. *num. 608.*

E

Ebrietas.

Ebrietas est *inordinatus appetitus, & usus potus de se inebriare, & rationem violenter perturbare nati*. Dividitur in *non turbativam*, & *turbativam rationis*. Prior est, siquis excedat in potu de se inebriare nato, quin rationem perturbet. Posterior est, siquis excedat in eo potu cum perturbatione rationis. Et hæc vel est *perfecta*, cum scilicet usus rationis plene perturbatur, seu eum proxima potestas utendi ratione ad omnem subitam necessitatem adimitur; vel *imperfecta* tantum, cum ratio non ita plene perturbatur. *part. 1. num. 727.* Quænam sint signa plenæ, & perfectæ ebrietatis? *ibid. num. 729.* Quid sentiendum de iis, qui ad æquales calices sese provocant? aut jussu, vel consilio ad ebrietatem inducunt? *num. 734.* Nullo unquam casu licet inebriare sive alterum, sive seipsum. *num. 735. & 736.*

Ebriosus.

Non potest dici *ebriosus*, qui tantum, semel, aut iterum se inebriavit: quia nomen *ebriosus* denotat frequentiam actuum. *part. 1. num 70.*

Ebrius.

An ebrio, ad mortis periculum deducto, impertiri possit absolutio, & Viaticum. *part. 1. num. 737.*

Ecclesia.

Ecclesia certo supplet, & dispensat, quando potest, si detur prudens, & communis persuasio pro jurisdictione, vel potestate alicujus ad aliquid faciendum, licet ea persuasio reapse sit erronea, quando cum tali errore communi adest titulus coloratus, & putatitius. *part. 1. n. 137. in respons.* & *part. 5. num. 684.* Si adsit error communis, sed desit titulus coloratus, Ecclesia probabilius non supplet, seu confert jurisdictionem. *part. 5. & num. citt.* Præscindendo ab errore communi, quandocunque datur opinio probabilis v. g. pro jurisdictione, vel absentia impedimenti, si forte jurisdictio absit, aut impedimentum adsit, certo supplet, vel dispensat Ecclesia, quando potest, & necessitas saltem congrua intervenit. *part. 5. num. 683. & part. 6. a num. 491.* Ecclesia in infideles non baptizatos directam potestatem non habet, nec potest eos legibus, aut censuris ligare, vel ad Fidem amplectendam cogere directe: quæ tamen omnia potest circa infideles baptizatos, seu sibi directe subjectos. *part. 1. n. 398. part. 2. n. 65. part. 3. num. 83. & 200.* Porro infideles etiam non baptizatos potest ad Fidem amplectendam allicere donis, beneficiis, officiis, obsequiis &c. imo indirecte cogere, puta, negando ipsis habitationem inter Christianos, nisi se convertant, tractando eos rigide (non tamen injuste) scilicet secundum rigorem a non conversis exigendo debita tributa &c. conversis autem remittendo: item non permittendo superstitiosos illorum ritus, vel eorum Mystas excludendo &c. *part. 2. num. 65.* Cogere præterea eosdem Infideles potest ad audiendam prædicationem Fidei. *ibidem.*

Ecclesia, sive Templum.

Ecclesia Parochialis in Diœcesi venit nomine Matricis, ante quam idcirco neque Regulares, neque Confratriæ possunt campanas pulsare in Sabbato Sancto. *part. 5. num. 589. D. CXXIX.* Collegiata, etiamsi habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem, non tamen potest prius pulsare campanas in Sabbato Sancto. *ibidem D. CXXX.* Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Ecclesias antiquiores. *D. CXLI* Collegiata simplex præcedit Parochiales, etiamsi, antequam erigeretur, illis cederet. *D. CLIII* In Collegiata etiam organum haberi debet. *D. CCXXV.* Ecclesia polluitur per mortaliter malam effusionem proprii, vel alterius sanguinis, aut seminis, causatam, vel factam in templo publice, aut postea evulgatam. *part. 2. n. 732. in respons. ad 2. argum. ejusque Instant.* Item per sepulturam excommunicati non tolerati &c. *part. 3. numer. 279.* Polluta Ecclesia censetur etiam pollutum cœmeterium, non econtra. *part. & num. citt.* Ecclesia, & cœmeterium polluta reconciliari debent, antequam ibi Divina celebrentur, aut fidelium corpora tumulentur. *ibid.* Ecclesia reconciliata censetur quoque reconcialiatum cœmeterium, quod illi accessorium est; non econtra. *ibid.* Interdicta Ecclesia aliqua censentur quoque interdicta ejus Capella, & cœmeterium contiguum, non autem interdictis, Capella, & cœmeterio, censetur interdicta Ecclesia. *part. 3. num. 261.* Quando destruitur Ecclesia consecrata, perit consecratio, adeo, ut noviter ædificata indigeat nova consecratione: item destructa Ecclesia, cessant Indulgentiæ eidem concessæ: non autem destructa Ecclesia, cessat interdictum eidem impositum. *part. 3. numer. 301.* Ecclesiæ dedicatio. *Vid. Dedicatio Ecclesiæ.*

Ejectus ex Religione.

Ejectus ex Religione, sive ad tempus, sive in perpetuum, sive juste, sive injuste, probabilius (spectato Jure communi Decretalium) acquirit Monasterio, seu Religioni, ex qua ejectus est, si hæc bonorum acquisitorum capax sit. *part. 4. numer. 231.* At ex Motu proprio Gregorii XIII. qui incipit, *Officii nostri*, bona Regularium ejectorum, extra Monasterium, vel Religionem decedentium, ad Cameram Apostolicam devolvuntur &c. Quam tamen Bullam in partibus Germaniæ non esse receptam, docet praxis, & experientia. *ibidem.* Ejectus ex Religione, si in hac fuerit obligatus ad Horas

Episcopus.

Episcopus habet potestatem ordinariam ferendi leges pro suis Diœcesanis. Excipiuntur tamen Episcopi mere titulares, & qui proprias oves non habent: isti enim potestate legislativa non gaudent, utpote quæ consequitur Officium Pastorale, non consecrationem. *part.* 2. *num.* 279. Episcopus obtinet quoque potestatem ordinariam ferendi censuras respectu sibi subditorum. Excipiuntur tamen & hic Episcopi mere titulares, utpote qui proprias oves non habent, nec jurisdictionem in foro fori, qualis ad ferendas censuras necessaria est. *part.* 3. *num.* 88. Episcopus, extra suam Diœcesim existens, non potest adversus suos subditos in Diœcesi existentes censuram ferre, nisi Ordinarius Loci, in quo existit, consentiat; vel nisi delictum subditi ita sit notorium, ut judiciali cognitione causæ non indigeat; vel nisi expulsus sua Diœcesi velit censuram vibrare contra injustos expulsores, eorumque fautores. *ibid. num.* 89. Episcopus, si in statu disgratiæ consecret chrisma, & oleum infirmorum aut templum, altaria, calices &c. vel primam Tonsuram conferat, non peccat mortaliter; secus, si in illo statu conferat Ordines. *part.* 5. *num.* 30. Episcopi frequentius, quam Sacerdotes simplices; non tamen quotidie tenentur Missam celebrare, uti nec audire. *cit. part.* 5. *num.* 346. Solvuntur objectiones, *ibid. num.* 347. *&* 348. Curare tamen Episcopus debet, ut in Ecclesia Cathedrali, cujus est Prælatus, unum saltem Missæ Sacrificium singulis diebus celebretur. *num.* 349. Episcopus, finito Evangelio Missæ solemnis, cui ipse assistit cum cappa, non est thurificandus, sed celebrans. *part.* 5. *num.* 389. *D. XLIX.* Non potest cogere Canonicos, ut cantent alta voce. *ibid. D. LIII.* Potest tamen eos cogere, ut a Capellanis in Quadragesima cantari faciant cum Diacono, & Subdiacono. *D. LXI.* Episcopus Regularis debet Officium recitare juxta Ritum suæ Diœcesis, non vero Regulæ. *D. LXIX.* In Missis tantum Episcopi solemnibus septimum candelabrum adhiberi debet, sed non Defunctorum. *D. LXXIII.* Episcopo assistentes, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates thurificantur. *D. LXXXVIII.* Si Episcopus assistere voluerit Missæ Conventuali, non tenentur omnes Canonici ei se associare ab Altari, in quo Missam planam celebravit, usque ad Sedem Episcopalem. *D. LXXXIX.* Consuetudo, ut Dignitates, & Canonici Mitram, Gremiale, Baculum, Thuribulum, & similia ministrent Episcopo, servari debet. *D. XC.* Episcopus debet in Ecclesia salutare Canonicos benedicendo manu, non caput aperiendo. *D. XCI.* Ab Episcopo celebrante Diaconus, & Subdiaconus pacem accipiunt statim post Diaconos assistentes. *D. XCIV.* Episcopo semper convenit duorum Canonicorum assistentia, sive celebret ipse, sive assistat Divinis. *D. XCV.* Episcopum associare tenentur Dignitates cum Canonicis ex debito, licet Ceremoniale Episcoporum nominet tantum Canonicos, ubi consuetudo non est contraria. *D. XCVI.* Episcopo non potest assistere Archi Diaconus in Habitu Prælatitio non Chorali, licet sit Protonotarius. *D. XCVII.* Episcopo assistentes Canonici parati præcedunt Vicarium Generalem, & sunt ante ipsum thurificandi. *D. XCVIII.* Ante Episcopum consuetos circulos facere debent soli Canonici, non vero Vicarius Generalis. *D. CIII.* Licet Episcopus non celebret, sed tantum assistat Missæ solemni, debet tamen ei celebrans ad confessionem respondere usque *ad Indulgentiam* inclusive, non vero simul cum illo dicere, *In nomine Patris*. *D. CIV.* Episcopus non potest ad Diœcesim suam extendere Officium illud, quod fieri solet in Civitate. *D. CXVI.* Episcopo, in Festo Purificationis B. V. Mariæ, prima Dignitas candelam dare debet, & Episcopus eam statim primæ Dignitati ante Vicarium Generalem. *D. CXXXII.* Solus Episcopus potest habere fenestras in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit. *D. CXLIV.* Potest Episcopus prohibere, ne campanæ nondum benedictæ pulsentur. *D. CXLV.* Potest cogere Canonicos ad discendum cantum Gregorianum, etiam per subtractionem fructuum. *D. CLVI.* Episcopi non possunt concedere 1. Indulgentias plenarias, etiam pro suis duntaxat subditis, seclusa speciali delegatione, & privilegio Papæ. Neque 2. pro defunctis, etiam partiales tantum. Possunt tamen 3. in Dedicationibus Ecclesiarum suæ Diœcesis dare Indulgentias unius anni, & in earum Anniversariis quadraginta dierum. *part.* 5. *n.* 613 Episcopi non possunt statuere impedimenta Matrimonii dirimentia; bene vero impedientia. *part.* 6. *numer.* 485. Episcopi Germaniæ a Sede Apostolica obtinent specialem facultatem 1. Absolvendi ab hæresi, & apostasia a Fide, ac schismate quoscunque etiam Ecclesiasticos tam Seculares, quam Regulares, non tamen eos, qui ex Locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in Locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum. 2. Tenendi, & legendi libros prohibitos Hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter Opera Caroli Molinæi, & Nicolai Machiavelli, & libros de Astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes ita tamen, ut libri &c. ex illis Provinciis non efferantur. 3. Dispensandi in gradu tertio, & quarto simplici, ac mixto, tam consanguinitatis, quam affinitatis, cum pauperibus tantum, etiam ad contrahendum Matrimonium: ad perseverandum vero in Matrimonio jam contracto cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, modo illa conjunctio primum gradum nullo modo attingat. Quibus in casibus simul obtinent potestatem declarandi proles susceptas pro legitimis. 4. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis, ex Sponsalibus orto. 5. Dispensandi super impedimento criminis, quando neuter conjugum machinatus est in mortem alterius: & restituendi jus amissum petendi debitum. 6. Dispensandi super impedimento Cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum. 7. Hæ vero dispensationes Matrimoniales, videlicet tertia, quarta, quinta, & sexta, non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, &, si rapta fuerit, non amplius existat in potestate raptoris. Porro in hujusmodi dispensationibus declaretur expresse, illas concedi ab Episcopo qua Delegato Sedis Apostolicæ; ad quem effectum etiam tenor ejusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ; alias enim nullæ sunt. 8. Dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta illa, quæ contrahitur ex homicidio voluntario. 9 Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis, & Religionis. 10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ, in Locis tamen, ubi impune grassantur hæreses. 11. Delegandi Sacerdotibus simplicibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo prius benedicta, & in casu necessitatis etiam aqua non sic benedicta. 12. Conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, usque ad Sacerdotium inclusive. 13. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint. 14. Consecrandi olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Cœnæ Domini, nisi necessitas illud urgeat. 15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut Sacerdos celebrans in prima Missa non sumpserit ablutionem, celebrandi una hora ante auroram, & alia post meridiem, sine ministro, sub dio, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, & Sanctorum Reliquiis destitutum, & præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus, ac excommunicatis, & aliter celebrari non possit. Caveant autem, ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissima causa utantur, in quo graviter ipsorum conscientiæ onerantur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsorum conscientiis injungitur, ut paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet Loco, sed ubi necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communicent, aut causas respective approbent. 16. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis, aut infidelibus immineat periculum sacrilegii. 17. Induendi se (vel etiam alios) vestibus secularibus, si aliter vel transire ad Loca suæ curæ commissa, vel in iis permanere non possint. 18. Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non possint; vel Divinum Officium ob aliud legitimum impedimentum persolvere non valeant. 19. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejunii, præsertim Quadragesimalis. 20. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse juxta suam conscientiam judicaverint, Sacerdotibus idoneis, in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica, certior facta (id quod fieri debebit quamprimum) per Delegatos, aut unum ex eis alio modo provideat. 21. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede, exerceantur, & tantum concessæ intelligantur ad quinquennium: post cujus proinde lapsum de novo petendæ sunt. 22. Utendi eisdem facultatibus in Civitate, & Diœcesi N. tantum. Non abs ratione isthæc verbatim in Indicem, & Synopsin transposui ex *part.* 6. *num.* 666. Porro circa prædictas facultates notanda adhuc sunt sequentia. Nam 1, valent tantum pro foro conscientiæ. 2.

Illæ, quæ non sunt restrictæ ad certas personas, valent pro dandis absolutionibus, & dispensationibus respectu quarumcunque personarum etiam peregrinarum, & Regularium exemptarum, quamvis Superiores ignorent, vel inviti essent. 3. Si Sponsus, & Sponsa in tertio gradu consanguinei sint diversæ Diœcesis, sufficit alterutrum Episcopum dispensare. Idem est, si unus Sponsorum sit vagus. 4. Uterque Sponsus sit Catholicus, necesse est. *ibidem*. Quid Episcopus præterea possit quoad dispensationem *in Lege: in Voto, & Juramento: in Observatione Festorum: in Jejunio: in Irregularitate: in Impedimentis Matrimonii?* Vid. *Dispensatio &c.* Quid possit quoad absolutionem a censuris? Vid. *Absolutio a censuris*. Quid quoad collationem Beneficiorum? Vid. *Collatio, & Collatio Beneficii*. Quid quoad collationem Sacramenti Confirmationis? Vid. *Confirmatio*. Quid quoad reductionem Missarum? Vid. *Reductio Missarum*. Quid quoad collationem Ordinum? Vid. *Ordo*.

Erectio Beneficii.

Erigere Beneficium est cum approbatione Superioris Ecclesiastici statuere jus percipiendi fructus ob aliquod Officium spirituale. *part.* 3. *numer.* 402. *prop. fin.* Unde si quis donet fundum aliquem Ecclesiæ, & in eo constituat certos reditus Clericis dandos cum onere singulis annis legendi has, vel illas Missas, non erit Beneficium Ecclesiasticum, nisi accedat approbatio Superioris Ecclesiastici; sed tantum pia donatio, vel pium legatum. *ibid.* Ceterum erigere Beneficia majora sola Papa potest; minora vero, quamvis curata (modo non habeant annexam jurisdictionem in foro externo) etiam Episcopus. *ibid.*

Error.

Potest contrahens v. g. dupliciter decipi, videlicet aut a seipso, aut ab alio. Priore modo decipitur, quando proprio errore, & a nemine alio inductus, putat rem, de qua contrahit, aliam esse, quam sit; & hæc deceptio absolute *error* dicitur. Posteriore modo decipitur, quando ab altero contrahente, vel a persona tertia ad contractum non pertinente, inductus, putat rem, de qua contrahit, aliam esse, quam sit; & hæc deceptio proprie vocatur *dolus*. *part.* 4. *numer.* 649. Error, vel dolus in contractibus potest contingere vel circa substantiam rei; ut si putes te emere aurum, emas autem aurichalcum: vel circa accidentia, & qualitates rei; ut si emas vinum recens, existimans esse vetus. *ibid. num.* 650. Statuitur regula, juxta quam dignosci possit, an error, vel dolus censeri debeat substantialis, vel accidentalis tantum. *ibid.* Error, & dolus tam substantialis, quam accidentalis subdividitur in *antecedentem*, & *concomitantem*, relate v. g. ad contractum. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita, ut, eo absente, contractus non fieret. Concomitans (vocatur etiam *incidens*) est, qui non dat causam contractui, seu quo etiam absente, contractus adhuc iniretur. *numer.* 651. Error quis invalidet contractum? Vid. *Contractus*. Error quis invalidet Matrimonium? Vid. *Impedimenta Matrimonii*.

Evagatio mentis.

Evagatio mentis importat defectum attentionis in rebus spiritualibus exercendis; estque ex se venialis, nisi attentio requiratur ex gravi præcepto; ut in recitandis Horis Canonicis, in audienda Missa &c. *part.* 2. *numer.* 742.

Evangelium S. Joannis.

Siquis discedat e templo, accepta Sacerdotis benedictione, antequam legatur Evangelium S. Joannis, a culpa, etiam veniali excusari potest: siquidem memoratum Evangelium probabiliter non est pars Missæ; & Sacerdos, quando dicit: *Ite, Missa est*, finem Missæ, abeundique facultatem populo annunciare censendus est, postquam benedictionem obtinuerit. *part.* 2. *num.* 325. Nihilominus Sacerdos celebrans, qui præ timore, vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, sed ejus loco aliud suo arbitratu recitat, suspendendus est a Missarum celebratione, quousque illud rite pronunciare assuescat. *part.* 5, *num.* 389. *D. CLXI.*

Eucharistia Sacramentum.

Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit *Matth.* 26. quando pridie suæ Passionis in ultima Cœna designavit illius materiam, & formam, indiditque verbis consecratoriis vim convertendi panem in corpus, & vinum in sanguinem suum. *part.* 5. *numer.* 232. Definitur Eucharistia, quod sit *Sacramentum novæ Legis ad spiritualem animarum refectionem ad instar convivii institutum*. *ibid. numer.* 233. Eucharistia (secus, ac alia Sacramenta) est Sacramentum permanens: unde, in facto esse consideratum, non includit essentialiter verba consecrationis, uti nec, & multo minus, sumptionem. *numer.* 234. *& seqq.* Sacramentum Eucharistiæ est unum specie; at multiplex numero juxta multitudinem specierum. *numer.* 274. Materia remota, & proxima aliter se habent in Eucharistia, ac in aliis Sacramentis. *numer.* 237. Assignatur materia remota relate ad primam consecrationem. *numer.* 238. Adstruuntur illius qualitates. *numer.* 239. *& seqq.* Assignatur materia remota relate ad alteram consecrationem. *numer.* 243. Exponuntur illius qualitates. *n.* 244. *& seqq.* Assignatur etiam materia proxima. *num.* 249. Solvuntur objectiones. *numer.* 250. *& seqq.* Quomodo Corpus, & Sanguis Christi se habeat in ordine ad species Sacramentales, & vicissim? *num.* 253. Materia consecranda (panis, & vinum) debet esse sensibiliter, & moraliter præsens Sacerdoti; alias consecratio non solum illicita, sed etiam invalida erit. *n.* 254. Haud tamen est necesse, ut materia consecrabilis ab ipsomet Sacerdote sensibiliter actu percipiatur, sed sufficit, quod humano modo perceptibilis sit, & intimetur Sacerdoti &c. *ibid.* Consecrari non potest, ne valide quidem, hostia a tergo existens, etsi vicina. *ibidem*. Valide a contrario (non autem licite) consecratur vinum in calice cooperto, & hostia in pyxide clausa: modo existant coram Sacerdote. Secus videtur dicendum de hostiis inclusis in Missali, vel Tabernaculo &c. *ibidem*. Materia consecranda ex intentione consecrantis debet determinari in individuo; alioquin consecratio illius nullum sortietur effectum. *numer.* 255. Ex quo fit 1. Ut is, qui ex decem hostiis, coram se positis, intenderet consecrare quinque, easque in individuo non determinaret, nullam consecraret. Fit 2. Ut hostiæ, inscio Sacerdote, sub corporali absconditæ, sive etiam in eodem expositæ, sed a reliquo cumulo hostiarum consecrandarum sejunctæ, similiter non consecrentur, regulariter loquendo. Fit e diverso 3. Ut is, qui ex errore putaret, præsentes esse plures, vel pauciores hostias, quam reipsa sint, aut se habere unicam in manu, dum habet duas, nihilominus regulariter consecret omnes, vel ambas. Fit 4. Ut Sacerdos guttas vini, exteriori superficiei calicis adhærentes, non consecret, uti nec guttas vini, intra calicem existentes, & a reliquo vino separatas. Idem esto judicium de particulis ab hostiis separatis. *ibid.* Quomodo hic in praxi se gerere debeat Sacerdos, ut secure procedat? *ibidem*. An materia Eucharistiæ (panis, & vinum) in qualibet quantitate, sive maxima, sive minima, consecrari possit? *num.* 256. Quænam notanda sint circa aquam vino consecrando miscendam? *num.* 257. Vid. *Aqua*. Et quænam circa Corpus, & Sanguinem Christi in Eucharistia? *num.* 258. Item quænam circa Species Eucharisticas? *num.* 259. Forma, Sacramenti Eucharistiæ confectiva, est duplex. *n.* 260. Assignatur una quæ essentialia verba. *n.* 261. Solvitur objectio. *n.* 262. Cetera verba solum sunt de præcepto. *num.* 263. Assignatur etiam altera. *num.* 264. Solvuntur argumenta opposita. *n.* 265 *& seqq.* Cetera verba sunt extra-essentialia; attamen de præcepto. *n.* 268. Christus, non solum materiam, sed etiam formam Eucharistiæ determinavit secundum speciem infimam. *num.* 269. Verba essentialia consecrationis a Sacerdote proferuntur & *recitative*, & *significative*: extra-essentialis vero, seu essentiam formæ antecedentia, & subsequentia, *recitative* tantum. *num.* 270. Ceterum verba proferuntur *recitative*, quando proferuntur ut ab alio dicta, *significative* vero, dum ipsimet intendimus per illa aliquid asserere. *ibid.* Verba formæ consecratoriæ operantur suum effectum (nempe conversionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi) ut significativa, non ut formaliter vera. *num.* 271. Quid in forma geminæ consecrationis demonstrent pronomina *Hoc*, *Hic*? *num.* 272. Quænam ponantur sub speciebus panis, & vini *formaliter*; quænam vero *concomitanter* solum? *num.* 273. Ceterum *formaliter*, seu *vi verborum* ibidem ponitur, & continetur, quod per se primo exprimitur per verba consecratoria; sive quod per se primo necessarium est ad verificationem practicam, & efficaciam verborum consecratoriorum, adeo, ut ista sine illo & practica veritate, & effectu destituerentur. *Concomitanter* solum ibi ponitur, & continetur, quod præcise ponitur propter connexionem, sive unionem, quam habet cum aliquo eorum, quæ ponuntur *formaliter*. *ibidem*. Actio Ministri circa Eucharistiam est vel confectiva, vel dispensativa. *num.* 278. Priorem omnis, & solus Sacerdos valide exercet: uti etiam posteriorem licite; modo habeat jurisdictionem. *num.* 279. *& seqq.* Generalis (saltem nostrarum partium) consuetudo tribuit cuilibet Sacerdoti, præcisa speciali reclamatione, licentiam communicandi Parochianos alienos, sacram Synaxin ex devotione peten-

precentes: idque verum est, sive talis Sacerdos id faciat in propria Ecclesia, ubi Parochus est, vel Capellanum agit, sive in Ecclesia proprii Parochi, quando ab hoc ibidem celebrandi licentiam obtinuit. *numer.* 283 Religiosis, præsertim Mendicantibus, ex privilegiis per varios Pontifices concessis, licet in suis Ecclesiis vel per se, vel per alios Sacerdotes ibidem celebrantes, communicare quoscunque fideles ex devotione sacram Synaxim petentes. *ibid.* Possunt insuper Regulares ipso quoque die Resurrectionis Dominicæ S. Eucharistiam ministrare illis Parochianis, qui existimantur Parochiæ satisfecisse, vel postea intra idem Paschale satisfacturi: non item in contrario casu, sicut nec in articulo mortis, in quo dicti Parochiani adhuc nunquam Viaticum sumpsere. *ibid. & num.* 284. Porro quamvis Religiosi Parochianis infirmis, S. Viatico per Parochum jam munitis, possint Eucharistiam ministrare, si eam ex devotione adhuc semel, aut sæpius petant; non tamen ad illos publice per vicos, & plateas eandem deferre: quoniam talis solemnis ministratio pertinet ad Parochum. *ibid.* Sacerdos aliquando seipsum communicare potest, etsi non celebret. *numer.* 285. Quænam Parochis in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ dispensandum observanda? *num.* 286. Quid faciendum Ministro Eucharistiam distribuenti, quando S. Hostia, ejusve particula decidit in terram, scamnum, aut linteum, quo scamnum sternitur; vel in vestem communicantis, vel extra corporale, & dubitatur, an sit consecrata? *numer.* 287. *& seqq.* Refertur effectus Eucharistiæ primarius. *numer.* 290. In quo ille consistat? *numer.* 291. Referuntur etiam effectus secundarii. *numer.* 292. Non omnes isti effectus semper obtinentur a communicante. *numer.* 293. Sacramentum Eucharistiæ non confert majorem gratiam, si sumatur sub utraque specie, quam si sub una duntaxat, supposita æqualitate dispositionis. *num.* 292. Quando conferat gratiam? *num.* 295. Num eandem augeat, quamdiu species in stomacho manent incorruptæ? *n.* 296. Sebaldus non recte fecit consecrando in una specie, nempe panis, ob defectum vini, ut moribundo conficeret, ac præberet Viaticum. *numer.* 275 Sigefridus Sacerdos in Missæ Sacrificio de sua Hostia diffringendo particulam, & hac communicando personam Sacro ipsius præsentem, 1. non peccat, si habeat aliquam rationabilem causam id faciendi, v. g. si persona illa non possit communicari ex ciborio, quippe Hostiis evacuato; nec expectare, donec in alio Missæ Sacrificio Hostiæ consecrentur. *num.* 276. Non autem recte fecit Sigefridus 2. remittendo hostias parvas consecrandas pro præsentibus, communicari eniae rogantibus, ab altaris ministro porrectas, postquam in Missæ Sacrificio jam erat perventum ad Canonem; cum eas (per oblationem præviam mentalem oblatas) licite potuisset consecrare. *ibid.* 3. Dom Sigefridus alia vice permisit, ut Hostiæ a se consecratæ statim post consecrationem ab alio Sacerdote asportentur ad communicandos homines, & ipse permittendo, & Sacerdos alter asportando peccarunt: nisi forte urserit necessitas tam cito communicandi illos homines. *ibid.* Sigismundus Sacerdos 1. peccat venialiter, quando in Sacrificio Missæ multum infundere solet de vino pro sacrificatione allato, dum id novit esse bonum, suave, ac Theologicum: non autem peccat, quando infundit parum de vino, quod novit esse insipidum; dummodo infundat quantitatem adhuc congruam, & licite, ac decenter consecrabilem. *numer.* 277. Ubi etiam determinatur quantitas vini congrua, & licite, ac decenter consecrabilis. Sigismundus 2. dum semel post consecrationem panis advertens, loco vini esse in Calice aquam infusam, curat quidem sibi vinum afferri; sed illud infundit nullam miscendo aquam, & pronuncians hisce verbis. *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti &c.* Calicem populo adorandum exhibendo, tres errores erravit &c. *ibid.* Porro Sigismundus 3. non est excusandus a peccato mortali, per se loquendo, & nisi propter simplicitatem, aut bonam fidem excusetur, dum voce tam alta profert verba consecratoria, ut omnes præsentes audiant. *ibidem.* Tolentino, peccatori occulto, non est deneganda Eucharistia, quando hanc publice petit. *num.* 297. Theophilus videns Theopistam, quæ recens communicaverit, S. Hostiam ex ore in strophiolum emittentem, ad eam, ut suspicatur, inhonorandam, non potest illam publice corripere; sed occulte, in quantum fieri potest, remederi debet. *n.* 298. Timotheus post peractum Sacrificium accipiens secum S. Hostiam, ab alio Sacerdote consecratam, ut hanc præbeat infirmo, antequam sacris se vestibus exuat, potest sumere reliquias illius Hostiæ. *num* 299. Thomas non potest communicari, etiam in articulo mortis, ab æditu &c. *n.* 300. Quomodo procedendum Confessario, dum una femina confitetur, se quasdam Hostias consecratas, ex anteactis Communionibus reservatas, in certa capsula custodire, ad perversum finem impendendas, & altera, se gestare Hostiam inter carnem, & cutem, quasi insutam, & sibi quodammodo incorporatam, itidem ob malum finem? *num.* 301. Qualis fructus, sive effectus obveniat illi, cui ab altero applicatur S. Communio? *ibid* De Præcepto, & Subjecto susceptivo Eucharistiæ. Vid *Communionis Præceptum*: item: *Eucharistiæ Susceptio* ut sequitur.

Eucharistiæ Susceptio.

Ut communicans recipiat effectum primarium Eucharistiæ, qui regulariter, & per se est gratia secunda, seu augmentum gratiæ primæ, sufficit status gratiæ; nec ex parte animæ requiritur alia dispositio, puta actualis devotio, aut absentia peccati venialis. *part.* 3. *n.* 64. Diluuntur duo argumenta opposita. *ibid. n.* 65. & 66. An, & quomodo peccet, qui Eucharistiam sumit in peccato veniali constitutus, vel omni actuali devotione destitutus? *num.* 67. Non peccat, qui, antequam peregerit pœnitentiam sibi a Confessario impositam, S. Synaxim accipit. *num.* 68. Quomodo se gerere debeat culpæ lethalis sibi conscius, antequam ad S. Eucharistiam accedat? *num.* 69. Qualiter intelligenda sint verba Apostoli: *Probet autem seipsum homo &c.? n.* 70. Quid faciendum communicaturo, si dubitet, an sit jejunus? *n.* 71. Ut communicans recipiat effectum primarium Eucharistiæ, debet esse naturaliter jejunus; alia tamen dispositio ex parte corporis ad præfatum effectum obtinendum non requiritur. *num.* 72. Quomodo communicaturus se gerere debeat quoad observationem memorati jejunii? *n.* 73. An peccet, qui ad S. Communionem accedit gladio accinctus? Vid. *Gladiatus*. Non frangit jejunium, nec peccat communicans, qui vinum post acceptam S. Hostiam sibi porrectum defluere sinit, antequam deglutiat Hostiam. *n.* 75 An peccet, qui post acceptam Communionem statim exspuit; vel cibum, aut potum sumit? *num.* 76. Ximenius unum duntaxat sacrilegium committit, dum peccato mortali gravatus, neque non jejunus S. Eucharistiam sumit. *num* 80. Ximinez non peccat, per se loquendo, quando post Confessionem ad S. Eucharistiam accedit, quamvis præcedenti nocte involuntarie, vel voluntarie pollutus fuerit, aut debitum conjugale sine, vel cum excessu, ita meræ voluptatis gratia exercuerit. *num.* 81. Xantrophius ante Communionem fumendo tabacum non violat jejunium, nec peccat. *num.* 85.

Evictio.

Evictio est *rei emptæ per justam Judicis sententiam ablatio, seu avocatio.* nam *evincere* est rem ab aliquo auferre per vindicationis Judicium; quando nempe dominus rem suam alteri datam repetit instituta vindicatione in Judicio, & obtinet. *part.* 4. *num.* 778. *ad fin.*

Eunuchus.

Eunuchus (*Spado, Castratus*) uno duntaxat testiculo carens, & virilia sana, atque de cetero integra habens, valide init Matrimonium: invalide autem, si careat utroque testiculo. *part.* 6. *num.* 630 Quod si tamen eunuchus factus sit, etiam per amissionem utriusque testiculi, post Matrimonium jam contractum, copulam imperfectam, cum emissione scilicet, & immissione seminis non veri in vas uxoris, exercere haud prohibetur. *part. & num. citt.*

Examen, nimirum conscientiæ.

Pœnitens tenetur in examine conscientiæ instituendo, & Confessioni præmittendo circa investigandum numerum, & speciem peccatorum mortalium adhibere debitam diligentiam, nempe moralem, mediocrem, ac ordinariam, qualem in re gravi, & momentosa homines prudentes adhibere solent; summa enim, seu extraordinaria non requiritur. *part.* 5. *num.* 552. Ex quo fit, ut pœnitens, cui debilis est memoria, non sit obligatus ad peccata scripto annotandum, esto timeat, ne alioquin in Confessione quorundam obliviscatur; quia similis annotatio denotat diligentiam extraordinariam. *part. & num. citt.*

Excommunicatio. Excommunicatus.

Excommunicatio, quoad nominis etymon spectata, significat exclusionem a communione, vel communicatione cum aliis. *part.* 3. *numer.* 152. Spectata vero quoad rem, est *censura privans hominem bonis spiritualibus, quatenus in iis fideles invicem communicant. ibid. num.* 153. Dividitur in *majorem*, & *minorem*. Prior est, quæ omnibus Ecclesiæ bonis communibus præfata ratione privat. Posterior est, quæ tantum usu passivo Sacramentorum præfata ratione privat, hoc est, susceptione Sacramentorum duntaxat, non administratione. *num.* 154. Excommunicatio major est pœna Ecclesiastica longe gravissima: siquidem privat simpliciter omni jure communicandi

Excusantia à Restitutione.

Executor Testamenti.

Euchar.

Exhæredatio.

Exhæredatio (institutioni hæredis opposita) est actus, quo persona, alias necessario instituenda, ob commissam ingratitudinis causam a successione repellitur. *part.* 4. *num.* 736. Quænam requirantur ad illius valorem? *ibid.* Recensentur causæ ingratitudinis, ob quas exhæredatio fieri potest. *ibid.*

Exorcista. Vid. *Ordo.*

Expensa.

Expensæ aliæ sunt *necessariæ*, aliæ *utiles*, & aliæ *voluntariæ*, seu *voluptuariæ*. Necessariæ sunt, quæ si non fuissent factæ, res vel omnino periisset, vel saltem reddita fuisset deterior: talea sunt, quæ fiunt in reficienda domo, in impinguando agro &c. Utiles sunt, sine quibus res tam bonos, & uberes fructus non protulisset: hujusmodi sunt, quæ fiunt in implantandis novis arboribus, in ampliandis agris, iisque extraordinarie meliorandis &c. Voluntariæ sunt, quæ citra augmentum utilitatis, & annui reditus conferunt ad ornatum, vel voluptatem. *part.* 4. *num.* 372. Vid. *Melioramenta.* Vid. *Restitutio.*

Expositius, sive Expositus.

Expositii, seu Expositi habendi sunt pro legitime natis; adeoque sine dispensatione Sacris initiari valent: imo & obtinere Beneficia, si non careant alio aliquo requisito ad istorum consecutionem. *part.* 1. *num.* 110.

Extrema Unctio.

Hæc Unctio vocatur *Unctio* a sua materia proxima (de qua statim) & *Extrema*, quatenus est postrema omnium sacrarum Unctionum, quibus homo viator ungitur in Ecclesia. *part.* 6. ante *num.* 1. Christus Sacramentum Extremæ Unctionis primum instituit post suam Resurrectionem &c. *part.* & *num. cit.* Solvitur objectio. *ibid. num.* 2. Definitur Extrema Unctio, quod sit *Sacramentum novæ Legis, in quo aliquæ partes corporis infirmi inunguntur oleo benedicto, sub præscripta verborum forma, ad conferendam salutem spiritualem, vel etiam corporalem a Christo institutum.* *num.* 3. Solvitur objectio. *num.* 4. Assignatur materia remota Extremæ Unctionis. *num* 5. Non est de necessitate materiæ oleum consueta benedictione benedictum; bene vero benedictum pro infirmis. *num.* 6. & 7. Haud licet extra casum necessitatis adhibere oleum antiquum. *num.* 8. Assignatur etiam materia proxima. *num.* 9. Est probabilius de necessitate Sacramenti, ut unctiones fiant in quinque sensibus; non autem, ut fiant certo ordine: aut in modum crucis. *n.* 10. & *seqq.* Assignatur Forma Extremæ Unctionis. *num.* 13. Ostenditur, non omnia ejus verba esse essentialia. *num.* 14. Essentialiter tamen proferri debet modo deprecatorio. *num.* 15. Solus Sacerdos est Minister Extremæ Unctionis. *num.* 16. Solvitur objectio. *num.* 17. Quilibet Sacerdos confert hoc Sacramentum valide, non autem licite, nisi vel sit proprius Pastor infirmi, aut a Pastore habeat licentiam, saltem præsumptam: alioquin graviter peccabit. *num.* 18. & *seqq.* De obligatione Parochi ad ministrandum hoc Sacramentum, & ritibus ab eo observandis. *n.* 21. & 22. An Extrema Unctio possit a pluribus Sacerdotibus administrari, & qualiter? *num.* 23. & 24. Quinam possint, vel non possint Extremam Unctionem suscipere? *n.* 25. & 26. Inungi potest infirmus, laborans quacunque infirmitate, inducente saltem probabile periculum mortis. *n.* 27. & 28. B. Virgo hoc Sacramentum non recipit. *n.* 29. An, & quando Extrema Unctio iterari possit? *n.* 30. Nulla est obligatio eam recipiendi, per se loquendo. *n.* 31. Sacramentum Extremæ Unctionis confert ex opere operato gratiam sanctificantem; uti & auxilia proportionata ad roborandam animam infirmi. *num.* 32. & 33. Abstergit præterea peccatorum reliquias. *num.* 34. Dicta auxilia non sunt semper efficacia. *n.* 35. Idem Sacramentum per se remittit peccata venialia, & per accidens mortalia. *n.* 36. Solvitur objectio. *num.* 37. Remittit etiam pœnas temporales. *n.* 38. Solvitur objectio. *n.* 39. Confert tandem quandoque sanitatem corporalem. *n.* 40. Benignus Parochus, prævidens, oleum infirmorum, pro anno currente benedictum, non sufffecturum, poterit (& debebit) miscere oleum non benedictum (in minori tamen quantitate) quando nec oleum novum ab alio Parocho comparare valet, nec antiquum residuum habet. *n.* 41. Bonitius Parochus nulliter inunxit, dum in forma loco *deliquisti* dixit *dereliquisti*. *num.* 42. Bernardo, puero septenni, Sacramentis Pœnitentiæ, non autem Eucharistiæ capaci, administranda erat in infirmitate Extrema Unctio. *num.* 43.

F

Facultates Episcoporum. Vid. *Episcopus.*
Facultates Regularium. Vid. *Regularis.*
Facultates, quæ suspenduntur, & conceduntur in Anno Sancto. Vid. *Jubilæum.*

Falcidia.

Falcidia (sic nuncupata a Falcidio Tribuno plebis) est quarta pars bonorum testatoris, quam, deductis expensis funeralibus, ac ære alieno, permissum est hæredi (instituto, vel venienti ab intestato) nimiis legatis gravato, detrahere &c. *part.* 2. *num.* 735.

Fallacia. Vid. *Culpa.* Vid. *Error.*

Fama.

Fama, in genere sumpta, describi solet, quod sit *multorum æstimatio de vita, & moribus alterius.* Hoc modo descripta dividitur in *bonam*, & *malam*. Fama bona (de qua sola Theologi) est *bona de aliquo æstimatio quoad aliquod ejus bonum.* Ubi nomine *boni* veniunt non solum bona animi, ut virtus, sapientia, prudentia &c. & corporis, ut vires, pulchritudo, nobilitas &c. sed etiam bona fortunæ, utpote quæ & ipsa magni fiunt ab hominibus, ac possidentibus conciliare famam creduntur. *part.* 2. *num.* 624. Fama differt ab *Honore*, quod illa consistat in judicio, & opinione de alicujus virtute, perfectione &c. iste vero in externa contestatione, & significatione ejuscemodi judicii. *ibid.* Fama lædi potest in- & *externe*. Interne læditur per temerariam dubitationem, suspicionem, opinionem, & judicium: externe per detractionem, & non raro etiam per revelationem secreti. 625.

Familiaritas cum Judæo.

Familiaritas cum Judæo hodie non amplius est prohibita, juxta probabiliorem sententiam, volentem, quod Lex illam prohibens, per contrariam consuetudinem sit sublata: nisi ex ejusmodi familiaritate timeatur periculum perversionis, aut scandali. *part.* 2. *num.* 91.

Famulus.

Famulis eadem proportionaliter incumbit obligatio erga suos Dominos, seu Heros, quæ liberis erga suos Parentes. *part.* 2. *num.* 570. Unde famuli (vel famulæ) peccant (mortaliter, vel venialiter pro ratione materiæ) quando non fideliter laborant: quando Dominos ad iracundiam provocant: quando eisdem damnum inferunt, vel inferri patiuntur, cum possent impedire: quando non obediunt in iis, in quibus obedire tenentur: quando sine causa famulatum deserunt ante terminum elapsum &c. *ibid. num.* 571.

Festorum Observatio. Vid. *Abstinentia ab operibus servilibus &c.* Item: *Missæ audiendæ Præceptum.*

Festum, sive Officium.

In Festo Corporis Christi Eucharistia deferri debet a Celebrante manibus, & non Sacerdotum humeris, non per vias Hebræorum, nec cani debent cantiones vulgari sermone in illo Festo. *part.* 5. *num.* 389. *D. VII. VIII. IX. X.* Si Festum illud incidat in Vigiliam S. Joannis Baptistæ, de Vigilia nihil fit illo anno, & jejunium celebratur in Feria quarta proxime præcedenti. *ibid. D. XV.* Infra Octavam SS. Corporis Christi non est agendum de Officiis translatis, ritu duplici primæ classis non condecoratis: ideoque si Festum S. Antonii Patavini, quod apud Franciscanos celebratur sub ritu duplicis secundæ classis, inciderit in prædictum Festum de SS. Corpore Christi, transferendum est post Octavam. *D. XV.* Recitantes ex legitima concessione Officium de SS. Corpore Christi Feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præscribitur in die ejusdem Solemnitatis; Missam vero celebrare de communi; seu Votivam. *D. XVI.* In Officio de die infra Octavam SS. Corporis Christi non legitur nona Lectio de Festo simplici. Quod si Festum illud simplex occurrerit eo die, quo fit de Festo duplici infra eandem Octavam, tunc non omittitur, sed legitur nona Lectio de eodem Simplici, dummodo Festum illud non sit duplex primæ classis. *D. XVIII.* Infra Octavam SS. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ Votivæ privatæ, aut de Requiem. *D. XIX.* Occurrentibus eadem die duobus Festis duplicibus infra Octavam SS. Corporis Christi, non est de translato agendum die immediate sequenti non impedita, sed post Octavam, nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis. *D. XX.* In Festo Corporis Christi non est facienda processio cum Sacramento sine pluviali. & illud

transeuntes debent facere genuflexionem. *D. XIX. & XXII.* Si Festum Annunciationis B. Virginis venerit Feria quinta in Cœna Domini, Missæ aliquæ privatæ ante Missam ordinariam legi debent, ut omnes præcepto audiendi Missam satisfacere possint. *D. CXXXVI.* Si venerit Feria sexta in Parasceve, vel Sabbato Sancto, transfertur ejus Officium una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus ad Feriam secundam post Dominicam in Albis: protracta ad aliam diem Festo in ea occurrente, nisi fuerit duplex primæ classis. Quod si duplex primæ classis alicubi occurreret, ubi Annunciatio celebraretur sub eodem ritu, adhuc duplex illud esset transferendum, & celebrandum de Annunciatione. Similiter licet Annunciatio sit secundæ classis, si tamen haberetur reponendum Officium primæ classis agendum esset de Annunciatione. Quod si Annunciatio ulterius protraheretur ob Festum altioris ritus in ea occurrens, non ideo protrahenda esset obligatio audiendi Missam, & vacandi ab Operibus servilibus. *D. CCXCVI.* Quando fit Officium de Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, non debet in eo adhiberi aliud nomen, quam Conceptionis. *D. CLXII.* Festum Expectationis partus B. Virginis Mariæ si die decima octava Decembris celebretur, in Officio de ea ad Laudes omittendæ sunt Antiphonæ, quæ occurrunt illa Feria in Proprio de Tempore. *D. CCC.* Si venerit Feria quarta Quatuor Temporum, de Feria fit solum Commemoratio in Officio, & Missa, & non dicitur nona Lectio de ea in Officio, nec Evangelium in fine Missæ. *D. CCCI.* Festum Nominis B. Mariæ Virginis, si occurrat in Festo Exaltationis sanctæ Crucis, vel in alio altioris ritus, transfertur, & non omittitur. *D. CCLXXXIV.* Si concedatur pro Festo aliquo ritus duplex sine expressione majoris, vel minoris, concessio intelligitur de duplici minori, etiamsi ad honorem Deiparæ facta fuerit. *D. eod.* In Festo Nominis B. Virginis Mariæ non est facienda Commemoratio de ejusdem Nativitate, & in secundis Vesperis de Nativitate cadentibus in Sabbato, non est facienda Commemoratio de prædicto Nomine. *D. CCLXXXV.* Si Officium Nominis B. Virginis Mariæ venerit in die Octava Nativitatis ejusdem, Officium erit de Nomine, omissa in utrisque Vesperis, & Laudibus Commemoratione de prædicta die Octava Nativitatis. *D. CCLXXXVI.* Festum Septem dolorum B. Mariæ Virginis, quod in multis Locis celebratur Feria sexta post Dominicam Passionis, si impediatur ab Officio majoris ritus, aut dignitatis, transfertur in Sabbatum sequens non impeditum, & non ulterius. *D. CCCIII.* Festum S. Josephi si venerit Feria quinta in Cœna Domini, servatur præceptum vacandi ab operibus servilibus, & audiendi Missam; hinc ante Missam solemnem aliquæ privatæ celebrari debent, & in Missa solemni antiquus mos Cleri omitti non debet ob aliquarum Missarum celebrationem. *D. CXXXV. & CXXXVI.* Festum Angelorum Custodum si concurrat cum Festo duplici minori, primæ, & secundæ Vesperæ Angelorum dividendæ sunt a Capitulo. *D. CCL.* Festum S. Raphaelis Archangeli ubi celebratur, ad octavam benedictionem dicitur, *Cujus Festum*, non vero, *Quorum Festum*. *D. CCLIII.* In Festo Conversionis S. Pauli ad octavam benedictionem non dicitur, *Cujus Conversionem colimus*, sed *Cujus Festum*. Idem fit in Officiis Translationis, Apparitionis, Inventionis, & similium. *D. CCLII.* Festum S. Luciæ si transferatur in Feriam secundam ratione Dominicæ privilegiatæ, Vesperæ fiunt de die octava Conceptionis cum Commemoratione S. Luciæ. *D. CCXLVIII.* Tam Minores Conventuales, quam Observantes Reformati S. Francisci possunt in propriis suorum Ordinum Ecclesiis solemnizare Festum S. Antonii Patavini ea ipsa die, in quam inciderit, dummodo Reformati Processionibus abstineant eodem Loco. *D. CCXXXV.* Festum S. Thomæ Cantuarensis ubi celebratur sub ritu duplici, si in eo occurrerit Dominica, die sequenti fit Officium de die infra Octavam Nativitatis Domini. *D. CCLXXIV.* Si Festo duplici, vel Dominica primæ Vesperæ S. Martinæ fuerint impeditæ, Hymnus proprius Vesperarum uniatur Hymno Matutini, & ex duobus fiat unus, sub unica conclusione, *A nobis abigat*. *D. CCXC.* Officium cum Missa B. Rochi in ejus die festo conceditur tantum in Ecclesiis in ejusdem honorem Deo dicatis, nisi aliud permittatur. *D. CCII.* Non est celebranda per totam Civitatem, vel Diœcesim Missa, nec recitandum Officium de Sancto, eo quod in Loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel etiam Abbatialis, aut aliqua insignis Reliquia; sed tantum in propria Ecclesia, nisi habeatur specialis licentia. *D. CXCIII.* De Sancto recenter canonizato non potest fieri Officium sine novo Decreto. *D. CCI.* Non possunt Locorum Ordinarii tam Seculares, quam Regulares addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubrica, vel sacrorum Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. *D. CXCII.* De Sancto, cujus habetur Corpus, vel insignis Reliquia, non fit Officium, nisi constet de identitate, & reperiatur in Martyrologio Romano; Reliquiæ vero a Locorum Ordinariis approbatæ possunt exponi ad fidelium venerationem. *D. CLXXXVIII.* De Titulis Altarium pariter nullum fit Officium, nisi sint in Calendario Romano. *CXCVII.* Indulta recitandi officium cum Octava, & celebrandi Missam de Beatis non sunt revocata per Decretum editum sub die 27. Sept. 1659. *D. CCXXXI.* Limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & Officii cum Octavis, nemo extendere potest sine expressa licentia prædictæ Sedis Apostolicæ. *D. CCXXVII.* Episcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apostolicæ gaudent Privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & Altare prædictis Beatis erigere. *D. CCXXXIII.* Festum Translationis, Ordinationis, Apparitionis, vel Inventionis, quod alicubi celebratur ratione Corporis, vel insignis Reliquiæ, celebrandum est sub ritu semiduplici, nisi sit Festum unicum, & principale, & supposita concessione; si bis celebretur. *D. CCCVI.* Festa ex voto tenentur voventes servare veluti Festa de Præcepto. *D. CCXXIII.* Pro Officio devotionis non est relinquendum Officium debitum. *D. CVI.* Festa, concessa semel in hebdomade, vel in mense, non celebrantur in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, nec in Vigiliis, nisi aliter in concessione exprimatur. *D. CCLXXIII.* In Calendariis Locorum fieri debet nota, *Ad libitum*, quando Officia non sunt de præcepto. *D. CCXV.* Si Festa ad libitum occurrant in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Diœcesis, vel Religionis, omittuntur. *D. CCXVI.* Si occurrant eo die, in quo alias Festum aliquod translatum poni deberet, vel in quo agendum esset Officium concessum semel in hebdomade, aut in mense, Officia ad libitum celebrari possunt, protracto ulterius ad aliam diem Festo translato, vel omisso Officio per hebdomadem, aut per mensem concesso. *D. CCXVII.* Si Festum ad libitum, quod celebrari non potuit, habeat etiam ritum simplicem de præcepto, eo anno non omittitur, sed celebratur ritu simplici. *D. CCXVIII.* In occursu non potest transferri Officium proprium alicujus Diœcesis, vel Religionis, ut eo die agatur de Festo ad libitum, ne omittatur. *D. CCXIX.* Officia ad libitum occurrentia infra Octavas non privilegiatas, etiam particularis alicujus Diœcesis, vel Religionis, omittuntur. *D. CCXX.* Festum novem Lectionum comprehendit etiam Dominicam. *D. LVIII.* Festum, Dominicæ affixum, si aliunde impediatur, omittitur. *D. CCLXXXIII.* Si in Loco Diœcesis nullus sit electus Patronus, tenetur Diœcesis ad Festum de Patrono Civitatis cum Octava. *D. CCVIII.* Festum de Patrono principaliori Loci est præceptivum cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus. *D. CCXXII.* Regulares tenentur celebrare sub ritu duplici primæ classis cum Octava Festum de Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. *D. VI.* Officium fit duplex minus de illo Sancto, cujus habetur Reliquia insignis, scilicet caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua passus est Martyr, dummodo sit integra, & non parva, & modo sit approbata, cujus ratione recitandum est Symbolum in Missa. *D. CLXXXV.* Festum, quod in aliqua Ecclesia celebratur ratione Corporis, vel insignis Reliquiæ, non habet Octavam, nisi specialiter concedatur a Sede Apostolica. *D. CLXXXVI.* Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet insignem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo*. *D. CLXXXVII.* Missæ de SS. Rosario, & Monte Carmelo, Ordinibus Prædicatorum, & Carmelitarum respective, & specialiter concessæ, non sunt ab aliis celebrandæ sine speciali licentia. *D. CXXXIX.* Missa de SS. Rosario potest quidem dici a Secularibus, sed ut in Festo ad Nives, cum Oratione propria, quæ apponi solet in calce Missalis. *D. CXC.* In illa Ecclesia, ubi adest Capella, vel Altare SS. Rosarii, potest celebrari Officium de eodem SS. Rosario sub ritu duplici majori in Dominica, quæ vel occurrit in Calendis, vel prima est post Calendas Octobris. *D. CXCI.* Vid. *Dedicatio Ecclesiæ*, *Translatio Festorum*. *Hora Canonica*.

Feudum.

Feudum (formaliter sumptum) est *contractus, quo conceditur res immobilis, aut quasi immobilis sub onere fidelitatis, & obsequii personalis exhibendi domino directo*. Is, qui concedit, dicitur *Infeudator*, dominus feudi, & etiam Feudatarii, qui accipit, dicitur *Feudatarius*, *Vasallus*, *Beneficiarius*. *part. 4. numer. 813.* Differt feudum ab emphyteusi 1. Quod in hac solvatur pensio realis; in illo autem solum debeatur fidelitas, & obsequium personale. 2. Quod emphyteuta tantum semel solvat laudemium, scilicet dum investitur; in feodo autem non solum primus vasallus, sed quilibet successor, etiam ejus hæres, tenetur intra annum, & diem petere reno-

renovationem investituræ, & præstare juramentum fidelitatis. Imo si moriatur dominus directus, debet vasallus intra idem tempus ab ejus successore rursus investituram petere; alias incurrit caducitatem. *ibid.* Feudum varie dividitur. 1. In *nobile*, & *non nobile*. Nobile dicitur, quod accipientis personam nobilitat; vel si is jam prius nobilis fuit, talem esse ostendit. Non nobile illud vocatur, quod non nobilitat &c. 2. Feudum nobile subdividitur in *regale*, & *non regale*. Regale appellatur, quod ab Imperatore, vel alio Superiorem non recognoscente conceditur, & per quod datur investito omnis potestas, & jus in terris ad feudum illud pertinentibus, exceptis duntaxat iis, quæ concedens in signum supremæ jurisdictionis sibi reservat. Non regale est, quod conceditur a domino Superiorem recognoscente, vel ab Imperatore, aut alio Principe supremo, non tamen cum ejusmodi plena potestate, & jurisdictione. 3. Dividitur feudum in *ligium*, & *non ligium*. Ligium est, quod conceditur ab aliquo Superiorem in temporalibus non recognoscente, eo pacto, ut vasallus domino præstet fidelitatem adversus quemcunque nemine excepto. Non ligium est, quo vasallus ita fidelitatem præstat nonnisi adversus aliquos, ut tamen alteri etiam domino fidelitatem adversus alios spondeat. 4. Dividitur in *Ecclesiasticum*, quod a supremo Principe Ecclesiastico; & in *Seculare*, quod a Laico confertur. 5. Dividitur in *hæreditarium*, quod transmitti potest ad hæredes, etiam extraneos; & in *non hæreditarium*, quod ad solos liberos: unde etiam appellatur *gentilitium*. 6. Denique dividitur in *masculinum*, quod ad solos masculos descendentes transmitti potest, usque deficientibus revertitur ad dominum; & *in femininum*, in quo, deficientibus masculis, succedunt feminæ. *ibid.* Feudatarius tenetur 1. præstare juramentum fidelitatis domino directo. 2. Ei solvere laudemium pro investitura, & suo tempore exhibere obsequium debitum. 3. Non disponere de feudo gentilitio absque consensu domini &c. *ibid.*

Fideicommissum.

Fideicommissum est *ultima voluntas, qua hæres rogatus* (id est, jubetur) *aliquid alteri restituere &c. part. 3. n. 713.* Dividitur in *universale*, & *particulare*. *ibid. num. 715.* In quo consistat forma fideicommissi? *ibid.*

Fidejussio.

Fidejussio est *contractus, quo quis suscipit in se obligationem debiti alieni obligans se ad solvendum, vel satisfaciendum, si debitor principalis in solvendo, vel satisfaciendo defecerit. part. 4. num. 818.* Ejus conditiones sunt quatuor. Prima est, ut obligatio fidejussoris sit accessoria, obligationem principalem supponens. Secunda (quæ sequitur ex prima) est, ut fidejussor non obligetur ad plus, quam ipse debitor principalis. Tertia est, ut, si obligatio debitoris principalis sit invalida, talis etiam sit obligatio fidejussoris. Quarta est, ut fidejussor etiam juratus conveniri, & ad solvendum compelli regulariter non possit, nisi prima, facta excussione in bonis debitoris principalis, ista inveniantur non sufficere. *ibid.*

Fides. Fidelis.

Fides est *virtus Theologica, inclinans intellectum ad credendum res, a Deo revelatas, propter infallibilem ipsius authoritatem. part. 2. num. 1.* Infertur differentia Fidei a Spe, & Charitate. *ibid. num. 3.* Insinuatur, quid sit actus Fidei. *num. 4.* Objectum materiale Fidei sunt omnia a Deo revelata, ita tamen, ut Deus sit objectum primarium: debetque esse evidenter credibile. *num. 5.* Diluuntur argumenta contraria. *num. 6. & seqq.* Objectum materiale Fidei aliud est *complexum*, aliud *incomplexum*. *num. 10.* Assignantur ad tale objectum pertinentia. *num. 11.* Objectum formale Fidei est authoritas, seu Veracitas Dei revelantis. *num. 12.* Solvuntur objectiones. *num. 13. & 14.* Oportet distinguere inter motivum credendi intrinsecum, & extrinsecum. *numer. 15.* Necessitas alia est *medii*, alia *præcepti*: quæ utraque explicatur. *numer. 16.* Fides habitualis omnibus omnino hominibus est necessaria necessitate medii tam ad salutem, quam ad justificationem. *num. 17.* Actualis vero omnibus, & solis adultis, usu rationis præditis. *num. 18.* Adstruitur, qualis esse debeat fides actualis, adultis præfato modo necessaria. *num. 19.* Explicantur nonnullæ propositiones in præsenti materia damnatæ. *num. 20.* Fides actualis alia est *explicita*, alia *implicita*. Prior est, per quam aliquod mysterium in seipso, & propriis terminis significatum creditur. Posterior est, per quam aliquod mysterium creditur non in seipso, & propriis terminis significatum, sed in alio, in quo implicite continetur. *num. 21.* Fides explicita suos habet gradus; nam una est *distincta*, altera solum *confusa*; una magis, altera minus expressa. *ibid.* Omnibus adultis tum ad salutem, tum ad justificationem necessarium est necessitate medii fide explicita credere, quod Deus sit, & quod bonorum Remunerator, donorumque supernaturalium Author sit. *num. 22.* Solvitur objectio. *num. 23.* Deducitur corollarium. *num. 24.* Post sufficienter divulgatum Evangelium, de facto omnibus adultis necessaria quoque est necessitate medii fides explicita, saltem confusa, in Christum Redemptorem, & SS. Trinitatem, tam ad justificationem, quam ad salutem: cujus oppositum speculative, non autem practice est probabile? *n. 25. & 27.* Solvitur objectio. *n. 26.* Fides habitualis nulli homini; actualis vero omnibus hominibus adultis, ratione pollentibus, necessaria est necessitate præcepti tam ad justificationem, quam ad salutem. *n. 28. & 29.* Præter mysteria, quæ adultis explicite creditu necessaria sunt ad salutem necessitate medii, & præcepti simul, iisdem adultis omnibus, & singulis necessitate solius præcepti ad salutem necessarium est explicite credere reliquos articulos, in Symbolo Apostolorum contentos. *n. 30.* Solvitur objectio. *n. 31.* Licet per se loquendo sufficeret ad salutem explicite credere memoratos Symboli articulos, per accidens tamen adulti adhuc plura dicto modo credere obligantur. *num. 32.* Fidelis non satisfacit suæ obligationi, si solum in communi credat, quæ credit Ecclesia. *num. 33.* Fidelis, qua talis præcise, non tenetur explicite scire, & credere Sacramenta Confirmationis, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, nisi dum ea suscipere, vel administrare cogitat. *n. 34.* Quæ explicite credi, etiam explicite sciri debent. *num. 35.* Præceptum Fidei aliud est *affirmativum*, aliud *negativum*. Primum obligat tum ad interne credendum, tum ad externe confitendum mysteria fidei; posterius autem ad illis nec interne dissentiendum, nec ad eadem externe diffitendum. *num. 36.* Porro obligatio credendi alia dicitur *directa*, alia *indirecta*. Prior est, quæ ex ipsamet virtute Fidei, ejusque præcepto oritur: posterior, quæ solum aliunde, seu ex ipsamet virtute, & præcepto, cujus actus absque actu fidei nequit poni, consurgit. *num. 37.* Certum est, dari obligationem directam aliquando eliciendi actum fidei. *num. 38.* Quilibet adultus tenetur etiam sæpius per decursum vitæ directe elicere actum fidei. *n. 39.* Assignantur tempora, quibus dicta obligatio urget. *num. 40.* Fidelis adultus tenetur insuper indirecte elicere sæpius actum fidei. *num. 41.* Assignantur etiam tempora, quibus hæc obligatio stringit. *num. 42.* Quamvis pueri baptizati, & inter fideles educati, post obtentum rationis usum, & acquisitam mysteriorum fidei sufficientem notitiam statim obligentur elicere actum fidei, in praxi tamen vix contingit, ut, non eliciendo, peccent. *num. 43.* Non est necesse, ut Confessarius pœnitentem interroget, aut pœnitens seipsum examinet, num præcepto affirmativo de eliciendo actu interno fidei satisfecerit? *num. 44.* Is, qui tenetur elicere actum contritionis v. g. & neque hunc, neque actum fidei elicit, non duo, sed unum duntaxat peccatum committit contra præceptum Pœnitentiæ. *num. 45.* Professio externa fidei aliquando necessaria est Jure Divino, aliquando Jure Humano. *n. 46.* Fideles præcepto Divino, & Naturali toties fidem externe tenentur confiteri, quoties id vel honor Deo debitus, vel salus Animæ propria, aut proximi videtur exigere. *num. 47.* An quis de sua fide interrogatur teneatur eam fateri, & quando? *num. 48.* Utrum tempore persecutionis licitum sit fugere ad externam fidei confessionem declinandam? *n. 49.* Recensentur, qui ad emittendam fidei professionem obstringuntur Jure humano. *n. 50.* Certum est, dari præceptum fidei negativum, vi cujus non liceat interne dissentire alicui veritati a Deo revelatæ, neque aliquam externe negare. *n. 51.* Fideles dicto præcepto obligantur semper, & pro semper. *n. 52.* Solvuntur argumenta contraria. *n. 53.* Qualiter contra præceptum negativum fidei soleat delinqui verbis, factis, & signis. *n. 54. & seqq.* Joachimus censere potest se valide confessum, licet ante confessionem nulla ei inciderit cogitatio de actibus fidei, & spei, dolori, & proposito præmittendis, esto præmitti debeant. *n. 87.* Joannicius, qui a Confessario deprehenditur ignorare mysteria fidei ad justificationem, & salutem creditu necessaria, absolvi non potest (saltem extra casum necessitatis) nisi illa prius edoceatur. *numer. 88.* Jordanus Parochus potest esse contentus responsione, quam in catechesi accipit a quodam Parochiano, affirmante, non esse obligationem gravem memoriter sciendi articulos Symboli Apostolici, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ &c. *num. 89.*

Filiusfamilias.

Per *Filiumfamilias* intelligitur ille, qui adhuc sub patria potestate vivit. *part. 4. num. 270.* Excidit autem filius patria potestate 1. *per mortem civilem propriam*. 2. *Per mortem naturalem, vel civilem patris*: sub cujus nomine non raro venit avus, & omnes reliqui ascendentes per lineam rectam. 3. Si pater incidit in hæresim; contrahit incestas Nuptias; profitetur (idem est, si filius profiteatur) Religionem. 4. Si filius eligatur in Episcopum (non item si initietur SS. Ordinibus) Cardinalem, aut ad altas dignitates promoveatur. 5. Si filius emancipetur: ad quam emancipationem pater quandoque.

non

non refert, si fiat mentio Confessarii: quia nomen *Confessarius*, potius denotat officium, quam actuum. *part. 2. num.* 320. *tit. ad fin.* Pro foro externo datur absolutio a censura v. g. excommunicationis, quando quis reconciliatur Ecclesiæ coram Ecclesia, in ordine ad recuperandam cum ipsa communionem externam, tam publicam, quam privatam, & immunitatem a pœnis in foro fori infligendis. Pro foro interno datur absolutio, quando quis coram Deo reconciliatur Ecclesiæ in ordine ad reparticipanda bona Animæ, quibus per censuram erat privatus; sed nondum coram Ecclesia, & cum publica ipsius notitia, ac positivo consensu: potestque (ut proxime insinuatum) hæc talis absolutio impertiri in-vel extra Confessionem; &, sive uno, sive altero modo impertiatur, dicitur impertiri pro foro interno conscientiæ: potestque eam Judex acceptare pro foro etiam externo si velit, esto non teneatur. *part.* 3. *& num.* 302. *cit.* Videri etiam potest ejusdem partis. *n.* 334. Ad forum externum, & contentiosum delictum, vel causa aliqua deduci dicitur per accusationem, vel denunciationem, una cum citatione, & (juxta multos) cum litis contestatione, coram legitimo Judice factam. *part.* 3. *& num.* 302. *citt.*

Franciscanus,

Si Franciscanus violaret jejunium in Vigilia S. Bartholomæi v. g. incidente in Feriam sextam, non committeret duo specie peccata. *part.* 1. *num.* 745. Redditur ratio, quare Franciscani sexagenarii probabiliter non amplius obligentur ad jejunium, sive Ecclesiasticum, sive Regulare: esto obligentur Juvenes professi, quamvis necdum compleverint annum vigesimum primum. *part.* 3. *num.* 36. *in respons. ad* 2. *argument.* Quod Franciscani in iis quoque rebus, quæ unico usu consumuntur, habeant simplicem usum facti &c. Vid. *Usus.* Franciscani possunt esse legatarii, non autem hæredes. *part.* 3. *num.* 729. Solis Franciscanis competit facultas erigendi Viam Crucis. *part.* 5. *num.* 787.

Fraterna Correctio. Vid. *Correctio fraterna*,

Fraus. Vid. *Culpa.* Vid. *Error.*

Fructus,

Fructus alii sunt *naturales*, alii *industriales*, alii *mixti*, Naturales sunt, quos ipsa rei natura ex se producit absque ulla fere hominis industria; uti fœtus animalium, lana ovium, lac pecudum, fructus arborum, herbæ pratorum &c. Industriales sunt, quos non ipsa res ex se, sed hominis, re, seu instrumento utentis, industria profert; cujusmodi sunt lucrum ex rebus de se sterilibus, præsertim usu consumptibilibus, ut pecunia, vino, frumento &c. acquisitum: opus alieno instrumento ab artifice confectum &c. Mixti dicuntur, ad quorum productionem natura simul, & industria hominis notabiliter cooperantur, uti sunt oleum, caseus, butyrum, cerevisia, uvæ &c. *part.* 4. *num.* 361. Ad hasce fructuum species reducuntur fructus *civiles*, quales sunt, qui non ex re ipsa, sed occasione rei, & mediante aliqua obligatione civili capiuntur, ut pretia rerum elocatarum, usuræ, pensiones, mercedes, salaria, census &c. *ibid. num.* 372. Vid. *Restitutio*,

Fugitivus a Religione,

Religiosus fugitivus dicitur, qui a Religione, vel Monasterio suo sine licentia Superiorum recedit vagandi, aut extra Ordinem vivendi gratia, animo tamen ad Religionem, & Obedientiam postliminio revertendi. Quare differt *a Religioso apostata*, utpote qui ab Ordine recedit animo jugum Religionis omnino excutiendi, & Institutum suum perpetuo deserendi. *part.* 4. *n.* 252. Bona Religiosi fugitivi (uti & apostatæ) de jure communi pertinent ad Monasterium, vel Religionem, unde fugit, si ea bonorum acquisitorum capax sit: ex Motu proprio autem Gregorii XIII. qui incipit, *Officii nostri*, si talis Religiosus extra Ordinem decesserit, Cameræ Apostolicæ cedunt in iis Locis, in quibus Bulla Gregoriana recepta est. *part.* & *num. cit.* Religiosus fugitivus ex Religione (idem esto judicium de Religioso apostata) si in ea fuerit obligatus ad Horas Canonicas, obligatus manet, per se loquendo, & nisi ratione impotentiæ physicæ, vel moralis excusetur. *part.* 3. *num.* 447.

Furtum. Fur,

Furtum est *ablatio occulta, & injusta rei alienæ, domino rationabiliter invito. part.* 2. *num.* 724. Vel: est *ablatio occulta, & injusta rei ab alio juste detentæ, detentore rationabiliter invito. ibid. num.* 725. Et hæc posterior definitio est expeditior priore. *ibid.* Non est reus furti, qui extrema necessitate pressus tantum rei alienæ accipit, quantum ad eam sublevandam est necessarium; secus, quando gravem duntaxat necessitatem patitur. *numer.* 726. Furtum specie distinguitur a rapina. *numer.* 727. Dividitur in *furtum rei*, *usus*, & *possessionis*: in *peculatum*, *abigeatum*, & *plagium*: in *magnum*, & *parvum*: in *extraneum*, & *domesticum*: ubi etiam hæc membra dividentia explicantur. *num.* 728. Est peccatum mortale ex genere suo. *num.* 729. Materia respectu furti, theologice spectati, alia est absoluta, alia respectiva. *num.* 730. Utraque determinatur. *num.* 731. *&* 732. Proponitur, & dissolvitur objectio. *n.* 733. Pœnitens, quando in Confessione fatetur, se quid modicum fuisse furatum, subinde interrogandus est, an non habuerit animum surripiendi quid magnum, sive plura, si copia, vel occasio fuisset. *num.* 734. Qui sæpius auferendi modicum eidem personæ animo auferendi successive magnam quantitatem, per singula furta peccat mortaliter. *num.* 735. Proponitur, & solvitur objectio. *num.* 736. Qui sæpius modicum aufert etiam sine animo auferendi notabilem quantitatem, peccat mortaliter per ultimum furtum, advertenter factum, si veniat successive ad notabilem quantitatem. *num.* 737. Solvitur objectio, & determinatur materiæ quantitas. *num.* 738. *&* 739. Qui pluribus furatur, singulis modicum auferendo, per quodlibet furtum mortaliter peccat, si id faciat animo ditescendi &c. *num.* 740. Proponitur, & solvitur objectio. *num.* 741. Deducitur corollarium pro praxi. *num.* 742. Qui non animo ditescendi &c. per modicas ablationes gravem summam pluribus aufert, non est facile condemnandus peccati mortalis. *n.* 743. Determinatur materiæ quantitas &c. *num.* 744. *&* 745. Si plures uni, & singuli modicum auferant, singuli mortaliter peccant, quando id faciunt communi consilio, & consensu, ac per ablationes simul sumptas dominum graviter damnificant; secus, quando id faciunt absque communi consilio, & consensu. *num.* 746. *&* 747. Proponuntur, & diluuntur argumenta opposita. *n.* 748. *& seqq.* Ad furtum domesticum ordinarie requiritur major quantitas materiæ, quam ad furtum extraneum, licet illa non possit absolute determinari. *num.* 751. Quid uxor citra peccatum furti auferre marito possit, & quid non? item quænam materiæ quantitas censeatur respective gravis, dum illa furatur marito? *num.* 752. *&* 753. Eædem quæstiones resolvuntur de filio, & famulo &c. *numer.* 754. *& seqq.* Theodorus cum sex aliis uvas, ficus, poma, & pyra frequenter decerpens, & comedens committit furtum mortale. *num.* 758. Theophilus sartor retinendo segmenta non peccat peccato furti, quando ea sunt valoris omnino modici: imo nec peccat, quando sunt majoris valoris; sed accipiuntur in supplementum mercedis debitæ, & non ad æqualitatem solutæ. *numer.* 759. Theodosia famula nullam sibi culpam consciscit moderate dando panem in eleemosynam, inscio hero. *numer.* 760. Qui abstulit rem levem, tenetur, per se loquendo, eam sub veniali restituere. *part.* 4. *num.* 611. Unde Confessarius sacrilege ageret, si pœnitentem, de furto parvo se accusantem, sed restituere recusantem (in casu, quo obligatio restituendi extat) absolveret, dum nullam aliam materiam absolutionis capacem afferret. *eod. part.* 4. *n.* 612. Siquis per parva furta abstulit materiam gravem, tenetur sub mortali restituere, sive in ultimo furto adverterit ad gravitatem, sive non. *ibid. num.* 613. Hæc conclusio solutione objectionum, & deductione corollariorum illustratur. *num.* 614. *& seqq.* Fur non tenetur sub mortali totam summam, sive successive, sive simul ablatam, restituere, sed illam duntaxat quantitatem parvam, qua prius furtum grave complevit: ubi etiam solvitur objectio interjecta. *ibid. num.* 621. *& seqq.* An Lucianus graviter peccaverit, & teneatur ad restitutionem ob furta parentibus facta &c.? *ibid. num* 645.

G

Gaudium.

PEccat mortaliter, qui ob leve aliquod emolumentum gaudet de morte alterius. *part.* 2. *num.* 209. Propter magnum aliquod bonum spirituale proximi licitum est de ejus morte gaudere: imo etiam propter ingens bonum temporale Communitatis, seu Reipublicæ, sive Ecclesiasticæ, sive Secularis. *part. & num. citt.* Licitum præterea est, gaudere de morte proximi, etiam consanguinei, patris, matris &c. ob evitationem magni alicujus nocumenti temporalis, quod ex ejus vita tibi impendet: dummodo bonum, in quo nocumentum subire cogereris, non sit levioris momenti, quam vita illius, de cujus morte gaudes; nam ex hac causa illicite agit filius, qui de acceleratione mortis paternæ gaudet, quod idcirco pinguem hæreditatem citius adire possit, cum utique acceleratio successionis, ipsaque successio in bonis paternis, quæ impeditur per vitam patris, sit bonum minoris æstimationis, quam vita patris, ejusque prolongatio. *ibid.* Ubi etiam recensentur tres propositiones ab Innocentio XI. damnatæ, huc facientes.

Genera-

Generalis Confessio.

Pœnitens scrupulosus, cognitus ut talis, non est permittendus instituere Confessionem generalem, nisi id forte exigat necessitas. *part. 1. num. 72.* Unde licet angatur propter Confessiones præteritas, putetque se nunquam recte, atque integre fuisse confessum, eo quod numerum, aut circumstantias peccatorum, v. g. in juventute commissorum, non satis explicaverit, vel non sufficienter de peccatis doluerit, nec efficax emendationis propositum eluxerit, non idcirco permittatur præteritas repetere, aut generalem instituere; sed jubeatur sibi certo persuadere, quod recte, & integre fuerit confessus, quando ad id præstandum mediocrem adhibuit diligentiam, & non est certus, quod peccatum quodpiam mortale vel nunquam, vel non recte confessus sit. *cit. part. 1. num. 103.* Quod si pœnitens scrupulosus omnino certus sit, se quædam mortalia, certo commissa, nondum, aut non rite confessum esse, jubeatur illa addere in Confessione ordinaria; generalem tamen idcirco instituere regulariter permittendus non est. *ibid.*

Generatio prolis. Vid. *Finis Matrimonii*.

Gladiatus.

Non peccat, saltem per se loquendo, qui gladiatus, seu gladio accinctus ad S. Confessionem, vel Communionem accedit. Per accidens tamen, puta ratione scandali, aut obmurmurationis fieri potest, ut quis peccet, vix tamen plus, quam venialiter. *part. 3. num. 74.*

Gloria in Excelsis.

Qui celebrat Missam de B. Virgine eo die, quo fit de aliquo Festo semiduplici infra octavam ejusdem B. Virginis, debet dicere Missam de Octava; sed more Votivo sine *Gloria*, & *Credo*, nisi fuerit Sabbatum; quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. *p. 5. n.* 389 *D. CCLXXXIX.* Qui in Sabbato recitat Officium de B. Virgine Maria, si celebret Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria*, neque Præfationem de B. Virgine Maria. *ibid. D. CCXC.* Etiam non dicitur *Gloria*, nec *Credo* in Votivis pro re gravi, si violacea adhibeantur paramenta; alias dici possunt. *D. CXVII.* Res gravis pro licita Votivæ solemnis decantatione cum *Gloria*, & *Credo* ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus, seu Provincialibus, cum cantatur Missa pro re ejusdem judicio gravi. *D. CXVIII.*

Gloria vana. Vid. *Vana Gloria*.

Gratia.

Gratia dividitur in *habitualem*, & *actualem*. Gratia habitualis, seu *sanctificans*, est *habitus supernaturalis per se infusus Animæ, quo homo formaliter justus, Deo gratus, meritique de condigno capax efficitur*. *part. 5. num. 42.* Subdividitur in *primam* & *secundam*. Gratia prima est ipsa causa formalis primæ justificationis, qua *homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus Dei*. Gratia secunda est *accepta justificationis incrementum, quo justificati in ipsa justitia per Christi Gratiam accepta crescunt, atque magis justificantur*, juxta illud *Apocal. ult. Qui justus est, justificetur adhuc*. *ibid.* Gratia actualis est *motio, sive influxus Dei specialis, & gratuitus, transeunter movens, & adjuvans hominem ad actus supernaturales congruos, vel condigne meritorios exercendos*. *num. 43.* Estque duplex, videlicet *præveniens*, & *adjuvans*. Prior antecedit actum hominis supernaturalem prioritate naturæ saltem, quam proinde abjicere potest; neque tamen sine illa se ad justitiam libera voluntate movere potest: veluti perhibet Tridentinum. *Sess. 6. cap. 5.* Posterior homini actualiter operanti cooperatur: ejusque admonemur a Domino, *Apocal. 3.* dicente: *Ego sto ad ostium, & pulso; siquis aperuerit mihi, intrabo ad eum*. *ibid.* Tam gratia habitualis, quam actualis sunt, & dicuntur *gratia gratum facientes*; quia principaliter ad salutem propriam recipientis conceduntur: cum e diverso *gratia gratis data*, ut gratia miraculorum, gratia prophetiæ &c. principaliter ordinentur ad salutem aliorum. *ibid.*

Gratia Sacramentalis.

Hæc Gratia causari nata est per singula Sacramenta: atque ideo dicitur *Gratia Sacramentalis*. Conflatur autem ex gratia habituali, & ex gratiis, seu auxiliis actualibus (seu jure ad ista) per singula Sacramenta causabilibus. *part. 5. num. 6. & 41.* Confertur statim, quando Sacramentum in ratione signi essentialiter completur. *ibid. num. 45.* Solvitur objectio. *num. 46.* Causatur ex opere operato. *num. 47. & 48.* Solvitur objectio. *numer. 49.* Causatur item infallibiliter, sed instrumentaliter moraliter tantum. *num. 50. & seqq.* Diluuntur argumenta opposita. *num. 53. & seqq.* Sacramenta ejusdem speciei in subjectis æqualiter dispositis æqualem, in inæqualiter dispositis inæqualem gratiam producunt. *num. 56.* Satisfit objectionibus. *n. 57. & seqq.* Deducuntur corollaria. *n. 52. & seqq.* Sacramenta mortuorum per accidens quandoque secundam; & vivorum quandoque primam gratiam conferunt. *num. 65.*

Gula.

Gula, generatim, & adæquate sumpta, est *inordinatus appetitus, ac usus cibi, & potus*. *part. 8. num. 726.* Dividitur in *comessationem*, & *ebrietatem*, tanquam species essentialiter diversas. *ibid. n. 727. & 728.* Gula, prout supponit pro comessatione, & ebrietate non turbativa rationis, est solummodo peccatum veniale ex genere suo, mortale vero, prout supponit pro ebrietate rationis turbativa. *n. 730.* Solvitur objectio. *n. 731.* Peccat, qui in cibo, & potu voluptatem quærit, si illam voluptatem non ordinet ad honestum finem. *num. 733.* Filiæ hujus vitii, seu gulæ sunt *hebetudo mentis, immoderata lætitia, multiloquium, scurrilitas, & immunditia*. *num. 732.* Recensentur remedia contra gulam. *num. 750.*

H

Habitatio.

Habitatio est *jus reale inhabitandi alienas ædes salva earum substantia*. *part. 4. num. 20.* Ubi etiam explicantur hujus descriptionis termini, & ostenditur, quod *Habitatio* sit quasi media inter *Usumfructum*, & *Usum*, quatenus est jus pinguius, quam sit *Usus*, & minus pingue, quam *Ususfructus*.

Habitus.

Ut quis veniat nomine *personæ Ecclesiasticæ*, gemino *Fori*, & *Canonis* privilegio gaudentis, requiritur, ut sit prima saltem Tonsura initiatus, & habeat Beneficium Ecclesiasticum; vel ut gestet Habitum, & Tonsuram, quam accepit, ac insuper deserviat alicui Ecclesiæ de mandato, aut saltem permissione Episcopi; vel ut gestet Habitum, & Tonsuram, ac insuper versetur in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi. *part. 3. num. 503.* Ut etiam Eremitæ comprehendantur nomine personæ Ecclesiasticæ, antedicto gemino privilegio gaudentis, debent vivere vitam solitariam, a secularibus curis segregati, & existere sub obedientia Episcopi, vel Prælati Regularis illius Ordinis, cujus Habitum gestant. Unde illi Eremicolæ, qui Habitum Eremiticum, vel Religiosum portant absque authoritate Prælati Ecclesiastici, vel Regularis, vitamque ducunt arbitrariam, non comprehenduntur nomine hujusmodi personæ Ecclesiasticæ, licet in solitudine, seu eremo morentur. *part. & num. cit.* Annus Novitiatus non necessario transigendus est in Monasterio, vel in Habitu Religioso: adeoque Novitiatus valeret, viamque ad Professionem sterneret, tametsi non transigeretur modis immediate dictis, accedente scilicet Superiorum licentia. *cit. part. 3. n. 569.*

Hæres. Hæreditas.

Hæres (qualis in qualibet testamento, ut valeat, institui debet) dicitur illa persona, quæ vel ex dispositione Legis, vel ex voluntate testatoris vi testamenti, succedit in universum jus defuncti, seu in omnia jura, activa, & passiva, commoda, & onera, seu debita, defuncti. *part. 4. num. 724* Persona, quæ succedit ex dispositione Legis, vocatur *hæres ab intestato*; quæ vero succedit ex voluntate testatoris vi testamenti, dicitur *hæres ex testamento*. *ibid.* Porro hæres ex testamento alius est *necessarius*, alius *voluntarius*. Hæres necessarius est, quem testator ex obligatione, saltem, in portione legitima instituere cogitur, nisi justam habeat causam ipsum exhæredandi. Hæres voluntarius (solet etiam nuncupari *extraneus*) est, quem testator pro libitu potest instituere, vel præterire. *num. 725.* Ulterius hæres necessarius vel est necessarius *non suus*, vel necessarius *suus*. Hæres necessarius non suus dicitur, qui non amplius existit sub patria potestate testatoris: hæres vero necessarius suus, qui adhuc existit sub patria potestate testatoris. *ibid.* Hæredes institui possunt omnes, sive sint personæ singulares, sive communitates, quibus non obstat specialis prohibitio Juris Canonici, vel Civilis. *numer. 728.* Quibus ergo obstet prohibitio Juris Canonici, vel Civilis, ne possint esse, aut instirui hæredes? *num. 729.* Redditur ratio, quare Fratres Minores v. g. possint esse legatarii, non autem hæredes. *ibid.* Quinam debeant institui hæredes? *num. 730.* Unus conjux non tenetur alterum instituere hæredem. *numer. 731.* Quantum hæredibus necessariis in testamento relinquendum? *num. 732.* Quænam portio

a Jure

a Jure, tanquam *legitima*, definita sit pro hæredibus necessariis? *num.* 733. Massa totius hæreditatis dividitur in duodecim uncias &c. *num.* 734. Vid. *Testamentum. Legatum. Successio ab intestato.*

Hæresis. Hæretici.

Hæresis, generatim sumpta, est duplex, *formalis* scilicet, & *materialis*. Prior reperitur in eo, qui semel Christianam Fidem suscepit (puta per Baptismum) & nihilominus sub nomine Christiano resistit Doctrinæ Christi ab aliqua ejus parte recedendo cum pertinacia: quæ pertinacia se tenet ex parte voluntatis, estque in eo sita, quod quis sciens, & volens consentiat in id, cujus oppositum novit ab universali Ecclesia determinatum. Unde, prout hic sumitur, non consistit in certa temporis mora; neque in inflexibili erroris continuatione, prout alias, præsertim relate ad pœnas in foro externo infligendas, accipi solet. Posterior, seu materialis hæresis reperitur in eo, qui veram Fidem professus, ex ignorantia, vel alio errore intellectus, citra pertinaciam voluntatis, tenet unum, vel plures articulos Fidei orthodoxæ contrarios. *part.* 2. *num.* 72. Hinc Hæretici alii sunt, & dicuntur *formales*, alii *materiales*. *ibid.* Non licet per se loquendo Catholicis Hæreticos recipere, ac tolerare, eisque exercitium suæ sectæ, ritusque permittere. *ibid.* n. 73. Quænam communicatio cum Hæreticis, ubi tolerantur, sit prohibita Catholicis? *num.* 75. Quænam in Hæreticos sint statutæ pœnæ? *num.* 76. Ildephonsus de veritate Catholicæ fidei deliberate dubitando evadit hæreticus. *num.* 92. E diverso Ismael contra fidem ignorantia, qualicunque demum, errando non efficitur hæreticus. *num.* 93. Justinus, & Justina non negant fidem, nec peccant, dum famulantur Hæreticis, a quibus non permittuntur diebus festis audire Sacrum: jubentur contra iisdem diebus serviliter laborare; diebus ab Ecclesia interdictis comedere carnes &c. dummodo prædicta non exigantur, aut fiant in contemptum Catholicæ Religionis, vel ad approbandam sectam acatholicam, & magnum illis incommodum ceteroquin immineat. *num.* 94. Justinianus, Religione Lutheranus, desiderat fieri Catholicus: quomodo cum ipso procedendum? n. 95. Episcopi non amplius possunt pro foro interno absolvere ab hæresi formali, & completa, etsi occulta, & needum ad forum contentiosum deducta, extra articulum mortis & casum impedimenti perpetui, aut diuturni adeundi Romam, sine privilegio, & facultate specialiter a Pontifice obtenta, sicut obtinent Episcopi Germaniæ singulis quinquenniis. *part.* 3. *numer.* 318. At pro foro externo, non obstante Bulla Cœnæ, non solum Inquisitores hæreticæ pravitatis, sed etiam Episcopi (saltem ubi non existunt præfati Inquisitores) tanquam Delegati Sedis Apostolicæ absolvere hodiedum possunt hæreticos (nisi sint Hæresiarchæ, aut Relapsi) ab hæresi, incursaque propter eam excommunicatione. Quæ absolutio indirecte etiam prodest pro foro interno, quatenus, sublata excommunicatione per absolutionem in foro externo impertitam, quivis deinde Confessarius approbatus (a fortiori & ipse Episcopus) a peccato hæresis absolvere potest. *ibid.* Quando censeatur adesse impedimentum perpetuum, vel diuturnum adeundi Romam, & quænam personæ illo laborent? Vid. *Impedimentum*. Alii curati, Episcopo inferiores, non possunt absolvere ab hæresi formali, & completa, nisi 1. in articulo, vel periculo mortis. 2. Ex speciali concessione S. Pontificis. 3. Ex legitima delegatione, vel subdelegatione Episcopi. 4. Quando non potest adiri Papa, vel Episcopus, nec privilegiatus. *cit. part.* 3. *num.* 319. Neque id possunt Regulares, sive Superiores, sive Subditi, relate ad Sæculares: imo neque, saltem probabilius, relate ad Regulares, sibi subjectos, vi suorum privilegiorum; esto hoc ultimum possint ex alio capite: quia nempe Religiosi (vel Religiosæ) impedimento perpetuo adeundi Romam laborare censentur. *ibid. num.* 320.

Hermaphroditus.

Per *Hermaphroditum* intelligitur homo, maris, & feminæ organis simul, vel etiam successive instructus. Si prævaleat sexus masculinus, valide Ordinari potest; secus, si sexus femininus prævaleat; vel uterque sexus, masculinus scilicet, & femininus, in illo æque dominetur: quia in primo casu hermaphroditus censetur simpliciter mas, non item in secundo, & tertio. *part.* 6. *num.* 93. Quod si contingeret, ut femina, erumpente natura, migraret in marem, sicque istius sexum indueret, valide (non tamen licite, nisi remoto scandalo) Ordinaretur: quia jam censeretur absolute mas. Sed si talis mutatio primum eveniret post Ordinationem, hæc non convalesceret. *ibid.* E diverso si mas transiret in feminam, & istius sexum indueret, Ordinaretur invalide: quia censeretur absolute femina. Quod si talis transitus accideret post Ordinationem, maneret quidem ejusmodi subjectum valide Ordinatum, & retineret characterem, ac potestatem remotam Ordinis suscepti, proximam vero ratione mutati sexus amitteret: sicut amittunt comprehensores per sui translationem a statu viæ ad statum patriæ. *ibid.* Similiter hermaphroditus valide contrahit Matrimonium, si contrahat secundum sexum prævalentem, seu validiorem, secus, si contrahat secundum sexum non prævalentem, seu debiliorem: quia secundum illum sexum censetur simpliciter vir, vel femina, non vero secundum istum. Unde si prævalet sexus masculinus, valide contrahet ut masculus; si femininus, ut femina. *cit. part.* 6. *numer.* 631. Ex quo consequitur, neque validum fore Matrimonium, quod init hermaphroditus, in quo ponitur uterque sexus æqualiter dominari: quia, cum sic neuter sexus prævaleret, hermaphroditus non censeretur simpliciter, & absolute, sive mas, sive femina. *ibid.*

Herus. Vid. *Dominus.*

Histrio.

Qui quæstus causa histriones agunt, vel turpes ludos exhibent, ipso Jure infames, atque irregulares evadunt. *part.* 3. *num.* 353.

Homicida.

Homicida (idem cum proportione cogita de mutilatore, vel vulneratore) duplex damnum inferre potest, videlicet *personale*, seu *naturale*, quod est ipsa vitæ (vel membri) amissio (aut deformitas) & *reale*, seu *temporale*, quod est jactura rerum pecunia æstimabilium, quarum acquisitio, vel conservatio pendebat ex hominis occisi vita (vel læsi corpore integro) &c. *part.* 4. ante *num.* 573. Exponitur status hujusce quæstionis, *an aliquid restituendum pro damnis personalibus?* *ibid. num.* 573. *& seqq.* Pro damnis personalibus vitæ, membri &c. homini libero illatis nulla debetur restitutio ex Jure naturæ, & ante sententiam Judicis. *numer.* 576. Solvuntur argumenta opposita. *num.* 577. *& seqq.* Illustratur conclusio per corollaria, & præscribitur, qualis pœnitentia a Confessario sit imponenda homicidæ. *num.* 584. *& seqq.* Injustus occisor, sive homicida (mutilator, vulnerator) tenetur omnia damna realia compensare. *num.* 587. Non tenetur tamen solvere expensas funeris. *numer.* 588. Obligatur etiam ad restitutionem, quando in occisione injusti aggressoris excessit moderamen inculpatæ tutelæ. *num.* 589. Obligatio restituendi transit ad hæredes homicidæ. *numer.* 590. Cui homicida, vel hæredes ejus teneantur restituere? *num.* 581. An etiam hæredibus occisi non necessariis, & creditoribus? *num.* 582. Non cessat obligatio restituendi, tametsi occisus ante mortem damna remiserit. n. 593. Liberius, qui Liberianum interfecit, tenetur hujus hæredibus compensare omnia damna realia inde consecuta; non autem personalia. *num.* 621. An, & quomodo Leovigildus teneatur ad restitutionem ex indirecta damnificatione, causata per homicidium? n. 642.

Homicidium.

Homicidium ut sic (prout a licito, & illicito abstrahit) est *violenta exanimatio hominis ab homine facta*. Unde si brutum hominem exanimet, seu occidat, non dicitur homicidium, sed *pauperies*. *par.* 2. *num.* 576. Homicidium præcipue dividitur in *voluntarium*, & *casuale*: in *simplex*, & *qualificatum*. Explicantur hæc membra dividentia. Porro homicidii qualificati species, vel quasi species sunt 1. *Homicidium proditorium*, quando quis alterum sub specie amicitiæ, & securum, nihilque tale metuentem interficit. 2. *Homicidium insidiosum*, quando aliquis expectat alium in loco, in quo ab eo verisimiliter prævideri non poterat; illumque ex improviso venientem aggreditur, & occidit. 3. *Homicidium assassinum*, sive *assassinium*, quando quis enecat unum per alterum, pretio ad id conductus. 4. *Homicidium veneficum*, sive *veneficium*, quando quis interimit alterum veneno clam porrecto. 5. *Homicidium sacrilegum*, sive *Sacrilegium*, quando aliquis personam sacram, vel profanam quidem, at in loco sacro, e medio tollit. 6. *Latrocinium*, quando quis alterum perimit spolii causa. 7. *Parricidium*, quando quis patrem, aut matrem, aut prolem, aliumve ex ascendentibus, vel descendentibus, quin etiam collateralibus usque ad quartum gradum inclusive, vita spoliat. 8. Denique *crimen læsæ Majestatis*, quando quis necat Papam, Imperatorem, Regem, Principem (saltem si hic superiorem non recognoscat) vel Consiliarium Status Supremi Principis, aut Custodem corporis, dum actu latus Principis stipat &c. *ibid. num.* 577. Vid. *Occisio*.

Honestas, quæ est impedimentum Matrimonii. Vid. *Impedimenta Matrimonii.*

Honor,

cedunt obtinentibus, si ipsi illas ad præsidia, vel loca tuta jam deportarint; secus, si nondum eo deportarint, aut si legitimi domini adhuc fuerint inscenti; tunc enim peioribus, & legitimis dominis restituendæ erunt etiam de Jure Cæsareo. *part.* 4. *num.* 262. Ceterum Jus Cæsareum solummodo observari potest, ac debet ab illis, qui Cæsari sunt subjecti: item quoad bona pertinentia ad Laicos tantum. *ibid.*

Humerale. Vid. *Paramenta.*

Humilitas.

Humilitas est *virtus moralis inclinans ad præstandam verbis, signis, & factis suam vilitatem, moderansque appetitum circa honores ambiendos. part.* 1. *num.* 700.

Hymnus Ecclesiæ: Iste Confessor.

In hoc Hymno, *Iste Confessor*, si Festum S. Confessoris transferatur in diem proxime sequentem, nihil mutatur: si ulterius transferatur in eodem Hymno mutatur *meruit beatas scandere sedes* in *meruit supremos laudis honores. part.* 5. *num.* 389. *D. CCLXXXI. & CCLXXXII.*

Hypotheca.

Hypotheca (formaliter sumpta) vel *Pignus*, est *contractus, quo creditori res quapiam traditur in securitatem debiti.* Hypotheca, & Pignus parum, aut nihil discrepant &c. *part.* 2. *num.* 818. Hypotheca (idem cogita de Pignore) alia dicitur *expressa*, quæ expresso contrahentium consensu constituitur; alia vero *tacita*, quæ constituitur ex dispositione Legis absque ullo alio pacto, vel contractu. Tam expressa, quam tacita vel est *generalis*, qua omnia omnino bona creditori oppignorantur, aut saltem quoddam genus bonorum, v. g. omnium immobilium, omnium mobilium, totus grex ovium &c. vel *specialis*, quando aliqua res oppignoratur in specie, singularis, & determinata, v. g. hæc domus, hic scyphus &c. *ibid.*

I

Jactantia.

JActantia, seu gloriatio de opere malo, est peccatum mortale, si opus, de quo quis se jactat, sit graviter malum; veniale vero, si opus sit leviter malum: estque peccatum ejusdem speciei, cujus est ipsum opus, de quo quis se jactat, seu gloriatur. *part.* 2. *num.* 704.

Idololatria.

Idololatria est superstitio, qua cultus Divinus exhibetur Creaturæ, sicut Deo *part.* 2. *num.* 293. Dividitur in *perfectam, imperfectam, & simulatam.* Perfecta est, quando quis falso existimans, creaturam esse Deum, ei cultum Divinum exhibet. Imperfecta est, quando quis sciens, creaturæ nullam divinitatem inesse, ei tamen ex perverso affectu, v. g. ex odio in verum Deum, vel cupiditate a dæmone aliquid obtinendi, cultum Divinum exibet: uti magi, & sagæ exhibere solent diabolo. Simulata est, quando quis sine existimatione Divinitatis, & sine affectu interno colendi, v. g. ob tyranni, aut populi metum, exterius tantum creaturæ exhibet cultum Divinum, *ibid. n.* 294. Qui committit idololatriam perfectam, incurrit (si sit baptizatus) excommunicationem Bullæ Cœnæ in utroque foro: qui imperfectam, aut simulatam, in foro externo tantum. *ibid.* Maxentius perpetrat peccatum idololatriæ, dum adorat dæmonem, quamvis hoc faciat totus consternatus. *num.* 387.

Jejunium.

Nomine *Jejunii* significatur proprie major quædam victus, & eorum, quæ gustu percipiuntur, abstinentia, ac requirit communis Temperantiæ regula. *part.* 3. *num.* 1. Dividitur in *naturale, morale, & Ecclesiasticum. ibidem.* Quando Ecclesia præscribit solam abstinentiam a carnibus, non vocatur *simpliciter jejunium*, sed *abstinentia*, ipsique etiam dies, in quibus præscribitur, appellantur *dies abstinentiæ*. Quando autem Ecclesia præter abstinentiam a carnibus præscribit insuper abstinentiam a secunda refectione, jubetque fideles una refectione, quæ fiat per cibos esuriales, in die esse contentos, dicitur *jejunium simpliciter* (nempe Ecclesiasticum) & dies, in quibus præscribitur, *dies jejunii. ibid.* Ut discerni queat, an jejunans exerceat actum jejunii moralis, vel Ecclesiastici, attendendum est ad formam, quam in jejunando observat. *n.* 2. Jejunium nostrum Regulare, itemque Diœcesanum, seu ab Episcopo pro sua Diœcesi indictum, & similia, possunt dici jejunia Ecclesiastica: quia in illis servatur forma, quam Ecclesia in jejunio Ecclesiastico universali fidelibus servandam præscribit. *ibid.* Ad jejunium Ecclesiasticum, ejusdemque legitimam observationem tres conditiones requiruntur, nempe ciborum delectus, sive abstinentia a carnibus, & cibis vetitis, abstinentia a secunda refectione per diem naturalem integrum, & certum tempus refectionis, ita, ut hæc non rationem prandii, sed cœnæ habeat. *num.* 3. Prærecensitæ conditiones exponuntur. *numer.* 4. *& seqq.* Obligatio Jejunii Ecclesiastici est mortalis ex genere suo relate ad observantiam abstinentiæ a carnibus, aliisque cibis vetitis, & abstinentiæ a secunda refectione: venialis vero relate ad observantiam certi temporis, seu horæ refectionis. *num.* 7. Qui in die jejunii sumpsit binam refectionem, eamque plenam, non peccat amplius sumendo tertiam; secus est de eo, qui comedit carnes &c. *num* 8. Mortaliter delinquit, qui in die jejunii extra solitam refectionem, & collationem sæpius modicum quid comedit, si perveniat ad notabilem quantitatem. *numer.* 9. Ad abstinentiam a carnibus in diebus jejuniorum tenentur omnes per Baptismum subjecti Ecclesiæ, & præditi usu rationis, post septimum ætatis annum completum: ad abstinentiam vero a bina refectione per cibos esuriales, qui sunt supergressi annum vigesimum primum. *numer.* 10. Deducuntur duo corollaria; unum de perpetuo amentibus, alterum de juvenibus, annum vigesimum primum necdum egressis. *num.* 11. *&* 12. Causæ præcipuæ, quæ a Jejunio Ecclesiastico excusant, sunt *paupertas, infirmitas, labor, pietas, & sensilus.* Singulæ hæ causæ excusantes exponuntur. *num.* 13. *& seqq.* Istæ tamen causæ excusantes a Jejunio Ecclesiastico potissime locum obtinent quoad eam duntaxat partem præcepti, qua plures refectiones, non autem quoad illam partem, qua esus carnium interdicitur. Unde causæ, a carnium quoque abstinentia excusantes, aliæ assignari solent, eæque tres. Prima est, siquis laboret infirmitate, cui repetita etiam ciborum esurialium comestione salubriter occurri non potest. Secunda est, quando ob paupertatem non suppetunt alii cibi ad congruam naturæ sustentationem necessarii. Tertia est, quando Catholici apud Hæreticos laborant, aut famulantur. Ob primam ex his causis quandoque excusari ab abstinentia carnium possunt prægnantes, vel prolem lactantes: solent enim subinde appetere certi cujusdam generis carnem, quæ si ipsis negetur, proli imminet periculum infirmitatis. Ob secundam toleratur, saltem in Germania, ut post finita Bacchanalia carnium reliquiæ pauperibus absumendæ præbeantur. Ob tertiam permittitur Catholicis manducatio carnium, si cibi esuriales non apponantur. Neque urgendi sunt, ut pane, aut solis leguminibus contententur: quia benigna Mater Ecclesia non censetur velle tam arduam restrictionem. Præcedere tamen ejusmodi famuli, vel famulæ debent scandalum, dicendo, se in casu necessitatis non obstringi præcepto Ecclesiæ. Deinde Rei gusi Mendicantes obtinent privilegium eum antelatis famulis pro majori securitate dispensandi, eosque ad comedendas in illis circumstantiis carnes licentiandi. *num.* 18. Ubaldus non peccat contra præceptum jejunii, sumendo etiam extra tempus refectionis, & collationis, vinum, cerevisiam, vel cocholatam: peccat autem, & quidem mortaliter, sumendo refectionem meridianam, si se antea bono jentaculo refecerit. *num.* 21. Valerius, & Valerianus servitores mensæ, possunt, durante adhuc convivio, comedere, quantum lubet, si ante illud justam refectionem non sumpserint; secus, si sumpserint. *num.* 22. Valentinus in die jejunii unciam, seu duos lorbones carnis absumendo non deliquit mortaliter; bene autem accipiendo in collatione tres partes cœnæ ordinariæ de cibis esurialibus calidis, haud quidem ratione qualitatis, sed quantitatis. *n.* 23. Valentinianus, dum tempore Quadragesimæ ordinarie dormire nequit, nisi bis reficiatur, licite sumit alteram refectionem: licite præterea idem Valentinianus capit consuetam collationem (præscindendo a priore Casus membro & causa impotentiæ ad dormiendum) esto nullam pene famem patiatur. *num.* 24. Virgilius sartor tenetur in die jejunii servare abstinentiam a secunda refectione. *num.* 25. Venustus, & Venusta votum jejunandi certis hebdomadæ diebus per totam vitam, servare tenentur, etiam exacto sexagesimo anno ætatis, si adhuc validi, & ad perferendam jejunii rigorem sat robusti existant. *num.* 26.

Ignorantia.

Ignorantia est carentia scientiæ, sive notitiæ alicujus rei, & varie dividitur. Nam 1. alia est ignorantia *puræ negationis*, alia *privationis*, alia *pravæ dispositionis*. Prima est scientia in subjecto ad sciendum non apto, vel simpliciter; ut in lapide v. g. vel pro certo tempore, & statu, ut in infante, amente &c. Secunda est carentia scientiæ in subjecto ad sciendum apto; ut in homine adulto, & rationis compote, dum res illas, quas scire potest, ignorat. Tertia est deceptio, & error positivus judicantis, rem aliter esse, ac est; ut siquis nesciens Christum esse simul Deum, & hominem, judicet esse purum hominem. Ex quo patet differentia hujus tertiæ ignorantiæ a secunda; nam secunda consistit in sola carentia scientiæ, quam quis potuit, aut etiam debuit habere;

latitudinarii, debiles. &c. part. 3. n. 126. ad fin. Videatur etiam *num.* 218. *ibid.*

Impedimenta Matrimonii.

Impedimentum Matrimonii generice sumptum, est inhabilitas ad contrahendum, seu ineundum Matrimonium: estque in prima sui divisione biceps, *impediens* scilicet, ac *dirimens*. Impediens (tantum) est, quod obstat, ne Matrimonium contrahatur licite, quamvis contractum in suo valore subsistat. Dirimens est, quod obstat, ut Matrimonium nec licite, nec valide contrahatur. *part.* 6. ante *num.* 484. Impedimentum, quod est, & dicitur *impediens respectu Matrimonii*, evadit *dirimens respectu Sponsalium*, & hæc facit nulla &c. *ibid.* Impedimentis Matrimonii, ab Ecclesia statutis, etiam ligantur de facto Hæretici in nostra Germania. *cit. part.* 6. *num.* 489. Exponitur status hujus quæstionis, *An cum opinione Juris vere probabili de non existentia impedimenti dirimentis valide, & licite contrahi Matrimonium possit? ibidem num.* 490. Valide, & licito contrahitur Matrimonium cum dubio Juris practice deposito, seu cum opinione vere probabili de non existentia impedimenti dirimentis, quod est Juris solum Ecclesiastici. *num.* 491. Diluuntur argumenta opposita. *num.* 492. *& seqq.* Licet impedimentum sit Juris naturalis, vel Divini, adhuc in casu posito Matrimonium contrahitur licite, non autem valide, quando hujusmodi impedimentum revera subest *num.* 495. Solvuntur argumenta contraria. *num.* 496. *&* 497. Non licet tamen contrahere Matrimonium, quando præsumptio stat pro impedimento, sive dein hoc ponatur esse Juris Ecclesiastici tantum, sive Juris naturalis, aut Divini. *num.* 498.

Impedimenta Matrimonii impedientia olim erant duodecim; hodie tamen, reliquis abrogatis, quatuor duntaxat ex illis in vigore sunt, sequenti versiculo comprehensa:

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

Quibus tamen recte accensetur geminum impedimentum *Clandestinitatis secundum quid* (*Clandestinitas* autem *simpliciter talis* est de classe impedimentorum dirimentium) consistens in omissione Parochi, & Testium, quando contrahitur Matrimonium, ubi Tridentinum, præsentiam Parochi, & Testium ad valorem contractus Matrimonialis requirens, non viget; ibi enim sine assistentia Parochi, & Testium Matrimonium initur quidem valide, non autem licite: atque in omissione trium denuntiationum, quæ fieri debent, ut Matrimonium licite iniri possit. *num.* 499. De notandis quoad Sponsalia, quatenus constituentia impedimentum Matrimonii impediens, Vid. *Sponsalia*. Quænam notanda sint *circa Tempus Sacratum*, sive *Feriatum? num.* 500. Quænam *circa Vetitum Ecclesiæ*; & Quænam *circa Votum? n.* 501. *&* 502. Quomodo Vota, Matrimonio licite contrahendo obstantia, differant inter se? *n.* 503.

Jure antiquo duodecim tantum impedimenta Matrimonii dirimentia erant; modo autem, seu Jure novo Tridentini numerus ille duodenarius auctus est; additis adhuc duobus aliis id genus impedimentis, *Clandestinitatis* nempe (in absentia Parochi, & Testium sitæ) ac *Raptus* &c. ut jam sint, & numerentur *communiter* quatuordecim, hisce versibus comprehensa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas:
Si sis Affinis; si forte coire nequibis;
Si Parochi, & dupl cis desit præsentia Testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Sunt itaque quatuordecim impedimenta Matrimonii dirimentia, si (ut communiter fieri assolet) *Cognatio* pro uno duntaxat (secundum speciem subalternam) impedimento computetur; & *Ætas* (impuberum nempe) ad Impotentiam reducatur. ante *num.* 504.

Error, versans circa substantiam personæ, sive sit antecedens, sive concomitans, dirimit Matrimonium Jure naturæ. *n.* 506. Solvuntur objectiones, & deducitur corollarium. *n.* 507. *& seqq.* Error qualiscunque, versans circa qualitatem personæ, regulariter non dirimit Matrimonium. *num.* 511. Fit limitatio hujus conclusionis. *num.* 512. Solvuntur objectiones, ac deducitur corollarium. *num.* 513. *& seqq.* Vid. *Error.*

Si homo liber cum persona *conditionis servilis servitute proprie dicta* Matrimonium contrahat, invalide contrahit, quando laborat errore, vel ignorantia ejusmodi qualitatis: idque ipso Jure naturæ. *num.* 518. *&* 519. Diluitur argumentum oppositum, ac deducitur corollarium. *num.* 520. *&* 521. Contra omni Jure valet Matrimonium, quod cum *servo* (vel *serva*) *improprie dicto*, nempe *adscriptio, aut originario*, vel *homine proprio* contrahitur, quamvis alter contrahentium non sit simili servituti obnoxius, & obnoxium esse compartem ignoret. *num.* 517. Vid. *Servus.*

Votum solemne Religionis dirimit Matrimonium contrahendum: sed Jure Ecclesiastico tantum; quo eodemet Jure dirimit quoque Matrimonium jam contractum, si adhuc ratum, & necdum consummatum sit. *num.* 523. *&* 524. Solvitur argumentum oppositum. *numer.* 525. Quod dictum est de Voto solemni Religionis, intellectum quoque esto de Votis simplicibus, emissis a Scholasticis, & Coadjutoribus Societatis Jesu. *num.* 522. Vid. *Votum.*

Cognatio triceps est, videlicet *carnalis*, quæ ex carnali generatione derivatur; *spiritualis*, quæ ex regeneratione spirituali in Sacramentis Baptismi, ac Confirmationis oritur; & *Legalis*, quæ ex Legis adoptione resultat. Cognatio carnalis involvit duplex impedimentum, *Consanguinitatis* videlicet, ac *Affinitatis*. Consanguinitas rationem Cognationis carnalis principalius participat, & plerumque nominari solet etiam simpliciter *Cognatio carnalis*. Affinitas autem rationem Cognationis carnalis minus principaliter participat, & ordinarie non Cognatio carnalis, sed nomine specifico appellatur *Affinitas*, de qua inferius. Hic autem de Consanguinitate. ante *num.* 526.

Itaque per *Cognationem carnalem* pro Consanguinitate sumptam, sive per ipsam *Consanguinitatem* intelligitur *propinquitas personarum, ab uno Genarcho, sive eodem Stipite, carnali propagatione descendentium*; ad quam, quatenus impedimentum Matrimonii inducit, rite percipiendam, tria nosse oportet, nempe *Stirpem*, vel *Stipitem*, *Lineas*, *& Gradus*. Stipes dicitur illa persona, a qua eandem carnem, & sanguinem participant personæ, de quarum consanguinitate quæritur: unde consanguinitas est quasi una sanguinitas, sive unus sanguis, & inde nati vocantur *Consanguinei*. Linea est *ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes, diversos continens gradus*. Estque biceps, videlicet *recta*, & *obliqua*. Obliqua subdividitur in *æqualem*, & *inæqualem*. Quæ membra dividentia respective, ac subdividentia explicantur. Gradus est *intervallum, seu distantia unius personæ ab altera in linea consanguinitatis &c. n.* 526. *&* 527. Assignantur Regulæ pro dignoscenda distantia unius consanguinei ab altero in ordine ad Matrimonium contrahendum. *num* 528. Recensentur, & explicantur Nomina Consanguineorum. *numer* 529. Adstruitur Schema Consanguinitatis. *n.* 530. Additur præterea facilis Praxis indagandi Consanguinitatem, & Gradus ejusdem. *num.* 531. Consanguinitas non solum in primo, sed etiam in ulterioribus gradibus lineæ rectæ usque in infinitum valde probabiliter Matrimonium dirimit ipso Jure naturæ. *num.* 532. Solvuntur objectiones. *n.* 533. Deus super impedimento Consanguinitatis in quocunque gradu etiam lineæ rectæ dispensare posset. *n.* 534. Consanguinitas lineæ obliquæ probabilius nec in primo gradu dirimit Matrimonium Jure naturæ. *num.* 535. Diluuntur fundamentaria. *n.* 536. *& seqq.* Consanguinitas in linea recta de Jure positivo Humano dirimit Matrimonium in infinitum (quousque secundum nos etiam dirimit de Jure naturæ) in linea autem obliqua solum usque ad quartum gradum inclusive. *num.* 539. Non est in ordine ad contrahendum Matrimonium facienda distinctio inter consanguinitatem ortam ex copula licita, vel illicita. *num.* 540.

Per *Cognationem spiritualem*, ut est hujus loci, & impedimentum Matrimonii, intelligitur *propinquitas personarum, ex collatione, & susceptione Sacramentorum, Baptismi, & Confirmationis resultans. n.* 541. Dirimit Matrimonium Jure Ecclesiastico tantum. *ibid.* Quare resultet solum ex Baptismo, & Confirmatione? *ibid.* A quibus personis contrahatur? *num.* 542. *&* 543. Etiam privatim, & in necessitate baptizans illam incurrit; non vero sic levans. *num.* 544. Solvuntur objectiones. 545. *& seqq.* Si designati pro patrinis solum assistant, quando supplentur ceremoniæ Baptismi antea omissæ, non evadunt obnoxii huic impedimento. *num.* 550. Si quis munus patrini per procuratorem obeat, ipse, non procurator, contrahit cognationem spiritualem. *num.* 551. Diluuntur opposita. *n.* 552. *&* 553. Istud impedimentum est perpetuum. *num.* 554.

Per *Cognationem Legalem* (sic dictam, quia a Legibus Juris Civilis primo adinventa fuit, licet postea a *SS.* Canonibus sit recepta) intelligitur propinquitas personarum ex adoptione proveniens. *num.* 555. Quid, & quotuplex *Adoptio*, ac quasnam habere conditiones debeat? *ibid.* Istud impedimentum est solum Juris Ecclesiastici. *ibid.* Probabiliter tamen oritur non solum ex adoptione perfecta, sed etiam imperfecta. *num.* 556. Solvitur argumentum contrarium. *num.* 557. Recensentur personæ, inter quas dictum impedimentum resultat. *num.* 558. An perpetuo duret? *num.* 559.

Impedimentum *Criminis* Jure Ecclesiastico inductum est propter duo delicta, adulterii nempe, & conjugicidii, eaque vel seorsim, vel simul sumpta. *num.* 560. Quænam requirantur, ut dictum impedimentum incurratur ob adulterium sine conjugicidio? Ubi etiam solvuntur duæ objectiones intermediæ. *num.* 561. *& seqq.* Quænam requirantur, ut impedimentum criminis incurratur per conjugicidium sine adulterio, & quænam, ut per adulterium, & conjugicidium simul? *num.* 568. *&* 569. Corollarium. *num.* 570.

Per *disparem Cultum*, sive *Disparitatem Cultus* intelligitur hic

&c. *num.* 649. Fidentianus viduus non prohibetur ducere Semproniam viduam, & illius duo filii duas filias illius. *num.* 650. Febronius invalide contraxit Matrimonium cum Sempronia, respectu cujus laboravit impotentia coeundi ex maleficio orta, eaque incurabili, *num.* 651. Felicitas, ejusque maritus, potentia invicem coeundi tandem amissa, licite nihilominus exercent tactus, oscula, amplexus, licet quandoque sequatur pollutio, dummodo hanc non intendant, nec in eam consentiant, vel consentiendi periculum subeant, *num.* 652. Florentius, etiam rapiendo, sive secum abducendo propriam Sponsam, invitam, & reluctantem, in locum moraliter diversum, incurrit impedimentum Raptus, ut ibidem contrahere Matrimonium cum ea non valeat. *num.* 653.

Imperfectio.

Imperfectio (spectata in genere moris) est *actio, vel omissio repugnans suasioni, seu consilio sano in re ad mores pertinente, & ex se nec vetita, nec imperata*: atque adeo adversans consiliis, inspirationibus Divinis, aut Superiorum voluntati, sub nulla tamen culpa obliganti, aut dictamini rationis impellenti ad moraliter honestiora, & decentiora. *part.* 5. *num.* 488. Non est materia sufficiens pro absolutione Sacramentali; quia non obtinet rationem peccati, quippe quod est *dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam*. *ibidem.* Haud tamen reprehendendi sunt Confessarii, dum non impediunt suos pœnitentes ab enarrandis in Confessione imperfectionibus: idque ex duplici ratione. Prima est: quia imperfectiones sæpenumero adjuncta habent, & secum trahunt peccata venialia, puta sensualitatis, curiositatis, impatientiæ, acediæ, vel negligentiæ alicujus culpabilis, maxime in sententia negantium actus indifferentes in individuo. Altera est: quia pœnitentes, sic recognoscendo suas imperfectiones, facilius excitantur ad sectanda charismata meliora. *ibidem in respons. ad argum.*

Imperium.

Imperium aliud vocatur *merum*, aliud *mixtum*. Merum consistit in potestate gladii adversus facinorosos exercenda, appellaturque a Practicis *Jurisdictio alta*, vel *Judicium sanguinis*. Mixtum est conjunctum cum Jurisdictione simplici, licet principaliter in jussione, vel coercitione consistat; appellaturque *Jurisdictio Bassa*. *part.* 3. *num.* 651. Vid. *Judex*.

Impositio manuum. Vid. *Ordo*.

Impotentia moralis.

Impotentia moralis est, quando aliquid, spectata conditione, vel infirmitate nostra, non videtur impleri posse, quamvis absolute vires non excedat, sive, quando aliquid fieri, vel omitti non potest sine gravi incommodo. *part.* 1. *num.* 205. *part.* 2. *num.* 328. & *part.* 3. *num.* 1. Impotentia moralis excusat, regulariter loquendo, ab observatione legis. *part.* 5. *num.* 205. Quando tamen urget gravis necessitas boni communis, tenemus ob ejus conservationem leges, etiam difficillimas, adeoque observatu moraliter impossibiles, observare; puta propriam exponere vitam pro pace, & concordia patriæ vel conservanda, vel restauranda. *ibidem.* Videatur etiam *num.* 600. Qui non potest totum servare, tenetur ad eam partem, quam potest, si præceptum commode possit, ac soleat dividi, & in ejus parte salvetur ratio finis præcepti. *part.* 5. *num.* 673. Videatur etiam *part.* 2. *num.* 423. Impotentia moralis insuper excusat in specie ab auditione Missæ. Sic excusantur, qui templum accedere non possunt sine periculo incurrendi peccatum, infamiam, vel diminutionem honoris; contrahendi morbum, aut reincidendi in eum; subeundi jacturam saltem mediocrem in bonis fortunæ, vel cessationem notabilis lucri &c. *part.* 2. *num.* 528. Excusat præterea a Jejunio. Sic excusantur, qui exercent opera per se, & valde laboriosa; ut fossores, agricolæ, fabri lignarii, & ferrarii, scrinarii, murarii, pistores, textores, sutores, aliique id genus artifices mechanici. Item Concionatores, Professores &c. Quando ob frequentiam, & assiduitatem laborum quotidie, vel quasi quotidie ingruentium suis auditoribus ægre satisfacere possunt, nisi sumant duplicem refectionem. *part.* 3. *num.* 25. Quando impotentia moralis excuset a restitutione, ut hæc omitti, vel saltem differri possit? Vid. *Excusantia a Restitutione.*

Impotentia contrahendi Matrimonium, vel solvendi debitum conjugale. Vid. *Impedimenta Matrimonii: Debitum conjugale. Usus Matrimonii.*

Improperium.

Improperium (quod est species contumeliæ) nuncupatur, *quo vitium, vel defectus physice præsenti, & in faciem exprobatur*. *part.* 2. *num.* 619.

Impubes.

Impuberes (quales sunt masculi usque ad annum decimum quartum, & puellæ usque ad annum duodecimum absolutum) incurrunt excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur Monasteria Monialium: item latam in percussores Clericorum: uti &, juxta probabiliorem sententiam, alias censuras, a Jure, vel homine latas; non autem ab homine ferendas. *part.* 1. *num.* 406. An, a quo, & qualiter Vota impuberum irritari valeant? Vid. *Irritatio Voti*. Impuberes, septennio majores, & sufficientem rationis usum, ac discretionem habentes, possunt contrahere Sponsalia, tempore pubertatis implenda: non vero Matrimonium, nisi in illis malitia suppleat ætatem. *part.* 6. *num.* 153. *in limitat. conclus.* & *num.* 156. item *num.* 625. Matrimonium impuberum clandestine contractum valet in vim Sponsalium. *cit. part.* 6. *num.* 473. *in respons. ad* 2. *argum.*

Impudicitia. Vid. *Luxuria*.

Incendium.

Res, ex incendio ereptæ, restitui debent domino, cujus erant, antequam in talem statum devolutæ erant. *part.* 4. *num.* 461.

Incensationes in Choro, & Missa.

In Incensationibus plura sunt observanda, v. g. quod, finito Evangelio Missæ solemnis, cui Episcopus assistit cum cappa, thurificari debeat celebrans, & non Episcopus: quod Canonici parati, assistentes Episcopo, ante Vicarium Generalem sint thurificandi: quod in Ecclesia Collegiata exempta, præsente uno Canonico cum Episcopo, & Abbate Collegiatæ ejusdem cum suis Canonicis, prius incensetur Canonicus, deinde Abbas &c. *part.* 5. *num.* 389. *D. XLV.* usque ad *L.* Item *D. XCVIII. CVII. CLII. & CLV.*

Incestus. Incestuosus.

Incestus est *peccatum luxuriæ, quo violatur persona cognata intra gradus, in quibus non potest iniri Matrimonium*. estque peccatum mortale duplex. *part.* 2. *numer.* 661. Pœnæ incestuosorum. *ibidem num.* 719. Adulter incestuosus non modo amisit jus petendi debitum conjugale obligatorie (uti adulter non incestuosus) sed etiam licite, si sciverit hujusmodi congressum specialiter esse ab Ecclesia prohibitum; esto ignorarit (idque invincibiliter) esse prohibitum sub pœna privativa juris ad petendum debitum. *part.* 6. *num.* 482. *in respons.* 5. Conjugi tamen innocenti licet ab incestuoso debitum petere, imo nec peccat innocens, si incestuoso petenti debitum reddat. *ibidem.* Super impedimento petendi debitum cum adultero incestuoso (vel cum conjuge votum simplex Castitatis habente) dispensare valet Episcopus potestate ordinaria, saltem per consuetudinem acquisita. Eadem potestate, sed per Privilegium obtenta, gaudent Religiosi Mendicantes, ad id a suis Provincialibus deputati. *ibid. in respons.* 3.

Inconsideratio.

Inconsideratio (una ex filiabus luxuriæ) est, *quando quis eo modo delinquit, inconsiderate agens, qua statum, vel personam dedecent*. *part.* 2. *num.* 725.

Inconstantia.

Inconstantia (similiter una ex filiabus luxuriæ) est, *quando quis ex affectu voluptatum a piis propositis mox deficit*. *part.* 2. *num.* 55. *citt.*

Indignatio.

Indignatio (una ex filiabus iræ) est *inordinatus affectus ex eo oriundus, quod quis reputet, se indigne ab alio tractari*. *part* 5. *num.* 724. Communiter culpam venialem haud excedit; imo, si ex justo rationis judicio procedat, omni culpa vacat. Excresceret tamen in culpam mortalem, si cresceret usque ad deliberatum odium, & contemptum personæ gravem. *ibid.*

Indignus. Vid. *Dignus*.

Inducens ad malum, Vid. *Scandalum*. Vid. *Restitutio*.

Indulgentia.

Infamia. Infamis.

Beneficiis Ecclesiasticis. *num.* 354. Quis tollere possit irregularitatem ex infamia ortam? Vid. *Dispensatio in irregularitate*. De aliis infamiam concernentibus, Vid. *Detractio*.

Infans, Infantia.

Infantes obligantur Lege Naturali; adeoque contra eam delinquere possunt, saltem materialiter, imo etiam formaliter, si sint usu rationis præditi, tametsi septennium (quousque infantia durat) nondum attigerint. *part.* 1. *numer.* 400. Obligantur insuper Lege Divina, si usum rationis consecuti sint, quamvis necdum sint septennes. *ibid. num.* 401. Non tamen obstringuntur Legibus Humanis ante septennium, saltem si necdum polleant usu rationis, & malitia non suppleat ætatem; imo probabilius (regulariter loquendo) tametsi malitia ætatem suppleat. *num.* 402. & 403. Si vero septennium, adeoque infantiam, supergressi sunt, & usum rationis, qui tunc præsumitur, adepti, obligantur omnibus Ecclesiæ præceptis, quorum materia ipsorum ætati est conveniens. *ibid.* Puero necdum septenni, adeoque infantiam nondum egresso, quamvis forte usum rationis jam consecuto, licite præbentur in die jejunii carnes. *n.* 407. & 456. *prope fin.* Infantes non sunt capaces censuræ. *part.* 3. *n.* 100. De Baptismo infantium, Vid. *Baptismus*. De Martyrio infantium, Vid. *Martyrium*. Infantes olim mox post susceptum Baptismum etiam Confirmari solebant, & adhuc solent in Ecclesia Græca; in Latina vero regulariter expectatur saltem annus septimus Confirmandi: partim ut is, utpote jam usu rationis præditus, majori cum reverentia Sacramentum recipiat: partim ut facilius recordari possit, se jam Confirmatum, ideoque non amplius Confirmandum esse. *part.* 5. *num.* 217. Qua tamen consuetudine non obstante, licite processit Episcopus, Reinerium, quatuor annorum puerulum, adhuc usu rationis destitutum, & moraliter certo moriturum, Confirmando. *cit. part.* 5. *num.* 230. Infantes, adhuc usu rationis carentes, non obligantur præcepto Confessionis, sive qua Divino, sive qua Ecclesiastico. *part.* 5. *num.* 27. Quod si vero usu rationis polleant, & peccato mortali se oneratos agnoscant, esto necdum septennes existant, tenentur dicto præcepto qua Divino, & probabilius etiam qua Ecclesiastico, quamvis non teneantur aliis præceptis Ecclesiasticis. *cit. part.* 3. *num.* 50. Similiter Infantes, adhuc usu rationis carentes, non obligantur præcepto Communionis, sive qua Divino, sive qua Ecclesiastico: imo, quamvis usum rationis habeant, & septennium jam attigerint, si tamen nondum videantur sufficientes ad dignam susceptionem SS. Sacramenti Eucharistici, ad S. Communionem hodie non solent statim adstringi, vel admitti extra articulum mortis; quidquid olim practicatum fuerit. *cit. part.* 5. *num.* 43. & 44. Infantes, & pueri ante usum rationis non sunt capaces Sacramenti Extremæ Unctionis: quod proinde non solum illicite, sed etiam invalide illis conferretur. *part.* 6. *n.* 25. Postquam vero usum rationis adepti sunt, extreme inungi possunt, esto Sacramentum Eucharistiæ nunquam sumpserint, vel etiam de facto illius sumendi incapaces judicentur. *cit. part.* 6. *num.* 45. Infans, si sit mas, est subjectum capax Ordinis, etiam Episcopalis, valide suscipiendi. *ibid. n.* 89. & 93. Talis tamen puer Ordinatus, v. g. in Subdiaconum, non obligaretur obligatione absoluta ad servandam continentiam (uti nec ad dicendas Horas Canonicas) sed adultior effectus potest libere ad Matrimonium transire (Horas Canonicas omittere) si exercitio Ordinis suscepti supersedere velit: esto ad illam (& istas) obligetur obligatione veluti conditionata, si nempe præeligat exercere munia Ordinis suscepti. *num.* 90. *in respons. ad instant.* Infantes ante septennium, ne valide quidem, inire Sponsalia queunt: nisi malitia præveniat ætatem, seu septennium. *num.* 213. Quod si malitia ætatem præveniat, non solum valide, sed etiam licite, tam de Jure naturali, quam positivo, contrahere Sponsalia possunt. *n.* 157. 158. & 162. Ubi etiam solvuntur objectiones a *n.* 159. Contrahere tamen Matrimonium non valent &c. *n.* 236.

Infidelitas. Infidelis.

Infidelitas, generatim accepta, est *defectus aliquis contra fidem*; & in hac generali, ac lata acceptione dividitur in *negativam*, *privativam*, & *positivam*, seu *contrariam*. Prima est carentia fidei in subjecto hic, & nunc inepto (sive ratione impotentiæ, sive ratione ignorantiæ) ad illam habendam. Secunda est carentia fidei in subjecto de se apto ad illam habendam, id est, in subjecto, quod potuisset hic, & nunc, ac debuisset elicere actum fidei, & non elicuit. Tertia est voluntarius error contra fidem, cum pertinacia conjunctus. *part.* 2. *numer.* 57. An quælibet ex his infidelitatibus sit peccatum, & destruat fidem? *ibid. num.* 58. Infidelitas positiva adæquate dividitur, seu subdividitur in *Paganismum*, *Judaismum*, & *Hæresim*; nam vel renititur quis fidei, respuendo universum tam vetus, quam novum Testamentum, & erit Paganus; vel respuendo novum duntaxat, & adhærendo veteri, non autem genuino ejusdem sensui, & erit Judæus; vel adhærendo etiam novo, ejusdemque genuino sensui, non tamen integro, seu in omnibus, & erit Hæreticus. *num.* 59. Solvitur argumentum oppositum. *numer.* 60. Ostenditur, Paganismum, Judaismum, & Hæresim solum materialiter, & accidentaliter inter se differre. *num.* 61. Infidelitas positiva formalis est gravius peccatum omnibus aliis peccatis, excepto formali, & expresso odio Dei. *num.* 62. Neque in illa locum habet parvitas materiæ. *num.* 63. En recensitis speciebus infidelitatis, inter se invicem comparatis, Hæresis intensive est gravius peccatum Judaismo, & Judaismus Paganismo; extensive autem gravius peccatum est Paganismus, quam Judaismus, & Judaismus, quam Hæresis. *num.* 64. An infideles cogi possint ad fidem amplectendam? *num.* 65. Vid. *Paganismus. Judaismus. Hæresis.* Infideles, etiam non baptizati, stringuntur legibus naturalibus, & Divinis. *part.* 2. *num.* 395. Infideles baptizati ligantur quoque legibus Ecclesiasticis. secus est de non baptizatis. *ibid. n.* 337. & 338.

Infirmitas. Infirmus.

Infirmitas corporalis notabilis excusat a Jejunio 1. ægrotos: ab ægritudine primum convalescentes: & debiles. Unde non tenentur jejunare laborantes febri tertiana, vel quartana, aut ab eadem immediate convalescentes: item illi, qui ex vacuitate stomachi notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, vel tota nocte calefieri, aut dormire non possunt, nisi bis reficiantur. 2. Homines teneræ complexionis, qui crebris, & modicis refectionibus indigent. 3. Lactantes, & prægnantes, quæ, si jejunent, non habent pro se, & sua prole sufficiens alimentum. *part.* 3. *n.* 23. Imo lactantes, & prægnantes quandoque excusari possunt etiam ab abstinentia carnium. *ibid. n.* 18. Infirmi, quando periculose decumbunt, etsi non jejuni, communicandi sunt: imo, si periculum mortis perduret, sæpius communicari possunt non jejuni, sive dein S. Synaxis iisdem præbeatur iterum per modum Viatici, sive per modum simplicis Communionis. *n.* 73. *in* 5. *limitat. respons.* Infirmitas etiam excusat a recitandis Horis Canonicis, si nempe existat gravis, & notabilis, seu talis, ut ex illarum recitatione immineat aliquod in valetudine malum non parvæ considerationis, v. g. cruditas stomachi, magnus dolor, aut gravedo capitis, virium lassitudo &c. *n.* 477. Neque ex eo, quod æger cum aliis loqui, aut fabulas, vel historias profanas legere possit, recte infertur, quod etiam possit, aut teneatur loqui cum Deo per recitationem Horarum: hoc quippe mentem collectam requirit, qualem habere ægro difficile accidit, illud vero mentem distrahit. *ibidem.* Quaresimo periculose decumbenti non potest absque mortali peccato præberi vinum contra prohibitionem Medici. *part.* 2. *numer.* 605.

Inimicus. Vid. *Dilectio inimicorum.*

Injustitia. Injuria.

Injustitia est *habitus inclinans ad lædendum jus alterius*: adeoque est vitium, virtuti Justitiæ oppositum, habens pro suo objecto *injustum*, sive *inæquale*, sicut virtus Justitiæ *justum*, sive *æquale*. *part.* 4. *num.* 322. Injuria est *violatio juris alieni*: & distinguitur ab injustitia, sicut actus ab habitu. *ibid. n.* 323. Dividitur in *verbalem*, & *realem*. *gravem*, & *levem*. Injuria verbalis est, si verbo contumelioso, vel detractorio alterius præsentis, vel absentis honor, aut fama læditur: ut si appelletur fur, adulter, spurius &c. Huc reducitur injuria scripto illata per *epistolam*, aut *carmen*, vel *Libellum famosum*, quo nempe per scripturam, omisso Authoris nomine, crimen, historia, aut aliud quidpiam, in alterius ludibrium, vilipensionem, vel infamiam cedens, spargitur in vulgus. Realis est, si facto, v. g. verberibus, pictura, gestu, violento domus, aut fundi introitu, vel alio actu aliquis ludibrio exponatur, aut lædatur. Injuria gravis est, quæ, spectata communi hominum complexione, secundum se apta est magnam contristationem causare: levis e diverso, quæ non sic est apta &c. Ex quo patet, gravitatem, vel levitatem injuriæ desumendam esse ex conditione personæ injuriantis, aut injuriatæ, ex ipsis verbis, vel factis, ex modo, loco, tempore &c. *cit. num.* 323. Potest quis etiam indirecte injuria affici, v. g. in personis sibi valde conjunctis &c. *num.* 324. Non licet retorquere injuriam realem, licet vero verbalem, si retorsio fiat cum debito moderamine. *numer.* 325. Voluntas cessiva juris alia est *efficax*, alia *inefficax*. Prior est, quæ neque ex natura sua, v. g. ex defectu sufficientis cognitionis; neque ex dispositione Legum, redditur invalida, vel infirma. Posterior est, quæ alterutro modo invalidatur, vel infirmatur. *numer.* 326. Consentienti voluntate, efficaciter cessiva juris, non potest: at consentienti voluntate, inefficaciter tantum cessiva juris, potest fieri injuria. *n.* 327. & 328. Hinc Clerico

Christus

Christus instituit, Ecclesia facit, aut fieri præcipit &c. *part. 5, numer. 82. in respons. ad 1. argum. & num. præced. in limitat. responsionis ad Cas.* Dividitur tandem intentio in *directam*, & *indirectam*, *seu interpretativam*, Prior est, qua quia vult rem in seipsa. Ea tali intentione operatur, qui v. g. deliberate odit inimicum: eum occidit, aut occidi imperat &c. Posterior est, qua quis rem vult non in se, sed in sua causa, Ea tali intentione operari censetur, qui, prævidens, quod in ebrietate sit baptizaturus v. g. ideo se inebriat, atque in eo statu baptizat. *part. 1. num. 974. & part. 5. num. 22.* Ut objectum, & circumstantiæ in actum humanum formalem bonitatem transfundant, debent esse directe volita, & intenta; ut vero transfundant malitiam, sufficit, quod sint volita, & intenta indirecte. *part. 1. num. 607.* Vid. *Actus humanus. Voluntarium.* Ad omnia, & singula Sacramenta valide conficienda requiritur, præter materiam, & formam, intentio conficiendi saltem implicita, & generalis. *part. 5. num. 7.* Quæ tamen intentio, ut ut ad præfatum finem necessaria sit, pars Sacramenti intrinsece constitutiva dici nequit. *ibid.* Ut Minister Sacramentum valide conficiat, habent, necesse est, intentionem directam, & non sufficit indirecta, seu interpretativa. *ibid. numer. 22. in respons. 1.* Non requiritur tamen intentio formalis; habitualis non sufficit; sed requiritur in defectu formalis, & sufficit virtualis. *ibidem in respons. 2.* Fit tamen aliqua exceptio quoad confectionem Sacramenti Matrimonii, inferius post *numer. 36.* exponenda. Atque talis intentio debet esse absoluta, & non satis est, si sit conditionata de futuro contingenti: excepto Sacramento Matrimonii. *ibidem in respons. 3.* Debet insuper terminari ad materiam, & subjectum determinatum, non quidem (excepto regulariter Matrimonio) quatenus est talis materia, vel subjectum in individuo, sed quatenus est ministranti Sacramentum hic, & nunc præsens. *ibidem in respons. 4.* Ex quo fit, ut invalide agat Sacerdos, si ex pluribus hostiis velit unam indeterminate consecrare; vel plures aqua aspergendo unum, aut alterum ex iis indeterminate baptizare. quia in primo casu intentio consecrantis non fertur in determinatam materiam; & in posteriore casu intentio baptizantis non tendit in determinatam personam. Fit præterea, & e diverso, ut Confessarius valide absolvat v. g. Petrum, putans esse Paulum; aut marem, putans esse feminam: quia censetur (supponitur enim velle agere prudenter, & licite) habere intentionem conferendi Sacramentum in illa materia, & illi personæ, quæ debite præsens est; sive dein sit Petrus, sive Paulus; sive mas, sive femina. *in cit. respons. 4.* Vid. *Minister Sacramentorum.* Etiam ad Sacramentum valide recipiendum (saltem si hoc consistat in usu; excipitur enim respective Sacramentum Eucharistiæ, essentialiter consistens in esse permanenti) requiritur in adultis (non item in infantibus, quibus æquiparantur perpetuo amentes) positiva aliqua intentio illud recipiendi, adeo, ut non sufficiat mera carentia intentionis contrariæ. *cit. part. 5. num. 34.* Quæ tamen intentio non necessario debet esse formalis, aut virtualis, sed sufficit regulariter habitualis. *num. 36.* Excipiendum est respective Sacramentum Matrimonii; nam licet ad hoc valide suscipiendum sufficiat intentio habitualis, quando conficitur, & suscipitur inter absentes, puta per Procuratorem, aut literas; non tamen sufficit, quando conficitur, & suscipitur inter præsentes. *numer. cit. & part. 6 numer. 311. in respons. ad object.* Ad celebrandum Missæ Sacrificium, & conficiendum Corpus, ac Sanguinem Christi, saltem requiritur, & sufficit intentio virtualis, sive dein hæc sit explicita, & particularis, sive implicita, & generalis. *part. 5. num. 369.* Ad applicandum vero Missæ Sacrificium sufficit intentio habitualis. *num. cit. & num. 22. in respons. ad argum.* Vid. *Sacerdos.* Qui ponit rem præceptam, cum intentione eam ponendi, satisfacit præcepto, quamvis careat intentione huic satisfaciendi: unde qui tempore Paschali v. g. communicat, implet præceptum communicandi, esto implere non intendat. *part. 1. num. 269. & 270.* Satisfacit quis præcepto audiendi Missam, si attendat ad partes Missæ, & oret, ut oportet, quamvis id faciat ex intentione extrinsece vitiata, v. g. ut appareat hominibus devotus &c. *cit. part. 1. num. 268.* Talis tamen Missæ auditio non est meritoria; siquidem ad hoc requiritur, ut actio sit in individuo formaliter bona; adeoque etiam extrinsece, & ex circumstantiis. *ibid.*

Interdictum. Interdictus.

Interdictum est *censura privans aliquibus Divinis, quatenus hæc sunt bona Ecclesiæ a fidelibus possidenda. part. 3. num. 257.* Dispescitur prima sui divisione in *Locale*, *Personale*, & *Mixtum*. Interdictum tam Locale, quam Personale subdividitur in *Generale*, & *Speciale*, seu *Particulare*. Porro Interdictum aliud est *in totum*, aliud *in partem*, seu *totale*, & *partiale*. *ibid. n. 258.* Ubi etiam singula hæc membra dividentia explanantur. Proponitur, & diluitur argumentum oppositum. *num. 259.* Complura deducuntur corollaria. *num 260. & seqq.* Interdictum (absolute prolatum) privat omnibus Divinis Officiis, *num. 265.* Concio non sortitur rationem Divini Officii, & idcirco tempore interdicti non est prohibita. *num. 266.* Tempore interdicti Moniales Horas Canonicas communiter, & solemniter decantare, vel recitare non possunt. *num. 267.* Assignantur nonnullæ limitationes circa interdictum quoad celebrationem Divinorum Officiorum. *num. 268.* Interdictum insuper privat administratione certorum Sacramentorum. *num. 269.* Deducuntur corollaria. *n. 270. & seqq* Interdictum denique privat sepultura Ecclesiastica *num. 272.* An in illis Festivitatibus, in quibus suspenditur interdictum locale generale, ac conceditur facultas assistendi Divinis Officiis &c. censeatur laicis etiam permissa sepultura in loco sacro? *n. 275.* Episcopi non comprehenduntur in decreto generali interdictum personale continente, quando non fit eorum expressa mentio. *n. 276.* Interdicto Clero, non censentur etiam Religiosi interdicti. *n. 277.* Interdici potest integra Communitas. *n. 278.* An, & quantum peccet, qui actum interdicto vetitum exercet, & num exercendo agat invalide? *n. 279. & 280.* An & quas pœnas incurrant, qui censuram interdicti violant? *n. 281* An peccent, & aliquam pœnam incurrant, qui cum interdicto communicant in iis, quæ ipsi per censuram interdicti sunt vetita *n. 282.* Recensentur Interdicta localia. *n. 283.* Recensentur Interdicta personalia generalia contra Universitates. *n. 284.* Recensentur Interdicta personalia specialia contra personas singulares. *num. 285* Aliquis tempore interdicti nactus privilegium audiendi Missam, hanc audire non tenetur etiam diebus festivis. *n. 300.* Destructis Ecclesiis, & Civitate, non cessat interdictum illis impositum. *num. 301.*

Interesse.

Damnum, quod creditori ex dilatione restitutionis emergere, & lucrum, quod cessare potest, communi vocabulo nuncupatur *interesse. part. 4. num. 483.* Porro interesse dividitur in *ordinarium*, & *extraordinarium*. Prius est, quando res ipsa pluris valet, quam alio tempore, sive crescat intrinsece, sive extrinsece. Posterius est, quando lucrum ex singulari creditoris opera, industria, negotiatione provenit. *ibid.* Vid. etiam de Interesse, *relate ad mutuum, num. 736. & seqq.*

Interpres. Vid. *Confessio.*

Interpretatio Legis.

Interpretatio Legis est *declaratio, an lex ad hunc, vel illum casum se porrigat, nec ne? part. 1. num. 543.* Dividitur in *Authenticam*, *Usualem*, & *Doctrinalem*. Interpretatio authentica est, quæ fit per aliam legem prioris declarativam, & obtinet eandem authoritatem, ac ipsa lex, quam declarat, modo solemniter publicetur. Nec refert, quod declarationes legum communiter dicantur nullam exigere declarationem. Siquidem id præcise intelligendum venit de declarationibus legum pure talibus, cujusmodi sunt doctrinales, quæ vim legis non obtinent, sed solummodo aperiunt sensum legibus jam inexistentem. Et hæc interpretatio fieri potest a Legislatore, ejus Successore, vel Superiore. Interpretatio usualis est, quæ per usum, & consuetudinem introducitur; nam optima legum interpres est consuetudo; imo & ipsa, si legitime præscripta sit, vim legis habet. Interpretatio doctrinalis est, quæ fit vel a Judicibus, Legislatore inferioribus, vel a Doctoribus, ac prudentibus Viris: & siquidem omnes DD. conspirent, faciunt moralem certitudinem; si vero discrepent, probabilitatem duntaxat, eamque majorem, vel minorem pro diversa multitudine Authorum, & pondere rationum. *ibid.* Assignatur differentia inter identitatem, & similitudinem rationis. *num. 545.* Qualiter, & quænam lex extendenda sit ad casus similes propter rationis identitatem, & similitudinem. *num. 546. & 547.*

Interruptio.

Interruptio moralis, quæ in voluntate peccantis contingit, etsi circa idem numero objectum contingat, multiplicat peccatum in ordine ad Confessionem. *part. 1. num. 676.* Toties committuntur plura numero peccata, quoties voluntas peccandi, etiam circa idem objectum, retractatur sive formaliter, sive interpretative, & de novo iteratur, quamvis interruptio, quæ per alterutram retractationem contingit, minima sit, seu modicissimo tempore duret. *ibid. num. 679.* Ut actus physice interruptus, censeatur etiam interruptus moraliter, non sufficit quæcunque modica temporis mora, extra casum, quo voluntas formaliter, vel interpretative retractatur. *num. 780.* Vid. *Distinctio numerica peccatorum.* Interruptio verborum nimis longa invalidat formam Sacramenti; atque adeo ipsum quoque Sacramentum. *part. 5. num. 57.*

pugnet in ordine ad votum a subdito edendum &c? *num.* 436. Irritatio voti alia est *directa*, alia *indirecta*, Prior contingit, cum is, qui pollet potestate dominativa in voluntatem voventis, actumque vovendi, obligationem voti simpliciter aufert. Posterior fit, quando is, qui obtinet dominium, aut jurisdictionem in res, vel actiones voventis (ab actu vovendi diversas) suspendit obligationem voti, quatenus, & quandiu præjudicat dominio, vel jurisdictioni ipsius. *num.* 437. Illi, qui pollent, & quatenus pollent potestate dominativa in voluntates voventium, possunt horum vota qualiacunque directe irritare; idque pro libitu, & sine omni causa [illegible] valide. *num.* 438. Deducuntur corollaria, & casus particulares. *num.* 439. An votum filii impuberis directe irritari possit a patre, postquam ille factus est pubes. *num.* 440. An votum Religiosi Prælato, & filii impuberis a parente, cum eorum consensu editum, atque post concessam facultatem illud exequendi, nihilominus adhuc directe irritari valeat. *num.* 441. An Superior etiam proprium votum irritare possit, sive per seipsum, sive per alium a se delegatum. *num.* 442. Quorum vota directe irritare possit S. Pontifex? *num.* 443. An votum subdito, etiam inscio, & contradicenti, directe (vel indirecte) irritari valet? *num.* 444. An votum directe irritatum reviviscat, si Superior irritationem revocet, aut Superior esse desinat? *num.* 445. Illi possunt vota irritare indirecte, quibus subjectæ sunt res, & actiones voventium, ab ipso actu vovendi diversæ. *num.* 446. Deducuntur corollaria, & casus particulares. *num.* 447. An etiam vota, edita ante statum subjectionis, irritari in isto possint indirecte? *num.* 448. An præterea indirecte irritari possint vota emissa cum consensu eorum, quibus præjudicant? *numer.* 449. Utrum vota indirecte irritata reviviscant, quando alteri præjudicare desinunt? *num.* 450. Neomenii votum irritari a patre potest, tametsi rationabiliter dubitetur, num in statu impubertatis, vel pubertatis emissum sit? *num.* 374. Quæ de Irritatione Voti attulimus, intellecta quoque sunt de Irritatione Juramenti: prout innuimus ante *num.* 497.

Ite, Missa est.

Quando Sacerdos celebrans dicit: *Ite, Missa est*, finem Missæ, & abeundi facultatem populo annunciare censendus est, postquam benedictionem obtinuerit; ut proinde, accepta benedictione, abeuntes ante lectum Evangelium S. Joannis, nullo modo peccent, saltem probabiliter, *part.* 2. *num.* 525. Vid. *Evangelium Sancti Joannis*.

Jubilæum.

Jubilæum est *indulgentia plenaria, a S. Pontifice certas Ecclesias visitantibus, & certa pia opera peragentibus concessa, cum facultate absolvendi a casibus reservatis, & a censuris, vota commutandi &c.* *part.* 3. *n.* 627. Quare Jubilæum soleat appellari *indulgentia plenissima*. *ibid. n.* 628. Quid intelligatur per indulgentiam, *in forma Jubilæi* concessam. *num.* 629. Qualiter Bulla Jubilæi sit interpretanda? *num.* 630. Jubilæum dividitur in *universale*, quod datur Ecclesiæ universali; & *particulare*, quod alicui Ecclesiæ particulari conceditur. Universale subdividitur in *ordinarium*, & *extraordinarium*. Jubilæum ordinarium est, quod hodie quovis anno vigesimo quinto conceditur &c. Extraordinarium est, quod conceditur alio tempore &c. *numer.* 631. Quare annus, quo conceditur Jubilæum ordinarium, appelletur *Annus Sanctus*, ipsum, ut hoc Jubilæum vocetur *Jubilæum Anni Sancti*. *num.* 632. Quænam indulgentiæ tempore Jubilæi ordinarii suspendantur? *num.* 633. Proponuntur observanda circa eligendum tempore Jubilæi Confessarium. *num.* 634. Confessarius approbatus limitate tantum, e. g. ad certum genus personarum &c. non est, etiam in Jubilæo, universim eligibilis. *num.* 635. Qualem Confessarium sibi eligere possint Moniales; & qualem Religiosi? *num.* 636 & 637. Proponuntur observanda circa facultatem absolvendi a peccatis reservatis, censuris, aliisque sententiis Ecclesiasticis. *n.* 638. Confessarius Jubilæi potest (saltem in Germania, absolvere hæreticum, & (pro foro interno) nominatim, ac publice excommunicatum, non vero dispensare in aliqua irregularitate &c. *n.* 639. & *seqq.* Proponuntur observanda circa commutationem votorum. *num.* 642. Confessarius Jubilæi potest etiam commutare pœnam, ratione vota pœnalis subeundam: item juramenta; nec requiritur causa specialis: non tamen in prædictis dispensare, nisi in Bulla Jubilæi facultas dispensandi exprimatur. *num.* 643. & *seqq.* Quænam observanda sint circa visitationem Ecclesiæ? *num.* 647. Quænam circa orationem fundendam? *num.* 648. Quænam circa jejunium trium dierum? *num.* 649. Etsi Jubilæum celebraretur tempore Paschali, nihilominus jejunandum esset illud lucraturis. *num.* 650. Quænam observanda circa largitionem eleemosynæ? *num.* 651. Solvitur objectio. *num.* 652. Satisfacit in ordine ad effectum Jubilæi consequendum, qui dat eleemosynam pauperi æstimato; non vero, qui dat per famulum, mandatum non exequentem. *num.* 651. & 652. Proponuntur observanda circa Confessionem, & Communionem. *num.* 655. & 656. An indulgentia Jubilæi semper plenarie obtineatur? *numer.* 657. An valeat obtineri bis? *num.* 658. An omnia opera præscripta peragi debeant in eadem hebdomade, & in eodem loco? *num.* 659. & 660. An ad lucrandam indulgentiam Jubilæi sufficiant opera jam aliunde debita? *num.* 661. Quænam notanda sint de commutatione, & prorogatione Operum in Jubilæo? *num.* 662. Quænam observanda circa infirmos, captivos, & itinerantes? *numer.* 663. Zacharias, dum confitetur peccata reservata, in confidentiam Jubilæi lucrandi commissa, ab iis absolvi potest, modo habeat animum reliqua etiam opera pro obtinendo Jubilæo præscripta, peragendi; manetque absolutus, etiamsi postmodum illa opera præstare negligat: neque per talem negligentiam peccat, saltem mortaliter. *n.* 667.

Judaismus, Judæus.

Licet quidem absolute Principibus Christianis in sua territoria recipere Judæos, eorumque Synagogas, & ritus tolerare; plerumque tamen non expedit; imo nunc temporis vix amplius licet. *part.* 2. *num.* 69. Semel recepti non possunt pro libitu iterum expelli. *ibid. num.* 70. Quænam communicatio cum Judæis, ubi tolerantur, prohibita sit Christianis? *num.* 71. Jovita sine culpa utitur opera Medici, Religione Judæi, saltem quando ad id inducitur motivo alicujus utilitatis, vel necessitatis. *num.* 91.

Judex.

Judex est *persona publica, ad id constituta, ut secundum Legis præscriptum, vel Loci consuetudinem populo jus dicat*, *part.* 3. *num.* 646. Dividitur in *Supremum*, & *Subalternum*. Supremus est, cui competit jurisdictio simpliciter suprema, & nulli alteri Potestati subordinata. Subalternus est, cui non competit jurisdictio simpliciter suprema, sed summæ Potestati subordinata. Dividitur præterea in *Ordinarium*, & *Delegatum*. Prior est, qui habet jurisdictionem ordinariam, & propriam, hoc est, ratione Officii proprii sibi competentem, & nomine proprio exercibilem. Posterior est, qui habet jurisdictionem delegatam, vel *a Jure*, & vocatur *Delegatus Juris*, vel *ab Homine*, & appellatur *Delegatus Hominis*, seu Judicis Ordinarii. Porro si Delegans sit supremus Princeps, Papa, vel Imperator, nuncupatur *Delegatus Principis*; non item, si Delegans supremo Principe sit inferior: si alicui omnes causæ universim, vel saltem in aliquo genere subalterno committantur, dicitur *Delegatus ad universalitatem causarum*: si vero una, vel plures, sed certo numero, vel inter certas personas, nominatur *Delegatus specialis*, seu simpliciter, & proprie dictus. *part.* & *num. cit.* Judex Delegatus qualiscunque differt a *Vicario* per hoc, quod Vicarius quidem nomine, & vice alterius exerceat jurisdictionem, sed eandem cum suo Principali: Delegatus vero distinctam a jurisdictione Principalis, seu Delegantis. *ibid. num.* 650. Jurisdictio est *potestas publica de causis controversis jus dicendi, & decernendi ad gubernationem subditorum*. Alia est *simplex*, & sine imperio; alia vero *imperium*, vel *merum*, & a Practicis vocatur *Jurisdictio Alta*, aut *Judicium Sanguinis*; vel *mixtum*, & appellatur *Jurisdictio Bassa*. Alia porro Jurisdictio (consequenter & Judex) est *Ecclesiastica*, alia *Politica*, seu *Secularis*: alia *voluntaria*, alia *contentiosa*. *ibid. num.* 651. Jurisdictio est potestas diversa *a potestate patria, dominica* (vel *dominativa*) & *œconomica*. *num.* 652. Qui se gerere debeat Judex, ut libere probatum reum, quem ipse privatim scit innocentem? *n.* 666. Judex nunquam potest condemnare reum, nisi is de crimine sit juridice convictus, aut illud confessus. *num.* 667. In causis civilibus, & criminalibus minoribus Judex potest, & tenetur condemnare reum per publicas probationes convictum, licet ipse privatim sciat esse innocentem: non item in causis criminalibus majoribus. *n.* 668. & 669. Enervantur argumenta opposita. *num.* 700. & *seqq.* Doctrina *num.* 669. asserta extenditur ad carnificem, & alios Justitiæ ministros. *num.* 673. Judex, si non habeat sufficiens salarium, haud peccat, accipiendo munera improprie dicta: peccat autem accipiendo proprie dicta. *num.* 675 & 676. Solvitur objectio. *num.* 677. Tenetur ista restituere danti, si ea acceperit pro ferenda sententia justa; secus, si pro sententia injusta, & hæc jam sit lata. *num.* 678. Qualem sententiam sequi possit, & debeat Judex? *part.* 2. *num.* 170. & *seqq.* Judex tunc interrogat juridice, quando id facit servato Juris ordine; cum nempe vel præcessit infamia, vel adsunt indicia expressa, vel habetur probatio semiplena. *part.* 3. *num.* 708.

Judi-

Judicium,

Judicium temerarium,

Juramentum,

Jurisdictio Confessarii,

Jus Asyli,

Jus Patronatus,

Religiosis &c. vel quod ex bonis Ecclesiasticis, ad fundandam, construendam, aut dotandam Ecclesiam applicatis, acquisitum est. Laicum, seu *Seculare* est, quod alicui, vel competit ex titulo seculari, v. g. ex donatione; vel quod ex bonis patrimonialibus, in fundandam &c. Ecclesiam applicatis, acquisitum est, sive deinde acquirens sit Clericus, sive Laicus. Si proveniat partim ex titulo Ecclesiastico, partim ex Laico, est, & dicitur *mixtum*. Personale (nominatur etiam *Principale*) est, quod inseparabiliter adhæret personæ, v. g. Fundatoris, & hæredum, independenter ab aliqua re. Reale (quod etiam nuncupatur *Accessorium*) est quod inseparabiliter adhæret rei temporali, v. g. castro, prædio &c. ita ut devolvatur ad omnem illum, ad quem ea res transit, sive dein transeat titulo hæreditatis, sive alio. *part. & num. cit.* Juris Patronatus capaces existunt non solum Ecclesiastici, sed etiam Laici: imo & feminæ. Secus est de Jure conferendi Beneficia. *ibid. in respons.* 2. Porro ut valida sit præsentatio, debet præsentari dignus, &, ut etiam sit licita, dignior præ digno, *num.* 420. *&* 421.

Jus Proprietatis,

Jus proprietatis activum est *libera potestas circa aliquid disponendi, principaliter in proprium commodum. part.* 4. *n.* 2. Ejusmodi jure gaudens non potest in illius usu licite, & citra injuriam impediri ab aliis. *ibid. num.* 3. Præfatum jus dividitur in *jus in re*, & in *jus ad rem*. *n.* 4. Jus in re, seu reale est, vi cujus res ipsa, sive persona, adinstar rei considerata, mihi devincta est: jus ad rem vero, vi cujus mihi solum alterius persona qua talis devincta est. unde etiam *jus personale* appellatur. *ibid.* Differunt hæc duo jura 1. *quasi a priori*, quatenus *jus ad rem* est tantum via, facitque, ut res sit solum mea in spe, eamque mihi appropiat in æquivalenti duntaxat, id est, loco rei obligationem rem mihi tradendi: jus in re vero est terminus, & facit, ut aliquid sit meum in re, mihique appropiat rem ipsam, ut est in se. Unde hoc fortius est illo. Differunt 2. *etiam a posteriori*, seu ab effectu civili; nam *jus ad rem* solum parit actionem personalem, quæ vocatur, *conditio*: *jus in re* vero parit actionem realem, quæ generali vocatur *rei vindicatio*. Vid. *Actio*. Differunt 3. quod ad acquirendum jus personale, seu ad rem sufficiat aliquis titulus Juris, qualis sunt emptio, stipulatio, donatio, legatum, electio &c. ad jus vero reale acquirendum ordinarie requiratur traditio. *cit. part.* 4. *num.* 5.

Justitia,

Justitia juxta Ulpianum est *constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. *part.* 4. *num.* 286. Vel melius: est *virtus moralis inclinans ad reddendum, vel relinquendum unicuique suum jus*. *ibid, num.* 287. Est virtus proprie dicta, specialis, & ad alterum. *num.* 288. Annullantur argumenta opposita. *num.* 289. *& seqq.* Statuitur objectum materiale Justitiæ. *num.* 297. Solvitur objectio. *num.* 298. Dilucidatur conclusio. *n.* 299. Refelluntur opiniones contrariæ. *num.* 300. *&* 301. Statuitur objectum formale. *num.* 302. Solvuntur objectiones. *num.* 303. *& seqq.* Dicta conclusionis applicantur ad species Justitiæ. *num.* 307. Virtus Justitiæ præter medium rationis, etiam observat medium rei. *n.* 308. Partes alicujus virtutis aliæ sunt *subjectivæ*, aliæ *potentiales*. Subjectivæ appellantur species, quæ conceptum generis univoce, & adæquate participant; potentiales vero, quæ illum tantummodo inadæquate participant, & una, altera-ve conditione deficiunt: cujusmodi, respectu Justitiæ, sunt *Pietas*, *Religio*, *Obedientia*, *Liberalitas*, *Amicitia*, & reliquæ virtutes, quæ sunt ad alterum. *num.* 309. Ad rationem Justitiæ requiritur *debitum legale*, *æqualitas*, & *alteritas* tam personarum, quam jurium. *num.* 310. Justitia recte, & adæquate dividitur in tres species, nempe in Justitiam *legalem*, *distributivam*, & *commutativam*. Justitia legalis est, quæ singulas partes ordinat ad bonum Reipublicæ, seu totius Communitatis. Distributiva est, quæ disponit Communitatem ad distribuenda bona communia, officia, vel dignitates &c. inter cives, vel membra secundum meritorum proportionem in eis repertam. Justitia commutativa est, quæ partem ad partem, civem videlicet ad civem, dirigit, ut constituatur inter illos æqualitas in actionibus, quibus communicant. *num.* 311. An Justitia distributiva in quolibet actu debeat respicere plures personas, quas inter se comparet, ut exerceatur justa distributio? *num.* 312. Quis Justitiam distributivam exercere possit, & ad quid teneatur, ut verum actum Justitiæ distributivæ ponat? *num.* 313. An non solum Justitia commutativa, & distributiva (de quibus omnes conveniunt) sed etiam legalis sit virtus specie distincta ab aliis virtutibus? *num.* 314. An Justitia legalis reperiatur non solum sub inditis, sed etiam in ipso Principe, vel Magistratu; sitque in utrisque ejusdem speciei? *num.* 315. Quodnam sit discrimen essentiale, & ultimatum Justitiam commutativam inter, & distributivam? *num.* 316. Non solum Justitia commutativa, sed etiam distributiva, & legalis rationem genericam Justitiæ, supra definitæ, univoce, & adæquate participant: dummodo ly *suum jus*, definitioni insertum, accipiatur in latiori significatione. *numer.* 317. Solvuntur objectiones. *num.* 318. *& seqq.* Justitia vindicativa est vera, & specialis virtus; non tamen pars subjectiva Justitiæ, quartam istius speciem constituens. *num.* 3[1]2. Illyrius per complures annos tributa, & vectigalia defraudando peccavit contra Justitiam legalem, & commutativam. *num.* 332. Joannes Episcopus impegit contra Justitiam distributivam, & commutativam, dum pecunias, Seminarii Alumnis pro cujusque inopia, vel merito ex voluntate legantis distribuendas, distribuit æqualiter, non habita ratione inopiæ, vel meriti. *num.* 333. Josephus, Reipublicæ secularis Gubernator, an, & quantum peccare censendus sit, dum officia secularia subinde confert indignis, subinde minus dignis, prætermissis dignioribus? *num.* 334.

L

Lacticinia.

Lacticinia (idem cogita de ovis) videlicet lac, butyrum, caseus, veniunt nomine ciborum, tempore Quadragesimæ, & in regionibus non exemptis, prohibiturum: quæ prohibitio precipue fundatur in Jure consuetudinario (quidquid sit de Jure scripto) quemadmodum patet ex *prop.* 32. inter damnatas ab Alexandro VII. quæ sic sonat: *Non est evidens, quod consuetudo comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*. *part.* 3. *n.* 4. *in respons.* 2. Aliis autem temporibus, quibus extra Quadragesimam fideles jejunare tenentur, usus lacticiniorum, & ovorum nullo Jure noscitur interdictus. *ibid.* Porro in nostris terris Germaniæ Juri communi derogatum est per consuetudinem contrariam, vi cujus proinde licet, etiam tempore Quadragesimæ, lacticiniis, & ovis vesci: & hujus consuetudinis inductæ ratio videtur fuisse penuria ciborum Quadragesimalium, olei præsertim, ac piscium. *ibid.*

Laicus,

Laicus non potest absolvere a censura: quoniam ad ejusmodi absolutionem requiritur jurisdictio spiritualis Ecclesiastica, cujus ille (nisi S. Pontifex ex plenitudine potestatis eum habilitet) non est subjectum capax. *part.* 3. *num.* 129. Potest præsentare ad Beneficia Ecclesiastica, non illa conferre. *ibid. num.* 444. Potest etiam baptizare valide tam intra, quam extra casum necessitatis: modo utatur debita materia, forma, & intentione. *part.* 5. *num.* 116. Si baptizet, quamvis insolemniter, constitutus in statu disgratiæ, ex quo se eruere posset, peccat mortaliter. *cit. part.* 5. *num.* 25. Illicite facit Laicus, v. g. æditus, si ministret Sacramentum Eucharistiæ infirmo, licet in extremis constituto. *ead. part. num.* 300. Si Eucharistia in terram esset projecta, posset, ac deberet laicus, nullo præsente Sacerdote, vel Diacono, illam levare; imo, etiam non jejunus, sumere, quando nullus adest jejunus, qui sumat, & impendet periculum ulterioris irreverentiæ, v. g. ne ea perveniat in manus Judæorum, Hæreticorum &c. *ibid. post* 2. *argum. in instant.* Quod laicus licite defacto tangat Agnos Dei. Vid. *Agnus Dei*. Qualia paramenta licite possit tangere? Vid. *Contractus rei sacra*.

Lapis Altaris. Vid. *Altare*.

Laudans damnificantem. Vid. *Cooperans ad damnum*. *Damnificans*.

Laus Dei. Vid. *Blasphemia*.

Laxus.

Laxus dicitur, & est, qui majora duntaxat mortalia curat: & hæc laxitas subinde oritur ex ignorantia, subinde ex inveterata impietate, cum quis in gravibus etiam delictis veluti ludit. *part.* 2. *num.* 49. Si Confessarius nactus sit pœnitentem scrupulosum laxæ conscientiæ, eum ad timorem Dei, ad crebras item Confessiones, & Communiones peragendas inducat. Caveat tamen, ne ipsum plus æquo severe tractet: alias enim facile partim propter molestiam, quam etiam talis scrupulosus in sui correctione experitur; partim propter laxitatem conscientiæ, qua laborare supponitur, omnem Confessarii curationem respuet, &, in barathrum desperationis præcipitatus, æternaliter peribit. *ibid. num.* 72. *ad fin.*

Lectio obscœnorum.

Ejusmodi Lectiones, si fiant ex levitate, curiositate &c. veniales sunt per se loquendo; mortales vero, si fiant ex

ea motivo venereo, *part.* 2. *num.* 716, *&* 717. Explicatur assertum pro praxi. *ibid.*

Lector. Vid. *Ordo.*

Legatum.

Legatum est *ultima voluntas, qua hæres determinate jubetur rem particularem* (ab hæreditate etiam partiali diversam) *alicui certo præstare.* *part.* 4. *num.* 713. Unde legatum necessario respicit rem particularem in specie, seu individuo, adeo, ut fieri non possit, nisi circa rem certam, & determinatam, ab hæreditate diversam. *ibid. num.* 716. Quamvis Legatarius, post aditam ab hærede hæreditatem, verum legati dominium (si capax sit) acquirat; non tamen potest propria authoritate illud occupare sub pœna amissionis. *ibid.* Si legatum sit profanum, & fiat in testamento, regulariter sequitur ejus naturam, & conditionem, easdemque ad sui valorem exigit solemnitates, quas testamentum, cui inseritur. Si vero legatum fiat extra testamentum, requiruntur (& sufficiunt) ad illud quinque testes &c. Ad legatum vero pium nulla requiritur solemnitas pro foro interno; imo nec pro externo, si satis constet de voluntate legantis. *ibid.*

Legislator.

Legislator humanus simpliciter obligatur illis legibus, quæ continent Jus Naturale, vel Divinum. *part.* 1. *n.* 379. Si lex contineat materiam subditis propriam, cujus observatio dedecet dignitatem, & statum Legislatoris, hic sua lege nullatenus stringitur. *ibid. num.* 380. Quando Legislator est Communitas, aut alias non Monarchicus, legibus a se latis & ipse ligatur. *num.* 381. Vis Legis duplex est, videlicet *directiva*, & *coactiva*: prior subdividitur in *directam*, & *indirectam*. *num.* 382. Legislator humanus, sive Ecclesiasticus, sive Civilis, non tenetur suis legibus quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directe. *num.* 383. Hinc Papa exemptus est ab omnibus pœnis Canonicis Jure humano introductis; uti & Episcopus a pœnis per se, suosve Antecessoras constitutis. *num.* 384. Tenetur tamen Legislator Legibus, a se latis, quoad vim directivam indirecte. *num.* 385. Solvitur objectio. *num.* 386. Legislator non semper peccat mortaliter, suas leges transgrediendo, quando sic peccant subditi. *num.* 387.

Legis Commissoria Pactum.

Ejus nomine intelligitur *pactum, quo res oppignorata cadat in commissum, seu fiat mutuantis, si mutuatarius tempore præstituto non restituerit.* *part.* 4. *numer.* 769. Est usurarium. *ibid.*

Legitima.

Testator in testamento hæredibus necessariis non tenetur relinquere plus, quam portionem Jure taxatam, quæ propterea vocatur *Legitima*, id est, Legibus definita, *part.* 4. *num.* 732. Debet tamen *Legitima* hæredibus necessariis relinqui titulo institutionis, & per modum hæreditatis; non vero per modum legati: item nullo gravata onere, v. g. fideicommisso. *ibid.* Hoc præstito, poterit testator de reliqua substantia pro libitu disponere, eamque aliis, etiam extraneis, relinquere, sive titulo hæreditatis, sive per modum legati &c. salvo hæredibus jure Falcidiæ, aut Trebellianicæ. *ibid.* Vid. *Falcidia*, *Trebellianica*. Ex quo fluit, quod testator, v. g. pater, salva semel singulis *Legitima*, possit uni ex liberis majorem portionem relinquere, quam aliis: imo totam substantiam reliquam. *ibid.* *Legitima* de Jure respectu liberorum, si existant quatuor tantum, aut pauciores, est triens, id est, tertia pars hæreditatis; si plures, quam quatuor, semis, seu semissis, id est, dimidia pars: id quod denotatur per vulgatos hosce versus:

Quatuor, aut infra dant natis Jura trientem:
Semissem vero dant natis quinque, vel ultra:
Ars trium sequitur substantia cetera patris.

n. 733. *in respons.* 1. *Legitima* etiam respectu nepotum (& aliorum descendentium) quorum parentes jam sunt mortui, est triens. *ibid. in respons.* 2. Ubi tamen dispiciendum, an nepotes concurrant cum filiis testatoris, id est, patruis suis, vel non concurrant? Si concurrant, sive multi, sive pauci sint, non plus acquirunt, quam acquisivisset eorum pater, si adhuc viveret: quia ipsius, modo defuncti personam repræsentant; adeoque non possunt cum filiis testatoris aliter augere numerum quoad computationem *Legitimæ*, ac auxisset eorum pater. Si vero non concurrant, sed soli existant; ulterius dispiciendum, an orti sint ex diversis filiis, aut filiabus, vel ex uno filio, aut filia præmortua testatoris? Si ex diversis, non faciunt majorem numerum quoad computationem *Legitimæ*, ac fecissent eorum parentes; quia in horum *stirpes* succedunt, sicut succederent ab intestato. Si ex uno, faciunt numerum, capiuntque *Legitimam*, ac si essent veri filii testatoris; quia tunc succedunt *in capita*. *ibid.* Quid sit succedere *in stirpes*, & *in capita*? Vid. *Successio ab intestato*. *Legitima* respectu parentum (& aliorum ascendentium) est itidem, & semper triens; qui tamen inter ipsos, & fratres germanos, siquos habuit defunctus, dividi debet. *ibid. in respons.* 3. Ut autem præallegata, & superaddita verba: *qui tamen inter ipsos, & fratres germanos* (vel sorores) *dividi debet*, intelligantur, advertendum, per *trientem*, prout denotat *Legitimam* parentum, non semper intelligi tertiam partem totius hæreditatis, sed tunc solum, quando nulli extant germani fratres, aut sorores testatoris, vel extantes ab eodem fuere in testamento præteriti. Tales quippe si extent, & una cum parentibus a testatore instituti sint, *triens*, seu *Legitima* parentum solum erit tertia pars illius portionis hæreditariæ, quam accepissent ab intestato: consequenter quoniam ab intestato una cum extantibus fratribus, & sororibus germanis solum successissent æqualiter *in capita*, *Legitima* parentum erit solum triens, seu tertia pars illius portionis, sibi ex æquali divisione cum prædictis fratribus, & sororibus obvenientis. *ibid.* *Legitima* fratrum, & sororum (quando hæredes instituti debent juxta *num.* 730.) est *quadrans*, seu quarta pars hæreditatis, secundum communiorem, & veriorem sententiam. *ibid. in respons.* 4. Ut autem hæc omnia clarius, & melius percipiantur oportet nosse, massam totius hæreditatis dividi in duodecim uncias, seu partes: duodecima pars vocatur *uncia*: duæ unciæ *sextans*, quasi sexta pars hæreditatis: tres unciæ *quadrans*, id est, quarta pars: quatuor unciæ *triens*, hoc est, tertia pars: quinque unciæ *quincunx*: sex unciæ *semis*, vel *semissis*, seu media pars: septem unciæ *septunx*: octo unciæ *bes*, quasi bis triens: novem unciæ *dodrans*: decem unciæ *dextans*: undecim unciæ *deunx*: tota demum hæreditas *as*. *ibid. n.* 734. Vid. *Hæres*, *Hæreditas*.

Legitimus. Legitimatio.

In dubio, an quis sit legitimus, vel illegitimus, præsumi, & censeri debet legitimus. *part.* 1. *num.* 210. *&* *part.* 3. *num.* 383. Hinc infantes expositi habendi sunt pro legitime natis. *ibid.* Liberi Hæreticorum haberi possunt, & solent pro legitimis saltem in foro politico, ac in ordine ad effectus civiles, quatenus prognati sunt ex Matrimonio tolerato, & agnito pro legitimo in illo foro: in foro autem Ecclesiastico, & in ordine ad effectus Ecclesiasticos, censentur legitimari, quando ad fidem Orthodoxam convertuntur, per dispensationem tacitam S. Pontificis. *part.* 6. *num.* 459. *in respons. ad* 2. *argum.* Legitimus non est, qui natus est ex Matrimonio, quod ratione impedimenti forte latentis fuit nullum, si contrahentes omiserint denunciationes, seu proclamationes absque dispensatione, vel legitima causa: legitimus vero, si illas non omiserint. *cit. part.* 6. *num.* 443. Unde proles nata ex Matrimonio, licet invalido, tamen bona fide, saltem unius ex Sponsis, contracto, est legitima (extra casum omissionis præviarum denunciationum) illegitima vero, si nata sit ex Matrimonio, mala utriusque Sponsi fide contracto. *ibid. numer.* 676. *prope fin.* Porro proles, post dispensationem, super impedimento dirimente conjugibus impertitam, nata, censetur legitima ad omnes effectus Civiles, & Canonicos: nata vero ante dispensationem, & ante Matrimonium ex fornicatione, vel in Matrimonio, mala utriusque Sponsi fide contracto, per dispensationem Pontificiam subsequentem, super impedimento dirimente impertitam, legitimatur solum ad effectus spirituales, & Canonicos, v. g. ad Ordines, Dignitates Ecclesiasticas &c. siquidem ad solos hos tales effectus Pontifex disponere valet, non autem in ordine ad effectus etiam civiles extra suum territorium temporale. *ibid.* Filius naturalis (natus videlicet ex parentibus solutis, inter quos tamen potuit validum consistere Matrimonium, vel tempore conceptionis, vel tempore nativitatis, vel tempore intermedio) legitimatur per subsequens Matrimonium, post ejus conceptionem, vel nativitatem legitime contractum, adeo, ut æquipararetur per omnia filio legitime nato. *part.* 3. *num.* 384. *in respons.* 2.

Lepra.

Conjux, a lepra immunis, divertere potest a conjuge, qui lepra laborat. *part.* 6. *num.* 392. Lepra infectus illicite Professionem Religiosam emittit. *part.* 3. *n.* 582. *in requisit.* 2.

Lex.

Lex in genere, & Naturalis, ac Divina in specie.

Lex unde dicta? *part.* 1. *num.* 193. Lex positiva tam Divina, quam Humana consistit essentialiter, & adæquate in

te in actu voluntatis. *ibid. n.* 194. Præsupponit tamen actum intellectus. *num.* 195. Solvuntur objectiones. *num.* 196. *& seqq.* Etiam essentia Legis Naturalis in solo sita est actu voluntatis. *num.* 199. Solvuntur objectiones. *num.* 200. *& seqq.* Illustratur secunda conclusio, & præcluduntur nonnullæ instantiæ, quæ contra illam fieri possent. *num.* 202. Lex est *rationabile decretum legitimi Superioris, subjectam sibi Communitatem stabiliter obligantis ad aliquid faciendum, vel omittendum communis boni gratia. num.* 203. Solvuntur opposita. *num.* 204. Lex, ut valeat, debet esse honesta, justa, observatu possibilis, & necessaria, vel saltem utilis. *num.* 205. Ut actu obliget, requiritur promulgatio per modum conditionis simpliciter, & indispensabiliter necessariæ. *num.* 206. Affertur quadruplex differentia Legis a Præcepto. *num.* 207. Afferuntur variæ divisiones Legis. *num.* 208. Ubi etiam membra dividentia explicantur. Lex Dei æterna, uti & permissiva, merito non numerantur inter membra dividentia Legis. *num.* 209. *& seqq.* Ostenditur multiplex differentia Juris Gentium a Lege tam naturali, quam civili. *num.* 211. *& seqq.* Extant principia morum universalissima, secundum omnes ad legem naturalem pertinentia. *num.* 213. Omnia quoque præcepta Decalogi (excepto tertio de sanctificatione Sabbati quoad determinationem temporis) spectant ad legem naturalem; sicut & alia præcepta, quæ ex illis, vel primis morum principiis, nec statim, licet mediate tantum, inferuntur. *num.* 214. Lex naturalis partim est una, partim multiplex. *num.* 215. Lex naturalis obligat in conscientia. *num.* 216. Porrigit se ad omnes homines, non autem ad bruta. *num.* 217. Deus non est proprie subjectus legi naturali. *num.* 218. Ignorantia dividitur in *invincibilem*, & *vincibilem*: posterior subdividitur in *affectatam*, *& simplicem. num.* 219. Vid. *Ignorantia.* Lex positiva, tam Divina, quam Humana, invincibiliter ignorari potest. *num.* 220. Præcepta legis naturalis sunt in triplici differentia: alia quippe sunt prima, & universalissima morum principia; alia conclusiones ex illis principiis facile, & alia, difficulter deducibiles. *num.* 221. Prima legis naturalis principia ab adulto rationis compote non possunt invincibiliter ignorari. *num.* 222. Præcepta naturalia secundi generis, qualia sunt, quæ exprimuntur in Decalogo, absolute considerata, nequeunt longo tempore ignorari. *num.* 223. Possunt tamen ignorari, si spectentur ut affecta certis quibusdam circumstantiis. *num.* 224. Præcepta naturalia tertii generis sæpe invincibiliter ignorantur. *num.* 225. Solvuntur objectiones. *num.* 226. *& seqq.* Lex vetus, prout contenta in libris Moysis, ab Exodo usque ad Deuteronomium inclusive, ipsius Dei authoritate immediate lata est, & Moysi tradita per Angelos in monte Sinai, ab eoque ibidem promulgata. *num.* 229. Solvitur instantia in contrarium adducta. *n.* 230. In lege veteri triplicia fuere præcepta, videlicet *moralia*, *ceremonialia*, & *judicialia*. *num.* 231. Omnia præcepta moralia veteris Testamenti contenta erant in Decalogo saltem implicite, & virtualiter. *num.* 232. Resolvitur quæstio, quomodo præcepta moralia pertineant ad legem veteris Testamenti? *num.* 233. Lex vetus obligavit in conscientia. *num.* 234. Solvitur objectio. *num.* 235. Eadem lex obligavit in conscientia etiam graviter. *num.* 236. Per se loquendo illius subjectum erant soli Judæi. *num.* 237. Fit & diluitur objectio. *num.* 238. Lex vetus desiit obligare. *num.* 239. Solvuntur argumenta opposita. *num.* 240. *& seqq.* Lex vetus de facto expiravit tota. *num.* 243. Obligare desiit ipso Pentecostes die, quo facta fuit solemnis promulgatio legis novæ. *num.* 244. Adducitur, & refellitur responsio Adversariorum. *num.* 245. Proponuntur, & dissolvuntur objectiones. *num.* 246. *& seqq.* Lex vetus non ita desiit obligare in die Pentecostes, ut quoad omnia sua præcepta statim fuerit mortifera. *num.* 250. Aliud est, præcepta legis esse mortua, & aliud esse mortifera. *n.* 251. Afferuntur, & enervantur argumenta contraria. *n.* 252. *& seqq.* Præcepta legis veteris, tam ceremonialia, quam judicialia, de facto ab Ecclesia restaurari, aut usurpari non possunt formaliter; possunt autem materialiter. *num.* 255. Quo tempore lex Mosaica cœperit esse mortifera, incertum est. *num.* 256. Lex Divina novi Testamenti a Christo condita est. *n.* 257. Solvitur instantia in contrarium allata. *num.* 258. Lex nova continet explicite præcepta, nempe *moralia*, *Sacramentalia*, *sive ceremonialia*, & *Fidei*, *sive Theologalia*. *num.* 259. Exponitur axioma Theologorum, dicentium, in Lege Evangelica nulla esse præcepta, nisi *Fidei*, & *Sacramentorum. num.* 260. Lex nova, præter præcepta moralia, & ceremonialia, non continet alia, puta judicialia. *num.* 261. Lex nova obligat in conscientia. *n.* 262. Regulariter sub culpa gravi. *num.* 263. Omnes omnino homines. *num.* 264. Recensentur differentiæ legis novæ a veteri. *num.* 265. Darius Princeps validum condit statutum, si hoc ex se ordinetur in bonum commune subditorum, esto ex prava illius intentione id torqueatur in istorum gravamen, & perniciem. *num.* 266. Damascenus, a suo parente domi manere jussus castitatis servandæ causa, peccat contra obedientiam, & castitatem, si domo egrediatur. *num.* 267. Daresius satisfacit præcepto Ecclesiæ per auditionem Sacri extrinsece vitiatam. *num.* 268. Daresia tempore Paschali confitens, & communicans, implet utrumque præceptum, tametsi implere non intendat. *num.* 269. E diverso non implet præceptum de audiendo Missam Davinus, dum die festo interest Missæ absque intentione eam audiendi. *num.* 270. Dominicus Subdiaconus duplici præcepto satisfacit, dum die festo inter Missarum solemnia suum pensum Canonicum persolvit. *num.* 271. Donatus, dum interrogatur, quare fideles satisfaciant audiendo unum duntaxat Sacrum diebus Dominicis, in quos incidunt Festa? respondebit, quia potest quis eodem actu duabus obligationibus satisfacere, nisi vel ambæ sint in materia Justitiæ, vel oppositum colligatur ex mente illas imponentis. *num.* 272. Diomedes die festo veniens ad Missam, cœpta jam præfatione, tenetur reliquum audire, si nullam aliam Missam audire possit. *num.* 273. Dioscorus Sacerdos, ob defectum luminis excusatus e dicendis Horis Minoribus, & Vesperis, quas non scit memoriter, tenetur recitare Completorium, quod scit memoriter. *n.* 274. Dionysius, cui in die jejunii ob certam causam licita est bina refectio, etiam jentare potest. *num.* 275. Digobertus studiosus die Sabbati post finitam lectionem pomeridianam licite venatum exit, etsi prævideat, fore, ut die Dominica Sacrum audire nequeat.

Lex, Humana præsertim.

Potestas ordinaria ferendi Leges Ecclesiasticas residet in S. Pontifice illimitate, ac respectu omnium Christianorum; & in aliis Ecclesiæ Prælatis limitate, ac respectu sibi subditorum tantum. *part.* 2. *num.* 278. Dicta potestas in S. Pontifice residet immediate Jure Divino; in aliis autem Prælatis inferioribus Jure Pontificio tantum. *n.* 282. Solvuntur argumenta contraria. *n.* 283. *& seqq.* Pontifex, canonice electus, ante confirmationem, imo etiam ante consecrationem, jam præfulget authoritate ferendi leges, & regendi universam Ecclesiam: alii autem Prælati inferiores ante confirmationem nullo gaudent jure (in re) administrandi &c. *num.* 290. Imperator leges civiles universales pro toto Imperio Romano, Reges, Principes supremi, & Respublicæ perfectæ, pro suis Regnis, Principatibus, & Provinciis, condere possunt. *num.* 291. Potestas legislativa residet etiam in Regina, si ea sit hæres Regni. *num.* 292. Leges civiles particulares, seu statuta localia, etiam Juri communi contraria, ferre pro suis territoriis possunt Principes, & Status Imperii tam Ecclesiastici, quam Seculares, uti Electores, Principes alii inferiores, Civitates Imperii liberæ &c. *num.* 293. Solvitur objectio. *n.* 294. Etiam Pontifex pro suo territorio temporali leges civiles condere valet, non autem pro aliis territoriis. *num.* 295. Diluitur argumentum adductum in contrarium. *num.* 296. Materia legis humanæ generatim sunt actiones, vel omissiones humanæ, quæ præcipi, vel prohiberi, permitti, vel puniri possunt. *num.* 297. Solvitur objectio. *num.* 298. Quatuor communiter recensentur actus legis, nimirum *præcipere*, *prohibere*, *permittere*, & *punire*. *num.* 299. Fit, & diluitur instantia. *num.* 300. Recensiti actus sunt actus Legislatoris, & legis, dispari tamen ratione. *n.* 301. *Permittere* in rigore latius patet, quam *concedere*, tametsi prædicta duo vocabula non raro idem sonent. *num.* 302. Actus internus alius est mere talis, alius non mere talis, sed cum externo conjunctus; idque vel per se, vel per accidens. *num.* 303. Explicatur, quid sit actum aliquem præcipi *directe tantum*, *indirecte tantum*, & *directe*, *ac indirecte simul*. *numer.* 304. Lex humana spectari potest quoad vim directivam, ac coactivam, & hanc vel internam tantum, vel etiam externam. *num.* 305. Actus interni, externis per se conjuncti, sunt materia legis humanæ, saltem indirecte: imo etiam directe, si, tanquam comparses actuum externorum, essentialiter constituant actus mixtos. *num.* 306. *&* 307. Proponitur, & solvitur objectio. *num.* 308. Non solum actus interni, externis per se conjuncti, & actuum mixtorum essentialiter constitutivi, sed ipsi quoque actus externi præcipiuntur, aut prohibentur, vel saltem præcipi, aut prohiberi lege humana possunt indirecte, & directe simul. *num.* 309. Legislator humanus prædictos actus præcipere, aut prohibere potest etiam per leges externe coactivas. *n.* 310. Lex humana civilis nullo modo potest; Ecclesiastica vero (in quantum scilicet est directiva, & interne coactiva, non item in quantum est externe coactiva) potest præcipere, vel prohibere, tam directe, quam indirecte, actus internos, cum externis per accidens conjunctos. *num.* 311. Lex Naturalis, & Divina etiam ad actus mere internos se porrigunt. *num.* 312. Lex Civilis nullo modo potest præcipere, aut prohibere actus mere internos. *num.* 313. Lex Ecclesiastica, in quantum externe coactiva (s) non potest præcipere, aut prohibere actus mere internos; potest vero

(x) in

incurrit vero, si eam exterius prodat, esto a nemine advertatur. *num.* 428. Eutropius Consul, postquam una cum reliquo Senatu statutum tulit de tritico posthac vilius vendendo, nondum tamen solemniter publicari fecit, haud peccat, si suum triticum pretio adhuc currente, seu cariore distrahat. *num.* 429. Edmundus Canonicus post elapsum primum bimestre professionem fidei emittere negligens, tenetur conscientia ante omnem Judicis sententiam fructus, post prædictum bimestre perceptos, expendere in pauperes, vel Ecclesiæ fabricam. *num.* 430. Evaristus, Confessarius Regularis, cui pœnam justa, ac tempore impatientiæ Superior præcipit, ut ab excipiendis Confessionibus abstineat v. g. per annum, sibi confitentes illicite absolvit, non autem invalide. *num* 431. Edubertus, qui per Judicis sententiam condemnatur ad solvendas Eoselhardo pecunias, & scit, sententiam ex instrumentis, & testibus falsis processisse, non tenetur in foro conscientiæ tali sententiæ obedire. &, si in foro externo ad obediendum compellatur, debebit quidem se accommodare, poterit tamen postmodum uti occulta compensatione. *num.* 432. Eugenius, Superior Regularis Emmerano, Subdito suo, scandaloso nimis potationi amatori sub mortali culpa prohibere potest, ne vel unicam amplius haustum vini faciat in domibus secularium. *n.* 433. Eventianus Princeps, licet severe prohibeat omnibus, & singulis in suo principatu commorantibus, ne frumentum inde exportent, non tamen Enico Parocho, certam frumenti quantitatem evehenti, per se, suosve ministros frumentum auferre potest. Porro Enicus frumentum sic evehendo non illico censendus est graviter peccare. *n.* 434. Emmanuel, Regularis exemptus, non peccat, secluso scandalo, si vescatur carnibus in die, quo diœcesani ex ordinatione sui Episcopi jejunare tenentur. *n.* 435. Emericus graviter peccat, dum suum famulum, licet perpetuo amentem, incitat ad actus, lege naturali prohibitos, & intrinsece malos; secus, si incitet ad actus, sola lege positiva vetitos. *num.* 436. Elisæus licite facit, dum tempore Quadragesimæ egreditur e suo loco, in quo obligatio jejunandi per dispensationem non est sublata, ad alium, ubi est sublata, carnea ibidem comedendi causa. *num* 437. Engelberdus e diverso illicite facit, si e suo oppido, ubi super jejunio dispensatum est, exeat, & transeat ad aliud, ubi dispensatum non est, & ibi carnibus vescatur. *num.* 438. Eligius non tenetur jejunare, quando hospitatur in loco, ubi est particulare jejunium, quale similiter est in ipsius patria. *num.* 439. Equitius tempore matutino cogitans exire a suo territorio, in quo est dies festivus, & digredi ad aliud, in quo non est dies festivus, tenetur quidem illo mane, quo in suo territorio persistit, supersedere labore servili, non autem audire Missam, dummodo prævideat, se matutino tempore, quo Missæ celebrari solent, futurum in loco, ubi non est dies festivus. *num.* 440. An, quando, & qualiter Lex cesset per cessationem causæ finalis? Vid. *Finis Legis*. An, & quomodo cesset per contrariam consuetudinem? Vid. *Consuetudo*. Quomodo Lex cesset per dispensationem? Vid. *Dispensatio. Dispensatio in Lege.* Quomodo Lex cesset per privilegium? Vid. *Privilegium*. Quomodo Lex cesset (improprie nimirum, & in sensu breviter exposito. *part.* 1. ante *num.* 523.) per Interpretationem, & Epikiam? Vid. *Interpretatio Legis*. item, *Epikia*.

Libellus, sive Libellatius Contractus.

Libellus est *contractus, quo emphyteuta, vel feudatarius rem amphyteuticam, vel feudalem alteri subemphyteuticat, vel subinfeudat*. Is, cui res subemphyteuticatur, vel subinfeudatur, dicitur *Libellarius*. *part.* 4. *num.* 814. Si res, in emphyteusim, vel feudum accepta, ita tradatur tertio, requiritur consensus domini, quando fit in decennium. *ibid.*

Libellus famosus.

Libelli famosi nomine intelliguntur certa quædam scriptura, per quam, ommisso Authoris nomine, crimen, historia, vel aliud quidpiam, in alterius ludibrium, vilipensionem, vel infamiam cedens, spargitur in vulgus. *part.* 4. *num.* 323. Injuria, per libellum famosum illata, reducitur ad injuriam verbalem. *ibid.* Qui scienter, & voluntarie libellum famosum legit, peccat contra Jus naturale. *part.* 2. *num.* 96. *in respons. ad argument.*

Liber.

Librum in communi æstimatione hominum faciunt decem folia, non pauciora. *part.* 2. *num.* 77. *in explicat. conclus.* n. *Libros*. Unde siquis legeret epistolam v. g. vel concionem hæretici, paucioribus, quam decem foliis constantem esto posset peccare contra Jus naturale, si incurreret periculum subversionis, non tamen peccaret contra Jus positivum Bullæ Cœnæ; adeoque nec subjaceret pœnæ excommunicationis. contra lectores librorum hæreticorum statutæ. *ibid.* Vid. *Libri hæretici*.

Liber Baptismalis.

Juxta SS. Canonum, & præsertim Concilii Trid. præscriptum tenetur Parochus præparatum habere librum, in quo annotet nomina, & cognomina baptizatorum, eorumque parentes, & patrinos; diem præterea nativitatis, & collati Baptismatis: qui proinde liber vocatur *liber Baptismalis*. *part.* 3. *num.* 232 *in respons.* 4. Forbejus, si post contractum Matrimonium dubitet, an sit consanguineus suæ conjugis? tenetur modo humanitus, & moraliter possibilis in veritatem inquirere v. g. ex D. Parocho, qui, libro Baptismali adjutus, rem examinare, atque discutere non gravabitur, imo obligabitur. *part.* 6. *num.* 645.

Liberalitas.

Liberalitas est *virtus moralis, moderans appetitum, aut amorem divitiarum*; & consequenter inclinans ad eas elargiendas secundum rectam rationem. Eidem opponitur vitium avaritiæ per defectum, & vitium prodigalitatis per excessum. *part.* 2. *num.* 706.

Liberi, seu Filii, & Filiæ.

Liberi debent Parentibus honorem, & pietatem consistentem in tribus, videlicet in *Amore*, *Obedientia*, ac *Reverentia*. *part.* 2. *num.* 550. Quare non solum ex communi præcepto Charitatis, sed etiam ex speciali Pietatis tenentur amare Parentes amore interno, & externo, affectivo, & effectivo. *ibid num.* 551. Deducuntur corollaria pro praxi. *n.* 552. & 553. Tenentur præterea obedire Parentibus in omnibus rebus licitis, in quibus iis sunt subditi. *num.* 554. Deducuntur itidem corollaria pro praxi. *num* 555 & 556. Tenentur denique illis exhibere reverentiam & int. & externam. *n.* 557. Quando contra talem reverentiam mortaliter peccare censendi sint? *num.* 558. Pompejus, & Pompeja Parentibus suis, contra seriam dehortationem, diversas res auferendo mortaliter delinquunt etiam adversus Pietatem. *num.* 572. An Filius (vel Filia) teneatur credere matri asserenti, vel etiam juranti, ipsum esse adulterinum, illegitimum &c. *num.* 657.

Libertas.

Libertas arbitrii, seu voluntatis humanæ est duplex, *exercitii* videlicet, ac *specificationis*. Libertas exercitii, seu *contradictionis* est indifferentia ad agendum, & non agendum circa idem objectum, v. g. ad amandum, & non amandum Deum. Libertas specificationis, seu *contrarietatis* est indifferentia aliquid agendi, & contrarium agendi circa idem objectum, v. g. circa Deum eliciendi amorem, & odium; circa mysterium quodpiam supernaturale assensum, & dissensum: qui sunt actus contrarii, & specie diversi. *part.* 2. *num.* 596. Libertatem exercitii habent homines viatores circa omnia prorsus objecta; libertatem vero specificationis circa omnia objecta bona, & mala particularia tantum. non autem circa bonum, & malum in communi, & abstracte sumptum. *ibid.*

Libri hæretici, aut alias prohibiti.

Legere scienter absque licentia, & in materia notabili ex quocunque fine libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel hæresim continentes; imo, & eos retinere, imprimere, defendere, prohibitum est ab Ecclesia per Bullam Cœnæ sub excommunicatione latæ sententiæ reservata Papæ. *part.* 2. *num.* 77. Ad incurrendam hanc excommunicationem, in lectores librorum hæreticorum fulminatam, non est necesse, ut verba ore pronuncientur, sed sufficit, quod mente percurrantur: uti nec est necesse, ut quis ipsos legat, sed sufficit, quod sibi prælegi curet. *ibid. in explicat. conclus. v. legere*. Excusat tamen ab incursione prædictæ excommunicationis quæcunque ignorantia, etiam vincibilis, eaque crassa, supina, affectata, esto hæ non excusent ab incursione culpæ. *ibid. v. scienter*. Excusat insuper non solum a censura excommunicationis, sed etiam a reatu culpæ mortalis parvitas materiæ. *ibid. v. in materia notabili*. Ceterum non est attendenda materialis parvitas penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem: sed formalis penes formale periculum subversionis ex materia, quæ legitur contra finem præcepti; nam siquis aperiens librum hæreticum, primo statim intuitu advertat hæresim, vel errorem contra Fidem, & nihilominus pergat, legatque etiam paucas duntaxat lineas, peccat mortaliter, & anathemate feritur. *ibid.* Nec refert, quod contra Constitutionem Bullæ Cœnæ non peccet mortaliter, neque memoratam pœnam incurrat, qui legit epistolam, vel concionem hæretici, septem, vel octo foliis constantem. Disparitas quippe inter hunc, & priorem casum est, quod Bulla prohibens lectionem alicujus

cujus libri, utique etiam prohibeat lectionem partium ejusdem libri; alias prohibitio inanis, & frustranea foret; paginæ autem, uti & dedicatio, ubi forte statim deprehenditur hæresis, vel error contra Fidem, sunt partes libri: consequenter &c. E diverso epistola, concio, vel alius hujusmodi tractatulus septem, octo, vel etiam novem foliorum, seorsim editus, nec est liber (ut supra dictum) nec pars libri, saltem actualis; uti supponitur: consequenter &c. *ibid. v. libros*. Non est hic facienda distinctio, sive liber hæretici sit impressus, vel manuscriptus, compactus, vel non compactus; siquidem ratio prohibitionis ubique militat, eademque est. *ibid.* Siquis legit librum de Religione tractantem, vel hæresi corruptum, qui non est partus hæretici, sed alterius infidelis, v. g. Pagani, vel Judæi, aut etiam fidelis, sive Catholici, hæreses inspergentis, non peccat contra Jus positivum Bullæ Cœnæ (esto peccare possit contra Jus naturale, si se exponat periculo perversionis) & consequenter non incurrit excommunicationem. *ibid. v. Hæreticorum*. Qui legit librum ab Hæretico compositum, & ex professo de Religione tractantem, evadit excommunicationis reus, esto ille liber nullam forte contineat hæresim. *ibid. v. de Religione tractantes*. Ceterum liber aliquis de Religione tractare censetur, quando tractat de Ecclesia, Scriptura Sacra, de mysteriis Fidei, de Theologia, de cultu Dei, & Sanctorum, de bonis operibus, de justificatione, de Sacramentis &c. *ibid.* Etiam, qui legit librum ab Hæretico compositum, & hæresim (unum scilicet, vel plures) ex professo immixtam, continentem, incurrit excommunicationem, tametsi liber de Religione non tractet. *ibid. v. vel hæresim continentes*. Non tamen excommunicationi subjacet, qui legit librum ab Hæretico compositum, sed neque de Religione ex professo tractantem, neque hæreses ex professo immiscentem, esto liber incidenter, & per accidens puncta Religionis, vel hæreses inspersas habeat. *ibid.* Unde a Bulla Cœnæ prohibiti non censentur libri Hæreticorum historici, profani, politici, philosophici, medici, juridici, tametsi subinde hæreses complectantur. Excipiuntur tamen Sleidanus, Aventinus, & Munsterus, licet Historici: hos enim legere certo illicitum est, etiam spectata prohibitione Bullæ Cœnæ, adeoque sub mortali culpa, & excommunicationis incurrendæ pœna. *ibid.* Libri, contenti in Indice librorum prohibitorum, sunt triplicis generis, sive classis. *ibid. num.* 78. Quid sentiendum de legentibus Alcoranum Machometis, & Hebræorum Thalmud, ac libros Cabalisticos? *n.* 79. Quid censendum de legentibus libros Astrologiæ Judiciariæ, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ &c.? *num.* 80. An rigor Bullæ Cœnæ, & Indicis librorum prohibitorum, in nostra Germania mitigatus sit? *num.* 81. Quid faciendum cum libris hæreticis, aut alias prohibitis, ubi, & quos retinere, ac legere non licet? *num.* 82. Julianus non peccat, secluso perversionis periculo, dum legit Calendaria prognostica, nova ab Hæreticis impressa &c. modo non tangant fidem Catholicam, aut Pontificem qua talem, esto ceteroquin varios hominum status amare perstringant, *n.* 96.

Licentia.

Licentia præcipue triplex est, videlicet *expressa*, *tacita*, & *præsumpta*. *part* 3. *num.* 597. Quid sit expressa, liquet ex termino. Tacitam, & præsumptam permulti confundunt; sed male. Nam licentia mere præsumpta est, quæ nec est in se, nec in alio, sed esset, si peteretur. E diverso licentia tacita, vel est in alio, nimirum in licentia expressa, aut universali, vel etiam in seipsa. In expressa licentia existere censetur, quando id, de cujus licentia agitur, in expresso contentum, aut cum eo connexum, vel ipsi accessorium est. Hoc modo si Superior Regularis v. g. subdito suo concedat imagines, rosaria, & similia, probe sciens, subditum non indigere iis omnibus, censetur tacite præbere facultatem illa pie expendendi. In licentia universali existere censetur, quando in Religione aliqua viget consuetudo non accipiendi licentiam expressam pro certis rebus, Superiore conscio, & libere non contradicente. Atque hoc modo Religiosi v. g. iter agentes, vel extra Claustra in studiis versantes, permittuntur facere eleemosynas aliquas moderatas; imo & donationes aliquas leves consanguineis, vel amicis &c. In seipsa existere censetur, quando subditus re aliqua temporali utitur, Superiore conscio, & libere non contradicente, esto ceteroquin vigeat in Religione v. g. consuetudo petendi licentiam expressam pro usu talis rei. *ibid.* Quod si Superior præcise non contradicat ex metu, ne subditi, negata licentia, querelis, vel murmurationibus domum impleant, aut alia grandiora mala machinentur, taciturnitas, seu non contradictio Superioris nihil suffragabitur, nec ejusmodi subditos a violatione paupertatis excusabit. *ibid.* Qualis requiratur, & sufficiat licentia Superioris, ne subditus aliquid accipiendo, retinendo, expendendo, contra paupertatem delinquat? Vid. *Regula. Regularis*. Non sufficit licentia proprii Parochi præsumpta, sed requiritur expressa, vel tacita, ut subditus parochianus tempore Paschali satisfaciat præcepto annuæ Communionis, hanc sumendo extra propriam Parochiam, aut ab alio, quam proprio Parocho. *num.* 53. Episcopus, vel Parochus committeret peccatum mortale ex genere suo, si subditum alterius Diœceseos, aut Parochiæ sine licentia proprii Episcopi, vel Parochi baptizaret. *part.* 5. *num.* 122. *in limitat. conclus.* Sacerdos, qui absque omni licentia Parochi, sive Pastoris proprii Sacramentum Extremæ Unctionis administrat, peccat mortaliter, si id faciat extra casum necessitatis. *part.* 6. *n.* 20. Ad cavendum tamen hic peccatum non necessario requiritur licentia proprii Parochi expressa, vel tacita, sed etiam sufficit rationabiliter præsumpta. *ibid. n.* 19. Haud tamen sufficit licentia præsumpta Superioris, ne quis valide absolvat subditos non suos. *part.* 3. *num.* 600. Episcopus similiter (per se loquendo, & nisi consuetudo contraria vigeat) illicite ageret, si confirmaret sibi non subditos, sive dein id faceret in aliena Diœcesi, sive in propria. *part.* 5. *num.* 209. Pariter illicite agit Parochus (præscindendo a contraria consuetudine) si alienos Parochianos communicet, etiam extra tempus Paschale, absque licentia proprii Parochi. *part.* 5. *num.* 281. *in respons.* 2. Ubi tamen *num.* 283. fit limitatio. Ut Episcopus licite Ordinet subditum alterius Diœcesis, nullo privilegio munitum, requiritur licentia Episcopi Diœcesani proprii, vel oretenus, vel scripto data. *part.* 6. *num.* 86. *in requis.* 6. Parochus assistendo solemniter, ac publice Matrimonio sui Parochiani intra fines alienæ Parochiæ sine licentia Parochi ibidem, graviter peccat, & puniri potest, quamvis assistat valide. *part.* 6. *num.* 212. Ut assistat Matrimonio alieni Parochiani, etiam valide, requiritur licentia proprii Parochii saltem tacita. *num.* 415.

Lictor.

An lictores (vel satellites) possint occidere malefactorem, quem comprehendere jussi sunt, si is se opponat, suique comprehensionem impedire nitatur? *part.* 2. *num.* 595.

Ligamen, quod est impedimentum Matrimonii. Vid. *Impedimenta Matrimonii*.

Lignans in silva.

An Princeps, vel Magistratus prohibere possint suis civibus, ne lignentur, vel pascant in silva, aut pascuo communi? *part.* 4. *num.* 39. Qualiter contra sientes peccent? *ibid. num.* 40. An cives alterius Reipublicæ peccent contra Justitiam &c. quando lignantur, vel pecora pascunt in locis alienæ Communitatis? *num.* 41. An silva, vel pascuo, ad dominum privatum spectante, alius quis uti possit citra peccatum furti &c? *num* 42. Gerimundus, dum collegit fructus arborum in silvis, in quibus ipsi licitum est ligna cædere, ut in silvis apertis, & ad suam Communitatem spectantibus, ubi nulla Principis, aut Magistratus prohibitio adest, nullo modo peccasse (supposito, quod Communitati non intulerit magnum, & extraordinarium damnum) consequenter nullam restituendi obligationem contraxisse censendus est. *num.* 149.

Litera.

Aperire alterius literas est peccatum mortale ex genere suo, si absque justa causa fiat. *part.* 2. *n.* 649. Excusantur autem 1. ab omni peccato Superiores Regulares, quando aperiunt, & legunt literas suorum subditorum (dummodo non sint destinatæ ad altiorem Superiorem) si licentiam, aut etiam mandatum legendi habent ex Statutis; vel saltem illarum lectio est necessaria, aut utilis ad bonum subditorum &c. Excusantur 2. Qui aperiunt, & legunt literas de consensu expresso, vel præsumpto scribentium. Consensus vero illorum, ad quos scriptæ sunt, se solo non excusat. Excusantur 3. Qui rationabiliter credunt, in literis quidpiam sibi injuriosum, ac noxium contineri. Excusantur 4. a peccato mortali (non item a veniali) qui sola curiositate ducti, absque pravo animo, nocendive libidine legunt aliorum literas: dummodo moraliter certi sint, nihil magni momenti in iisdem contineri, paratique ad servandum secretum, si forte præter suam opinionem inter legendum inciderint in punctum aliquod grave. *ibid. in limitat. respons.* Respicius injuriam graviter damnosam patitur a Remberto, dum hic illius literas casu amissas legit, magnumque eidem lucrum eripit. *n.* 652. Si Rembertus literas Respicii in platea invenisset laceratas, vel integras quidem, sed quas vidisset ipsum ultro projicere, potuisset eas legere absque injuria Respicii. *ibid. in argum. & respons. ad illud*. Quod tamen solummodo videtur verum de literis ultro abjectis, si eæ adhuc sint integræ, aut semilaceratæ, non vero de literis studio ita minutim laceratis, ut earum particulæ non nisi magna, & singulari industria coordinari ad legendum potuissent, *ibid. in limitat. respons. ad argum.*

Litera dimissoria. Vid. *Dimissoriales*,

Locatio. *Conductio*.

Sicut unus, idemque contractus Emptio est, & Venditio, dictus *venditio* comparatione vendentis, comparatione ementis *emptio*; ita unus, idemque contractus est Locatio, & Conductio, comparatione locantis *locatio*, comparatione conducentis dictus *conductio*, reipsa consistens in mutuo locantis, & conducentis consensu. *part.* 4. *num.* 806. Unde Locatio-Conductio d finitur *contractus, quo persona, aut res aliqua alteri utenda, vel fruenda pro certo pretio, aut mercede conceditur, & ab eodem accipitur* &c. *ibid.*

Locus baptizandi. Vid. *Baptismus*,

Locus celebrandi Missam:

De Jure communi, & ordinario celebrandum est Missæ Sacrificium in Templo per Episcopum consecrato, aut benedicto, vel in Oratorio ad Dei cultum dedicato, & per Episcopum ad id designato. *part.* 5. *num.* 370. Excipiuntur autem aliqui casus necessitatis: item casus, quo Episcopus ipse iter facit; & quo ex rationabili causa dispensat, ut in privatis ædibus, v. g. alicujus infirmi, super Altari portatili celebrari possit. *ibid.* An Sacerdos, ex certa fundatione, vel alio titulo obligatus ad celebrandum in determinata Ecclesia, vel determinato Altari, peccet, & qualiter, si alibi celebret? *num.* 383. Vid. *Oratorium privatum*.

Locus restituendi. Vid. *Restitutio*,

Locus Sacerdotalis,

Nomine *Loci Sacri* generaliter intelligitur ille, qui ad usum pium, ac Religiosum publica authoritate est destinatus, licet nondum sit consecratus, aut benedictus. *part.* 2. *num.* 337. Quod si locus aliquis privata duntaxat authoritate ad pium usum deputetur, & alias neque consecratus, neque benedictus sit, inter loca sacra numerari non debet; sed ad nutum fundatoris in profanos usus converti potest: & neque gaudet immunitate Ecclesiastica; neque polluitur sanguinis, aut seminis effusione; neque subest potestati Episcopi, jusque visitandi. *ibid.* Nomen autem *Loci Sacri* specialiter veniunt 1. omnes Ecclesiæ. 2. Earum Capellæ. 3. Cœmeteria. 4. Monasteria. 5. Xenodochia Episcopi authoritate erecta. *ibid.* Notandum tamen, non quemlibet locum ex modo recensitis esse objectum idoneum cujuslibet sacrilegii localis. Hinc non committit sacrilegium, qui se polluit in Monasterio, vel Xenodochio, esto tale committat, qui se polluit in Ecclesia &c. *ibid.* Vid. *Sacrilegium*.

Loteria.

Loteria, sive *Olla fortunæ*, est *contractus, in quo emitur pretio taxato authoritate publica jus extrahendi schedulas cum spe lucri ex magno schedularum numero, quarum alia nihil, alia exigua, alia magna dona continent*. *part.* 4. *num.* 816. Licitus est iste contractus, modo absit fraus, & servetur æqualitas pretii cum æstimatione spei lucrandi, *ibid.*

Lotio manuum.

Lotio manuum, seu digitorum, neque ante, neque post celebrationem Missæ, est necessaria necessitate alicujus præcepti; adeoque Sacerdos illam omittens non peccaret, ne venialiter quidem: nisi forte manus, ut digiti sint immundi. *part.* 5. *num.* 369. Vid. *Sacerdos*.

Ludus,

Ludus est *contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit*. Ex ludis alii sunt, in quibus experimentum artis, industriæ, dexteritatis; alii, in quibus fortuna, vel casus prævalet. *part.* 4. *num.* 817. Ut ludus sit licitus saltem de Jure naturæ, requiruntur tres conditiones. Prima est, ut quis habeat potestatem disponendi de rebus ad lusum expositis. Secunda, ut alterum per injuriam ad ludendum non pertraxerit. Tertia, ut contra Leges ludi nullam fraudem committat. *ibid.* Jure autem positivo Civili prohibetur alearum, aliique, qui magis fortuna, & casu, quam arte reguntur. Specialiter vero similes lusus Jure Canonico vetantur Clericis, & Monachis. Sed tam Jure civili, quam Canonico per contrariam consuetudinem ita derogatum est, ut non solum Laicus, sed etiam Clericus, vel Monachus non peccet, si principaliter pro recreatione, & simul pro lucro moderato ludat chartis, vel aleis, dummodo id non fiat frequenter, nimis sumptuose, & cum scandalo populi, *ibid.*

Lues venerea.

Lues venerea unius conjugis est causa instituendi divortium temporale alteri conjugi, ea lue non laboranti. *part.* 6. *num.* 392.

Lumen pro Sacrificio Missæ. Vid. *Altare*.

Luxuria.

Luxuria est *inordinatus appetitus, vel usus venereorum*: sive est *amor concupiscentiæ inordinatus circa res venereas*. *part.* 1. *num.* 712. Dividitur in *non consummatam*, quæ actu venereo non completur, & *consummatam*, quæ actu venereo completur. *ibid. num.* 713. Luxuria, sive non consummata, sive consummata, si deliberate, & extra Matrimonium fiat, semper est peccatum mortale. *num.* 714. Hujus vitii filiæ sunt *cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei*, seu *aversio animi a Deo, & Divinis, affectus præsentis*, & *horror futuri sæculi*. *num.* 715. Recensentur remedia contra luxuriam. *n.* 750. Actus, seu species luxuriæ consummatæ sunt *Fornicatio* (ad quam reducitur *Concubinatus*) *Adulterium, Incestus, Sacrilegium, Stuprum*, & *Raptus*. Atque hæ species vocantur *naturales*: quia in iis fit commixtio eo modo, quo natura instituit, quatenus servatur diversitas sexus, identitas speciei, vas, & modus naturalis. Præterea *Sodomia, Bestialitas*, & *Pollutio*. Atque istæ species appellantur *innaturales*, vel rectius *contranaturales*, utpote in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ. Species luxuriæ non consummatæ sunt *Delectationes morosæ, Desideria lasciva, Oscula, Tactus, Aspectus, Amplexus, Sermones obsceni &c.* *part.* 2. *ante num.* 633. Vid. *propria vocabula*. Porro species luxuriæ consummatæ nuncupantur *peccata immunditiæ*; species vero luxuriæ non consummatæ *peccata impudicitiæ*. *cit. part.* 3. *ante eund. num.*

Litania.

Litaniæ Majores in Festo Sancti Marci, & Feriis Rogationum citra peccatum mortale omitti non possunt ab obstrictis ad Horas Canonicas. *part.* 3. *num.* 475. Nec possunt anticipari, seu pridie dici; sicut Matutinum Officii Canonici. *ibid. num.* 476. Si Litaniæ Majores occurrerint in die sancto Paschatis, transferuntur in Feriam tertiam sequentem. *part.* 5. *n.* 389. D CLXXXII. Non sunt inferendi in Litaniis alii Sancti, præter ibi descriptos; neque tempore pestis addendi sunt Titulares, & Civitatis Patroni sine speciali concessione, *ibid.* D. CCX.

M

Magia.

Magia alia est *naturalis*, alia *superstitiosa*. Naturalis est *ars, seu facultas operandi mira per causas naturales absque ope dæmonis*. Et hæc de se non est mala sive peccaminosa. Superstitiosa est *ars, seu facultas operandi mira per aliqua signa ope dæmonis*. Differt a vana Observantia. *part.* 2. *numer.* 312. & 313. Dæmon tribus præcipue modis operari mira potest, & solet: quæ tamen miracula dici non possunt. *ibid. numer.* 314. Quale, & quantum peccatum sit Magia tam secundum se, & absolute, quam relative considerata? Item quomodo Confessarius Magum (Sagam, vel Strigem) examinare, & cum eo procedere debeat. *num.* 315. Malachias, Ordinis Seraphici Sacerdos, accipit regulas, queis utatur ad sagam pro subeundo ultimo supplicio, & obeunda felici morte disponendam *num.* 389.

Magister,

Magistris, sive Præceptoribus (idem cogita de Pædagogis) eadem quodammodo incumbit obligatio erga discipulos, quæ parentibus erga liberos. *part.* 2. *numer.* 567. Unde peccant, quando peccata discipulorum dissimulant, & non corrigunt, cum tamen possent: quando eorum in Literis profectum non sedulo promovent: quando eisdem non conantur instillare bonos mores: quando ex industria docent falsa, vel perniciosa, & saluti noxia: quando discipulos, pravis moribus imbutos, aliisque perniciosos a Scholis non arcent &c. *ibidem*.

Magistratus Civilis.

Magistratus civiles peccant, & oneri restitutionis subjacent, dum non impediunt furta, latrocinia, iniqua monopolia &c. quando sine notabili detrimento proprio vitæ, famæ, honoris, & rei familiaris impedire possunt. *part.* 4. *num.* 445. Imo damna Communitatis, præ-

fas

sas (seclusa nimirum diversa loci consuetudine, speciali conventione contraria &c.) sive deinde proles sit legitima, sive illegitima. *part.* 2. *numer.* 658. *in limitat. respons. ad Quæsit.* Imo etiam post transactum triennium obligatur ad alendam prolem, quando pater ob paupertatem est impotens ad eam alendam. *ibid.* Non est arguenda alicujus peccati mater gravida, sed ægrota, si sumat pharmacum directe, & suapte natura præcise ordinatum ad recuperandam sanitatem, quamvis inde sequatur expulsio fœtus sive animati, sive inanimati. *num.* 597. *in limitat. respons. ad Quæsit.* Vid. *Fœtus.* Matrem adhuc viventem, etsi judicio Medici proxime morituram, non licet secare, ejusque uterum aperire, ut infans, alias sine Baptismo decessurus, valeat baptizari. *part.* 5. *num.* 138. *in advert.* 1. Quod tamen intellige extra casum, quo mater sit promerita mortem: tali quippe casu dicendum esset contrarium, interveniente authoritate Judicis. *ibidem.* Si mater gravida, & partui vicina moritur, os mortuæ illico aperiri, & apertum teneri debet (ne alioquin infans forte vivus, in utero mortuæ latitans, suffocetur) imo matris uterus secari, ut infans inde eximi, ac baptizari queat. *ibid. in advert.* 2. Vid. *Parentes.*

Matrimonium.

Matrimonium dupliciter accipi potest, videlicet, ut est *Contractus*, & ut est *Sacramentum. part.* 6. ante *num.* 278. Matrimonium a *matre* potius nuncupatur, quam *patre*, quod ex fine suo primario ordinetur ad generationem prolis, in qua matris onus, & munus gravius est, ac patris. *part. & numer. cit.* Vocatur alio nomine *Conjugium*, quatenus mas, & femina quasi ad jugum Matrimoniale ducendum copulantur. Appellatur præterea *Connubium*, vel (quod crebrius est) *Nuptiæ*, appellatione desumpta a *nubendo*, vel *obnubendo*; quia puellæ nupturæ olim, obvelata facie in signum pudicitiæ, incedere debuerunt. Unde & hodie *Nuptiarum* nomine intelligitur potius solemnitas, & celebritas illa, quæ contractui Matrimoniali conjungitur, ac certis temporibus per SS. Canones prohibetur, quam contractus ipse Matrimonialis, qui nullo non tempore licite initur. *ibid.* Deus Matrimonium sub ratione Contractus indissolubilis instituit in Paradiso terrestri, quando per Adamum *Gen.* 2. protulit hæc verba: *Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Et erunt duo in carne una &c.* quod postmodum Christus ad rationem Sacramenti elevavit, & sub ratione Sacramenti instituit, quando *Matth.* 19. dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet. num.* 279. Matrimonium ante lapsum Adami solummodo erat ordinatum in officium naturæ ad liberos procreandos, & educandos; post illum vero etiam in remedium concupiscentiæ ordinatum est, nempe ut voluptati carnis certus quidam modus secundum rectam rationem poneretur. *num.* 280. Hoc tamen non sic intelligendum, quasi Matrimonium, quod prius ordinatum erat in officium naturæ, postea per novam institutionem fuerit ordinatum in remedium concupiscentiæ; sed quod primitus statim ab Authore naturæ Deo fuerit institutum, ut, supposito Adami lapsu, & passione concupiscentiæ inde consecuta, etiam (nempe secundario) deserviret in remedium concupiscentiæ. *ibidem.* Matrimonium, sub ratione contractus actualis spectatum, est *consensus mutuus, quo mas, & femina sibi invicem tradunt jus in corpora ad actus ex se aptos ad generationem prolis, & ad individuam vitæ societatem se obligant*: spectatum vero sub ratione Sacramenti, contractui superadditi, & annexi, est *conjunctio maritalis, spiritualis gratiæ collativa. num.* 281. Prima descriptio tantum competit Matrimonio, ut obtinet rationem contractus *actualis*, & spectatur *in fieri*; non autem, ut obtinet rationem contractus *habitualis*, & spectatur *in facto esse*: nam hoc posteriore modo spectatum, importat statum permanentem, sive indissolubile vinculum Matrimoniale. *n.* 282. Vid. *Vinculum Matrimonii.* Secunda quoque descriptio solum competit Matrimonio, ut est Sacramentum; adeoque ut spectatur *in fieri*; non vero, ut spectatur *in facto esse*; nam Matrimonium solummodo *in fieri* est Sacramentum, & conjunctio maritalis spiritualis gratiæ collativa; non autem *in facto esse*, cum sic importet vinculum &c. *num.* 283. Matrimonium dividitur præcipue in *Legitimum*, *Ratum*, & *Consummatum*. Matrimonium Legitimum est, quod præcise juxta Leges Naturales, & Civiles contrahitur, absque hoc, quod ab Ecclesia ratum habeatur, aut Sacramentum sit. Talia sunt Matrimonia, quæ contrahuntur inter Turcas, Judæos, aliosque infideles non baptizatos. Matrimonium Ratum est, quod inter Christianos, ac Fideles juxta Leges Ecclesiasticas rite contrahitur, atque ideo ratificationem Ecclesiæ, & rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum accessit commixtio corporum, seu copula carnalis. Matrimonium Consummatum est, cui copula carnalis accessit, eaque perfecta, & talis, quæ per se sit apta ad generationem prolis (licet hæc per accidens, v. g. propter sterilitatem, aut senium mulieris, non sequatur) & faciat, ut conjuges per commixtionem seminum efficiantur una caro. *numer.* 284. Matrimonium etiam per copulam, intra primum bimestre vi extortam, consummatur. *numer.* 285. Porro aliud Matrimonium dicitur *Solemne*, aut *Civile*, in quo nimirum ea insuper concurrunt, quæ requirit Jus Civile, uti sunt pacta dotalia, traductio publica Sponsæ in domum Sponsi &c. Et aliud *Insolemne*, aut *Canonicum*, in quo solum ea concurrunt, quæ e SS. Canonibus requiruntur, maxime præsentia Parochi, & Testium. *numer.* 284. Ad hanc posteriorem Matrimonii speciem, vel quasi speciem (nempe ad Matrimonium Insolemne, sive Canonicum) refertur Matrimonium *Morganaticum*, seu *ad Morganaticam*, quod etiam appellatur *Matrimonium Conscientiæ*, quale nonnunquam Viri illustres, vitandæ fornicationis ergo, contrahunt cum femina inferioris conditionis, coram Parocho quidem, & Testibus (utpote absque illis contractum subsistere non posset, saltem in loco, ubi Tridentinum est receptum) plerumque tamen occulte, eo pacto, ut conjux, & liberi, ex ea suscepti, *Morgengeba*, seu *Morganatica*, id est, dono nuptiali, aut alia certa portione, ad suam sustentationem necessaria, sint contenti, conditionem vero, & dignitatem Mariti non participent, atque a ceteris bonis paternis, titulisque, & insignibus abstineant, videlicet in favorem primæ uxoris, & liberorum ex ea progenitorum. *cit. numer.* 282. Matrimonium *Conscientiæ*, seu *ad Morganaticam* validum est; imo & licitum, remoto scandalo. *n.* 286. Scandalum vero exurgere posset vel inter domesticos, vel inter extraneos. Inter priores quidem, si adverterent, illiusmodi conjuges se passim gerere ut conjuges: & nullam haberent notitiam de conjugio eorum, quippe (ut plerumque fieri assolet) occulte contracto. Inter posteriores autem, si adverterent, vel inaudirent, conjugem effectam esse gravidam, vel peperisse prolem: cum tamen & ipsi ignorantia initi Matrimonii laborerent. Ad hanc igitur petram scandali removendam, oportebit Matrimonium, occulte contractum, detegere domesticis, & per hos, aut alios (saltem quando subest periculum impregnationis, prolisque eventuræ) divulgare apud extraneos. *cit. numer.* 286. *in limitat. respons. ad Quæsit.* Matrimonium infidelium, quamvis postea Baptismum suscipiant, nunquam evadit Sacramentum. *numer.* 287. Solvuntur objectiones. *num.* 288. *& seqq.* Ejusmodi conjuges Infideles, post sui ad Sectam Orthodoxam conversionem, & Baptismi susceptionem, non tenentur suum Matrimonium renovare coram Parocho, & testibus. *num.* 291. Quamvis legitimum Matrimonium infidelium, suscepto Baptismate, migret in ratum, ev datque insolubile, sic, ut neuter possit alterum relinquere (prout ante poterat, si ipse conversus fuisset, & alter in sua perfidia perstitisset, secundum inferius dicenda) hoc tamen non provenit ex eo, quod Contractus Matrimonialis a Conjugibus jam baptizatis renovetur; sed inde, quod, suscepto Baptismate, tollatur causa prædictæ solubilitatis, in eo sitæ, quod unus, non alter Baptismum susceperit. *num.* 292. Matrimonium legitimum infidelium, consummatione sui post susceptionem Baptismatis, redditur omnino insolubile, non ex hoc, quod consummatione Sacramentum efficiat novus contractus suscepto Baptismate, ut dictum, sed ex eo, quod legitimi, & rati Matrimonii consummatio, utpote facta a Fidelibus, significet unionem Christi cum Ecclesia, & Verbi Divini cum natura humana. *n.* 293. Matrimonium, a Fidelibus contractum est unum duntaxat Sacramentum ex parte utriusque contrahentis. *n.* 294. Matrimonium, quod fidelis cum infideli ex S. Pontificis dispensatione contrahit, neque ex parte fidelis Sacramentum est. *n.* 295. Diluuntur argumenta contraria. *n.* 296. *& seqq.* Matrimonium iniri potest, etiam in ratione Sacramenti, a baptizatis, tametsi non expresse intendant conficere, & suscipere Sacramentum. *num.* 299. Non possunt baptizati licite inire Matrimonium in ratione solius contractus, separando rationem Sacramenti; possunt autem valide. *n.* 300. *&* 301. Satisfit argumentis Adversariorum. *num.* 302. *& seqq.* Matrimonium, interventu Procuratoris contractum, valet, si celebretur coram Parocho, & testibus. *num.* 307. Estque verum Sacramentum (si contrahentes sint personæ baptizatæ) conferens gratiam illi, cujus nomine celebratur. *num.* 308. Solvuntur objectiones. *num.* 309. *& seqq.* Quibus verbis in illo contrahendo uti debeat Procurator? *numer.* 312. Hic non est Minister; nec ejus consensus materia, & forma Sacramenti Matrimonii; nec peccat mortaliter, si eo tempore, quo contrahit, versetur in statu disgratiæ. *num.* 313. *&* 314. Etiam Matrimonium, per epistolam contractum, valet tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti. *num.* 315. Materia remota Sacramenti Matrimonii sunt corpora contrahentium; proxima vero talium corporum mutua traditio; & forma mutua acceptatio, verbis, vel aliis signis expressa. *numer.* 316. Proponuntur, & dissolvuntur argumenta contraria. *n.* 317. *& seqq.* Minister Sacramenti Matrimo-

vagendo. *num.* 378. Pontifex ad dispensandum in Matrimonio rato indiget justa, & gravi causa (licet hæc non semper, & necessario debeat esse publica, vel bonum publicum directe concernens) adeo, ut alias non solum illicite, sed etiam invalide dispenset. *numer.* 379. *&* 380. *in respons.* 1. Recensentur causæ justæ, & ad dispensandum in Matrimonio rato sufficientes. *cit. num.* 380. *in respons.* Si Matrimonium (sive ratum, sive consummatum) esset invalide contractum, necessario deberet fieri dissolutio, vel separatio conjugum (supposito, quod nollent, vel non possent impetrata dispensatione illud restaurare, aut cohabitare adinstar fratris, & sororis) quam tamen publice, & sine authoritate Judicis Ecclesiastici, probato plene impedimento, nullitatem declarantis, facere prohibentur ipsi conjuges, licet, postquam impedimentum ipsis innotuit, occulte teneantur a toro separationem instituere. *num.* 381. Solemnitas Matrimonii prima sui divisione dispescitur in *Substantialem*, & *Accidentalem*. Prior est, quæ requiritur ad valorem Matrimonii: atque hujus nomine venit *Præsentia Parochi*, *&* *Testium*. Posterior est, quæ non requiritur ad valorem Matrimonii; & subdividitur in *Antecedentem*, ac *Consequentem*. Antecedens dicitur, quæ Matrimonio contrahendo præmitti debet: cujusmodi est *Trina Denunciatio Sponsorum*, Matrimonio copulari volentium. Consequens dicitur, quæ Matrimonium jam contractum subsequitur: hujusmodi impræsentiarum intelligitur, ac est *Benedictio Nuptialis*. ante *numer.* 400. Matrimonium, solemnitate substantiali, seu præsentia Parochi, & Testium destitutum, vocatur *clandestinum simpliciter*, *&* *absolute*: quæ clandestinitas est impedimentum dirimens. *ibidem.* Matrimonia simpliciter clandestina jam ante Tridentinum fuerunt graviter illicita, attamen valida; at post illud etiam invalida existunt, si præfato modo contrahantur a personis baptizatis in Loco, ubi Tridentinum viget: excepto unico casu, quando nempe Tridentini Decretum *communiter* in aliquo Loco observari non potest. *num.* 400. *&* 401. Solvitur objectio. *numer.* 402. Specificantur Loca, in quibus dispositio Tridentini, præsentiam Parochi, & Testium requirens, fuit promulgata, & recepta, vel non. *numer.* 403. An, si urgeat gravis necessitas (privata) contrahendi Matrimonium, & recurri ad Pontificem pro dispensatione impetranda non valeat, eam impertiri possit Episcopus, dispensative remittendo præsentiam Parochi, & Testium? *numer.* 404. Parochus, Matrimonio assistens, debet esse proprius contrahentium (vel saltem alterutrius ex illis) & quidem ratione domicilii, vel quasi domicilii, habitationis, & non originis tantum. *numer.* 405. Vid. *Domicilium*. *Quasi-Domicilium*. Solvuntur objectiones. *num.* 407. *&* 408. Quinam veniant nomine Parochi? *num.* 409. Integrum est Sponsis Matrimonium inire coram hoc, vel illo Parocho domicilii (vel quasi domicilii) habitationis, si duo domicilia habeant. *num.* 410. Parochus, Matrimonio assistens, non necessario debet esse Sacerdos; bene vero alius, qui cum ipsius licentia assistit. *numer.* 411. Solvuntur argumenta opposita. *num.* 412. *&* 413. Valide assistit etiam extra propriam Parochiam Matrimonio sui Parochiani, non autem licite. *num.* 414. Alius Sacerdos, ut assistere valeat, indiget licentia Parochi expressa, vel tacita. *n.* 415. Vid. *Licentia*. Parochus (vel alius Sacerdos de ipsius licentia) valide assistit Matrimonio, licet sit excommunicatus &c. *num.* 416. Solvitur objectio. *num.* 417. Nec obstat specialis prohibitio Episcopi. *n.* 418. Ad legitime contrahendum Matrimonium requiruntur præter Parochum duo, vel tres Testes: quamvis non necessario debeant esse omni exceptione majores. *n.* 419. *&* 420. Solvuntur objectiones. *num.* 421. *&* 422. Neque iidem Testes necessario debent esse specialiter rogati. *num.* 423. Diluitur argumentum contrarium. *num.* 424. Qualis Parochus possit, ac debeat assistere Matrimonio vagorum? *n.* 425. Quid ante eorum copulationem teneatur observare? *num.* 426. Quisnam sit Parochus competens militum in ordine ad solemnizandum eorum Matrimonium; & quænam advertere debeat? *num.* 427. Qualiter Parochus, & Testes debeant esse præsentes contractui Matrimoniali? *num.* 428. An Sponsi sine præsentia Parochi (vel Sacerdotis ab eo delegati) & Testium contrahere Matrimonium attentantes, sint puniendi, & qualiter? *numer.* 429. Idem quæritur de Parocho, vel alio Sacerdote præsumente alienos Parochianos copulare, aut benedicere eorum Nuptias, absque licentia competentis, seu proprii Parochi. In quem finem, quando, ubi, & a quo trina denunciatio Sponsorum fieri debeat? item, in quanam Parochia, si Sponsi, antequam denunciarentur, suum domicilium alio transtulerint? *numer.* 430. *& seqq.* Denunciationes non sunt necessariæ necessitate Matrimonii, sed tantum necessitate præcepti, graviter tamen obligantis. *num.* 433. Solvuntur objectiones. *num.* 434. *& seqq.* Super Denunciationibus dispensare potest Ordinarius; modo justam causam dispensandi habeat. *num.* 437. *&* 438. Recensentur causæ dispensandi. *numer.* 439. Quænam sit obligatio populi ad manifestandum impedimentum post factas Denunciationes? *numer.* 440. An ipsimet quoque contracturi, quando sciunt, impedimento aliquo occulto se gravatos, illud manifestare Superiori Ecclesiastico teneantur? *numer.* 441. Qui se gerere debeat Parochus, quando impedimentum aliquod, inter Sponsos latens, ad ipsum fuit delatum? *numer.* 442. Quænam sint pœnæ omittentium denunciationes absque dispensatione, vel legitima causa? *numer.* 443. Benedictio Nuptiarum duplex est. Una fit immediate post initum Matrimonium, & illud quasi concomitatur, exprimiturque ab Assistente per illa verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* Atque hæc dicitur, ac est *minus solemnis*; de qua nihil negotii impræsentiarum. Altera, quæ *magis*, *&* *simpliciter solemnis est*, impendi solet inter Missarum solemnia, Matrimonio jam ante contracto, & per Assistentem Benedictione minus solemni benedicto. *numer.* 444. De benedictione posterioris generis, Vid. *Benedictio*. Standum est in utroque foro pro nullitate Matrimonii, contra cujus valorem reclamavit Eusebius; eo quod quidem illud verbis absolute prolatis cum Sempronia contraxerit, antea tamen coram multis asseveraverit, se in uxorem ducturum Semproniam, si dotem mille aureorum afferret; secus, non ducturum, & Sempronia primo statim Nuptiarum die ultro fassa sit, pro dote sibi non suppetere nisi centum aureos. *numer.* 471. Validum non est Matrimonium, quod contraxit Eugenius cum Eugenia sub conditione, si honesta sit, quando postmodum inhoneste vixisse comprobatur. *num.* 472. Matrimonium, quod Eutropius cum Euphemia in favorem sui Heri, & specietenus coram Parocho, & Testibus celebravit, judicandum est invalidum in foro interno, validum autem in foro externo: & hinc in priore foro adigi non potest ad cohabitandum Euphemiæ, sed permittendus est aliam ducere; secus respective est in foro posteriore. *numer.* 473. Eulogius non peccat, per se loquendo, contrahendo Matrimonium cum Julia contra voluntatem patris, reclamantis, & ipsi, etiam sub comminatione exhæredationis, Julianam obtrudentis. 474. Emeranus Mercator, dum Mercimoniorum causa se confert in Brussiam, ac suam Sponsam, ut & ipsa exteras videat oras, comitem habet, valide ibidem contrahit Matrimonium clandestinum: non item, si se illuc conferret præcise animo ibi ineundi clam Matrimonium. *num.* 478. Matrimonium, quod Eventianus, & animæ suæ, & prolium legitimationi prospicere volens, cum sua concubina clam contrahit in articulo mortis, nec in vim Matrimonii, nec in vim Sponsalium valet. *num.* 479. Euphrosina valide cum suo Sponso init Matrimonium coram Testibus, & Parocho, ut ut hic invitus sit, atque reclamet. *num.* 480. Elisabetha, esto obtinuerit ab Ordinario licentiam cum paris conditionis Juvene (ejus nomine, & familia non expressis) contrahendi Matrimonium coram Sacerdote non Parocho, invalide nihilominus coram tali Sacerdote contrahit cum Elisæo, paris quidem cum ipsa conditionis Juvene, sed cui ab eodem Ordinario propter litem super Sponsalibus, & defloratione cum Caja pendentem, ne quid in istius præjudicium innovaret, Matrimonium fuerat interdictum. *num.* 481. De Usu Matrimonii Vid. *Debitum conjugale*. *Usus Matrimonii*. De Impedimentis Matrimonii Vid. *Impedimenta Matrimonii*. De dispensatione super his Impedimentis Vid. *Dispensatio super Impedimentis Matrimonii*.

Matutinum.

Juxta hodiernum usum, & consuetudinem Ecclesiæ Romanæ Matutinum cum Laudibus in unam Horam contrahitur. *part.* 3. ante *numer.* 445. Potest tamen, citra causam, & ex mera libertate, a Laudibus separari (seu separatim dici) etiam integra nocte. *ibidem numer.* 468. Esto Matutinum pridie recitari possit, non tamen tali recitatione satisfit simul pro ea die, qua recitatur, & pro altera subsequente. *numer.* 467. *prope fin.* Siquis tempus, *num. cit.* pro anticipando Matutino assignatum, notabiliter prævenerit, obligatur ad ejusdem Matutini repetitionem: secus, si parum prævenerit; esto venialiter peccaverit, si id fecerit sine justa causa. *ibid.* Matutinum in Ecclesia Cathedrali recitari debet mane, non autem vesperi pro die sequenti. *part.* 5. *num.* 389. *D. XXXII.* De aliis Matutinum concernentibus, Vid. *Hora Canonica*.

Medicus.

Medicus peccat 1. Si homini sano præscribat, vel præbeat medicamenta ad Venerem notabiliter provocantia: ægro tamen ejusmodi medicamenta præbere non prohibetur, si judicet necessaria ad pellendam ægritudinem. Peccat 2. Si absque sufficienti peritia morbum

nae,

nas, & quandoque etiam relate ad mares, præsertim si sint juvenes, vel alias ex natura sua meticulosiores. Item metus reverentialis in filio respectu parentis, in pupillo respectu tutoris, in subdito respectu Principis, in Clerico respectu Episcopi, in Religioso respectu Prælati &c. si habeat conjunctum periculum diuturnæ offensionis, indignationis, malæ tractationis &c. nam hæc, & similia adminicula nisi accedant, reverentia sola non sufficit ad inducendum metum gravem &c. *num.* 595. Itaque ad metum gravem inducendum requiruntur præcipue tria. Primum est, ut malum, quod intentatur, sit grave in se (absolute, vel respective) & non præcise in imprudenti apprehensione hominis meticulosi. Secundum, ut malum prudenter, & non solum vane, ac leviter credatur imminere. Tertium, ut malum non facile declinari possit alio modo, v. g. per implorationem auxilii. *ibid.* Metus quicunque (nisi rationem perturbet, & auferat) actum humanum non impedit; impedit tamen plerumque secundum quid; adeoque a peccato non excusat, esto istud diminuat. *num.* 596. Metus non semper causat involuntarium secundum quid; & per consequens nec actum humanum semper impedit secundum quid. Quare tunc solum, quæ ex metu geruntur, habent adjunctam nolleitatem, & sunt involuntaria secundum quid, quando malum, ex cujus metu quis operatur, non causatur ab ipso affectu, & voluntate operantis; ut patet in exemplo mercatoris projicientis merces in mare ex metu perdendi vitam. E diverso non habent adjunctam ejusmodi nolleitatem, adeoque non sunt involuntaria secundum quid, quando malum, ex cujus metu quis operatur, ab ipso affectu, & voluntate operantis causatur: tunc enim repugnat, ut quis ex metu talis mali operetur efficaciter, & non simul deponat affectum, ejusdem mali causativum. Unde implicat, ut quis ex metu gehennæ efficaciter detestetur peccata, & simul retineat affectum permanendi in peccatis, si pœna non esset; cum hic ipse affectus, utpote peccaminosus, sit ejusdem pœnæ causativus. Unde dolor pœnitentis, ut sit salutaris, non debet esse involuntarius secundum quid. *cit. num.* 596. *in* 2. *limitat. concl'us.* Videri quoque potest, quod habetur *part.* 5. *num.* 530. *in respons. ad object.* Quando dicitur, quod metus mortis, vel etiam minoris mali excuset quandoque, imo sæpius a peccato, excusatio ista refundenda non est in defectum voluntarii, sed in ipsam naturam, & indolem legum, quæ ob circumstantiam gravis metus non obligant; & consequenter earum transgressiones, ut ut sint voluntariæ, nullo modo (id est, nec formaliter, nec materialiter) peccaminosæ existere possunt; veluti dilucidius fiet ex jam jam dicendis, *part.* 1. *numer.* 599. *in respons. ad object.* Itaque Lex naturalis negativa aliquando obligat, aliquando non obligat cum periculo, & metu mortis: affirmativa similiter cum tali periculo aliquando non obligat. *part.* 2. *n.* 600. *in respons.* 1. Ubi etiam adducuntur exempla. Leges quoque Divinæ, & humanæ, sive negativæ, sive affirmativæ, aliquando obligant, aliquando non obligant cum periculo, & metu mortis, vel alterius gravis mali. *ibid. in respons.* 2. Ubi similiter afferuntur exempla. 2. Gelasia cum Gelasio consanguineo suo non potest contrahere Matrimonium, licet ad contrahendum adigatur metu mortis. *numer.* 642. Gervasius miles Catholicus, a Turcis in bello captus, non potest iis, licet tormenta omnia, ipsamque etiam mortem comminantibus, arcana exercitus Catholici revelare. *num.* 643. Porro metus, seu timor (subintellige supernaturalem, ex parte objecti) ratione peccati distinguitur, ac dividitur in *filialem*, *simpliciter servilem*, & *serviliter servilem*. Timor filialis, filiorum proprius, est, qui ex amore benevolentiæ, aut filiali reverentia erga Deum, ut amandissimum Patrem, & optimum Principem, oritur, magisque horret culpam, & Illius offensam, quam pœnam. Timor simpliciter servilis, famulorum proprius, est, qui ex amore concupiscentiæ erga Deum, ut æquissimum Redditorem, ac Dominum procedit, magisque horret pœnam, vel jacturam mercedis, quam culpam, ita tamen, ut hujus omnem affectum excludat. Timor serviliter servilis, servorum, seu mancipiorum proprius, est, qui ex solo pœnarum horrore erga Deum, ut formidabilem Herum, ac Vindicem concipitur, nec vitat culpam, nisi propter castigationem, aut pœnam: unde non excludit omnem affectum ad illam, sed continuo fovet inefficacem ut minimum, & conditionatam voluntatem peccandi, si nimirum nulla idcirco pœna luenda foret: qui proinde timor, ceu moraliter malus, & peccaminosus, nunquam sufficit, in ratione motivi, ad justificationem peccatoris. *part.* 5. *num.* 523. Vid. *attritio.* An metus gravis irritet Votum? Vid. *Votum*. An irritet Contractum? Vid. *Contractus*. Qualis metus dirimat Matrimonium? Vid. *Impedimenta Matrimonii*.

Miles.

Militibus incumbit observare Leges belli, nempe, ut Ecclesias, seu Templa non lædant, & locorum, Personarumque Ecclesiasticarum bona non diripiant; quemadmodum & innocentium saltem directe: ut personas innocentes, quales reputantur, & ordinarie sunt Clerici, Religiosi, Agricolæ, feminæ, infantes, & alii arma non tractantes, per se, & directe non occidant; imo nec militantes, finita jam pugna, & parta victoria, nisi alionde ob speciale delictum sint promeriti mortem &c. *part.* 2. *n.* 603. A quo milites, sive in castris, sive in hybernis degentes, Sacramenta recipere possint respective, ac debeant? Vid. *Decretum*. A quo Matrimonialiter conjungi? Vid. *Matrimonium*. Milites, in bello capti, licite fugiunt, & ad suos revertuntur, secluso pacto non fugiendi. *cit. part.* 2. *n.* 607. *in respons. ad* 3. *quæst.* Hinc milites gregarii in bellis, quæ apud nos Christianos geruntur, capti, data opportunitate licite aufugiunt: quia præter custodiam, qua asservantur, nulla fide ad remanendum adstringuntur. E diverso Duces, Colonelli, Capitanei, qui plerumque nulla custodia arctantur, sed sub fide nobili, ac militari remanentiam spondent, non tantum illicite fugiunt, cum contraveniant pacto de re honesta inito, adeoque etiam hostibus servando; sed insuper honoris, & famæ periculum subeunt. Item dimissi ad certum tempus, vel locum, tenentur in captivitatem redire; cum non aliter, nisi sub conditione reditus, dimittantur. *ibid. in limitat. respons.* De quibusdam aliis, milites concernentibus, Vid. *Bellum*.

Minister Sacramentorum.

Minister ordinarius Sacramentorum (nempe minus principalis, & cum subordinatione ad Christum, ceu Ministrum magis principalem) est solus homo viator. *part.* 5. *n.* 18. Per Ministrum ordinarium intelligitur ille, qui ex concessa sibi facultate potest qualibet data occasione, & opportunitate Sacramentum ministrare, quin nova, & speciali aliqua commissione, aut potestate indigeat. *ibid. in explicat. conclus.* Solvitur objectio. *n.* 19. Quamvis solus homo viator sit ordinarius Minister Sacramentorum, non tamen quilibet homo pollet potestate ministrandi quælibet Sacramenta, sed per se loquendo requiritur Ordo Presbyteralis, & ad aliqua etiam Episcopalis. *n.* 20. Ad Sacramentum valide conficiendum requiritur etiam aliqua intentio. *num.* 21. Qualis ea esse debeat? *n.* 22. Vid. *Intentio*. Ad Sacramentum licite ministrandum exigitur sub mortali status gratiæ: idque, sive ministratio sit confectiva, sive tantum dispensativa Sacramenti. *num.* 23. & 24. Baptizans in statu disgratiæ peccat mortaliter, sive sit Sacerdos, sive Laicus: item sive Sacerdos Baptismum conferat solemniter, sive insolemniter. *num.* 25. Sacerdos, si in statu disgratiæ Missam celebret, evadit reus triplicis, imo probabilius quadruplicis peccati mortalis. *num.* 26. Sacerdos in statu disgratiæ audiens Confessiones mortaliter peccat; imo committit tot numero mortalia, quot in tali statu absolvit pœnitentes, etiamsi id faciat actu continuo successivo. *n.* 27. Contrahentes Matrimonium in ratione Sacramenti peccant mortaliter non modo ut suscipientes Sacramentum, sed etiam ut ministrantes illud. *num.* 28. Dispensare Eucharistiam in statu disgratiæ est peccatum mortale. *num.* 29. An Episcopus, si in statu disgratiæ consecret chrisma, & oleum infirmorum, peccet mortaliter? Vid. *Episcopus*. Diaconus, & Subdiaconus, solemniter sua Officia in statu disgratiæ exercentes, probabilius delinquunt solum venialiter. *n.* 31. Polychronius invalide baptizat, dum baptizat cum intentione faciendi solum actum externum &c. *n.* 81. Licet Polycarpus Sacerdos ante celebrationem Missæ non habeat aliam voluntatem, quam more aliorum Sacerdotum sacris se vestibus induendi, locum designatum adeundi, & cetera consueta faciendi; nihilominus habet sufficientem intentionem ad valide celebrandum. *n.* 82. Pompeja, in Lutheranismo nata, quæ a suo Pastore baptizata fuit cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Lutherana, non Romana, haud est rebaptizanda &c. *n.* 83. Pompejus, extra casum necessitatis, vel utilitatis, non confitetur licite suo Parocho, quem in statu disgratiæ constitutum novit. *n.* 84. Minister Sacramentorum tenetur retinere materias, & formas a Christo præscriptas, adeo, ut Sacramenti confectio sit irrita, si illas mutet substantialiter: illicita vero, si mutet accidentaliter tantum. *n.* 13. Ceterum materia tunc censetur mutari substantialiter, quando juxta communem hominum judicium non convenit nomine, & ratione cum materia a Christo præscripta (vel per Ecclesiam determinata) forma vero, quando secundum communem usum non retinet sensum, a Christo per institutionem formæ intentum. *ibidem*. Graviter contra Religionem, & peccato sacrilegii peccat Minister, quando materiam, aut formam Sacramentalem substantialiter immutat; cum Sacramentum irritet (ut dictum) adeoque gravem ei injuriam irroget. Quod si accidentaliter immutet, etiam peccat (si id faciat advertenter, & extra casum extremæ necessitatis) non tamen semper mortaliter, sed quandoque venialiter tantum ob exiguita-

Missa

Missa audienda Præceptum.

Præceptum die festo audiendi Missam obligat sub mortali ex genere suo. *part. 2. num. 521.* Assignantur conditiones, quæ ad satisfaciendum huic præcepto requiruntur. *ibid. n. 522.* Præter auditionem Missæ nullæ aliæ actiones, in die festo exercendæ, injunguntur vi dicti præcepti, in quantum est affirmativum. *num. 523.* Præceptum audiendi die festo Missam obligat omnes baptizatos, usum rationis habentes. *num. 524.* Unde dignosci possit, an quis peccet mortaliter, vel venialiter, quando aliquid de audienda Missa omittit? *num. 525.* Non satisfacit præcepto audiendi Missam, qui successive a diversis celebrantibus audit duas Missæ medietates: idque tenendum, sive illæ medietates audiantur ordine recto, v. g. ab uno celebrante initium Missæ usque ad Consecrationem, & ab altero Consecratio usque ad finem; sive ordine inverso, puta ab uno Celebrante Consecratio usque ad finem, & postmodum ab altero initium usque ad Consecrationem. *num. 526.* Non satisfacit præcepto audiendi Missam, qui sub ejus celebratione Sacramentaliter confitetur: esto confitens, saltem a mortali, excusari possit ob parvitatem materiæ, quando nimirum Confessio est admodum brevis, & non fit, dum peragitur pars aliqua essentialis, vel substantialis, v. g. Consecratio, vel Sumptio; similis enim pars si perageretur durante Confessione, brevitas istius nihil suffragaretur confitenti, nec eundem a mortali excusaret; quare monendus, ut, interpolata Confessione, ad ejusmodi partem attendat. *num. 527.* Onuphrius Sacerdos, non habens occasionem die festo audiendi Missam, tenetur ipse celebrare, ut sic propriam Missam audiendo præceptum Ecclesiæ implere possit. *num. 547.* Opilus in Natali Domini unum duntaxat Sacrum audiendo non peccat: uti neque, dum diebus Cœnæ Domini, Parasceves, & Sabbati Sancti abest a Divinis. Peccat e diverso graviter, dum sero veniens ad Missam ante, vel paulo post Consecrationem, negligit audire, quod Missæ reliquum est: uti &, dum non sanctificat diem, quem Episcopus præcepit esse festivum ante meridiem. *num. 548.* Vid. præterea: *Sacrificium Missæ.* Causæ excusantes ab auditione Missæ sunt *Impotentia physica*, *Impotentia moralis*, *Pietas*, *Obedientia*, *Consuetudo*. *num. 528.* Ratione impotentiæ physicæ excusantur, carcere detenti; iter agentes per loca, in quibus nullum Sacrum celebratur (nisi ipsimet sint Sacerdotes, & celebrare possint, ut Onuphrius supra) ægroti, quibus ob corporis debilitatem e lecto surgere, vel domo exire non est integrum. *ibid.* Ratione impotentiæ moralis excusantur, qui templum accedere non possunt sine periculo incurrendi peccatum, infamiam, vel diminutionem honoris; contrahendi morbum, aut reincidendi in eum; subeundi jacturam saltem mediocrem in bonis fortunæ, vel cessationem notabilis lucri. *ibid.* Eodem titulo excusantur longius a loco Sacrificii distantes, nec valentes Ecclesiam adire sine gravi molestia, & difficultate. De quo Vid. *Distantia*. Titulo Pietatis, seu Charitatis erga proximum excusantur, qui assistunt ægrotis sive pro solatio tanto, sive pro necessario auxilio ferendo: item matresfamilias, nutrices &c. pro custodiendis infantibus &c. domi manentes. *ibid.* Titulo Obedientiæ excusantur, qui custodiunt castra, urbem, gregem &c. nisi vices mutare possint, ita, ut unus valeat interesse uni, & alter alteri Sacro: item coqui, vel coquæ, quibus ex officio incumbit suis dominis parare prandium &c. Quod itidem intelligendum: nisi in loco celebrentur plures Missæ, v. g. etiam una mane, cui interesse possint. *ibid.* Titulo Consuetudinis excusantur puerperæ, quæ post partum per aliquot septimanas, etiam viribus jam recuperatis, domi manent: item aurigæ habentes jus, consuetudine quæsitum, vehendi aliqua die festo, quæ tamen vehere non possent citra notabile damnum, si tempus Missæ expectare deberent. *ibid.* Quando Missa celebratur in Oratorio privato (proprie, & stricte tali) ex concessione nimirum S. Pontificis, vel Episcopi, non omnes illam audiendo satisfaciunt præcepto Ecclesiastico, quo diebus Dominicis, & Festivis ad interessendum Sacro adstringuntur. Itaque satisfaciunt quidem ipse Indultarius, & qui sunt de ejus Familia, etiam servili, habitantes cum Domino in eadem domo, nec non hospites (si in Bulla exprimantur) non item alii extranei. Imo nec ipse Privilegiatus cum sua Familia absque limitatione, & semper satisfacit: ut si contra concessionem Indulti in Oratorio privato celebretur Missa diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, aliisque anni Festis solemnioribus per Indultum exceptis (qualia sunt ordinarie Festa Epiphaniæ, Annunciationis, & Assumptionis B. Virginis, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ac omnium Sanctorum) item si celebretur Missa secunda, ubi in Indulto non conceditur nisi celebratio unius: item si Missa celebretur post meridiem &c. In his proinde casibus nec Indultarius ipse, adeoque nec ejus familiares, audiendo Missa satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, multoque minus personæ extraneæ. *part. 5. num. 383. in respons. 5.*

Modus.

Modus est moderamen, vel gravamen actui adjectum, atque efferri plerumque solet per particulam *ut*, *pro*, *ad* &c. v. g. lego tibi mille, ut studeas Jurisprudentiæ: dono tibi libros pro studio sive ad studendum &c. Differt a *conditione proprie dicta* (qualis est conditio de futuro contingenti) quod actum non suspendat: si tamen pars altera non impleat modum, aut onus impositum, regulariter repeti potest, quod datum est. *part. 6. num. 340.*

Mohatra Contractus.

Mohatra contractus est, *quando quis vendit rem magno pretio cum pacto, ut emens statim revendat pretio minore.* *part. 4. num. 884.* Est illicitus, & sæpe usurarius. *ibid.*
Mollities. Vid. *Pollutio.*

Monachus.

Monachus est talis Religiosus, cujus Religio ex instituto suo principaliter ordinatur ad ducendam vitam solitariam. *part. 3. num. 561.*

Monasterium.

Monasterium Religiosorum, ut alicubi recipiatur, duodecim saltem Religiosi ibidem degere, ac sustentari posse debent ex redditibus, & consuetis eleemosynis &c. *part. 5. num. 384. in Decret. ibid. §. Princeps vero Monasterium &c.* De aliis Monasterium concernentibus. Vid. *Religiosus.*

Moneta.

Moneta, cujus valor scitur diminuendus, præsenti valore expendi licite potest. *part. 4. num. 787.* Qui sine legitima authoritate cudit monetas, vel ex materia adulterina, se contaminat crimine falsi. *part. 4. n. 335.* Pariter committit crimen falsi, & contra Justitiam commutativam peccat, qui monetas adulterinas expendit tanquam genuinas, v. g. pro mercibus emendis. *ibid.* Vid. *Crimen falsi.*

Monialis.

Moniales professæ, ad Chorum deputatæ, & ad Horas Canonicas in eodem dicendas obligatæ, tenentur bas tales Horas recitare privatim, si eas cum, vel sine culpa non recitent in Choro: nisi forte alicubi contrarium obtineat de consuetudine. *part. 3. num. 447.* Moniales, quæ utuntur Breviario Romano, non sunt compellendæ ad recitandum Monasticum. *part. 5. num. 389. D. XL.* Possunt completo Officio recitare aliquem Psalmum, Orationem, vel Collectam; quia hoc non est Officio addere. *ibid.* D. XXXIX. Tenentur ipsæ legere vel cantare Divinum Officium. *D. XLI.* Debent habere Confessarium specialiter approbatum. *cit. part. 5. num. 674.* De Clausura Monialium. Vid. *Clausura Regularium.*

Monopolium.

Monopolium est unius in Provincia, vel Civitate venditio: unde qui talem venditionem solus exercet, *Monopola* dicitur. *part. 4. num. 805.* Possunt tamen etiam plures per modum unius instituere monopolium, seu sibi solis vendicare jus vendendi certas merces. *ibid.* Porro monopolium institui potest, ac solet tribus præcipue modis. 1. *Authoritate publica*: ut dum a Principe, vel Magistratu vi supremæ jurisdictionis, & dominii alti, quo pollet in jura subditorum, uni, vel pluribus conceditur privilegium, ut ipsi soli certum genus mercium vendere possint. 2. *Ex compacto*; puta quando venditores conspirant, ut non nisi certo pretio vendant, atque hoc pacto emptores cogantur ad emendum illo pretio. 3. *Ex coemptione omnium mercium*: ut quando tempore opportuno unus, vel plures emptores certæ alicujus speciei merces in maxima quantitate pretio vili, tunc currente, coemunt: ut postea alii cogantur emere pretio majori ob defectum mercium ab aliis comparabilium. *ibid.* Monopolium primi generis est licitum, si ex justa causa, puta ob bonum commune, conceditur. *ibid. in respons. 1.* Monopolium secundi generis, spectato Jure naturæ, pariter nihil injustitiæ continet, nisi homines adigantur ad merces pretio summum excedente comparandas. Spectato autem Jure positivo prohibitum est, & illicitum, nisi justificetur authoritate publica. *ibid. in respons. 2. ejusque limitat.* Neque monopolium tertii generis contra Justitiam pugnat, per se loquendo: bene vero per accidens, ut si quis ci-

opinionis vere probabilis, saltem intrinseca, sunt heterogenea, & dissimilia, non autem homogenea, & similia, qualia sunt v. g. testimonia hominum. *ibid. num.* 142. Motiva homogenea minora eliduntur a majoribus, vel etiam, si sint æqualia, se mutuo elidunt: quia enim habent virtutes movendi similes, & invicem directe oppositas, virtus minorum vincitur, & enervatur a virtute majorum; vel si æqualis sint, se mutuo impediunt in movendo intellectum, ut hic neutri, etiam accedente imperio voluntatis, possit præbere assensum prudentem, esto possit imprudentem. E diverso motiva heterogenea, & dissimilia (qualia præcipue sunt momenta rationum) minora non eliduntur a majoribus, nec, si sint æqualia, se mutuo elidunt: quia habent virtutes movendi dissimiles, quarum una alteri directe non opponitur, adeoque eandem positive non aggreditur, nec enervat; sed quælibet veluti disparata, etiam in conflictu alterius, intellectum movere potest ad prudentem assensum, imperio voluntatis accedente. *ibid. & num.* 130. Motivum, ex quo Lex ponitur, facit actionem præceptam (vel prohibitam) esse in ea virtute, quam præcipiens intendit, sive ea cujus motivo præcipit. *part.* 2. *num.* 267. *& part.* 4. *num.* 121. Quando Lex cesset, vel non cesset, cessante motivo, ex quo lata est? Vid. *Finis Legis*. Graviter distinguendum est inter motivum intrinsecum actus fidei, quod est unice veritas Dei revelantis, & inter rationes extrinsecas impellentes ad actum fidei, quæ sunt authoritas humana Ecclesiæ, vel Parochi, Miracula, Prophetiæ, Sanctitas doctrinæ, Consensus Doctorum, & alia signa credibilitatis; nam actus fidei non esset fidei Divinæ, nec supernaturalis, & infallibiliter certus, si ad eum eliciendum moveret authoritas humana Ecclesiæ, Parochi &c. secus vero, si ea tantum impellat ad credendum ex motivo intrinseco Divinæ veracitatis. *part.* 2. *numer.* 15. De aliis Motivum concernentibus. Vid. *Simonia. Munera*.

Motus.

Motus vitiosi voluntatis primo primi, ex passione concitati, tandiu non sunt peccaminosi, quandiu illos ratio non advertit: evadunt vero peccaminosi, quamprimum illos ratio advertit, & non illico contradicit. *part.* 1. *num.* 385.

Mulier, Vid. *Femina*.

Munera.

Munera alia sunt *improprie*, alia *proprie talia*. Nomine munerum improprie talium veniunt *sportulæ*, & *xenia*. Sportulæ dicuntur, quæ obtinent rationem stipendii pro sustentatione, vel mercedis pro labore in cognitione, & discussione causæ impensis; solentque æqualiter exigi ab utraque parte litigante. Per xenia intelliguntur munuscula leviora, quæ solent offerri in modica quantitate, ac fere consistunt in esculentis, & poculentis, intra paucos dies consumptibilibus. Munera proprie talia appellantur, quæ offeruntur in majori quantitate, & juxta communem æstimationem pretiosa habentur, aptaque ad animum Judicis v. g. inflectendum. *part.* 3. *n.* 674. Vid. *Judex*. Qui dat Judici munera, ut ejus animum corrumpat, & pervertat in ferenda pro se sententia, censetur æquivalenter emere Justitiam (hoc est, Judicis sententiam in sui favorem trahere) & dare pretium æquivalenter; esto expresse nihil paciscatur, neque munera signate, & reflexe intendat dare, aut det tanquam pretium. *part.* 2. *num.* 349. *in confirmat. post* 2. *probat.* Quod saltem intellectum esto de muneribus proprie dictis: prout denotatur. *ibid. numer.* 352. *& part.* 3. *numer.* 675. Siquis Episcopo det munera proprie dicta, ut ab eo Beneficium impetret, & Episcopus illa acceptet, ac Beneficium conferat, tam datio hujusmodi munerum, quam collatio Beneficii eidem correspondens, labem simoniæ continet; idque tam in foro externo, quam interno. *part.* 2. *num.* 349. & 352. Imo siquis Episcopo daret munera etiam improprie dicta, v. g. esculenta, & poculenta, ea intentione illum movendi, ac obligandi ad conferendum Beneficium, in foro conscientiæ, & coram Deo a simonia immunis non foret (sicut nec collator, si inde ad conferendum Beneficium moveretur) quamvis in foro externo non præsumeretur simoniacus. *part.* 2. & *num.* 352. *cit.*

Musica.

Musica non decet in Officio quadragesimali, præsertim cum instrumentis, & si est occasio alicujus scandali. *part.* 3. *num.* 389. *D. XLIII.*

Mutilatio.

Mutilatio non est in eo sita, quod quis vulneret, sanguinem fundat, vel membrum debilitet, ac inutile reddat; sed in eo, quod membrum amputet, vel abscindat. *part.* 3. *num.* 138. Mutilatione duplex damnum inferri posse, videlicet *personale*, seu *naturale*, & *reale*, seu *temporale*: item, an, & pro quo mutilator teneatur restituere? Vid. *Homicida*. Mutilare seipsum, vel alium non licet, nisi sit necessarium ad conservationem totius corporis. *part.* 4. *num.* 176. Vid. *Dominium*.

Mutus.

Esto quis a nativitate sit mutus juxta, ac surdus, præbenda nihilominus eidem est Eucharistia non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali, modo signis, & nutibus manifestet, se hunc cibum spiritualem a profano discernere. *part.* 3. *n.* 50. Mutus ad damnificationem dicitur, qui tacet, dum loqui tenetur ad damnum impediendum, vel reparandum, si jam illatum sit. *part.* 4. *num.* 433. Vid. *Cooperans ad damnum*. *Damnificans*.

Mutuum.

Mutuum est unica quasi sedes usuræ, ita, ut, ubi mutuum, seu expressum, seu tacitum non est, usura locum non habeat. *part.* 4. ante *n.* 743. Mutuum, formaliter sumptum, est *contractus, quo transfertur dominium rei in accipientem, ea lege, ut post aliquod tempus obligetur reddere rem similem in specie, & bonitate*. *part.* 4. *num.* 743. Mutuum vero, objective sumptum, est ipsa res, circa quam celebratur contractus mutuationis. *ibidem*. Licitum est pactum, quo ultra sortem petitur compensatio damni emergentis, & lucri cessantis; uti & pactum, vi cujus mutuatarius adstringitur ad certam pœnam &c. *num.* 758. & 759. Assignatur discrimen inter ejusmodi pacta. *num.* 760. Posito contractu mutui, licite adjicitur pactum solvendi aliquid ultra sortem ratione periculi, cui mutuum exponitur, sive dein tale periculum se teneat ex parte rei mutuatæ, sive ex parte mutuatarii. *num.* 762. & 763. Solvuntur objectiones. *num.* 764. & *seqq.* De natura, honestate, appellatione, & origine Montium Pietatis. Vid. *Montes Pietatis*.

N

Naturalis. Vid. *Illegitimus*.

Naufragium.

Res, ex naufragio ereptæ, restitui debent domino, cujus erant, antequam in talem statum devolutæ erant. *part.* 4. *num.* 461.

Necessarium.

Lex naturalis est necessario lata consequenter, & supposito decreto de creanda creatura rationali, non antecedenter, & absolute. *part.* 1. *num.* 202. Omnis lex debet esse Communitati, & ad bonum Commune necessaria, vel saltem utilis. *ibid. num.* 205. Ut lex vim obligativam actu exerat, & exerceat in subditos, simpliciter, & indispensabiliter necessaria est promulgatio, saltem tanquam conditio. *ibid. num.* 206. Voluntarium necessarium differt a voluntario libero per hoc, quod illud procedat a voluntate ut determinata ad unum; qualiter procedit actus amoris beatifici in patria: istud vero procedat a voluntate ut indifferenti ad utrumlibet; qualiter procedunt, saltem regulariter, & ut plurimum, actus hominum viatorum. *ibid. num.* 572. *ad fin.* Necessarium reperitur in quolibet actu determinato ad unum, esto is sit a principio intrinseco, & quam maxime voluntarius: per quod patet ejus discrimen a violento. *ibid. num.* 588. Necessarium relate ad consecutionem finis, v. g. salutis, vel justificationis, dividitur in *necessarium necessitate medii*, & *necessarium necessitate præcepti tantum*. Prius dicitur, quod ita ad salutem, vel justificationem necessarium est, ut homo, eo sive culpabiliter, sive inculpabiliter non habito, secundum modernam Dei providentiam salvari, aut justificari nequeat. Posterius dicitur, quod ita ad salutem, vel justificationem necessarium est, ut homo, eo inculpabiliter non habito, salvari, aut justificari possit, esto non possit, si illud non habeat culpabiliter. *part.* 2. *n.* 16. Quænam mysteria Fidei sint creditu necessaria necessitate medii, vel præcepti tantum; aut necessitate medii, & præcepti simul? Vid. *Fides*. Qua necessitate sit necessaria restitutio? Vid. *Restitutio*. Qua necessitate necessarius sit Baptismus, & alia Sacramenta? Vid. *propria eorum vocabula*.

Necessitas.

Necessitas (prout denotat inopiam) est triplex, videlicet *extrema*, *gravis*, & *communis*. Extrema est, in qua imminet periculum amittendi vitam, vel membrum aliquod

aliquod principale, vel sensum e. g. oculos, aut sustinendi perpetuum carcerem, perpetuam infirmitatem &c. Gravis est, in qua ex rerum necessariarum defecta non sine notabili molestia vita trahitur: uti contingeret illi, qui e statu commodo delapsus cogeretur solo pane, vel oleribus victitare. Communis est, quando sentitur aliquod incommodum, quod vitam juxta statum patientis aliqualiter miseram, vel molestam reddit: & tali necessitate laborant plerique pauperes triviales, & ostiatim mendicantes. *part.* 4. *n.* 495. An, & quomodo necessitas excuset a restitutione? Vid. *Excusantia a Restitutione*. De quibusnam bonis teneatur quis largiri eleemosynam pauperibus, necessitate extrema, vel gravi, vel etiam communi duntaxat laborantibus. Vid. *Eleemosyna*. Ab obligatione feriandi in die festo excusat (præter alias causas) necessitas; eaque vel publica, vel privata; propria, vel aliena. Titulo necessitatis publicæ excusantur belligerantes, innundantium fluminum repressio &c. quando absque gravi jactura nequit fieri dilatio. Titulo necessitatis privatæ propriæ excusantur ancillæ, & aliæ id genus personæ, quæ die festo vestes reficiunt, non habentes tempus id faciendi diebus non festivis. Titulo necessitatis privatæ alienæ excusantur chirurgi, qui in festis diebus ægris venas secant, scarificant &c. & sartores, quando ad Nuptias v. g. parare debent vestes, quas diebus non festivis perficere nequeunt &c. *part.* 2. *num.* 346. *v. Tertia causa*. In qua necessitate liceat, & in qua non liceat aliquid alieni auferre. Vid. *Furtum*.

Necromantia.

Necromantia est invocatio, vel pactum expressum cum dæmone, quo fit, ut adhibito sanguine ceterisque carminibus avocati mortui videantur resurgere, loqui, docere &c. *part.* 2. *num.* 296.

Negotiatio.

Negotiatio est *contractus, quo comparantur merces eo animo, ut postea carius distrahantur lucri capiendi causa*. *part.* 4. *n.* 810. Dividitur in *propria*, & *improprie dictam*. Prior est, in qua res empta, v. g. vinum, frumentum &c. in se immutata, postea carius venditur quæstus gratia. Posterior est, in qua res empta, postmodum immutata, ac melior effecta, cariori pretio distrahitur; ut si boves v. g. saginentur, & carius vendantur. Utraque hæc negotiatio per se loquendo, & servata latitudine justi pretii, licita est personis laicis: personis vero Ecclesiasticis, & Clericis vetita est negotiatio proprie dicta; non autem improprie dicta, modo exerceatur honesto fine. *ibid*.

Neo-Presbyter.

Si Neo Mystæ, seu Neo-Presbyteri in actu Ordinationis verba consecrationis cum Episcopo proferant, & absolvant eodem instanti, quilibet vere consecrat eandem materiam: si vero contrarium accidat (quod pro possibili cavendum) & unus alios præveniat, formamque citius absolvat, ipse solus consecrat. *part.* 5. *num.* 229. *in respons.* 2. *ad Quæsit*. Si Neo-Presbyter tres Missas, a Reverendissimo Ordinatore impositas (quæ statim post primam Missam, seu Primitias celebratas, primis diebus non impeditis legendæ forent) omitteret, probabilius non peccaret. *part.* 6. *num.* 123.

Nocturnus.

Integer nocturnus cum suis lectionibus censetur pars notabilis respectu Divini Officii; adeoque mortaliter peccat, qui ad D. Officium dicendum obligatus, scienter, & voluntarie talem nocturnum vel uno die omittit, *part.* 3. *num.* 455. Siquis unum nocturnum in recitatione Matutini separet ab alio, etiam sine ulla causa, non peccat, modo post duas, vel tres horas subjungat reliquos duos nocturnos, vel saltem alterum, & tandem, eodem intervallo interjecto, tertium. *ibid. num.* 468. Vid. *Hora Canonica*.

Nomen.

Nomina Beatorum non sunt apponenda Calendariis, nisi, ubi cultus eorum cum Officio, & Missa celebratur. *part.* 5. *num.* 389. *D CCXXVIII*. Recensentur nomina consanguineorum, & affinium. *part.* 6. *num.* 529. & 606. Quando a S. Pœnitentiaria petitur dispensatio super impedimentis Matrimonii, non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed solum ficta, v. g. *Titius*, *Bertha* &c. *cit. part.* 6. *num.* 669. & 671. Exprimuntur autem nomina vera, quando dispensatio petitur a Dataria. *cit. num.* 669. & 677. Licet in Rescripto continente dispensationem, sit positum a Dataria v. g. nomen *Petrus* pro nomine *Paulus*, vel nomen *affinitas* pro nomine *consanguinitas*, vel alius gradus, potest nihilominus dispensatio executioni mandari, si sufficienter constet, aut probetur, omnia in Supplica rite fuisse expressa. *num.* 679.

Notarius.

Notarius (appellatur etiam *Secretarius*, *Tabellio*, *Scriba publicus*, *Actuarius*, *Protocollista*) est, *qui ea, quæ intra, vel extra Judicium dicuntur, & fiunt, authoritate publica annotat, conscribit, atque in Acta, vel in Protocollum* (sic vocatur *Liber Actorum*) *congerit*. *part.* 3. *n.* 699. Porro Notarius paulo aliter, & veluti sub alia habitudine describi potest, quod sit ille, *qui a legitimo Magistratu jus habet conficiendi publica, & authenticam authoritatem obtinentia instrumenta, seu Scripturas*. *part.* 5. *num.* 825. *in respons.* 2. Creari potest a Magistratu tam Civili, quam Ecclesiastico. Quare dum Bullæ Pontificiæ ad faciendam fidem exigunt subscriptionem Notarii publici, sufficit, si subscribat Notarius creatus a Magistratu Civili: cum verba Pontificum sonent generatim, & exigant subscriptionem Notarii publici non determinando qualitatem creationis, sive a quo Magistratu, Ecclesiasticone, an Civili, creatus esse debeat. *ibid*. Ex qua eadem etiam ratione sequitur, non esse necesse, ut Bulla, quæ publicatur pro Urbe v. g. Augustana, subscripta sit a Notario, quem approbarit Magistratus Ecclesiasticus, aut Civilis hujus talis Urbis; sed sufficere, quod sit subscripta a Notario legitime approbato, seu creato a quocunque demum Magistratu. *ibid*. Ad subscriptionem authenticam ejusmodi Indultorum sufficiunt etiam, & Notariorum vices obire possunt *Secretarii* dignitatis Episcopalis, vel alicujus Religionis. Unde cum Socii Reverendorum Patrum Provincialium in diversis Religiosis Ordinibus soleant esse, & vocari *Secretarii*, sufficit hic eorum Chirographum. *ibid*.

Notorium.

Crimen v. g. potest esse dupliciter notorium, nempe 1. *notorietate Juris* & 2. *notorietate facti*. Notorietate Juris notorium dicitur, quod constat vel per sententiam Judicis, vel per confessionem Rei in Judicio, vel per legitimam testium probationem. Notorietate facti notorium dicitur, quod vel publice coram multis gestum est; vel est quidem occulte gestum, ita tamen postea innotuit, ut nulla tergiversatione celari possit. Quod si per sufficientia indicia ita solummodo notum sit, ut non omnem tergiversationem excludat, non *notorium*, sed *famosum* dicitur. *part.* 2. *num.* 638. Porro ut crimen censeatur notorium notorietate facti, vel famæ, plures personæ id scire debent, quarum tamen numerus prudentis arbitrio definiendus est: id quod fieri poterit, si bene perpendatur, an criminis notitia, vel fama eo usque jam diffusa sit, ut spectata humana imbecillitate impossibile (intellige moraliter) sit cohibere, quominus in aliorum respective cohabitantium cognitionem deveniat; vel nondum sic diffusa sit? Si primum, crimen censebitur notorium; secus, si secundum. Unde in parva Communitate, v. g. unius domus, pauciores, in magna plures personæ requiruntur, quæ crimen sciant, ut in tali Communitate dicatur notorium. Judicat proinde Laymann, sufficere regulariter personas octo, si Communitas constet viginti personis; & quindecim, vel viginti, si constet centum; atque ita deinceps. *part. & num. citt. v. dixi* 4. *ad fin.*

Novale.

Novale aliud est *proprie dictum*, & aliud *improprie dictum*. Primum est terra, quæ ab immemoriali tempore sterilis, & inculta jacuit, nunc autem ad culturam redigitur, ut si ex silvis extirpata, vel palude siccata fiat ager. Secundum est, quando in terram ante jam cultam inferuntur alii, seu novi fructus, ut si ex vinea fiat ager, aut vicissim, vel ager prius frumento consitus postea conseratur pisis, rapis &c. *part.* 3. *n.* 491. Cui debeantur decimæ Novalium? Vid. *Decima*.

Novitiatus, Novitius.

Annus Novitiatus (qui, nempe Novitiatus, est via ad Professionem Religiosam) debet transigi integre integritate mathematica, & continue. *part.* 3. *num.* 565. Solvitur objectio. *ibid. num.* 566. Assertum hoc etiam procedit de Religiosis ad aliam Religionem transeuntibus. *num.* 567. Quando annus Novitiatus censeatur interrumpi? *num.* 568. Idem tamen annus non necessario transigendus est in Monasterio, vel Habitu Religioso. *num.* 569. Solvuntur argumenta opposita. *num.* 570. & *seqq.* Quænam requiratur ætas, & sufficiat ad Novitiatum valide ineboandum? *num.* 573. Novitii gaudent privilegiis Professorum. *num.* 574. Non tamen tenentur per se, & directe sub peccato servare Regulam suæ Religionis; neque confiteri determinato Sacerdoti a Superiore assignato. *num.* 575. & 576. Nec tenentur, si ad seculum revertantur, solvere expensas

ordina-

ordinariss, qnas pro ipsis Monasterium fecit in victo, vestitu &c. nisi de illis solvendis inierint cum Monasterio pactum, vel talis vigeat consuetudo. *num.* 577. Quænam notanda sint circa Decretum Tridentini *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 16. Novitiorum de suis rebus dispositionem concernens? *num.* 578. Demetrius Guardianus Vicario suo invalide subdelegat facultatem investiendi Candidatum. *num.* 739. Demophilus, Religionis Novitius, graviter decumbens, potest ante expletum Probationis annum ad Professionem admitti; modo debitam ætatem habeat. *num.* 640. Qui sine vi, & fraude Candidatum retraxit, vel Novitium (aut etiam Professum) extraxit a Religione, ad nullam obligatur restitutionem. *part.* 4. *num.* 563. & 564. Solvuntur objectiones. *ibid. num.* 565. & *seqq.* Contrarium dicendum, siquis in retrahendo, aut extrahendo fuerit usus vi, vel fraude. *ibid. num.* 569. & 570. Negantes sine legitima causa Novitio suffragium ad Professionem, graviter peccant contra Justitiam, & tenentur ad restitutionem. *ibid. num.* 571. Quænam sint causæ sufficientes ad denegandum Novitio suffragium? *num.* 572. Leodagarius licite inducitur, ut ingrediatur Monasterium diversum ab illo, quod prius ingredi decreverat. *ibid. num.* 640. Novitii, ad Habitum Regularem admissi, admittendi sunt ad Professionem etiam in Monasteriis, in quibus ali non possunt (modo alias habiles existant) & postmodum collocandi in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis, ubi commode ali possunt. *part.* 5. *num.* 385. & 386. *in respons. ad Dubium decimum octavum.*

Nundinæ. Vid. *Mercatus.*

Nuntius Apostolicus.

Nuncius, sive Legatus Apostolicus condere potest potestate ordinaria leges pro Provincia suæ Legationis. *part.* 2. *n.* 279. Dispensare non potest cum pauperibus pro contrahendo Matrimonio in gradu tertio, si attingatur secundus. *part.* 6. *n.* 683. *in respons. ad Quæsit.* Ad Nuncium Apostolicum pro impetranda dispensatione super impedimento Matrimonii dirimente, recurrendum est, si casus moram patiatur, & ille specialem facultatem a Pontifice habeat, qualem non habet Episcopus. *cit. part.* 6. *num.* 686. *in respons.* 2. *v. Secunda est.*

Nuptiæ.

De Nuptiarum nomenclatura, uti & de earum, successive ineundarum, liceitate. Vid. *Matrimonium.* De Benedictione Nuptiarum. Vid. *Benedictio.*

O

Obduratio cordis.

OBduratio cordis erga egenos est una ex filiabus avaritiæ, *part.* 1. *n.* 710. Potest esse mortalis, quando præceptum eleemosynæ urget, & tamen ex tali duritia non subvenitur. *part.* 2. *num.* 170.

Obedientia Regularium. Vid. *Regula, Regularis.*

Obedientia Liberorum. Vid. *Liberi.*

Obex.

Omnia Sacramenta præter Sacramentum Pœnitentiæ, valide, sed absque fructu gratiæ, adeoque cum obice, recipi possunt. *part.* 5. *num.* 506. *puncto argum.* 3. Dividitur autem obex in *positivum*, & *negativum*. Positivus (quem etiam *formalem* vocant) est, quando quis in ipsa susceptione Sacramenti mortaliter peccat, peccato scilicet sacrilegii, v. g. quia sciens, & volens accedit ad Sacramentum cum affectu ad peccatum mortale; vel quia scit, se non esse legitime ad dignam Sacramenti receptionem dispositum. Et hic talis obex appellatur *fictio sacrilega.* Negativus (quem etiam *materialem* vocant) est, quando quis indispositus quidem accedit ad Sacramentum, sed tamen hoc invincibiliter ignorat, adeoque non peccat, v. g. nescit quis accedentem ad Baptismum debere esse attritum. Et hic obex non est aliud, quam *inculpabilis carentia attritionis* in casu posito. *part.* 5. *num.* 85. *prope fin. in v. Petes.* Quod bene observandum, & insuper, an post ficte susceptum Baptismum nullum aliud peccatum mortale sit admissum (præsertim si obex negativus tantum fuit) ut resolvi hæc quæstio possit: *Quomodo sit amovendus obex, ut Sacramenta revivisce re possint?* Circa quam Vid. *Reviviscentia Sacramentorum.*

Oblationes.

Oblationes, generaliter, & improprie acceptæ, denotant omne id, quod Deo, vel intuitu Dei offertur Ecclesiis, aut Ministris Ecclesiasticis. *part.* 3. *num.* 499. Specifice, & proprie acceptæ, sunt *dona, quæ fideles intuitu Religionis per se, vel per alios offerunt ad Altare, devotam imaginem &c. in- vel extra Ecclesiam, in cippo, vel ad mensam. ibid.* Per se loquendo nulla fidelibus incumbit obligatio faciendi ejusmodi oblationes: bene vero per accidens, v. g. ex promissione, vel voto; ex indigentia Ecclesiarum, vel Parochorum, aliunde congruam sustentationem non habentium; ex consuetudine, a populo animo se obligandi introducta; ex præscriptione, ut si Parochus longo tempore, puta decennio, illiusmodi oblationes tanquam sibi debitas bona fide exegerit, Parochianis non reclamantibus. *ibid. num.* 500. Omnes oblationes, sive deponantur ad Altare, sive in Ecclesia Parochiali, sive in alia Ecclesia, sive in Capella, sive in alio loco sacro intra limites alicujus Parochiæ sito; de Jure communi pertinent ad Parochum, etsi forte alius ibidem Divina celebret. *ibid.* Attendenda tamen venit vel maxime consuetudo, & intentio offerentium, quæ pluries solet esse alia, & contraria. Hinc si Neo-Mysta celebret Primitias, oblationes ipsi cedunt: si deponantur ad imagines miraculosas, cedunt Ecclesiis, vel Sacellis, ubi ejusmodi imagines consistunt, pro conservanda, vel reparanda fabrica, aut ornatu illarum Ecclesiarum, Sacellorum, vel imaginum: idem erit, si deponantur in cippis, mensis, capsulis in hunc talem finem expositis. *ibid.* Porro oblationes, quæ deponuntur in Ecclesiis Regularium (tametsi nulla habeant jura Parochialia, nec aliquo privilegio speciali, aut præscriptione muniti sint) per privilegium, in Corpore Juris clausum, spectant ad sustentationem eorundem Regularium ibi Deo servientium: nisi constet de alia intentione offerentium, volentium v. g. ut applicentur ad ornatum Ecclesiæ, Sacelli, Altaris, imaginis miraculosæ &c. *ibid.*

Obreptitium, & Subreptitium.

Obreptitia dicitur illa dispensatio v. g. in cujus petitione exprimitur falsitas, qua cognita dispensatio negaretur; subreptitia vero, in cujus petitione reticetur veritas necessario exprimenda. Utraque hæc dispensatio est invalida. *part.* 1. *numer.* 513. Quod tamen intelligendum in stricta, & Theologis, ac Juristis usitata acceptione, nam late loquendo dispensatio *obreptitia* vocari etiam potest, in cujus petitione exprimitur falsitas, qua cognita adhuc dispensaretur, vel saltem dispensari rationabiliter posset, aut etiam deberet; & *subreptitia*, in cujus petitione reticetur veritas, cujus expressio ad illius concessionem impetrandam non est simpliciter necessaria. Atque tali modo accepta, utraque dispensatio valet, si sit obtenta. *ibid.* Tunc autem dispensatio censetur obreptitia ob expressionem falsi, & subreptitia ob suppressionem veri (in sensu nempe stricto, in quo etiam est invalida) quando expressio falsi, aut suppressio veri fuit causa finalis concessæ dispensationis, tametsi petens dispensationem processerit sine dolo, & malitia. *ibid. num.* 512. *in respons.* 1. Quod si petens dispensationem processerit ex dolo, & malitia, dispensatio censetur obreptitia, vel subreptitia, adeoque invalida, etiamsi expressio falsi, vel suppressio veri non fuerit causa finalis concessæ dispensationis, modo pertinuerit ad substantiam rei petitæ. *ibid. in respons.* 2. & *part.* 6. *num.* 670. Causa *finalis* dispensandi est, quæ movet ex toto animo dispensantis, alias non dispensaturi: impulsiva vero, quæ solum movet ad facilius, & promptius dispensandum; adeoque sine ea adhuc dispensaretur, esto non tam facile, ac prompte. *part.* 6. & *n. citt.* item *part.* 1. & *num.* 514. *citt. v. Si petas.* Vid. *Dispensatio in Lege.*

Observantia vana.

Vana Observantia est *superstitio, qua per media inutilia, & a Divina Providentia minime constituta procuratur aliquis affectus, a solo Deo expectandus, & obtinendus. part.* 2. *num.* 304. Illius differentia a Divinatione. *ibid.* Dividitur in tres species, quæ sunt *Ars notoria, Observatio sanitatum*, & *Observatio eventuum*. Ars notoria est, quæ continet quasdam determinatas orationes aut jejunia ad consequendas scientias absque ullo labore, ad modum scientiarum infusarum. Observatio sanitatum est, cum quis ad sanitatem obtinendam, aut observandam, vana, & inutilia media assumit admixta rebus sacris, & orationibus, ab Ecclesia in hunc finem non approbatis. Observatio eventuum est, dum quis ex observatione rerum impertinentium mala, vel bona sibi vel aliis eventura conjicit; ideoque aliquid facit, vel omittit. *num.* 305. Determinatur, quale, ac quantum sit peccatum. *n.* 306. Non illico judicandus est superstitionem committere, qui adhibet aliquam causam ad producendum effectum, de quo dubitat, an possit naturaliter a tali causa procedere? *num.* 307. Secus, si applicet causam ad aliquem effectum, de quo scit, quod non habeat virtutem naturalem illum causandi; dubitat autem, an habeat Divinam, vel diabolicam? *num.* 308. Superstitiosum est, uti virga divinatoria ad explorandos thesauros. *num.* 309. Superstitione non vacat, si quis pondere aliquo ad funiculum inter pollicem, & indicem suspenso exploret numerum horarum, pondere hoc sasi immisso toties pulsante

Oeconomus.

Non raro contingit, ut venditores, a quibus oeconomi, pro suo quisque Domino, aliisque domesticis, ordinarie emere alimenta solent, iis de consueto pretio aliquid remittant. *part. 4. num.* 624. Itaque si venditores de consueto rerum pretio aliquid remittant vere in gratiam oeconomorum, & propter amicitiam, quam habent cum ipsis, possunt hi illud retinere, nec tenentur suis Dominis restituere. *ibid. num.* 625. Communiter tamen restituere tenentur. *num.* 626. Solvuntur objectiones, & fit corollarium pro praxi. *num.* 627. *& seqq.*

Offensus. Vid. *Dilectio inimicorum.*

Officiales.

Officiales Dominorum, juramento obstricti ad deferendos Dominis eos, quos damnificatores bonorum deprehenderint, ut mulctentur, sub mortali peccato obligantur ad deferendum, quando damnum grave illatum est: e diverso non obligantur, ne sub veniali quidem, quando leve, & exiguum duntaxat damnum illatum est. *part. 2. numer.* 495. Ubi tamen quoad secundum membrum excipitur: nisi consuetudo, & frequentia Domino per levia damna grave damnum inferret. *ibid.* Porro Officiales, delationem omittendo, & dissimulando causam præbentes, ut Dominis grave damnum inferatur, istud ex Justitia resarcire tenentur: ad compensandam vero mulctam, quæ imposita fuisset, si damnificatores manifestassent, non obligantur. *ibid.* Officiales Principis, si loco Principis præsint solvendis debitis, non possunt minoris emere chirographa, etiamsi debitum, spectato communi rerum statu, æstimetur difficile acquisitu, & etiamsi alii homines, qui simili Officio non funguntur, licite illiusmodi chirographa minoris emant. *part. 4. n.* 803. *in limitat. respons. 2. & v. Sed quid &c.*

Officium. Vid. *Festum. Hora Canonica.*

Oleum. Vid. *Confirmatio. Extrema Unctio.*

Olla fortuna. Vid. *Loteria.*

Onera.

Onera alia sunt *personalia*, alia *realia*, alia *mixta*. Onera personalia sunt, quæ personis subditis imponuntur sine respectu ad earum bona: hujusmodi sunt census personales, seu *capitiones*, *viatica*, & *telonia* personis imposita &c. *part. 3. n.* 308. Onera realia sunt, quæ ipsis rebus, seu bonis imponuntur sine respectu ad personas ea possidentes, v. g. fundis, agris, domibus &c. atque appellantur *tributa*, & *contributiones ordinariæ*: item *Accisa*; *gabella pecuniaria* &c. *ibid. num.* 316. Onera mixta dicuntur, quæ vel exigunt laborem personalem simul, & sumptus, ut ire ad bellum propriis expensis: vel imponuntur subditis cum respectu ad ipsorum bona, aut reditus annuos, adeoque personis immediate, rebus vero mediate, ut *collectæ*, & *contributiones extraordinariæ &c. ibid.*

Opera, diebus Dominicis, & Festivis præcepta, prohibita, permissa, servilia, forensia, liberalia &c. Vid. *Abstinentia ab operibus servilibus &c.*

Operarius, sive Opifex.

Operarii, sive Opifices (puta sartor, sutor &c.) peccant 1. Si plus materiæ exigant, quam opus perficiendum requirat; vel retineant sine consensu domini partes residuas alicujus momenti. 2. Si jurent, se tali, vel tali tempore, aut die opus absoluturos; cum tamen dubitent, vel etiam certo prævideant, id esse impossibile, vel saltem non futurum. 3. Si absque sufficienti causa necessitatis die festivo laborent, vel laborare jubeant, aut permittant suos famulos &c. *part. 3. n.* 706.

Opera satisfactoria, requisita ad Indulgentias, vel Jubilæum lucrandum. Vid. *Indulgentia. Jubilæum.*

Opinio.

Opinio (seu sententia) vere, & theologice probabilis est *judicium, quod citra certitudinem nititur motivo positive, atque tum absolute, quam comparative gravi. part. 1. num.* 112. Unde fundamenta cujuscunque demum hæreseos insufficientia sunt ad constituendam opinionem vere probabilem. *ibid.* Præterea opinio, quæ adversatur S. Scripturæ, aut traditionibus, aut communi SS. Patrum sensui, aut rationi, aut certitudini de veritate oppositi, non est vere probabilis. *ibid.* Dividitur opinio, superius definita, 1. in *probabilem intrinsece*, & *probabilem extrinsece*. Opinio intrinsece probabilis est, quæ nititur gravi motivo independenter ab authoritate loquentis. Opinio extrinsece probabilis est, quæ pro suo motivo habet authoritatem loquentis. Hæc tamen probabilitas, ut opinionem vere, & theologice probabilem constituat, debet referri ad præcedentem, seu intrinsecam; se sola quippe id præstare nequit. *ibid. num.* 113. Dividitur opinio probabilis 2. in *probabilem speculative*, & *probabilem practice*. Opinio speculative probabilis est, quæ nititur motivo speculative probabili, id est, tali, quod, attenta objecti substantia, & non consideratis circumstantiis, saltem omnibus, vel particulari exercitio operationis, habet apparentiam veri, estque aptum movere (cum formidine tamen de opposito) ad assensum. Opinio practice probabilis est, quæ nititur motivo practice probabili, sive tali, quod hic, & nunc, consideratis omnibus circumstantiis, apparet verum, aptumve movere (itidem cum formidine de opposito) ad assensum. *num. cit.* Dividitur opinio probabilis 3. in *probabilem quoad se*, & *probabilem quoad nos*. Prior est, quæ vere, & a parte rei nititur motivo gravi, licet forte ejus gravitas a nobis cognoscatur. Posterior est, quæ invincibiliter a nobis putatur initi motivo gravi, quamvis reipsa grave non sit. ante. *n.* 116. Dividitur opinio probabilis 4. in *minus*, *æque*, & *magis probabilem*, ac *probabilissimam*. Opinio minus probabilis est, cujus motiva sunt quidem gravia, minus tamen, quam motiva opinionis oppositæ. Opinio æque probabilis est, quæ habet motiva æqualis ponderis cum motivis opinionis oppositæ. Opinio probabilior est, quæ nititur motivis fortioribus, quam opposita. Opinio probabilissima est, cujus motiva intra limites probabilissimi supremum gradum attingunt. ante, & intra *num.* 117. Dividitur opinio probabilis 5. in *tutiorem*, & *minus tutam*. Prior est, quæ partem tutiorem; & posterior, quæ partem minus tutam affirmat esse licitam: vel (quod in idem recidit) illa est, quæ stat pro lege contra libertatem; & ista est, quæ stat pro favore libertatis contra legem. *num.* 118. Opinio probabilior non semper est tutior, nec vicissim. *ibid.* Ceterum ly *tutior* potest sumi dupliciter, nimirum *comparative*, & *adversative*. Si sumatur priore modo, tunc illa pars dicitur tutior, in qua nullum periculum transgressionis, sive formalis, sive materialis, timetur; illa vero minus tuta, in qua quidem timetur periculum transgressionis, sed materialis tantum, adeoque inculpabilis: & sic tutior non opponitur ei, quod est practice periculosum, seu peccatum, sed ei, quod est simpliciter tutum; sic ut comparativus opponitur suo positivo. Si vero ly *tutior* sumatur posteriore modo, seu adversative, tunc illa pars dicitur tutior, in qua nullum timetur periculum peccati, seu formalis transgressionis; illa vero minus tuta, in qua timetur periculum peccati, seu formalis transgressionis: adeoque sic tutius non opponitur ei, quod est simpliciter tutum, aut sicut comparativus suo positivo; sed ei, quod est practice periculosum, seu non tutum; & consequenter ei, quod est formaliter peccatum. *n.* 93. Opinio distinguitur a conscientia: siquidem hæc est opinionis ad operationem in particulari applicatio; adeoque non ipsa opinio. *n.* 115. *& n.* 13. Unde licet operari contra opinionem, etiam propriam, non autem contra conscientiam proprie, & reflexe sumptam. *cit. num.* 115. *&* 179. Opinio probabilissima differt ab opinione moraliter certa: quod certitudo moralis unius opinionis non possit componi cum probabilitate, saltem practica, alterius opinionis oppositæ; bene vero probabilissimus, licet maximus. *n.* 127. Vid. *Conscientia probabilis*. Opinio probabilis potest reddi improbabilis: probabilior minus probabilis, & vicissim &c. *num.* 123. Genera censurarum, quibus Romani Pontifices afficere possunt, & solent opiniones, seu propositiones, dum easdem improbabiles reddunt, sunt sequentia, seu opiniones, ac propositiones notantur, censurantur, & appellantur sequentibus modis. Prima dicitur *Hæretica*, quæ aperte opponitur veritati a Deo revelatæ, & per Ecclesiam definitæ: v. g. *Christus non est Deus*. Secunda vocatur *Erronea*, vel *hæresi proxima*, quæ opponitur vel doctrinæ juxta unanimem SS. PP. Ecclesiæ Doctorum revelatæ, sed nondum per Ecclesiam definitæ; vel Doctrinæ, quæ ex revelatis per discursum a Theologis infertur: v. g. *Christus non est visibilis*. Tertia appellatur *errori proxima*, quæ opponitur Doctrinæ, quam plures, sed non omnes Theologi tenent esse conclusionem Theologicam. Quarta nominatur *Sapiens hæresim*, estque illa, quæ licet aliquando possit habere bonum sensum, tamen ex quibusdam circumstantiis vel asserentis, vel textus præcedentis, aut consequentis, parit suspicionem hæresis: v. g. si Arianus dicat: *Pater major me est*; & Lutheranus: *Fides justificat &c.* Quinta nuncupatur *Sapiens errorem*, quæ scilicet ex circumstantiis loquentis, loci, temporis &c. gravem generat suspicionem erroris. Sexta auditu *Temeraria*, quæ sine solido fundamento impugnat in re gravi communem Theologorum sententiam: v. g. *B. Virgo non est in Cœlo quoad corpus*. Septima, *Scandalosa*, quæ immediate, & de se præbet aliis occasionem ruinæ spiritualis circa doctrinam fidei, & morum: v. g. *ex Sacramentali confessione, ut multis &c. multa sequuntur incommoda*. Octava, *Schismatica*, quæ fideles ab unitate, & pace Ecclesiæ, vel ab obedientia S. Pontificis retrahit: v. g. *Papa, moribus non satis integro, parendum haud est*

Nona

Nona, *Male sonans*, quæ potest quidem sensum habere Catholicum, passim tamen, prout jacet propositio, usurpari solet ab hæreticis, & in sensu hætetico: v. g. *Christus est ubique*, Decima, *Offensiva piarum aurium*, quæ non solum male sonat, sed etiam aliquid indignum in materia Religionis præfert, ex quo animus pietati, & veræ fidei Doctrinæ deditus offenditur. Undecima, *Injuriosa*, *Blasphema*, & *Impia*, quæ Deo, vel Sanctis Hominibus, vel rebus habentibus ad Deum habitudinem, est contumeliosa, ac dehonestativa: v. g. *Magdalena meretrix ora pro nobis*. Duodecima, *Seditiosa*, quæ divisionem inducit in populo: v. g. *Prælato, vel Principi malo non est obediendum*, Decima tertia, *Simplicium seductiva*, quæ, sub specie pietatis, vel prætextu boni errorem tegens, apta est simplicium mentes seducere: quales multæ sunt propositiones *Molinos*, *Quesnelli &c.* Decima quarta, *Insana*, *Fabulosa*, *Mendosa*, quæ nec ratione, nec authoritate, nec aliqua verisimilitudine nititur, Decima quinta, *Antiquata*, quæ olim probabilis, hodie damnata est. Decima sexta, *Apocrypha*, cujus Author incognitus, aut incertus est; vel de qua non constat, an sit Divina, aut Canonica &c.? Decima septima, *Judaica*, *Pagana*, *Athea &c.* quæ cum Judæis, Paganis, &c. sentit, *num.* 124. Vid. *Propositio*,

Opinio temeraria,

Opinio temeraria (prout a doctrinali, de qua superius, distinguitur) est, *quando quis probabiliter judicat malum de proximo, absque indiciis sufficientibus ad opinandum*, *part.* 2. *num.* 626. Unde dignosci possit, quod indicia aliqua sint sufficientia, vel insufficientia ad opinandum? *ibid. num.* 627. Opinio temeraria videtur esse peccatum mortale ex genere suo; licet in particulari, & in praxi, ordinarie quasi, sit veniale tantum, *num.* 628,

Oratio,

Oratio hic, seu prout est actus virtutis Religionis, definitur, quod sit *petitio bonorum decentium, ad Deum, vel aliam propter ipsum, directa*. *part.* 2. *num.* 260. Est formaliter actus voluntatis, *ibid. num.* 261. Est insuper verus actus Religionis, non quidem elicitus, sed imperatus. *num.* 262. Dividitur recte in *Mentalem*, & *Vocalem*; in *Publicam*, & *Privatam*, *num.* 265. Non item in *pure Mentalem*, & *pure Vocalem*. *num.* 266. Neque in *pure Mentalem*, & *Mentalem*, *ac Vocalem simul*. *num.* 267. Ad validam Orationem ex parte orantis duæ præcipue conditiones requiruntur, nempe *Intentio*, & *Attentio*. *num.* 268. Explicatur, qualis utraque esse debeat, *num.* 269. & 270. Exponitur, quænam conditiones sint necessariæ ad fructuosam Orationem. *numer.* 271. Mamertinus satisfacit suæ obligationi, preces ex voto debitas persolvendo, dum mane se vestit, aut lavat; vel dum se vestimentis vespere exuit, & ad stratum componit, *num.* 383.

Oratorium privatum,

Nomine *Oratorii privati* venit Locus aliquis intra privatam domum, & domesticos parietes pro cultu Dei deputatus ex concessione Sedis Apostolicæ, vel Episcopi authoritatem delegatam ad hoc habentis. *part.* 5. *num.* 383. *in respons.* 5. An, quando Missa celebratur in Oratorio privato, ex concessione nimirum S. Pontificis, vel Episcopi, omnes illam audiendo satisfaciant præcepto Ecclesiastico, quo diebus Dominicis, & Festivis ad interessendum Sacro adstringuntur? *ibid.* Inter Oratoria privata non sunt computanda Oratoria erecta in Palatiis Episcoporum, vel Cardinalium; neque Oratoria existentia in Monasteriis, aut Hospitalibus authoritate Ecclesiastica fundatis; eo quod hujusmodi Palatia, Monasteria, & Hospitalia non sint *domus privatæ*, Unde quicunque, sive internei, sive externei sint, audiunt in illis Missam diebus etiam Dominicis, & Festivis, suæ obligationi certo, & æque satisfaciunt, ac si audirent in templo, *ibid.* An Regularibus liceat legere Missas in Oratoriis, & Grangiis, id est, domibus ruralibus ad Monasterium pertinentibus? *ibid. respons.* 2. Licet Episcopus (nisi forte a Sede Apostolica ad id specialiter deputatus sit) non possit (juxta *num.* 370. *in respons. ad argum. post* 2. *except.*) concedere permanenter licentiam celebrandi Missam in Oratorio privato stricte sumpto, & supra delineato; potest nihilominus eam licentiam præfato modo impertiri, quando Oratorium privatum non est stricte tale; ut si extet quidem erectum in privata domo, habeat tamen accessum, & ingressum publicum, sive per viam publicam; nam ratione talis accessus, & ingressus potius sortitur rationem Oratorii publici, quam privati: consequenter &c. *num.* 404. Vid. etiam *Decretum*.

Ordinarius, Vid. *Episcopus*.

Ordo.

Ordo, stricte acceptus, supponit pro certo gradu Clericorum, ad specialia Officia Ecclesiastica consecratorum. *part.* 6. ante *num.* 44. Significatum nomine Ordinis sumi potest *active*, & *passive*. Si sumatur posteriore modo, denotat memoratum gradum, & potestatem, quam Clerici in Sacra Ordinatione acquirunt, maxime circa Sacramentum Eucharistiæ: & in hoc sensu aliquis dicitur habere Ordinem Presbyteratus, Diaconatus &c. Si sumatur priore modo, seu active, denotat ipsam Ordinationem, sive actionem sacram, per quam prædicta potestas Clericis confertur. Atque ita, seu active Ordo intelligendus, & sumendus venit, quoties aliquid de Sacramento, Materia, Forma, Ministro, Subjecto, & Effectibus Ordinis deciditur, *ibid.* Christus Sacramentum Ordinis instituit in ultima Cœna. *cit. part.* 6. *num.* 44. Ordo ut sic, seu in communi definitur, quod sit *Sacramentum novæ Legis, quo confertur peculiaris potestas, proxima, vel remota, ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam*, *ibid. num.* 45. Ordines singuli, seu in particulari sic definiuntur. Ostiariatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi, & claudendi januam Ecclesiæ, ac admittendi dignos, excludendique indignos*. Lectoratus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas legendi Psalmos, & Lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus fidei*. Exorcistatus est *Ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi dæmonia*, Acolythatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni Subdiacono inserviendi accendendo cereos, præparando, & porrigendo illi ampullas vini, & aquæ*, Subdiaconatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, & solemniter canendi Epistolam*, Diaconatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni immediate assistendi Presbytero, & solemniter canendi Evangelium*, Presbyteratus, sive Sacerdotium est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi, absolvendi quoque a peccatis, & pascendi subditos opere, & doctrina*, Episcopatus est *Ordo, quo confertur alicui specialis potestas Confirmandi fideles, & Ordinandi Ministros Sacramentorum* (ly *Ministros* sumendo latius, id est, non solum pro iis, qui Sacramenta conficiunt sed etiam pro iis, qui conficientibus ex officio ministrant) *nec non consecrandi res ad Divinum cultum pertinentes*, *ibid. num.* 46. Prima Tonsura non est verus Ordo. *num.* 48. Solvuntur objectiones. *num.* 49. & *seqq.* Est tamen Ordo, hunc sumendo late. *num.* 54. Dignitatem Sacramenti non assequitur. *num.* 55. Primæ Tonsuræ descriptio, Minister, & Subjectum. *num.* 56. Episcopatus est Ordo proprie dictus, & quidem a simplici Sacerdotio distinctus. *n.* 57. Diluuntur argumenta contraria. *num.* 58. & *seqq.* Qualis sit ea distinctio? *num.* 61. Nihilominus septem duntaxat asserendi sunt Ordines. *num.* 62. Quare aliqui Ordines dicantur *Majores*, & *Sacri*, alii *Minores*, & *non Sacri*? *num.* 63. Omnes, & singuli Ordines Majores sunt proprie dicta Sacramenta, *num.* 64. Idem etiam tenendum de quatuor Ordinibus Minoribus, saltem probabilius. *num.* 65. Diluuntur argumenta opposita, *num.* 66. & *seqq.* Assignatur Materia tam remota, quam proxima cum correspondente Forma, Ordinis in communi, & in particulari. *num.* 69. & 70. Solvuntur opposita, & subjungitur corollarium. *num.* 71. & *seqq.* Clericus Græcus ritu Latino valide; Latinus contra ritu Græco invalide Ordinaretur. *num.* 77. Circa materiam Subdiaconatus tres Quæstiones expediuntur, & circa materiam Diaconatus una. *n.* 78. & 79. Circa materiam Presbyteratus itidem tres Quæstiones expediuntur; circa materiam vero Episcopatus una. *num.* 80. & *seqq.* Omnis, & solus Episcopus, isque legitime consecratus, est ordinarius Minister Ordinis valide conferendi, *num.* 83. Solvitur objectio. *num.* 84. Quis esse possit, vel etiam de facto sit Minister extraordinarius Ordinum conferendorum? *num.* 85. Ut Episcopus sit Minister Ordinis licite conferendi, seu ut licite Ordinet, plures ex parte ipsius conditiones requiruntur: quæ & specificantur, ac explicantur. *num.* 86. Episcopus censetur proprius Ordinandi, & hic illi subjectus tripliciter, nempe ratione *originis*, *domicilii*, & *Beneficii*. *num.* 87. Quis possit concedere dimissoriales? *num.* 88. Assignatur Subjectum Ordinis valide suscipiendi. *num.* 89. Solvuntur opposita. *num.* 90. & *seqq.* Puer etiam ante usum rationis consecrari valide potest in Episcopum. *num.* 93. Femina ne quidem primæ Tonsuræ, etiam valide tantum recipiendæ, capax est. *num.* 94. An valide possit Ordinari Hermaphroditus? *num.* 95. Assignatur etiam Subjectum Ordinis licite recipiendi. *num.* 96. De Titulo Mensæ. *n.* 97. Primus Effectus Ordinis est gratia sanctificans, cum jure ad actuales: secundus, character indelebilis; isque totuplex, quotuplex confertur Ordo: tertius, potestas, seu officium, quod in Ordinatione tradiatur: quartus, sunt obligationes Ordinatorum: quintus, capacitas jurisdictionis Ecclesiasticæ, & Beneficiorum: sextus, geminum Privilegium Clericale. *n.* 98. & *seqq.* Calixtus, in

Presby-

Presbyterum cum contactu tantum morali materiæ traditæ Ordinatus, probabilius est invalide Ordinatus; adeoque sub conditione reordinandus, si de tactu contingentia moralem certitudinem, aut veram probabilitatem habeat; secus si inanem duntaxat anxietatem, vel scrupulum. *num.* 106. Carpophorus, cum inciperet Presbyteratum, immediate post prolationem formæ: *Accipe potestatem &c.* jussus a Magistro Ceremoniarum tangere calicem, & patenam, valide Ordinatus est: quamvis idem Ceremoniarum Magister Carpophorum impediendo, ne præfata instrumenta tangeret, quando Episcopus Ordinans verba formæ actu proferebat, graviter deliquerit. *numer.* 107. Clarus Regularis, & Clarentius Secularis, licite, & valide ab Abbate infulato, & Benedicto &c. prima Tonsura, & Ordinibus Minoribus initiati sunt: modo accesserit specialis licentia, & consensus Reverendissimi Ordinarii, & respectu Clari etiam consensus sui Superioris Regularis. *n.* 108. Castilianus, qui annum vigesimum quintum inchoavit juxta computationem temporis Ecclesiastici tantum, non vero solaris, illicite in Sacerdotem Ordinatur. *numer.* 109. Illicite quoque Sacrum Ordinem suscepit mane, qui ætatem requisitam primum attingit post meridiem, aut paulo post Ordinationem; secus, si ante istam, licet eodem die. *num.* 110. In computatione ætatis, ad licitam Ordinationem requisitæ non est habenda ratio annorum bissextilium. *num.* 111. Ubi etiam exponitur, quare hi anni sic nuncupentur, & qualiter ab annis ordinariis distinguantur.

Ordo Charitatis. Vid. *Charitas erga seipsum, & proximum.*

Ordo Militaris.

Ordinum Militarium Professi, & sola Castitate conjugali obstricti, non sunt Religiosi stricte, & proprie dicti: vere tamen tales sunt Equites Teutonici, Melitenses &c. *part.* 3. *num.* 559.

Ordo Religiosus. Vid. *Religio, sive Religiosus Status.*

Ordo restituendi servandus ex parte tam debitorum, quam creditorum.

Deciditur, quinam debitores primo, quinam secundo, quinam tertio, quinam quarto, & quinam quinto loco restituere teneantur? *part.* 4. *num.* 464. *& seqq.* Superadduntur duæ animadversiones, bene, & semper præ oculis habendæ. *ibid. num* 469 *&* 470. Si debitor habeat bona sufficientia ad solvendum cunctis creditoribus, nullus inter eos servandus est ordo, sive prælatio, sed singulis insolidum, & integre restituendum, quod debetur. secus est, si debitor non habeat media sufficientia ad solvendum omnibus creditoribus &c. *num.* 471. Ponuntur ob oculos a debitore posterioris generis observanda. *num.* 472. Debita realia sine ordine sunt integre restituenda creditoribus, jus reale proprietatis in illa habentibus &c. *num.* 473. Fit hujus conclusionis extensio. *num.* 474. Si debitor sit defunctus, secundo loco ex bonis ipsius solvendæ sunt expensæ funeris. *num.* 475. Tertio loco solvendum est creditoribus, hypothecam, vel privilegium habentibus. *n.* 476. Inter creditores mere personales non est servandus ordo prælationis. *num.* 477. Solvuntur objectiones. *num.* 478. *& seqq.* Dilucidatur, & respective limitatur conclusio. *n.* 481. Kaunotius, Caji, & Titii debitor, ambobus tamen adæquate solvere impotens, non potest licite adæquatam solutionem dare Cajo, prius petenti, jure præventionis: imo & iste solutionem petendo, atque accipiendo peccat. *num.* 547.

Organum.

Organum haberi debet etiam in Ecclesiis Collegiatis. *part.* 5. *num.* 389. *D. CCXXV.*

Originarii. Vid. *Servus.*

Origo. Vid. *Domicilium, Ordo.*

Orphanotrophium.

Parentes, qui prolem ex adulterio (vel alio illicito congressu) progDatam, criminis celandi causa orphanotrophio alendam exponunt, si sint divites, tenentur refundere expensas, ab orphanotrophio in prolis alimentatione factas; secus, si iidem parentes sint pauperes. *part.* 2. *num.* 660.

Osculum.

Oscula, si exerceantur ob delectationem mere sensibilem, & naturalem (qualis oriri potest, dum quis osculatur partes hominis non turpes, nec per se incitativas ad libidinem, puta faciem, manum &c.) culpa vacant, per se loquendo: per accidens tamen culpam venialem, vel etiam mortalem involvere possunt. *part.* 2. *num.* 706. Si vero exerceantur ob delectationem veneream, semper continent mortalem culpam, tametsi sint levia: eamque ejusdem naturæ, cujus sunt actus luxuriæ consummatæ &c. *ibid. num.* 708. *& seqq.* Oscula non libidinosa, quæ fiunt moris patrii, vel civilitatis causa, vel in contestationem honesti amoris, & benevolentiæ, sunt actus liciti, aut etiam positive honesti, quamvis exinde oboriatur delectatio venerea, modo in eandem non consentiatur. *num.* 707.

Ostiarius. Vid. *Ordo.*

Ova. Vid. *Lacticinia.*

P

Pactum.

PActum est *duorum, vel plurium in idem consensus*, videlicet de dando aliquo, vel faciendo. *part.* 4. *n.* 646. Dividitur in *nudum*, seu *simplex*, & *vestitum*, seu *legitimum*. Pactum nudum est, quod solo paciscentium consensu, & naturali æquitate nititur, ita, ut neque proprium nomen certi contractus sortiatur, neque præter conventionem habeat aliam causam, formam, vel solemnitatem, a qua firmitatem accipiat ad efficaciter obligandum in foro externo, aut actionem in eo producendam: parit proinde solum obligationem naturalem, & in foro conscientiæ stringentem. Pactum vestitum est, quod ultra simplicem conventionem partium transit in proprium nomen certi contractus, v. g. emptionis venditionis, locationis conductionis &c. vel certo aliud adminiculum habet, ratione cujus in foro externo efficacem obligationem, & actionem parit: ut si accedat juramentum, stipulatio, aut privilegium Juris. *part. & numer. cit.* Pactum (vel Contractum) *juramento vestiri*, & *juramento firmari*, sunt duo diversa, neque invicem confundenda. Nam pactum *juramento vestiri* nihil aliud est, quam pacto ratione appositi juramenti actionem producere, esto pactum ipsum in linea, & ratione pacti non valeat. At pactum *juramento firmari*, est pactum alias irritum, vel infirmum vi adjecti juramenti ita convalescere, ut non tantum vi juramenti, sed etiam vi pacti, & in linea pacti valeat, atque actionem producat. *cit. part.* 4. *num.* 678. Vid. *Contractus. Mutuum. Sponsalia. Matrimonium.*

Pedagogorum obligatio. Vid. *Magister.*

Paganismus. Paganus.

De quidditate Paganismi, Vid. *Infidelitas*. Recensentur, qui communi nomine Pagani censentur. *part.* 2. *numer.* 66. Non licet Principibus Christianis in sua territoria recipere Paganos, eorumque ritus permittere, per se loquendo. *ibid. num.* 67. Quænam communicatio cum Paganis sit illicita, & quænam licita Christianis? *num.* 68. Irenæus non peccat, seclulo perversionis periculo, frequentando Turcarum ædes, in ibi comedendo, bibendo, contractus ineundo; imo nec peccat, saltem graviter, curiositatis gratia adeundo aliquoties illorum templa. *num.* 90.

Palia. Vid. *Paramenta.*

Palmarum benedictio.

Palmarum, olearum &c. benedictio, absente Episcopo, fit ab eo, qui Missam est cantaturus, quam benedictionem canere debet, qui detecto capite illas distribuit, nisi jus habeat gestandi Mitram. *part.* 5. *num* 389. *D. CLXX.* usque ad *D. CLXXIV.* Pro solemni Palmarum benedictione Evangelium canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat, absque Diacono, & Subdiacono. *ibid. D. CCCV.*

Palpo.

Palpo, seu *Palpator*, relate ad damnificationem dicitur, qui vel laudando iniquum, seu injustum factum, vel exprobrando ignaviam non audientis illud committere, incitat aliquem ad executionem operis, seu ad damnum executive inferendum. *part.* 4. *num.* 433. Vid. *Cooperans ad damnum. Damnificans.*

Papa.

Papa potest, ac solet quandoque improbabiles reddere opiniones, seu propositiones, quæ in Scholis antea docebantur ut probabiles, illas declarando *Hæreticas, Erroneas, Temerarias &c. part.* 1. *numer.* 123. *&* 124. Obtinet potestatem ordinariam ferendi Leges Ecclesiasticas respectu omnium Christianorum, cujuscunque gradus, vel conditionis existant. *ibid. num.* 278. Et hæc

Paramenta.

Parentes.

ſitate parentum, Religionem ingreſſus, & profeſſus ſit, tenetur egredi ad egentibus ſuccurrendum, quando aliter ſuccurri nequit. *cit. part.* 3. *numer.* 586. Si vero parentes primom poſt Profeſſionem filii in gravem neceſſitatem, vel egeſtatem incidant, filius non tenetur, imo nec poteſt egredi, repugnante Prælato. *ibid. v. Sed quid ſi parentes.* Teſtamentum, in quo parentes, pater nempe, & mater, vel alii aſcendentes lineæ rectæ inſtituunt liberos, vel nepotes (vocatur *teſtamentum inter liberos factum a parentibus*) valet pro utroque foro, etſi communibus Juris Civilis ſolemnitatibus careat: modo habeat ea, quæ ad ipſum in Jure ſpecialiter requiruntur. *part.* 4. *num.* 723. *in reſponſ.* 2. Legitima parentum (& aliorum aſcendentium) eſt ſemper triens; qui tamen inter ipſos, & fratres germanos, ſiquos habuit defunctus, dividi debet. *cit. part.* 4. *num.* 733. *in reſponſ.* 3. Parentes non tenentur omnia bona liberis relinquere. *ibid. num.* 730. Poſſunt iſtos ex juſta cauſa privare hæreditate. *num.* 736. *in reſponſ.* 2. Non licet parentibus catholicis ſuas proles baptizandas mittere ad miniſtros acatholicos, dum a magiſtratu acatholico ad id faciendum ſub gravi pœna adiguntur. *part.* 5. *n.* 133. Quid parentibus tali caſu agendum? *ibid. num.* 134. Parentes prohibentur exercere munus patrini reſpectu propriæ prolis. *num.* 160. Parentum conſenſus non eſt neceſſarius, ut liberi valide ineant Sponſalia. *part.* 6. *num.* 167. Imo nec ad licite ineunda Sponſalia, per ſe loquendo, modo a liberis prævie conſulantur. *ibid. num.* 170 Non valet Matrimonium a parentibus contractum pro liberis, etſi præſentibus, & tacentibus, niſi hi illos ad id delegaverint, ac conſtituerint. *n.* 330. Oppoſitum reſpective ſentiendum de liberorum Sponſalibus modo immediate ſato per parentes contractis. *num.* 149. *in limitat. reſponſ.* & *num.* 331.

Parochus. Parochiani.

Parochus tenetur celebrare Miſſam per ſe, vel per alium Sacerdotem illis diebus, quibus Parochiani tenentur audire Miſſam; non item aliis. *part.* 5. *num.* 344. Parochus, ſi tanta ſit multitudo populi, ut totus ſimul uni Miſſæ intereſſe non queat, obligatur ad conducendum alium Sacerdotem (vel Sacerdotes) ei dando juſtum ſtipendium, juxta vires, & proportionem Beneficii ab Ordinario taxandum, qui & ipſe Miſſam legat, quam reliqui Parochiani audire, atque ita obligationi ſuæ ſatisfacere valeant. *ibid. num.* 345. Valentinus, in quodam Germaniæ Oppido Parochus, non tenetur pro ſuis Parochianis Sacrificium Miſſæ ſæpius applicare, quam aliquoties per annum. *num.* 378. Parochus poteſt ex legitima cauſa cum ſuis Parochianis diſpenſare ſuper obſervatione dictum feſtorum *part.* 2. *numer.* 546. *ad fin.* Vid. *Diſpenſatio in Obſervatione Feſtorum.* Poteſt cum iiſdem Parochianis diſpenſare etiam ſuper jejunio: quod tamen intelligendum venit de caſibus, & perſonis particularibus, adeo, ut diſpenſare poſſit cum omnibus quidem Parochianis ſuis, ſed per unum, alterumve diem v. g. dum emergit cauſa diſpenſandi: vel per integram quidem Quadrageſimam; at cum hac duntaxat, vel illa perſona particulari &c. *part.* 3. *num.* 19. Vid. *Diſpenſatio ſuper Jejunio.* Quando Parochi tempore Paſchali expetunt a ſuis Parochianis ſchedas Confeſſionis tunc peractæ, id faciunt non per ſe, quaſi tempore Paſchali determinate obliget præceptum Eccleſiaſticum Confeſſionis; ſed per accidens, quia nempe tunc urget præceptum Communionis, cujus dignæ perceptioni, quando non deeſt copia Confeſſarii, præmittenda eſt Confeſſio Sacramentalis &c. *cit. part.* 3. *num.* 34. Parochi ſuis Parochianis prohibere non poſſunt, ne, etiam Paſchali tempore, confiteantur Religioſis Mendicantibus: bene vero, ne apud ipſos (vel in aliena Parochia) Communionem Paſchalem ſumant. *num.* 41. & 52. Parochus probabilius abſolvere poteſt a cenſura Juris non reſervata, ſi cenſuratum poſſit abſolvere a peccato, cui illa eſt annexa. *n.* 123. Eſto poteſtate ferendi cenſuram careat. *num.* 88. 125. & 143. Mortaliter delinquit, & excommunicatione majori feritur Parochus, qui excommunicatum non toleratum ſepelit in loco ſacro. *num.* 177. Parochus pollet poteſtate ordinaria ſolemniter baptizandi ſuos Parochianos; eamque pro libitu delegare valet alteri Sacerdoti, non item Diacono extra caſum extremæ, vel gravis ſaltem neceſſitatis. *part.* 5. *n.* 122. & 145. Tenetur, regulariter loquendo, adminiſtrare Baptiſmum in Eccleſia Parochiali, non in privatis domibus. *cit. part.* 5. *numer.* 131. Parochus gravem gerit obligationem curandi, ut obſtetrices in puncto miniſtrandi Baptiſmum bene inſtructæ conſtituantur. *ibid. num.* 132. *in reſponſ.* 1. Vid. *Obſtetrix.* Quando offertur Parocho infans baptizandus, interrogare debet, an fuerit domi baptizatus? Si affirmetur, ſolicite percontetur ab eo, vel ab ea, quæ baptizavit, qua materia, qua forma, & qua intentione baptizaverit? &c. *cit. num.* 132. *in reſponſ.* 2. Quando infans in caſu neceſſitatis baptizandus eſt domi ſive a Parocho, ſive ab alio, non debent adhiberi omnes ſolemnitates, quæ adhibentur ex præſcripto extra caſum neceſſitatis in Eccleſia; ſed ſatis eſt, ſi adhibeantur materia apta, forma neceſſaria, & debita intentio. Poſtea, ſi puer ſupervivat, deferendus eſt in Eccleſiam, & omnes ſolemnitates, etiam quoad exorciſmos, & catechiſmum, ſupplendæ. *eod. n.* 132. *in reſponſ.* 3. Parochus tenetur præparatum habere librum, in quo annotet nomina, & cognomina baptizatorum, eorumque parentes, & patrinos; diem præterea nativitatis, & collati Baptiſmatis. *ibidem in reſponſ.* 4. Vid. *Liber Baptiſmalis.* Ordinarie non decet, mulieribus parturientibus adeſſe Parochos (vel Sacerdotes) in ordine ad baptizandam prolem, idque propter pudorem; ſed roganda eſt obſtetrix, ut ipſa baptizet. Quod ſi tamen nec obſtetrix, nec alia mulier perita, præſto ſit, aut haberi poſſit, & periculum in mora ſit, tenebitur Parochus (vel alius Sacerdos) pro ſalute infantis pudorem viriliter exuere, & officium ſuum facere. *n.* 138. *v. Tertium.* Parochus non debet rebaptizare infantem quem vel unicus teſtis, nulla probabili ſuſpicione mendacii laborans, affirmat eſſe baptizatum: dummodo non adſint indicia, vel conjecturæ in contrarium; aut alius teſtis non minoris fidei neget eſſe baptizatum. *num.* 144. An rebaptizare debeat infantes, ab obſtetricibus baptizatos? Vid *Obſtetrix.* Item an expoſitos, aut ab hæreticis baptizatos? Vid. *Baptiſmus.* Parochi in publico templo pro miniſtrando Euchariſtiæ Sacramento tenentur 1. ſemper aſſervare hoſtias conſecratas, idque cum lumine. 2. Sæpius, & ſingulis fere ſeptimanis antiquas hoſtias conſecratas ſumere, & novas conſecrare, ne contingat ſpecies Euchariſticas corrumpi: uti & renovare Ciborium ob eandemmet rationem. De modo renovandi Ciborium, Vid. *Purificatio Ciborii.* 3. Cum periculo vitæ ſuis Parochianis, peſte, aliove morbo contagioſo laborantibus, Euchariſtiam miniſtrare. *num.* 286. Parochus tenetur, extra tempus peſtis, ſub mortali ſuis ſubditis infirmis adminiſtrare Sacramentum Extremæ Unctionis, ſaltem quando infirmi, vel alii eorum nomine petunt: non item tempore peſtis, regulariter, & per ſe loquendo. *part.* 6. *n.* 21. & 31. *in reſponſ. ad argum.* Vid. *Extrema Unctio.* Parochus, aſſiſtens Matrimonio, non eſt Miniſter hujus Sacramenti. *ibid. num.* 320. Neque peccat, ſaltem mortaliter, ſi, in ſtatu diſgratiæ conſtitutus, aſſiſtat, aut benedicat Nuptias. *n.* 325. Parochus, Matrimonio aſſiſtens, debet eſſe proprius contrahentium (vel ſaltem alterutrius ex contrahentibus) & quidem ratione domicilii (vel quaſi domicilii) habitationis, & non originis tantum. *num.* 405. Si contrahentes habeant duplex domicilium habitationis, vel in uno loco domicilium, & in altero quaſi domicilium, copulari poſſunt a Parocho hujus, vel illius domicilii, aut quaſi domicilii reſpective, quem eligere maluerint. *n.* 410. Parochus, tametſi non ſit Sacerdos, valide, & licite Matrimonio aſſiſtere poteſt: alius tamen, qui cum licentia Parochi aſſiſtit, Sacerdos ſit, oportet. *num.* 411. Matrimonio ſui Parochiani valide aſſiſtit intra fines alienæ Parochiæ, non autem licite, niſi accedat licentia Parochi ibidem. *n.* 414. Matrimonio vagorum aſſiſtere & poteſt, & debet Parochus loci, in quo id genus homines tranſeuntes exiſtunt. *num.* 425. Parochus loci, ut Matrimonio vagorum licite aſſiſtat, prius inſtituere debet ſedulam inquiſitionem de eorum ſtatu, & habilitate ad contrahendum Matrimonium, ac inſuper impetrare ab Ordinario Diœceſano licentiam aſſiſtendi. Imo P. Engel, & alii plures docent, a vagis exigendum eſſe juramentum, quod alio Matrimonio ligati non ſint, neque impedimento quopiam Canonico laborent. *numer.* 426. Quiſnam ſit Parochus competens militum in ordine ad ſolemnizandum Matrimonium eorum? *num.* 427. Proprius Parochus utriuſque contrahentis (vel alius ex commiſſione ipſius) regulariter facere debet denunciationes Sponſorum ante contractum Matrimonialem ter, tribus diebus feſtivis continuis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia &c. *num.* 431. Unde ſi Sponſi pertineant ad duas diverſas Parochias, in ambabus, ſeu ab ambarum Parochis denuntiandi ſunt, per ſe loquendo. *ibid. v. Dicitur* 3. Vid. *Matrimonium.*

Participans.

Participans, relate ad damnificationem, dicitur non ſolum ille, qui præciſe participat de furto, quin ejus ſit cauſa, aut inducens (qua ratione ſolum tenetur ad reſtitutionem illius partis, quæ ipſi ex furto obtigit) ſed etiam, & præſertim ille, qui eſt cauſa totius iniquæ actionis; ut præbendo executori inſtrumentum, vel auxilium ad totum damnum inferendum. *part.* 4. *num.* 433. Vid. *Cooperans ad damnum. Damnificans.*

Parvitas materiæ.

In illis peccatis non datur parvitas materiæ, per quæ immediate, & directe imputatur Deo imperfectio, aut defectus perfectionis; vel quorum materia, niſi in omni

nasu esset gravis, genus humanum ad peccandum maxime alliceret cum maximo damno ejusdem; vel quorum malitia in quacunque materia æqualiter præjudicat fini a lege sub gravi culpa intento; vel per quæ læditur bonum aliquod finitum magnum, consistens in indivisibili. *part.* 1. *num.* 693. *in respons.* 2. *ad Quæsit.* Ex primo capite non datur parvitas materiæ in *infidelitate, desperatione, in odio Dei, in formali contemptu Dei, in perjuria assertorio &c.* Ex secundo capite in *peccato luxuriæ*, seu re venerea extra Matrimonium, ita, ut non tantum copula, aut quæcunque voluntaria seminis effusio, sed etiam minima delectatio libidinosa, plene deliberate quæsita, vel acceptata, sit peccatum mortale. Ex tertio capite *in violatione jejunii naturalis ante sumptionem Eucharistiæ*; & *in fractione Sigilli Sacramentalis*. Ex quarto capite in *homicidio*, & *mutilatione*. *ibid.* Datur contra parvitas materiæ in aliis peccatis, in quibus nullum ex quatuor regulæ supra statutæ membris, seu capitibus reperitur: ut 1. *In violatione juramenti promissorii, & veri.* 2. *In sacrilegio* tam *reali* (saltem aliquando) quam *locali*. 3. *In odio proximi* non tantum abominationis, sed etiam inimicitiæ. 4. In furto, detractio, contumelia, vulneratione proximi, & aliis peccatis contra Justitiam, exceptis homicidio, & mutilatione, ut supra, *part. & num. cit. in respons.* 2.

Pascens. Vid. *Lignans in silva.*

Paschalis Communio. Vid. *Communionis Præceptum.*

Pasquillus.

Pasquillus, ab Hæreticis impressus, quamvis varios hominum, & rerum status concernat, & nonnunquam amare perstringat, secluso perversionis periculo, licite legi potest, dummodo non tangat ex professo fidem Catholicam, aut Pontificem qua talem. *part.* 2. *num.* 96. Non læditur per pasquillum fama alterius, saltem effective, eo præcipue, quod pasquillis nulla soleat adhiberi fides. *ibid. in respons. ad argum.* Læditur vero per libellum famosum. Vid. *Libellus famosus.*

Passio.

Non solum Cruces, & Imagines Salvatoris, sed etiam Icones Altarium, & omnes aliæ Imagines Sanctorum tegendæ sunt in primis Vesperis de Dominica Passionis. *part.* 5. *num.* 389. *D. CCXL.* Passio in hebdomada majori in Missis privatis legenda est in cornu Evangelii, licet in Missa solemni legatur a celebrante in cornu Epistolæ. *ibid. D. CCXXXIX.*

Pastor. Vid. *Parochus.*

Patena pro Sacrificio. Vid. *Calix.*

Pater

Pater adulter (idem cogita de patre non adultero, & legitimo relate ad suam prolem) per se loquendo, alere debet prolem, ex adulterio prognatam (saltem postquam hæc triennium attigit) donec seipsam alere possit. *part.* 2. *num.* 658. Casu quo certum quidem est prolem esse ex patre adultero, incertum tamen, quinam ex duobus, vel pluribus, quibuscum adultera conversabatur, sit verus pater illius? (eadem quæstio moveri potest de duobus, vel pluribus, dum incertum est, quinam sit pater prolis, ex quocunque alio concubitu prognatæ?) Si de uno constet, quod cum tali femina rem habuerit, quia vel confessus, vel convictus de eo est; ceteri autem negent, nec contra ipsos militent graves præsumptiones; ille solus tenetur prolem alere. Si vero gravia adsint indicia & præsumptiones, quod alii quoque congressi sint cum eadem femina, huic deferendum est juramentum, quo se purget a suspicione coitus cum alio, vel aliis exerciti, certumque infantis patrem prodat, antequam illi soli totum onus alimentationis imponatur. *cit. part.* 2. *n.* 659. *in respons.* 1. Si de duobus, vel pluribus constet, quod commercium carnale habuerint cum femina prolem enixa, attendendum est 1. Respectu cujus coincidat tempus partus? ubi creditur juramento feminæ. 2. Cui correspondeat physiognomia prolis? 3. An non intercedat impedimentum dirimens inter stupratam, & unum corrivalem, non vero alterum? & tunc onus alimentationis imponendum est non habenti impedimentum; cum in dubio proles sit habenda potius pro naturali, quam spuria. *ibid. in respons.* 2. Si nec ex prædictis circumstantiis, nec aliunde colligi possit, sed incertum maneat, quinam ex duobus, vel pluribus sit determinate pater, quilibet adulterorum tenetur pro rata concurrere ad alendam prolem. *ibid. in respons.* 3. Pater testator, salva semel singulis liberis *Legitima*, potest uni eorum majorem portionem relinquere, quam aliis; imo totam substantiam reliquam. *part.* 4. *num.* 732. Vid. *Legitima*. Pater ingratum filium (vel filiam) potest exhæredare. *cit. part.* 4. *num.* 736. Vid. *Exhæredatio*. Pater respectu propriæ prolis non potest licite obire munus patrini; potest autem valide. *part.* 5. *num.* 159. & 160. Vid. *Parentes.*

Paternitas.

Paternitas est unus ex impedimentis dirimentibus Matrimonium, & species cognationis legalis: intercedit que inter adoptantem, & filium, vel filiam adoptatam, ac adoptati liberos, & descendentes. *part.* 6. *num.* 558. Est impedimentum perpetuum, & semper durat, etiam sublata adoptione. *ibid. num* 559. Vid. *Impedimenta Matrimonii* Vid. *Per Cognationem Legalem.*

Patientia.

Patientia est *virtus inclinans ad moderandam tristitiam, ex malo ab altero nobis illato ortam.* *part.* 1. *num.* 715.

Patria potestas. Vid. *Filiusfamilias.*

Patrimonium.

Patrimonium, ut acceptetur pro titulo Ordinationis consistere debet in bonis Ordinandi actu possessis, certis, immobilibus, liberis, fructiferis, firmis, & congruam sustentationem suppeditantibus *part.* 6. *num.* 97. Quare filius Ordinari non potest ad titulum hæreditatis paternæ, patre vivente; cum nondum vere, & reipsa patrimonium habeat, sed tantum in spe, & fictione Juris. *ibid.* &c.

Patrinus.

Patrinus, in Baptismo adhibitus, est quasi spiritualis Pater, seu Nutritius, ac Pædagogus hominis baptizati, utpote quem, dum eum e sacro fonte levavit, suam in curam suscepit, tanquam filium spiritualem, in rebus fidei, & doctrinæ Christianæ, si necesse fuerit, instruendum. *part.* 5. *num.* 153. In Baptismo solemni adhibendus est Patrinus; idque necessario necessitate præcepti graviter obligantis, non autem necessario necessitate Sacramenti: sed unus tantum, vel una; aut ad summum unus, & una: adeoque debent esse diversi sexus. *num.* 155. Obligationes Patrini. *n.* 158. Quinam possint, vel non possint munus Patrini obire. *num.* 159 & 160. Catholicus, si requiritur, & justa subsit causa, licite potest agere Patrinum prolis acatholicæ &c. *num.* 161. Munus agendi Patrinum etiam fratri, vel sorori potest deferri. *n.* 162. Religiosus, ad Episcopatum evectus, licite Patrinum agit etiam de Jure communi. *n.* 163. Quinesius Episcopus potuit sustinere simul munus baptizantis, & per substitutum e sacro fonte levantis, seu Patrini. *num.* 188. Gravis quoque est obligatio adhibendi Patrinum in Confirmatione, per se loquendo. *num* 222. Obligatio tamen, quam Patrinus contrahit, non est gravis. *num.* 223. Unus tantum, vel una esse debet: distinctus autem a Patrino Baptismi. *num.* 224. & *num.* 225. Rupertus, nondum confirmatus, munus Patrini in Confirmatione ne quidem valide obire potest. *num.* 235. Vid. *Impedimenta Matrimonii v. Per Cognationem spiritualem.*

Patronus.

In Patronos eligi non possunt, nisi qui ab universali Ecclesia sub titulo Sanctorum, & non beatificatorum tantum, coluntur. *part.* 5 *num.* 389. *D. CCIII.* Electio de Patrono Civitatis, vel Loci fieri debet per secreta suffragia a populo mediante Concilio generali illius Civitatis, vel Loci; non autem ab Officialibus solum, & accedere debet consensus Episcopi, vel Cleri illius Loci. *ibid. D. CCIV.* Idem servandum in Patrono Regni, qui pariter eligendus erit per secreta suffragia a populo singularum Civitatum Provinciæ. *D. CCV.* Repræsentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competit facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Civitatum. *D. CCVI.* Causæ electionis novorum Patronorum deducendæ sunt in Sacra Congregatione, & ab eadem examinandæ, ac approbandæ. *D. CCVII.* Si in Locis Diœcesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Diœcesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam. *D. CCVIII.* In Patronorum præcedentia servandus est ordo Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & inter Ordinem Hierarchicum anterioritas in electione. *D. CCIX.* Patroni non sunt inserendi in Litaniis sine speciali concessione. *D. CCX.* Festum de Patrono principaliori Loci est præceptivum cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus. *D. CCXXII* Vid. *Festum.*

Patronus Beneficii.

Patronus Beneficii secundum SS. Canones est, & dicitur, qui obtinet juspatronatus, sive potestatem nominandi, ac præsentandi Clericum instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum. *part.* 3. *num.* 444. *in respons.* 1. Talea

1. Tales Patroni esse possunt non solum Personæ Ecclesiasticæ, sed etiam Laicæ utriusque sexus: imo etiam Hæretici in nostris partibus, quamvis in foro Ecclesiastico ceteroquin non tolerentur, tamen vi consuetudinis per conniventiam Papæ præsentare valent. *ibid. in respons.* 2. Patronus Beneficii præsentato tribuit jus ad rem, seu ad Beneficium: jus in re vero tribuitur per institutionem, ac concessionem Beneficii. *cit. part. 3. num.* 406. Patronus Ecclesiasticus præsentare ad Beneficium debet intra sex menses, a die cognitæ vacationis computandos. Patronus vero Laicus intra quatuor menses: idque non obstante, quod Patroni ob controversiam super jure præsentandi, intra dictum tempus non finitam, habuerint impedimentum. *ibidem num.* 414. *in respons.* 3. Quod si intra allegatum tempus non præsentent Patroni, vel, quando plures sunt, non conspirent, Beneficium pro illa vice fit liberæ collationis, ab Episcopo, vel alio, cujus fuisset instituere præsentatum, faciendæ: nisi Patroni probaverint impedimentum, v. g. absentiæ, ignorantiæ &c. vel nisi jus instituendi obtinens gratuito admittat præsentationem post lapsum temporis. *num. & respons. citt.* Patronus, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, peccat, si præsentet minus dignum, posthabito digniore; imo invalide agit, si indignum præsentat. *numer.* 420. & 422. Pariter agit invalide, si præsentet ad Beneficium nondum vacans. *num.* 412. *in respons.* 3. Vid. *Collatio*, & *Collator Beneficii*, *Institutio in Beneficio*. *Jus Patronatus*,

Pauper, Paupertas.

Pauperes ostiatim mendicantes, omnesque alii, qui, licet non mendicent, tamen habere, aut sibi comparare tantum cibi non possunt, quantum ad justam aliquam refectionem sufficeret, excusantur a jejunio, ita, ut non teneantur esse contenti una refectione. *part. 3. num.* 13. Quando pauperibus non suppetunt cibi esuriales ad congruam naturæ sustentationem necessarii, possunt etiam comedere carnes. *cit. part. 3. num.* 18. Hinc, saltem in Germania, toleratur, ut post finita Bacchanalia carnium reliquiæ pauperibus absumendæ præbeantur. *ibid.* Ad pendendas decimas obligantur quoque pauperes, qui communi tantum necessitate laborant, ita, ut solutis etiam decimis, se, suosque adhuc utcunque alere possint: imo & qui laborant gravi necessitate, aut ad eam ex præstatione decimarum se reducendos prævident; secus est de pauperibus, qui laborant, aut datis decimis laboraturi essent, extrema necessitate. *part. 3. n.* 493. Vid *Necessitas*. Quando dicitur, quod Clerici bona beneficialia teneantur erogare in pauperes, nomine *pauperum* non solum veniunt illi, qui sunt *simpliciter tales*, id est, qui non habent necessaria ad conservationem vitæ, sed etiam *secundum quid* tales, id est, qui non habent sufficientia pro conservando statu, quales non raro sunt personæ illustres, & nobiles. *part. 4. num.* 203. & 205. Unde Clericus ex reditibus superfluis potest. 1. solvere debita suorum consanguineorum v. g. quando hi non sunt solvendo. 2. Iisdem succurrere, ut juxta decentiam sui status vivere possint, quod non possent ob paupertatem, qua laborant. 3. Dotare puellas, ut secundum decentiam sui status nubere queant. *ibidem num.* 206. Pauper in ordine ad dispensationem Matrimonialem censetur, qui ultra sustentationem, statui suo convenientem, non habet, unde compositionem, & jura Officialium Curiæ Romanæ solvat. *part. 6. num.* 687. *in respons.* 2. Vid. *Dispensatio super Impedimentis Matrimonii*. Item: *Miserabilis*. De Paupertate Religiosa, Vid. *Regula*, *Regularis*. *Religiosus*.

Peccator publicus.

Peccatori publico (id est, notorio notorietate Juris, vel facti) neganda est Communio, sive is eandem petat publice, sive occulte. *part. 5. numer.* 257. *in corollar.* 2.

Peccatum.

Peccatum (ut alias ejus acceptiones omittam) accipitur pro exercitio libertatis contra regulam obligantem ad honeste operandum. *part. 1. numer.* 648. Atque ita acceptum est quid commune ad peccatum *Philosophicum*, & *Theologicum*. Peccatum Philosophicum est *exercitium libertatis contra dictamen naturæ rationalis qua talis, præscindendo, an etiam sit contra legem Dei*. Peccatum Theologicum est *exercitium libertatis contra legem Dei*: sive (ut insistamus definitioni, quam tradit S. Augustinus) est *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*. *ibid. cit. num.* 648. & 649. Solvuntur apposita. *n.* 650. & 651. Recensentur nomina, quæ peccato Theologico propter diversos respectus, & connotationes tribui solent. *num.* 652. Dividitur peccatum Theologicum 1. in *originale*, & *personale*. Originale est, quod per generationem trahimus ab Adamo. Personale est, quod propria voluntate committimus. Personale 2. Subdividitur in *actuale*, & *habituale*. Actuale est actus malus (vel omissio) regulis morum dissentaneus. Habituale est malitia a peccato actuali transacto in anima peccatoris relicta. 3. In *mortale*, & *veniale*. Mortale dicitur, & est, quod animam peccatoris vita spirituali, id est, habitu gratiæ sanctificantis, & charitatis privat, ac pœnæ æternæ reum constituit. Veniale est, quod in anima peccatoris fervorem charitatis solum diminuit, eamque pœnæ duntaxat temporali obnoxiam reddit. 4. In peccatum *commissionis*, & *omissionis*. Peccatum commissionis est actus positivus, præcepto negativo, v. g. *non mœchaberis*, *non furtum facies &c.* contrarius. Peccatum omissionis est non positio actus, præcepto affirmativo, e. g. *diliges proximum, sicut teipsum, audies die festo Missam &c.* adversa. 5. In peccatum *carnale*, & *spirituale*. Carnale est, quod consistit in concupiscentia, & inordinata delectatione externa; ut gula, & luxuria. Spirituale est, quod perficitur, ac consistit in concupiscentia, seu inordinata delectatione interna, licet ejus objectum possit esse aliquid externum, corporeum, & materiale; ut superbia, invidia, avaritia &c. 6. In peccatum *cordis*, *oris*, & *operis*. Primum est, quod ex sua natura consummatur in corde, seu anima, ut hæresis, odium &c. Secundum est, quod perficitur ore, seu lingua; ut detractio, blasphemia &c. Tertium est, quod consummatur opere, seu facto externo; ut furtum, homicidium &c. 7. In peccatum *contra Deum*, *proximum*, & *seipsum* (subintellige *specialiter*; nam generaliter omne peccatum est contra Deum, & ipsummet peccantem) Peccatum contra Deum appellatur, quod adversatur alicui virtuti, qua recte disponimur in ordine ad Deum per nostras actiones attingendum: talia peccata sunt hæresis, desperatio, blasphemia, perjurium, & alia, quæ virtutibus Theologicis, & Religioni opponuntur. Peccatum contra proximum nuncupatur, quod adversatur alicui virtuti, qua recte disponimur erga proximum; cujusmodi sunt homicidium, furtum, detractio &c. quæ opponuntur virtuti Justitiæ. Peccatum contra seipsum, seu nosipsos nominatur, quod adversatur alicui virtuti, per quam in moderatione nostrarum passionum recte disponimur erga nosipsos: qualia sunt peccata luxuriæ, gulæ, timiditatis &c. quæ opponuntur Castitati, Temperantiæ, Fortitudini &c. 8. In peccatum *ex infirmitate*, *ex ignorantia*, & *ex malitia*. Primum est, quod originem trahit ex vehementi passione, & tentatione appetitus sensitivi; ut si ex vehementi motu iræ aliquem percutias, infames &c. Secundum est, quod ex ignorantia vincibili, sive Juris, sive facti, proficiscitur: ut si legas librum hæreticum, cujus lectionem culpabiliter nescis esse prohibitam, vel eundem esse librum hæreticum. Tertium est, quod citra interventum alicujus passionis, aut ignorantiæ, ex sola malitiosa voluntatis determinatione perpetratur: ut siquis nulla ignorantia, aut passione inductus, ex mera voluntatis perversitate sese inebriet, alteri detrahat &c. Quod proinde peccatum non est ex malitia voluntatis *communiter* tantum (sic enim quodlibet peccatum dici potest peccatum ex malitia) sed *specialiter* &c. 9 In peccatum *ex consuetudine*, & *ex contemptu*. Peccatum ex consuetudine dicitur, & est, ad quod committendum inclinat habitus ex frequentatis actibus peccaminosis contractus; cujus generis peccata sæpenumero sunt blasphemiæ, perjuria, pollutiones &c. Vid. *Consuetudo*. Peccatum ex contemptu dicitur, quando quis e. g. legem transgreditur formali, & directa intentione illi, ejusve Conditori qua tali non obediendi: ut siquis ideo jejunium violet, quia præceptum est; vel quia a summo in terris Legislatore impositum est, alias non violaturus. Vid. *Contemptus*. 10. In *capitale*, & *non capitale*. Capitale dicitur, quod est radix, & veluti *caput* multorum aliorum peccatorum: qualia sunt septem inferius nominatim recensenda. Non capitale dicitur, quod non est ita radix aliorum peccatorum; cujusmodi reputantur peccata reliqua præter illa septem. 11. In *proprium*, & *alienum*. Primum est actus (vel omissio) ipsius peccantis. Alterum est quidem actus alterius suppositi; nobis tamen imputatur ratione consilii, mandati &c. Unde hæc divisio melius sic formaretur: peccatum aliud est *proprium tantum*, & aliud *alienum*, *ac proprium simul*: quia peccatum, quod ab alio committitur, & idcirco relate ad nos *alienum* dicitur, consilio, mandato &c. etiam nostrum, seu nobis *proprium* efficimus. *cit. part. 1. num.* 653. Unde colligi possit distinctio specifica peccatorum? Vid. *Distinctio specifica peccatorum*. Unde colligi possit distinctio numerica peccatorum. Vid. *Distinctio numerica peccatorum*. Quid, & quotuplex sit peccatum mortale? *num.* 682. Quid, & quotuplex veniale? *num.* 683. Quænam sint inter utrunque differentiæ? *num.* 684. Unde utrunque dignosci possit? *num.* 685. Quænam ad peccatum mortale requirantur? *num.* 686. Sæpe fit veniale ob imperfectionem actus, *numer.* 687. Solvuntur duæ objectiones,

Per

Permissio.

Permissio quidem non raro idem sonat, ac *concessio*, in rigore tamen latius patet: siquidem non omne, quod est permissum, etiam concessum censetur, ut patet in meretricibus ad evitanda majora mala permissis, quæ tamen concessæ dici non possunt. *part.* 1. *num.* 301. Peccat, qui peccatum proximi, quod impedire posset, permittit, ut is peccet, vel in peccato deprehensus puniri possit: non autem, si peccatum proximi permittat, ut hic in eo deprehensus efficacius emendetur, vel ut permittens seipsum servet indemnem. *part.* 2. *num.* 246. Vid. *Standalum.*

Permixtio.

Permixtio, sive *Commixtio*, fit, quando corpora solida, & quæ etiam post mixturam a se invicem discreta manent, suamque singula speciem retinent, inter se miscentur: ut frumentum, & frumentum &c. *part.* 4. *num.* 67. Quidnam operetur permixtio, præsertim circa pecunias? *ibid. num.* 68. Gangulphus pecuniam furtivam pro equo a se vendito, uti & per modum honorarii acceptam, cum sua indiscernibiliter bona fide permiscendo, efficitur utriusque dominus; nec priorem, bene vero posteriorem restituere obligatur. *num.* 152.

Permutatio.

Permutatio est *contractus, quo certa res in specie* (id est, in individuo) *datur pro alia certa re in specie. part.* 4. *num.* 808. Differentia permutationis ab *emptione-venditione*, ac *mutuo. ibid.*

Permutatio Beneficii, sive Beneficiorum.

Permutatio Beneficii est *cessio unius Beneficii pro alio:* sive est *contractus realis, quo Beneficium aliquod datur ea lege, ut vicissim detur aliud Beneficium. part.* 3. *numer.* 443. ut licite fiat, requiritur justa causa. Justæ autem causæ sunt *insalubritas aeris, aversio populi, imperitia linguæ* &c. Et propter has, & alias id genus causas, si bonum publicum spectent, Episcopus Beneficiatis permutationem concedere, & imperare valet, sed cum præjudicio, quantum fieri potest, minimo innocentis, permutare jussi. Ut etiam valide fiat permutatio, requisitur 1. Ut permutantes habeant jus in re, seu in Beneficiis, vel saltem jus ad rem, seu ad Beneficia. 2. Si Beneficia sint patronata, vel electiva, requiritur consensus habentium jus præsentandi, vel eligendi. 3. Requiritur authoritas, & consensus legitimi Superioris, ad quem spectat institutio, vel collatio. Imo si permutantes sine authoritate legitimi Superioris procederent, non solum agerent nulliter, sed insuper committerent Simoniam Juris Ecclesiastici, & incurrerent excommunicationem. *ibid.* Quod si Superior resignationes permutantium acceptarit, non est ipsi integrum Beneficia resignata conferre aliis, quam permutantibus. *ibid.*

Perplexus.

Siquis sit simpliciter perplexus circa duo objecta, quorum utrumque videtur ipsi peccaminosum, & alterutrum necessario eligendum est, non peccabit, qualecunque elegerit, nisi forte unum videatur magis peccaminosum, ac alterum. *part.* 1. *num.* 57. Si unum videatur perplexo magis peccaminosum, ac alterum, tenetur, ne peccet, eligere minus peccaminosum præ magis peccaminoso, juxta regulam. *Inter duo mala minus est eligendum, ibid. & num.* 91.

Persona, in Ecclesiastica dignitate constituta.

Nomine *Persona in Ecclesiastica dignitate constituta* (cujus Sigilli appressionem, præter publici Notarii subscriptionem, exigunt Bullæ Pontificiæ) intelligitur illa, quæ habet spiritualem Præeminentiam cum jurisdictione in foro externo conjunctam: uti sunt Abbates, Priores (*Conventuales*, non vero *Claustrales*) Guardiani, Rectores &c. *part.* 5. *num.* 825.

Pertinacia.

Pertinacia (quæ accensetur filiabus superbiæ) est, quando quis nimis tenaciter adhæret propriæ sententiæ. *part.* 1. *num.* 704. *v. Dixi.* Est peccatum veniale de se, & nisi sit causa præceptum aliquod graviter violandi, aut proximo graviter nocendi. *cit. num.* 704. In quo consistat pertinacia, quali laborant hæretici *formales*? Vid. *Hæresis. Hæretici.*

Pestiferi.

Pestiferis Parochianis præbenda est a Parocho Eucharistia, licet is incurrat idcirco periculum vitæ *part.* 5. *numer.* 286. *in observand.* 3. Secus pronunciandum de Sacramento Extremæ Unctionis: ad hoc quippe pestiferis administrandum etiam in Parocho nulla extat obligatio regulariter, & per se loquendo, seu extra casum, quo peste infectus aliis Sacramentis muniri non posset, & crederetur versari in statu disgratiæ. *part.* 6. *num.* 21. *in respons.* 3.

Petens aliquid.

Petere a proximo aliquid, quod is sine peccato præstare non potest, licet præstare paratus sit, peccatum scandali est: nullum vero peccatum est, petere aliquid ab altero, quod is absque peccato præstare potest, etsi cum peccato præstiturus prævideatur; dummodo non petatur citra rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis. *part.* 2. *num.* 249. Hinc non peccas, si ex rationabili causa petas mutuum ab usurario, quod prævideas ab eo non concedendum sine usuria: licite petis a malefico sublationem maleficii, quod iis per medium licitum tollere potest, etiamsi per illicitum sublaturus prævideatur. *ibid. & num.* 320.

Pharmacopola.

Pharmacopola, seu *Pharmacopæus*, peccat 1. Si medicamenta sine sufficienti peritia, aut sedulitate conficiat. Peccat 2. Si in potionibus immisceat mel loco saccari. Peccat 3. Si contra præscriptum Medici scienter præbeat unum Medicamentum pro alio, præsertim quando inde imminet ægro periculum damni. Peccat 4. Si subministret pharmaca ordinata ad non pariendum, vel ad fœtum expellendum. Peccat 5. Si vendat pharmaca inutilia &c. *part.* 3. *num.* 702.

Pia causa. Vid. *Usus pius.*

Pignus. Vid. *Hypotheca.*

Pileolus.

Pileolo in celebratione Missæ sine licentia Papæ uti non licet. *part.* 5. *num.* 389. *D. CLXIX.* Qui assistit in Choro Missæ Conventuali, non potest portare pileolum per totum Canonem: in aliis vero Divinis Officiis uti potest. *ibid. D. LV.*

Pingere.

Pingere probabilius est opus servile: consequenter illicitum die festo. *part.* 2. *num.* 541. Redditur disparitas, quare scriptura sit opus liberale, & die festo licitum; pictura vero opus servile, & die festo illicitum. *part. & num. cit. in respons. ad argum.* Nihilominus opposita sententia, docens, pingere esse opus liberale, & die festo licitum, vere probabilis, atque secure in praxim deducibilis est; ut proinde matronæ, & domicellæ nobiles non sint reprehendendæ, quæ diebus festis pingere acu solent sive ad declinandum otium, sive ob aliam causam non malam: dummodo Divina non negligant. *ibid. v. Nihilominus.* Limitant tamen etiam hujus sententiæ Patroni doctrinam suam, solumque volunt, pingere esse opus liberale, & licitum die festo, si actio pingendi spectetur secundum se; secus, si spectetur, sive sumatur cum magno apparatu, qualis consistit in contritione, & mixtione colorum: in edolatione tabularum; præparatione telarum &c. Hæc enim, & similia etiam per ipsos sunt opera servilia, & idcirco ante diem festum anticipanda, aut post illum differenda. Pariter sunt opera servilia, tingere pannos: colorare asseres; dealbare parietes. *ibid. v. Limitant.* Mortaliter peccant pingentes, vel exponentes imagines valde obscœnas. *cit. part.* 2. *num.* 242.

Piscatio. Piscator.

Piscari (*venari, aucupari*) est opus servile. *part.* 2. *num.* 542. Hodie tamen præmemoratæ actiones cohonestantur, & festis quoque diebus (nisi forte scandalum obstet) licite exercentur, ex consuetudine, scientibus, & tolerantibus Ecclesiæ Prælatis introducta: dummodo non sint conjunctæ cum magno apparatu, & strepitu. *part. & num. cit.* Gerimundus peccavit, & quidem graviter, dum cepit quantitatem notabilem piscium in stagno minore, ubi & exire nequeunt, & aqua dimissa facile capi possunt, teneturque ad restitutionem faciendam domino stagni. *part.* 4. *num.* 149. De aliis huc pertinentibus, Vid. *Venatio, Venator.*

Pluviale.

Regulares, obtenta a Locorum Ordinariis licentia oretenus, vel in scriptis faciendi solemnes Processiones extra limites Conventuum suæ Religionis cum Statua, aut

Reliquia alicuius Sancti, possunt uti Pluviali, licet ejus usus non fuerit expressus in licentia obtenta. *part.* 5. *num.* 389. *D. CCCVIII.* Usus Pluvialis in Processionibus solemnibus non est testimonium, nec signum jurisdictionis in utente Sacerdote. *ibid. D. CCCIX.*

Pœna.

Pœnæ 1. aliæ sunt *spirituales*, aliæ *temporales*. Spirituales sunt, quas reus in bonis, ac juribus spiritualibus; & temporales, quas in bonis, ac juribus temporalibus subit. *part.* 1. *numer.* 346. 2. Aliæ pœnæ sunt *positiva*, aliæ *privativa*, aliæ *negativa*. Positivas appellamus, quæ externo facto, Rei afflictiva, perficiuntur; uti sunt fustigatio, mutilatio &c. Privativas vocamus, per quas reus privatur bonis, vel juribus jam habitis, quales sunt confiscatio bonorum, privatio beneficii &c. Negativas dicimus, quibus impeditur acquisitio bonorum, aut jurium, vel mera inhabilitas inducitur. *ibid.* 3. Pœnæ quandoque sunt *latæ*, quandoque *ferendæ sententiæ*. Illæ ipso facto, & criminis admissione incurruntur absque ulteriori Judicis sententia saltem condemnatoria: istæ vero sunt tantum condemnatoriæ; nec incurruntur ipso facto, sed primum post Judicis sententiam condemnatoriam. Ad dignoscendum autem, sitne pœna latæ, vel ferendæ sententiæ, attendi debet, quibus verbis fuerit usus Legislator; nam si apposuerit *ipso facto*, vel *Jure*, aut similes particulas, vel excluserit actionem, & sententiam Judicis, erit pœna latæ sententiæ, ferendæ vero, quando usus est terminis, inflictionem pœnæ ut ponendam de futuro significantibus; vel etiam dubiis. *ibid.* Vid. *Lex* 4. Alia est pœna *vindicativa*, alia *medicinalis*. Prior est, quæ primario statuta est, vel statuitur ex motivo vindicandi delictum. Posterior est, quæ primario statuta est, aut statuitur ex motivo præservandi a delicto. Fluit ex dictis. *part.* 5. *num.* 686. 5. Alia est pœna *Ecclesiastica*, quæ a Superiore, aut Jure Ecclesiastico; & alia *Civilis*, quæ a Superiore, aut Jure Civili proficiscitur. *part.* 1. *n.* 277. *v. Dixi.* Pœnæ vindicativæ, & civiles delictis proportionatæ (secus est de pœnis improportionatis, & exorbitantibus) incurruntur etiam ab invincibiliter ignorantibus, eas esse annexas delictis, modo non ignorent ipsa delicta. *part. & numer. cit.* E diverso pœnæ medicinales, vere, & ex ratione sua primaria tales, cujusmodi sunt censuræ Ecclesiasticæ, non incurruntur saltem ab invincibiliter ignorantibus; secus rursum est de pœnis medicinalibus, non vere, seu ex ratione tantum secundaria talibus; uti sunt irregularitas ex delicto, impedimentum criminis etc. *ibid.* Item *part.* 3. *n.* 311. *in respons.* 2. *part.* 5. *num.* 687. *part.* 6. *num.* 482. & 648.

Pœnitens. Vid. *Examen conscientiæ.* Item *Attritio. Contritio. Propositum requisitum ad Confessionem. Confessio. Confessionis Præceptum. Satisfactio, imponitur a Confessario.*

Pœnitentia.

Pœnitentia non solum est Sacramentum, sed etiam virtus (nempe moralis) animæ: atque hæ duæ rationes in nova Lege adeo sunt conjunctæ, ut nec virtus prodesse valeat sine Sacramento, vel ordine ad Sacramentum, nec Sacramentum sine virtute consistere. *part.* 5. *ante num.* 449. Vid. *Attritio. Contritio. Propositum requisitum ad Confessionem. Confessio. Pœnitentia Sacramentum.*

Pœnitentia Sacramentalis. Vid. *Satisfactio, quæ imponitur a Confessario.*

Pœnitentia Sacramentum.

Sacramentum Pœnitentiæ est *Sacramentum novæ Legis, ad remittenda hominum peccata, post susceptum Baptismum commissa, in forma judicii institutum. part.* 5. *num.* 449. Fuit a Christo primum post suam Resurrectionem institutum: quamvis ejusdem institutio jam antea fuerit insinuata. *ibidem num.* 450. & 451. Cur post Resurrectionem fuerit institutum? *n.* 452. Peccata personalia certa, post Baptismum commissa, si sint mortalia, & clavibus necdum subjecta, existunt materia remota necessaria Sacramenti Pœnitentiæ: uti & peccatum fictionis. *num.* 453. & 454. Peccata vero venialia certa existunt materia libera; attamen sufficiens. *num.* 455. Etiamsi jam sit remissa. *num.* 456. Idem est de mortalibus remissis. *ibid.* Exponitur status hujus quæstionis, an peccata mortalia dubia, clavibus nunquam subjecta, sint materia remota necessaria Sacramenti Pœnitentiæ? *n.* 457. Nec peccata mortalia positive, nec negative dubia sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, quando dubium est bilaterale, & versatur circa ipsum factum principale: ubi etiam solvuntur objectiones. *num.* 458. & *seqq.* Si peccata mortalia sint dubia dubio positivo unilaterali, tenemur illa confiteri; secus, si sint dubia dubio negativo, quamvis unilaterali *num.* 466. Similiter confiteri tenemur peccata mortalia, sive positive, sive negative dubia, quando dubitatur non de ipso facto principali, sed solum de aliquo accessorio ad illud. *n.* 467. Quid præterea notandum sit circa confessionem, & absolutionem a peccatis dubiis? *n.* 468. Tenemur confiteri circumstantias, peccati speciem mortaliter mutantes, non vero circumstantias, malitiam peccati intra eandem speciem aggravantes, vel diminuentes. *num.* 470. & 471. Diluuntur argumenta opposita. *num.* 472. & *seqq.* Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nempe contritio (ad quam pertinet emendationis propositum) confessio, & satisfactio in voto: qui proinde actus non sunt tantum conditiones ad formam absolutionis essentialiter præsuppositæ, sed veræ partes (sive pars) cum forma absolutionis intrinsece, & essentialiter constituentes compositum Sacramentale Pœnitentiæ. *num.* 477. Solvuntur argumenta contraria. *num.* 478. & *seqq.* Forma Sacramenti Pœnitentiæ sunt hæc verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ex his sola verba: *Absolvo te*: sunt essentialia. *num.* 481. & 482. Præmemorata verba ex institutione humana faciunt istum sensum: *Ego, quantum est ex me, judicialiter libero te a peccatis tuis*: ex institutione vero Divina istum: *Ego hac judiciali sententia, quantum est ex me, confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum a te commissorum*, nempe post Baptismum. *num.* 483. Refelluntur fundamenta contraria. *num.* 484. & *seqq.* Verba absolutionis Sacramentalis sunt proferenda authoritative. *num.* 487. VVendelina, confitens distractiones involuntarias, & meras imperfectiones, non affert materiam sufficientem pro absolutione. *num.* 488. VVendelinus, peccatum dubium ut dubium confessus, non tenetur illud denuo confiteri, si postea cognoverit esse certo patratum. *num.* 489. Quid sentiendum de dolore VVenceslaæ, mera venialia confessæ, dum Confessario asserit, se dolere, quod non doleat; vel se dolere, quod per antefata peccata cœlum perdiderit, & infernum meruerit? *num.* 490. VVenceslaus Confessarius haud peccat, breviorem in absolutionibus adhibendo formulam: v. g. *Ego te absolvo a censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.* *num.* 491. Minister Sacramenti Pœnitentiæ est Confessarius, seu Sacerdos, approbatione, & jurisdictione ad audiendas Confessiones munitus. Vid. *Confessarius. Approbatio Confessarii. Jurisdictio Confessarii.* Sacramentum Pœnitentiæ nunquam potest esse validum, & informe, *num.* 306. De aliis hoc Sacramentum præterea concernentibus, Vid. *Examen Conscientiæ. Attritio. Contritio. Propositum requisitum ad Confessionem. Confessio. Confessionis Præceptum. Absolutio a peccatis. Satisfactio, quæ imponitur a Confessario. Sigillum Confessionis &c.*

Politicus.

Politicus non satisfacit præcepto Charitatis erga proximum, si hunc solummodo amet externe, vel ex motivo ipsi, aliisve placendi. *part.* 2. *num.* 251. Quando Politici hujus seculi simul ambulaturi jurant, se non ituros ad dexteram, vel domum intraturi, se primo loco non intraturos; victi tamen politia ad dexteram eunt, vel primi intrant: aspicienda est intentio sic jurantium, an scilicet intenderint vere jurare, nec ne? Si intenderint vere jurare, interrogandi sunt ulterius, an non saltem implicite, & virtualiter subaudierint hanc conditionem: *quantum in me est, non ibo ad dexteram: domum non intrabo primus, nisi vincar comitate, aut voluntate tua*: id quod plerumque contingit. Hoc tali modo jurantes peccant quidem venialiter, quatenus in faciendo juramento vane, ac sine judicio formulam jurandi usurpant: non autem peccant contra juramentum factum, si alterius importunitate, comitate, aut voluntate victi eant ad dexteram, aut domum intrent primi: quia tunc suæ promissioni juratoriæ non contraveniunt. Si vero juraverint absolute (quod tamen raro fit) nullam ejusmodi conditionem quoquo modo subaudientes, peccant venialiter non solum jurando (ob rationem proxime insinuatam) sed etiam id, quod jurato spoponderunt, non observando; cum juramentum promissorium in re levi transgrediantur. Quod si denique non intenderint vere jurare, haud peccant agendo contra juramentum, quippe invalidum; esto peccaverint circa juramentum, istud emittendo ob finem vanum &c. *cit. part.* 2. *num.* 493.

Pollutio.

Pollutio (sive *Mollities*) est *voluntaria humani seminis effusio absque omni concubitu*: estque intrinsece mala, & mortaliter peccaminosa. *part.* 2. *num.* 684. Pollutio, Sodomia, & Bestialitas differunt specie, *ibid.* 685. Pollutiones tamen, inter se invicem comparatæ, sunt ejusdem speciei, si sortiantur veram rationem pollutionis, & non diversificentur ratione sexus personarum, aut ratione circumstantiarum peccati speciem mutantium. *n.* 686. Quid observandum circa pollutionem nocturnam? *num.* 687. Non tenetur quis, dum evigilat, pollu-

pollutionem in somno ceptam reprimere, & residuam seminis effluxionem impedire, modo cohibeat omnem complacentiam, & consensum in delectationem. *num.* 688. Peccat tamen mortaliter, qui pollutionem involuntarie ceptam promovet ultimas reliquias protrudendo. *num.* 689. Quandonam pollutio in causa ad peccatum imputetur? *n.* 690. Quænam remedia sint præscribenda hominibus, in pollutione vitio habituatis? *n.* 691. Mortaliter peccat, qui procurat notabilem commotionem spirituum generationi servientium, vel distillationem in magna quantitate, cum simili commotione. *num.* 692. Ceterum distillatio est fluxus humoris cujusdam medii inter urinam, & verum semen, gerentis cum isto similitudinem in colore, & viscositate, non tamen ita mordacis, ac crassi. Effluit hic humor aliquando in magna quantitate, & cum magna commotione carnis, ac spirituum; aliquando in modica quantitate, & sine magna commotione carnis, ac spirituum. Hoc posteriori modo si humor effluat, & distillatio contingat, curandum non est &c. *ibid.* Sargentinus, homo solutus, se polluendo cum affectu ad feminam solutam, commisit duo peccata specie distincta, nempe effectivæ pollutionis, & effectivæ fornicationis; non autem tria: siquidem pollutio, secundum se spectata, unam duntaxat malitiam involvit, graviorem tamen, ac fornicatio. *num.* 720. Idem Sargentinus tentando copulam cum femina mortua, & statua feminæ commisit reipsa peccatum pollutionis, supposito, quod semen effuderit. *ibid.* Idem peragendo pollutionem inter ubera puellæ, & in ore adolescentis, similiter commisit reipsa peccatum pollutionis; per malitiam tamen copulæ affectivæ qualificatum. *ibid.*

Polygamia. Vid. *Matrimonium.*

Pontifex. Vid. *Papa.*

Possessio, ad Præscriptionem necessaria.

Possessio alia est *impropria*, alia *propria*. Impropria est *detentio rei animo quidem eandem habendi, non tamen ut suam*. Et hæc de se prodesse ad præscriptionem non potest. Propria, quæ servit, & respective requiritur ad præscriptionem, est *detentio rei animo eandem habendi ut suam. part.* 4. *num.* 130. Possessio propria subdividitur in *civilem*, & *naturalem*. Civilis est *detentio rei animo eandem habendi ut suam, cum opinione dominii*. Naturalis est *detentio rei animo eam habendi ut suam, seclusa opinione dominii. ibid. num.* 131. Deciditur, qualis requiratur possessio ad præscriptionem positivam. *n.* 132 & 133. Quid requiratur ad possessionem civilem inchoandam, & quid ad continuandam? *num.* 134. Non potest eadem res a duobus præscribi insolidum. *num.* 135. Ad præscriptionem privativam non requiritur possessio, imo in ea est impossibilis. *num.* 136. Solvitur objectio, & ponitur corollarium. *n.* 137. & 138.

Possessor.

Possessor bonæ fidei dicitur, qui detinet rem, quam invincibiliter putat esse suam, vel saltem non alienam (licet forte sit aliena) aut possessionem non reprobari a Jure. *part.* 4. *num.* 351. *Possessor malæ fidei* dicitur, qui detinet rem, quam scit, vel putat esse alienam (licet forte non sit aliena, sed ipsius) aut possessionem reprobari a Jure. *ibid. num.* 399. *Possessor dubiæ fidei* dicitur, qui detinet rem, de qua dubitat, num sit sua, aut aliena; vel num ejus possessio sit reprobata a Jure, nec ne? *num.* 417. Vid. *Restitutio.*

Potus.

Potus alius est de se inebriare, & rationem fomentis perturbare aptus; alius non. Prioris generis sunt vinum, cerevisia, aliique id genus liquores. Posterioris generis sunt aqua, kaffe, thee &c. *part.* 2. *num.* 727. *in explic. conclus.* Qui excedit in potu inebriare valente, peccat contra virtutem Sobrietatis graviter, vel leviter juxta quantitatem excessus: qui vero excedit in potu inebriare non valente, ut in potu aquæ v. g. ob voluptatem, quam percipit ex refrigerio, aut ejus dulcedine, si saccaro condita sit, peccat contra virtutem Abstinentiæ de se, & genere suo venialiter tantum. *ibid.* Vid. *Ebrietas.* Nullus potus vere talis, sive sit, non sit inebriare aptus, frangit jejunium; esto, si in illo excedatur, peccetur contra Temperantiam &c. *part.* 3. *num.* 21. *in respons. ad* 1. *membrum Casus.* Videri etiam potest, quod habetur *part.* 2. *num.* 728.

Prabenda. Vid. *Beneficium.*

Præceptum.

Præceptum solet quidem non raro confundi cum Lege; revera tamen ab ea differt quadruplici præcipue modo. Nam 1. Lex ferri nequit nisi a Superiore jurisdictionem sublimem habente; præceptum vero imponi potest a quocunque Superiore. 2. Lex præscribitur Communitati, ejusque bonum necessario respicit; præceptum vero præscribi potest personis singularibus, & in privatum earum bonum ordinari. 3. Lex immediate afficit locum, seu territorium Legislatoris; præceptum contra, secundum se spectatum, & ut præcise præceptum est, adhæret personis ipsis. 4. Lex ex se est stabilis, & perpetua, neque expirat per mortem Legislatoris; præceptum autem *communiter* extinguitur per mortem præcipientis. *Communiter*, inquam: non enim extinguitur 1. Si concernat causas pias, ut siquis præceperit eleemosynas dari. 2. Si cedat in favorem dotis Matrimonialis, aut alicujus Scholastici. 3. Si injunxerit aliquid post mortem injungentis executioni mandandum. 4. Si res non amplius sit integra, id est, si executio præcepti jam sit inchoata: quod habet locum in Judiciis, & extenditur ad donationes, & promulgationes nomine alterius faciendas. 5. Quando res quidem adhuc est integra, executio tamen certæ cujusdam gratiæ in alicujus favorem mandatario imposita est, & non relicta ipsius arbitrio. Habentur hæc *part.* 2. *num.* 107. Præceptum, quatenus est illativum censuræ, proficiscitur a potestate jurisdictionis; & consequenter non tenet, quando, ut tale, ab Episcopo v. g. protenditur ultra propriam Diœcesim, etsi feratur pro proprio Diœcesano. *part.* 3. *n.* 103. *in respons.* 2. *v. Ratio secunda partis.* Dum ergo dicitur, quod præceptum præsertim speciale, respiciat personam subditi secundum se, & independenter a loco, id intelligendum venit de præcepto simpliciter prolato, quod egreditur a potestate dominationis; non autem de præcepto illativo censuræ, quod egreditur (& quidem necessario) a potestate jurisdictionis. *ibid. in argument. & respons. ad illud.*

Præfatio in Missa.

In Missa Feriæ quartæ quatuor Temporum, occurrentis in die Octava Nativitatis B. Virginis Mariæ, dicenda est Præfatio communis, non vero de B. Maria. *part.* 5. *n.* 389. *D. CLXXIV.* Si Festa SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, ac Inventionis S. Crucis occurrerint infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis, vel de Cruce, ac *Communicantes* de Ascensione. Idem dicendum de aliis Festis, ac de Missis votivis propriam habentibus Præfationem, & infra eandem Octavam celebrandis. sicut & hoc prorsus servandum intra Octavam Epiphaniæ. *ibid. D. CLXXVIII.*

Prælatus.

Prælati exempti, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt potestate ordinaria condere leges Ecclesiasticas pro subditis suarum quasi Diœcesium. *part.* 2. *n.* 279. Prælati, Episcopo inferiores, v. g. Abbates, non possunt unire Beneficia absque consensu proprii Episcopi, nisi virtute specialis privilegii, aut præscriptionis gaudeant potestate uniendi. *part.* 3. *num.* 440. Prælati, sive Seculares, sive Regulares, licet jurisdictionem quasi Episcopalem habeant, si tamen Episcopi non sint, de Jure communi saltem scripto, nullam obtinent potestatem concedendi indulgentias. *part.* 5. *num.* 623. *propo fin.* Quoad alia. Vid. *Superior.*

Præmisor.

Leopoldus, fraudulentus præmisor, tenetur sub gravi peccato ad restitutionem &c. *part.* 4. *num.* 644.

Præscriptio.

Exponitur Præscriptio generatim accepta. *part.* 4. *num.* 73. Suam primævam originem debet Juri Civili. *ibid. n.* 74. Definitur, quod sit *modus acquirendi, quo jus, vel liberationem privilegio temporis nanciscimur. num.* 75. Explicantur particulæ definitionis. *ibid.* Quomodo Præscriptio differat a Consuetudine? *num.* 76. Tribuit dominium tam directum, quam utile. *num.* 77. Dividitur in *positivam*, & *negativam*: in *memorialem*, & *immemorialem*: memorialis subdividitur in *ordinariam*, & *extraordinariam*. *num.* 78. Non obest præscriptioni immemoriali etiamsi constet, possessionem fundi v. g. non fuisse ante longissima quædam tempora, puta ante ducentos, sexcentos, aut mille annos, modo illius initium excedat memoriam hominum. *n.* 79. Determinari non potest, quantum temporis ad præscriptionem immemorialem sit necessarium, & sufficiens. *num.* 80. Præscriptio etiam valet in foro conscientiæ. *num.* 82. Enervantur argumenta contraria. *num.* 83. & *seqq.* Præscriptio non est contra Jus naturæ, aut Gentium. *num.* 90. & 91. Lex, illam inducens, non est tantum pœnalis, sed authoritativa, & dispositiva. *num.* 92. Recensentur conditiones ad præscribendum exactæ. *num.* 93. Statuitur regula generalis rerum, jurium &c. præscriptibilium, & impræscriptibilium. *num.* 94. Quænam res, jura &c. in particulari simpliciter (saltem a certis perso-

extra

extra territorium concedentis. *num.* 529. Privilegium cessat per legitimam revocationem, expressam, vel tacitam, concedentis, privilegiato intimatam. *num.* 530. Privilegium etiam cessat per renunciationem liberam privilegiati, expressam, vel tacitam, dummodo renunciatio non cedat in præjudicium alterius, & accedat consensus privilegiantis, ac in quibusdam acceptatio illius, cujus inter st. *num.* 531. Privilegium, seu gratia distinguitur in factam, & faciendam: item in eam, quæ concernit illum solum, cui confertur; & in eam, quæ etiam concernit tertium, in cujus favorem confertur. *num.* 532. Privilegium, & gratia jam facta illimitate non expirat morte concedentis, expirat vero gratia facienda, si res sit integra. *num.* 533. Privilegium limitate concessum cum hac clausula, *ad beneplacitum meum*, vel *quamdiu voluero*, expirat morte concedentis. *num.* 534. Privilegium amittitur per interitum subjecti, cui inhæret. *num.* 535. Non usus privilegii alius est *negativus*, alius *privativus*. *num.* 536. Quædam privilegia conceduntur cum restrictione ad usum. *num.* 537. Nullum privilegium amittitur per non usum negativum; bene vero per non usum privativum, si illud cum restrictione ad usum sit concessum, vel cedat in præjudicium tertii. *num.* 538. Privilegium, quod redundat in gravamen, aut præjudicium tertii, etiam amittitur per abusum, sive usum contrarium. *num.* 539. Unicus actus privilegio contrarius sufficere ad ejus amissionem potest. *num.* 540. Privilegium, absolute concessum, non amittitur, quando ejus causa finalis cessat negative tantum, amittitur vero privilegium, limitate concessum. *num.* 541. Adducitur, & diluitur objectio. *num.* 542. Florianus, privilegium omittendi Horas Canonicas, & diebus vetitis comedendi carnes, ob perficienda certa negotia adeptus, his expeditis non potest amplius illo frui. *num.* 555. Faventiani privilegium statim post meridiem recitandi Matutinum diei sequentis, & celebrandi Missam tempore interdicti, se extendit etiam ad socium in recitatione Matutini, & ministrum in celebratione Missæ adhibendum. *num.* 556.

Privilegium Altaris. Vid. *Altaris Privilegiatum*.

Privilegium Fori, & Canonis.

Privilegium *Fori* est, vi cujus Personæ Ecclesiasticæ ad Forum, & Judicem secularem trahi nequeunt. Privilegium *Canonis* est, vi cujus illicitum est iisdem personis violentas injicere manus. *part.* 3. *num.* 502. In gemino hoc Privilegio præcipue consistit *Immunitas Personalis*. *ibid.* Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis, prout complectentis *Privilegium Fori*, sive vi hujus Privilegii, sunt exemptæ a jurisdictione seculari in causis tam criminalibus, quam civilibus. *num.* 503. Solvuntur argumenta opposita. *num.* 504. *& seqq.* Deducitur corollarium. *num.* 507. Personæ Ecclesiasticæ sunt insuper vi ejusdem immunitatis liberæ ab oneribus personalibus, quæ titulo jurisdictionis a Magistrato seculari imponuntur: esto ad similia onera subeunda alio titulo adstringi valeant. *num.* 508. *&* 509. Eædem Personæ Ecclesiasticæ vi immunitatis personalis, prout complectentis *Privilegium Canonis*, sive hujus Privilegii, exemptæ sunt, ne quis violentas eis manus injiciat &c. *num.* 510. Exponitur, quinam in *can.* 29. *Siquis suadente &c.* intelligantur per particulam *siquis*: & quid significetur per particulas, *violentas manus injecerit*? *num.* 511. *&* 512. Persona Ecclesiastica non potest *Privilegio Canonis*, vel Fori renunciare. *n.* 513. Crescentianus, in die Parasceves personam Judæi sustinens, non incurrit excommunicationem *Canonis*, dum ex interno odio graviter percutit Crescentium Clericum, personatum Christum. *num.* 554.

Probabile. *Probabilitas*. Vid. *Opinio*. *Conscientia probabilis*.

Processiones.

In Processione, quæ fit in Festo Corporis Christi, Eucharistia non est deferenda Sacerdotum humeris, sed manibus celebrantis cum pluviali; & in Vesperis diei Octavæ ab eo, qui cantavit Vesperas. *part.* 5. *n.* 589. *D. IX. X. XXII.* In Processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu, & transitu a latere ejusdem, debent facere genuflexionem, dummodo videant prædictum SS. Sacramentum. *ibid. D. XXI.* Si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum Feria Sexta Parasceves, in feretro nigris velleribus contecto, non possit absque graviori incommodo extirpari, est toleranda *D. XXXIV.* Nomine Processionum generalium comprehenduntur Rogationes. *D. XLII.* Abusus antiqui in Processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur. *D. LXXII.* Si Processio Litaniarum majorum terminetur ad Ecclesiam S. Marci, Missa ibi de S. Marco, & non de Rogationibus cani debet. *D. LXXXVI.* In Processionibus Canonici Ecclesiæ Collegiatæ non debent incedere parati, sicut Canonici Ecclesiæ Cathedralis. *D. CXIX.* In illis deferri debet Crux a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. *D. C.I* Processiones in Ecclesiis Regularium habentium claustra, fiant intra claustra tantum; si non habeant claustra, fiant prope muros Ecclesiæ, non vero extra ambitum sine licentia, & consensu Parochi, salvis privilegiis, & consuetudinibus. *D. CLXXXIII. & CLXXXIV.* In Processione intra Ecclesiam Canonici debent incedere detecto capite; extra eam cum bireto in capite. *D. CCXIII.* In Processionibus deferri non debent Reliquiæ Beatorum. *D. CCXXIX.* Non sunt permittendæ duæ Processiones de eodem Festo in eodem loco, eodem die. *D. CCXXXVI.* In Processionibus, quæ fiunt sine Sacramento intra Ecclesias, ad Elevationem non debet pulsari campanula in Missa privata; quod si pulsetur, utroque genu flecti debet. *D. CCLXXVI.* In Processionibus usus pluvialis, quo Regulares uti possunt, non est signum jurisdictionis in utente eo. *D. CCCVIII. & CCCIX.*

Proclamationes, sive Denunciationes. Vid. *Matrimonium*. *Parochus*.

Procurantia abortus. Vid. *Abortus*.

Procurator.

Procurator (*Judicialis*) est *persona, quæ causas alienas in Judicio, mandato, & nomine Domini, administrat*. *part.* 3. *num.* 695. Officium Procuratoris consistit in hoc, ut negotium sibi demandatum fideliter agat, nihilque ex necessariis omittat, nec Principali suo sive per dolum, sive per culpam, seu omissionem diligentiæ, juxta naturam negotii requisitæ, præjudicium, aut damnum creet, atque finito negotio rationes reddat Domino, eique restituat, quæ consecutus est. *ibid.* Procuratorem inter, & Advocatum magna intercedit affinitas, nam uterque alienas causas in Judicio prosequitur &c. Hinc non raro inter se confundi solent, & appellari promiscue: imo hodie plerumque Advocati solent simul constitui Procuratores. Differunt tamen in rigore per hoc præcipue, quod Procurator partes absentis sustineat, & litis contestatione efficiatur Dominus litis, causamque in Judicio prosequatur ut Dominus, non minus, ac ipse Principalis. Advocatus autem Parti litiganti, in Judicio præsenti, patrocinium præstet, causam legitime deducendo secundum Jura. *ibid. n.* 696. De Procuratore relate ad contrahenda Sponsalia, & Matrimonium. Vid. *Sponsalia*. *Matrimonium*.

Prodigalitas.

Prodigalitas est *vitium inclinans ad dandum ultra mensuram a ratione præscriptam*. Est peccatum veniale ex genere suo, & quidem levius avaritia, ceteris paribus: ob extrinseco tamen, & per accidens potest mortale evadere. *part.* 2. *num.* 709.

Professio Religiosa. Professus.

Professio Religiosa est *promissio libere facta, & legitime acceptata, qua quis sese adstringit certæ Religioni ab Ecclesia approbatæ*. *part.* 3. *num.* 575. Dividitur in *expressam*, & *tacitam*. *ibid. num.* 580. Quænam conditiones requirantur ad illam valide, & quænam ad licite emittendam? *num.* 581. & 582. Tres sunt casus, quibus conjux, etiam consummato Matrimonio, potest Religionem intrare sine consensu alterius conjugis. *num.* 583. Quid sit observandum conjugis, qui alteri ad ingrediendam Religionem consensum præbuit? *num.* 584. Liberi licite ingrediuntur Religionem absque consensu parentum. *n.* 585. Filius, non attenta parentum gravi necessitate, Religionem professus, tenetur egredi ad egentibus succurrendum. *num.* 586. Illegitimi licite ad Religionem admittuntur, spectato Jure communi. *num.* 587. Quid sit, & importet solemnitas Professionis, & Votorum, quæ in ea emittuntur. *num.* 588. Vid. *Regula*. *Regularis*. *Religio*. *Religiosus*.

Promissio.

Promissio alia est, quæ fit Deo, & producit obligationem voti, ac Religionis: alia, quæ fit homini, & nata est parere obligationem Justitiæ, si debitis conditionibus vestiatur; dividiturque in *onerosam*, qua aliquid promittitur sub onere ab altero præstando; & *lucrosam*, qua aliquid alteri promittitur ex Liberalitate, aut gratitudine. Onerosa includitur in omni contractu, ex quo resultat obligatio reciproca. Lucrosa sortitur rationem specialis contractus, & ut sic definitur, quod sit *contractus gratuitus, quo homo se obligat homini ad aliquid præstandum*. *part.* 4. *num.* 693. *&* 694. Differt *a proposito: a donatione verbali: a stipulatione*. *ibid. num.* 695. Promissio immediate definita dividitur in *puram*, & *non puram*: in *modificatam*, & *conditionatam*. Modificata subdividitur in quatuor species, quæ sunt *promissio in diem: promissio sub modo specifice accepto: promissio sub causa: promissio sub demonstratione*. *num.* 696. Ut promissio formalem

cet non frequenter, & quasi per habitum; quod tamen requiritur, ut pœnitens dicatur consuetudinarius. *part.* 5. *num.* 590. Quare recidivo, qua præcise tali, & qui non est simul consuetudinarius, neganda, vel differenda non est absolutio, nisi id forte suadeant circumstantiæ, aut conjecturæ, ex quibus suspecta efficiatur ipsius dispositio. *ibid.*

Reditus annui.

Reditus annui, seu *fixi* sunt fructus, qui Beneficiatis residentibus dantur annuatim absque respectu ad singulas interessentias, seu præsentias in Choro, vel Divino Officio. *part.* 3. *num* 453. Vocari etiam solent *fructus grossi*, seu *victualia*. *ibid.*

Reductio Missarum.

Pro reductione Missarum, & onerum per se loquendo recurrendum est ad Sedem Apostolicam, licet legatum sit nimis tenue; spectanda tamen etiam est consuetudo cujuscunque Diœcesis. *part.* 5. *num.* 388. *in respons.* 1. Episcopus in casu necessitatis (non extra illum) potest mutare Missam solemnem in non solemnem: modo servetur debitus Missarum numerus, seu tot legantur Missæ, quot sunt præscriptæ. *ibid. in respons.* 2. Episcopus potest moderari Officia, preces, & eleemosynas, annexas Anniversariis. Potest insuper reducere Missas, ad quas se homo privatus obligavit, nullo, vel non congruo accepto stipendio. *ibid. in respons.* 5. Videri præterea possunt, quæ habentur *cit. part.* 5. *num.* 386.

Referendarius.

Referendarius est, *cui a Judice committuntur Acta litigantium discutienda eo fine, ut postmodum eorundem merita, ac fundamenta referat Judici, & Assessoribus &c. part.* 3. *num.* 698. Differt Referendarius a Judice, & Assessore, quod ipse non ferat sententiam &c. *ibid.*

Regula. Regularis.

Secundum Regulam dicitur præcipere Superior, quando præcipit, quæ vel expresse in Regula continentur, vel saltem implicite: cujusmodi sunt, quæ ad Regulæ observantiam necessaria sunt. *Contra Regulam* dicitur præcipere, quando præcipit, quæ contentis in Regula positive adversantur. *Supra Regulam* dicitur præcipere, quando majora, ac duriora imperat, quam Regula exigat. *Infra Regulam* dicitur præcipere, quando jubet laxiora, quam præscribat Regula. *part.* 3. *num.* 589. Regularis vi *voti Obedientiæ* tenetur ad omnia, quæ Superior præcipit *secundum Regulam*, & *Constitutiones* sui Ordinis: non item ad ea, quæ præcipit *contra*, *supra*, *aut infra Regulam*; nisi in aliquibus casibus. *ibid.* Regularis, quando dubitat, an actio, a Superiore præcepta, sit honesta, nec ne tenetur præcipienti obedire. *num.* 590. Fit tamen aliqua limitatio hujus asserti. *ibid.* Regularis vi *voti Castitatis* adstringitur ad perpetuo, ac illimitate abstinendum ab omni actu venereo interno, & externo, sive is sit sola delectatio morosa, sive pravum desiderium, sive contactus lascivus sui ipsius, aut alterius, absque ulla exceptione, sive impudicus aspectus, sive verba, oscula, colloquia ex libidinoso affectu profecta, pollutio voluntaria, aut fornicatio re perpetrata, vel animo desiderata. *num.* 591. Regularis vi voti Paupertatis nullius rei temporalis externæ proprietatem, seu dominium (excipiuntur Scholastici Societatis Jesu) habere in particulari potest: uti nec usum a Superiore voluntate independentem. *num.* 593. Transgressio Paupertatis in Religioso pertinet ad speciem sacrilegii, & aliquando præterea ad speciem furti, ac injustitiæ, puta, si Religiosus sine licentia Superioris aliquid accipiat, retineat, expendat, absumat ex bonis Religiosæ Communitatis. *num.* 592. Quænam quantitas requiratur, & sufficiat ad constituendum peccatum mortale contra Paupertatem Religiosam? *n.* 595. Ne Religiosus aliquid acceptando &c. contra Paupertatem delinquat, indiget licentia Superioris. *num.* 596. Etsi Superior commode adiri possit, ac peti licentia expressa, hæc tamen, ne Religiosus contra Paupertatem delinquat, non requiritur, sed sufficit tacita: imo & rationabiliter præsumpta; modo Superior non constatur esse invitus quoad substantiam &c. *num.* 598. & 599. Solvuntur argumenta opposita. *num.* 600. *& seqq.* A potiori sufficit licentia rationabiliter præsumpta, quando Superior commode adiri nequit. *num.* 603. Licentia Superioris concessa ad usus rerum superfluos, vanos, aut turpes est valida, & excusat subditum saltem a vitiis injustitiæ, & proprietatis. *num.* 604. Diluuntur argumenta contraria, & deducuntur corollaria. *n.* 605. *& seqq.* Licentia Superioris, metu, dolo, vel fraude extorta, non excusat Religiosum a transgressione Paupertatis: sicut neque licentia debita solum, re aliter loquendo. *num.* 609. *&* 610. Solvitur objectio. *n.* 611. Licentia, a Superiore majori denegata, a minori vero concessa, valet, & subditum Religiosum a transgressione Paupertatis excusat. *num.* 612. Religiosus invitatus ab Extraneo ad prandium, peccat contra Paupertatem, si absque licentia Superioris comedat, & bibat; aut libros v. g. accipiat, & ad usum retineat, licet eos in cubiculo palam expositos habeat. *n.* 613. *&* 614. An Religiosus delinquat contra votum Paupertatis, qui res ad usum sibi concessas commutat cum aliis rebus, vel donat, aut commodat personis extraneis, domesticis &c.? *num.* 615. Religiosus, salva Paupertate non potest, etiam de licentia Superioris, habere proprium peculium, v. g. privatam supellectilem, vestes, libros &c. spectato rigore Concilii Tridentini. *num.* 616. Quibus pœnis transgressores Paupertatis plectantur. *n.* 617. Regulares per emissionem; imo & per renovationem Professionis Religiosæ consequuntur perfectissimam remissionem pœnæ omnium peccatorum suorum antea commissorum, & quoad culpam remissorum. *num.* 618. *&* 619. Consequuntur præterea, per eandem emissionem, omnium aliorum votorum saltem personalium (idem cogita de juramentis piis) antea nuncupatorum commutationem: liberantur ab irregularitate ex defectu natalium relate ad Ordines: a macula quoad actus temporales: a patria potestate, & ne possint exhæredari: ab obligatione Sponsalium, & Matrimonii rati. *n.* 620. *& seqq.* Recensentur complura Privilegia Religiosorum Mendicantium, *num* 622. *& seqq.* Quinam sint Casus, in quibus Religiosi Mendicantes Episcopis sunt subjecti? *num.* 634. Regulares Ordinum Mendicantium omnes habent communicationem mutuam omnium Privilegiorum ordinariorum: communicant insuper Privilegia Ordinum non Mendicantium; non autem hi Privilegia Ordinum Mendicantium, regulariter loquendo. *num.* 635. Defendi omnino potest, quod Regulares Ordinum Mendicantium habeant communicationem in illis quoque Privilegiis, quæ Societati Jesu concessa sunt cum expressa restrictione, ne aliis communicentur. *n.* 636. Quænam Privilegia Regularium sint a Tridentino revocata, & quænam non? *num.* 637. Quoad Facultates Regularium. V. Decretum Clementis X. quod extat *cit. part.* 5. *num.* 753.

Religionis virtus.

Religio est *virtus moralis inclinans ad exhibendum cultum Deo, ceu primo rerum omnium principio, vel aliis propter ipsum, debitum. part.* 2. ante *num* 260. Actus illius communiter recensentur undecim; unus *elicitus*, nempe *Devotio* (ex dictis *eod. part.* 2. *num.* 2.) & decem *imperati*, videlicet *Oratio*, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Primitiæ*, *Decima*, *Votum*, *Juramentum*, *Adjuratio*, *Laus Dei*. Ibidem *part. num.* 2. ante *num.* 260. V. etiam *num.* 265. *&* 262 ubi qualitas, & dignitas virtutis Religionis explanatur.

Religio, sive Religiosus Status.

Religio, seu Status Religiosus, sive Regularis (Ordo Religiosus; nam hæc re ipsa coincidunt, & accipiuntur promiscue) est *stabilium ad Christianam vitam, & Charitatis perfectionem tendentium, additis tribus votis voluntariæ Paupertatis, perfectæ Castitatis, & Obedientiæ perpetuæ, stabilis in communi, & secundum certas Regulas vivendi modus, ab Ecclesia debite approbatus. part.* 3. *num.* 557. Assignantur, & exponuntur requisita ad substantiam Status Religiosi. *ibid. num.* 558. Equites Hispani Sancti Jacobi &c. (aliud sentiendum de Equitibus Teutonicis, Melitensibus &c.) & Tertiarii Ordinis S. Francisci, qui non emittunt tria vota substantialia Religionis (aliud est de emittentibus hæc vota) accenseri haud possunt veris Religiosis, sive dein degant in Statu Cælibatus, sive in Statu Conjugii. *num.* 559. *&* 560. Status Religiosus, seu Religio, superius descripta, licet substantialiter sit unica, accidentaliter tamen est multiplex, & diversa. Unde alia est Religio *Contemplativa*, quæ ex instituto suo principaliter ordinatur ad contemplationem, seu vitam contemplativam &c. Alia est *Activa*, quæ ex instituto principaliter ordinatur ad vitam activam &c. Alia *Mixta*, quæ ex instituto suo ordinatur ad utramque vitam, contemplativam, & activam. Alia rursus est Religio *Clericorum*, nempe Regularium, quæ ex instituto suo principali ordinatur ad obeunda ministeria Clericis propria: alia *Monachorum*, quæ ex instituto suo principali ordinatur ad vivendam vitam solitariam: alia *Mendicantium*, cujus professores nequeunt ex primæva institutione bona immobilia, etiam in communi, possidere &c. *num.* 561. Hæc accidentaria multiplicitas, seu varietas Ordinum Religiosorum est Ecclesiæ Catholicæ valde proficua. *num.* 562. Necessario secum fert inæqualitatem accidentariæ perfectionis inter prædictos Ordines. *num* 563. Nemo per se loquendo tenetur Religionem ingredi, vel profiteri. *num.* 564.

Religiosus Habitus. Vid. *Habitus.*

Religiosa Professio. Vid. *Professio Religiosa.*

Religio

Religiosus.

Reliquia.

Remissio creditoris.

Residentia in Beneficio.

Resignatio Beneficii.

Restitutio.

occultum, vere quidem commissionem, attamen recansandum, & dicat, *se ei fecisse injuriam*. 3. Siquis promiserit puellæ Matrimonium, sciens, se hac promissione non amplius obligari, & dicat, se non promisisse, subintelligendo, *ne teneatur promissione* &c. Utraque hæc Restrictio alio, & communi nomine appellatur *Amphibologia*. Prior continet mendacium, & nunquam licet; posterior e diverso est immunis a mendacio, & ex rationabili causa adhiberi, etiam cum juramento, potest. *part.2.n.490.* Vid. *Juramentum*.

Revelatio Secreti. Vid. *Secretum*.

Reviviscentia Sacramentorum.

Pantaleon probabiliter quidem resolvit, prærogativam reviviscentiæ competere soli Baptismo; probabilius tamen videtur, eandem competere aliis quoque Sacramentis, tam iterabilibus, quam initerabilibus, ita, ut valide quidem, attamen cum obice, & impedimento gratiæ suscepta, obice remoto reviviscant, & gratiam causent: modo adhuc existant vel *in se*, vel *in aliquo sui*, vel saltem *in acceptatione Divina*, *& moraliter*. *p.5 n.85.* *In se* existit Sacramentum Eucharistiæ, quandiu ejus species non sunt consumptæ. *In aliquo sui* existunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, quatenus valide suscepta imprimunt characterem indelebilem, & characterizatum collocant in statu immutabili. *In acceptatione Divina*, *& moraliter* existunt Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii. Primum quidem (dato, quod possit esse validum, & informe, prout a multis non improbabiliter defenditur, esto oppositum a nobis tanquam probabilius teneatur *cit. part. 5. num 506.*) quatenus moraliter perseverat in habituali subjectione, dum pœnitens post sua peccata, semel validæ absolutioni subjecta, deinceps desobligatur ab iterata eorum confessione; ideoque semoto obice, vi præcedentis absolutionis consequi censetur absolutionem directam peccatorum antea subjectorum. Secundum, quatenus durante eodem morbo, mortisque periculo, non est iterabile, & vi significationis suæ relinquit ægrotum moraliter determinatum ad percipiendum Sacramenti effectum post remotionem obicis. Tertium, quatenus & ipsam ratione vinculi indissolubilis, durante utriusque conjugis vita, ex natura sua irreiterabile. *part. 5. & num.85. citt. v. Dixi in respons.* Porro obex (*positivus*, vel *negativus*, de cujus utriusque ssolu, Vid. *Obex*) sic amovendus est, ut Sacramentu reviviscere possint. Si fictio, sive obex fuit positivus, & sacrilegus, vel licet fuerit tantum negativus, quando tamen post susceptionem Sacramenti peccatum mortale commissum fuit, tunc obex non tollitur, nec Sacramentum reviviscit, nisi per subsequentem actum contritionis, vel attritionis cum Sacramento Pœnitentiæ valido, & formato. Si obex fuit tantum negativus, nec postea aliquod peccatum mortale admissum est, obex removetur, & Sacramentum reviviscit per veram, & generalem attritionem. *ibid. v. Porro*.

Reus.

Reus, si sit certus, quod Judex juridice, & servato Juris ordine interroget, tenetur ad interrogata respondere, nulla adhibita amphibologia, non solum in causis civilibus, & criminalibus minoribus, sed etiam, saltem probabilius, in criminalibus majoribus. *part.3. num.692. & part.2. num.491.* Epiphanius fur, ne suspendatur, licite rumpit vincula, effringit carcerem, & aufugit, supposito, quod nullo juramento, vel voto sese ad oppositum obstrinxerit. *ibid. num. 709.* Alii (si non sint ministri Justitiæ, aut specialiter a Magistratu prohibiti) possunt ejusmodi reo non tantum consulere fugam, sed etiam præbere instrumenta, queis vincula rumpat, carceremque effringat. *ibid. in anteriore coroll.* Secus, si sint ministri Justitiæ, aut specialiter a Magistratu prohibiti &c. Imo omnibus, & singulis (solo reo excepto) potest, & censetur Magistratus prohibere ipsam saltem carceris effractionem, & proximam, ac immediatam cooperationem ad illam. *ibid. v. Dixi tamen*. Reus peccat, si ministros Justitiæ, aut a Magistratu prohibitos &c. pecuniis, aut muneribus corrumpat, ut aperiant, vel effringant carcerem, sicque præbeant liberum captivo egressum: non autem peccat, si solum eorundem animos sibi benevolos reddat, ut inde faciliorem occasionem elabendi nanciscatur. *ibid. in posteriore coroll.*

Ritus Baptismi. Vid. *Baptismus*.

Ritus Confirmationis. Vid. *Confirmatio*.

Ritus Eucharistiæ.

Solemnis ritus Eucharistiæ est Sacrificium Missæ, in quo Sacramentum Eucharisticum a Sacerdote conficitur, ac sumitur. *part. 5.* ante *num. 302.* Vid. *Sacrificium Missæ*. *Missa*. *Sacerdos*.

Rixa.

Rixa est *discordia, vel pugna inter privatos*. *part. 2. n.599.* Vel clarius: est *altercatio exercita factis, quibus unus alterum lædere conatur*; ut siquis aliquem pugnis cædat, in lutum projiciat &c. *part. 2. num. 724.* Non recte confunditur cum contentione; hæc quippe in verbis, illa vero in factis proximum lædentibus consistit. *part. 2. & num.724. citt.* Si rixa consideretur ex parte invadentis, est peccatum mortale ex genere suo, quippe paci, & Charitati oppositum. Ex parte vero invasi vel nullum est peccatum, si fiat ad justam defensionem, non excedat modum inculpatæ tutelæ; vel solum veniale, si eum modum excedat parum; si enim excedat notabiliter, erit etiam mortale. Potest insuper veniale fieri, etiam ex parte invadentis, non solum ob imperfectionem advertentiæ, vel deliberationis, sed & ob parvitatem materiæ; ut si parvi pueri inter se pugnis decertent. *ibid.* Ubi rixa recensetur inter filias iræ.

Rubrica.

Ut cognosci valeat, sitne Rubrica aliqua præceptiva, vel mere directiva & consultiva? attendendum venit, an utatur terminis præceptivis, vel fundetur in aliquo Jure, aut consuetudine vim præcepti habeat, sive non? Si sic, præceptiva erit: si non, directiva solum. *part. 5. num.446.* Hinc Rubricæ Missalis de defectibus Missæ (quæ referuntur *cit. part.5. num.445.*) non omnes sunt præceptivæ, sed aliquæ, & quidem multæ solummodo directivæ, & continentes consilium, ac congruitatem, non vero obligationem, præsertim gravem: quia adhibent quandoque verba præceptiva, quandoque autem, & sæpius, verba, nullum denotantia præceptum &c. *part. 5. & n. 446. citt.* Vid. *Defectus Missæ*. An, & quomodo Sacerdos peccet, qui in celebrando Missæ Sacrificio deliberate non observat Rubricas Missalis? Vid. *Sacerdos*.

S

Sacerdos.

Quivis Sacerdos vi Ordinis Sacerdotalis tenetur sub mortali aliquando celebrare Sacrificium Missæ; esto non diebus certis. *part. 5. num.338. & seqq.* Decens tamen est, ut id faciat singulis diebus, ab Ecclesia permissis. *ibid. num. 331.* Mortaliter peccat, si non sæpius, ac quater per annum celebret. *num.342. & 343.* Sacerdos, ut rite Sacrificium Missæ celebrare possit, debet esse dispositus tam ex parte animæ, quam ex parte corporis, quemadmodum quivis communicaturus. Debet insuper habere intentionem celebrandi Sacrificium Missæ, & conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi: quam tamen intentionem non oportet necessario esse formalem, vel (ut alii loquuntur) actualem; sed sufficit etiam virtualis. Sufficit præterea intentio generalis, & implicita; nec requiritur particularis, & explicita. Requiritur præterea intentio applicandi Sacrificium Missæ; quamvis sufficiat habitualis. *n. 369.* Non tamen Sacerdos sub peccato obligatus ad dicendum Matutinum ante celebrationem Missæ; neque ad dicendas preces, in Missali ante Missam præscriptas, quæ ibidem vocantur *præparatio*, & vulgo *accessus*, nempe ad Missam. Idem veluti a fortiori sentiendum de precibus post celebrationem præscriptis, sive de *recessu*. Similiter non peccat Sacerdos non lavando manus, seu digitos (nisi forte sint immundi) sive ante, sive post celebrationem Missæ; uti neque, omittendo preces præscriptas, dum induuntur sacræ vestes. *ibid.* Quamvis olim in Natali Domini statim post mediam noctem pii, & docti Sacerdotes omnes tres Missas consequenter legere consueverint, hodie tamen id practicari amplius non potest absque peccato. *num.372.* Quo in Loco Sacerdos Sacrificium Missæ celebrare respective possit, ac debeat. Vid. *Locus celebrandi Missam*. Quo tempore, Vid. *Aurora*: item *Meridies*. Super quo Altari, Vid. *Altare*. Quænam paramenta requirantur ad celebrandum Missæ Sacrificium, ne Sacerdos peccet. Vid. *Paramenta*. Non peccat Sacerdos, etsi in celebrando Missæ Sacrificio non observet Rubricas Missalis mere directivas; peccat autem (graviter, vel leviter) si non observet Rubricas Missalis præceptivas. Graviter peccat, si illas non observet, ubi concernunt valorem, vel integritatem Sacrificii, aut ejus partes accidentales ordinarias; leviter vero, ubi concernunt partes ejusdem accidentales extraordinarias. *num. 376.* Non licet Sacerdoti, qui jam celebravit, & ablutionem sumpsit, iterato celebrare, ut populus die festivo, quo ejusdem Parochus subito infirmatus celebrare non valet, Sacrum audire possit. *num.379.* Virgilius Sacerdos, dum, peccato mortali gravatus, & copia Confessarii destitutus celebrare cogitur, & reipsa celebrat, elicita contritione per-

ne perfecta, tenetur postea confi[illegible], quam primum potest. num. 38. Vid. *Missa, Sacrificium Missæ, Stipendia, Missarum.*

Sacerdotium. Vid. *Ordo.*

Sacramentalia.

Sacramentalia, stricte sumpta, sunt *ceremoniæ sacræ, & religiosæ, instituta ad ornatum, seu debitum cultum Sacramentorum, ac Sacrificii.* Quod tamen nomen etiam accommodatur variis ceremoniis, quibus Ecclesia utitur extra Sacramentorum administrationem, & Sacrificii celebrationem: cujusmodi sunt benedictiones aquæ, vasorum, vestium, candelarum, cineris. &c. *part.* 3. *num.* 86. Ecclesiæ omnino competit potestas instituendi Sacramentalia. *part. & num. citt.* Ecclesiæ insuper competit potestas obligandi sub mortali ad certos ritus, & ceremonias, in Sacramentorum administratione, & Missarum celebratione &c. observandas. *ibid.* Sacramentalibus non inest vis delendi peccata venialia ex opere operato; bene vero ex opere operantis. *ibid.*

Sacramentum.

Sacramentum novæ Legis est *signum sensibile, a Christo Domino institutum ad gratiam sanctificantem tam significandam, tum conferendam. part.* 3. *num.* 1. Et hæc definitio competit Sacramento, prout hoc obtinet rationem totius metaphysici. ante *cit.* n. 1. Solvitur objectio. *n.* 2. Excluduntur aliqua a ratione Sacramenti. *n.* 3. Septem sunt Sacramenta: ex quibus aliqua sunt *iterabilia*, aliqua *initerabilia*: aliqua *mortuorum*, aliqua *vivorum*: aliqua *formata*, aliqua *informia*. *n.* 2. & 5. Septem Sacramenta specie, & essentialiter distinguuntur *n.* 6. Omnia Sacramenta novæ Legis (prout obtinent rationem totius physici analogici, secundum dicta ante *n.* 1.) perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. *n.* 7. Solvitur objectio. *n.* 8. Qualiter materia, & forma in Sacramentis debeant existere simul? *n.* 9 An simultas moralis materiæ, & formæ in omnibus illis Sacramentis, in quibus sufficit, debeat esse æqualis? *n.* 10 An, & quomodo Christus Sacramentorum materias, & formas instituerit? *n.* 11. Num mutari ab Ecclesia possint? *n.* 12. Quando per eorum mutationem Sacramentum irritetur, & quando peccetur graviter? *n.* 13. & 14. Onuphrius recte processit infantem de salute periclitantem, sub conditione baptizando adhibita cerevisia, cum præsto non esset aqua: qui tamen infans postea, itidem sub conditione, fuit rebaptizandus. *num.* 15. Onesimus valide (non tamen licite per se loquendo) baptizavit infantes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ac intemeratæ Virginis. *n.* 16. Orestus illicite, ac invalide egit, in forma consecratoria proferendo verba, *Hoc est Corpus*, & post aliquot *Pater*, & *Ave* subjungendo *meum*. *n.* 17. Solus homo viator est subjectum Sacramentorum: non tamen quilibet cujuslibet Sacramenti capax est. *n.* 32. & 33. Ut adultus Sacramentum valide recipiat, debet habere positivam aliquam intentionem recipiendi. *num.* 34. Solvitur objectio. *n.* 35. Sufficit, saltem regulariter, si memorata intentio sit habitualis. *n.* 36. Ad licite, & fructuose recipienda Sacramenta vivorum, non item mortuorum, requiritur in recipiente status gratiæ, mediante confessione, vel contritione recuperandus. *n.* 37. *& seqq.* Quid agendum accessuro ad Sacramenta mortuorum recipienda, ut per ea statum gratiæ consequatur, vel recuperet? *n.* 40. Effectus Sacramentorum statui possunt juxta diversam considerationem tres, vel tantum duo. *n.* 41. Describitur gratia tam habitualis, quam actualis, ex quibus conflatur gratia Sacramentalis: & assignatur utriusque differentia a gratia gratis data. *num.* 41. & 43. De iis, quæ gratiam Sacramentalem concernunt, Vid. *Gratia Sacramentalis*. Describitur etiam Character. *n.* 44. De iis, quæ ipsum concernunt, Vid. *Character Sacramentalis*. De concernentibus Ministrum Sacramenti, Vid. *Minister Sacramentorum*. De concernentibus reviviscentiam Sacramenti, Vid. *Reviviscentia Sacramentorum.*

Sacrificium.

Sacrificium ut sic accipitur dupliciter. 1. *Late, & improprie*, pro quacunque oblatione, & opere bono in Dei obsequium relato. 2. *Stricte, & proprie* pro speciali actu Religionis, quo in protestationem supremi dominii Deo res aliqua externa sub certo ritu offertur: unde in hac acceptione describi solet *oblatio externa legitime instituta, immutativa rei permanentis, a publico Ministro facta vere Deo, in contestationem supremæ Majestatis. part.* 3. *numer.* 301. Exponitur hæc descriptio. *ibid.*

Sacrificium Missæ.

Sacrificium Missæ est vera, & proprie dicta species Sacrificii ut sic. *part.* 3. *n.* 303 Est itaque *sacrificium novæ Legis, quo panis, & vinum in Corpus, & sanguinem Christi transsubstantiatur, ipsumque Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini in memoriam Passionis nostri Salvatoris Deo offeruntur. ibid.* Quomodo hoc Sacrificium differat respective, & non differat a Sacrificio incruento, quod Christus peregit in ultima cœna: & a cruento, quod obtulit in ara Crucis? *ibid.* Ubi etiam veluti incidenter, & occasionaliter advertitur, Eucharistiam habere simul rationem *Sacramenti, Sacrificii*, ac *Testamenti* &c. Exponitur status hujus quæstionis, *in quanam actione Sacrificium Missæ essentialiter consistat? n.* 304. Essentia Sacrificii Missæ consistit in sola consecratione. *n.* 305. Solvuntur opposita. *num* 306. & *seqq.* Consecratio utriusque speciei constituit essentiam Sacrificii Missæ. *n.* 309. Sacrificium Missæ est octuplex, nempe quadruplex ratione *finis*, in quem offertur; & quadruplex ratione fructus, seu effectus, quem progerminat. *numer.* 383 Assignatur Offerens Sacrificii Missæ. *num.* 310 & *seqq.* Specificantur, pro quibus respective potest, vel non potest hoc Sacrificium offerri. *n.* 313. & *seqq.* Non potest offerri, & applicari sub conditione eventus contingentis. *n.* 318 Quid intelligatur nomine valoris, & fructus Sacrificii Missæ? *n.* 319 Quid sit valorem esse infinitum *intensive, extensive, categorematice, syncategorematice? numer.* 320. Qualiter Sacrificium Missæ quoad efficaciam non sit infinitum, & qualiter infinitum? *n.* 321. & 322 Solvitur objectio. *num* 323. An Missa Sacerdotis mali minus valeat, ac boni? *n.* 324 Assignatur aliqualis differentia inter effectum, & fructum Sacrificii Missæ *n.* 325. Quotuplex sit fructus *n.* 326. An unus ab altero separati valeat? *numer.* 327 Quos effectus habere possit Sacrificium Missæ ex opere operantis? *num.* 328. An per modum suffragii valeant alteri applicari? *numer.* 329. Sacrificium Missæ mediate solum causat remissionem peccatorum mortalium. *n.* 330. Solvitur objectio. *n.* 331. Fit animadversio. *numer.* 332. Etiam remissionem peccatorum venialium non nisi mediate confert: immediate vero remissionem alicujus pœnæ temporalis: qualiter & impetrat varia beneficia. *numer.* 333. & *seqq.* Atque hi quatuor effectus sunt ex opere operato, atque infallibiles. *n.* 336. & 337. Ubaldus Sacerdos recte facit applicando Sacrificium Missæ pro convertendis infidelibus: modo hi non sint de classe excommunicatorum non toleratorum. *n.* 377.

Sacrilegium.

Sacrilegium accipi potest. 1. prout idem est, ac furtum rei sacræ. & hæc est primæva ejusdem acceptio. 2. Quatenus per extensionem, & usurpationem Theologorum significat quamlibet injuriam, seu violationem rei sacræ, sive creatæ, sive increatæ. 3 Prout importat irreverentem, & injuriosam tractationem rei sacræ creatæ. In qua tertia acceptione definitur *peccatum irreligiositatis, quo aliquid sacrum qua tale violatur. part.* 2. *n.* 333. & 334 Unde dignosci possit, quod aliqua actio sit sacrilega? *ibid. n.* 335. Violatio voti personalis præter peccatum infidelitatis etiam involvit peccatum sacrilegii: non item violatio voti realis. *n.* 336 Sacrilegium dividitur in *personale, locale, & reale*. Personale est, quo violatur persona sacra. Locale, quo violatur locus sacer. Reale, quo violatur res sacra *numer.* 337. Saltem sacrilegium personale, & reale sunt species subalternæ, non infimæ. *n.* 338. Sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo. *n.* 339 Manreda præter alia peccata triplex perpetrat sacrilegium. dum exercet in templo cum Parocho copulam, & postmodum ex ipsius æde calicem furtive surripit. *n.* 393. Macrobius non facit peccatum sacrilegii, nec aliud, ossa carnium, tempore Paschali benedictarum, projiciendo canibus, & putamina ovorum, eodem tempore benedictorum, abjiciendo in fimetum. *n.* 394.

Sacrilegium carnale.

Sacrilegium carnale est *peccatum luxuriæ, quo aliquid sacrum ut sacrum violatur*: estque semper mortale, non solum, in quantum Castitati, sed etiam, in quantum Religioni adversatur. Per *ly aliquid sacrum* intelligitur tam persona sacra, id est, Deo dicata per votum Castitatis, quam locus sacer, & res sacra, Unde, & sacrilegium carnale est triplex, scilicet *personale, locale*, ac *reale*: sicut sacrilegium absolute spectatum, & prout est quædam species irreligiositatis. *part.* 2. *numer.* 662. Cur sacrilegium collocetur inter species luxuriæ? *n.* 663. An sacrilegium personale committatur etiam per actum internum? *numer.* 664. An votu Castitatis simplici, & solemni simul ligatus, per peccatum luxuriæ committat duo sacrile-

crilegia specie distincta? *num.* 665. An, qui simul Sacerdos, & Religiosus professus est, committat duplex sacrilegium, si contra Castitatem peccet? *numer.* 666. Quando præcipue committatur sacrilegium locale per copulam, vel emissionem seminis, & quando non? *n.* 667. Sacerdos committit sacrilegium reale carnaliter peccando cum femina, ad quam portat S. Eucharistiam, vel cujus Confessionem excipit. *num.* 668. Vid. *Solicitatio ad turpia*. Pœnæ sacrilegorum. *num.* 719. Severus, & Severa per obscœnos sermones, aspectus, & oscula, in loco sacro exercita, non committunt sacrilegium; bene vero per tactus impudicos &c. *numer.* 722.

Saga.

Qualiter saga, ad mortem condemnata, examinari, & disponi debeat a Confessario? *part.* 2. *num.* 390.

Sartor.

Sartor non peccat mortaliter, si die festo per unam horam laboret; uti neque, si suis famulis, esto sex numeret, mandet, ut laborent simul per unam horam; secus est, si iisdem famulis mandet, ut uno, eodemque die festivo laborent successive assignans singulis unam horam. *part.* 2. *num.* 519. Sartores non excusantur a jejunio. *part.* 3. *num.* 55. Quoad alia, Vid. *Operarius*, sive *Opifex*.

Satelles. Vid. *Lictor.*

Satisfactio, quæ fit per Indulgentias, Vid. *Indulgentia.*

Satisfactio, quæ imponitur a Confessario.

Hæc Satisfactio semper est Sacramentalis, hoc ipso, quod in Sacro Tribunali a Sacerdote injungatur virtute clavium ad persolvendam pœnam temporalem pro remissis peccatis adhuc debitam, & ordinetur ad Sacramentum Pœnitentiæ vel essentialiter constituendum, si dicta satisfactio accipiatur, seu consideretur, ut est satisfactio *in voto* (& importat voluntatem saltem implicitam satisfaciendi &c.) vel integraliter perficiendum, ut est satisfactio *in re*. *part.* 3. ante *num.* 598. Satisfactio Sacramentalis in re (vocatur etiam *Pœnitentia Sacramentalis*) est *bonum aliquod opus a Confessario virtute clavium injunctum pœnitenti ad persolvendam pœnam temporalem, pro peccatis personalibus remissis adhuc debitam*. *cit. part. num.* 598. Aliqua id genus satisfactio, seu pœnitentia regulariter imponenda est, & quidem sub obligatione gravi pro mortalibus, sub levi pro venialibus. *ibid. num.* 599. & 600. Quam etiam pœnitens tenetur acceptare, & exequi. *num.* 601. Solvuntur objectiones. *num.* 602. & 603. Qualiter peccet pœnitens pœnitentiam non acceptando, vel non exequendo? *n.* 604. Utrum eandem possit implere per alium, & quando implere teneatur? *num.* 605. Opus, quod pro pœnitentia imponitur, debet esse pœnale. *num.* 606. Potest tamen imponi jam aliunde debitum, vel peragendum pro animabus purgatorii. *numer.* 607. & 608. An etiam, & quando imponi possit opus publicum? *num.* 609. Per illam clausulam: *quidquid boni feceris &c.* opera pœnitentis elevari possunt in satisfactionem Sacramentalem. *num.* 610. Per se imponenda est satisfactio, peccatis proportionata. *num.* 611. In quibus casibus possit fieri oppositum? *num.* 612. Quænam pœnitentiæ sint utiliores? *num.* 613. Zenobius non peccavit mortaliter, sive pœnitentiam per septendecim dies differendo, sive aliter, ac imperatum erat, exequendo, puta non genuflectendo in templo coram Imagine miraculosa (uti facere jussus erat) sed obambulando in horto suo. *n.* 664. Zoticus perficiendo pœnitentiam in statu gratiæ recepit augmentum gratiæ habitualis; perficiendo item alia vice pœnitentiam in statu disgratiæ, & satisfecit suæ obligationi, & remissionem pœnæ temporalis, alias satisfactioni Sacramentali, debito modo præstitæ, ex opere operato correspondentem, est consecutus. *num.* 665. De commutatione hujusmodi Satisfactionis. Vid. *Commutatio Pœnitentiæ &c.*

Scandalum.

Scandalum quid nominis? *part.* 2. *num.* 215. Reipsa est *dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis*. *ibid. num.* 216. Specificantur nonnulli casus, in quibus non committitur reale scandalum. *n.* 217. Dividitur in *activum*, & *passivum*. Activum subdividitur in *proprium*, & *per se tale*, ac in *improprium*, & *per accidens tale*: proprium rursus in *directum*, & *indirectum*: passivum vero in *datum*, & *acceptum*: acceptum aliud dicitur *scandalum pusillorum*, & aliud *scandalum Pharisaicum*. *n.* 218. Scandalum activum proprium est peccatum mortale ex genere suo; potest tamen esse veniale ob parvitatem materiæ. *n.* 219. Proponuntur, & solvuntur objectiones. *n.* 220. & 221. Scandalum *directum*, & probabilius etiam *indirectum* est speciale peccatum contra Charitatem. *num.* 222. Solvitur objectio. *num.* 223. Qui proximum in se gravi scandalizat, sive directe, sive indirecte, tria peccata mortalia patrat. *n.* 224. Scandalum activum improprium subinde est, subinde non est peccatum. *num.* 225. Asseritur, & explicatur, quale peccatum sit scandalum passivum. *num.* 226. Determinatur, qualiter tam scandalizans, quam scandalizatus in Confessione explicare debeant. *n.* 227. Exponitur status hujus quæstionis: *Quænam opera, scandali in proximo vitandi causa, omitti debeant, vel possint?* 228. & 229. Opera, quæ a recta ratione præcipiuntur, non tenemur, nec possumus omittere ob scandalum, sive pusillorum, sive pharisaicum, in proximo evitandum, regulariter loquendo. *n.* 230. Proponuntur, & diluuntur argumenta opposita. *num.* 231. *& seqq.* Opera, quæ a recta ratione tantum consuluntur, debent, ad tempus saltem, omitti, vel differri, ob scandalum pusillorum, non item ob pharisaicum, in proximo declinandum. *num.* 235. Deducuntur duo corollaria pro praxi *num.* 236. & 237. Opera, quæ a recta ratione solum permittuntur, non tenemur omittere (dummodo non deserviant proxime ad peccatum alterius) ob vitandum in proximo scandalum sive pusillorum, sive pharisaicum tantum, si interveniat causa aliqua rationabilis; secus, si talis causa non interveniat. *num.* 238. Catholici, a Turcis, vel Hæreticis capti, ob gravem metum licite remigant in illorum triremibus item licite arma comportant, tormenta bellica convehunt, propugnacula ædificant &c. contra alios Catholicos, contra quos bellum, licet in puncto Religionis, geritur: adeoque non incurrunt censuram in Bulla Cœnæ latam. *num.* 239. Matrona, vel virgo honesta, dum se splendide ornat pro sui status conditione, & more regionis, non peccat (nisi id malo fine faciat) tametsi periculum scandali vagi, & indeterminati, sive pharisaici tantum, sive etiam pusillorum, prævideat. *numer.* 240. Mortaliter peccant feminæ, quæ utuntur forma vestimentorum, ad Venerem provocativa, nec debite contectiva. *n.* 241. Mortaliter item peccant pingentes, vel exponentes imagines valde obscœnas. *n.* 242. Non peccant mercatores, & opifices, dum vendunt res ita indifferentes, ut ad bonum, vel malum usum sint applicabiles, si sciant, non esse adhibendas ad malum usum: imo, tametsi ita adhibendas sciant, adhuc non peccant vendendo, dummodo venditio fiat ob justam causam. *n.* 243. Non peccant caupones, quando ministrant vinum, cœnam, carnes, se inebriare, aut jejunium frangere volentibus, si denegando incurrerent notabile damnum &c. *n.* 244. Item non peccant famuli, aut famulæ, dum obediunt suis Heris in actionibus, ad eorum peccata remote ordinatis. *num.* 245. Peccat peccato scandali, qui peccatum proximi, dum potest, non impedit, sed permittit, ex intentione, ut is peccet, vel in peccato deprehensus cogatur pœnam luere: non autem peccat peccato scandali, nec alio, qui non auferendo occasionem peccandi permittit peccatum proximi, ut hic in eo deprehensus efficacius emendetur, vel ut permittens seipsum servet indemnem. *n.* 246. Ob prædictos fines probabiliter licet etiam offerre occasionem peccandi. *n.* 247. Esto proximus jam sit paratus, & determinatus ad committendum majus peccatum, peccat nihilominus peccato scandali, qui ei suadet minus, ad quod non est determinatus: secus, si etiam ad hoc determinatus sit. *num.* 248. Peccatum scandali est, petere a proximo aliquid, quod is sine peccato præstare non potest, licet præstare paratus sit: nullum vero peccatum est, petere aliquid ab altero, quod is absque peccato præstare potest, esto cum peccato præstiturus prævideatur, dummodo non petatur citra rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis. *num.* 249. Libertia, sciens, se turpiter amari a Liberio, quoties ipsi obviat, mortaliter peccat, dum nihilominus eidem se conspiciendam objicit; idque libere, & citra causam. *n.* 258. Luperius, opifex Catholicus, licite potest diebus ab Ecclesia vetitis subministrare carnes famulis acatholicis, alias discessuris, si ex eorum discessione magnam in re sua familiari jacturam pati cogeretur. *n.* 259.

Schisma. Schismaticus.

Schisma est *divisio, qua aliquis, vel aliqui ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, prout hæc est Corpus mysticum, ex universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam Capite constans, seipsum pertinaciter segregant*. *part.* 2. *num.* 85. Ex qua descriptione erui potest triplex differentia Schismaticorum ab Hæreticis, esto inter utrosque cognatio satis propinqua intercedat. Prima est, quod Schismatici separent se ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam erga S. Pontificem; Hæretici vero a fide Ecclesiæ per doctrinam erroneam. Secunda est, quod hæresis in ratione peccati, seu culpæ (non item in ordine ad pœnas Hæreticorum incurrendas) perficiatur, ac consummetur in mente, & per signa externa solum

signi-

significetur: schisma vero, etiam in ratione peccati, ad sui consummationem requirat actum externum. Tertia est, quod hæresis, saltem externa, sine schismate esse non possit; bene tamen schisma sine hæresi tam externa, quam interna esto ordinarie in talem degenerare soleat &c. *part. & n. c.* 11. Specificantur pœnæ Schismaticorum. *ibid. n.* 86.

Scriptiones inhonestæ.

Scriptiones inhonestæ, seu obscœnæ, si fiant ex levitate, curiositate &c. veniales sunt per se loquendo: mortales vero, si fiant ex motivo venereo, *part.* 2. *n.* 716. *&* 717. Explicatur assertum pro praxi. *ibid.*

Scrupulus, Scrupulositas, Scrupulosus.

Scrupulus est inanis, seu ex nulla, vel levi duntaxat ratione orta apprehensio de malitia operis, conjunctum habens metum de eadem, & anxietatem in voluntate. *part.* 1. *n.* 21. Scrupulus de inhonestate operationis componitur in intellectu, & stat cum judicio de honestate operationis; secus, ac judicium erroneum, aut dubitatio saltem proprie dicta, seu practice practica. Quare scrupulus proprie dicitur, quando intellectus neque determinate judicat, aliquid esse peccatum, neque de hoc practice dubitat; sed potius habito insuper judicio, non esse peccatum, sola apprehensione mali, ex levi, & futili motivo titubat, fluctuat, anxie formidat, esse peccatum &c. *part. & num. cit.* Scrupulositas alia est *adæquata*, alia *inadæquata*. Priore laborant, qui in omni; posteriore vero, qui in certa duntaxat materia scrupulizant. *ibid. n.* 69. Is, qui una duntaxat, alterave vice scrupulo cessit, non illico dicendus est scrupulosus; quia nomen *scrupulosus* denotat frequentiam actuum, sicut nomen *ebriosus*, *luxuriosus* &c. *numer.* 70. De aliis huc pertinentibus, Vid. *Conscientia Scrupulosa*.

Secretum, nempe naturale.

Secretum naturale est obligatio servandi secrete ea, quæ aliunde, quam ex Confessione Sacramentali cognovimus. *part.* 5. *num.* 700. Estque duplex, videlicet *promissum tantum*, & *commissum*, *ac promissum simul*. Secretum promissum *tantum* dicitur, quando aliquis de re ante, & citra injuriam cognita promittit silentium, vel etiam pactum init de servando silentio. Secretum commissum, & promissum *simul* appellatur, quando quis alteri committit notitiam rei, antea ei ignotæ, præmissa vel tacita, vel expressa petitione, & acceptatione obligationis ad silendum, remque servandam sub sigillo. *part.* 5. *num.* 645. Revelatio secreti commissi, & promissi *simul*, citra rationabilem causam facta, est peccatum mortale ex genere suo; uti & revelatio secreti promissi *tantum*; nisi promittens intenderit se obligare (quod hic fieri potest, & forte etiam solet) ex sola virtute Fidelitatis. *ibid. n.* 656. Quod si promittens intenderit se obligare ex sola virtute Fidelitatis, obligatio reticendi secretum erit solum levis ex genere suo: evaderet autem mortalis, si ex promissione non servata enasceretur proximo grave damnum. *ibid. v. Dixi in conclus.* Porro promissio servandi secretum quandoque fit ex mera decentia, & urbanitate: quo casu, per se loquendo, nullam inducit obligationem tacendi. *ibid.* Ex tacita conventione, seu pacto ad servandum secretum obligantur 1. Principum Consiliarii, & Belliduces, quibus Reipublicæ, vel exercitus consilia committuntur. 2. Advocati, Medici, Chirurgi, obstetrices, aliæque personæ, quibus, ut auxilia ferant, secreta deteguntur. 3. Theologi, Jureconsulti, vel alii Viri docti, quibus, consilii accipiendi ergo, arcana concreduntur. 4. Denique, saltem vero similiter, etiam amici, & propinqui, quibus jure amicitiæ, & propinquitatis, ut nobis auxilio, vel solatio sint, secreta manifestamus. *ibid. num.* 647. Rationabiles, & justæ causæ alienum secretum revelandi sunt præcipue quatuor. Prima est, quando secreti non revelatio vergit in detrimentum, vel perniciem Reipublicæ. Unde si Titius constituerit prodere civitatem, idque tibi sub secreto manifestaverit; nec valeas eum ab executione scelerati sui propositi aliter avertere, potes, imo teneris secretum tibi commissum revelare. Secunda est, quando secreti servatio vergit in injuriam, ac damnum personæ, etiam privatæ, innocentis. Unde si Petrus proposuerit e medio tollere Paulum, & flagitiosum hoc propositum tibi secreto communicaverit, nec ulla alia ratione ad ejus mutationem induci valeat, potes iterum, & debes secretum aperire, v. g. monendo Paulum, ut sibi caveat &c. Tertia est, quando secreti servatio afferret grave incommodum illi, qui tibi commisit. Unde siquis occulto impedimento, quod tibi secreto manifestavit, ligatus Matrimonium inire statuerit, nec destiturus sit, nisi canonice denuncietur, potes, & teneris (per se loquendo) illum denunciare. Quarta est, quando ille ipse, cui commissum fuit secretum, periculo gravis mali exponitur, nisi id revelet. Unde si Sempronius homicidium a se patratum tibi revelaverit sub secreto, v. g. consilii capiendi causa; postea tu ipse, absque Sempronii culpa, in patrati homicidii susceptionem delatus, capite periclitaris, poteris secretum prodere, & occultum homicidam manifestare, supposito, quod non suppetat alia via antefatum periculum a te amoliendi. *ibid. n.* 648. Etsi aperiens tibi secretum dixerit, se illud communicare sub sigillo Confessionis (prout aperientes secrets dicere non raro solent) non inducit tamen obligationem sigilli Sacramentalis, sed secreti naturalis tantum: quia (ut supponitur) aperiens sic secretum non confitetur, nec intendit confiteri Sacramentaliter &c. *ibid. v. secunda*, & *part.* 5. *n.* 703. Quale sit peccatum aperire literas alterius? *vid. part.* 2. *n.* 649. Vid. *Literæ*.

Seditio.

Seditio est *dissensio civium*: estque peccatum mortale ex genere suo, idque speciale contra Charitatem. *part.* 2. *n.* 213. Non potest dici seditiosus, nec peccati reus, qui in seditione excitata bonum pacis defendit, & conservare, aut restaurare nititur, ejusdem perturbatoribus resistendo. *ibid. n.* 214.

Senectus, Senex.

Senectus a jejunio excusat viros septuagenarios, imo & sexagenarios, etiamsi adhuc vegetos, & ad perferendum jejunii rigorem satis robustos. *part.* 3. *n.* 17. Quod dictum de viris, intellectum quoque esto de feminis. Neque enim audiendi sunt, qui feminas etiam quinquagenarias a jejunii præcepto liberant. *ibid.* Qui voveont certis hebdomadæ diebus per totam vitam jejunare, etiam tenentur vi voti jejunare in sua senectute, quando videlicet jam compleverunt annum sexagesimum, septuagesimum &c. si adhuc validi, & ad perferendum jejunii rigorem satis robusti existant. *vit. part.* 3. *n.* 26. Oppositum probabiliter dicitur de Franciscanis senibus, sexagenariis, septuagenariis &c. quantumvis adhuc vegetis, & jejunare potentibus, spectata nimirum eorundem Professione, & nisi per speciale votum libertatem a jejunio sibi interdixerint. *part. & num. cit. in proposit. & solut.* 2. *argum.* Cum senectus ipsa sit morbus ad mortem disponens, extreme inungi potest, qui illa sola laborat, esto videatur aliam infirmitatem non habere, quando Medicus ita judicaverit, vel in ejus absentia ipse Parochus, aut alius Vir prudens. *part.* 6. *n.* 25. *v. Dicitur* 2. Senes decrepiti (idem cogita de vetulis) adhuc inire possunt validum Matrimonium: nisi forte in rariori casu senex quispiam adeo exhaustus esset, ut veram copulam exercere non amplius posset, neque ad eam exercendam ullo modo licito citra miraculum juvari valeret; tunc quippe laboreret impotentia dirimente Matrimonium contrahendum. *cit. part.* 6. *n.* 629.

Sententia.

Sententia, vere, & theologice probabilis, est *judicium, quod citra certitudinem nititur motivo positivo, eoque tam absolute, quam comparative gravi*. *part.* 1. *numer.* 112. Sententia distinguitur a conscientia. *ibid. n.* 115. Dividitur in *probabilem intrinsece*, & *probabilem extrinsece*: in *probabilem speculative*, & *probabilem practice*: in *probabilem quoad se*, & *probabilem quoad nos*: in *minus*, *æque*, & *magis probabilem*, ac *probabilissimam*: in *tutiorem*, & *minus tutam*. *ibid. a numer.* 113. Sententia probabilissima differt a sententia moraliter certa. *n.* 117. Sententiæ probabiles possunt reddi improbabiles; probabiliores minus probabiles, & vicissim &c. *num.* 123. Recensentur genera censurarum, quibus Romani Pontifices afficere possunt, & solent sententias, dum eas reddunt improbabiles. *numer.* 122. Vid. *Opinio*. *Conscientia probabilis*. Consilium Juniorum, quod secutus est Roboam 3. *Reg. cap.* 12. non fuit prudens, & probabile, sed omnino imprudens, datum ab inexpertis, & ad adulationem compositis Juvenibus; adeoque non constituebat sententiam vere probabilem. *n.* 138. *in respons. ad argum.* Probabilitas in sensu Academicorum, & probabilitas in sensu Theologorum vel maxime discrepant: nam *Academici id probabile, vel verisimile vocant, quod ad agendum sine assensione potest invitare*: id est licet assensum (prudentem) non mereatur; at vero Theologi id probabile pronunciant, quod nititur motivo gravi, & meretur assensum prudentem. Unde probabilitas in sensu Academicorum non sufficit ad constituendam sententiam vere probabilem; bene autem probabilitas in sensu Theologorum. *num.* 138. *cit. in respons. ad instant.* Sententia de licito usu opinionis minus probabilis, & minus tutæ, relicta probabiliori, & tutiori, est moraliter certa vel directe, vel saltem reflexe, quando nempe agitur de sola licentia, & hone-

seqq. Committitur Simonia, quando datur temporale pro spirituali (aut vicissim) licet temporale dicatur dari non tanquam pretium, sed tanquam motivum. *num.* 349. Fit, & diluitur objectio. *n.*350. In quibusdam casibus ad obtinendum spirituale citra Simoniæ labem conferri temporale potest tanquam motivum, non tanquam pretium. *n.*351. Res temporalis, ut ad committendam Simoniam in foro externo sufficiat, debet esse apta moraliter movere, seu inducere alterum ad retribuendam rem spiritualem. *n.* 352. Aliter judicandum in foro interno. *ibid.* Similiter committitur Simonia, si detur temporale pro spirituali, aut vicissim, ut gratuita compensatio. *n.*353. Proponitur, & solvitur objectio. *num.*354. Deducuntur duo corollaria pro praxi. *n.*355. & 356. Recensentur varii casus, in quibus extra materiam Beneficialem Simonia committitur. *num.*357. Diluuntur opposita. *n.*358. Quando committatur Simonia intra materiam Beneficialem? *n.* 359. Resolvuntur quædam Dubia. *n.* 360. Quando committitur Simonia circa ingressum Religionis? *n.*361. Assignatur regula, ex qua discerni valeat, an prædictæ, & aliæ id genus Simoniæ sint Juris Divini, seu Naturalis, vel Ecclesiastici tantum? *num.*362. Afferuntur varii casus extra materiam Beneficialem, in quibus nulla committitur Simonia. *n.*363. Solvuntur argumenta contraria. *n.*364. Afferuntur etiam casus intra materiam Beneficialem, in quibus similiter nulla intervenit Simonia. *num.* 365. Ostenditur, quando nulla perpetretur Simonia citra ingressum Religionis. *n.* 366. Deciditur, an, & quando citra labem Simoniæ liceat dare aliquid temporale ad redimendam vexam? *num.*367. Pœnæ, in Simoniacos a Jure statutæ, solum incurruntur in Ordine, Beneficio Ecclesiastico, & Religionis ingressu. *n.*368. Recensentur pœnæ, quæ incurruntur circa Ordinationem. *n.* 369. Nomine Ordinis hic etiam venit prima Tonsura. *num.* 370. Recensentur etiam pœnæ, quæ incurruntur circa provisionem Beneficiorum &c. *n.* 371. Recensentur denique pœnæ, quæ incurruntur circa ingressum Religionis. *n.*372. Præfatæ pœnæ non incurruntur per Simoniam mentalem, vel conventionalem, sed realem duntaxat. *n.*373. Quænam pœnæ incurrantur per commissionem Simoniæ confidentialis? *n.* 374. Etiam Simonia Juris Ecclesiasticis pœnis subjacet. *n.* 375. An pactum simoniacum sit irritum? *n.* 376. Quis a censuris absolvere, & a pœnis Simoniæ dispensare possit? *n.*377. Qualis sit status quæstionis, dum quæritur, an, & quid ex simoniace accepta restitui debeat? *n.* 378. Quando traditio ex utraque parte jam est facta, & in commissione Simoniæ nulla intervenit injustitia, non datur obligatio restituendi simoniace acceptum extra materiam Beneficialem: secus, si intervenerit injustitia. *n.* 379. Obligatio restituendi etiam contrahitur per commissionem Simoniæ mentalis. *num.* 380. Quando traditio facta est ex una tantum parte, res tradita, sive spiritualis, sive temporalis, Jure Naturali restituenda est. *n.* 481. Cuinam sit facienda restitutio? *num.*381. Macarius Simoniæ reatum incurrit, dum Martianum donato poculo aureo rogat, ut pro se apud Episcopum intercedat in ordine ad impetrandum Beneficium Parochiale. *num.*395. Marcellus Studiosus, ejusdemque Parens consentiunt in defensionem, & solutionem Thesium præstandam sub conditione, ut Thesium Author, & Præses sua intercessione præmemoratum Marcellum, Thesium Defensorem, peracta defensione, statim promoveat ad Religionem, ad quam aspirat, quin sive ex parte ipsorum, sive ex parte intercedentis committitur Simonia. *n.*396. Marcella petens locum sepulturæ honoratiorem præ aliis, offerendo in eum finem quinquaginta florenos, & Parochus eodem pacto illum concedens, nullam sibi consciscunt Simoniæ labem. *numer.* 397.

Sobrietas.

Sobrietas est *virtus, quæ occupatur circa moderationem potus, ne se inebriare, & usum rationis perturbare nati.* *part.*1. *n.*728.

Societatis contractus.

Societas est *contractus, seu conventio duorum, vel plurium ad conferendum aliquid in commune lucrum, & damnum secundum proportionem rerum contributarum.* *part.*4. *n.*881. Licita est Societas, modo hæ conditiones serventur; nempe, ut omnes socii aliquid (pecuniæ scilicet, vel operæ) conferant: ut negotiatio sit de re honesta: ut æqualitas servetur in omnibus: ut pecunia collata stet periculo conferentis: ut lucrum dividatur pro quantitate partium collatarum: ut dividantur damna: ut expensæ sint communes: ut pacta apposita sint justa. *ibid.* Nicephorus, & Nicephorianus ineunt contractum Societatis in triennium ad negotiandum; ille pecuniam, iste operam confert suam: elapso autem triennio nullum reperiunt lucrum, sed solam sortem, quæ asseritur redire ad illum, qui eandem posuit. *num.* 826.

Sodomia.

Sodomia perfecta est *concubitus inter personas ejusdem sexus*, si nempe mas cum mare, vel femina concumbat cum femina, estque peccatum gravissimum. Differt a Sodomia imperfecta (quæ est *concubitus maris cum femina in vase præpostero*) quod illa neque servet sexum, neque vas debitum; ista vero servet quidem sexum, sed non vas debitum. *part.* 2. *n.* 676. Committitur peccatum veræ Sodomiæ, si mas cum mare concumbat, licet semen dispergat, illud effundendo extra vas præposterum. *ibid.* *n.* 677. Sodomita debet in Confessione exprimere, fueritne agens, aut patiens? *n.* 678. Recensentur pœnæ sodomitarum. *n.* 719.

Solicitatio ad turpia.

Quando dicitur, quod Sacerdos committat sacrilegium reale carnaliter peccando cum femina, cujus Confessionem excipit, intelligi non debet de casu, quo extra omnem ordinem, vel respectum ad Confessionem, vel Confessionale carnaliter peccat cum filia Confessionis etiam ordinaria (sic quippe non perpetrat sacrilegium personale, & reale simul, sed personale tantum, quatenus ipse est persona sacra) sed de casu, quo Sacerdos, seu Confessarius, aut in Confessionali sub ipsa actione, aut occasione Confessionis, ejusve prætextu pœnitentem solicitat, & inducit ad aliquid turpe, sive ibi statim, sive alibi postea faciendum. *part.* 2. *n.*669. Affertur Bulla Gregorii XV. super hoc puncto edita. *ibid.* Memoratum assertum amplius dilucidatur per casus respectivo particulares. *n.*670. & 671.

Solutio.

Solutio facta creditori creditoria liberat a restitutione, si debita sint ejusdem rationis; neque sit præferendus alius creditor. *part.* 4. *n.* 533.

Sortes divisoria, consultatoria, & divinatoria.

Sortium tres sunt species, nempe *divisoria, consultatoria, & divinatoria.* Prima est, quando per sortes quæritur, quid cuique tribuendum. Secunda, quando per sortes indagatur Divinum consilium, ut sciatur, quid in obscuro negotio agendum. Tertia, quando per sortes inquiritur de futuris eventibus. *part.* 2. *numer.* 303. Sortes divisoriæ sunt licitæ, præterquam in casibus per Jus naturale, vel humanum prohibitis, *ibid. in respons.* 1. Sortes consultatoriæ sunt illicitæ, nisi quando humanum consilium non suppetit; vel nisi Deus inspiret iis utendum. *ibid. in respons.* 2. Sortes divinatoriæ semper sunt illicitæ, & superstitiosæ. *ibid. in respons.* 3. Vid. *Divinatio.*

Spado. Vid. *Eunuchus.*

Specificatio.

Specificatio est *introductio novæ formæ* (unde & *Formatio* dicitur) *in materiam.* *part.* 4. *n.* 71. Ad quam tamen non sufficit quæcunque variatio accidentalis, sed requiritur tanta, ut ex ea in morali hominum æstimatione resultet nova species entis, quamvis forte talis non sit secundum considerationem physicam &c. *ibid.* Qualem Specificatio habeat vim tribuendi dominium, & quando? *num.* 72.

Spes.

Spes (nempe habitualis) est *virtus Theologica, inclinans voluntatem ad desiderandum Deum, quatenus est nostra Beatitudo, ex promissione Divina mediis ordinatis obtinenda.* *part.* 2. *num.* 97. Inquiritur, quid intelligatur per Spem actualem. *ibid.* *n.*98. Quale sit objectum materiale Spei primarium, & quale secundarium? *n.* 99. Quænam ad objectum materiale Spei secundarium pertineant? *n.* 100. Objectum formale Spei est summa Dei Bonitas respectiva. *num.* 101. Proponitur, & solvitur objectio. *num.* 102. Spes habitualis omnibus omnino hominibus est necessaria necessitate medii ad quamcunque justificationem, & salutem. *nu.* 103. Actualis vero omnibus adultis, usu rationis pollentibus. *numer.* 104. Qualis debeat esse Spes, præfato modo, aut alias necessaria. *numer.* 105. Spes habitualis nulli hominum, actualis vero omnibus hominibus adultis, ratione pollentibus, necessaria est necessitate præcepti tam ad justificationem, quam ad salutem. *num.* 106. Datur obligatio etiam directa, actum Spei aliquando eliciendi: imo sæpius per decursum vitæ. *num.* 107. & 108. Assignantur tempora, quibus prædicta obligatio stringit. *n.* 109.

Sponsalia.

ptiæ

ptiæ ultra illud nimium protelantur, tunc pars, quæ a tempore per nimiam protelationem gravatur, evadit libera, atque immunis ab obligatione Sponsalium, sive hæc jurata sint, sive non: item sive illa protelatio existat culposa, sive non. *numer.* 247. Quando a contrahentibus nullum tempus pro executione Sponsalium fuit adjectum, tunc ea non dissolvuntur per lapsum temporis, nisi Nuptiæ nimis diu differantur. *num* 248. Quod si nimis diu differantur Sponsalia, dissolvuntur, non quidem ex parte illius, qui ejusmodi dilationis causa existit, sed ex parte alterius, qui non existit causa dilationis; nam prior censetur suum jus ad Nuptias remittere; non item posterior. *num.* 1**. Si Sponsus (idem esto resolutum vicissim de Sponsa) inscia, vel invita Sponsa, in regionem longinquam se transferat animo mutandi domicilium; vel, si absque tali animo quidem discesserit, certo tamen credatur diu non reversurus, Sponsa statim a Sponsalibus, etiam juratis, resilire potest, sive causa discessus fuerit necessaria, sive voluntaria. *numer.* 249. Proponitur, & diluitur objectio. *num.* 250. Sponsa (nempe de futuro) non tenetur sequi Sponsum vagantem &c. *num.* 251. Fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, Sponsalibus superveniens, dat innocenti facultatem resiliendi. *num.* 252. Solvitur objectio. *numer.* 253. Sponsus resilire potest a Sponsalibus, quando Sponsa post illa vim passa fuit ab altero: uti & Sponsa, quando Sponsus vi adactus fuit ad fornicandum. *numer.* 254. & 255. Etiam fornicatio Sponsi, vel Sponsæ, contractionem Sponsalium antegressa, & ignorata; postmodum vero detecta, dat innocenti facultatem resiliendi. *numer.* 256. Solvitur objectio. *numer.* 257. Quando tam Sponsus, quam Sponsa post Sponsalia fornicatur, neutri resilire licet. *num.* 258. Satisfit argumentis contrariis. *numer.* 259. & *seqq.* Idem esto judicium, quando uterque Sponsorum fornicatus est ante Sponsalia, & hoc post Sponsalia innotescit. *numer.* 261. Justam a Sponsalibus resiliendi causam præbet notabilis mutatio, sive circumstantia, quæ, si ante contractionem Sponsalium existitisset, vel cognita fuisset, merito ab eorum contractione absterruisset personam, a simili circumstantia immunem. *num.* 263. Dissolvitur argumentum contrarium. *numer.* 262. Unde dignosci valeat, quod Sponsalia non fuissent contracta, si hanc, vel illam circumstantiam adesse, vel abesse non latuisset aut superventuram creditum fuisset? *num.* 265. Perinde est, sive mutatio, præbens causam resiliendi a Sponsalibus physica sit, sive moralis. *numer.* 266. Quando uterque Sponsus in paupertatem incidit, utrique a Sponsalibus resilire licet. *numer.* 267. Dionysius tenetur in utroque foro ducere Dionysiam, quam solicitavit ad faciendam copiam corporis, & sub conditione, si fuerit imprægnata, Matrimonium prætendenti, reposuit hæc verba, *te non deseram*, licet per ea non intenderit promittere Matrimonium, sed dare pecuniam &c. *num.* 268. Quid Juris, si Donatus pater ex tribus filiabus unam indeterminate Donatiano spondeat dare in Matrimonium, & Donatianus vicissim spondeat unam ducere, & quidem illam, quam pater determinaverit, puellis in utranque sponsionem consentientibus? *num.* 269. Promissio Donatiani, & repromissio puellarum in specie facti non obtinet rationem Sponsalium, nec inducit impedimentum publicæ honestatis. *numer.* 270. Sponsalia inter Cajetanum raptorem, & Semproniam raptam, licet adhuc in potestate raptoris constitutam, in ea valent. *numer.* 271. Dativus, qui duabus puellis successive Matrimonium promisit sub conditione, tenetur ducere primam, licet conditio posteriorum Sponsalium prius evenerit. *numer* 272. Diomedes, qui cum duabus puellis successive Sponsalia iniit, non tenetur ducere secundam, etsi prima suo jure cesserit, nisi in contractione secundorum Sponsalium expresse adjecerit hanc conditionem: *ducam te, si prima Sponsa promissionem Sponsalitiam remiserit.* *numer.* 273. Dympna, dum audit, & videt, suum Sponsum non raro esse cum alia, eamque osculari, amplexari &c. justam a Sponsalibus resiliendi causam habet. *n.* 274. Juliana, post inita cum Dioscoro Sponsalia, bis imprægnata, non potuit per se loquendo, promissionem Sponsalitiam Dioscoro licite remittere, propter præjudicium inde resultans in proles adhuc superstites. *num.* 275. Dativa, postquam cum duobus juvenibus, quorum unus erat rusticus, & alter sartor, successive Sponsalia contraxerat, juste resilit, ubi sciit, utrunque Sponsum passione herniaca laborare. *n.* 276. Demetrius tria dubia proponit. Primum est, an, & qua ratione solvi Sponsalia possint per dispensationem? Secundum, an ad illa dissolvenda opus sit authoritate Judicis? Tertium, quomodo de causa aliqua, ut propter eam recessus a Sponsalibus sit Sponsis permissus constare debeat? Et redduntur ad singula resolutiones. *num.* 277. Vid. præterea: *Sponsi.*

Sponsalitia largitas.

Nomine *Sponsalitiæ Largitatis* veniunt ea munera, quæ Sponsi mutuo dant in contestationem stabilis affectus, & contemplatione Nuptiarum. *part.* 4. *num.* 260. Sponsalitia Largitas, secuto Matrimonio, est in pleno dominio recipientis. *cit. part.* 4. *num.* 262. Unde contraria est natura Sponsalitiæ Largitatis, & Arrhæ; nam illa (ut primum diximus) solum fit accipientis, secuto Matrimonio, ista vero, cum se habeat instar pignoris, non fit accipientis, nisi, Matrimonio non secuto. *ibid.* Vid. *Arrha.* Si Matrimonium non sequatur sine alicujus culpa, revertitur Sponsalitia Largitas ad donantem, nisi Sponsus ante Nuptias dederit osculum (libidinosum) Sponsæ, vel exercuerit cum ea copulam: tunc enim Sponsus donans dimidiam partem amittit, eamque lucratur Sponsa. Sin autem ex culpa donantis non sequitur Matrimonium, res donata persistit apud accipientem; si ex culpa accipientis, redit ad donantem. *part.* 6. *n.* 201. Potest autem valide, & licite adjici Sponsalibus &c. *cit. part.* 6. *num.* 297. Vid. *Sponsalia.*

Sponsi.

Sponsi vi contractus Sponsalitii obligantur ad omittenda omnia, & singula, quæ fidei datæ, & executioni Matrimonii promissi quomodolibet obesse queunt. *part.* 6. *num* 176. Contractum Sponsalitium, quando eidem pro impletione obligationis non adjecerunt certum tempus, executioni mandare tenentur, quamprimum altera pars exigit; attamen, per se loquendo, probabilius non prius, quam exigat. *ibid. num.* 177. Sponsus, vel Sponsa, a Sponsalibus injuste resiliens, & nolens contrahere Matrimonium, non tantum a Confessario non potest absolvi; sed etiam a Judice Ecclesiastico; imo interdum a Judice quoque seculari debet, per se loquendo, compelli ad standum promissis, si monitio non sufficiat. *num.* 178. Etiam a Sponsalibus conditionatis (conditione possibili, & honesta) Sponsis resilire non licet, sive ante, sive post eventum conditionis, nisi vel mutuo consensu in illorum dissolutionem consentiant, vel superveniat justa causa resiliendi. *num.* 180. Sive Sponsus, sive Sponsa fornicetur cum alia persona, præter peccatum luxuriæ committit etiam peccatum injustitiæ; consequenter tam ille, quam ista tenetur in Confessione exprimere circumstantiam status Sponsalitii. *num.* 182. Dissolvuntur argumenta Adversantium. *num.* 185. & *seqq.* De reliquis huc pertinentibus, aut reducibilibus, Vid. *Sponsalia. Arrha. Sponsalitia Largitas.* Porro Sponsi, si delectentur de copula exercenda tempore Matrimonii, mortaliter peccant: idque verum est, sive delectatio sit sensibilis, sive rationalis tantum. *part.* 2. *num.* 701. Oscula, tactus, & amplexus non libidinosi, dum fiunt in contestationem mutui, & honesti amoris, sunt Sponsis liciti, vel etiam positive honesti, tametsi inde oboriatur delectatio venerea, modo eam non intendant, nec in eandem consentiant. *cit. part.* 2. *n.* 707.

Sponsio.

Sponsio est *contractus, in quo certantes de alicujus rei eventu sibi invicem aliquid spondent dandum ei, qui veritatem fuerit assecutus.* E.g. Certo tecum decem florenis, hanc, vel illam civitatem esse ab hostibus captam. *part.* 4. *n.* 815. Ad hujus contractus justitiam requiritur, ut, qui spondet, de rei veritate non sit certus; alias deficeret æqualitas, si in uno spondentium esset periculum, in altero non: nisi forte alter pertinaciter contradicens etiam te invitum traheret ad spondendum &c. *ibid.*

Sportula. Vid. *Munera.*

Spurius.

Spurius dicitur, qui est ortus *ex coitu damnato*, id est, qui habet parentes, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis, nec tempore intermedio potuit validum consistere Matrimonium. *part.* 3. *n.* 382. Spurius est irregularis, *ibid. num.* 383. Vid. *Illegitimus.*

Statutum.

Prælati Ordinis nostri Seraphici Statuta, vim Legis habentia, totumque Ordinem, vel Provinciam obstringentia, condere non valent, nisi cum Capitulo Generali, vel Provinciali respective. *part.* 1. *n.* 279. *v. Ubi tamen advertendum.* Statuta autem sic condita obligant in conscientia, non quidem ad actum immediate intentum, sed ad pœnam, supposita transgressione: quapropter sunt veræ Leges. *cit. part.* 1. *n.* 373.

Sterilis.

Steriles valide, & licite contrahunt Matrimonium: etsi enim laborent impotentia generandi, non tamen laborant impotentia coeundi, & quæ sit impedimentum Matrimonii. *part.* 6. *n.* 618.

Holzmann Theol. Moral. Tom. II.

Stipendia Missarum.

Stipulatio.

Studiosi.

Stuprum.

Subdelegatio.

Subditus.

Subsannatio.

Substitutio testamentaria.

Successio ab intestato.

Successor.

Con-

Censurantis absolvere a censura Hominis, etsi specialiter, seu per sententiam specialem lata: in iis nempe casibus, in quibus ipse Auctor censuræ, seu Antecessor, si viveret, absolvere posset. *part.* 3. *numer.* 128. An, & quomodo mala fides Auctoris noceat, & bona prosit Successori ad præscribendum? *part.* 4. *numer.* 112. Quoad alia huc pertinentia, aut reducibilia. Vid. *Hæres. Hæreditas. Substitutio testamentaria. Successio ab intestato.*

Suffragia communia Ecclesiæ.

Per *communia Ecclesiæ Suffragia* intelliguntur quædam subsidia spiritualia, quibus Ecclesia suorum fidelium necessitates, præsertim spirituales, sublevare solet: cujusmodi sunt Sacrificium Missæ, quod nomine totius Ecclesiæ offertur; indulgentiæ, ex communi Ecclesiæ thesauro depromptæ; orationes publicæ in Processionibus, Choro, aut alias nomine Ecclesiæ peragi consuetæ: non vero orationes, quæ funduntur proprio seu privato nomine, licet cæteroquin authoritate Ecclesiastica approbatæ sint: sic enim fusæ censentur inter preces, & suffragia privata. *part.* 3. *num.* 157. Suffragia communia Ecclesiæ duplicem valorem habent; unum ratione personæ offerentis, & alterum ratione Ecclesiæ, cujus nomine offeruntur. Prior perditur, quando persona offerens est indigna, seu in statu disgratiæ constituta: non item posterior, quippe dependens ab Ecclesia, quæ est semper sancta, & grata Deo. *part. & n. cit.* Imo Sacrificium Missæ (non item alia Ecclesiæ suffragia) communi valori Ecclesiæ superaddit adhuc alium valorem principaliorem ex meritis Christi, cujus personam gerit Sacerdos Sacrificium offerens &c. *ibid. num. cit. & num.* 294. Hinc Sacrificium Missæ valide offertur pro excommunicato, quamvis non tolerato: e diversu alia Ecclesiæ suffragia pro tali excommunicato invalide offeruntur. *cit. num.* 294. *in respons.* 1. Licite vero nec Sacrificium Missæ, nec alia Ecclesiæ suffragia efferuntur pro excommunicato non tolerato, nisi contritu. *ibid. in respons.* 2. *& num.* 158. Pro excommunicatis autem toleratis de facto probabilius offerri, & applicari possunt, valide, & licite, quamvis ipsi ea petere, citra peccatum mortale, non possint. *ibid. n.* 160. *&* 163. Vid *Excommunicatio. Excommunicatus.* Si excommunicatus per contritionem sit restitutus in statum gratiæ, recipit quidem communem influxum ab Ecclesia, id est, communicat quidem cum fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus; at non communicat cum illis in orationibus, & suffragiis communibus, quandiu perseverat excommunicatio, quæ absolutione, non contritione, tollitur. *cit. num.* 294. *in respons. ad* 2. *argum.* Ubi proinde discernendum inter communionem fidelium, quæ in charitate, seu gratia sanctificante fundatur, & ideo in Symbolo Apostolorum *Communio Sanctorum* appellatur; ac inter communionem, seu participatione fidelium in suffragiis, quæ Ecclesia offert pro fidelibus per suos Ministros. Prior quippe communio non pendet ex intentione operantis, sed ex sola societate bonorum sequitur virtute Charitatis, qua fit, ut, quo singula membra sunt meliora, eo totum corpus, quod ex membris, seu fidelibus constatur, gratius reddatur Deo; sicque Deus singulariter, & speciali liberalitate respicit unumquemque justum propter consortium aliorum. Ab hac communione non excluditur excommunicatus vi censuræ, sed vi culpæ tantum, qua proin expiata, protinus ad illam redit, efficiturque particeps, quamvis vinculo excommunicationis adhuc irretitus sit. Posterior autem communio, seu participatio suffragiorum Ecclesiæ sita est in eo, quod quis sit de classe illorum, pro quibus Ecclesia directe orat, sive in ordine ad satisfaciendum, sive impetrandum, sive de congruo merendum. Atque ab ista communione exclusus manet excommunicatus, donec ab excommunicatione absolvatur. *ibid.*

Sumptio Eucharistiæ. Vid. *Eucharistiæ Susceptio.*

Superbia.

Superbia est vitium, seu peccatum, virtuti Humilitatis oppositum per excessum *part.* 1 *n* 700. Quid sit virtus Humilitatis? Vid. *Humilitas.* Superbia, generatim sumpta, describi solet, quod sit *inordinatus appetitus, vel amor propriæ excellentiæ. ibid. num.* 701. Ceterum inordinatio illa in hoc sita est, quod superbus, ex majore, quam par est, æstimatione sui suarumque perfectionum inflatus, majora, & altiora se affectet, sive quod se pluris æstimet, quam reipsa mereatur, atque ita mensuram a Deo constitutam excedat. Qui excessus contingere tripliciter potest; videlicet 1. Cum quis desiderat habere aliquid independenter a Deo, seu tanquam propriis meritis debitum. 2. Cum quis desiderat aliquid dependenter quidem a Deo, sed meliore, & singulari modo cum despicientia aliorum. 3. Cum quis nec alium despicit, nec aliquid independenter a Deo desiderat, affectat tamen excellentiam majorem, ac meretur. *ibidem.* Dividitur superbia in *completam*, & *incompletam*. Superbia completa, seu perfecta, est per quam superbus usque adeo se extollit, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus, & præceptis subjici nolit. Superbia incompleta, seu imperfecta est, quæ, salva subjectione erga Deum, & Superiores, sistit nimia sui æstimatione, & amore propriæ excellentiæ. Id quod fieri duplici modo potest, videlicet cum, vel sine relatione ad alios. Priore modo fit, dum quis inordinate appetit excellere super alios: & hic superbiendi modus, licet sit incompletus, & imperfectus relate ad modum superbiendi complete, & perfecte; est tamen perfectus, vel (ut rectius loquar) proprius relate ad modum superbiendi mox explicandum: siquidem ille censetur, & dicitur proprie *superbire*, qui vult, vel etiam contendit *super alios ire*. Posteriore modo fit, dum quis seipsum, suamque excellentiam nimium æstimat, & amat, sine respectu, & comparatione ad alios, & horum excellentiam. Atque hic superbiendi modus est improprius: veluti ex immediate dictis relinquitur. *cit. part.* 2. *num.* 702 Superbia completa semper est peccatum mortale, idque gravissimum; incompleta vero veniale solum per se loquendo. *ibid. num.* 703. Recensentur filiæ superbiæ, & sunt *præsumptio, ambitio, vana gloria*: item *pertinacia, hypocrisis, curiositas, inventio novitatum, vanus ornatus &c.* Omnes hæ filiæ de se, ex communi DD. sensu, veniale non excedunt, nisi fiant causa præceptum aliquod graviter violandi, aut proximo graviter nocendi. *num.* 704. Superbia est peccatum capitale; imo capitalius, ac cetera peccata capitalia. *num.* 750. *in respons. ad argum. prope fin.* Specificantur remedia, adversus superbiam præscribenda. *cit. num.* 750. *in respons. ad Cas.*

Superior.

Superiores Religionum exemptarum (Generales, Provinciales, Locales) habent potestatem ordinariam dispensandi in votis suorum Religiosorum (sive hi Professi sint, sive Novitii) in quibus dispensare possunt potestate ordinaria Episcopi cum suis Diœcesanis. *part* 2. *num.* 456. E diverso Superiores Religionum non exemptarum nequeunt in votis dispensare cum suis Religiosis, sive jam Professis, sive adhuc Novitiis, nisi illis id concessum sit ex Pontificis, vel Episcopi commissione, aut ex consuetudine. *ibid. n.* 462. Superiores Regulares, Generales, Provinciales, Locales (idem cogita de Superiorissis, nempe Abbatissis, & aliis Monialium Præfectis) directe irritare valent omnia vota, a suis Religiosis professis tempore subjectionis edita, quandiu eorum Superiores manent: exceptis votis, quæ ipse Status Religiosos exigit; & voto strictiorem Religionem ingrediendi. *ibid. num.* 439. *v. Fit.* 2. Valent præterea irritare, sed indirecte tantum, vota personalia Novitiorum, quando Probationi, præjudicant: non item realia pure talia, utpote Novitiorum functionibus nullum præjudicium afferentia. *num.* 447. *v. Fit.* 2. Superior non potest proprium votum irritare sive per seipsum, sive per alium a se delegatum; esto in eo dispensare possit sive uno, sive altero modo. *num.* 442. junctis iis, quæ habentur. *part.* 2. *num.* 494. *& seqq.* Superiores Regulares non peccant, quando aperiunt, & legunt literas suorum subditorum (dummodo non sint destinatæ ad altiorem Superiorem) quando licentiam, aut etiam mandatum legendi habent ex Statutis, vel saltem illarum lectio est necessaria, aut utilis ad bonum subditorum. *part.* 2. *num.* 649. *in limitat. respons.* Possunt iidem Superiores cum suis Religiosis dispensare super jejunio. *part.* 3. *num.* 19. Item (saltem si a jurisdictione Episcoporum sint exempti, ac independentes) super recitatione Breviarii. *cit. part.* 3. *num.* 477. *v. Parvo.* Quænam, & quomodo Superior Regularis suis Subditis percipere valeat? Vid. *Regula. Regularis. Religiosus.* Quosnam casus sibi reservare possint, vel etiam de facto reservent Religionum Superiores? *part.* 5. *n.* 691. Generalis potestate ordinaria omnes Religiosus sui Ordinis a casibus, in tali Ordine reservatis, absolvere potest; Provincialis Religiosos suæ Provinciæ, aut per eam transeuntes; Superiores Locales, v. g. Guardiani (& in horum absentia Vicarii) Religiosos suorum Conventuum, aut illuc venientes. *part.* 5. *& n. cit.* Non potest Superior, auditis solis peccatis reservatis, Sacramentaliter absolvere pœnitentem, remittendo eundem ad alium Confessarium pro absolutione a reliquis peccatis mortalibus non reservatis: nisi adsit causa excusans ab integritate materiali Confessionis. *cit. part.* 5. *num.* 692. Proponitur, qualiter Superior in simili casu se gerere debeat. *ibid.* Superior, quem Confessarius sollicitat pro concedenda facultate absolvendi v. g. a casu reservatu, obstringitur sigillo Confessionis. *ibid. n.* 723. *v. Quarta est.*

Super-

præsentes, præscribuntur spatio triginta annorum. *n.* 144. Res immobiles Ecclesiarum, Romana inferiorum, præscribuntur quadraginta annis; mobiles vero triginta tribus annis. *n.* 145. Res Ecclesiæ Romanæ tam mobiles, quam immobiles, non possunt præscribi, nisi spatio centum annorum. *n.* 146. Servitutes reales, sive continuæ, sive discontinuæ præscribuntur tempore longo. *num.* 527. Servitutes personales cum titulo, tempore longo, & sine titulo, longissimo præscribuntur. *ibid.* Servitutes reales non solum continuæ, sed etiam discontinuæ, ob non usum longo tempore amittuntur illis exceptis, quarum usus annorum, mensium, vel hebdomadarum intervallo est interruptus; hæ enim tam inter præsentes, quam inter absentes viccennio intereunt. *ibid.* Servitutes personales decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes amittuntur, sive fuerint constitutæ in rebus mobilibus, sive immobilibus. Excipitur habitatio. *ibid.*

Tentatio Dei.

Quid intelligatur nomine *Tentationis*. *part.* 2. *num.* 326. Tentatio Dei est *dictum, vel factum, quo quis experimentum capit de aliqua Divina perfectione*. *ibid. num.* 327. Dividitur in *expressam*, & *tacitam*. *num.* 328. Deducitur corollarium. *num.* 329. Non solum expressa, sed etiam tacita tentatio Dei est mortale peccatum. *n.* 330. & 331. Una ab altera non distinguitur essentialiter. *n.* 332. Matina peccat peccato tentationis Dei, dum nuda mano contingit, aut contingere spondet candens ferrum ad suam innocentiam marito, cui de polluto thoro suspecta erat, asserendam. *num.* 392.

Testamentum.

Testamentum est *ultima voluntas, directam hæredis institutionem continens*. *part.* 4. *num.* 718. Dividitur in *solemne*, & *insolemne*. Solemne dicitur, quod habet omnes solemnitates a Jure requisitas. Insolemne appellatur, quod non habet omnes solemnitates a Jure requisitas, ex privilegio tamen, seu speciali favore Jure sustinetur, atque ideo *privilegiatum* vocatur. Testamentum solemne subdividitur in *scriptum*, & *nuncupativum*. Scriptum dicitur, quod in scripturam redactum, & debito modo subscriptum, ac subsignatum est. Nuncupativum appellatur, quod fit sine scriptura, & subscriptione, oretenus tantum expresso, & nominato coram testibus hærede. Testamentum insolemne, seu privilegiatum continet sub se sex species, nempe *Testamentum pium*, seu ad causas pias conditum: *Testamentum inter liberos factum a parentibus*: *Testamentum militum*: *Testamentum rusticorum*: *Testamentum tempore pestis*: *Testamentum publicum*, quod nimirum fit coram Principe, aut ejus deputato, vel eidem offertur, aut coram Judice, & vocatur *apud Acta*, vel eidem offertur, & dicitur *ad Acta datum*. *ibidem*. Recensentur solemnitates, de Jure ad solemne testamentum, tum scriptum, tum nuncupativum, requisitæ. *num.* 719. Quænam testamenta sint regulanda secundum præscriptum Juris Civilis, & quænam secundum præscriptum Juris Canonici? *num.* 720. Testamentum, requisitæ solemnitatis defectu laborans, est invalidum pro foro externo, & probabilius etiam pro interno. *num.* 721. Quo casu corruunt quoque legata profana &c. *n.* 752. Recensentur requisita ad Testamentum insolemne, ac privilegiatum, & singulas ejusdem species, supra commemoratas. *n.* 723. Testamentum facere possunt generaliter omnes, qui nullo Jure prohibentur. *n.* 726. Quinam Jure testari prohibeantur? *n.* 727. Accessoria (potiora) Testamenti sunt 1. *Apertura testamenti*, 2. *Beneficium inventarii*, 3. *Petitio*, & *acquisitio hæreditatis*, 4. *Renunciatio hæreditatis*, 5. *Jus accrescendi*, 6. *Executio testamenti*. *n.* 738. Apertura testamenti fit, ut pateat, quisnam sit institutus hæres, & quænam ipsi, vel aliis cohæredibus, legatariis &c. relicta sint &c. Nomine Inventarii intelligitur annotatio, seu repertorium rerum in testamento contentarum; estque faciendum ab hærede, vel Notario publico intra tres menses delatæ, & cognitæ hæreditatis, si hæc sit præsens; vel, si sit absens, aut nimis remota a domicilio hæredis, intra annum, a die mortis testatoris computandum &c. Hæreditatis petitio est actio, qua hæres agit adversus eum, qui pro hærede, vel possessore possidet, & agendo petit, ut ipse hæres declaretur, ac res hæreditariæ sibi restituantur &c. Acquisitio hæreditatis pro diversitate hæredum diversimode peragitur. &c. Renunciatio hæreditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis habet, vel habere potest ad hæreditatem &c. Jus accrescendi (prout hic sumitur) est facultas, qua alicui jam habenti aliquid de hæreditate accrescit alia hæreditatis portio, ex certa causa vacans &c. *ibid.* Executio testamenti pertinet ad Executores &c. Vid. *Executor Testamenti*. An, ubi constat de determinata voluntate testatoris ad certas causas, ea commutari possit, & a quo? *num.* 739. Per contraria Testamenti intelliguntur modi, quibus testamentum, semel valide conditum, resolvitur: quales sunt *irritatio*, *destitutio*, *ruptio*, *officium Judicis* &c. *num.* 740. Nicostratus, qui uxorem suam importunis precibus sollicitavit, ut ipsum in testamento hæredem scriberet, præteritis fratribus consanguineis, hæreditatem accipere, & retinere potest in utroque foro. *num.* 821. Nemesius injuste agit, fingendo necessitatem, ut bona immobilia, quæ juxta Legem Patriæ ad duos ejus nepotes æquali portione devolverentur, vendere possit uni quoad majorem portionem, donatis eidem prævie bis mille Imperialibus, quibus emat. *num.* 825.

Testis.

Testis (*Judicialis*) est *persona idonea, quæ ad instantiam Partis evocatur, & examinatur a Judice ad faciendam fidem de re controversa*. *part.* 3. *num.* 685. Testis *omni exceptione major* est, contra quem nulla exceptio legitima fieri potest. Videtur testem simpliciter idoneum superare, sicut gradus comparativus positivum. *ibidem*. Quinam testari possint? *n.* 686. An testes inhabiles, vel minus habiles, seu minus idonei nunquam admitti possint, vel soleant ad aliquid probandum? *n.* 687. Quando detur obligatio testandi? *num.* 688. Ad plenam probationem regulariter requiruntur, & sufficiunt duo testes. *num.* 689. Queis qualitatibus debeant esse instructi? *num.* 690. Qualiter peccet, qui falsum testimonium dicit? *num.* 691. Emericus, & Emerentianus graviter peccant contra Charitatem, dum renuunt agere testes pro Emerano quinquaginta idcirco aureorum jacturam patiente. *num.* 710. Ad legitime contrahendum Matrimonium præter Parochum requiruntur duo, vel tres testes. *part.* 7. *num.* 419. Ejusmodi testes non necessario debent esse legitimi, & omni exceptione majores. *cit. part.* 6. *num.* 420. Solvuntur objectiones. *ibid. num.* 421. & 422. Nec testes, ad contrahendum Matrimonium requisiti, necessario debent esse rogati. *num.* 423. Occurritur argumento opposito. *num.* 424. Vid. *Matrimonium*.

Thesaurus.

Thesaurus definitur, quod sit *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*. *part.* 4. *n.* 43. Ubi nomine pecuniæ veniunt etiam aliæ res nobiles, ac pretiosæ; ut monilia, torques aurei, vel argentei &c. *ibid.* Thesaurus inventus, spectato Jure naturæ, & Gentium, transit in dominium inventoris, etiamsi lateret in agro, vel fundo alterius. *ibid. num.* 9. Quænam Jure Civili statuta sint circa acquisitionem dominii in thesaurum? *loc. cit. in limitat. conclus.*

Thesaurus Ecclesiæ.

Per *Thesaurum Ecclesiæ* intelliguntur præcipue opera Christi quæ satisfactoria, quorum valor est infinitus, dein B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quibus ipsi ad satisfaciendum pro suis peccatis non indiguerunt. *part.* 5. *n.* 618. Hujus Thesauri dispensator est S. Pontifex, & relate ad eum exercet jurisdictionis actum, quando largitur indulgentias. *ibid. num.* 621.

Thuribulum.

Thuribulo unico in personarum incensatione tota thurificatio facienda est. *part.* 5. *num.* 389. *D. CLII.*

Titulus pro Ordinibus sacris.

Titulus hic triplex est, nempe *Titulus Beneficii*, *Titulus Patrimonii*, & *Titulus Paupertatis*. Titulus Beneficii (qui proprie est titulus, reliqui solum vicem tituli obtinent, & ei tantum æquiparantur) dicitur, quando Ordinandus actu jam habet Beneficium perpetuum, pacifice possessum, & ad congruam sustentationem sufficientes præbens reditus. Titulus Patrimonii est, & dicitur, quando Ordinandus actu habet bona Matrimonii (quocunque titulo legitimo acquisita) quæ sint certa, immobilia, libera fructifera, firma, & congruam sustentationem suppeditantia. Titulus Paupertatis est, ad quem Ordinantur Clerici Regulares, approbatam Religionem solemniter professi, & in Societate Jesu post emissa vota simplicia. Horum Titulorum si Ordinandus nullum haberet, illicite Ordinaretur. *part.* 6. *num.* 96. & 97. *v. Requiritur* 9. Ad Titulum Patrimonii reducitur *Titulus Pensionis*, seu Pensio in sustentationem Ordinati singulis annis solvenda, donec consequatur Beneficium, vel ubi ad Beneficium redditus fuerit inhabilis; & simpliciter vocatur *Titulus Mensæ*, per quem intelligitur cautio, qua providetur Ordinando de sufficienti, eaque perpetua sustentatione. Porro hæc cautio debet esse realis, si Titulus detur ab aliquo privato: si vero detur ab integra aliqua Communitate, vel Principe, sufficit simplex mentio instrumentaria. *part.* & *num. cit.*

Titulus

contrahere coram Parocho loci, inquo transeunter existunt. *part.* 6. *numer.* 225. Unde quando dicitur, proprium vagorum Parochum esse quemcunque Parochum, id quidem verum est, sed subintelligendum, *pro eo tempore, quo in quopiam Parochia morantur. ibid.* Si onus duntaxat Matrimonium contrahere volentium sit vagus, & alter incola, ipsis integrum est, malintne contrahere coram Parocho loci, in quo vagus existit, vel coram Parocho loci, in quo incola degit. *ibid.*

Valor rei.

Valor rei potest variari vel *intrinsece*, vel *extrinsece*. Intrinsece variatur, quando res in se, & secundum suam substantiam evadit melior, aut deterior: ut patet in pullo equino e. g. qui dum adolescit, & fit equus, in se, suaque substantia melior; dum vero senescit, iterum vilior, ac deterior evadit. Extrinsece variatur, quando res secundum se, suamque substantiam eadem permanent, jam pluris, jam minoris æstimatur: ut si modius tritici valeat nunc sex florenos; postea vero novem, vel decem. *part.* 2. *numer.* 204. *v. Antequam.* In restitutione pretii pro re aliena consumpta, vel perdita, non debet attendi præcise ad valorem, quem res habuit, sed potius ad damnum, quod domino per injustam ablationem, & consumptionem rei suæ illatum est. *ibid.* Non semper sufficit, quod restitutio fiat secundum illum valorem, quem res habebat eo tempore, quo dominus eandem consumpsisset, vel alienasset. *ibid. in respons.* 1. Nec semper est obligatio restituendi, seu compensandi valorem summum, quem res habuit tempore mediante inter tempus, quo sublata, & inter tempus, quo a fure consumpta, vel alienata est. *ibid. in respons.* 2. Sed ut magis positive, magisque universaliter pro resolvendis diversissimis casibus respondeatur, sit hic casus: Cajus furetur a Titio mensuram tritici mense Augusto, cujus valor tunc sint tres floreni: mense Decembri crescat ejusdem valor ad se florenos: mense Junio (anni nempe sequentis) decrescat ad priores tres, vel duos, imo unum. Statuamus ergo tria tempora valoris: primum valoris minoris: secundum valoris aucti: tertium valoris rursus diminuti: & inspiciamus, quo tempore Cajus triticum consumpserit, vel distraxerit: item quo Titius illud consumpsisset, vel distraxisset. *ibid. v. Sed ut magis.* Redditur jam ad casum resolutio, qualem nempe, seu quantam Cajus debeat facere restitutionem Titio in variatione valoris, & circumstantiarum immediate specificatarum. *ibid. in respons.* 3. 4. & 5. Quando dubitatur, an dominus rem servaturus fuisset ad tempus, quo pluris valebat, verisimilius facienda est restitutio pro rata dubii, prudenter ex omnibus circumstantiis expendendi. *num* 403. Fur, vel debitor non tenetur illico credere domino, dicenti, se rem fuisse consumpturum, vel venditurum tempore, quo pluris valebat, neque idcirco statim restitutionem facere juxta valorem rei majorem. Erunt igitur attendendæ insuper conjecturæ, quibus dubitationis veritatem certo expiscari possit. *num.* 406 Quod si certo non possit, sed adhuc vigeat dubitatio, restituendum erit juxta proportionem inventæ & non inventæ veritatis, seu ad ratam dubii. *num* 406. Emptor, qui privata scientia novit, vel jam factam, vel brevi faciendam, ac promulgandam a Principe, aut Magistratu legem, qua valor monetæ, sive argenteæ, sive aureæ diminuetur, has monetas præsenti valore expendere, & venditori pro mercibus tradere potest *cit. part.* 4. *num.* 787. Videri etiam potest resolutio Casus adducti. *part.* 5. *numer.* 229.

Vana gloria.

Vana gloria nomine intelligitur inordinatus appetitus inanis gloriæ, eo fine, ut manifestetur propria excellentia seu vera, seu ficta. *part.* 1. *num.* 704. Etsi filia superbiæ: non tamen excedit peccatum veniale, nisi sit causa præceptum aliquod graviter violandi, aut proximo graviter nocendi. *ibid.*

Vana Observantia. Vid. *Observantia vana.*

Vasa sacra. Vid. *Contactus rei sacræ. Paramenta.*

Vasallus, Vid. *Feudum.*

Vectigal.

Si Leges vectigalium, & tributorum conceptæ sint verbis præceptivis, immediate directis ad vectigalium, & tributorum solutionem, sunt copulative mixtæ, obligantes in conscientia non solum ad pœnam transgressori constitutam, sed etiam ad actum ab illis directe ordinatum. *part.* 1. *num.* 358 *in respons.* 1. Ad alleviandos tamen pœnitentes, ipsosque etiam Confessarios in praxi aliquo modo juvandos, duo præcipue observanda veniunt. Primum est, quod, si constet vectigal, vel tributum, sub prætextu sustentationis congruæ, vel alterius necessitatis impositum ad nutriendam pompam superfluam, vel avaritiam impendi, non oriatur in conscientia obligatio illud pendendi, vel defraudatum restituendi. Alterum est, quod multi DD excusent subditos pauperes a solvendis gabellis, quæ sunt impositæ rebus importatis, vel exportatis, ad victum necessariis; item illos, qui tantum subinde defraudant, ut magnum inde damnum Communitati non emergat. Excusant præterea illos, qui absque fraude, vel mendacio dissimulant, & non indicant merces &c. *ibid. v. Ubi tamen.*

Vena metallorum. Vid. *Metalla.*

Venatio, Venator.

Diversitas animalium. *part.* 2. *num.* 24. Animalia natura sua mansueta non fiunt primo capientis. *ibid. num.* 25. Animalia natura sua fera, sed cicurata, etiamsi aufugerint, manent in dominio, & proprietate sui domini, quamdiu retinent consuetudinem revertendi; hac vero amissa transeunt in dominium primo capientis. *n.* 26. Animalia omnino fera, & silvestria, quæ domino carent, fiunt primo capientis. *num.* 27. Peccat contra Justitiam peccato furti, & consequenter oneri restitutionis obnoxius fit, qui decipit leporem, cervum, damam, aut aliud animal silvestre e septis, pisces e piscinis, aves e caveis, quibus concluduntur. Aliud est, si illa animalia e septis, piscinis, caveis evaserint; nec sit spes illa recuperandi. *num.* 28. Feræ, quæ in circumseptis saltibus admodum magnæ amplitudinis, & vastitatis continentur, ita, ut nunquam captæ, vel quasi captæ fuerint, non sunt in illius dominio, ad quem pertinet saltus. Idem dicendum de piscibus lacuum valde magnæ amplitudinis, ex quibus aqua non deduci, nec pisces pro libitu extrahi possunt. *num.* 31. An nihilominus similem feram capiens, vel piscem extrahens, cum non committat furtum, teneatur ad aliquam restitutionem *ibid.* Cujusnam sit fera ab uno vulnerata, aut laqueo irretita, ab altero autem capta, aut laqueo exempta? *n.* 32. An Princeps facultatem venandi subditis prohibere possit? *num* 34. Qualiter peccet subditus venando, piscando, aucupando contra prohibitionem Principis? *n.* 35 Quot, & quibus modis captura animalium possit esse illicita? *num.* 36. An illicite venans, piscans &c. obligetur ad aliquam restitutionem? *num.* 37. An, & qua pœna affici venatores possint in foro externo. *num.* 38. Gerhulius in loco alteri subjecto, nulla tamen sepe circundato, successive octo lepores, & unum cervum trajiciendo, non peccat mortaliter; peccat tamen venialiter, & sub veniali ad restitutionem obligatur, per se loquendo. *num.* 148.

Venditio. Vid. *Emptio Venditio. Scandalum.*

Veneficium. Vid. *Maleficium.*

Venerabile Sacramentum.

Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio Missæ Feria quinta in Cœna Domini; nec ejusdem SS Sacramenti asservatio in Sepulchro. *part.* 5 *num.* 389. *D CCXXXVII.* Potest fieri Commemoratio de SS. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de Festo duplici, quod non sint primæ, vel secundæ classis. *ibid. D CCLXXXVIII.* Vid. *Processiones. Tabernaculum SS. Sacramenti.*

Venia peccati. Vid. *Indulgentia.*

Verba obscœna. Vid. *Turpiloquia.*

Vespera.

Quotiescunque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam Officium fuerit de prima die infra aliquam Octavam, Psalmi Vesperarum erunt de Psalterio, Capitulum de Dominica sequenti, cum sola Commemoratione de die Octava. *part.* 3. *num.* 389. *D. CCLXXV.* De aliis, huc pertinentibus. Vid. *Festum, sive Officium, Hora Canonica Octava. Translatio Festorum.*

Viaticum.

Quilibet in articulo mortis, vel probabili ejusdem periculo (sive hoc ex morbo, sive aliunde, v. g. ex puerperio, belligeratione, navigatione &c. impendeat) constitutus, tenetur non solum ex præcepto Ecclesiastico, sed etiam Divino recipere Viaticum, id est, S. Communionem, prout hæc obtinet rationem Viatici. *part.* 3. *num* 61. Si tamen semel ita sumpserit, non tenetur amplius, perseverante eodem periculo, illud sumere, etsi possit. *ibid.* Consultum est, ut casu, quo S. Communio semel præbita est per modum Viatici, perseverante eodem periculo, sæpius detur non per modum Viatici amplius, sed sub ratione simplicis Communionis. *ibid.* Xaverius incidens in periculum mortis tenetur adhuc communicare, seu sumere Viaticum, quamvis ante præcepto Communionis annuæ, sive Paschalis jam satisfecerit. *n.* 77. Idem cogita de præcepto Confessionis; vi cujus proinde Xaverius (supposito mortali peccato) teneretur iterato confiteri in periculo mortis. *ibid. in corollar.* Viaticum dandum est infirmis, etsi

non

non jejunis. Imo si periculum mortis perduret, iidem infirmi sæpius communicari possunt non jejuni, sive dein S. Synaxis illis præbeatur iterum per modum Viatici, sive per modum simplicis Communionis. *cit. part.* 3. *n.* 73. *v. Dixi* 3. Quanta circa dationem Viatici obligatio incumbat Parocho? V. *Parochus*.

Vicarius Capituli Cathedralis.

Capitulum Cathedrale, Sede Episcopali vacante, vi jurisdictionis, ob mortem Episcopi ad se devolutæ, potest, & debet novum constituere Vicarium, vel confirmare antiquum, qui fuit Sede plena: idque (ut evitetur confusio, & negotia non nimium protelentur) intra octo dies vacationis sibi notificatæ. *part.* 1. *n.* 457. *in ratione probativa responsionis ad Cas.*

Vicarius Episcopi.

Vicarius Generalis Episcopi causam Ecclesiasticam, licet jam cœptam, sublato per mortem Episcopo, prosequi, & absolvere non potest: quia potestas, & tribunal Vicarii Generalis est idem cum potestate, & tribunali Episcopi; consequenter per mortem Episcopi perit, sicut perit potestas, & tribunal ipsius Episcopi. *part.* 1. *n.* 427. Unde a Vicario Generali ad Episcopum non datur appellatio; nec consuetudo sic appellandi introduci potuit, aut potest, cum talis consuetudo esset irrationabilis, & pugnaret contra substantiam appellationis, utpote quæ essentialiter est provocatio a Judice inferiore, distinctam potestatem, & tribunal habente, ad Judicem superiorem, non vero a pari ad parem, sive ab eodem ad eundem, & cujus utriusque sit eadem potestas, & tribunal. *part.* 1. *& n.* 427. *citt.* item *ead. part. n.* 552. Poterit tamen quis propter gravamen, quod a Vicario Generali sibi illatum autumat, supplicationem interponere apud Episcopum: quia, licet sit utriusque idem tribunal, & eadem jurisdictio substantialiter, ac repræsentative (quod, ut diximus, impedit appellationem) accidentaliter tamen differt jurisdictio Vicarii a Jurisdictione Episcopi, cum illa ab hac dependeat, arctarique valeat, ejusdem exercitio in certa causa prohiberi: id quod sufficit, & suffragari potest ad arripiendum remedium supplicationis, antefato modo interponendæ *cit. num.* 552. Vicarius Generalis Episcopi potest potestate ordinaria ferre censuras. *part.* 3. *numer.* 88. *v. Quare prædicta potestas.* Vicarius Generalis non potest dare dimissoriales sine speciali mandato Episcopi, aut nisi Episcopus in remotis agat. *part.* 6. *numer.* 88. In impedimentis Matrimonii impedientibus, quæ sunt Juris Ecclesiastici tantum, dispensare valet Vicarius Generalis. *cit. part.* 6. *n.* 658. Si forte pro executore dispensationis, super impedimento Matrimonii a Dataria datæ, deputetur Vicarius Generalis, tunc Episcopus illam exequi nequit, & vice versa: Successor tamen Vicarii Generalis, si executio ei fuerit demandata ratione dignitatis, & non sub ratione propriæ personæ, nequit eam subdelegare alteri; quia circa eam nudum ministerium, non vero jurisdictionem habet. *part.* 6. *numer.* 679. Vicario Episcopi Missam cantanti solemnem non ministrant Canonici: neque fit circulus ante ipsum. *part.* 5. *numer.* 389. *D. XXVIII.* Episcopo absente non potest Vicarius Missas celebrare Conventuales, nec Pontificales. *ibidem.* *D. XXIX.* Absente Episcopo spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere, & dirigere Processiones cum consilio Capituli. *D. XXX.* Soli Canonici debent facere consuetos circulos ante Episcopum, non autem Vicarius Generalis. *D. CIII.* Prima Dignitas debet dare candelam Episcopo in Festo Purificationis B. Virginis Mariæ, & Episcopus statim primæ Dignitati ante Vicarium Generalem. *D. CXXXII.* Ad Missam Vicarii Generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo Capellani. *D. CLXXVI.* Vicarius ut Vicarius non potest absente Episcopo Missas cantare solemnes, SS. Sacramentum, aut sacras Reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus Ecclesiasticis; sed tantum præesse, ut omnia debito ordine fiant. *D. CXXXI.*

Vidua. Viduus.

Vidua non licet delectari de copula exercita tempore Matrimonii; sed delectando mortaliter peccant: idque verum est, sive delectatio sit sensibilis, sive rationalis tantum. *part.* 2. *numer.* 701. Si viduus (vel alius solutus) carnaliter congrediatur cum vidua, simplicem fornicationem committit. Unde in Confessione satisfacit, si dicat, se fornicatum esse, vel habuisse rem cum soluta: modo exprimat (alioquin a Confessario interrogari debebit) an copulam perfecerit, vel restiterit, semenque dispersit? *cit. part.* 2. *num.* 730.

Vinculum Matrimonii.

Hoc vinculum describitur a Scoto, quod sit *vinculum indissolubile inter marem, & feminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandum prolem, & debite educandam. part.* 6. *numer.* 282. Reipsa nihil aliud est, quam denominatio extrinseca, ex præterito contractu Matrimonii relicta, ut cujus contrahentes maneant inter se colligati cum quodam dominio, & subjectione ad observanda ea, quæ conjugum sunt. *part. & num. citt.* De aliis, quæ istud vinculum concernunt, Vid. *Matrimonium.*

Vindicatio rei.

Vindicatio rei, generice accepta, est actio realis, qua rem nostram quoad dominium, & possessionem persequimur in Judicio: adeoque est effectus *juris in re*; sicut *condictio*, quæ est actio personalis, est effectus *juris ad rem. part.* 4. *num.* 4. *v. Differunt.* 5. Vindicationis rei novem species, seu actiones reales (esto non omnes semper, & vere reales sint) rerum singularium persecutoriæ enumerantur: nempe *vindicatio rei specifice accepta: actio confessoria: actio negatoria: actio publiciana: actio rescissoria: actio pauliana: actio hypothecaria: actio Serviana: actio quasi Serviana.* Actionibus istis rerum singularium persecutoriis accedit vindicatio rerum universalium, qualis est *petitio hæreditatis. ibid.* Ubi etiam recensitæ actiones breviter exponuntur.

Vindicta. Vid. *Ira.*

Violentia.

Violenti definitio; & differentia a *coacto, necessario, & involuntario. part.* 1. *n.* 588. Voluntas non potest pati violentiam in suis actibus elicitis; bene vero in actibus imperatis potentiarum externarum. *ibid. num.* 589. Violentia impedit actum humanum simpliciter. *num.* 590. Quæ per violentiam fiunt, non possunt cadere sub meritum, nec sub demeritum, sive peccatum. *num* 591. Non est immunis a culpa, qui violentiam sibi illatam non repellit illis viribus, ac modis, quibus hic, & nunc potest, & tenetur impedire actum ab aggressore attentatum. *num.* 592.

Virginitas.

Virginitas, proprie, & theologice sumpta, est *virtus inclinans ad perpetuo abstinendum ab omni deliberata voluptate venerea in corpus redundante.* Distinguitur a Castitate perfecta, sicut minus late patens a magis late patente. Tria sunt notanda circa Virginitatem. Primum est, quod semel amissa reparari quidem possit quoad culpæ remissionem, non autem quoad dignitatem præmii accidentalis, Virginibus promissi, quod est specialis laureola, qua Deus in Cœlo Virgines, sive mares, sive feminas, coronat. Secundum est, quod Virginitas qua talis deperdatur per solas voluptates in corpus redundantes. Tertium est, quod actus voluptuosi, seu voluptates venereæ in corpus redundantes, Virginitatem theologicam non pessumdent, si hominis deliberationem, & libertatem præveniunt: esto pessumdent, & destruant Virginitatem vulgariter, id est, pro carnis integritate acceptam, quacum omnes nascuntur, & quæ rationem virtutis non obtinet: hæc quippe deperditur per quemcunque actum, per quem fit seminis resolutio, vel rumpitur signaculum muliebre, sive is voluntarius sit, sive non. *part.* 1. *num.* 712.

Vis. Vid. *Metus.*

Ultima Voluntas.

Ultimæ Voluntates non sunt contractus (neque pacta) cum unius solum consensu, eoque semper revocabili circumscribantur. *part.* 4. ante *num.* 713. Ultima Voluntas ut sic definitur *gratuita dispositio, quam quis facit de suis bonis intuitu, & in tempus mortis. ibid. num.* 713. Continet sub se quinque species, nempe *Testamentum, Codicillum, Fideicommissum, Legatum, Donationem mortis causa. ibid.* Vid. *Testamentum. Codicillus. Fideicommissum. Legatum. Donatio.*

Unctio Extrema. Vid. *Extrema Unctio.*

Unio Beneficiorum.

Unio Beneficiorum (vel Ecclesiarum) est *duorum* (vel plurium) *Beneficiorum a Legitimo Superiore facta annexio. part.* 3. *num.* 439. Fieri potest duobus præcipue modis, videlicet *æque principaliter, & accessorie. ibid.* Episcopus unire potest, juxta formam Juris communis, Beneficia, & Ecclesias sibi subjectas &c. *ibid.* Alii Prælati, Episcopo inferiores, v. g. Abbates Beneficia unire non possunt absque consensu proprii Episcopi, vel absque speciali privilegio &c. *num.* 440.

Volun-

Voluntarium.

Voluntarium, generaliter sumptum, aliud est *objectivum* (quod rectius dicitur *volitum*) & aliud *formale*. Nomine prioris venit ipsum objectum: nomine vero posterioris ipse actus, quo objectum est volitum. *part.1. n.372.* Voluntarium formale (quod solum dici potest proprie voluntarium) est *actus procedens a principio intrinseco cum cognitione objecti, finis, & aliarum circumstantiarum, de se sufficiente ad genus moris*. Atque ita definitum dividitur in *necessarium*, & *liberum*. Necessarium est, quod procedit a voluntate ut determinata ad unum; quomodo procedit actus amoris beatifici in patria. Liberum est, quod procedit a voluntate ut indifferenti ad utrumlibet; quomodo procedunt, saltem regulariter, & ut plurimum, actus hominum viatorum. *ibid.* Solum voluntarium liberum est principium formaliter & essentialiter constitutivum actus humani. *ibid. n.373.* Voluntarium liberum subdividitur in *formale, virtuale, & habituale*: in *elicitum*, & *imperatum*: in *expressum*, & *tacitum*: in *directum*, & *indirectum*. n.374. Ubi etiam hæc membra dividentia explicantur.

Votum.

Votum est *promissio perfecte deliberata, perfectaque, ac disposite voluntaria, facta Deo, de bono possibili, quod sit præstantius suo per se opposito, & jam habito a vovente. part. 2. n.408.* Explicantur singulæ particulæ definitionis. *ibid.* An valeat votum, quod quis edit animo se non obligandi, aut opus promissum non exequendi? n.410. An metus gravis injuste incussus: item error, vel ignorantia, votum irritent? n.411. An valeat votum, cujus materia partim est honesta, partim turpis, partim possibilis? n.412. An valeat votum, quo quidem vovetur res bona, sed ob finem malum? n.413. Quomodo peccet, qui vovet, seu attentat vovere rem moraliter malam, aut mere indifferentem? n.414. Votum dividitur in *internum, & externum*: in *perpetuum, & temporale*: in *solemne, & simplex*: in *absolutum, & conditionatum*: in *reale, personale*, ac *mixtum*: in *reservatum, & non reservatum*. n.415. Singula hæc membra dividentia exponuntur. *ibid.* Quandonam quinque illa vota, videlicet, servandi Castitatem, ingrediendi Religionem ab Ecclesia approbatam, peregrinandi Jerosolymam ad S. Sepulcrum Salvatoris nostri, Romam ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, ac Compostellam ad S Jacobum, sint, vel non sint reservata S. Pontifici; adeoque ab ipso tantum, vel etiam ab aliis relaxabilia? *num.416.* Obligatio voti in materia gravi regulariter est gravis, & in levi levis. n.417. Quænam materia respectu voti censeatur gravis? n.418. Quando vovens executioni voti præfigit certum tempus, tenetur illud eo tempore exequi, quando autem nullum tempus præfigit, tenetur exequi, cum commode potest. n.419. An, si illud tempore præfixo non impleverit, teneatur implere postea, vel ante? *num.* 420. & 421. Quomodo illud differendo peccet? *num.422.* Qui votum jam editum repetit, nova obligatione se non obstringit. n.423. Non peccat contra votum per se loquendo, quem voti pœnitet. *num.424.* Votum, ut est actus Religionis, non obligat alios a vovente. *num.425.* Qualiter peccet vovens, si votum de pluribus materiis parvis violet? *num.426.* Qualiter votum sit interpretandum? n.427. Omnia peccata, votis opposita, sunt ejusdem speciei, si considerentur, in quantum sunt præcise violationes votorum, & pugnant contra secundum Decalogi Præceptum. n.428 Quid agendum Confessario, si pœnitens absolute dicat, se violasse votum? n.429. Qualiter obliget votum conditionatum, & qualiter pœnale? *num.430. & 431.* Votum generatim cessat duplici modo, nimirum *ab intrinseco*, & *ab extrinseco*. n.432. Assignantur modi, quibus cessat ab intrinseco. *n.433.* Assignantur etiam modi, quibus cessat ab extrinseco. *n.432.* Vid. *Commutatio Voti. Dispensatio Voti, Irritatio Voti*, Narcissus verum nuncupat votum, dum Deum hisce precatur verbis *Domine Deus! si sanitatem contuleris, intrabo Religionem* n.510. Nicasius, licet ex voto parentum sit devotus Religioni, eam tamen ingredi non tenetur. *num 511.* Nivardus Religiosus invalide vovet, dum vovet studere post Matutinum, media nocte persolvi solitum, sub conditione, *si Superior* (a quo ejusmodi studium sub pœna prohibitum novit) *dispensaverit*. *num.512.* Nonnatus valide vovet 1. quando vovet non vesci per totam vitam suam capite vitulino in honorem decollationis S. Joannis Baptistæ, nec carnibus assis in honorem S. Laurentii. 2. Quando vovet nullum edere votum, nisi prævie consulto suæ conscientiæ Arbitro. 3. Quando iterum de novo aliquid vovet, contra votum non vovendi, absque requisitione Confessarii, *num.513.* De Votis Religiosorum, Vid. *Regula, Regularis, Religiosus*.

Votum. Suffragium.

Novitio, de cujus idoneitate dubitatur, an ad Professionem admitti possit? vota nec absolute negari, nec dari a Suffragatoribus possunt: quia, sive unum, sive alterum facerent, mentirentur perniciose in re gravi; atque ideo peccarent mortaliter. *part.2. n.11.* Ne igitur Suffragatores in ejusmodi dubio de Novitii idoneitate errent, tenentur, antequam suffragia ferant, sedulo inquirere in qualitates Novitii, indeque dijudicare, an sit, vel non sit dignus, ut ad Professionem admittatur? Qua adhibita inquisitione, si dubium nihilominus perseveret, maneatque invincibile, neque judicium prudens de idoneitate, vel inidoneitate Novitii formari possit, & tamen suffragia ferenda sint, alius peccatum evadendi modus, aut via non restat, quam ut sua sensa Superiori communicent, sive dein id scripto, sive voce viva facere malint. *part. & n. cit. v. Ne igitur.* At vero, quæ modo dicta sunt, intelligenda videntur, dum procedendum est ad primum, vel etiam secundum adhuc scrutinium, non autem, dum procedendum est ad tertium, sive ultimum; nam si Novitius etiam tunc adhuc appareat dubie idoneus, suffragia eidem dari absolute reprobativa poterunt, non quidem fundata in dubiis exceptionibus, quas Suffragatores contra eundem habent (hoc quippe secundum dicta fieri absque mendacio nequit) sed in certa præsumptione, quod Novitius, cum toto Novitiatus anno se non probaverit idoneum Religioni, etiam posthac, sive post Professionem, permansurus sit *Joannes in eodem*, vel adhuc evasurus deterior. Quapropter, seu favore Professionis indignus, citra mendacium, aut injuriam a Suffragatoribus reprobari, & a Superiore remitti ad seculum potest. *ibid. v. At vero.* Qui absque legitima causa Novitio ad Professionem votum, seu suffragium negant, peccant contra Justitiam, & quidem graviter; adeoque sub mortali ad restitutionem obligantur. *part.4. n.571.* Ceterum ad negandum Novitio votum, seu suffragium non requiruntur causæ gravissimæ, sed sufficit vel gravis culpa aliqua moralis, vel quod Novitius ratione suæ indolis, complexionis, valetudinis, defectu talentorum &c. judicetur futurus gravis Religioni, ab eove timeatur notabile detrimentum, sive spirituale, sive temporale, *cit part.4. n.572.* Qui suo suffragio subscripsit causæ iniquæ, nondum sufficienter conclusæ, obligatur ad restitutionem: non item, qui subscripsit causæ jam sufficienter conclusæ. *ead. part. n.450.*

Usura, Usurarius.

Usura, formaliter sumpta, est *contractus, quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum, vel præstandum aliquid, pretio æstimabile, ultra sortem solo titulo mutui. part.4. n.744.* Objective vero sumpta importat lucrum quæsitum ex mutuo vi mutui. *ibid.* Contractus usuræ transfert dominium rei usurariæ in usurarium, si mutuatarius habeat animum illud transferendi, *num.745.* Usura (sive *aperta, & formalis*, sive *palliata, & virtualis*) non solum Jure positivo tam Divino, quam humano, sed etiam naturali prohibita, & illicita est. *n.746.* Solvuntur argumenta opposita. *n.747. & seqq.* Conclusio illustratur duobus corollariis. *n.752. & 753.* Usura est peccatum mortale ex genere suo; admittit tamen parvitatem materiæ. n.754. Recensentur pœnæ in usurarios statutæ. n.755. Nonnatus usuram committit, dum mutuat centum florenos Nonnatæ infirmæ, ac inopi, & præter oppignorationem ædium centum florenis æstimatarum, quas Nonnata cum ancilla inhabitat, & præter quas nihil pretio æstimabile habet, exigendo per modum interesse singulis annis quinque florenos. *num.823.* Nereus, & mercator illicite, ac injuste agunt; imo usuram palliatam committunt, dum ineunt pactum venditionis, & emptionis reciprocæ, seu contractum, qui dicitur *Mohatra*. n.854. De Pacto Antichreseos Vid. *Antichreseos Pactum*. De Pacto Legis Commissoriæ Vid. *Legis Commissoria Pactum*.

Usus.

Usus alius est *juris*, alius *facti*. Prior est jus reale utendi tantum re aliena, salva ejus substantia. Posterior (siquidem licitus sit) est facultas, seu licentia utendi re aliena, ab alterius nutu dependens, & citra injuriam licentiati revocabilis, aut impedibilis. *part. 2. n. 164.* Ceterum res, quibus uti possumus, sunt in duplici differentia. Nam aliæ sunt, quæ unico usu proprio, & primario non consumuntur; ut domus, vestis, liber &c. Atque in his usum facti separari posse a jure proprietatis, & dominio, extra controversiam est & patet in Religiosis, quorum singulis variæ res ad usum quotidianum conceduntur, quin ullus illorum in particulari aliquod jus proprietatis, aut dominium talibus in rebus habeat, aut habere possit. Aliæ sunt, quæ unico usu proprio, & primario consumuntur: ut cibus,

Hactenus Index &c. Nunc sequitur

APPEN-

APPENDIX,

IN QUA RECENSENTUR VARIÆ PROPOSITIONES a SS. Pontificibus damnatæ.

QUemadmodum Operi meo præfixi propositiones, a tribus SS. Pontificibus, Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. confixas; quoniam pleræque illarum per Operis decursum erant referendæ, & reprobandæ: ita hic ad Operis, sive Indicis calcem subjicio propositiones ab aliis SS. Pontificibus proscriptas, quarum notitiam Benevolo Lectori necessariam, vel saltem utilem, & idcirco non ingratam fore confido.

Propositiones, seu Articuli 45. Joannis VVicleff damnati anno 1418. in Conc. Constantiensi, Sess. 45.

Tom. 29. Concil. Regiorum pag. 617.

1. SUbstantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice & realiter propria præsentia corporali.

4. Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat,

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

8. Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam S. est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo. & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem vel ad Concilium Regni, eoipso traditor est Regis & Regni.

13. Illi, qui dimittunt prædicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ sive Episcopi catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales Orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

20. Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunque, tam possessionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes Religiones privatas sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Consecratio reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

29. Universitates, studia, Collegia, Graduationes & Magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, tantum prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31. Peccant fundantes Claustra; & ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum est contra Regulam Christi.

33. Silvester Papa, Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem aut aliquem Ordinem eoipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta; & per consequens ad perveniendum ad regnum cælorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet Domini seculares & ceteri laici.

37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.

38. Decretales Epistolæ sunt apocryphæ & seducunt a fide Christi; & Clerici sunt stulti, qui student eas.

39. Imperator & Domini seculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere Indulgentiis Papæ & Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus & commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt & intraverunt Religiones: & sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Propositiones, seu Articuli 30. Joannis Hus, damnati anno 1418. in Concil. Constantiensi Sess. 45.

Tom. 29. Concil. Regiorum pag. 620.

1. UNica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, Divinitas & humanitas, sunt unus Christus.

5. Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars S. Ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratia sive non secundum præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, & sic ut filii infideles sentiunt infide-

infideliter de 7. Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis & Ordinibus.

9 Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ perfectio & institutio a Cæsaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iste, quicunque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscunque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur & morum conformitas & instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus & manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; & si quærit avaritiam, tunc est Vicarius Judæ Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri & manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata & consilia Domini nostri JESU Christi.

14. Doctores ponentes quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, seculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipsum seculari judicio tradiderunt: & quod tales sint homicidæ graviores quam Pilatus.

15. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16 Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa: quia si homo est vitiosus & agit quicquam, tunc agit vitiose; & si est virtuosus, & agit quicquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam & effectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obstante prætensa excommunicatione. Quod si Papa vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit & viam præparat Anti-Christo. Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, quem Clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc ut Judas apostolus est diaboli, fur & filius perditionis, & non est caput S. Militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa vel Prælatus malus & præscitus est æquivoce Pastor, & vere fur & latro.

23. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum officium: & tortores & præcones dicerentur sancti; imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum Constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam; nam Judas Scariotes rite & legitime est electus a Deo Christo JESU ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45. artic. Joannis VVicleff per Doctores facta est irrationabilis & iniqua & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus aut erroneus aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo Electores vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritos hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus & manifestus Successor vel Vicarius Petri Apostoli vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico: unde sive Electores bene sive male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem.

27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in Spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur & conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces Discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum: sic facerent deficiente per summe possibile Papa usque ad diem judicii.

30. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

Propositiones, seu Articuli 41. Martini Lutheri, anno 1520. damnati a Leone X. per Bullam, Exurge Domine &c.

Tom. 1. Bullarii apud Cherubinum pag. 452.

1. HÆretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cœli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres esse partes pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, non est fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis SS. Christianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, de cetero non facere; summa pœnitentiæ: optima pœnitentia nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas: unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, *Quodcunque solveris* &c. Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem: & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile, confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In Sacramento Pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos; imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet Sacerdoti respondere se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria, omnes illi ad judicium sibi manducant & bibunt: sed si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi sub utraque specie communicantes sunt hæretici sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi & SS.

18. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium & remissiones bonorum operum; & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares & ad fructum Spiritus utiles.

21. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis crimini-

minibus, & proprie conceduntur doctis solummodo & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ, nec sunt necessariæ nec utiles: videlicet mortuis seu morituris; infirmis; legitime impeditis; his, qui non commiserunt crimina; his, qui crimina commiserunt, sed non publica; his, qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum; *Quodcumque solveris super terram &c.* extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum in manu Papæ aut Ecclesiæ prorsus non esse statuere articulos fidei; imo nec leges morum seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit sive reprobatum a quocunque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Huss condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

34. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo; & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex S. Scriptura, quæ sit in Canone.

38. Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse, nec extra statum merendi aut agendæ charitatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Prælati Ecclesiastici & Principes seculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Propositiones 79. Michaelis Baji & aliorum, quas damnavit S. Pius V. die 1. Oct. 1567. per Constit. Ex omnibus. *Quam damnationem confirmarunt Greg. XIII. die 29. Jan. 1579. per Constit.* Provisionis nostræ: *Et Urban. VIII. die 6. Martii 1641. per Bullam*, In eminenti.

1. NEc Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per JESUM CHRISTUM male merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie & juste in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est, Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona Justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solum, quod obedit Divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiæ & Temperantiæ quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt latrones, qui Christum, viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam Justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent:

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris Literis & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libero tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, seu libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitus, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio; separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt; actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus; sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores,) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum, (quod moraliter bonum appellare consueverunt,) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ; alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur & palmes vivus in Vite Christo efficitus, pariter commentitia est & Scripturis minime congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*: Unde homo eos sentiens & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse a Deo creari & institui sine Justitia naturali.

Quas quidem Sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent; in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, ac quæcunque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus: deque eisdem & similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscunque interdicimus.

Posteriora hæc verba sic interpunxerunt quidam Discipuli Baji: Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. damnamus: *Ex qua interpunctione inferebant nullam determinate dici posse damnatam, sed tantum aliquas indeterminate, ideoque posse singulas defendi in sensu ab assertoribus intento: sed Urb. VIII. in Generali Congr. die 26. 1644. produxit ex Archivio Bullam,* In eminenti, *in qua repetit verba S. Pii V., & comma, ponitur, post τὸ, possent; eamque interpunctionem, uti prima retulimus. Postmodum Bajani dixerunt Bullam illam,* In eminenti, *esse subreptitiam, quod etiam damnavit Alex. VIII. die 7. Decembr. 1690. in prop. 31., uti retulimus in principio Operis.*

Propositiones Jansenii, & designatio quorundam locorum, e quibus desumpta sunt.

1. PRopositio. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Jansenius in suo Augustino T. 3. l. 3. cap. 13. sic habet, *Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt: 1. quædam esse quædam homini præcepta secundum statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia. 2. Non adesse semper gratiam, qua possimus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus. 3. Hanc impotentiam reperiri non solum in excæcatis, obduratis & infidelibus, sed etiam in fidelibus & justis, qui & fidem Christi & charitatem justitiæ susceperunt. 4. Hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt . . . . . Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant nihil esse in S. Aug. doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis & obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia.* Hanc eandem propositionem inculcat toto illo libro, exceptis duobus ultimis capitibus.

II. *Propositio*. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Jansenius T. 3. l. 2. c. 24. ait, *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.* Cap. 25. *Quod est perinde, ac si apertissime diceret, nunquam illa caret effectu suo.* Cap. 29. *Docent ipsimet* recentiores *cum omnibus istis gratiis optime consistere posse, ut voluntas iis excitata & suasa atque provocata nolit, quod certissimum est illi gratiæ medicinali repugnare, quam Augustinus lapsis hominibus dari tradit.* Tom. 3. l. 3. cap. 1. pro titulo habet, *Nullum dari post lapsum Adami adjutorium sufficiens, quin simul sit efficax.* Et totus secundus liber fuit pro ea prop. firmanda.

III. *Propositio*. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Jansenius T. 3. l. 6. c. 6. ait, *Quod sola necessitas coactionis adimat libertatem . . . . demonstrari potest.* Lib. 8. cap. 19. ait, *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio & necessitas violentiæ.* Toti libri, 6. 7. & 8. non continent nisi unam illam prop. prout etiam tituli ostendunt manifeste.

IV. *Propositio*. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Jansenius Tom. 1. l. 8. cap. 6. ait, *Certum esse & indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam atque internam & actualem gratiam, ad ipsam etiam fidem, quam humanæ voluntatis ac libertatis adscribant viribus, necessariam esse fateantur.* Idem docet cap. 7. 8. & seqq. Eodem c. 6. ait, *In hoc ergo proprie Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet, neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate.* Cap. 15. dicit errorem Massiliensium fuisse, *quod initium fidei, orationem, gemitus & desideria & hujusmodi ex nobis, hoc est ex libero arbitrio prodire senserunt, & tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio.* Et hic est scopus omnium librorum de hæresi Pelagiana.

V. *Propositio*. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut Sanguinem fudisse.

Jansenius T. 3. leg. 3. cap. 21. *Respondetur & ad hoc argumentum*, quod Christus sit Redemptor omnium, pro omnibus, crucifixus & mortuus, *Sicut olim præcedentia jam olim ad nauseam usque a Pelagianis, præsertimque Massiliensibus inculcatum fuit, ut mirum sit Recentiores tanto studio etiam hæreticorum arma colligere & obsoleta recudere.* Ibidem ait, *Juxta doctrinam antiquorum respiciendum tanquam errorem a fide Catholica abhorrentem, quod Christus pro omnibus omnino passus aut mortuus, aut pro omnibus tam generaliter sanguinem fudit . . . . Vanum est & stultum pro eo irritando vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum & prædeterminatum esse jam nosti: vanum etiam pro talibus salvandis pati, mori; vanum pro talibus a perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem & Sanguinem suum . . . . . . Quæ sane cum in Aug. doctrina perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, Sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem oravisse sentiatur, ex quo factum est, ut juxta summum Doctorem non magis Patrem pro æterna salute ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Postrema capita hujus libri 3. non sunt nisi hæc 5. propositio repetita.

Bullas Pontificum, & modum, quo singulæ hæ propositiones damnatæ sunt, habet P. La Croix L. 2. n. 210.

INNOCENTII D. P. Papæ X. Decretum adversus libros continentes propositionem, qua asseritur æqualitas SS. Petri & Pauli.

Feria V. die 29. Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Rom. & universalis inquisitionis &c.

EDitus est anno 1645. Liber Gallico idiomate impressus, cui titulus: *De l'autorité de S. Pierre & de S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apostres*, absque nomine Authoris, & impressionis loco. Hujus Libri evulgationem subsecuta est editio alterius Libri Anonymi eodem idiomate impressi, cui titulus: *La Grandeur de l'Eglise Romaine establie sur l'autorité de S. Pierre & de S. Paul.* Nec non Epistolæ ejusdem argumenti Latino idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, plurimis adducta atque congesta Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum & Doctorum loca.

Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi mature examinatis, locisque adductis diligenter inspectis ac ponderatis.

Sanctissimus relata unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti. Vel: sunt geminus Universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema & regimine Universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit.

Epistolam vero ac libros prædictos, aliosque, in quibus Propositio ut supra explicata & damnata asseritur & defenditur, tam impressos quam imprimendos, quocunque idiomate aut quomodolibet, etiam in scriptis evulgatos, vel imposterum evulgandos, Sanctitas Sua omnino damnatos & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat & prohibet.

Mandans ut nemo cujuscunque gradus & conditionis existat, etiam speciali seu specialissima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim a præsentis Decreti notitia, quicunque illos habuerit, locorum Ordinariis seu Inquisitoribus consignare teneatur.

INNOCENTII D. P. Papæ XI. Decretum, quo damnantur Propositiones 68. Michaelis de Molinos.

Feria V. die 28. Aug. & iterum 19. Nov. 1687.

AD abolendam perniciosissimæ hæresis pravitatem, quæ in plerisque mundi partibus, non sine maximo Animarum discrimine invaluit, rigor debet Apostolicus excitari, ut Pontificiæ sollicitudinis authoritate & providentia, hæreticorum protervia in ipsis suæ falsitatis conatibus elidatur, & Catholicæ veritatis lumen in Ecclesia Sancta resplendens, eam utique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam. Cum igitur compertum fuerit quendam *Michaelem de Molinos* perditionis filium, prava dogmata, tum verbis, tum scriptis passim docuisse & in praxim deduxisse, prætextu Orationis, quæ, Quietis, contra doctrinam & usum a SS. Patribus, ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis receptum, fideles a vera Religione & a Christianæ pietatis puritate, in maximos errores, & turpissima quæque inducebant; Sanctissimus D. N. INNOCENTIUS Papa XI. cui cordi est, ut fidelium Animæ sibi ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, pro re tam gravi, auditis pluries coram se Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem *Michaelis de Molinos*, a quo fuerunt

pro suis recognitæ, & de quibus Propositionibus tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis & creditis, & ipse convictus, & respective confessus devenire, ut infra, decrevit.

PROPOSITIONES.

1. Necessarium est annihilari potentias; & hæc est via interna.

2. Velle operari active, est offendere Deum, qui vult solus Agens esse, & ideo necesse est derelinquere se in illo, & deinde se habere corporis mortui instar.

3. Vota faciendi aliquam rem, sunt impeditiva perfectionis.

4. Activitas naturalis est inimica gratiæ, & impedit operationem Dei & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis, sine nobis.

5. Anima nihil operando annihilat se, & redit ad suum principium & ad suam originem, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata, & divinisata; & tunc Deus manet in se ipso, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una sola, & sic vivit & regnat Deus in nobis, & anima se annihilat in esse operativo.

6. Interna via est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, neque necessarium est cognoscere Deum, & sic bene proceditur.

7. Non debet anima cogitare, nec præmium, nec pœnam, nec Paradisum, nec infernum, nec mortem, nec æternitatem.

8. Non debet velle scire, an ambulet cum voluntate Dei, an sit resignata illi, vel non; nec est necesse, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihilum; sed sese habeat quasi corpus mortuum.

9. Non debet anima memor esse, vel sui ipsius, vel Dei, vel ullius rei, & in Via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio supra suas actiones humanas ac proprios defectus.

10. Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi; & non posse reflectere ad proprios defectus, est donum Dei.

11. Ad dubia, quæ accidunt, recte ne procedamus, an non, non est necessarium reflectere.

12. Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re, nec de inferno, nec de Paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, a cujus etiam spe se purgare debet.

13. Dum consignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura & cogitatio omnium rerum nostrarum, & permitti, ut in nobis sine nobis suum divinum faciat velle.

14. Qui resignatus est divinæ voluntati, non debet a Deo quidquam petere, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis & electionis, & est quodammodo velle, ut divina voluntas nostræ se conformet, & non nostra voluntati divinæ: & illud, *Petite & accipietis*, in Evangelio, non fuit dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; quin & istæ eo deveniunt, ut non possint a Deo quidquam petere.

15. Unde sicut nihil debent a Deo rogare, etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re, quia utrumque est æqualiter actus propriæ voluntatis.

16. Non oportet quærere Indulgentias pro pœna debita peccatis propriis; quia melius est satisfacere divinæ justitiæ, quam quærere misericordiam: nam illud procedit ex puro Dei amore, & hoc ex amore interessato, id est, personalis commodi nostri, & non est res grata Deo, nec meritoria, quia est velle subterfugere crucem.

17. Ex quo traditum est Deo liberum arbitrium, cura etiam ac cogitatio animæ nostræ, non debent ulterius æstimari tentationes, nec alia fieri illis resistentia nisi negativa, non utendo industria: & si natura inde patitur, necesse est illam mere pati, quia natura est.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum *in spiritu & veritate*.

19. Qui amat Deum prout illum Ratio argumentando repræsentat; aut intellectus comprehendit, non amat Deum verum.

20. Dicere, in Oratione utendum discursu & cogitationibus tunc, cum Deus non loquitur animæ, est ignorantia: Deus non loquitur unquam, illius loqui, est operari: semperque in anima operatur, dum ista suis discursibus, cogitationibus & operationibus eum non impedit.

21. In Oratione manendum est in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione omnis alterius cogitationis particularis & distinctæ attributorum Dei & Trinitatis: atque standum in præsentia Dei ad eum adorandum, amandum, eique serviendum: verum sine productione ullorum actuum; Deus nanque id genus rebus non delectatur.

22. Non est hæc cognitio Fidei actus quispiam productus a creatura, sed cognitio quædam illi a Deo data, quam creatura non novit se habere, neque adeo postea scit se habuisse; idemque dicendum de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo *in Scala Claustralium* distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper est in primo, nunquam transit ad secundum. Qui semper est in secundo, nunquam ad tertium pertingit, quæ est Contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodo Deus non trahat animam, nihil talle expectantem, ad Contemplationem infusam: & hac cessante, redeundum est Animæ ad gradum tertium, & in eo consistendum, non amplius revertendo ad secundum aut primum.

24. Quantæcunque cogitationes inter Orandum accidant, etiam impuræ, quin & contra Deum & Sanctos, contra Fidem & Sacramenta; si non voluntarie foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, sed cum indifferentia & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei; imo illam reddunt perfectiorem, quia Anima magis est resignata voluntati Divinæ.

25. Tametsi superveniat somnus & dormiatur, omnino tamen oratur & contemplatio fit actualiter; quia Oratio & resignatio, Resignatio & oratio, totum est idem; & quandiu continuatur Resignatio, utique etiam Oratio continuatur.

26. Tres hæ Viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ineptia est maxima, quæ unquam prolata sit in ipsa Mystica, cum non sit nisi Via unica, id est, Via interna.

27. Qui desiderat & amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat nec quærit Deum, sed seipsum: quique per Viam internam incedit, male facit eam desiderando ac habere conando, sive in locis sacris, sive diebus solemnibus.

28. Bonum est tædium rerum spiritualium; quia sic ab amore proprio expurgamur.

29. Cum anima interna fastidit discursus de Deo & Virtutibus, manetque frigida, non sentiendo se ad fervorem accendi, bonum signum est.

30. Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est, sordidum & immundum.

31. Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci a sensibus. Perdere oportet Virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia opus est præparatione aut gratiarum actione, (pro animabus hisce internis) quam ut se teneat in solita Resignatione passiva; quia in hac invenitur amor, qui supplet modo perfectiori, quam omnes alii virtutum actus, qui fieri possunt & fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione Communionis accidant motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus, aliter enim sunt impulsus naturæ, nondum mortuæ.

33. Male facit anima, quæ Via ista interna graditur, si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem Devotionis; quia animabus internis omnes dies sunt pares; omnes festi: idemque est de locis sacris, cum omnia loca his animabus fiunt paria.

34. Deo gratias agere lingua & verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non præbentes Deo impedimentum, quominus in iis operetur: & quanto amplius se Deo resignant, tanto magis experiuntur impotentiam dicendi, *Pater noster*.

35. Animabus hujus vitæ internæ non convenit, ut faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione & activitate; alioqui mortuæ non forent. Nec debent facere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi; quia cum hæc sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, neque B. Virgo, nec Sancti, sedem habere debent in corde nostro; quia Deus solus vult occupare illud & possidere.

37. In occasione tentationum etiam vehementium, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum, sed tenere se in supradicto amore & resignatione.

38. Crux voluntaria mortificationum gravis est & sine fructu, ideoque omittenda.

39. Opera sanctissima, & austeritates, quas Sancti fecerunt, non sufficiunt ad animam vel uno assultu liberandam.

40. B. Virgo nunquam opus aliquod externum fecit, & omnium Sanctorum fuit sanctissima: Igitur perveniri potest ad Sanctitatem sine opere externo.

41. Deus, ut nos humiliet & ad veram transformationem pertingere faciat, permittit & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dæmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia & sine mentis offuscatione, movendo illis physice manus aliaque membra contra earum voluntatem; & idem dicendum est in ordine ad alios actus per se peccaminosos: quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus.

42. Po-

42. Potest dari casus, quo hæ violentiæ ad actus carnales existant in eodem tempore ex parte duarum personarum, id est, viri & feminæ, & consequatur actus ex parte amborum.

43. Deus temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium tyrannorum, hodie eos facit per medium dæmonum, qui dum illis causant dictas violentias, facit, ut ii magis se vilificent & annihilent in se ipsis, seque in Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen in eo, *non peccavit labiis suis* quia id fuit per violentiam dæmonis.

45. Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias dæmonis; unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hæ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem & unionem: neque alia est via; estque via facilior & securior.

47. Cum hæ violentiæ accidunt, oportet, sinamus Satanam agere, non utendo propria industria aut viribus, sed consistendo in nihilo nostro. ac tametsi accidant pollutiones, actusque obscœni manibus procurati, atque etiam his magis insolita & peregrina, non opus est his inquietari, sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores, quia anima magis illuminata, robustiorque & candidior efficitur, & acquiritur sancta illa libertas. At in primis non oportet ea confiteri, fitque sanctissime illa non confitendo, quia sic vincitur dæmon, & thesaurus quidam pacis obtinetur.

48. Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deinde esse graves defectus ad inquietandam Animam, ut non progrediatur in via interna: unde ad tollendas illi vires præstat ea non confiteri, quia nequidem sunt peccata venialia.

49. Job per violentiam dæmonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces*. Ita interpretando in tali sensu textum quendam Cap. 16. Job.

50. David, Jeremias & multi e Prophetis sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum.

51. In Scriptura Sacra multa sunt exempla violentiarum ad actum externos peccaminosos, ut Sampsonis, qui per violentiam occidit seipsum cum Philistæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice; quæ alias erant res prohibitæ & fuissent peccata: Item Judith, quæ mentita est Holoferni; Elisæi, qui pueris maledixit, Eliæ, qui igne combussit duos Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediate a Deo, vel dæmonis ministerio, ut in aliis accidit animabus, in dubio relinquitur.

52. Quando hæ violentiæ, etiam impuræ, veniunt sine mentis offuscatione, tunc anima potest se unire Deo, & reipsa semper magis unitur.

53. Ad cognoscendam in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de re habeo, non solum est, quod protestentur hæ animæ se non consensisse, vel quod non possint jurare se consensisse, ac quod videamus esse animas, quæ profectum faciunt in Via interna: sed præsertim me dirigo lumine quodam actuali, & quod superius est cognitione humana ac Theologica, quo cognosco certo cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentam: & hoc lumen certus sum venire a Deo, quia mihi venit conjunctum cum securitate, quod veniat a Deo, neque mihi vel umbram dubii in contrarium relinquit; eum in modum, quo interdum accidit, ut Deus revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse, qui eam revelationem facit, neque anima possit in contrarium dubitare.

54. Spirituales illi Viæ ordinariæ, in hora mortis se delusos & confusos invenient, cum omnibus passionibus in altero mundo expurgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa tolerantia ad expurgationem & mortificationem omnium passionum, ita, ut nihil amplius sentiatur, nihil plane, neque percipiat quis inquietudinem unam perinde ut corpus quoddam mortuum: neque anima se amplius in diversa transferri sinat.

56. Duæ leges & duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant, quandiu amor proprius durat: unde ubi hic expurgatus & mortuus fuerit, uti fit per Viam internam, non amplius ibi sunt illæ duæ leges, neque duæ voluntates, nec ultra fit ulla subreptio, aut motus improvisus; neque aliquid porro sentitur, ne unum quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non peccandi amplius, seu mortaliter seu venialiter.

58. Ad ejusmodi statum pervenitur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione.

59. Via interna separata est a Confessione, a Confessariis & a casibus conscientiæ, a Theologia & a Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, quin & eo, ut mortuæ sint, jam perveniunt, Deus nonnunquam impossibilem reddit Confessionem, ipseque supplet tantundem ipsis largiendo gratiæ præservantis, quantum reciperent ex Sacramento. Ideoque his animabus non expedit eo casu Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non possunt.

61. Anima, cum ad mortem mysticam pertigit, non potest ultra velle aliud, quam vult Deus; quia non habet amplius voluntatem, & Deus illam ipsi ademit.

62. Per viam internam pervenitur ad continue consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili.

63. Pervenitur etiam mediante via interna ad mortem sensuum; imo signum, quod quis in nihilo illo consistat, id est, mortuus sit morte mystica, est, si sensus externi non magis jam repræsentent res sensibiles, quam si non existerent; quandoquidem non efficiant, ut intellectus se iis applicet.

64. Theologus minus est dispositus quam simplex & idiota, ad hoc ut sit contemplativus: Primo, quia non habet fidem tam puram. Secundo, quia non est tam humilis: Tertio, quia non curat perinde de sua salvatione: Quarto, quia habet caput plenum phantasmatibus, speciebus opinionibus & speculationibus; & in eum nequit verum lumen intrare.

65. Superioribus obediri debet in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum pertingit solummodo ad exterius: aliud est in interiore, quo solus Deus & Director intrant.

66. Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei; Animam, ad interna quod attinet, gubernari debere per Episcopum; & si is idoneus non fuerit, eundum animæ ab illo ad suum Directorem. Dico novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores unquam id dixerunt, neque dicere possunt, quia *Ecclesia non judicat de occultis*; habetque jus Anima, ut eligat, quem maluerit.

67. Dicere, opus esse, ut Internum manifestetur tribunali externo Superiorum, & esse peccatum, nisi fiat, ea est deceptio manifesta, quia *Ecclesia non judicat de occultis*; atque animabus suis damnum adferunt fraudibus hisce & fictionibus.

68. In mundo non est facultas nec Jurisdictio ad mandandum, ut manifestentur literæ Directoris circa internum animæ & idcirco monitos esse oportet, esse hunc assultum quendam Satanæ.

Quas quidem Propositiones tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas & eversivas, & scandalosas respective, ac quæcunque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorundem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus, deque eisdem & similibus omnibus & singulis posthac quoquomodo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscunque interdiximus. & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis ipso facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcunque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis & a Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi. Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus & damnavimus omnes Libros omniaque Opera quocunque loco & idiomate impressa, nec non omnia Manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos*, vetuimusque, ne quis, cujuscunque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub iisdem verbis, sive sub æqualibus aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto aut alieno nomine, ea imprimere vel imprimi facere, neque impressa seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere & consignare teneatur sub eisdem pœnis superius inflictis: qui Ordinarii & Inquisitores statim ea igni comburant & comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos* ob hæreses, errores & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis filiis Consultoribus nostri Sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia & in Jure Pontificio Magistris, cum eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michael de Molinos* tanquam reum convictum & confessum respective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato Juris ordine damnavimus, mandantes ut die & hora præfigendis in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor Processus, stante in suggesto eodem *Michaele de Molinos*, una cum sententia inde secuta legeretur.

rór. Et postquam idem *Michael de Molinos* habitu pœnitentiæ Indutus prædictos errores & hæreses publice abjurasset, dedimus facultatem Dilecto Filio nostri Sancti Officii Commissario, ut eum a censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret: quæ omnia in executionem dictæ nostræ Ordinationis die 3. Septembris labentis solemniter adimpleta sunt.

Et licet supra narratum Decretum mandato nostro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum & divulgatum fuerit; nihilominus, ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione supradictum Decretem denuo approbamus, confirmamus, debitæ executioni tradi mandamus, iterum supradictas Propositiones definitive damnantes & reprobantes, Librosque & manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes & interdicentes sub eisdem pœnis & censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernentes insuper præsentes Literas semper & perpetuo validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; sicque per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes & functuros ubique judicari & definiri debere, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane, quidquid secus super iis a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus Literis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c.

Constitutio S. D. N. INNOCENTII XII. Qua damnat Librum, cui titulus: Explication des Maximes des Saints, &c.

INNOCENTIUS Papa XII. Ad perpetuam rei memoriam.

CUm alias ad Apostolatus Nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse Librum quendam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure, par Messire François de Salignac Fenelon, Archevêque Duc de Cambray, Precepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clousier* 1697. ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce quam scripto Nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum sententiis, Dominici Gregis Nobis ab æterno Pastore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Librum prædictum ubicunque, & quocunque alio idiomate, seu quavis editione aut versione hucusque impressum aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem Propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore præsentium damnamus & reprobamus, ipsiusque Libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum omnibus & singulis Christi fidelibus etiam specifica & individua mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus & prohibemus: Volentes & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicunque supradictum Librum penes se habuerint, illum statim atque præsentes Literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Ceterum Propositiones in dicto libro contentæ, quas Apostolici Censura judicii, sicut præmittitur, confligendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum versæ, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habens amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.

3. Id, quod est essentiale in directione Animæ, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet, efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plene, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio, non est nisi abnegatio seu sui ipsius renunciatio, quam JESUS CHRISTUS a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium.... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab Animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia.... Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis & intimis spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione, nam totum quod est voluntarium & intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur.... Ista compositio actuum discursivorum & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua Oratio sit Contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos.

17. Animæ Contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili & reflexo JESU CHRISTI duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum Contemplationis... Secundo, Anima amittit intuitum JESU-CHRISTI in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, amplius & amor Zelotypus simul efficit, ne quis sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod Anima passiva & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In

20. In confitendo debent Animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti Mystici excludunt a statu Animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset purus, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes Literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citorio & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut sic publicatæ, omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ & intimatæ fuissent. Utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 12. Martii 1699.

Sanctissimi D. N. Domini CLEMENTIS *Divina Providentia* PAPÆ XI. *Damnatio quamplurimum Propositionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo, sub titulo* Le Noveau Testament en François, avec des reflexions morales sur chaque verset &c. A' Paris 1699. ; *Ac aliter* Abbregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensées Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez &c, A' Paris 1693., & 1694.

Cum prohibitione ejusdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam hactenus editorum, quam in posterum edendorum.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei, Universis Christi-fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

U*NIGENITUS Dei Filius pro nostra, & totius Mundi salute filius hominis factus, dum Discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac salaberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis Ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine Sanctitatis: utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese Divinæ Legis sententiis, velut quibusdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii Parentis exemplo ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.*

His Nos vere divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine, accepimus, Librum quendam Gallico idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum, sub titulo Le Nouveau Testament en François, avec des reflexions morales sub chaque verset &c. A Paris 1699.; *Aliter vero* Abbregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte des ces Livres Sacrez &c. A' Paris 1693. & 1694. *tam etsi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, & opera studiose nimis quaquaversum disseminari etiam latine redditum, ut perniciosa institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus: adeoque Pastoralis non minus cura nostræ stimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, literis, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque prorumpere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.*

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam provida nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideo potissimum progredi, & invaluisse, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat: cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat: molliti enim sunt sermones ejus super oleum: sed ipsi sunt jacula & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari a Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus sigillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctius, & apertius, explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore, ut omnes tandem aperta jam, manifestaque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re Catholica futurum, sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variis opinionum, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: Conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis Charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius Nobis est contestatus; repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocius Apostolicæ censuræ Judicio consuleremus.

Hinc aspirante Domino, ejusque Cælesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut res magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accurate discuti, deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet.

1. QUid aliud remanet Animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

4. Domine. Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter Fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus Peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcunque remotus a salute sit Peccator obstinatus,

stinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, occurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16 Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis, in Incarnatione, veluti fonte atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua Creaturas a nihilo producit, mortuis reddit vitam.

24. Justa idea quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus, sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, id est, Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis; & sibimetipsi renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem & mysteria, ut facit S.Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad errandum ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius, alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus Charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine; Sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.

53. Sola Charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum.

54. Sola Charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi Charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56 Deus non remunerat nisi Charitatem, quoniam Charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.

59. Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est Reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti Bestiæ, sed per fidem, & per amorem sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, & precibus.

69. Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cæli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium Seculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Seculi.

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, & subsistentia & persona. Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium seculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.

78. Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus & Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, Pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Le-

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas Sancti Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba Virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84. Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, & Charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ, per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus sit a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata, sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit. . . . . Haberi, & tractari a Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis prælatorum Cardinalium, aliorumque Teologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eam finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio omnes & singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandamus omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem Nostra Constitutione continetur; ita ut quicunque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a Jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Ceterum per expressam præfatarum Propositionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sane paucas sub imaginaria quadam, velut grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas proinde singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ in sermoni Gallica Montensi in multis conformem a vulgata vero editione, quæ tot Seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut imposterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contravenientes ipso facto incurrenda prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis; necnon Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris Pontificatus Nostri Anno decimo tertio.

J. CARD. PRODATARIUS.

F. Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinus.

Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo septingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo tertio, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Cursorum.